DECRETALES PSEUDO-ISIDORIANAE.

DECRETALES

PSEUDO-ISIDORIANAE

ET

CAPITULA ANGILRAMNI.

AD FIDEM LIBRORUM MANUSCRIPTORUM RECENSUIT

FONTES INDICAVIT

COMMENTATIONEM DE COLLECTIONE PSEUDO-ISIDORI PRAEMISIT

PAULUS HINSCHIUS.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ

LIPSIAE MDCCCLXIII.

FRANCISCO HINSCHIO

I. U. D.

R. IN CAUSIS IUSTITIAE CONSILIARIO HONORARIO

ADVOCATO ET NOTARIO PUBLICO

IUDICII CAMERALIS BEROLINENSIS MATRICULAE INSCRIPTO

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

HUNC LIBRUM

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PRAEFATIO EDITORIS.

Pseudo-Isidorianas decretales mihi edituro, cum opus adgrediar diu multumque desideratum ab omnibus qui operam navarunt historiae, theologiae, iuri canonico, non de utilitate operis videtur disserendum, sed de via tantum ac ratione quam inierim. Qua de re quae afferam haec sunt:

Cum inter omnes codices Pseudo-Isidorianos auctoribus Balleriniis Vaticanus 630 archetypus collectionis Isidori Mercatoris esse adhuc putetur, iter ad investigandos manuscriptos a. MDCCCLX. ineunte adgressus primum Romam me contuli, ut ipse codicem illum evolverem, cuius in editione decretalium instituenda praecipue ratio esse habenda videbatur. Sed cum Romae et illo et aliis manuscriptis diligenter examinatis intellexissem neque antiquissimum codicem esse Vaticanum neque cum quos perlustraveram codices mirum quantum inter se discreparent, in quas classes codices discederent et quae antiquissima collectionis forma esset, satis certis rationibus diiudicari posse, nisi etiam alios et si fieri posset, permultos codices examinassem, necessarium duxi, non solum bibliothecas Italiae sed etiam Galliae, Hispaniae, Angliae, Germaniae, Helvetiae adire et qui ibi asservarentur codices omnes perlustrare. Quod inceptum sane magnum, ut volui, perficere non licuit. Quoniam enim itineris sumptus nisi pater nemo mihi suppeditabat neque facultas erat ultra biennium peregrinandi, necessario in eo acquiescendum mihi erat, ut decretales a Pseudo-Isidoro confictas et capitula Angilramni, quae

cum illa fraude cohaerere inter omnes constat, ea igitur secundum optimos codices ederem, genuinis autem conciliis et decretalibus quae insunt in Pseudo-Isidorianis codicibus ita tantum operam darem, ut quot et quae concilia et decretales in singulis manuscriptis inessent, qua par erat diligentia investigarem. Quod eo magis potui, cum quibus e codicibus illa in collectionem Pseudo-Isidorianam illata sint, tum demum certe definiri possit, cum manuscripti collectionum Hispanae, Dionysianae aliarumque, e quibus Pseudo-Isidorus concilia et decretales excepisse videtur, omnes accuratius excussi erunt. Cui incepto unus homo, quamvis doctus sit ac laboriosus, non sufficit, nedum ego, mei instituti magnitudine obrutus ac prope oppressus.

Qua re cum ex itinere reduci mihi propositum esset, ut decretales tantum et capitula Angilramni ederem et commentationem praemitterem in qua de universa Pseudo-Isidori operis ratione quaererem, qui et quales essent codices collectionis, qui fuisse viderentur fontes, quo tempore et ubi facta ea esset, denique quis auctor fuisset et quod eius consilium, Aemilius Richter vir doctissimus, praeceptor meus idemque amicissimus auctor mihi extitit, ut concilia quoque et genuinas decretales ex editionibus vulgatis exciperem et Pseudo-Isidorianis decretalibus insererem. Cui consilio eo facilius obtemperavi, quod hac ratione instituta externa, ut ita dicam, collectionis indoles tota sub uno aspectu poni videbatur et quae de singulis codicibus et de conciliis decretalibusque a Pseudo-Isidoro receptis disputaturus eram, quae cum editiones ceterarum collectionum, velut Hispanae, Quesnellianae, epistolarum Leonis M. aliarumque, non omnibus praesto sint, non ita facilia sunt ad intelligendum, multo minore negotio poterant absolvi.

Iam qualem viam in commentatione de collectione Pseudo-Isidori editioni meae praemissa ingressus sim, hic pluribus exponere nihil attinet, nam cum ex titulis singulis ipsius partibus et capitulis antepositis satis apparet, tum in ipsa commentatione de hac re accurate quaesivi.

Ipsius autem editionis quae sit indoles ac ratio qui quaerit, eum adire velim illud caput, quod de his rebus commentationi addidi.

Restat ut qui me in hoc opere absolvendo adiuverunt, gratissimum iis contester animum.

Primus est cui gratias maximas agere debeo, pater optimus dilectissimus Franciscus, qui opus ad iter tam longum perficiendum eadem benignitate qua semper a prima infantia erga me fuit, mihi praebuit, itaque quasi fundamentum totius operis posuit.

Favebant quam maxime proposito instituto Maximilianus serenissimus rex Bavariae et Adalbertus princeps serenissimus stirpis regiae Bavaricae eo quod me viris quibus in Italia et in Hispania civium et rerum Bavaricarum cura commissa erat, etiam atque etiam commendabant.

Deinde multum debeo benignitati et liberalitati virorum illustrissimorum et excellentissimorum Augusti a Bethmann-Hollweg, qui tunc rebus sacris, medicinalibus et scholasticis in regno Borussiae administrandis praefectus erat, et liberi baronis de Schleinitz, qui tunc erat rerum externarum summus administer: neque enim solum curaverunt, ut codicum in Germaniae bibliothecis asservatorum, velut Bambergensis aliorumque, Berolini excutiendorum facultas esset, sed etiam illustrissimis viris qui in terris externis legationis munere pro rege Borussiae fungebantur, praeceperunt, ut ad illarum bibliothecas mihi aperiendas quamcumque possent operam praeberent.

Neque facere possum quin grato animo reminiscar, quanta benevolentia praefecti bibliothecarum Italicarum me receptum adiuverint, inter quos maximas gratias debeo viro reverendissimo canonico ecclesiae cathedralis Mutinensis, eiusdem ecclesiae tabularii praeposito Adanio, et archivario monasterii Montecassinensis reverendissimo patri Kalefatio O. S. B.

Maiorem etiam benignitatem in Gallia expertus sum. Neque enim solum mihi facultas data est, cum Parisiis degerem, codices e bibliotheca caesarea domum portandi ibique evolvendi, sed etiam praefecti aliarum bibliothecarum mihi omnem facilitatem praebuerunt, quin etiam postea viri ill. L. Chancé, praefect. bibl. Abrincensis, A. Lemarchand, praef. bibl. Andegavensis, L. Noël, praef. bibl. Audomarensis, B. de Mianville, praef. bibl. Carnotensis, C. Bouchet,

praef. bibl. Vindocinensis a me litteris rogati quae de singulis codicibus in bibliothecis eorum reconditis scire vellem, promptissime mecum communicaverunt.

Inter nostrates aut eo quod codices pro me contulerunt aut descriptiones manuscriptorum mihi miserunt aut codices investigarunt, optime de me meriti sunt viri ill. Detlef Detlefsen, phil. doct., Aemilius Hübner, phil. doct., Franciscus X. Kraus, phil. doct., Fridericus Kunstmann, antecessor Monacensis, Fridericus Maassen, antecessor Gratzensis, Ioannes Merkel, antecessor Halensis nunc defunctus, Theodorus Mommsen, professor Berolinensis, Carolus a Steiger, praefectus bibliothecae Bernensis, Arminius Wasserschleben, antecessor Giessensis.

Est etiam quod commemorem virorum ill. Aemilii Richter et Philippi Jaffé curam et officium quod mihi cum Berolini opus meum absolverem lubentissime praestiterunt.

Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam neque umquam habere cessabo.

Dabam Berolini XIV. Kal. Maias MDCCCLXIII.

DE COLLECTIONE DECRETALIUM ET CANONUM ISIDORI MERCATORIS.

PARS I. DE LIBRIS MANUSCRIPTIS PSEUDO-ISIDORIANIS.

§. 1. Enumeratio codicum manuscriptorum.

Quamquam multi codices manuscripti collectionis Pseudo-Isidorianae adhuc extant eorumque magna pars a viris doctis qui hac de re egerunt descripta est, nemo tamen operam dedit, ut illos generatim distribueret. Quo factum est, ut cum trecentos annos amplius controversiae hac de collectione agitatae sint, tamen quo modo quibusque ex partibus illam auctor composuerit, nondum satis est exploratum. Quae cum ita sint, mihi de eadem re quaerere instituenti ante omnia hoc propositum esse oportet, ut libros manuscriptos generatim distribuam et ex diversis eorum formis, quae vera fuerit et propria collectionis Pseudo-Isidorianae, eruam atque ostendam. Quod cum perfici non possit, nisi qui extent hodie codices illius collectionis antea cognoverimus, initium quaestionis hinc capiam, ut codices qui hodie in bibliothecis asserventur quibusque in hac commentatione usus sim, omnes enumerem et quantum res postulet, describam.[1]

A. Maxima pars codicum invenitur in bibliothecis Gallicis, et quidem in

a) bibliotheca caesarea Parisiensi:

1) Cod. 4280 AA (olim Colbertin. 4305, regius 4483. 2. 2. a. b.) membr. saec. X. 8. (Cf. catalog. codic. manuscript. bibliothecae regiae P. III. Tom. IV. Paris. 1744. p. 514.)
2) Cod. inter supplem. latina 840 (olim Colbert. 883, reg. 3851 b.) membr. saec. X. fol. (Cf. Camus, notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale. Tom. VI. an IX. p. 273. — Catal. cit. huius codicis mentionem non facit.)
3) Cod. 3852 (olim Colbert. 351, reg. 3887. 2. 2.) membr. saec. XI. fol. (Cf. catal. cit. Tom. III. p. 521. Camus l. c. p. 273.)
4) Cod. 3853 (olim Tellerian. Remensis 263, reg. 3597. 2.) membr. saec. XII. fol. (Cf. cat. l. c. p. 521. Camus l. c. p. 275. 282. 288 sqq.)
5) Cod. sancti Victoris 184 membr. saec. XII. fol. (Cf. Camus l. c. p. 282 sqq. 288 sqq.)
6) Cod. 3854 (olim Claudii Fauchet, Colbert. 1549, reg. 4240.) membr. saec. XII. 8. (Cf. catal. l. c. p. 521. Camus l. c. p. 274.)
7) Cod. 3856 (olim Bigot. 86, reg. 3887. 2. A.) membr. saec. XII. fol. (Cf. catal. l. c. p. 521. Camus l. c. p. 274.)
8) Cod. Navarre 7 membr. saec. XII. exeunt. fol. (Camus l. c. p. 284. 288 sqq.)
9) Cod. 5141 membr. saec. XIV. fol.
10) Cod. 1563 (olim Colbert. 1567, reg. 3887. 14.) membr. saec. XIV. exeunt. aut XV. ineunt. (Cf. catal. l. c. p. 152.)
11) Cod. 3855 (olim Colbert. 628, reg. 3887 c.) membr. saec. XV. 4. (Cf. catal. l. c. p. 521. Camus l. c. p. 275.)
12) Cod. Sorbonne 729 chartac. saec. XV. fol.

[1] Omnes fere codices paucis exceptis ipse evolvi: iis, de quibus alii mihi notitias mittere voluerunt, asteriscum (*) apposui.

Sunt praeterea codices qui inter alias res singulas tantum epistolas aliaque quae ad collectionem Pseudo-Isidorianam pertinent continent, hi quidem:

α) Cod. Sancti Germ. 366 membr. saec. IX. fol. optime scriptus (cf. Pertz, Archiv VIII. p. 289), exhibens collectionem Hadriano-Dionysianam, cui praemittuntur ex collectione Isidori Mercatoris: 1) praefatio (fol. 2), 2) ordo de celebrando concilio (fol. 4), 3) epistola Aurelii Carthaginiensis Damaso papae scripta, 4) responsum Damasi (fol. 6), 5) quo tempore actum sit Nicenum concilium (fol. 6), 6) epistola vel praefatio Niceni concilii (fol. 6), quae iam in collect. canonum Quesnelliana invenitur.

β) In cod. 3839 A (olim Baluz. 90, reg. 4241. 3. 3. — cf. catal. l. c. p. 519) membr. saec. IX. 4. continetur: 1) praefatio Isidori Mercatoris (fol. 7) et 2) ordo de celebrando concilio (fol. 9).

γ) Cod. 4280 A (olim Colbert. 3029, Rem. 4240 B. — cf. catal. l. c. p. 573) membr. saec. X. 4. exhibet (fol. 4) ordinem de celebrando concilio (omissis tamen orationibus diei secundi et tertii).

δ) Cod. Notre Dame 105 membr. saec. XIII. 8. continet: 1) praefationem Pseudo-Isidori et 2) ordinem de celebrando concilio (fol. 2 et 3).[1]

b) In bibliotheca Parisiensi, quae vocatur „bibliothèque du Corps législatif“:

13) Cod. membr. B. 19 (681) s. XII. exeunt. aut s. XIII. ineunt. fol. (Cf. Camus l. c. p. 284. 289 sqq.)

c) In aliis Galliae bibliothecis hi inveniuntur codices:

14) *Cod. bibliothecae publicae Abrincensis (bibliothèque publique de la ville d'Avranches) 109 membr. saec. XII. fol. (Cf. Pertz, Archiv VIII. p. 381. 382.)[2]

15) Cod. bibliothecae publicae Andegavensis (bibliothèque publique de la ville d'Angers) 354 membr. saec. XI. fol. (Cf. Hänel, catalogus manuscriptorum etc. p. 28.)

16) *Cod. bibliothecae publicae Audomarensis (bibliothèque de la ville de St. Omer) 189 membr. saec. XII. ineunt. duor. voll. fol. (Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des departements. Tom. III. p. 100.)[3]

17) Cod. bibliothecae publicae Bononiensis (bibliothèque publique de la ville de Boulogne sur mer) 115 membr. saec. XII. fol.

18) Cod. eiusdem bibliothecae 116 membr. saec. XII. fol. (II Voll.) — Haenelus l. c. p. 85 hac de bibliotheca agens mentionem fecit unius codicis saec. XIV., Bethmannus (Pertz, Archiv VIII. p. 406) codicis 109 s. XII. in duos tomos divisi. Bethmannus, qui a. 1840 Bononiae fuit (cf. l. c. p. 25. 77) dicit, in fine codicis esse benedictiones pontificales, catalogos

[1] Totam collectionem, ut dicitur in Pertzii Archiv VIII. p. 300, codex non exhibet. Ordinem de celebrando concilio sequuntur: a) (fol. 17) canones apostolorum, concilia Ancyranum, Neocaesariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum I., Chalcedonense, synodus Romana Gregorii iunioris, desumpta ex collectione Dionysii Exigui. b) Excerpta ex collectionibus capitularium Ansegisi et Benedicti Levitae. c) (fol. 58) Decretum b. Gregorii pape de libertate monachorum (cap. 15. lib. VIII. ed. Bened. Tom. II. p. 905). d) (fol. 59) epistola domini Gregorii pape VII.: „Gregorius — omnibus archiepiscopis — in Narbonensi, Gallia, Guasconia Hispaniaque etc.“ (Jaffé, regest. Rom. pontif. no. 3785. Mansi, coll. concil. 20,622) et decreta Gregorii pape (c. 1 — c. 11 synodi Romanae hab. a. 1079. cf. Mansi l. c. p. 509). e) (fol. 60 usque ad finem fol. 150) excerpta ex Ivonis panormia. — [2] Civitatem Abrincarum ipse adire non potui, sed vir ill. L. Chancé, bibliothecae praefectus, ea quam ubique in Gallia expertus sum, liberalitate descriptionem codicis mihi misit. — [3] De quo codice mihi vir illustr. L. Noël, bibliothecae praefectus, a me litteris rogatus promptissime et benigne pleniorem descriptionem quam quae in catalogo laudato exhibetur, mecum communicavit.

pontificum Romanorum, archiepiscoporum Remensium, episcoporum Atrebatensium, „*gesta quibus Atrebatensium civitas sub Urbano Romanae et apostolicae sedis episcopo Cameracensium excusso subiectionis iugo in antiquam reformatur dignitatem.*“ Quas res nec in codice 115, nec in codice 116, nec in codice 109, qui continet Aristotelis de animalibus libros XIX, eiusdem libros de proprietatibus elementorum et de motu cordis, inveni. Attamen non dubito, quin codex 116 idem sit, quem Bethmannus numero 109 designavit, cum ille quoque in duo volumina dividatur neque praeterquam codd. 115 et 116 alii codices, qui collectionem Pseudo-Isidorianam exhibeant, in bibliotheca asserventur. Fortasse illa folia paullo postquam Bethmannus bibliothecam adiit, perierunt, nam ne catalogus quidem bibliothecae (Catalogue des livres manuscrits et imprimés composant la bibliothèque de la ville de Boulogne-sur-mer. Première Partie. Manuscrits [auctore Henrico Adolpho Gérard]. Redigé en 1838. Revisé en 1844. Boulogne-sur-mer 1844. p. 97 sqq.) earum quarum Bethmannus rerum mentionem facit.[1]

19) Cod. bibliothecae Carnotensis 67bis membr. saec. X. 4. (bibliothèque de la ville de Chartres). (Cf. Pertz l. c. p. 386. Catalogue des manuscrits de la bibliothèque de la ville de Chartres [auctoribus Rossard de Mianville et Chasles] imprimé à Chartres en 1840 par Garnier, p. 14.)

20) Cod. eiusdem bibliothecae 140 membr. saec. XI. fol. (Cf. catalog. cit. p. 29.)

21) Cod. bibliothecae Montepessulanae, quae vocatur „bibliothèque de l'école de médecine de Montpellier“ H. 3 membr. saec. XII. exeunt. aut s. XIII. ineunt. duor. voll. fol., non (ut Haenelus l. c. p. 235 dicit) s. XIV. (Cf. Pertz, Archiv VII. p. 193. Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements. Tom. I. Paris 1849. p. 287.)

22) Cod. eiusdem bibliothecae H. 13. membr. saec. XIV. fol., non saec. XII., ut dicitur in catalogo cit. p. 289. (Cf. quoque Pertz l. c. p. 195.)[2]

Codd. bibliothecae Rotomagensis (bibliothèque de la ville de Rouen):

23) membr. E. 15/9. saec. XI. 4. (Pertz, Archiv VIII. p. 370.)

24) membr. E. 11/6. saec. XII. fol. (l. c. p. 369).

25) membr. E. 12/7. saec. XII. fol.

26) *Cod. bibliothecae Vindocinensis (bibliothèque de la ville de Vendôme) 91 membr. saec. XI. fol.[3]

B. In bibliothecis Germaniae hi pauci codices inveniuntur:

[1] In catalogo librorum manuscriptorum bibliothecae Castrensis (bibliothèque de la ville de Castres) ab Haenelo (l. c. p. 118) publicato invenitur: „Cod. 2760. Isidori Mercatoris coll. canonum membr. fol.“ Quem codicem quamquam mihi facultas data erat totam bibliothecam perquirendi, ibi reperire non potui. Nec catalogus bibliothecae a. 1837 manuscriptus et ibidem asservatus eius mentionem facit nec vir illustr. Canet, qui illo tempore novum catalogum conscribebat, notitiam eius habuit. — [2] Haenel (l. c. p. 401) mentionem facit codicis bibliothecae Remensis his verbis: „511. Collectio canonum priscorum conciliorum et epistolarum, decretalium summorum pontificum, collectore Isidoro Mercatore s. IX. membr. 4 (exemplar maximi pretii in quo notae Tironianae)“, attamen secundum descriptionem publicatam in Pertzii Archiv VIII. p. 393, ubi codici numeri 513. 510 attribuuntur, non continet Isidori, sed Dionysii Exigui collectionem. Codicem ipse evolvi. Habet signum 513—510, continet fol. 199, et optime scriptus est manu saec. IX. In fol. 1 inveniuntur manu recentiore scripta: „Collectio canonum priscorum conciliorum et epistolarum decretalium summorum pontificum a Syricio usque ad Gregorium collectore Isidoro mercatore. Cod. saec. IX.“ Sequuntur fol. 2 praefatio collectionis Hispanae, pauca de canonibus apostolorum priorumque synodorum, principium glossarii cuiusdam. Folia a 13mo usque ad 196^{mum} continent collectionem Hadriano-Dionysianam, cui additur finis glossarii, et manu recentiore: „*beati Augustini in fin. XV. librorum de sancta trinitate. domine deus noster credimus — sine tempore sempiternum.*“ Ultimum folium purum est. In calce fol. 2^1 et 197^1 legitur eadem qua totus codex manu scriptum: „*liber sancti Remigii.*“ — [3] Codicem ipse non vidi; vir illustr. Carolus Bouchet, bibliothecae praefectus, singulari benignitate descriptionem manuscripti mihi misit.

27) Cod. bibliothecae Bambergensis C. 47 (P. I. 8) membr. saec. X. exeunt. aut saec. XI. ineunt. fol. (Cf. Pertz, leges 2, 28. Jäck, ausführliche Beschreibung der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg. Tom. I. [1831] p. 103. Rosshirt, zu den kirchenrechtlichen Quellen des ersten Jahrtausends p. 49 sqq.)

28) Cod. bibliothecae Darmstadtensis magni ducis Hassiae 114 membr. saec. XI., non saec. X. fol. (Cf. Pertz, Archiv VIII. p. 619, et commentatio ab Arminio Wasserschleben publicata in Herzog, Real-Encyclopädie für protestantische Kirche und Theologie Tom. XII. p. 339.)

29) Cod. bibliothecae senatoriae Lipsiensis CCXL. (Rep. II. 8.) membr. saec. XII. fol. (Cf. Catalog. librorum manuscript. qui in bibliotheca senatoria civitatis Lipsiensis asservantur ed. Aem. Guil. Rob. Naumann. Grimae 1838. p. 78.)

30) Cod. eiusd. bibliothecae CCXLI. (Rep. II. 7) membr. saec. XI. fol. (Cf. catal. cit. p. 79.)

31) *Cod. Vindobonensis bibliothecae caesareae 2133 (ol. ius can. 25) membr. saec. XII. exeunt. fol.[1]

C. In Helvetia asservatur, et quidem

32) in bibliotheca, quae olim fuerat monasterii Sancti Galli (nunc „Sanct Galler Stiftsbibliothek" vocata) cod. 670 membr. saec. X. fol. (non s. IX., ut dicit Haenelus in catalogo cit. p. 704.).[2]

D. In bibliothecis Angliae inveniuntur et quidem in bibliotheca Londinensi Musei Britannici:

33) Cod. Cottonian. Claudius D. IX. membr. saec. XII. fol.

34) Cod. Cottonian. Claudius E. V. membr. saec. XII. exeunt. fol. (Cf. Catalogue of the manuscripts in the Cottonian library deposited in the British Museum 1802. p. 197 et 199.)

35) Cod. King's library 9. B. XII. membr. saec. XII. fol. (Cf. Catalogue of the manuscripts of the King's library by Casley. London 1734. p. 171. Pertz, Archiv VII. p. 76.)

36) Cod. King's library 11. D. VIII. membr. saec. XII. fol. (Cf. cat. cit. p. 193.)

37) Cod. King's library 11. D. IV. membr. saec. XV. fol. (Cf. cat. cit. p. 183.)

38) Cod. bibliothecae universitatis Cantabrigensis Dd. I. 10. 11. membr. saec. XIII. ineunt. duor. voll. fol. (Cf. A catalogue of the manuscripts preserved in the library of the University of Cambridge. Vol. I. Cambridge 1856. p. 10.)[3]

39) Cod. bibliothecae cathedralis Lincolniensis B. 2. 3. membr. saec. XII. exeunt. fol. (Haenel l. c. p. 801.)

40) *Cod. bibliothecae Thomae Phillips asservatae in villa eius vocata Middlehill (sita prope Broadway in comitatu Worcestershire) 1764. 610. (Cf. Haenel l. c. p. 856.)[4]

[1] Evolvit codicem vir illustr. Fridericus Maassen professor iuris canonici in literarum universitate Gratzensi. — [2] Cod. Bernensem a Sinnero (catalog. msc. biblioth. Bernens. Bernae T. I. 1760 p. 5. 63.) ita descriptum: „451. in 4to cod. membr. saec. IX. Anacleti papae de sacerdotibus epistolae quadam" et „epistolae pontificum Romanorum Anacleti, Evaristi et aliorum de sacerdotibus et episcopis" esse codicem saeculi IX. et X. et in eius primis 8 foliis tantum pauca excerpta epistolarum Anacleti, Evaristi, Alexandri, Syxti I., Telesfori, Vigini, Anicii, Eleutherii, Victoris, Zepherini, vir illustr. L. a Steiger, praefectus supremus bibliothecae Bernensis, a me litteris rogatus summa cum liberalitate mihi respondit. — [3] Alterum codicem Cantrabrigensem, cuius mentionem faciunt fratres Ballerinii l. s. P. III. c. 8. no. 1., reperire mihi non licuit. — [4] Quamquam in villam Middlehill me contuleram, tamen codicem evolvere non potui, quum vir illustris Phillips, quem illo tempore ibi commorari mihi Londini dixerant, non adesset neque quemquam cui bibliothecae aperiendae facultas esset, reliquisset.

E. Plures codices in bibliothecis Italiae inveniuntur et quidem maxima pars eorum in bibliotheca Vaticana Romana. Sunt ibidem collectionem Pseudo-Isidorianam exhibentes:

41) Cod. Vatic. Reginae 1054 membr. saec. XI. fol.
42) Cod. Vatican. 1343 membr. saec. XI. 8. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 8. no. 2, qui codicem saeculo X. scriptum esse dicunt.)
43) Cod. Ottobon. 93 membr. saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 22. 23. 25, qui codicem saec. IX. aut X. esse aiunt.)
44) Cod. Vatican. 630 membr. saec. XI. exeunt. aut s. XII. ineunt. fol. (Cf. de Aguirre, collectio maxima conciliorum omnium Hispaniae et novi orbis. Romae 1693. Praef. no. 4. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 16 sqq. Arevalo, S. Isidori Hispal. episc. op. omn. Tom. II. Rom. 1797. p. 207 sqq. Camus l. c. p. 275 sqq. — qui omnes codicem saeculo IX. scriptum et maximi pretii esse affirmant.)
45) Cod. Vatican. 629 membr. saec. XII. fol. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 28. Arevalo l. c. p. 244 sqq. p. 607.)
46) Cod. Vatican. 3791 membr. saec. XII. 8. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 23 sqq. Arevalo l. c. p. 207.)
47) Cod. Vatican. 3788 membr. saec. XII. 4. (Cf. Arevalo l. c. p. 207. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 30, qui codicem saeculi XI. esse dicunt.)
48) Cod. Vatican. 3829 membr. saec. XII. 8.
49) Cod. Vatican. 1344 membr. saec. XIII. ineunt. fol. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 8. no. 6.)
50) Cod. Vatican. 631 membr. saec. XIII. exeunt. fol. (Cf. Arevalo l. c. p. 207. 218. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 21, qui codicem saeculo XII. scriptum esse dicunt.)
51) Cod. Vatican. 1340 membr. saec. XIV. fol. (Cf. Pertz, Archiv V. 338. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 6. no. 27, c. 7, ubi codex esse saeculi XII. affirmatur.)
52) Cod. Vatican. 4873 chart. scriptus a. 1566. fol. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 6. no. 30. Arevalo l. c. p. 207.)

Alii duo codices Romae inveniuntur, hi:

53) Cod. Valicellanus (bibliothecae ecclesiae „S. Maria in Valicella“ aut „Chiesa nuova“) D. 38 membr. saec. XI. (Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15. §. 6. no. 29, qui codicem saeculo X. scriptum esse dicunt. Arevalo l. c. p. 207.)[1]
54) Cod. Casanatensis (bibliothecae ecclesiae „S. Maria sopra Minerva“) D. III. 16 (olim A. II. 14) chart. saec. XV. fol. (Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 24. Arevalo l. c. p. 207.)

Praeterea in bibliothecis Italiae asservantur:

55) *Cod. bibliothecae capituli ecclesiae cathedralis Eporediensis 83 membr. saeculi X. exeunt. aut saec. ineunt. XI. 4. (Cf. Pertz, Archiv IX. p. 622.)[2]
56) Cod. Florentinus bibliothecae Mediceae Laurentianae Plut. XVI. 18 membr. scriptus a. 1490 fol. (Cf. Catalogus codicum latinorum bibliothecae Mediceae Laurentianae, ed. Bandini. Tom. I. Florent. 1774. p. 246.) — Codicem Florentinum pp. praedicatorum S. Marci 182, cuius mentionem faciunt Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 26.

[1] Codicem Sessorianum (bibliothecae ecclesiae „S. Croce in Gerusalemme“) CCV. collectionem Pseudo-Isidorianam non exhibere ostendi in commentatione in Zeitschrift für Rechtsgeschichte Tom. II. p. 460. — [2] Cuius codicis descriptionem vir illustr. D. Detlefsen, philos. Dr., mihi misit.

et Arevalo l. c. p. 207, neque in illa bibliotheca neque in aliis Florentinis reperi. Verisimile est, codicem Laurentianum ex eo transcriptum esse.

57) Cod. Lucensis bibliothecae canonicorum S. Martini Plut. II. no. 123 membr. saec. XI. fol. (Cf. Mansi 1. p. XIV. Blume, bibliotheca librorum manuscriptorum Italica. Gottingae 1834. p. 70.)

Alium codicem, quo Mansi (7, 382) usus est, non reperi.

58) Cod. tabularii cathedralis ecclesiae Mutinensis Ord. I. no. 4. membr. saec. IX. 8. (Cf. Blume, iter Italicum. Halle 1827. Tom. II. p. 16.)

59) Cod. Montecasinensis no. I. (numer. inter. 663) membr. saec. XI. fol. (Cf. Montfaucon, bibliotheca bibliothecarum manuscriptorum nova. Paris. 1729. Tom. I. p. 219.)

60) Cod. bibliothecae capituli ecclesiae cathedralis Pistoriensis IX. membr. saec. XI. fol. (Cf. Zaccaria, bibliotheca Pistoriensis in duos libros distributa. Aug. Taurinor. 1752. p. 17.)

61) *Cod. S. Marci Veneti Zanetti 168 (XCIV. 3) et 169 (LXIV. 3) chart. saec. XV. fol. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, c. 7. Arevalo l. c. p. 207.)

62) *Cod. S. Marci Veneti IV. 47. XCIV. 3. chart. saec. XV. fol. (Blume, bibliotheca p. 16.)

63) *Cod. S. Marci Veneti IV. 48. XCIV. 3. chart. saec. XV. fol. (Blume l. c.)[1]

Duo posteriores quin iidem sint ac codices Patavini S. Ioannis in Viridario, quorum Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 15, §. 6. no. 30) et Arevalo (l. c. p. 207) mentionem faciunt, dubitari non potest, nam in fine codicis IV. 47 legitur: „*librum hunc canonicis regularibus Lateranensibus in monasterio d. Iohannis baptistae de Viridario Padue D. Petrus Montagnana adscripsit atque donavit* 1478“ et in fine codicis IV. 48: „*librum hunc donavit r. D. Iohannes de Lignamine de Padua episcopus Concordiensis congregationi canonicorum regularium Lateranensium in monasterio S. Ioannis in Viridario. Padue* 14 . .“ et quae Ballerinii et Arevalo de codicibus Patavinis afferunt, cum iis rebus quae in codicibus Venetis inveniuntur, concordant.

F. In bibliothecis Hispaniae unum tantum codicem collectionis Pseudo-Isidorianae reperi:

64) Cod. chart. bibliothecae nationalis Matritensis Ff. 8. saec. XVI. exeunt. aut XVII. ineunt., quum ceteri codices, scilicet cod. Matritensis A. 151, Escorialensis Z. III. 19. Estante 104. Plut. 3. (olim II. 19), Toletanus Cajon XV. no. 16, et ab Haenelo (l. c. p. 945. 985) et a Pertzio (Archiv VIII. p. 771) et ab Arminio Wasserschleben (l. c. p. 347) Pseudo-Isidoriani dicti non illam sed alias canonum collectiones, de quibus amplius disserui in Dove, Zeitschrift für Kirchenrecht Tom. III. p. 123, contineant.

Neque in bibliothecis Portugallensibus quas ipse non adii, codices extare videntur, nam Aemilius Hübner, philos. Dr., mihi amicissimus, in eis qui Isidori Mercatoris collectionem exhiberent codices nullos reperit.

[1] Codices Venetos evolvit Ioannes Merkel, amicus defunctus, qui eadem qua semper erga me erat benignitate descriptiones a se factas mecum communicavit.

CAPUT I. DE CODICIBUS PSEUDO-ISIDORIANIS CLASSIS ANTIQUISSIMAE.

§. 2. A. Praefatio.

Fratres Hieronymum et Petrum Ballerinios optime de studio fontium iuris canonici et praecipue antiquarum canonum et decretalium collectionum meritos esse, cum omnes consentiant, eorum auctoritatem secuti omnes fere viri docti, qui de collectione Pseudo-Isidoriana scripserunt, codicem Vaticanum 630 vetustissimum praestantissimumque esse affirmaverunt neque rationem habuerunt reliquorum manuscriptorum quorum ipsi fratres Ballerinii magnam partem descripserunt. Fuerunt quidem qui dubitationem afferrent, veluti Wasserschleben (Beiträge zur Geschichte der falschen Decretalen p. 25), Richter (Kirchenrecht 5. Aufl. §. 87); sed cum ipsum codicem non inspexissent neque certas iudicii rationes afferre potuissent factum est, ut adhuc codex ille verum exemplar collectionis Pseudo-Isidorianae habeatur. (Cf. Schulte, kathol. Kirchenrecht T. I. p. 290.)

Quae cum ita sint, cum mihi persuasum sit, non modo non tanti momenti esse Vaticanum illum codicem, sed ne adnumerandum quidem antiquissimis, antequam de singulis codicum classibus disserere instituam, e re videtur esse paucis refutare argumenta, quibus fratres Ballerinii fulti codicem citatum antiquissimum esse asseverarunt.

Fratres igitur Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 16) haec de aetate et patria codicis afferunt:

„Inter hos autem duos Vaticanos integros codices in serie et ordine praecipue sequemur codicem 630. Is enim praeferendus omnino est omnibus, quippe qui non solum est Gallicanus, id est eius regionis, in qua haec collectio concinnata fuit; verum etiam uti antiquissimus omnium laudatur a Montfauconio et cardinali de Aguirre. Gallicanum duo probant: I. notatio recentiori caractere initio scripta: „*Hic liber spectat ad usum Ioannis episcopi Atrebatensis*"; II. epistola Luitardi Venciensis ad Wenilonem Rothomagensem. Antiquissimum vero et ipsi Pseudo-Isidoro supparem declarat catalogus Romanorum pontificum, qui in Leone IV., Benedicto III. et Nicolao I. desinit: ex quo hic codex sub Nicolao I. exaratus agnoscitur, i. e. inter annum 858 et 867, quo quidem tempore documenta huius collectionis ab Hincmaro et aliis Gallis episcopis allegari coeperunt. Hinc idem codex unum e primis eiusdem collectionis exemplaribus habendus: quod ipsum etiam atque etiam confirmant duae appendiculae quorumdam documentorum, quae cum posterioribus curis Pseudo-Isidorus addidisset, in hoc primigeniae collectionis exemplo adiectae sunt in fine; cum in aliis codicibus suo loco insertae inveniantur. Huic ergo codici in constituenda ac describenda eadem collectione quantum prae ceteris sit deferendum, nemo non videt."

Haec quidem fratres Ballerinii.

Iam Gallicanum esse illum codicem ne ego equidem negaverim; exaratum autem eum esse Nicolai I. tempore, hoc mihi illi probasse non videntur. Etenim quod eorum unum est argumentum, desinere catalogum Romanorum pontificum in Nicolao I., ita demum esset magni momenti, si codex nono saeculo scriptus esset. At Hieronymo et Petro, quamquam in iure canonico versatissimi erant, codicum diiudicandorum magna scientia non erat, cum omnes fere codices quos ipse Romae vidi, antiquioris illi aetatis esse affirmaverint, quam re vera sunt. (Cf. §. 1. no. 42. 43. 47. 50. 51. 53.) Quod eis quoque in codicis Vaticani 630 aetate definienda accidit: est enim exaratus manu saec. XI. exeunt. aut XII. ineunt., qua de re mihi codicem examinanti nulla erat dubitatio, praesertim cum etiam amicus Ioannes Merkel vir hac in re multum versatus, qui cum Romae esset, eundem quoque codicem evolvit schedasque suas mecum Romam proficiscente communicavit, de illius aetate idem iudicaret.

Apparet quod fratres Ballerinii velint, ex catalogo pontificum Romanorum colligi nullo modo posse, ac ne id quidem, descriptum esse Vaticanum codicem ex

codice saeculi noni, ille catalogus probare mihi videtur, cum tales catalogi multo ante tempus scripti libri desinentes in compluribus codicibus inveniantur: neque enim solum ex archetypo, sed etiam ex exemplaribus posterioribus transcribi solebant eiusmodi catalogi sine ullis supplementis[1].

Aliae rationes, cur codex Vaticanus antiquissimus aut exemplar ex vetustissimo ac vero codice Pseudo-Isidori transcriptus habendus sit, veluti praestantia lectionis, similia afferri non possunt.

Contra in codice Vaticano omittuntur decretalia quaedam (velut epistolae Innocentii I. complures in collectionem Hispanam non receptae) aliaeque res quae in codicibus antiquioris aetatis leguntur, quin etiam appendiculae (synodus V. et VI. papae Symmachi), quarum Ballerinii mentionem faciunt, in codicibus antiquioribus non in fine, sed suo quaeque loco insertae inveniuntur.

Quibus ex rebus iam apparet, codicem antiquissimae classi adnumerandum non esse. Ipsum codicem infra (§. 7) describam. Haec sufficient ad refutandam Balleriniorum opinionem.

Itaque cum cod. Vatic. 630 neque archetypum collectionis Pseudo-Isidori habendum sit neque aliud exemplar extet, quod a Pseudo-Isidoro ipso scriptum esse probabile est, hic mihi ordo orationis instituendus esse videtur, ut primum codices antiquissimos et exemplaria ex eis transcripta dinumerem atque describam; aliam enim viam si ingrederemur, quae fuerit vera collectionis Pseudo-Isidorianae forma non intelligeretur, praesertim cum classis illa vetustissima quam littera A designo, in duas familias dividatur: alteram A1, quae exhibet decretales Romanorum pontificum usque ad Gregorium II. atque concilia usque ad secundum Hispalense, alteram A2, quae decretales tantum usque ad Damasum papam et quidem epistolas uniuscuiusque pontificis in capita perpetua distinctas continet. Quas familias, quamquam multum discrepare videntur, tamen ex uno eodemque exemplari ductas esse nonoque iam saeculo exortas esse, infra (§. 5) probabo.

§. 3. B. De codicibus classi A1 adnumerandis.

Classi A1 hi codices adnumerandi esse videntur:

1) Cod. Mutinens. Ord. I. no. 4. saec. IX.
2) Cod. Parisiens. int. supplem. lat. 840. saec. X.
3) Cod. Carnotens. 67bis saec. X.
4) Cod. Carnotens. 140. saec. XI.
5) Cod. Andegavens. 354. saec. XI.
6) Cod. Vindocinens. 91. saec. XI.
7) Cod. Vatic. reg. 1054. saec. XI.
8) Cod. Parisiens. 3852. saec. XI.
9) Cod. Rotomagens. 15/9. E. saec. XI.
10) Cod. Vatican. Ottobon. 93. saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt.
11) Cod. Paris. Sangerm. 366. saec. IX. exeunt.
12) Cod. Parisiens. 3839 A. saec. IX.
13) Cod. Paris. Notre Dame 105. saec. XIII.
14) Cod. Vatic. 3791. saec. XII. exeunt.
15) Cod. Abrincens. 109. saec. XII.
16) Cod. Vindobonens. 2133. saec. XII. exeunt.
17) Cod. Londin. Musei Britann. Cotton. Claudius E. V. saec. XII. exeunt.
18) Cod. Cantabrigens. Dd. I. 10. 11. saec. XIII. ineunt.
19) Cod. Vatic. 1344. saec. XIII. ineunt.
20) Cod. Paris. Sorbonne 729. saec. XV.
21) Cod. S. Marci Venet. IV. 47. XCIV. 3. saec. XV.

[1] Cuius rei exemplum affertur cod. Bambergensis, C. 47 (P. I. 8. cf. §. 1. no. 27), in quo eadem manu scripti inveniuntur et catalogus Romanorum pontificum, desinens in Benedicto III. (855—858) et catalogus archiepiscoporum Mediolanensium desinens in Arnulfo (998—1018).

22) Cod. Casanatens. D. III. 16. saec. XV.
23) Cod. Parisiens. 3855. saec. XV.
24) Cod. Londin. Musei Britann. King's library 11. D. IV. saec. XV.
25) Cod. Florent. Laurent. Plut. XVI. cod. 18. saec. XV.

Quamquam singuli codices in iis, quae exhibent, non concordant, e. gr. alii concilia continent, alii omittunt, tamen quin eidem classi adnumerandi sint non dubito. Quod ita se habere melius demonstrare non possum quam singulorum codicum descriptione. Attamen cum Pseudo-Isidoriana collectio multis ex decretalibus et conciliis constare nemo ignoret, mihi ordo codicum describendorum ita instituendus videtur, ut singulas decretales singulaque concilia enumerem, quibus Pseudo-Isidorus collectionem suam composuit, et in singulis indicem, num et quomodo codices illa exhibeant, non ut singulos codices alium post alium recenseam. Nam si sic facerem, nemo qui legeret quae de ultimis codicibus scripsissem memoria retineret, quae disseruissem de prioribus.

I. Omnium codicum, quos enumeravi, certe cod. tabularii cathedralis ecclesiae Mutinensis ord. I. no. 4. s. IX. vetustissimus est. Est codex membr. formae octonariae. Constat ex 17 quaternionibus, quorum primo numerus II, ultimo numerus XVIII inscriptus est, et ex foliis 131[1]. In ultimo folio alia saec. IX. manu, quam ea qua codex exaratus est, legitur:

„*VII. kl. aug. per indictionem quarta decimam feria IV. luna XXV. posuimus fundamenta in capella, quam in tumulo vallis in unito fecimus in habricā in honore sancti salvatoris et sancte Mariae et sancti Iohanni sacrandi tempore domni Karoli tercii imperatoris anno eius imperii secundo.*“

Cum haec verba statim post finem codicis manu saeculi IX. scripta sint et indictio XIV. et secundus annus imperii Karoli tercii imperatoris annum 881 indicant, quin codex ante annum 881 exaratus sit, dubitari non potest[2].

[1] Quaternio enim octavus non 8, ut ceteri, sed tantum 4 folia continet, et unum folium, in quo finis epistolae Pontiani papae et initium epistolae Urbani papae legebatur, exsectum est. — [2] Initio et in fine codicis alia folia adduntur, quae ad eum non pertinent. Initio inveniuntur duo folia quae continent partem missalis cuiusdam s. XI. Sequuntur in quattuor aliis foliis: „*Incipit epistola sancti Gregorii pape ad Secundinum servum dei incluso de sacerdotali offitio post lapsum resurgendo in gradum pristinum*“ (Jaffé 1210) bis scripta et „*Capitula legis Romanae de libro cuodicis Iustiniani excerpta*“ (l. 1. 5. C. ad leg. Cornel. IX. 16.). In posterioribus 5 foliis leguntur 1) excerpta decretalium Pseudo-Isidorianarum, quae incipiunt: „*De accusatione episcopi. Ex decretis Felicis (I.) papae. Si quis episcopus ab istis accusatoribus*“ etc. 2) „*Leudoinus episcopus* (mortuus ante a. 898, cf. Ughelli, Italia sacra Tom. II. p. 97 sqq. 100) *Teuderico venerabili archimandritae pacem dei quae semper exsuperat omnem sensum. Verbis enim apostolicis nobis quibus ministerium datum est*“ etc. 3) Oratio in purificationem sanctae Mariae. Quae omnia scripta sunt diversis manibus saec. XI. — In fine codicis addita sunt 14 folia. In 10 primis inveniuntur epistolae Felicis II. „Sacram vestram synodicam“ et „Gratia vobis et“, a Pseudo-Isidoro confictae (Jaffé CLVIII. CLIX), et excerpta synodi Romanae sub Symmacho papa a. 499 habitae (Mansi 8, 230): „*Si quis papa superstite pro Romano*“ — „*ut nullus aliter ad episcopatum Romanum deinceps veniat precamur, dictum est Xes. Ut decreta nostra confirmes rogamus, dictum est Xes.*“ Omnia manu s. IX. exeunt. aut s. X. ineunt. exarata. In fol. 11 legitur: *Coelestini cap. XXII.* „*Quae enim sola admonitionis auctoritate non cor.... (rigimus) necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus*“ (cf. epist. Coelestini I. „Nulli sacerdotum licet“ i. f. Jaffé 154) et epistola Leudoini de collatione parrochiae sanctae Mariae facta Georgio archipresbitero indict. XV. id. april. 882 aut 897). Sequuntur fol. 11 et 12 rect. versus a Muratorio (antichità Italiche Tom. III. col. 709) editi: „*O tu qui servas armis ista moenia*“ etc.; „*versus Romae. Nobilibus fueras quondam constructa patronis — Tu potens falsas vendere reliquias*“; „*versus de cavenda Venere et vino. Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello — Sepe manus itidem Bacchus ad arma movet*“; fol. 12v. et 13. „*XLV. Incipit sermo de psalmo sexto*“; fol. 13v. versus de sancto Paulo; fol. 14 „*VIII. Kal. Novembr. dedimus Udelfredi vicedomino cartulas XV, una cartula de Alderico*“ etc.; fol. 14 versus de munimentis a Leodino episcopo Mutinensi factis: „*Dum premeret patriam rabies miserabilis istam*“ etc. (cf. Muratori l. c. Tom. I. col. 21. 22); deprecatio ad sanctum Geminianum pro fugandis Ungaris: „*Confessor Christi, pie dei famuli*“ (l. c.); formata Leodini episcopi; in fine fol. 14v. leguntur: „*VII. id. aug. dàta epistola de parte domni imperatoris Vvidoni vesp..... qui vocatur Caspi.. no mittendus ad brix*“: quae omnia variis manibus saec. IX. exeunt. aut X. ineunt. scripta sunt. Cf. quoque quae scripsi de hoc codice in: Zeitschrift für Rechtsgeschichte Tom. II. p. 464.

Neque tamen codex gravissimae auctoritatis est, cum non satis accurate scriptus sit et tantum partem quandam collectionis Pseudo-Isidorianae contineat. Exhibet enim, quamquam mutilus non est, solas epistolas usque ad primam Eutiuciani papae, in cuius fine amanuensis addidit verba:

„*ΦΗΝΗΤ ΔΩ ΓΡΑΤΗΑΣ ΑΜΗΝ.*"

Sicut Mutinensis solam priorem partem collectionis exhibet, ita alii codices tantum posteriorem continent, velut codd. Rotomog. et Vatic. 3791. Sunt etiam codices mutili, ut Cod. Par. int. suppl. lat. 840, Carnot. 67bis Carnot. 140, Ottobon. 93. Qua ex re apparet, omnes libros manuscriptos remotioris aetatis collectionem integram non conservasse et ideo singulos codices describendos esse, ut comparatis rebus quae in eis inveniuntur, intelligi possit, quale fuerit exemplar ab ipso Pseudo-Isidoro conscriptum. Cum inter codices supra enumeratos Londin. Cotton. Claud. E. V, Londin. King's library 11. D. IV, Cantabrig. D. I. 10. 11, Casanat., S. Marci Venet., Florent., Paris. Sorbonne 729, Parisiens. 3855. posterioris aetatis sint, de iis postea pauca mihi afferenda erunt. Sed latius et fusius disserendum est

II. de codice Parisiensi inter suppl. lat. 840. Est codex membr. foliorum 218, fol. saec. X. exaratus, principio mutilus; priora enim folia desunt: in eo, quod nunc primum est, invenitur finis ultimae epistolae papae Evaristi, qui etiam nunc paene legi potest. Partes superiores priorum foliorum (3—15) humore consumtae sunt. In fine codicis sunt capitula Angilramni (inde a fol. 214v.) et „*disputatio Constantini imperatoris et Liberii Romani pontificis* (fol. 218). *Constantius imperator dixit: nos et eo — nichil accipiens missus exilio est.*" (Cassiod. hist. trip. V. 17.)

III. Dicendum est de codice Carnotensi 67bis membr. 4. saec. X. foliorum 308. Post unum folium compacturae incipit codex in verbis: „*dissolve colligationes impietatis*" c. 2. conc. VIII. Toletani. Desinit codex in epistolis Leonis Magni; ultimum folium purum est. In fol. 2. manu recentiore scriptum est: „*ex bibliotheca capituli Carnotensis manuscriptum X. sec. 1 Vol. fol. 20bis.*"

IV. Alter codex Carnotensis 140 est codex membr. fol. saec. XI. 362 foliorum. In primo folio legitur epistola Aurelii Carthaginiensis episcopi ad Damasum papam et rescriptum Damasi ad Aurelium. Desinit codex in verbis: „*aut in malis quae caeperant perdurarent seu quamcumque laesionem genti Gothorum vel patriae*" praefationis concilii VII. Toletani. Alia manu adduntur: 1) fragmentum concilii IV. Toletani, incipiens a verbis c. 6: „*triduanae sepulturae sacramenta signamus ut dum tertio*" usque ad finem c. 59. 2) Fragmentum exemplaris constituti domni Constantini a verbis: „*in fontis gremio manu contingente propriis oculis vidi*". 3) „*Canones conciliorum generalium — symbolum tradiderunt.*" Titulus qui in ceteris codicibus Pseudo-Isidorianis additur: „quo tempore actum sit Nicenum concilium" deest. 4) Omisso titulo praefatio Nicaeni concilii, quam iam collectio Quesnelliana (cf. Leon. M. ep. ed. Baller. Tom. III. p. 22) exhibet, usque ad verba: „*omnia pax nostris et quies a persecutionibus erat*" (l. c. p. 25).

V. Cod. Andegavensis 354 membr. fol. saec. XI. foliorum 191. Incipit codex a praefatione Pseudo-Isidori (fol. 1) exhibens collectionem usque ad concilium II. Hispalense, quod finit in fol. 191 et cui subiuncta sunt eadem verba quae in quibusdam collectionis Hispanae codicibus et Merlini editione inveniuntur: „*Hactenus digestis conciliis — capitulis propriis distincta intendit.*" Initio codicis postea addita sunt 3 folia, in quorum primo manu recentioris aetatis scriptum est: „*Ex libris monasterii S. Albini Andeg. Cong. S. Mauri*" et in quibus leguntur epistolae: „*beati Augustini ad Bonifacium comitem de exortatione vite aeterne*" et „*beati Alipii et Augustini ad sanctum Aurelium de data ab eo potestate ut presbiteri praesentibus episcopis in ecclesia sermonem faciant*" (cf. Op. August. ed. Bened. Tom. II. p. 812 et 87), scriptae manu s. XII. — Fol. 191v. invenitur: „*consolatio*

b. Augustini ad abbatem Sebastianum"[1] (manu saec. XII.) et manu saec. XV. additur: „*anno domini millesimo CCCLVI. die XIV. mensis septembris fuit captus in bello campestri Iohannes rex Franciae et fuit captus prope Putamum et illud bellum optinuit Edduuardus primogenitus regis Anglie princeps Vualliarum et dux Cambrie.*" Postea in codice invenitur fragmentum folii exsecti et unum folium purum.

VI. Cod. Vindocinensis 91 membr. fol. saec. XI. foliorum 197. Non ipse evolvi. Exhibet easdem quas Andegavensis partes collectionis Pseudo-Isidorianae. Incipit in fol. 1 a praefatione et concluditur concilio II. Hispalensi et additamento: „*Hactenus digestis*" etc.

VII. Cod. Vatic. reg. 1054 (olim D. 117) membr. fol. saec. XI. foliorum 93. Praefatio Pseudo-Isidori est in fol. 2. Desinit codex in verbis synodi I. Ephesinae: „*deus qui pati non poterat. Simili modo*" (H. p. 90). Fol. 1 manu saec. XII. leguntur: „*de monachorum monasteriorumque libertate*" (epistola Gregorii M. Jaffé 1138) et „*VII. decreta Gregorii*" (c. 1—7. c. 9 synodi Romanae sub Gregor. VII. a. 1078 habitae. Mansi 20, 507 sqq.).

VIII. Cod. Paris. 3852 (olim Colbert. 351, regius 3887. 2. 2.) membr. fol. saec. XI. foliorum 235. In fol. 1 incipit praefatio Pseudo-Isidori. Claudit collectionem Pseudo-Isidorianam epistola Gelasii papae ad Siculos „praesulum auctoritas" scripta (fol. 233ᵛ.). Fol. 234 additur: „*Ex libro qui dicitur ordo Romanus. Incipit ordo qualiter episcopus excommunicare debet infideles. Episcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem infidelem — quam lesit satisfaciat*". Ultimum folium (235) purum est.

IX. Cod. Rotomagensis 15/9. E. membr. IV. saec. XI. foliorum 209. Continet tertiam partem Pseudo-Isidorianae collectionis ab excerptis ex synodalibus gestis Silvestri papae usque ad epistolas Gregorii M. Adduntur capitula Angilramni variasque res, de quibus infra disseram.

X. Cod. Ottobonianus 93. membr. fol. saec. XI. exeuntis aut XII. ineuntis. Principio mutilus est codex. Folio primo, cui recentiore manu: „*Compilatio Isidori de decretis pars Iª*" inscriptum est, incipit: „*Operum vero ratio*" etc. (epistolae primae Clementis papae c. 43). Supra in margine eadem manu scriptum legitur: „*sancti Petri apostoli et Clementis.*" In fine quoque codex mutilus est: desinit in epistola Leonis M. ad Anastasium (Opera Leon. M. ed. Baller. Tom. I. p. 681). Quae ultima in pagina scripta erant ita detrita sunt, ut iam legi non possint.

Inter hos codices ii, qui nec in principio mutili sunt nec solas posteriores partes collectionis continent, codd. Mutin., Andegavens., Vindocinens., Vatican. reg. 1054, Paris. 3852,

1) praefationem exhibent, cuius initium est: „*In nomine domini nostri Iesu Christi*" (quae omnia desunt in Mut. et Vat. reg.) „*incipit praefatio sancti Isidori*" (Vat. reg. *Hysidori*) „*libri huius.*" „*Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidaei salutem. Compellor*" etc.
2) Sequuntur praefationem epistola Aurelii Carthaginiensis episcopi ad Damasum papam et rescriptum eiusdem papae, a quibus codex Carnotensis 140 incipit.
3) *Ordo de celebrando concilio*, qui tamen in cod. Mutin. deest.
4) In codd. Par. 3852, Andegav., Carnot. 140, Vindocin., Vatic. reg. 1054 sequitur tabula decretalium pontificum Romanorum a Clemente usque ad Melchiadem et conciliorum, deinde tituli canonum apostolorum, epistola Hieronymi ad Damasum papam: „gloriam sanctitatis", textus canonum apostolorum, quae omnia in Mutin. desunt. Tabulam et epistolam Hieronymi in mea editione secundum cod. Par. 3852 et Andegav. exhibui (p. 25. 27). Sequuntur in omnibus, etiam in Ottoboniano:

[1] l. c. p. 876.

5) epistolae V *Clementis* papae, nam Ottobon., ut iam dixi, incipit a verbis: „operum ratio", quae leguntur in cap. 43 primae harum epistolarum [1];
6) decretales III *Anacleti* papae,
7) decretales II *Evaristi*,
8) decretales III *Alexandri*.

A prima Alexandri epistola res quae nunc enumerandae sunt, etiam in cod. Paris. inter suppl. latina 840 inveniuntur:

9) epistolae II *Sixti I.* [2],
10) epistola *Telesfori*,
11) decretales II *Vigini* aut *Viginii* [3],
12) epistolae II *Urbani*,
13) epistola *Annicii*,
14) decretales II *Sotheri*,
15) epistola *Eleutheri*,
16) decretales II *Victoris*,
17) epistolae II *Calisti*,
18) epistola *Urbani*,
19) decretales II *Pontiani*,
20) epistola *Anteri*,
21) decretales III *Fabiani*,
22) decretales II *Cornelii*,
23) epistola *Lucii*,
24) decretales II *Stephani*,
25) decretales II *Sixti II.*,
26) decretales II *Dionysii*,
27) decretales III *Felicis I.*,
28) decretales II *Euticiani*, cuius prima epistola finitur cod. Mutin., ut iam supra notavi.

Sequuntur in ceteris: Paris. int. suppl. lat. 840, Par. 3852, Carnot. 140, Andegav., Vindocin., Vatic. reg. 1054, Ottobon.:

29) epistola *Gaii*,
30) decretales II *Marcellini*,
31) decretales II *Marcelli*,
32) decretales III *Eusebii*,
33) epistola *Melciadis*,
34) *De primitiva ecclesia et sinodo Nicena*, quae res solo in codice Paris. 3852 omittitur, ubi alia manu postea addita sunt quaedam fragmenta: „*Sci Augustini de coniugio. Sicut manente in se sacramento regenerationis*" — „*quia numquam moritur deus.*"

In omnibus codicibus excepto Paris. 3852 post tractatum de primitiva ecclesia inveniuntur:

35) *exemplar constituti domni Constantini imperatoris.* Quod cod. Vatic. reg. 1054 integrum non exhibet, nam post verba „*unde coram domino vi* —" desunt quaedam folia, et in folio sequenti iam c. 14 concilii Sard. legitur.
36) Cod. Paris. int. suppl. lat. 840, Andegav., Carnot. 140, Vindocin., Ottobon. post donationem sive exemplar Constantini habent initium praefationis collectionis Hispanae: „*quo tempore actum sit concilium Nicenum*" etc.

[1] In Par. 3852 initium primae epistolae Clementis legebatur in fol. 6, sed postea deletum est. Sequitur folium postea additum (fol. 6bis), in quo invenitur formata Attici; alphabetum graecum, cuius singulis litteris numeri quos significant, adiuncti sunt; initium tabulae decretalium a Clemente usque ad Alexandrum; altera tabula decretalium a Clemente usque ad Melciadem. Folii quod sequitur (fol. 6ter) prima pagina pura est, in altera initium epistolae Clementis in fol. 6 deletum legitur. — [2] Nomen Sixti scribitur aut Sixtus aut Syxtus aut Xistus, non solum in diversis codicibus, sed etiam in uno eodemque, velut in Mut. et Par. suppl. lat. 840 (cf. edit. mea). — [3] Sic, nec „Yginus" nec „Hyginus", omnes codices habent.

37) In iisdem codicibus deinde legitur: „*incipit epistola vel praefatio Niceni concilii*," quae est praefatio coll. Quesnell.

In eis quae sequuntur, codices discrepant. Alteri post praefationem concilii Nicaeni aliam seriem decretalium Romanorum pontificum habent, ut Par. inter suppl. lat. 840, Par. 3852, Rothomagensis, qui tantum, ut iam supra dixi, illas decretales continet, alteri, velut codd. Andegav., Carnot. 140, Vindocin., Ottobonian. (etiam Carnot. 63[bis] et Vat. reg. 1054, qui tamen in principio mutili sunt) post praefationem concilii Nicaeni seriem conciliorum exhibent.

In Andegav., Carnot. 140, Vindocin., Ottobon. leguntur:

38) Concilium *Nicaenum*, cui alia praefatio metrica: „*Item alia praefatio eiusdem sacrosancti concilii metrice composita: Concilium sacrum — mella fluit*" (iam edita a Pithoeo in ed. collectionis Dionysii Exigui Paris. a. 1609) praecedit,
39) *Anchiritanum*,
40) *Neocaesariense*,
41) *Sardicense*, in cuius c. 14 lacuna cod. Vatic. reg. 1054 supra notata desinit et quidem post verba: „*facere sermonem ut dehonestet et infirmet*";
42) *Antiochenum*,
43) *Laodicenum*,
44) *Constantinopolitanum* (I.),
45) *Ephesinum*, quod cod. Vatic. reg., in fine mutilus, tantum usque ad verba: „*deus qui pati non poterat. Simili modo*" (epistolae synodi ad Nestorium: „Ait igitur etc.") exhibet.

Ceteri codices, scilicet Andegav., Carnot., Vindocin., Ottobon. habent:

46) concilium *Chalcedonense*, cui subiuncta est:
47) epistola formata *Attici Constantinopolitani;*
48) praemissis verbis: „*Hucusque Grecorum concilia: dehinc latinorum sequuntur*" concilium I. *Carthaginense*, post cuius titulos interpolatur epistola *Aurelii, Mizonii* ceterorum episcoporum ad episcopos *Numidiae* etc.: „ecclesiasticae utilitatis", inserta etiam in c. 2 coll. Quesnellianae (ed. cit. p. 87),
49) concilium II. *Carthaginense*,
50) — III. —,
51) — IV. —,
52) — V. —,
53) — VI. —,
54) *Milevitanum;*
55) praemissis verbis: „*expliciunt concilia Africe: dehinc sequuntur Gallie concilia*" *Arelatense* I.,
56) *Arelatense* II.,
57) *Arelatense* III.,
58) *Valentinum*,
59) concilium *Taurinantium*,
60) *Regiense*,
61) *Arausicanum*,
62) concilium I. *Vasense*,
63) *Agathense*. In Carnot. 140 post concilium aliqua folia desunt, in quibus cetera concilia Galliae et Hispaniae usque ad Toletanum IV. legebantur. In Andegav., Vindocin., Ottobon. sequuntur:
64) *Aurelianense* I., cuius in fine additur: „*hucusque Gallie ecclesiasticarum gestarum regulae dispositae sunt.*" Deinde sequitur
65) „*concilium Eliberitanum decem et novem episcoporum Constantini temporibus gestum eodem tempore quo Nicena synodus habita est*";
66) concilium *Tarraconense*,
67) *Gerundense*,
68) *Caesaraugustanum* I.,

69) *Ilerdense*,
70) *Valentinum*,
71) concilium I. *Toletanum*,
72) — II. —,
73) — III. —,
74) — IV. —, cuius titulus deest in codicibus citatis. Lacuna Carnotensis 140 desinit in c. 60 concilii, cuius priora capita (scilicet a verbis: „*triduanae sepulturae sacramenta signamus*" usque ad finem c. 59) post praefationem concilii VII. Toletani alia manu addita sunt, ita ut tantum c. 1—5 et priora verba c. 6[1] concilii in codice desint;
75) praefatio concilii I. *Bracarensis*, quae in solo Vindocinensi omittitur;
76) concilium V. *Toletanum*,
77) — VI. —,
78) — VII. —, cuius praefationis tantum partem usque ad verba: „aut in malis quae caeperant perdurarent seu quamcumque laesionem genti Gothorum vel patriae" exhibet Carnot. 140 ceteris omissis[1];
79) concilium VIII. *Toletanum*. In cuius c. 2 a verbis „*dissolve colligationes impietatis*, *solve fasciculos deprimentes*" cod. Carnot. 67bis incipit, ita ut nunc ratio habenda sit codicum Andegav., Vindocinens., Ottobon., Carnot. 67bis. Sequuntur:
80) excerpta quaedam ex diversis conciliis, imprimis Galliae et Hispaniae, quae incipiunt: *Haec sancta synodus nulli licentiam tribuit*", quae in editione mea exhibui;
81) concilium IX. *Toletanum*,
82) — X. —,
83) — XI. —,
84) — XII. —,
85) concilii XIII. *Toletani* praefatio et initium c. 1 usque ad verba: „*cuius virtutis admirabili dono multa proficiunt et cetera*";
86) concilium I. *Bracarense*,
87) concilium II. *Bracarense*,
88) capitula *Martini Bracarensis*,
89) concilium III. *Bracarense*,
90) concilium I. *Hispalense*,
91) concilium II. *Hispalense*, cui eadem verba quae etiam in nonnullis codicibus collectionis Hispanae leguntur (cf. Ballerin. l. c. c. IV. §. 2. n. 6): „*Hactenus digestis conciliis — distincta intendit*" addita sunt.

Concilium II. *Hispalense* ultima res collectionis Pseudo-Isidorianae est, quam codd. Andegav.[2] et Vindocin. exhibent.

Caetera quae sequuntur leguntur in codd. Carnot. 67bis, Ottobon. 93, Par. int. suppl. lat. 840, Par. 3852, Rotomag. 15/9. E. s. XI., quorum Parisienses duo, ut supra notavi, priorem seriem decretalium exhibent, Rotomag. autem nihil aliud quam quod nunc enumerabo:

92) Tabula secundae seriei decretalium, quam edidi secundum codd. Parisienses et Rotom. praemisso titulo: „*Item incipiunt capitula decretalium venerabilium apostolicorum sanctae Romanae sedis ecclesiae.*"
93) „*Incipiunt excerpta quaedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri papae.*"
94) Epistola subditicia *Athanasii* Alexandrinorum episcopi et omnium Aegyptiorum ad *Marcum* papam eiusque rescriptum apocryphum.
95) Quae *Iulio* papae adfinxit Pseudo-Isidorus, quae sunt a) fides in sacro Romano concilio tractata, b) epistola ad Orientales pro Athanasio, c) responsio Orientalium, d) rescriptum Iulii papae ad eosdem.

[1] Quae manu posteriore addita sunt, iam supra notavi. — [2] De iis quae in Andeg. fine inveniuntur, supra egi.

96) Athanasii Aegyptiorumque epistola synodica ad *Liberium* papam item subditicia, eiusque rescriptum apocryphum.

97) Athanasii Aegyptiorumque litterae apocryphae ad *Felicem II.* papam eiusque epistolae duae.

98) Altera epistola *Liberii* papae, non ut in editione Merlini invenitur, sed additis in fine tota epistola 13. Ennodii episcopi Ticinensis lib. II. et nota consulari: „*data XV. Kal. Mart. Beato et Iuliano vv. cc. conss.*“

99) Sequuntur epistolae *Damasi* papae: a) ad Paulinum Antiochenum, quae est prima collectionis Hispanae: „per filium meum Vitalem“; — b) epistola subditicia Damasi ad Hieronymum: „*dum multa corpora*“; — c) rescriptum apocryphum Hieronymi ad Damasum: „*supplex legi*“, cuius in fine omnes codices quaedam verba Isidori etymol. lib. I. c. 16: „*dupla quotiens — tercia pars ceditur*“ habent (cf. edit. mea); — d) „*Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum de damnatione quorundam hereticorum*“, quod est c. 1. epistolae secundae Damasi collectionis Hispanae, omissis verbis postremis: „*quod omnes haeretici de filio dei* etc.“; — e) epistola subditicia Stephani et trium conciliorum ad Damasum papam; — f) rescriptum apocryphum Damasi ad eosdem; — g) „*quod omnes heretici de filio dei et spiritu sancto male sentientes in perfidia iudaeorum et gentilium inveniuntur*“ (c. 2. epistolae genuinae collectionis Hispanae cum nonnullis additamentis); — h) epistola apocrypha Damasi „*de vana superstitione corepiscoporum vitanda*“; — i) „*Item de sacerdotibus qui de ecclesiis suis ad alias migrant ecclesias*“ (c. 3. epistolae genuinae memoratae); — k) „*Item incipit epistola Damasi urbis Romae pontificis: quoniam apostolicae*“ etc. (Cassiod. hist. trip. X. 15); — l) „*Professio catholicae fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum Antiocenum*“ (l. c. c. 16); — m) epistola Damasi ad Illyricos (l. c. V. 29); — n) epistola subditicia Damasi ad episcopos Italiae.

100) Eaedem tres, quae in collectione Hispana inveniuntur epistolae *Siricii.*

101) Decretales duae *Anastasii I.* subditiciae.

102) Epistolae *Innocentii I.* papae eaedem 23 aut rectius 22[1] quae continentur in collectione Hispana et septem aliae, quae non in Hispana sed in collectione Quesnelliana leguntur. Ordinem prioris collectionis codices Pseudo-Isidorianae servaverunt, nisi quod post quartam epistolam, quae est scripta ad Felicem Nocerinum: „mirari non possum“ has septem inseruerunt: a) epistolam concilii Carthaginensis ad Innocentium: „cum ex more“ (coll. Quesn. ed. cit. p. 128), b) rescriptum Innocentii: „in requirendo“ (l. c. p. 134), c) epistolam Milevitani concilii ad Innocentium: „quia te dominus“ (l. c. p. 141), d) responsionem Innocentii: „inter ceteras“ (l. c. p. 144), e) epistolam familiarem V episcoporum ad Innocentium: „de conciliis duobus“ (l. c. p. 149), f) rescriptum Innocentii ad eosdem: „fraternitatis“ (l. c. p. 160), g) epistolam Innocentii ad Aurelium Carthaginensem episcopum: „in familiaribus“ (l. c. p. 165). — Praeterea animadvertendum est, omnibus in codicibus fini quartae epistolae memoratae ad Felicem Nocerinum addita esse alia quaedam verba: „*nullus sibimet de multiplicatione — negavit effectum. dat. XI. Kal. Iun. Erculano v. c. cons.*“, quae sunt epistolae *Leonis M.* ad Anatolium: „manifestato“ c. 2. i. f. — c. 6. (Op. Leon. ed. Ball. Tom. I. p. 1163 sqq.)[2]

[1] In Hispana 22 epistolae leguntur: aliam Pseudo-Isidorus non addidit, sed epistolam quintam ad Maximum et Severum, quae in Pseudo-Isidorianis est duodecima, in hasce duas dissecuit: 1) „*Item Innocentii ad Maximum et Severum episcopos de his qui in presbiterio filios genuerint, ut ab officio removeantur. Ecclesiasticorum canonum — annexa declarat*“, et 2) „*Quod hi qui in presbiterio filios genuerint, removeri ab offitio debeant. Qui zelo fidei — illicita iudicentur.*“ — [2] In codice Paris. 3852 inter epistolam ad Victoricum, quae est secunda, et epistolam ad Felicem, trium columnarum, scilicet dextrae folii 104 rect. et duarum fol. 104 v. spatium intererat;

103) Duae epistolae *Zosimi* collectionis Hispanae.
104) *Bonifacii I.* decretales 4, quae in eadem collectione inveniuntur.
105) *Coelestini I.* epistolae 3 eaedem quae in Hispana leguntur.
106) „*Incipiunt decreta Sixti papae*“ (epistola subditicia Sixti III.).
107) Praemissis verbis: „*Finiunt epistolae decretorum Caelestini et Sixti. Dehinc secuntur decreta papae Leonis*“ proferuntur epistolae *Leonis M.* et quidem: 1) epistola ad Theodoritum episcopum: „remeantibus ad nos“ (op. Leon. ed. Ball. Tom. I. p. 1218) quae in prioribus collectionibus non invenitur; 2) epistola Eusebii Mediolanensis ad Leonem (l. c. p. 1080, c. 56 coll. Quesnell.); 3) Ravennii aliorumque Gallorum epistola ad Leonem (l. c. p. 1107, c. 57 coll. Quesnell.); 4) Leonis epistola ad Iuvenalem episcopum Hierosolymitanum (l. c. p. 1285, c. 68 coll. Quesnell.); 5) ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum: „lectis litteris tuae dilectionis“, in c. 69 coll. Quesnell. et IV[a] inter epistolas Leonis in collectione Hispana exhibita[1]); 6) ad Pulcheriam: „quantum praesidii“ (l. c. p. 853, c. 79 cod. Quesnell.); 7) ad clerum et plebem Constantinopolitanae urbis: „licet de his“ (l. c. p. 975, c. 80 coll. Quesnell.) — [cod. Carnot. 67[bis] epistolam sub 5) memoratam tantum usque ad verba: „*pietatis suae dispositionem in sacramento* (c. 3. collect. Hispan.) et omissis litteris sub 6) enumeratis posteriorem tantum partem epistolae ad clerum et plebem Constantinopolitanae urbis: „*quae de sponsi carne prodit quando ex latere*“ etc. (op. Leon. l. c. p. 980. c. 4.) exhibet]; 8) ad Palaestinos: „sollicitudini meae“ (l. c. p. 1256, c. 81 coll. Quesnell.), non integra epistola, cum c. 3—9 edit. fratrum Baller. in Pseudo-Isidorianis desint; 9) ad Aquileiensem episcopum: „relatione fratris et episcopi“ (l. c. p. 582, c. 82 coll. Quesnell.); 10) ad Iulianum episcopum: „licet per nostros“ (l. c. p. 875, c. 88 coll. Quesnell.); 11) ad Theodosium augustum: „quantum rebus humanis“ (l. c. p. 839, c. 89 coll. Quesnell.); 12) omissa inscriptione epistola ad episcopos, qui in synodo Chalcedonensi congregati fuerunt: „omnem quidem“ (l. c. p. 1193, c. 92 coll. Quesnell.); 13) ad Anatholium episcopum: „diligentiam“ (l. c. p. 1317, c. 93 coll. Quesnell.); 14) ad Leonem augustum: „multo gaudio mens“ (l. c. p. 1339, c. 94 coll. Quesnell.); 15) ad Anatholium: „lectis dilectionis tuae litteris quas per filium nostrum Patricium“ (l. c. p. 1342, c. 95 coll. Quesnell.); 16) ad eundem: „si firmo incommutabilique“ (l. c. p. 1277, c. 96 coll. Quesnell.), post cuius finem in Pseudo-Isidorianis excepto cod. Ottoboniano leguntur: „*Explicit ad Anatholium. Dehinc secuntur decreta papae Leonis ad Euticen Constantinopolitanum abbatem qui verbi et carnis unam ausus est pronuntiare naturam, dum constat in domino Iesu Christo unam personam nos confiteri in duabus naturis, dei scilicet atque hominis*“ (quae verba fere in omnibus concordant cum inscriptione Leonis epistolae primae in collectione Hispana anteposita). 17—19) Sequuntur priores tres epistolae Leonis collectionis Hispanae: a) „*scriptum Leonis episcopi urbis Rome ad Euticen Constantinopolitanum abbatem adversus Nestorianam heresem*[2], b) ad Flavianum Constantinopolitanum: „cum christianissimus“, c) rescriptum Flaviani ad Leonem, cuius finis a fine epistolae qui est in collectione Hispana discrepat; codices enim Pseudo-Isidoriani rescriptum tantum usque ad verba c. 3: „*antiquam impii Valentini et Apollinaris reparans sectam*“ exhibent omissisque reliquis addunt posteriorem partem epistolae Leonis ad Italos, quae in collectione Hispana inter epistolas Leonis est 28[a] inde a verbis: „*hos enim divulgavit auctoritas et censura coercuit*“ usque

alia manu postea fol. 104[rect.] inscripta sunt: „*Maritum duarum post baptismum — magis pecuniam offert*“ (c. 72 lib. Augustino ascripti de ecclesiasticis dogmatibus repetitum in c. 2. D. XXXIII.).

[1] In Paris. 3852 hic folium exsectum est, ita ut pars huius epistolae desit. — [2] Inscriptio Paris. 3852 est: „*epistola Leonis ad Eutichem presbiterum.*“

ad finem. 20—25) Sequuntur 6 epistolae, 23ª, 24ª, 25ª, 26ª, 27ª, 28ª collectionis Hispanae: a) ad Martianum: „multa mihi", b) ad eundem Martianum: „puritatem fidei", c) ad eundem: „quod saepissime", d) ad Leonem augustum: „promisisse me", e) ad Turibium Asturicensem: „quam laudabiliter", f) ad episcopos per Italiam: „in consortium", sed codices epistolam non integram ut in collectione Hispana, sed tantum usque ad verba: „*nostra reperit, vigilantia divulgavit*" continent adduntque pro reliqua parte huius epistolae, quam epistolae sub 17—19, c memoratae subiunxerunt, illa, quae ibi omiserunt, scilicet a verbis: „*qui timebant praeceptum*" etc. usque ad finem, ita ut in Pseudo-Isidorianis posteriores partes rescripti ad Flavianum et epistolae ad Italos commutatae sint. — Sequuntur 19 epistolae eiusdem papae, quae habentur in collectione Hispana a quarta usque ad 22ªᵐ: 26) epistola ad Flavianum, eadem, quam iam quintam Pseudo-Isidoriani afferunt, 27) epistola Petri Ravennensis ad Eutychetem presbyterum: „tristis legi", 28) ad Ephesinam synodum: „religiosa clementissimi", 29) ad Theodosium augustum: „litteris clementiae vestrae", 30) ad Pulcheriam augustam: „si epistolae quae", 31) ad eandem: „gaudere me", 32) epistola exhortatoria ad Martianum: „bonorum operum", 33) ad Theodosium augustum: „omnibus quidem vestrae", 34) ad Pulcheriam augustam: „gaudeo fidei", 35) ad Faustum et Martianum ceterosque presbyteros: „causa fidei", 36) ad Pulcheriam: „quod semper", 37) ad Anatholium Constantinopolitanum: „gaudeamus in domino", 38) ad Martianum: „quamvis per Constantinopolitanos", 39) ad eundem: „multam mihi fiduciam", 40) ad Anatholium Constantinopolitanum: „licet sperem", 41) ad Martianum: „poposceram quidem", 42) ad synodum Chalcedonensem: „optaveram quidem", 43) ad Martianum: „magno munere", 44) ad Anatholium: „manifestato sicut", quam codices Pseudo-Isidoriani non integram, sed tantum usque ad verba: „*et illa Nicaenorum canonum per sanctum vere spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis*" exhibent, post haec verba addentes: „*quos videt dignatio tua non posse reprobari eligere debebis quos clericos facias. Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium praestare velimus tales invenire possumus, de quorum adsumptione nec metuere nec erubescere valeamus*", 45) epistola Leonis ad episcopos per Siciliam: „divinis praeceptis", quae est 29ª collectionis Hispanae. Qua in re tamen codices non concordant: Rotomagensis enim ante has litteras posuit epistolam ad Dorum Beneventanum: „iudicium quod de te" (op. Leon. l. c. p. 732, c. 98 coll. Quesnell.), Paris. 3852 et Ottobon. eandem epistolam inter ipsa verba epistolae ad episcopos per Siciliam inseruerunt. In Paris. enim et Ottobon. leguntur post epistolam 44ªᵐ litterae: „divinis praeceptis" usque ad verba: „unum est sacramentum" (c. 3. i. f. coll. Hispan.), sequitur praemissa inscriptione: „*item ad Dorum Beneventanum episcopum*" epistola: „iudicium quod de te", cui additur reliqua pars (c. 4—7. collect. Hispan.) epistolae ad episcopos per Siciliam. 46) Epistola ad universos episcopos per Campaniam etc.: „Ut nobis gratulationem", quae est 30ª coll. Hisp.; 47) ad Ianuarium: „lectis fraternitatis tuae litteris vigorem" (31ª coll. Hispan.); 48) ad Rusticum Narbonensem: „epistolas fraternitatis tuae" (32ª coll. Hispan.); 49) ad Anastasium Thessalonicensem: „quanta fraternitati" (33ª coll. cit.), cuius epistolae rubricae capitum tantum in Carnot. leguntur; reliqua desunt, quamquam adhuc una pagina et totum folium pura in eo inveniuntur. In Ottobon. tantum principium epistolae legi potest, cetera quae in ultima pagina codicis erant, detrita sunt. — In duobus Paris. et Rotomag. sequuntur: 50) epistola ad Nicetam Aquileiensem: „regressus ad nos" (34ª coll. Hisp.); 51) ad Africanos episcopos: „cum de ordinationibus" (35ª coll. Hispan.), quae tamen non plane cum textu coll. Hisp. concordat: in Par. inter suppl. lat. et Rotomag. enim ponitur a) initium epistolae usque ad verba: „*dum in ecclesia qui nullum subiere ministerium perverso eligentium iudicio indebitum obtinent principatum*" (c. 1 i. med. coll. Hisp.); b) sequitur pars epistolae Leonis ad Dioscorum: „quan-

tum dilectione" 38[ae] coll. Hisp.) a verbis (c. 1): „*quod cum apostoli Pauli*" usque ad finem (c. 2): „*teneremus agnovit*" praemissis in textu verbis: „*quod ergo die dominico ordinationes sacerdotum celebrantur non tantum ex consuetudine sed etiam ex apostolica novimus venire doctrina scriptura manifestante*"; c) cetera pars I[1] cap. epistolae ad Africanos: „*cum ergo inter vos — patiemur impune committi*"; d) c. 5 collect. Hispanae: „*cum itaque de omnibus — ultione plectamus*"; e) sequuntur eadem, quae non in Hispana quidem, sed apud Baller. (l. c. p. 667) leguntur et quae in editione Pseudo-Isidorianae collectionis a Merlino facta subditiciae epistolae Leonis de chorepiscopis adduntur, quae sunt: „*in eos specialius et propensius — sententia roborentur. Dat. IV. Id. Augusti*"; f) postea adduntur c. 2. 3. 4. iterumque c. 5. (cf. ad d) epistolae, ut inveniuntur in Hispana. Cod. Paris. 3852 epistolam eodem modo compositam exhibet, nisi quod partem epistolae ad Dioscorum, quam sub b memoravi, omisit. — Post epistolam ad Africanos leguntur epistolae collectionis Hispanae a 36[a] usque ad 38[am]: 52) ad Theodorum Foroiuliensem: „sollicitudinis quidem", 53) ad Leonem Ravennensem: „frequenter quidem", 54) ad Dioscorum Alexandrinum: „quantum dilectioni"; 55) „*epistola* (subditicia) *Leonis papae de privilegio chorepiscoporum sive presbiterorum ad universos Germanie atque Gallie ecclesiarum episcopos: cum in dei nomine — plebem utique exortari.*" 56) Sequitur: „*Dampnatio Vigilii: Silverius episcopo Vigilio. Multis te transgressionibus*" etc., quae epistola suppositicia in editione Merliniana inter decreta Silverii et Vigilii paparum posita est; 57) epistola Leonis ad episcopos per Campaniam: „magna indignatione" (39[a] coll. Hisp.). 58) Repetitur epistola ad Theodorum Foroiuliensem, iam sub no. 52 enumerata, cuius inscriptio in Par. 3852 et in Rotomag. deest, in Par. int. suppl. lat. 840 ita concepta est: „*Leonis de statu paenitentiae et reconciliationis.*" Rotomag. epistolae sub no. 57 memoratae ultima verba: „*Tunc enim plures ad paenitentiam poterint provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Dat. II. Non. Mart.*", fini epistolae ad Theodorum addidit.

108) Sequuntur tria documenta *Hilari* papae, quae etiam in collectione Hispana inveniuntur: 1) synodale decretum et duae epistolae ad Ascanium: „postquam litteris" et „divinae circa nos." In Paris. 3852 tantum duo priora documenta leguntur et quidem epistola: „postquam litteris" in fol. 171[v]. et 174, inter quam (fol. 172 et 173) amanuensis haec documenta Hilari ex collectione Hadriano-Dionysiana inseruit: „*Tituli decretorum Hilari papae: I. Synodum habitam in basilicae beatae Mariae — V. Subscriptio episcoporum qui fuerunt in synodo*[1]*: „Sub die XVI. Kal. Decembr.* etc. — *etiam universis presbiteris astantibus quoque diaconibus*" (p. 487—489 ed. cit.) et (omissis quae ibidem leguntur in p. 489—492: „Hilarius episcopus — dixit: quoniam religiosus — nostrorum scripta legantur, Paulus notarius recitavit") duas epistolas Ascanii episcopi, ut in Dionysiana (l. c. p. 492—498) a verbis: „*beatissimo et apostolica reverentia a nobis* usque ad verba: „*gesta notariorum sollicitudo curabit.*"

109) Epistola *Simplicii* ad Zenonem: „plurimorum relatu" et epistola Acacii episcopi Constantinopolitani ad eundem: „sollicitudinem omnium", quae sunt in collectione Hispana.

110) Decretales 3 *Felicis III.:* a) ad episcopos per Siciliam: „qualiter in Africanis", b) ad Acacium Constantinopolitanum: „multarum transgressionum", c) ad Zenonem: „Filius noster."[2]

[1] Rubrica VI[a], quae est in Dionysiana, omissa est. — [2] In cod. Par. 3852 postea folium additum est, in quo leguntur duae epistolae Simplicii (ad Ioannem Ravennatem: „si quis esset" et ad episcopum Florentinum: „relatio") et decreta Felicis III. papae, omnia ex collectione Hadriano-Dionysiana desumta.

111) Decreta *Gelasii* I.: a) „*In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis et non recipiendis libris quae scripta sunt a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica urbis Romae. Post propheticas* etc.; b) ad Faustum magistrum: „ego quoque" (c. 48 coll. Quesnell.); c) ad Anastasium imperatorem: „Famuli vestrae" (c. 49 ibid.); d) „*Incipiunt rationes reddende Acatium a sede apostolica competenter fuisse dampnatum*" (c. 50 l. c.); e) „*Incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientales*" (c. 51 l. c.); f) decretum generale Gelasii: „necessaria rerum"; g) epistola ad Sicilienses episcopos: „praesulum nostrorum", quae duo documenta leguntur in collectione Hispana. Omnia haec exhibent codices Paris. int. suppl. lat. 840 et Rotom., in Paris. 3852 tantum decretum de recipiendis libris invenitur.

112) Epistola una *Anastasii II.*: „Exordium pontificatus", quae est in Hispana collectione.

113) Documentorum quae ad *Symmachum* pertinent: a) epistola ad Caesarium: „hortatur nos aequitas", quae est in Hispana collectione; b) „incipiunt decreta pape Symmachi post consulatum Paulinum v. c. die Calendarum" etc., synodus I. collectionis Dionysianae, cuius subscriptiones Par. 3852 et Rotomag. omiserunt; c) „*exemplar constituti facti a domno Symmacho papa de rebus conservandis*", ut legitur in collect. cit. Codd. Par. 3852 et Rotomag. omittentes initium et nomina episcoporum initio exemplaris inserta incipiunt a verbis: „*adstantibus quoque diaconibus*" etc. (p. 567 ed. cit.) desinuntque in catalogo episcoporum verbis: „*Emilianus Vecellensis*" (p. 576 l. c.); d) Par. int. suppl. lat. 840 solus exhibet synodum IV^{am} Symmachi, et e) post eam *Ennodii* libellum apologeticum (ed. Sirm. p. 317) praemissis verbis: „*in nomine patris et filii et spiritus sancti incipit V^{ta} synodus a ducentis triginta episcopis in consistorio Lateranensis XV^{mo} Kalendarum Novembrium die auctoritate et presentia Symmachi papae Romae habita et ab Ennodio diacono precepto et ab auctoritate memorati papae atque omnium episcoporum qui in eandem synodum convenerunt scripta et postmodum in conspectu eorum omnium recitata atque adprobata dignaque ab omnibus laude roborata adversus eos qui contra synodum scribere praesumpserunt, ut nec de apostolicae sedis praesule nec de ullo umquam tempore praesumant, qualia de iamdicto domno Symmaco papa praesumpta sunt. Incipit prefatio synodi.*" In praefationis indicatae quae sequitur verbis: ...„*cari et per blandimenta*" denuo incipiunt Par. 3852 et Rotomag. Praefationi omnes codices subiciunt verba[1]: *Ac in synodo*[2] *optimae lector regularem synodi intellege rationem eiusque*[3] *obiectorum*[4] *discerne latratum*[5], *licet Ennodius in persona doctor episcoporum omnium ad hoc concilium convenientium*[6] *scripserit rogitus*[7]", et opusculum ipsum *Ennodii*[8]. f) „*Actio V. sinodi CCXVIII. episcoporum praesidente sanctissimo papa Simacho Romae temporibus Teoderici regis*" (subditicia), cuius subscriptiones Par. 3852 et Rotomag. omiserunt. g) „*Incipiunt regule sexte synodi Simachi pape sub Teoderico rege Romae habitae sub die Kalendar. Octobr.*" (apocrypha), cuius subscriptiones etiam in solo cod. Par. int. suppl. lat. 840 inveniuntur. h) „*Incipit epistola Simmachi papae Laurentio Mediolanensis ecclesiae archiepiscopo directa: „prodit religiosae*" (est dictio *Ennodii* data Stephano l. c. p. 473). i) „*Item*

[1] Sec. Par. int. suppl. lat. 840. — [2] Par. 3852 et Rotom.: „*hoc in libello*". — [3] Par. cit.: „*eique*". — [4] Par. cit.: „*obiectori*", Rotom.: „*obtrectatorum*". — [5] Verba inde a „*licet Ennodius*" om. Rotom. — [6] Par. cit.: „*sacerdotum*" pro: *episcoporum — convenientium.* — [7] Par. cit.: „*rogatus.*" — [8] In Par. 3852 inter opusculum Ennodii (fol. 185v. 186) duae epistolae postea insertae leguntur: a) „*Ex decretis Paschasii papae: fraternae mortis incurrit*" (epistola Widi monachi ad Heribertum archiepiscopum Coloniensem. Baluze, Miscellanea. Par. 1678. Tom. I. p. 412), b) „Gregorius episcopus servus servorum — Remensi, Scenonensi etc. „Longa iam temporum" (epistola Gregorii VII. Jaffé 3637).

epistola Simmachi pape Liberio patricio directa" (quae est epistola ab *Ennodio* eidem scripta l. c. p. 135).

114) Epistolae *Hormisdae* omnes quae extant in collectione Hispana: a) ad Iustinum imperatorem: „inter ea quae", quam omisit Par. 3852, b) epistola Iustini imperatoris ad Hormisdam: „scias effectum nobis", c) epistola sive libellus fidei Ioannis Constantinopolitani: „redditis mihi", d) epistola Hormisdae ad Ioannem: „vota nostra", e) ad eundem: „fecit dilectio", f) ad episcopos Hispaniae: „benedicta trinitas, g) ad eosdem: „inter ea quae", h) ad Epiphanium: „multo gaudio", post quam Par. 3852 decreta Hormisdae uti leguntur in collectione Dionysiana addit.

115) Duae *Ioannis I.* epistolae.

116) *Felicis IV.* duae epistolae.

117) *Bonifacii II.* epistola una.

118) *Iohannis II.* epistola una.

119) *Agapiti I.* epistola una.

120) Amatoris episcopi epistola ad *Silverium* directa et responsio *Silverii.* — Omnes (115—120) subditiciae.

121) Epistola *Vigilii* ad Profuturum, quae in collectione Hispana legitur: sed in Pseudo-Isidorianis codicibus aliud caput (VII.) subditicium additur.

122) epistola una *Pelagii I.*

123) epistola una *Iohannis III.*

124) epistola una *Benedicti I.*

125) decretales 3 *Pelagii II.* — 120—125 omnes apocryphae.

126) In codd. Par. int. suppl. lat. 840 et Rotomag. sequuntur decreta *Gregorii M.:* 1) epistola ad Leandrum Hispalensem: „respondere epistolis", 2) ad eundem: „sanctitatis tuae", 3) ad Reccaredum regem: „explere verbis", 4) ad Secundinum servum dei inclausum (ed. Bened. II. 964), 5) responsiones ad Augustinum episcopum, 6) epistola ad Theotistam patriciam: „dilectionis tuae", 7) synodus sub eodem Gregorio: „regnante in perpetuum" etc.

127) „*Item decreta pape Gregorii iunioris incipiunt capitula*", quae est eadem, qua Dionysiana concluditur synodus.

Cod. Rotom. eadem quae Paris. habet, tamen epistolas Gregorii M. ad Theotistam et ad Secundinum post synodum Gregorii iunioris posuit, epistolae posterioris partem tantum a verbis: „*in extremum epistolae requisisti*" (ed. Bened. cit. II. 970) usque ad verba: „*percipienda pertingat*", et addidit duobus in foliis excerpta ex epistolis Gregorii M. praemissa inscriptione: „*epistolarum verba de diversis locis excerpta.*" Alter codex Paris. 3852 nihil Gregorii M. et iunioris Gregorii affert, sed decreta quaedam Symmachi et Gelasii[1], addens, ut iam supra notavi ordinem excommunicationis, quo desinit codex.

128) Adduntur in Par. int. suppl. lat. 840 et Rotom. capitula quae vocantur Angilramni:

[2]„*Ex grecis et latinis cononibus*[3] *et sinodis Romanis adque decretis presulum ac principum Romanorum hec capitula sparsim collecta sunt et Ingilramo*[4] *Mediomatricorum urbis episcopo Rome a beato Adriano papa tradita* [5]*sub diae XIII. Kal. Octobr. indictione IX.*, *quando pro sui negotii causa agebatur.*"

Capitula *Angilramni* sequitur in cod. Par. disputatio Constantii et Liberii, qua concluditur. Rotom. inter eam et capitula inseruit: a) „epistolam pape

[1] Dico a) *Gelasii* decreta, b) *Symmachi* synodum I^am^, c) eiusdem exemplar constituti, d) eiusdem synodum IV^am^, omnia ex collect. Hadriano-Dionys., interposito catalogo provinciarum, e) „*de damnatione Acacii*" (epistolam Gelasii ad Faustum, c. 48 coll. Quesnell.), f) „*cuius supra de facultatibus ecclesie*" (eiusdem epistolam ad Sicilienses). — [2] Sec. cod. Paris. — [3] Rot. „*canonibus*". — [4] Rot.: „*Gilranno*". — [5] Rot. om. quae sequuntur a verbis: *sub diae.*


Spalensis episcopi ad Laudefridum Cordubensem episcopum: „perlectis fraternitatis" (quae est epistola Isidori Hispalensis, cf. Mansi 10, 1232); b) epistolam Isidori ad Masonem (op. ed. Arev. Tom. VI. p. 563); c) excerpta quaedam Augustini et Hieronymi de matrimonio; d) Isidori de nominibus haereticorum (op. Tom. III. p. 352); e) eiusdem de philosophiis gentium (l. c. p. 361); f) concilium VIII. Toletanum.

Sequuntur disputationem: a) „*Incipiunt nonnullae sancciones sparsim collectae et primae Calcidonensis concilii. Cum in dei nomine — iudicatis et reliqua*" (Mansi 6, 563 sqq.). b) „*Que secuntur ex praedicto concilio diversarum loca collecta sunt, quae suis inserta locis a querentibus reperientur. Eusebius religiosissimus*" etc. (Mansi l. c. p. 582). c) „*Incipit actio XI.*" (eiusdem concilii, l. c. 7, 271). d) Excerpta synodi VI. *Constantinopolitanae* (cf. l. c. 11, 195). e) „*Ex libro XII. historie ecclesiae que tripertita vocatur cap. XIX. et si sumpta sunt haec. Quidam episcopi dicebant — perditione turbarum*" (Cass. hist. trip. XII. 8. 11). f) Excerpta concilii *Chalcedonensis*, epistolarum paparum Siricii, Leonis M., Innocentii I. praemisso titulo: „*quid vel qualiter monachi agere.*" g) „*Potestas et auctoritas metropolitanorum qualis esse debeat*" (excerpta conciliorum Antiocheni, Nicaeni, Chalcedonensis, Laodiceni, decretalium paparum Innocentii I., Hilari, Coelestini, Pseudo-Iulii. h) „*Incipiunt nomina undecim regionum continentium infra se provincias CXLII, Italia, Gallia*" etc., quo in catalogo codex desinit.

Iam codices quos enumeravi Mutinensem, Carnotenses duos 67bis et 140, Parisienses duos (inter suppl. lat. 840 et Par. 3852), Andegavensem, Vindocinensem, Vaticanum regium 1054, Ottobonianum, Rotomagensem ex uno eodemque exemplari profluxisse quis est qui non videat?

Andegavensis, Vindocinensis, Carnotensis 140, Vaticanus regius, quorum Andegavensis praestantissimus est, tantum priorem seriem decretalium et concilia quidem exhibent. Sed quamquam inter se artius cohaerent, tamen eiusdem classis cuius Parisienses duos esse apparet ex eo quod Carnotensis 67bis, qui posteriora concilia continet, in decretalibus secundae seriei quas exhibet, fere cum iis concordat et quod Ottobonianus concilia ita, ut Andegavensis, Vindocinensis, Carnotensis 140, Vaticanus regius et epistolas pontificum secundae seriei, ut duo Parisienses profert: quo accedit quod isti duo codices in priore serie pontificum decretalium exhibenda et praeterea Parisiensis 3852 in eis quae epistolis Clementis praemisit, cum Andegavensi, Vindocinensi, Carnotensi, Vaticano regio consentiunt. Rotomagensem codicem qui cum codicibus duobus Parisiensibus cohaeret, huic classi quoque adnumerandum esse, ex iis quae de eo attuli facile colligitur, et Mutinensem eiusdem familiae esse textus eius quem edidi documento est. Arminius Wasserschleben quidem (Herzog, Realencyclopädie für die protestantische Theologie und Kirche Tom. XII. p. 338. 339) codicem eidem classi cui adtribuit Bambergensem, Darmstadtensem, Sangallensem adnumerare videtur, asserens et in Mutinensi et in ceteris nunc laudatis singulas decretales in capita cui tituli praemittuntur distinctas esse; attamen in Mutinensi nulla capitum distinctio invenitur, tantum in margine eius alia manus posterior (saec. XI.) quaedam de argumento decretalium adnotavit. Cum similes adnotationes et continuae quidem etiam in aliis codicibus, velut in Paris. int. suppl. lat. 840, inveniantur et ex tali exemplari in Mutinensem postea transcriptae esse videantur, eas non ex Mutin. sed ex Parisiensi cit. in editione mea publici iuris feci.

Itaque hac tabula origo singulorum codicum enumeratorum illustretur:



Id tantum dubitari potest, an non **Mutinensis** ex uno eorum exemplarium deperditorum, e quibus ceteri, derivatus sit; attamen illum non ex eo quem ipse Pseudo-Isidorus scripsit, codicem exscriptum esse facile cognoscimus ex verbis quae in textu secundae epistolae Cornelii (c. 5): „*Item de eadem re Cornelius in secunda ita ait*“ et in tertia Felicis I. (c. 17): „*Item de eadem re Felix in tertia epistola ita ait*“ leguntur, et ex varietate lectionum cum ceteris codicibus comparata; verba etiam, quae fini epistolae primae Euticiani subiiciuntur: „*ΦΗΝΗΤ ΔΩ ΓΡΑΤΙΑΣ ΑΜΗΝ*“ indicant aperte, codicem **Mutinensem** ex aliquo exemplari non integram collectionem continenti transcriptum fuisse.

Iam quoniam de vetustioribus huius classis codicibus satis mihi videor exposuisse, pauca nunc dicenda sunt et de codicibus quae tantum singulas res ex collectione Pseudo-Isidoriana hauserunt, et de codicibus posterioris aetatis, qui huic classi videantur adnumerandi.

Atque illi quidem codices sunt **Sangerman.** 366 saec. IX. exeunt., **Paris.** 3839 A saec. IX., **Paris.** 4280 A saec. X., **Notre Dame** 105 saec. XIII., de quibus iam in §. 1. enumeratis codicibus bibliothecae caesareae disserui. Praefatio Pseudo-Isidoriana, quae in **Sangerm.**, **Par.** 3839 A, **Notre Dame** 105 continetur, in omnibus incipit: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio libri huius sancti Isidori*[1]. *Isidorus mercator servus Christi lectori conservo suo et parens*[2] *in domino fidei salutem.*“ Cum non solum initium praefationis, sed etiam textus ceterarum rerum quae ex collectione Pseudo-Isidoriana desumpta sunt, velut ordinis de celebrando concilio, epistolae Aurelii ad Damasum papam et rescripti eius cum codicibus supra descriptis concordent, huic classi A1 adtribuendi sunt.

Iam codices posterioris aetatis eiusdem classis, de quibus supra disserere omisi, ne lector tanta multitudine codicum comparata confunderetur et quorum aetas longiorem descriptionem non requirit, cum non sint magni momenti, hi sunt:

I. **Cod. Vatican.** 3791 membr. 8. saec. XII. exeunt. Continet ultimam partem collectionis Pseudo-Isidorianae. Incipit cod., ut Rotomag., tabula quae seriei decretalium a Silvestro usque ad Gregorium praemittitur in aliis: „*Item incipiunt capitula decretalium apostolicorum sanctae Romanae sedis ecclesie*“, omnia cetera exhibens ut **Rotomagensis**. A quo tantum in eis quae ex decretis Gregorii M. in fine leguntur, discrepat. Habet priores V epistolas eodem ordine sequentes, quo in codice **Paris. int. suppl. latina** 840 leguntur, scilicet: a) duas ad Leandrum, b) ad Reccaredum, c) ad Secundinum, d) ad Augustinum; post quas leguntur synodus sub Gregorio I., synodus Gregorii iunioris, Gregorii I. epistola ad Theotistam, quam ultimam epistolam cod. Paris. synodis praemisit. Sequitur eadem pars epistolae ad Secundinum: „in extremum — pertingat“, eademque excerpta, quae in Rotomag. inveniuntur, deinde capitula Angilramni, quorum inscriptio est: „*Ex grecis et latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis presulum ac principum Romanorum hic capitula sparsim collecta sunt et Agilramno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indict. VIII.*“ Subiuncta sunt: a) epistolae duae Isidori, quas etiam Roto-

[1] Sangerm.: „*sancti Isidori episcopi libri huius*“. — [2] Sang.: „*parenti*“.

magensis exhibet, b) omissis ceteris quae in eodem codice extant disputatio Liberii, c) „sanctiones sparsim collecte prime sancti et magni Calcidonensis concilii", d) catalogus provinciarum, in quo codex in fine mutilus desinit. Quae posteriores res etiam, ut supra notavi, in Rotomagensi inveniuntur.

II. Cod. Abrincensis 109. membr. fol. s. XII. foliorum 168. Non exhibet collectionem integram, sed tantum singulas res illius. In principio positus est catalogus provinciarum: „*Incipiunt nomina undecim regionum — i. e. Ventio.*" Sequitur 1) praefatio Pseudo-Isidori: „*Incipit praefacio libri huius Sancti Isidori. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem. Compellor*" etc. 2) Ordo de celebrando concilio. 3) Epistola Aurelii ad Damasum et rescriptum eiusdem papae. 4) Tabula pontificum et conciliorum similis ei quae est in codd. Par. 3852, Andeg., Carnot. 140, Vindocin., Vatic. reg. 1054 supra descriptis, a quibus hic codex tamen eo discrepat, quod tabula numeros XCV habet et epistola Hieronymi ad Damasum omissa est. Canones apostolorum inveniuntur. 5) Epistolae pontificum a Clemente usque ad Pontianum, inter quas desiderantur postrema Evaristi, ambae Vigini, secunda Pii, secunda Calisti. 6) Tractatus de primitiva ecclesia. 7) Prima pars exemplaris constituti domni Constantini imperatoris usque ad verba: „*integre me sanitati comperi.*" 8) Concilia desunt, inveniuntur enim post exemplar Constantini eadem excerpta, quae sub titulo: „*potestas et auctoritas metropolitanorum qualis esse debeat*", etiam in Rotomag. leguntur. 9) Deinde exhibentur in codice epistolae Leonis M., sed tantum posteriores in manuscriptis supra notatis exhibitae a 27^{a} (epistola Petri Ravennensis) usque ad 57^{am} (epistolam ad episcopos per Campaniam: „magna indignatione") et quidem omnes ut sunt in Rotomag.[1] 10) Omissa tantum ultima epistola Hilari papae adduntur ceterae epistolae usque ad Gregorii M. litteras eodem ordine eademque forma, quibus in Rotomag. cit. 11) Decretorum Gregorii M. et Gregorii iunioris inveniuntur in codice Abrinc. eadem, quae in codice Vaticano 3791 describendo memoravi eodemque ordine. 12) Adduntur capitula Angilramni: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum capitula sparsim collecta et a Gilramno Medio-Matrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kalendarum Octobrium. Indictione VIII.*" 13) Sequuntur epistolae duae Isidori: *epistola papae Spalensis ad Laudefridum Cordubensem episcopum*" et „*epistola Isidori ad Masonem,*" quae in Rotom. quoque et Vat. 3791 leguntur, et opuscula Isidori de philosophis gentium et de nominibus haereticorum, quas idem Rotomag. exhibet.

Subiicitur 14): a) catalogus Romanorum pontificum, desinens: „*Calixtus* (II.) *sedis annos V menses X dies XIII cessavit episcopatus d. III.*" (1119—1124) — „*Honorius* (II.) *sed. ann. V m. s. II. cess. ep. d. I.*" (1124—1130); b) epistolae duae Paschalis II. Iohanni Evannensi episcopo et Lambertino abbati sancti Bertini scriptae[2]; c) excerpta quaedam canonum; d) epistola Alexandri II. ad Guillermum marchionem; e) Gregorii ad Henricum Leodiensem episcopum[3] scripta. Codicem non solum ex eodem exemplari quo Rotomagensem, sed etiam eodem quo Vatic. 3791 fluxisse indicant quae ex decretis Gregorii exhibet et inscriptio capitulorum Angilramni, in qua ut in Vatic. pro „haec capitula" legitur: „*hic capitula*"; tamen ex codice Vatic. transcriptus esse non potest, cum in fine ex operibus Isidori quaedam afferat, quae non in Vatic., sed in Rotomag. inveniuntur.

III. Cod. Vindobonensis 2133 (olim ius can. 25) membr. fol. saec. XII. exeunt. foliorum 184. Non integram collectionem continet, sed tantum (praefatione,

[1] Solam epistolam Leonis ad Rusticum Narbonensem (cf. p. XXVII. no. 48 inter epistolas Leonis) amanuensis bis posuit. — [2] Quae non iam impressae esse videntur. — [3] Inter epistolas Gregorii VII. inveniuntur ad eundem episcopum: Jaffé 3755, 3819, 3881. Codicem non ipse evolvi. Vir illustris Chancé, qui descriptionem collectionis Pseudo-Isidorianae in codice contentae rara diligentia factam mihi misit, harum epistolarum tantum inscriptiones mecum communicavit.

ordine de concilio celebrando, canonibus apostolorum omissis) primae seriei has 1) epistolas: a) 5 epistolas Clementis, b) 3 Anacleti, c) 2 Evaristi, d) 3 Alexandri, e) 2 Sixti I., f) unam Telesphori, g) 2 Vigini, h) 2 Pii, i) unam Anitii, k) 2 Soteri, l) unam Eleutherii, m) epistolam Melciadis, n) tractatum de primitiva ecclesia et synodo Nicaena. — 2) Exemplar constituti domni Constantini imperatoris (integrum omissis solum die et nota consulari). — 3) „Quo tempore actum sit Nicaenum concilium." — 4) Sequuntur concilia haec: a) Milevitanum, additis in fine verbis: „*Expliciunt Africae concilia*", b) Arelatensia I^{um}, II^{um}, III^{um}, c) cetera concilia Galliae Hispaniaeque ut in prioribus codicibus habentur, usque ad Toletanum IV^{um} [1], d) praefatio concilii I. Bracarensis, quam etiam codices citati exhibent, e) Toletana V^{um}, VI^{um}, VII^{um}. — 5) Posterioris decretalium seriei hae tantum epistolae inveniuntur: a) Sixti III. usque ad verba: „*quapropter fratres oportet vos et omnes fideles diligere ad invicem*", b) Iohannis II. usque ad verba: „*celestium terrestrium infernorum* etc." (i. f.), c) Pelagii I. (omissis die et nota consulari), d) Iohannis III. (omissis die et nota consulari), e) Benedicti I. usque ad verba: „*ea que desideraveris*" (i. f.), f) Pelagii II. epistola prima et secunda (omissis die et nota consulari), g) Gregorii M. epistola I^{a} ad Leandrum: „respondere epistolis", epistola ad Secundinum, ad Augustinum, synodus sub Gregorio M., h) synodus Gregorii iunioris. — 6) Praemissis verbis: *synodus V. sub Symmacho*" praefatio libelli apologetici Ennodii, cui subiecta sunt verba: *hoc in libello* etc. ut in Par. 3852 et Rotomag., et ipse libellus Ennodii. — 7) Excerptum Gregorii M. epistolae ad Brunichildam reginam inde a verbis: „Execrabile et esse gravissimum — committere." (Op. ed. Ben. lib. IX. ep. 110. Tom. II. p. 1015.) — 8) Textus synodi V^{ae} et VI^{ae} Symmachi. — 9) Duae epistolae Ennodii quas Pseudo-Isidorus papae Symmacho adscripsit.

Comparatis eis quae antea de vetustioribus huius classis manuscriptis attulimus, ex interpolatione praefationis concilii I. Bracarensis inter concilia Toletanum IV^{um} et V^{um} facta et ex verbis post praefationem Ennodii positis intelligitur, codicem Vindobonensem ex manuscripto huius classis exscriptum esse et quidem ex codice qui integras omnes tres partes collectionis Pseudo-Isidorianae: seriem epistolarum pontificum a Clemente usque ad Melciadem, seriem conciliorum, seriem posteriorum decretalium, exhibuit, qualis erat Ottobonianus nunc mutilus.

IV. Cod. Londinens. Musei Britannici inter Cotton. Claud. E. V. membr. fol. saec. XII. exeunt. foliorum 256. Forma Pseudo-Isidorianae collectionis in manuscripto exhibita est eadem quae codd. Par. int. suppl. lat. 840 et 3852. Legitur fol. 1 catalogus provinciarum: „*Incipiunt nomina XI regionum continentium infra se provincias CXIII — i. e. Ventio.*" Sequitur praefatio: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit prefatio sancti Isidori libri huius. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem*", epistola Aurelii ad Damasum eiusque rescriptum, ordo de celebrando concilio, tabula decretalium et conciliorum, tituli canonum apostolorum, Hieronymi epistola ad Damasum et omisso textu canonum apostolorum series decretalium a Clemente usque ad Melciadem [2].

Decretales excipiunt: a) de primitiva ecclesia, b) exemplar constituti domni Constantini imperatoris, c) quo tempore actum sit Nicaenum concilium, d) praefatio Niceni concilii (coll. Quesnell.).

Concilia non inveniuntur, sed altera tabula decretalium, quae etiam in Parisiensibus et aliis supra descriptis codicibus invenitur: „*Item incipiunt capitula decre-*

[1] Inter inscriptionem concilii Eliberitani textumque ipsius concilii manu alia inseritur: „*Decretum Innocentii secundi papae. Innocentius servus servorum dei venerabilibus fratribus episcopis per regnum Teutonicum constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Tunc pax et caritas — sine lesione caremus. Data Pisis III. Kal. Iunii.*" (Jaffé 5494.) — [2] Inscriptiones decretalium latiores et copiosiores codex exhibet quam quae in vetustioribus supra notatis et in editione mea leguntur.

talium venerabilium apostolicorum sancte Romane sedis ecclesie", plures tamen numeros quam in vetustioribus exemplaribus exhibens, cum tituli posteriorum aliarumque rerum addantur[1]. Sequuntur deinde decretales ab excerptis sancti Silvestri usque ad Gregorium M., fere omnes ut in codicibus duobus Parisiensibus citatis, his tantum exceptis: a) Additamentum epistolae *Innocentii I.* ad Felicem Nocerinum ex epistola Leonis M. ad Anatolium sumptum in codice deest (cf. p. XXV. sub no. 102). — b) Epistolarum *Leonis M.* ordo mutatus pluresque epistolae desiderantur. Priores quidem 23 eodem ordine exhibet quo Parisienses (cf. p. XXVI. sub no. 107), sed postea sequuntur epistola ad Faustum et Martianum: „causa fidei" (quae est 35ª in ceteris), ad Martianum aug.: „poposceram" (41ª), ad Turibium: „quam laudabiliter" (24ª), tres epistolae quae 28ª, 29ª, 30ª sunt in ceteris: ad Ephesinam synodum: „religiosa clementissimi", ad Theodosium augustum: „litteris clementiae vestrae", ad Pulcheriam augustam: „si epistolae quae"; adduntur epistola ad Martianum: „bonorum operum" (32ª), ad Theodosium: „omnibus quidem" (33ª), ad Pulcheriam: „gaudeo fidei" (34ª), ad eandem: „quod semper" (36ª), ad Anatolium: „gaudeamus in domino" (37ª), ad Martianum: „magno munere" (43ª), ad Anatolium: „manifestato" (44ª), ad episcopos per Siciliam: „divinis praeceptis" (45ª), epistola: „iudicium quod de te", quae in ceteris „ad Dorum Beneventano", in hoc autem codice „ad Theodorum" inscribitur, ad episcopos per Campaniam: „ut nobis gratulationem" (46ª), ad Ianuarium: „lectis fraternitatis" (47ª), ad Rusticum: „epistolas fraternitatis tuae" (48ª), ad Anastasium Thessalonicensem: „quanta fraternitati" (49ª), ad Nicetam: „regressus ad" (50ª), ad Africanos: „cum in omnibus", qualis est in Par. 3852 (51ª), ad Theodorum Foroiuliensem: „sollicitudinis quidem" (52ª), ad Leonem Ravennensem: „frequenter quidem" (53ª), ad Dioscorum Alexandrinum: „quantum dilectioni" (54ª), epistola subditicia: „que non oporteat agere vel chorepiscopum vel presbyterum" (55ª), ad episcopos per Campaniam: „magna indignatione (57ª) damnatio Vigilii, (56ª)[2]. — c) In decretis Symmachi opusculum Ennodii, praefatio et ipse libellus apologeticus et subscriptiones synodorum omittuntur.

Gregorii M. exhibet codex epistolas ad Secundinum, ad Augustinum, synodum sub eodem papa habitam, cui multae epistolae pontificum saeculi VII¹ et VIII¹ de rebus ecclesiasticis Angliae scriptae subiiciuntur[3].

Sequuntur: 1) decreta *Gregorii iunioris*; 2) duae epistolae ad episcopos Angliae[4]; 3) capitula Angilramni, quibus inscriptio est: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et sinodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum hec capitula sparsim collecta sunt et Ingilramno Mediomatrice urbis episcopo Rome a beato papa*[5] *Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona, quando pro sui*

[1] Cuius tabulae postremi tituli sunt: „*CXXXI. epistola Pelagii* (*II.*) *episcopis Constantinopoli congregatis. CXXXII. Item eiusdem ad Benignum archiepiscopum. CXXXIII. Item eiusdem ad episcopos Campanie et Italie. CXXXIV. epistola Gregorii ad Secundinum servum dei inclusum. CXXXV. decreta eiusdem Gregorii super interrogationibus Augustini. CXXXVI. Item decreta eiusdem Gregorii de diversis eccliasisticis rebus. CXXXVII. Constituta Gregorii iunioris. CXXXVIII. Capitula diversarum sanctionum praesulum sive principum ab Adriano papa Ingelranno episcopo Metensi tradita. CXXXIX. Decreta Nicholai.*" — [2] Desunt igitur in codice epistolae Leonis, quas p. XXVII. sub numeris 25—27, 31, 38—40, 42, 58 attulimus. Forma et additamenta singularum epistolarum, de quibus in textu nihil adnotavi, eadem sunt, quae in ceteris codicibus, sed plurimarum decretalium dies et notae consulares omittuntur. — [3] Gregorii I. ad Mellitum abbatem: „post discessum" (Jaffé 1426), Bonifacii IV. ad Aethelbertum Anglorum regem: „dum christianitatis" (l. c. 1548), Bonifacii V. ad Iustum: „susceptis vestrae" (l. c. 1554), Honorii I. ad Honorium: „susceptis vestre" (l. c. 1567), Vitaliani ad Theodorum: „inter plurima" (l. c. 1619), Sergii I. ad Aethelredum etc.: „donum gratiae" (l. c. 1640), eiusdem ad universos episcopos Britanniae: „sicut nobis fratribus" (l. c. 1641), Constantini I. ad Brihtwaldum: „venerabilem virum" (l. c. 1648), eiusdem de libertate et institutione abbatis coenobii Eveshamensis: „divina dispensatione" (l. c. 1649). — [4] Gregorii III. ad episcopos Angliae: „dei omnipotentis" (l. c. 1728) et privilegium Leonis III. datum Athelardo archiepiscopo et ecclesiae Dorobernensi: „pontificali discretione" (l. c. 1914). — [5] Nomen papae paene ubique occurrit, in codice postea deletum est secundum decretum Heinrici VIII. regis a. 1535: „... and to cause...

negotii causa agebatur"; 4) decreta paparum Formosi et Iohannis XII.[1]; 5) decreta Nicolai II. in tabula secunda indicata, quae ad synodum a. 1059 habitam pertinent, haec: a) Sinodale decretum Nicholai: „Vigilantia universalis regiminis adsiduam — atque benedictione gaudere" (Mansi 19, 897), b) Cuius supra. Domnus papa Nicolaus synodo in basilica Constantiana praesidens dixit: „Erga symoniacos nullam misericordiam — omnino inthronizatur fuit" (l. c. 899), c) „Iusiurandum quod in eadem synodo fecit Beringarius: „Ego Beringarius indignus diaconus ecclesie sancti Mauricii Andegavensis cognoscens veram catholicam et apostolicam fidem — Lecto et perlecto sponte subscripsi" (l. c. 900)[2].

V. Cod. bibliothecae universitatis Cantabrigensis Dd. I. 10, 11. in duo volumina (quorum primum paginas 520, secundum paginas a pagina 610ᵃ usque ad 1510ᵃᵐ habet) divisus membr. fol. saec. XIII. ineunt. Easdem res collectionis Pseudo-Isidorianae quas codex Londinensis Cotton. Claud. E. V. exhibet eodemque ordine et ex eodem exemplari, ex quo iste, transcriptus videtur esse. Nam omnibus in rebus cum isto concordat, praeterquam quod unam epistolam Leonis M. ad synodum Chalcedonensem directam: „optaveram quidem" (p. XXVII. 42ᵃᵐ sub no. 107 enumeratam), quam Londin. omisit, inter epistolas ad Anatholium: „gaudeamus in domino" (37ᵃᵐ) et ad Martianum: „magno munere" (43ᵃᵐ) interpolavit. Exsecta sunt plura folia: a) unum folium, in quo posterior praefationis pars et initium epistolae Aurelii ad Damasum legebantur, b) folia, in quibus erant finis epistolae Felicis III. ad Acatium a verbis: „quae tibi cum haereticis", decreta Gelasii, Anastasii II., Symmachi, 4 priora decreta ad Hormisdam pertinentia, maxima pars epistolae sequentis eiusdem papae usque ad verba: „ad canones pertinent sive ea", c) folia, in quibus legebantur epistolae a Philippo Jaffé sub numeris 1619, 1640, 1641, 1648, 1649 allatae, decreta Gregorii iunioris, epistola Gregorii III. (Jaffé 1728), Leonis III. (Jaffé 1914), inscriptio et priora capitula Angilramni

all other books used in churches wherin the said bishop is named utterly to be abolished, eradicat, and rased out in such wise, as the said bishop of Rome, his name and memorie for evermore (except to his contumelly and reproche) may be extinct, suppressed and obscured." (Cf. Burnet, the history of the reformation of the church of England: collection of records, book III. no. 32.)

[1] Scilicet decretum Formosi, quod in civitate Dorobernia metropolis et prima sedes sit totius regni Anglorum: „auditis nefandorum" (l. c. 2693) et decretum Iohannis papae in quibus se debeat exercere summus pontifex: „si pastores" (l. c. 2829). — [2] In ceteris foliis (243—256) leguntur aliae decretales quae fere omnes de rebus ecclesiasticis Angliae agunt: Nicolai II. ad Lanfrancum: „gratias omnipotenti" (Jaffé 3448), eiusdem ad eundem: „accepimus" (3527), eiusdem ad Willelmum regem Anglorum: „omnipotenti deo" (3465), decretum Gregorii VII. papae, ut Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis curam christianitatis exerceret super Scotiam: „qualiter nobis" (3565), sinodus habita Romae per Gregorium papam VIIᵘᵐ (a. 1079, Mansi 20, 523), epistola Urbani II. ad Lanfrancum: „non latere" (Jaffé 4020), decreta domni Urbani papae II. in concilio Clarmontensi (a. 1095, Mansi 20, 815), epistola Paschalis II. ad Henricum regem Anglorum: „legationis tuae" (Jaffé 4391), eiusdem ad eundem: „regi regum" (4418), eiusdem ad Anselmum: „non ignoras" (4416), eiusdem ad Osbernum: „et patrum sanxit" (4419), eiusdem ad Anselmum: „suavissimas dilectionis" (4429), ad eundem: „adversus illam" (4430), ad eundem: „fraternitatis tuae postulationibus" (4445), ad Henricum regem: „in litteris quas" (4446), ad Girardum: „quamquam prave" (4431), ad Anselmum: „quod Anglici regis" (4524), ad eundem: „de presbiterorum filiis" (4569), ad episcopos Angliae et Henricum regem: „veniente ad nos" (4834), epistola Radulfi archiepiscopi Cantuariensis Calixto (II.) papae missa querentis de iniuria sibi et ecclesiae Cantuariensi illata in consecratione archiepiscopi et causis ecclesiae Eboracensis: „quoniam exigentibus malis nostris", epistola Honorii II. ad episcopos Tyri directa, inscripta: „*scriptum eiusdem Calixti suffraganeis et clero et populo Cantuariensi transmissum: venientem ad nos fratrem nostrum Guillelmum — dat. XII. Kal. Iun.*" (5270), decretum Honorii (II.) papae ut monachi perpetua stabilitate consistant in ecclesia sancti Salvatoris Cantuariae: „equitatis et iusticie ratio" (J. 5264), eiusdem ad episcopos etc. per Angliam etc.: „sponsa Christi" (Jaffé 5255), „domno ... Radulfo archiepiscopo Cantuariensi omnes burgenses Dubiline civitatis cunctusque clericorum conventus eternam obtant salutem" (epistola de ordinando a se electo episcopo Gregorio). „Henricus rex Angliae Radulfo Cantuar. archiepiscopo: mandavit mihi rex Hiberniae" (de ordinando eodem Gregorio). Additur in fine „tabula regnorum Israel, Iuda, Macedonum, Egypti, Caldeorum, Persarum et Medorum, Siriae".

usque ad verba: „ad comitatum oportet nisi ad relationem iudicis ad quem" (c. 4 i. f. meae edit.)[1].

VI. Cod. Vatican. 1344. membr. fol. saec. XIII. ineunt. foliorum 163. Praemisso in fol. 1 ordine narrationis de pravitate Dioscori Alexandrini (cf. c. 43 coll. Quesnell.) in eod. fol. verso incipiunt collectionis Pseudo-Isidorianae decretales a papa *Simplicio* usque ad *Gregorium M.*, quales sunt in codice Rotomag. supra descripto, pluribus tamen epistolis additis quae in manuscriptis memoratis non leguntur. Inseruntur enim: a) post primam *Simplicii* epistolam alia ad Acacium: „cogitationum ferias" (Jaffé 357), et post secundam aliae IV: ad Zenonem: „inter opera divinae providentiae" (Jaffé 344), ad Acacium: „litteris tuae dilectionis" (Jaffé 345), ad Iohannem Ravennatem: „si quis esset" (Jaffé 351), ad Florentium, Equitium etc.: „relatio nos vestrae" (Jaffé 339), quae duae posteriores epistolae sunt capita II. Simplicii in collectione Hadriano-Dionysiana exhibita, iam in codice Paris. 3852 addita. — b) Ante epistolas 10 *Hormisdae* duae aliae epistolae: 1) Iustini imperatoris ad eundem papam: „quo fuimus et quo sumus", 2) exemplar precum directum ad Iustinum ab Hierosolymitanis etc. (cf. Merlini coll. concil. p. 261)[2]. — c) Post duo decreta ad *Silverium* papam pertinentia adiecta est tertia epistola Silverii ad Vigilium, quae in vetustioribus huius classis codicibus „damnatio Vigilii" inscripta inter epistolas Leonis M. invenitur. — d) Ex decretis *Gregorii M.* exhibentur in codice: 1) synodus sub eodem papa habita, 2) epistola ad Augustinum, 3) duae ad Leandrum, 4) ad Reccaredum, post quam in ceteris omissae inseruntur: 5) ad Etherium Lugdunensem: „caput nostrum" (Jaffé 1263), 6) ad Brunichildam: „postquam excellentiae" (Jaffé 1266). Sequuntur epistolae eiusdem ad Theotistam, ad Secundinum, et excerpta ex epistolis Gregorii, quae in ceteris inveniuntur. — e) Ante decreta Gregorii iunioris adduntur: „*Incipiunt decreta sinodica Martini papae contra Theodorum et Cyrum quondam episcopos ac socios eorum hereticos damnans eos quod unam naturam, unam voluntatem atque operationem in filio dei asserebant*", qui sunt canones XX a concilio Lateranensi sub Martino I. papa a. 649 habito statuti (cf. Mansi 10, 1151).

Capitulorum Angilramni quae post decreta Gregorii iunioris proferuntur, inscriptio est: „*Incipiunt capitula quae ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilramno Mediomatrice urbis episcopo Rome a beato papa Adriano tradita XIII. Kal. Octobr. indictione nona quando pro sui negotii causa agebatur*[3]."

[1] Post capitula Angilramni eaedem res quae in London. cit. adiectae inveniuntur usque ad epistolam Honorii II.: „sponsa Christi", quae est in p. 1384. Adiunctus est codici alius codex in quo legitur: „expositio fratris Nycolai Treueth Anglici ordinis praedicatorum super Boetio de consolatione", scripta manu saec. XV. Aliae lacunae non inveniuntur in codice: quamquam enim pag. 519am sequitur 601a, 619am 701a, 719am 801a, 819am 901a, 919am 1001a, inter eas nihil omittitur, solum paginae erronee numeratae sunt. — [2] Quae epistolae in fol. 115 codicis leguntur, sequentes epistolae Hormisdae autem in fol. 44; sed illae ad hunc locum revocandae sunt, cum folium 115 in compingendo manuscripto a bibliopego non suo loco positum sit, initium enim exemplaris precum invenitur in fol. 115, finis in fol. 44. — [3] In ceteris codicis foliis a 94o usque ad 163um multa alia leguntur quae ad collectionem Pseudo-Isidorianam non pertinent, quae tamen affero, quia etiam ex his colligi potest, codicem huic classi adtribuendum esse. Sunt: 1) decretum Gregorii I. de monachorum monasteriorum libertate: „quam sit necessarium" (Jaffé 1138), quod invenitur etiam in Vat. reg. 1054; 2) excerpta epistolarum eiusdem apud Philippum Jaffé sub numeris 1154, 1113, 1268, 997, 952 allatarum quae agunt de rebus monasticis; 3) decreta Nicolai I. de causa Rothadi episcopi Suessionensis: epistola Nicolai ad Hincmarum Remensem: „sanctitatem vestram" (Jaffé 2053), ad eundem: „beatitudinis tuae" (2052), ad episcopos in „Silvanectis": „scriptis dilectae" (2054), ad Rothadum: „cognoscat experientia" (2058), ad eundem: „sciat sanctitas" (2065), ad Carolum Calvum: „cum vos tantae" (2066), ad Armintrudem: „litteras dilectionis" (2067), ad Hincmarum Remensem: „ad fraternitatem" (2082), libellus proclamationis Rothadi (Mansi 15, 681), epistola Nicolai ad universos episcopos: „notum sit" (Jaffé 2097), ad Carolum: „quamquam Rothadum" (2098), ad Hincmarum Remensem: „si coram tuae" (2099), ad episcopos Galliae: „quamvis singularum" (2100), ad clerum Suessionensem: „sicut priorum" (2101), ad Rothadum: „decessorum exempla" (2102); 4) epistolae Vitaliani papae ad Paulum

VII. Cod. Paris. Sorbonne 729. chartac. fol. saec. XV. foliorum 297. In prioribus 2 foliis invenitur catalogus Romanorum pontificum a Petro usque ad Nicolaum (I. 858—867), Adrianum (II. 867—872), Iohannem (VIII. 872—882), Marinum (I. 882—884), Agapitum (II. 946—955), et tabula decretalium primae seriei et conciliorum.

In fol. 1 legitur praefatio [1], sequuntur epistola Aurelii Carthaginiensis ad Damasum, rescriptum eiusdem papae, ordo de celebrando concilio, epistola Hieronymi ad Damasum: „Gloriam", canones apostolorum, epistolae subditiciae a Clemente usque ad Melciadem. Concilia in codice omittuntur; epistolam Melciadis excipit tabula secunda decretalium pontificum, auctior tamen quam exhibetur in codicibus vetustioribus huius classis [2], cui adduntur ceterae decretales, ut leguntur in cod. Par. inter suppl. lat. 840; sed a) deest ut in codd. Londin. Cotton. Claud. E. V et Cantabr. D. I. 10. 11. additamentum epistolae *Innocentii I.* ad Felicem Nocerinum haustum ex Leonis M. epistola ad Anatolium. b) Quamquam omnes *Leonis M.* epistolae excepta inter eas posita damnatione Vigilii exhibentur, tamen epistolae quae p. XXVII. no. 107 bis (cf. epist. 5, 26, 52, 58) leguntur non repetuntur; ordo earum hic est: 17, 18, 19, 26, 27, 10, 11, 6, 28, 7, 29, 30—44, 1—4, 20, 12, 22, 10, 21, 8, 15, 14, 13, 23—25, 9, epistola ad Dorum, 45—55, 57. c) Inter decretum *Hilari* et epistolam secundam eiusdem inseruntur epistolae duae ex Hadriano-Dionysiana collectione: „quoniam cor apostolatus" et „etiamsi nulla", quas Paris. 3852 quoque exhibet. d) Post primum *Simplicii* epistolam adduntur duo decreta eiusdem papae ex collectione Dionysiana, quae in Par. cit. quoque et Vatic. 1344 inveniuntur. e) Damnatio *Vigilij* ut in Vatic. cit. ponitur post decreta Silverii papae.

A decretis *Gregorii* usque ad capitula Angilramni fere eadem quae in cod. Vatic. 1344 exhibentur. Capitulis Angilramni inscriptio est: „*Incipiunt capitula quae ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilramno Mediomatricae urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kalend. Octobr. indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur.*" Post quae capitula proferuntur epistolae duae Isidori exhibitae in codd. Rotomag., Vatic. 3791, Abrinc., Vatic.

Cretensem: „decimo nono" (Jaffé 1614), ad Vaanum: „semper celsitudo" (1615), ad Paulum Cretensem: „ad cognitionem" (1616), ad Georgium Syracusanum: „gesta sive sententiam" (1617), quae omnes in editione Merlini p. 283, 284 leguntur; 5) epistolae duae Isidori Hispalensis quae inveniuntur etiam in Rotomag., Vatic. 3791, Abrinc.; 6) sanctiones sparsim collecte etc., quas iidem Rotomag. et Vat. 3791 exhibent; 7) „epistolae sancti Cyrilli Alexandrini episcopi in praedicto sancto concilio recitate et ab universis approbate" (ad Nestorium [Mansi 6, 659] et ad Iohannem l. c. 666); 8) „Incipiunt capitula sancti V[i] concilii Constantinopolim celebrati sub Iustiniano" l. c. 9, 558; 9) excerpta synodi VI. Constantinopolitanae; 10) „Ambrosii libellus de vita et ordinatione presbiterorum" (ed. Bened. Tom. II. opp. p. 357), cui excerpta ex scriptis eiusdem, Hieronymi, Augustini, conciliorum, decretalium de hereticis et de ratione recte christianeque vivendi subiciuntur. 11) In fine codicis extant concilia Nicaenum, Constantinopolitanum I., II., Ephesinum, Chalcedonense cui subiicitur formata Attici, Carthaginiense I., II., omnia desumta ex collectione Hispana; inter concilium Constantinopolitanum et Ephesinum inserta sunt epistolae quaedam Leonis II. et Benedicti II.: et quidem Leonis II. ad episcopos per Hispaniam: „cum diversa" (Jaffé 1631), ad Quiricum: „ad cognitionem vestrae" (1634), ad Simplicium: „cum singulare sit vestrae" (1633), epistola Benedicti II. ad Petrum: „iuxta quod" (1636), Leonis II. ad regem Ervigium: „cum unus extet" (1632).

[1] „*In nomine domini Iesu Christi incipit prefatio sancti Isidori libri huius consiliorum. Ysidorus Marcator servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fidei salutem.*" — [2] Cuius tabulae ulteriores tituli hi sunt: *CLXXXIII. Incipiunt decreta synodica Gregorii papae. CLXXXIV. Epistola eiusdem Gregorii papae de expositione diversarum rerum quam transmisit in Saxoniam ad Augustinum episcopum etc. CLXXXV. Item epistola eiusdem Gregorii ad Leandrum Spalensem episcopum de simpla mersione baptismatis. CLXXXVI. Item epistola eiusdem Gregorii ad eundem Leandrum Spalensem episcopum. CLXXXVII. Item eiusdem papae ad Reccaredum regem Vvisigothorum. CLXXXVIII. Item eiusdem Gregorii papae Aetherio Lugdunensi episcopo directa. CLXXXIX. Item eiusdem Gregorii papae Brunichildae reginae directa. CXC. Eiusdem Gregorii papae ad Theotistam patriciam. CXCI. Item eiusdem Gregorii papae Secundino servo dei recluso directa.*

1344, synodus I. Ephesina versionis Hispanae, deinde omnia quae in describendo Vatic. 1344 (p. XXXVII. annot. 3 sub numeris 6—9) enumeravimus[1].

VIII. Cod. S. Marci Venet. IV. 47. XCIV. 3. chart. saec. XV. fol., qui fere in omnibus cum codice Sorbonne 729, etiam in eis quae post epistolas Gregorii M. adiecit conspirat. Inscriptio capitulorum Angilramni est: „*Incipiunt capitula quae ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis presulum ac principum Romanorum sparsim collectas et Engilkamno Mediomatrice urbis episcopo a beato papa Adriano*“ etc., ut in Sorb. 729.[2]

Codices Vaticanum 1344, Parisiensem Sorbonne 729, Venet. IV. 47 ex exemplari manuscriptis Paris. int. suppl. lat. 840, Rotom., Paris. 3852 simili profluxisse interque se cohaerere ex iis, quae in illis describendis attulimus intelligitur. — Sunt etiam alii codices, derivati ex ea forma, quam Andegavensis, Carnotensis 140, Vindocinensis, Vatic. reg. 1054 exhibent, hi:

IX. Cod. Casanatensis D. III. 16 (olim A. II. 14) chart. fol. saec. XV. In prioribus foliis (1—20) leguntur: a) „Incipit orthodoxa defensio imperialis: preteritorum est consuetudo medicorum — vigor accrescat“, scripto a quodam monacho Farfensi; b) Alexander III. Salernitano episcopo cet.: „Licet praeter solitum — et alter remanere in seculo“ (c. 3. X. de sponsa duor. IV. 4, c. 2. eod. de conversione coniugat. III. 32); c) capitula concilii generalis Lateranens. sub eodem Alexandro III. a. 1179 celebrata. Praefatio: „*Incipit praefatio sancti Hysidori libri huius. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem*“ etc. extat in fol. 1, post quam exhibentur praemissis iisdem rebus quae in codicibus citatis inveniuntur, epistolae *Clementis* usque ad *Melciadem* et concilia a *Nicaeno* usque ad *Hispalense secundum*.

X. Cod. Parisiens. 3855. membr. 4. saec. XV. foliorum 149. exhibet easdem quas Casanat. res. Ante praefationem occurrit catalogus provinciarum, qui etiam in fine Rotomag. et Vatican. 3791 atque in principio Abrincensis, Londinensis, Cantabrig. legitur. Praefationis initium est: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit prefatio Ysidori episcopi. Isydorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et perene in domino fidei salutem.*“ In conciliis exhibendis Constantinopolitanum I., Ephesinum I., Chalcedonense suis locis omissa inter Nicenum et Anciritanum inseruit. Desinit codex in verbis c. 17. conc. VI. Tolet.: „auctoritate munire salubriter ordinata“, quibus amanuensis addidit: „explicit, expliceat, ludere scriptor eat.“ In cetera parte codicis (a fol. 111 usque ad fol. 149) inveniuntur opuscula quaedam Hilarii Pictaviensis et S. Augustini[3].

XI. Cod. Londin. Musei Britann. King's library 11. D. IV. membr. fol. s. XV. foliorum 228. quem hic commemoravi, quia in duas partes divisus in prima decretales, ut alter Londin. supra descriptus et Cantabrig., in secunda vero concilia, ut Andegavensis et cum eo cohaerentes codices exhibet. In principio legitur prima tabula decretalium et conciliorum et postea secunda (usque ad „CXXXIX. decreta Nicolai“) quas sequuntur tituli capitulorum epistolarum pontificum a *Siricio* usque ad *Gregorium* et conciliorum ab *Anciritano* usque ad secun-

[1] In fine codicis leguntur: „Iste liber est patrum magistrorum de Sorbona in theologie facultate studentium ex dono magistri Francisci Perez, alias Fernandi Hispani Toletani, socii huius domus et prioris anno 1496.“ — [2] In fine codicis adduntur versus quorum initium est:

„Pontificum Romanorum decreta vel acta
Ordine disposito tenet hic inserta libellus.
Hunc abbas Odilo describi corde benigno
Iussit et hoc propere devota manus famulantis
Complevit monachi Bertramni nomine dicti,
Pontificesque sacros reverendas fundere voces“ etc.

[3] Hilarii lib. de trinitate contra hereticos (ed. Bened. Par. 1693 p. 1149), Augustini de fide rerum invisibilium (ed. Ben. VI. p. 141), eidem ascriptus liber „de diffinitionibus recte fidei et ecclesiasticorum dogmatibus“ (l. c. Tom. VIII. app. p. 75), „lib. responsionum b. Augustini ad questiones Orosii“, eiusdem de diversis heresibus (VIII. p. 1), de correptione et gratia (X. p. 750), „liber b. Hylarii de essentia patris et filii contra hereticos“ (ed. Ben. p. 1375, 1376).

dum *Hispalense*. Praefatio cuius initium est: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio Ysidori Hispanensis episcopi huius libri qui dicitur dicta pontificum vel decreta sanctorum patrum. Ysidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem*“ invenitur in fol. 12, subiiciuntur epistola Aurelii ad Damasum, rescriptum Damasi, ordo de celebrando concilio, epistola Hieronymi ad Damasum. Sequitur series I[a] decretalium a Clemente usque ad praefationem Nicaeni concilii, praemissisque verbis: „*Incipiunt decreta quedam venerabilium sancte Romane ecclesie apostolorum et primo quedam excerpta ex sinodalibus gestis sancti Silvestri pape*“ decreta reliquorum pontificum usque ad Gregorium M. omnia eodem modo eodemque ordine quo Londin. cit. prolata sunt. Gregorii M. quoque eaedem epistolae eademque decreta inveniuntur: epistola ad Secundinum, ad Augustinum, synodus, quibus subiiciuntur: decreta Gregorii iunioris, capitula Angilramni quorum inscriptio deest[1], decreta Nicolai II., iuramentum Berengarii. Deinde in fol. 144 legitur: „*Expliciunt decreta Romanorum pontificum. Incipit liber canonum et pars secunda.*“ Cuius partis initio leguntur: „*prima est synodus*“ etc. (tractatus de VI synodis, cf. c. 10. D. XVI.) et „*adnotatio prima*“ etc. (c. 11. eod.) usque ad verba: „*vicesima secunda*“, quibus adscripti sunt numeri XXIII—XXIX, verbaque: „*consilia hispanie, consilium Elibertinum XVIII episcoporum. XXX. Synodus Toletana LXVIII episcoporum*“. Sequitur: ordo de celebrando concilio, principium praefationis Hispanae: „canones generalium — continentur“, excerpta quaedam praefationis Pseudo-Isidorianae, tabula conciliorum, tabula decretalium quae in collectione Hispana sunt, canones apostolorum. Deinde leguntur concilia a *Nicaeno* usque ad *Hispalense II.*, sicut in Andegavensi exhibentur, omissa tantum praefatione concilii *Bracarensis* inter concilia IV. et V. Toletana; tum verba: „*ordo epistolarum vel decretorum pontificum in hoc libro: beati Clementis*“ etc. (alia tabula complectens epistolas usque ad Melciadem), „*sequitur exemplar Constantini imperatoris ad beatum Silvestrum papam, ubi* etc., *postea prologus ponitur Niceni concilii ibi canones generales cum eodem concilio subsequente quod incipit beatissimo Silvestro*“ et catalogus provinciarum, qui est in Rotomag., Vatic. 3791., Abrinc., Londin. altero, Cantabrig.

XII. Postremo huic classi A1 attribuendus est cod. Florentinus Laurent. Plut. XVI. cod. 18, perg. fol. scriptus a. 1490 a quodam presbytero Martino Antonio[3], qui litteras saeculi undecimi in eo conscribendo imitatus est. Non integram collectionem, tantum singulas eius epistolas exhibet, inter quas multas alias res, quae non sunt Pseudo-Isidori, inseruit. In fol. 1 legitur epistola I[a] Clementis, sed pro additamento a Pseudo-Isidoro conficto, quod in codice deest, subiiciuntur post verba: „*iam que praecepit incipiam*“ (c. 20. pr.) duae epistolae: a) „*P. episcopus servorum dei venerabilibus fratribus I. Grandensi metropolitano et eius comprovincialibus*“ et b) „*P. episcopus servus servorum dei dilectissimis fratribus episcopis et clericis, duci, nobilibus et populo Venetiae*“, quas publici iuris feci Paschalique II. papae vindicavi in Zeitschrift für Rechtsgeschichte Tom. II. p. 468. Sequuntur decretales Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti I., Thelesfori, „*Ygini*“, Annicii, Pii, „*Lotheri*“, Eleutherii, Victoris, „*Rephesini*“ (pro „Zepherini“), Calisti, Urbani, „*Bontiani*“, ceterae omnes usque ad Melciadem, sicut in prioribus codicibus exhibentur, dein: „*nemo qui scripturas divinas*“ etc. et exemplar constituti Constantini. Insertis excerptis quibusdam decretorum Stephani I., Gregorii VII., Nicolai I., Gregorii I. adduntur excerpta ex synodalibus gestis Silvestri, decreta ad Marcum, Iulium, Liberium, Felicem II. pertinentia, epistola Iulii: „Congaudeo“, quae

[1] In tabula initio codicis posita sic notantur: „*capitula diversarum sanctionum praesulum sive principum ab Adriano papa Ingelranno episcopo Metensi tradita.*“ — [2] Legitur in fine codicis manu recentiore scriptum: „Iohel Theyer senior de Cowper's hill in comit. civit. Glouc. 5° Iulii a. dni. 1653.“ — [3] In calce enim codicis legitur: „*finis, laus sit Iesu Christo de isto opere finito. Amen. Opus absolutum XI. Kal. April. anno salut. M°CCCC°LXXXX° per me presbyterum Martinum Antonium Florentinum. Deo gratias.*“

exhibetur in Cassiod. hist. trip. lib. IV. c. 29, alia epistola Liberii: „in nichilum est", „*Leo papa de ieiunio mensis decembris: huius observantiae*" (sermo XIX. Leonis M. de ieiunio decimi mensis VIII. inde a c. 2. cf. Op. ed. Ball. Tom. I. p. 59), Liberii epistola: „Optabile" quae legitur in Cassiod. hist. trip. lib. VII. c. 25, quae omnia eodem ordine (exceptis epistolis quae ex Cassiodoro desumtae sunt, sermoneque Leonis M.) etiam in prioribus codicibus inveniuntur. Tum exhibet codex *Damasi* papae a) epistolam ad Paulinum: „per filium meum Vitalem", quam p. XXV. sub no. 99[1] a enumeravi, b) epistolam quae apud Cassiod. (hist. trip. IX. 15) legitur (cf. supra no. 99 k); c) epistolam Stephani (cf. no. 99 e); d) „*professio fidei catholicae quam papa Damasus destinavit ad Paulinum episcopum Antiochenum*", non ut in codd. aliis Pseudo-Isidorianis (cf. 99 d), sed ut in collectione Hispana legitur. Tum insertis excerptis ex diversis conciliis et epistolis paparum sine ordine repetitis sequuntur epistolae *Siricii* duae priores quae in Hispana ceterisque codicibus Pseudo-Isidorianis habentur, et rescriptum *Ambrosii* aliorumque episcoporum quod extat apud Coustant (epistolae Romanorum pontif. p. 669).

Sequuntur epistolarum Innocentii I. a) quattuor primae collectionis Hispanae, b) epistolae ad Maximum et Severum: „ecclesiasticorum", ad Agapitum: „multa in provincia", ad Rufum: „mora coepiscoporum", ad Florentium: „non semel", ad Probum: „conturbatio", ad Aurelium: „acceptissimi", ad Iulianam: „singulare", ad Aurelium de pascha: „charitatis nostrae", ad Bonifacium: „ecclesia Antiochena", ad Alexandrum: „quam grata mihi", ad Maximianum: „miramur prudentiam", ad Alexandrum: „apostolici", ad eundem: „et onus et honor", ad Laurentium: „diu mirati sumus", epistola familiaris V episcoporum ad Innocentium: „de duobus conciliis", rescriptum Innocentii ad eosdem, epistola concilii Milevitani, responsio Innocentis ad idem data, quae omnes leguntur non tamen eodem ordine in codicibus supra descriptis et quarum priores in collectione Hispana, posteriores IV autem in collectione Quesnelliana inveniuntur. Insertis epistola *Constantii*[2] imperatoris ad Volusianum praefectum urbis edictoque proposito ab eodem Volusiano (quae in nullis aliis Pseudo-Isidorianis[3], sed in collect. Quesnell. c. 19. 20. leguntur) subditur epistola Innocentii I. ad Rufum: „magna me gratulatio."

Postremo adiiciuntur epistolae *Zosimi*, *Bonifacii I.*, *Coelestini I.* eaedem, quas ceteri Pseudo-Isidoriani codices exhibent.

§. 4. C. De codicibus classi A2 attribuendis.

Codices classi A2 adnumerandi sunt:

1) Cod. Parisiens. 4280 AA. saec. X.
2) Cod. Pistoriens. no. IX. saec. XI.
3) Cod. Lucens. no. 123. Plut. II. saec. XI.
4) Cod. Bamberg. C. 47. saec. X. exeunt. et saec. XI. ineunt.
5) Cod. Valicellan. D. 38. saec. XI.
6) Cod. Eporediens. 83. saec. X. exeunt. aut saec. XI. ineunt.
7) Cod. Sangallens. 670. saec. X.
8) Cod. Darmstadtens. 114. saec. XI.
9) Cod. Vatican. 4873. script. a. 1566.
10) Cod. Matritens. Ff. 8. saec. XVI. aut XVII.

[1] In fine epistolae adduntur verba, quae in ceteris codicibus non inveniuntur: „*si quid illud est quod de homine salvator noster suscipere timuit aut si tam vituperabile malum fuit quod ipse suscipere formidavit, quod pavit in homine quod condidit et suscipere in homine vitavit, itaque dominicus homo rationabilis et intelligibilis quod Graeci dicunt neo pos confitendus est.*" — [2] In codice Constantino adscribitur, incipit enim, omissa inscriptione: „imperator Constantinus Volusiano praefecto urbis salutem." — [3] Qua ex causa supra (§. 1) hunc codicem ex Florentino S. Marci 182 exscriptum videri asserui, Ballerinii enim (l. c. P. III. c. 6. §. 6. no. 26) in codice S. Marci ut videtur nunc deperdito describendo dicunt: „nam post Innocentii epistolas addit legem imperatoris Constantii ad Volusianum et ipsius Volusiani edictum."

11) Cod. Vatican. 3788. saec. XII.
12) Cod. Parisiens. 3854. saec. XII.
13) Cod. Vatican. 629. saec. XII.
14) Cod. S. Marci Venet. IV. 48. XCIV. 3. saec. XV.
15) Cod. Parisiens. Navarre 7. saec. XII. excunt.
16) Cod. Parisiens. 5141. saec. XIV.

Sunt codices in quorum aliquibus iam Arminius Wasserschleben (apud Herzog l. c.) recte animadvertit tantum decretales a Clemente usque ad Damasum exhiberi et quidem singulas cuiusque pontificis in capita continua distinctas. Attamen nobis qui ipsi omnes codices citatos excepto solo Eporediensi evolvimus accuratius de iis agendum erit, cum persuasum habeamus eos ex eodem exemplari quo codices A1 derivatos esse, quamquam illam Pseudo-Isidorianae collectionis partem quae in eis habetur, diversis sub formis exhibent.

Primum quidem disseram de codicibus sub 1—3 enumeratis:

I. Cod. Parisiens. 4280 AA. membr. 8. saec. X. foliorum 327.

II. Cod. bibliothecae canonicorum cathedralis Pistoriensis no. IX. membr. fol. saec. XI.

III. Cod. bibliothecae canonicorum cathedralis Lucensis no. 123. Plut. II. membr. fol. saec. XI.

Quorum initio hae rubricae leguntur:

„Narrationis ordo de pravitate Dioscori Alexandri.
Item beati Simplicii urbis Rome episcopi ad Acacium.
Item exemplum episcopale quod misit ad suprascriptum papam.
Item Felicis episcopi ad Acacium.
Item domus[1] Gelasii papae ecclesiae Rome.
Item sancti Gelasii ad Faustum.
Item epistola sancti Gelasii ad Anastasium imperatorem.
Item eiusdem ad Dardanos.
Item eiusdem ad Orientales episcopos.
Item de evitanda communione Acatii.
Item sancti Gelasii ad Eufimium.
Item epistola beati Gelasii ad Succonium episcopum Affrum.
Item eiusdem ad Natalem abbatem."

cui tabulae similem Rosshirtius (zu den kirchenrechtlichen Quellen des ersten Jahrtausends p. 51) iam ex codice Bambergensi (de quo infra) edidit. Sunt tituli documentorum ad causam Acacii spectantium in collectionem redactorum quam fratres Ballerinii in codice Veronensis capituli signato no. 46 repertam in diss. de ant. can. coll. P. II. c. 11. §. 2. descripserunt. Subiicitur catalogus pontificum Romanorum a Petro et quidem in Parisiensi et Pistoriensi usque ad Benedictum III. (855—858), in Lucensi autem adduntur nomina: Nicolai (I. 858—867), Adriani (II. 867—872), Iohannis VIII. 872—882), Marini (I. 882—884), Agapiti (II. 946 – 955).

Catalogum praemissis verbis: „*incipiunt tituli praefationis sancti Isidori*"[2] sequitur tabula rubricarum capitum, quibus singulae decretales distincta sunt et quidem ita ut omnes cuiusque papae epistolae numeros capitum continuos, ut in collectione Dionysiana, exhibeant neque numeri initio posteriorum decretalium eiusdem papae positi a numero primo incipiant. Primos ponit tabula titulos praefationis XIV inter eos complectens sub numeris XII et XIII epistolam Aurelii ad Damasum eiusdemque papae rescriptum et sub numero XIV ordinem de celebrando concilio, deinde titulos 85 capitum epistolarum V. Clementis, ceterarumque epistolarum usque ad *Melciadem*, quae in vetustioribus codicibus A1 exhibentur. Melciadi etiam tituli capitum tractatus de primitiva ecclesia (cum titulis capitum epistolae

[1] Sic pro „tomus" 3 codices laudati habent. — [2] Sic cod. Lucensis. Par. cit.: „Isodori", Pistor.: „inc. titula praephacionis scti Ysidori."

eiusdem explentes numerum XV) adscribuntur. Sequuntur V tituli capitum, quibus exemplar constituti Constantini imperatoris distinguitur. Deinde exhibentur tituli decretorum a *Marco* usque ad *Damasum* papam[1].

Post quam tabulam leguntur textus praefationis ceterarumque decretalium in ea indicatarum repetitis numeris titulisque capitum. Praefatio incipit: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefacio sancti Ysidori libri huius cuius hec sunt capitula. Quod compellatur a multis episcopis et reliquis servis dei canonum sentencias in hunum colligere. Isidorus Mercatus servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fidei salutem.*“ Sic Paris. laudatus. Pistoriensis et Lucensis legunt: „*Isidori libri huius.*“ „*Mercatus*“ etiam in Pistor. invenitur, in Lucensi antea legebatur, attamen atramento alii coloris correctum est in: „*Mercator*“.

De modo qualiter codices singulas res exhibeant, haec affero: 1) In Pistor. et Lucens., in altero quidem alia, in altero eadem manu post ultimam epistolam Alexandri inseruntur quaedam de separatione coniugum: „*praeceptam domini est*“ etc. (Mansi 1, 645). 2) Exemplar constitutum Constantini non integrum in codicibus invenitur, sed tantum usque ad verba: „*integrae me sanitatis comperi.*“ 3) Decretorum *Liberii* postrema epistola: „in nichilum“ quae in codicibus classi A1 adnumeratis post epistolas ad Felicem II. ponitur, cum prioribus decretis Liberii coniuncta est eaque sequitur ita ut Felici Damasi epistolae subdantur. Epistola Ennodii: „ut tradit“ (lib. II. ep. 13) et nota consularis: „*data XV. Kal. Mart. Beato et Iuliano vv. cc. conss.*“ quae in codicibus classis A1 legi supra dixi, etiam his in codicibus habentur. 4) *Damasi* decretorum tantum priora quae in codicibus classis A1 sunt, exhibentur: a) ad Paulinum Antiochenum, b) epistola Damasi ad Hieronymum, cui idem quod in codicibus memoratis additamentum subiungitur, c) rescriptum Hieronymi ad Damasum, d) „*Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum de damnatione quorundam hereticorum*“, e) epistola Stephani et trium conciliorum ad Damasum papam, f) rescriptum apocryphum Damasi ad eosdem. Post quod in omnibus 3 codicibus ponuntur integri canones Silvestri, Hieronymo adscriptum opusculum de VII gradibus ecclesiasticis ad Rusticum Narbonensem (op. Hieronymi ed. cit. Tom. XI. P. II. p. 157), epistola Gregorii ad Augustinum, cuius initium similis est illi quod Ballerin. l. c. (P. III. c. 8) ex codice Vat. 1343 publicaverunt. In media hac epistola desinit cod. Lucensis, quam codices Parisiensis et Pistoriensis integram exhibentes ante illam inserunt synodum I. sub Gregorio M. habitam excerptaque quaedam de separatione matrimonii, inter quae similia quaedam prolatis apud Gratianum c. 4. C. XXXV. qu. 2 et 3, c. 22. C. XXXII. qu. 7, c. 2. C. XXXIII. qu. 1 leguntur.

Adiicitur in Paris. alia manu saec. XI. „*iusiurandum contra hereticos*“ et postremo manu saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt. synodus Tolosae a. 1056 habita (Mansi 19, 847), in Pistor. autem variis manibus saec. XI. et XII. adduntur: a) excerptum constitutionis ad Ablavium datae iam initio codicis positum, b) excerpta canonum et decretalium de electione abbatissarum et de clericis superbis, c) „*versus de honore sacerdotum*“, „*de legendi studio*“, „*de debito septies laude*“, „*de sancto synodo*“, d) excerpta variorum conciliorum, quae leguntur in c. 1—20. lib. VI. Burchardi Wormat., e) „*de oblatione pro mortuis*“, f) epistola Gregorii M. ad Secundinum a verbis: „nam sanctitas tua“ (Op. ed. cit. II. 968), g) epistola Deusdediti ad Gordianum: „pervenit“ (Jaffé CCLXXIII. cf. c. 1. C. XXX. qu. 1), h) tituli decretalium pontificum Romanorum inde a Siricio usque ad Leonem M. ipsaeque epistolae a Siricio usque ad Hormisdam secundum collectionem Hadriano-

[1] Pistoriensis, in quo folia quaedam desunt, tantum inscriptionem tabulae et dein eiusdem posteriorem partem inde a c. 13 decretorum Iulii papae habet. Post finem addit excerptum constitutionis Constantini ad Ablavium datae: „Imperator Theodosius. Omnes itaque cause que vel praetorio iure vel civili tractantur negotio episcoporum sententiis terminate perpetua stabilitate permaneant nec liceat ulterius rectractari negotium quod omni sententia fuerit definitum.“ (Cf. Hänel, constit. Sirmond. p. 447. — Ben. Lev. II. 366, c. 36. C. XI qu. 1.)

Dionysianam, i) Vigilii duae epistolae (Jaffé 609. 610), k) acta Liberii, Sixti III., Polychromii, Marcellini (cf. Amórt, elementa iuris canonici, Aug. Vindelicior. 1757, p. 438 sqq.), l) tabula conciliorum et decretalium quae extant in collectione laudata.

IV. Codex Bambergensis C. 47. (P. I. 8) membr. fol. saec. X. exeunt. et XI. ineunt. foliorum 149. Est codex compositus duabus ex partibus, quarum prior folia 16 priora, altera cetera manuscripti folia comprehendit. In fol. 1 leguntur eaedem 13 rubricae collectionis decretorum ad causam Acacii spectantium, quae in Paris. 4280 AA, Pistoriensi, Lucensi; deinde sequitur catalogus Romanorum pontificum a Petro usque ad Benedictum III., quem citati quoque codices exhibent, in quo amanuensis omisit Stephanum II. et nomina pontificum Pauli (757—767) Stephanique IV. (768—772) post Stephanum III. desiderata in fine catalogi post Benedictum III. adiecit[1]. Tum profertur catalogus alter: „*incipiunt nomina episcoporum sanctae Mediolanensis ecclesiae. Anatelon* (53—61) *sed. annos XIII. ob. VIII. Kal. Octobr.*“ — „*Landulfus*“ (979—998) „*sed. annos XVIII. ob. X. Kal. April. sepultus est ad sanctum Celsum.*“ — „*Arnulfus*“ (998—1018)[2] „*sed. ann. XIX. m. VIII. d. VI. die V. Kal. Mart. sepultus est ad sanctum Victorem.*“ Ponitur post catalogum tabula titulorum capitum decretalium Pseudo-Isidorianae collectionis eadem quae est in 3 codicibus antea descriptis, subiuncto excerpto constitutionis ad Ablavium datae: „omnes itaque causae“ cet. Haec omnia eadem manu saec. XI. ineuntis et ratione habita catalogi episcoporum Mediolanensium paullo post a. 1018 scripta sunt.

In fol. 17—140 secundae partis codicis exaratae manu saec. X. exeuntis leguntur praefatio Pseudo-Isidoriana („*in nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio sancti Isidori huius. I. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parenti*“ [sic alia manu „*parens*“ quod antea erat, correctum] „*in domino fidei salutem*“), epistola Aurelii ad Damasum, rescriptum eiusdem, ordo de celebrando concilio, epistolae Clementis ceterorumque Romanorum pontificum usque ad Damasum, omnia sicut in aliis codicibus citatis proferuntur exceptis eis, a) quod in epistolis Liberii idem ordo, qui in codicibus A1 servatur, b) quod in textu decretalium numeri quidem fere omnes capitum inveniuntur, sed tituli saepius omittuntur aliique non raro cum annotationibus marginalibus codicis Parisiensis int. supplem. lat. 840 concordantes inveniuntur. Codex postea manu saeculi XI. adhibito altero exemplari Pseudo-Isidoriano correctus est. In margine folii 17', in quo praefatio incipit, leguntur manu saec. XI. scripta: „*istum librum sibi acquisivit Anselmus episcopus*“ (verisimiliter Anselmus episcopus Mediolanensis 1086—1093 aut Anselmus eiusdem sedis praesul 1097—1101. Cf. Pertz, SS. 10, 102 sqq.)

Decretalibus Pseudo-Isidorianis adiiciuntur eadem manu saeculi X. exeunt. exarata: „*excarsum ex dictis sanctorum Augustini et Iohannis* (scilic. Chrysostomi): *Si diligenter adtenditis fratres karissimi — per eum qui vivit et regnat in saeculo saeculorum. Amen.*“ et liber Auxilii de ordinationibus a Formoso factis quem Rosshirtius (zu den kirchenrechtlichen Quellen des ersten Jahrtausends p. 63 sqq.) ut ineditum publicavit. (Cf. Richter, Kirchenrecht 5. Auflage p. 77.)

Adduntur variis manibus saec. XI. exeunt. aut saec. XII.: „*epistola Paschasii papae ad archiepiscopum Mediolanensem*“ (Jaffé 1941), cui in codice antea inscriptio erat: „*Widi monachi ad Haribertum archiepiscopum*“, homilia Leonis IV. (Mansi 14, 890), excerpta quaedam Gregorii M., Hieronymi, Isidori Hispalensis, quorum priora leguntur in c. 84. pr. §. 1. C. I. qu. 1.

Codicem non saeculo nono scriptum esse, id quod Rosshirtius l. c. contendit,

[1] In tribus foliis formae quadratae postea in codicem et quidem inter catalogum Romanorum pontificum et episcoporum Mediolanensium insertis proferuntur a) donatio Constantini imperatoris scripta manu saec. XI. et b) exaratum alia manu eiusdem saeculi iuramentum fidelium Ottonis (Pertz, Leg. 2, 29). — [2] Cf. Pertz, SS. 10, 102 sqq.

intelligitur ex catalogo episcoporum Mediolanensium, eadem manu qua catalogus Romanorum pontificum scripto et usque ad Arnulfum mortuum a. 1018 ducto. Ex eodem catalogo et ex inscriptione epistolae Widi mutata in: „Paschasii papae ad archiepiscopum Mediolanensem“ apparet, codicem non in Gallia, quod idem Rosshirtius affirmat, sed Mediolani exaratum fuisse. (Cf. quoque quae scripsi de hoc codice in Dove, Zeitschrift für Kirchenrecht Tom. III. p. 125. 126.)

V. Codex Valicellanus D. 38. membr. 4. saec. XI. foliorum 210. Praemissis 13 titulis collectionis ad causam Acacii spectantis catalogoque pontificum Romanorum usque ad Stephanum V. (816—817) profertur praefatio[1]: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio sancti Isidori libri huius. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem*“ ceteraque omnia usque ad decreta papae Damasi eadem forma eodemque ordine ponuntur, ac in Bambergensi, a quo tantum in eo discrepat, quod decretales non in capita distincta sunt.

Finis epistolae ultimae Damasi (epistolae ad Stephanum conciliaque Africae) inde a verbis: „*libat quidem domino prospera*“ deest, cum folia plura etiam hoc loco exsecta sint.

In ceteris foliis adduntur epistolae Nicolai I. quaedam in causa Rothadi Suessionensis episcopi datae, fere eaedem quae in cod. Vatic. 1344 exhibentur, scilicet a Philippo Jaffé allatae sub numeris 2053[2], 2052, 2054, 2066, 2067, 2082[3], 2097, 2098, 2100, 2101, 2012, et epistola Vitaliani (Jaffé 1614), in qua non integra desinit codex.

VI. Codex Eporediensis 83. membr. 4. saec. X. exeunt. aut saec. XI. ineunt. in quo in fol. 1. praefatio ponitur et qui cetera omnia ut Valicellanus, sed integra usque ad epistolam Damasi ad Stephanum conciliaque Africae exhibet. Initium praefationis est: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefacio sancti Isidori libri huius. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem.*“ In verbo: „*Mercator*“ litera r (primae syllabae „mer“) paene erasum est, litterae „ato“ atramento alius coloris scriptae sunt, ita ut appareat postea voluisse aliquem corrigere „mercator“ in „peccator“.

Subiectis post ultimam epistolam Damasi verbis: „*deo gratias Amen*“ adduntur versus, quorum initium et finis est:

„Egregioque patri fer codicem milleque preces
„Summo Azo domino magnificoque viro
„Quem decorat pietas quem Christi gloria adornat
„Moribus in cunctis actibus atque piis.“
. . . .
. . . .
„Continet in parvis nostrorum dicta priscorum
„Aspice deus de supernis sedibus quos Agifredus
„Condidit versiculum de domno Azone viro
„Sacratissimo in tuo regno fac eum dignissimo placent . . . b . .
(placentem tibi)
„atque tuo filio qui tecum regnat et cum spiritu
„per infinita saecula et saeculorum saeculi.“

Cum Azo circiter a. 867 episcopus Eporediensis fuerit (cf. Ughelli IV. 1066) opinari licet, versus illos ab amanuensi alio ex codice transcriptos fuisse.

Codices 5 antea enumeratos artissime inter se cohaerere cum ex forma quae in eis decretalium est, tum ex eis quae eis anteposuerunt, intelligitur, quamquam certissimum est, Bambergensem et Valicellanum, qui ordinem decretorum

[1] Unum folium exsectum est, postrema enim verba folii 3 sunt: „et vulgares publicaeque“, prima autem folii 4: „non infirment quattuor esse.“ — [2] Initium huius epistolae in folio exsecto legebatur, incipiens verbis: „omni remota occasione indesinenter occurrant“ etc. — [3] Post quam epistolam inseritur, ut in Vatic. 1344, libellus proclamationis Rothadi (Mansi 15, 681).

Liberii mutaverunt, non ex eodem exemplari, ex quo Parisiensis 4280 AA, Pistoriensis, Lucensis ductos esse.

VII. Codex Sangallensis 670 membr. fol. scriptus duabus manibus[1] saec. X., non saec. IX. (ut Hänel catal. p. 704 dicit) foliorum 253 (paginarum 507 vel potius 506, cum numerus 246 bis positus sit), 36 quaternionum, quorum tantum 23 folia 8 complectuntur. In pag. 2 profertur tabula decretorum a S. Clemente usque ad Damasum manu saec. XIII. scripta, in pag. 3. Stephanus Baluzius scripsit: „*In hoc codice qui est vetustissimus et optimus continentur epistolae suppositiciae Romanorum pontificum a B. Clemente ad Damasum. Inter has tamen sunt quaedam quae falsae non sunt. In fine habentur epistolae XXXIII S. Gregorii papae. Steph. Baluzius.*"

Quamquam in principio mutilus non est, exhibet tantum decretales a secunda epistola S. *Clementis* ceteraque omnia eodem ordine quo Bamberg. et Valicell. cit.; *Damasi* papae decreta, quorum non plura quam in manuscriptis modo memoratis proferuntur, sequuntur inde a p. 422 usque ad finem epistolae *Gregorii M.:* 1) ad Bacaudam (ep. 8. lib. I. ed. Bened.), 2) ad Balbinum (ep. 15. lib. I.), 3) ad Natalem (ep. 19. lib. I.), 4) ad Anthemium (ep. 24. lib. I.), 5) ad Iohannem (ep. 25. lib. I.), 6) ad Venantium (ep. 34. l. I.), 7) ad Petrum (ep. 35. l. I.), 8) ad Anthemium (ep. 42. l. I.), 9) ad Felicem Sypontinum (ep. 53. l. I.), 10) ad Anthemium (ep. 68. l. I.), 11) ad Leonem (ep. 78. l. I.), 12) ad clerum nobilesque Corsicae (ep. 80. l. I.), 13) ad Hilarum (ep. 84. lib. I.), 14) ad Iohannem (ep. 14. l. II.), 15) ad Antonium (ep. 20. l. II.), 16) ad Benenatum (ep. 45. l. II.), 17) ad Iohannem (ep. 46. l. II.), 18) ad Columbum (ep. 48. l. II.), 19) ad Iohannem (ep. 50. l. II.), 20) ad Natalem (ep. 52. l. II.), 21) ad universos episcopos Corinthios (ep. 39. l. III.), 22) ad Columbum (ep. 48. l. III.), 23) ad Iohannem (ep. 56. l. III.), 24) ad Mauricium (ep. 65. l. III.), 25) ad Maximianum (ep. 11. l. IV.), 26) ad Ianuarium (ep. 27. l. IV.), 27) ad Constantinam (ep. 30. l. IV.), 28) ad Mauricium (ep. 40. l. V.), 29) ad Johannem (ep. 18. l. V.), 30) ad Sabinianum (ep. 19. l. V.), 31) ad Ciriacum (ep. 4. l. VII.), 32) ad Mauritios, Petrum etc. (ep. 7. l. VII.), 33) ad Eulogium (ep. 34. l. VII.), 34) ad Brunichildam (ep. 11. l. IX.), 35) ad Secundinum (ep. 52. l. IX.), 36) ad Syagrium, Heterium etc. (ep. 106. l. IX.).

Codex alio manuscripto Pseudo-Isidoriano adhibito postea alia manu correctus est. Distinctio in capita quae in Paris. 4280 AA, Pistor., Lucensi ubique, in Bambergensi nonnullis certe locis invenitur, in hoc codice plane neglecta est ac ne numeri quidem capitum textui interpositi sunt. Attamen dubium non est, codicem ex alio manuscripto capitum distinctionem titulosque eorum exhibentem transcriptum fuisse, cum in textu epistolae III. Fabiani post finem c. 27 verba: „*de eo qui pulsatus ante iudicem et de eo qui iratus crimen alicui obicit et quia scriptura probandum sit obiectum crimen*" legantur, quae sunt titulus c. 28 Fabiani et quae librarius in conscribendo codice titulos omittens incuria quadam hoc loco exscripsit.

VIII. Codex Darmstadtensis 114, membr. fol. saec. XI., non saec. X., foliorum 248. In fol. 1 legitur manu posteriori scriptum: „*S. Petri Coloniensis*". Exhibet codex omissis praefatione et rebus quae eam sequuntur, epistolas a prima *Clementis* usque ad *Damasum*, ita ut ceteri huius classis manuscripti. *Damasi* decretorum tantum 4 proferuntur: a) epistola Hieronymi: „supplex", b) concilium Romanum, c) epistola Stephani et conciliorum Africae, d) rescriptum Damasi ad Stephanum. Duae epistolae quae in reliquis praemittuntur, epistola ad Paulinum et ad Hieronymum in codice non habentur, attamen folia in quibus antea legebantur, deesse videntur[2]. Codex, ut Bambergensis et Sangallensis, alia manu

[1] Prima manus solas priores 18 paginas scripsit, quae comprehendunt epistolam secundam Clementis tertiaeque partem priorem usque ad verba: „et aeris ipsius dedit veritatemque in querere prae..." — [2] In prioribus quaternionibus quaedam ex prima epistola *Clementis* omittuntur, quaedam ex eiusdem et *Anacleti* epistolis bis leguntur. Primus enim quaternio continet fol. 1—9, secundus fol. 13—19, inter quos postea insertus est quaternio comprehendens fol. 10—12.

correctus est. Profert eadem capita numeris et titulis adiectis quae habentur in Paris. 4280 AA, Pistor., Lucens.

Adduntur ultimae epistolae *Damasi* 36 epistolae *Gregorii M.*, quas in codice *Sangallensi* describendo enumeravi, et epistola Felicis episcopi eidem papae (op. Greg. M. ed. Bened. II. p. 1274) rescriptumque Gregorii M. Felici directum (l. c. p. 1276). In fine codicis exhibetur initium c. 5 conc. II. Toletani et excerptum synodi Gregorii iunioris. — Hoc loco enumerandi etiam hi sunt:

IX. Codex Vatican. 4873 chart. fol. quem exaravit, ut in fine eiusdem legitur, „1566 *Vincentius Navarra bibliothecae Vaticanae Sanctissimi scriptor*", foliorum 170. et

X. Codex Matritensis Ff. 8. chart. fol. saec. XVI. aut XVII. foliorum 151, qui duo a II^a epistola Clementis decretales easdem, eiusdem formae, eodem ordine, ac cod. Sangall. et Darmst. proferunt, tamen ut Valicell. et Sangall. neque capitum titulos neque numeros exhibent. *Damasi* illae VI epistolae leguntur, quae sunt in Par. 4280 AA, Pistor., Lucens., Epored., Sangall. Decretalibus Pseudo-Isidorianis in ambobus codicibus subiiciuntur primae 15 epistolae Gregorii M. quas Sangall. et Darmst. continent. In Vatic. nihil amplius excepto nomine amanuensis, in Matrit. epistola *Zachariae* Theodoro episcopo Ticinensi scriptae: „pitacium quod nobis" (Jaffé 1758) additur.

Quamquam codices duo artissime inter se cohaerent, tamen ex eodem manuscripto descripti non sunt, cum in Matrit. desint finis epistolae *Annicii*, decretales *Sotheri*, *Eleutherii*, *Zepherini*, *Calisti*, *Urbani*, *Pontiani*, initium epistolae *Anteri*. Verba enim epistolae Annicii: „*venient illusores secundum deside* . . ." (c. 4) sine ulla intermissione aut distinctione sequitur epistola *Anteri* a verbis: „*scitote eam communi utilitate*" (c. 2)[1].

Sunt etiam alii codices huic classi attribuendi, qui tamen quibusdam in rebus a ceteris discrepant, et quidem:

XI. Codex Vatican. 3788 membr. 4. saec. XII. foliorum 215. Simili ex exemplari ex quo Paris. 4280 AA, Pistor., Lucens. derivatum codicem ostendunt canones *Silvestri* integri, libellus *Hieronymo* adscriptus de gradibus ecclesiasticis, synodus sub *Gregorio M.* habita, excerpta de separatione coniugum, epistola *Gregorii M.* ad Augustinum.

In principio mutilus exhibet excerpta quaedam ex vitis Romanorum pontificum inde a *Zepherino* usque ad *Felicem II.* Sequuntur alia manu scripta fragmentum catalogi paparum: „*CI. Eugenius (II.) sed. ann. IV. m. VII. d. XXIII.* (824—827) — *CVIII. Adrianus (II.) sed. ann.*", et catalogus pontificum ecclesiae Constantinopolitanae ductus usque ad *Ignatium* († 878). Profertur deinde tabula titulorum capitum decretalium Pseudo-Isidorianarum, non eadem quae in ceteris, sed alia quam in hoc solo codice reperi: „*Clemens presul Romanae aecclesiae scripsit: cap. I.*

In fol. 7 desinit c. 21 Clem. in verbis: „*fundamentum in prima*"; cf. ed. mea p. 37 not. 6. Sequitur eodem in folio c. 27: „*Episcopos*" — c. 35 „*sic radix eorum*" (fol. 8), cf. l. c. p. 41 not. 11. Post quae verba profertur c. 38 a verbis: „*accedant et hinc — et capita sua*" (cf. l. c. p. 43 not. 14). Pergit c. 38 a verbis: „*submittere eorumque*" in fol. 10—12, in quibus cetera usque ad finem epistolae primae Clementis omissis „*et verum — seniores venerari*" (c. 41, cf. l. c. p. 44 not. 3) leguntur et deinde:

a) c. 50. „*Ecce oris nostri — iusta invenient*" (c. 52.) cf. p. 50 not. 9.
b) c. 53. „*Ecclesias — contradicunt*" (c. 54.) cf. p. 51 not. 10.
c) c. 70. „*Quapropter — reprobi existunt*" cf. p. 57 not. 25.
d) c. 70. „*Hic ergo — saeculum futurum*" (c. 71.) cf. p. 58 not. 12.
e) Anacl. c. 18. „*Cuius supra epistola — fidelibus portandi*" (c. 19.) cf. p. 75 not. 3.
f) Anacl. c. 19. „*Haec fratres — et hi cavendi sunt*" cf. p. 76 not. 19.
g) Anacl. c. 24. „*de quorum ordinatione — iustissime terminentur*" (c. 26) cf. p. 79 not. 9.

In fol. 9 cod. legitur epistola II. Clementis usque ad verba: „aut forte per clericos" c. 46; cetera verba huius capitis et reliqua capitula epistolarum Clementis et Anacleti in folio 13 et sequentibus exhibentur, ita ut loci sub a—g prolati bis in codice inveniantur.

[1] Cf. comment. mea quae extat in Dove, Zeitschrift l. c. p. 123.

de diligentia corporis domini, cap.[1] *II. de vasis sacris — epistola decr. Felicis papae I. Felix episcopus scripsit: cap. I. de his qui nequeunt accusare, cap. II. de dandis induciis — epistola decr. Damasi papae I.*", qua in tabula non omnes cuiusque papae decretales in capita continue numerata, sed in sua quaeque epistola capita dividitur, ita ut distinctio capitum eorumque tituli ab eis quae in Paris. cit., Pistor., Luc. habentur plane abhorreant.

Exhibet deinde codex decretales a *Clemente*[2] usque ad *Damasum*, easdem quas reliqui huius classis manuscripti. Distinctae sunt in capita titulosque quae tabula memorata indicat, tamen in quibusdam epistolis, velut in *Eusebii* decretalibus et postrema epistola *Damasi* ad Stephanum conciliaque Africae illa antiquior divisio quae in codicibus aliis habetur usurpata est. Inter decreta *Damasi* et quidem post epistolam Hieronymi alia manus inseruit praemissa inscriptione: „*fides Niceni concilii Damaso papae ad eundem Paulinum directa*" symbolum Nicaenum[3]. Damaso subiiciuntur excerptum *Pseudo-Stephani* c. 2. de infamibus, canones *Silvestri* ceteraeque res quas iam supra memoravi. In fine codicis habentur epistola *Gregorii M.* de trina mersione: „respondere etc.", synodus *Gregorii iunioris*, capitula synodi sub *Gregorio VII.* a. 1078 habitae in Vatic. reg. 1054 quoque prolata[4].

[1] Tituli secundae epistolae Clementis. — [2] *Clementis*, *Evaristi*, *Alexandri* epistolae (non integrae) sic habentur: in duobus foliis (9, 10) postea additis altera manu saec. XII. scriptum initium epistolae primae Clementis usque ad verba: „*quae pax nominatur*" (c. 13), fol. 11 *excerpta quaedam epistolarum Clementis*, fol. 12—14 epistola II. *Clementis* usque ad verba: „*salubri necesse est*" (c. 49 i. f.), fol. 15 purum, fol. 16 ultima pars eiusdem epistolae *Clementis* a verbis: „*proferte quoniam*" etc. (c. 54 pr.), fol. 16v. — fol. 21 initium epistolae tertiae *Clementis* usque ad verba: „*prophetam de quo dicimus*" (c. 71), fol. 22 purum, fol. 23 finis huius epistolae a verbis: „*et per omnia qui aeterni saeculi*" (c. 73), fol. 23v.—46 epistolae IV., V. *Clementis*, decretales *Anacleti*, prima et secunda *Evaristi*, secunda quidem non integra, desinit enim fol. 46 in verbis: „*et non gementes*" (c. 8 i. f.); sequitur fol. 47 purum et postea additum; in fol. 48 legitur pars eiusdem epistolae a verbis: „*meraco ad plenum mixtus*" usque ad verba: „*an fames an nuditas*" (c. 11 med.), et in fol. 49, ante quod unum folium deesse videtur, epistola prima *Alexandri* a verbis: „*atque confiteri aliquos dicunt*" (c. 3 i. f.) usque ad verba: „*non vestri potius intimatur? si trinitas non est*" (c. 10); fol. 50 — fol. 53 finis primae epistolae a verbis: „*in merorem humiliamini in conspectu etc.*" (c. 10) et prima epistolae secundae pars usque ad verba: „*ab auxilio vestro se subtraxerit*" (c. 14). Post fol. 54 purum in fol. 55 tertia epistola *Alexandri* a verbis: „*qui odit fratrem suum etc.*" (c. 16) exhibetur. — [3] Epistola inscripta: „*item ad eundem de damnatione quorundam hereticorum*" (post Nicenum concilium) non integra, sed tantum usque ad verba: „*in carne quam assumpsit Christus*" profertur. — [4] Ut lector videat qualis sit divisio capitum in hoc codice facta, hic titulos et capita primae epistolae Anacleti cum capitibus, sicut in aliis codicibus exhibentur, comparata ponam:

„*c. I. de naustologis et epibatis.*" = c. 2. inde a verbis: „epibatis autem totius fraternitatis" usque ad: „prave doctrine verba docentur."

„*c. II. de promuncturiis confragosis.*" = c. 2. „promunturia vero — sunt iudices et pericula minantur ac mortes."

„*c. III. de bitalassa.*" = c. 2. „bethalassa vero loca — navigantes mereantur audiri."

„*c. IV. de sacerdotum detractione.*" = c. 3. „Audimus fratres" — c. 9. „ab hominibus venerari."

„*c. V. quod non ubique aut soli liceat sacrificari.*" = c. 10. „Ipsi autem quando — incrementatione indiget."

„*c. VI. quod diacones oculi episcopi dicuntur.*" = c. 10. „In solemnioribus quippe — praebeant sacrificio."

„*c. VII. ut omnes communicent qui noluerunt aecclesiasticis carere liminibus.*" = c. 11. „Per acta autem" — c. 12. „scandalizatur in me."

„*c. VIII. ut non scandalizetur episcopus.*" = c. 12. „ille procul dubio" — c. 13. „et nulli unquam nocete."

„*c. IX. ut cristiani non sint susurrones.*" = c. 13. „fratres estis" — c. 14. „spiritaliter regeneravit."

„*c. X. quod res ecclesiae non sint tollendae.*" = c. 14. „ergo qui Christi pecunias" — c. 15. „mentionem faciens Loth."

„*c. XI. de iudicibus aecclesiae.*" = c. 15. „per Moysen loquitur" — c. 16. „iuditio terminari voluit."

„*c. XII. ut oppressus iudicium sacerdotum appellet.*" = c. 16. „omnis enim oppressus" — c. 17. „maiores cause fuerint."

„*c. XIII. quod maiores cause ad sedem debent referri apostolicam.*" = c. 17. „ad sedem apostolicam" — c. 17. „saeculo saeculorum. Amen."

XII. Codex Parisiensis 3854 membr. 8. saec. XII. foliorum 223. duabus manibus exaratus. Exhibet decretales easdem, quae in ceteris huius classis leguntur usque ad Damasum et quidem eodem ordine ac Bambergensis et Valicellanus. Incipit a prima epistola *Clementis*[1] et proferuntur prima manu scriptae epistolae usque ad *Melchiadem*, *tractatus de ecclesia primitiva*, *exemplar constituti Constantini imperatoris*, non integrum, sed ab initio usque ad verba c. 4: „*quoniam flagitiis posuisti*“, postea a verbis c. 5: „*non esse alium deum nisi patrem et filium*“ usque ad verba: „*me sanitati comperi reditum*“; excerpta ex gestis synodalibus sancti *Silvestri*. Postea alia manu scripta exhibentur decreta ceterorum pontificum Romanorum usque ad *Damasum*.

Singulae decretales in capita non distinguuntur, saepius inscriptiones earum omittuntur, attamen librarius nullis adiectis numeris rubricas in singulas epistolas inseruit[2].

Codice qui Valicellano similis fuerit, usum esse apparet ex eo quod in fine decreta *Nicolai I.* ad causam Rothadi Suessionensis episcopi spectantia proferuntur[3].

XIII. Codex Vaticanus 629 membr. fol. saec. XII. foliorum 271, quo Faustinus Arevalo in edendis operibus Isidori Hispalensis et Vignolius in libro pontificali edendo usi sunt, eandem formam collectionis Pseudo-Isidorianae eandemque divisionem capitum ac Paris. 4280 AA, Pistor., Lucens. exhibet. In primis 114 foliis leguntur variae res ad Pseudo-Isidorum non spectantes[4]. In fol. 115 profertur tabula titulorum decretalium paparum a *Clemente* ad *Damasum* subiuncta epitome constitutionis ad Ablavium datae, sicut in codicibus 3 citatis. Sequitur catalogus Romanorum pontificum editus ex hoc codice a Vignolio in tom. I. libri pontificalis a Petro usque ad Adrianum IV., cui manus saec. XV. addidit nomina ceterorum paparum usque ad Eugenium IV. Deinde habetur praefatio: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit prephatium sancti Isidori libri huius cuius hec sunt capitula*“ . . . . „*Isidorus Mercatus servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fidei salutem.*“ Exhibetur ut in ceteris; nescio quid Faustino Arevalo (op. Isid. Tom. I. p. 244. 246) in mentem venerit dicenti in hoc codice praefationem formae brevioris quam in ceteris Pseudo-Isidorianis contineri et quonam ex codice illam praefationem quae in appendice tomi citati p. 607 legitur ediderit. Quamquam posteriore loco numerum codicis non indicat, ex iis quae p. 244. 246 affert nihil aliud coniici potest, nisi praefationem secundum Vaticanum 629 publicatam esse.

[1] Quae epistola tantum usque ad verba c. 23: „*diligis deum quem non vides*“ exhibetur; desunt folia plura et in folio sequenti incipit epistola secunda *Evaristi* inde a verbis c. 11: „*deus omnipotens ut nos a.*“ — [2] Cuius rei haec exempla sufficient: in epistolis Alexandri hae rubricae hoc ordine inveniuntur: „*nil statuendum pro libitu*“ (ante verba c. 1: „reiecistis mandatum dei“); „*descriptionem non esse extorquendam*“ (ante verba c. 2: „si autem non adnuntiaveris“); „*de primatu Romano*“ (ante initium c. 4); „*perturbatores infames et excommunicatos*“ (ante initium c. 6); „*de scripturis violenter extortis*“ (ante initium c. 7); „*ubi querela*“ (ante verba c. 8: „si quis erga aepiscopum“); „*de sacrificio*“ (ante initium c. 9); „*de aqua sanctificata*“ (ante verba c. 9: „aquam enim sale“); „*de perturbatoribus excommunicandis*“ (ante verba c. 13: „et sicut multis nocet“); „*detractione*“ (ante initium c. 17); „*crucifixio domini*“ (ante verba c. 18: „crucifigunt enim“). — [3] Apud Philippum Jaffé numeris 2057, 2053, 2054, 2058, 2065, 2066, 2067, 2082, 2097, 2098, 2099, 2100, 2102 allatae inserto inter num. 2082 et 2097 libello proclamationis *Rothadi* (Mansi 15, 681). Ante quae decreta leguntur excerpta actionis IX. et X. concilii *Chalcedonensis*, 4 epistolae *Vitaliani* papae (Jaffé 1614—1617), excerptum epistolae *Leonis M.* Anastasio Thessalonicensi directae (op. Leon. ed. Ball. Tom. I. p. 619). Subiciuntur autem decretis Nicolai: a) „*incipit notio episcoporum qui fuerunt in sancta Romana ecclesia per ordinem*“ (usque ad Sergium III. 904—911) et acta *Marcellini* usque ad verba: „*in dampnationem eorum interdictione subscriberent*“ (Amort, elementa iuris canonici p. 450—454) quibus additur: „*laudetur numerum Sabaoth quia tale volumen Savini pollex mediusque peregit et index: quos medicus iuvit postremus et auricularis, anseris et spine bonis autem ope suppeditante.*“ — [4] *Isidori* vitae ortus vel obitus sanctorum (ed. Arevalo V, 152 sqq.), eiusdem allegoriae (V, 115 sqq.), *Bedae* liber de locis sanctis, *Isidori* liber praefationum veteris et novi testamenti (l. c. V. 190 sqq.), *Iuliani Toletani* episcopi liber prognosticorum (bibl. vet. patr. Colon. 1618. Tom. VII. p. 472), libri X historiae ecclesiasticae *Eusebii* interprete *Rufino*, ab eodem liber XI. Eusebio additus, *Isidori* Cronica (l. c. VII. 63 sqq.).

Attamen ipse priore in loco initium idem praefationis esse dicit atque ego, cum in appendice ita conceptum legatur: „*Isidorus servus Christi Hectori conservo suo et parenti in domino salutem.*“ Alium codicem Vaticanum, qui hanc praefationem breviorem exhiberet, non reperi. Cum neque fratres Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 6. no. 28) huius brevioris praefationis mentionem faciant Faustinusque Arevalo[1] etiam aliis in rebus codicem non satis accurate descripserit, fidem hac in re ei habendam esse non existimo.

Praefationem sequuntur epistola Aurelii ad Damasum, rescriptum Damasi ad eundem, ordo de celebrando concilio. Deinde sequitur praemissis verbis: „*Incipit breviarium canonum apostolorum et primorum a sancto Clemente usque ad Damasum apostolicorum sequens ordinem suum, quorum etiam gesta in hoc opere condita continentur subiectis capitulis suis*“ tabula alia decretalium: „*I. canones apostolorum — XXXVII decretorum Damasi papae epistolae IV*“[2], cui subiiciuntur tituli canonum apostolorum ceteraque omnia usque ad verba: „*canonibus assumpta esse videntur*“, quae inveniuntur in codd. Andegavensi, Carnotensi 140, Par. 3852 et a me edita sunt. Tum ponuntur *canones apostolorum*, iterum epistola *Hieronymi ad Damasum*, rescriptum *Damasi* ad eundem: „gaudet ecclesia tua“ (op. Hieron. ed. cit. Tom. XI. P. II. p. 375). Sequuntur epistolae subditiciae a *Clemente* usque ad Damasum in sua quaeque capita distincta, ut in Par. 4280 AA, Pistor., Lucensi. Tamen ab iis discrepat: a) quod ante decretales singulorum paparum ponuntur vitae eorum haustae ex libro pontificali, b) quod in epistola ultima *Iulii* papae pro integris capitulis quae Pseudo-Iulius ex Nicaeno concilio a se allata dicit, tantum initia priorum capitum leguntur[3], c) *Felicis II.* decretorum solum priora 12 capita usque ad verba: „*apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium*“[4], d) decretis *Damasi* quae in ceteris huius classis codicibus leguntur, adiiciuntur reliquorum quae in manuscriptis classis A1 exhibentur eae quas supra no. 99 sub h, i, n enumeravi.

Sequuntur epistolae reliquorum pontificum Romanorum praemissis vitis singulorum paparum, tamen librarius non omnes, sed tantum has transcripsit:

1) *Siricii* epistolam primam et (sub nomine Anastasii) tertium collectionis Hispanae,

2) *Innocentii I.* ad Decentium et

3) *Zosimi* ad Hesychium, quae inter epistolas eorum in collectione prolatas primae sunt;

4) duas priores *Bonifacii I.* et

5) primam *Coelestini* collectionis eiusdem;

6) epistolam subditiciam *Sixti III.*;

7) *Leonis M.* tres: ad Rusticum Narbonensem, ad Anastasium Thessalonicensem, ad Nicetam Aquileiensem, quas p. XXVII. sub no. 107 48^{am}, 49^{am}, 50^{am} enumeravi;

8) epistolam *Hilarii* ad Ascanium: „postquam litteras“, quae est inter eiusdem papae epistolas in collectione Hispana secunda.

9) *Simplicii* epistolas tantum duas illas quas ex collectione Dionysii desumtas in Paris. 3852, Vatic. 1344, Paris. Sorbonne 729 addi supra memoravi.

10) *Felicis III.* proferuntur decreta eiusdem in collectione Hadriano-Dionysiana exhibita et epistola ad Acacium: „multarum transgressionum“, quae est tertia in collectione Hispana.

[1] Dicit (l. c. Tom. I. p. 246) in fol. 115 cod. haberi catalogum Romanorum pontificum usque ad Calistum II., deinde alia manu usque ad Honorium II., quem neque ego neque fratres Ballerinii reperimus. — [2] Tractatus de primitiva ecclesia constitutique exemplaris Constantini in tabula mentio non fit. — [3] „Ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis,“ „Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari,“ „Accusatores et accusationes quas leges saeculi,“ „Nullus episcopus alterius parochianum praesumat retinere“, „Si quis erga episcopum vel actores aecclesiae se proprium crediderit,“ „Et ceteri alii cap.“ [4] Post quae verba adduntur: „Si quis adversus episcopum causam habuerit,“ „Si que episcoporum suis fuerit rebus expoliatus,“ „Si que episcopus legitime accusatus. Et ceteri alii.“

11) *Gelasii* epistola ad episcopos per Lucaniam etc.: „necessaria rerum“ et

12) epistola una *Anastasii II.* quae in Hispana leguntur.

13) *Symmachi* synodus prima sola ponitur omissis initio (c. 1: „beatitudo vestra“ usque ad verba: „Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: concilium dilectionis“ etc.) et in fine subscriptionibus episcoporum.

14) Deinde proferuntur epistola *Hormisdae* ad episcopos per Hispanias: „benedicta trinitas“ (VI[a] epistola collect. Hisp.).

15) *Iohannis I.* epistola subditicia prima,

16) *Felicis IV.* epistola apocrypha prima, cuius initium omittitur et quae incipit a verbis: „*scripta sanctitatis vestrae quae ad sedem apostolicam*“ etc.

Adduntur ex libro pontificali vitae Romanorum pontificum a *Bonifacio II.* usque ad *Adrianum I.*, capita X synodi Romae sub *Gregorio VII.* a. 1078 habitae (Mansi 20, 509), „*ordo de discretione penitentiae quem Gregorius papa constituit. Ponunt canones peccantibus de quibusdam etc. — consequi possit sempiterna*“, quod sciam nondum publicatus, synodus sub *Urbano II.* Placentiae a. 1095 habita (Mansi 20, 804 sqq.).

XIV. Cod. S. Marci Veneti IV. 48. XCIV. 3. chart. fol. saec. XV. exhibet tabulam titulorum capitum et decretales a *S. Clemente* usque ad *Melciadem* praemissis praefatione[1], epistola *Aurelii* ad Damasum, rescripto Damasi, ordine de celebrando concilio, ut codices Paris. 4280 AA, Pistor., Lucens. Postea proferuntur epistolae quaedam Romanorum pontificum a *Siricio* usque ad *Gregorium I.*, concilia collectionis Hispanae, acta concilii Wormatiensis a. 833 celebrata, epistolae Hormisdae, canones integri Silvestri, excerpta quaedam conciliorum oecumenicorum[2].

XV. Cod. Parisiensis Navarre 7 membr. fol. saec. XII. exeunt. In fol. 1 habentur epistola *Damasi* ad Hieronymum: „gloriam“ et rescriptum *Damasi* ad eundem. Proferuntur deinde vitae Romanorum pontificum a *Petro* usque ad *Hadrianum I.* (772—795) et tituli capitulorum decretalium Pseudo-Isidorianarum, ut leguntur in codd. Par. 4280 AA, Pistor., Lucens. Sequitur praefatio: „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio sancti Ysidori libri huius cuius haec sunt capitula. Quod compellatur a multis episcopis et reliquis servis dei canonum sententias in unum colligere ... sidorus peccator*[3] *servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem*“, epistola *Aurelii* ad Damasum, *Damasi* rescriptum ad eundem, ordo de celebrando concilio. Tum ponuntur ex codicibus classis A1 fere eadem quae in Andegav. et Paris. 3852 leguntur a verbis: „*incipit breviarium canonum*“ etc. usque ad verba: „*ipsis canonibus assumpta esse videntur*“, scilicet tabula decretorum: „*I. canones apostolorum*“ — „*XXXI decretorum Melchiadis papae epistola I.*“[4], tituli canonum apostolorum, epistola Hieronymi ad Damasum iam fol. 1 prolata, ipsi canones apostolorum. Quos sequuntur decretales a *Clemente* usque ad *Felicem II.* eaedem eodemque ordine, adiectis iisdem numeris et titulis capitum qui sunt in Par. 4280 AA, Pistor., Luc., tantum exemplar constituti *Constantini*, non ut in codicibus citt., sed integrum ut in manuscriptis classis A1 exhibetur.

Ante epistolas *Damasi* habetur tabula reliquarum decretalium: „*I. epistola papae Damasi ad Paulinum Antiocenum episcopum*“ — „*CLXXIX. Cuius supra* (scilicet Gregorii M.) *ad Secundinum servum dei reclusum*“[5]; proferuntur postea decretales a Damaso usque ad Gregorium M. ceteraeque res quae eas sequuntur usque ad capitula *Angilramni*, sicut habentur in cod. Paris. Sorbonne 729. Inscribuntur capitula Angilramni: „*incipiunt capitula quae ex Grecis et Latinis canonibus*

[1] „*In nomine domini nostri Iesu Christi incipit prefatio sancti Ysidori. Isidorus peccator servus Christi.*“ — [2] Haec Iohannes Merkel de codice quem ipse non evolvi notavit. Cum sit recentioris aetatis, haec sufficient. — [3] *Peccator* postea correctus est; num antea fuerit „*mercator*“ aut „*mercatus*“ non iam dignosci potest. — [4] Tituli conciliorum qui in tabula codicum A1 leguntur, desunt. — [5] In cod. Par. Sorbonne 729 huic epistolae numerus CXCI. additur, cum in illo tabula non a Damaso, sed iam a Silvestro incipiat.

et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilranno Mediomatricae urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona quando pro sui negotii causa agebatur."

Capitulis *Angilramni* subiiciuntur epistolae *Isidori* Hispalensis ad Laudefridum et Masonem, quae etiam in codd. Rotomag., Vatic. 3791, Abrinc., Vatic. 1344, Paris. Sorbonne 729 habentur, tractatus: *quo tempore actum sit Nicenum concilium*, praefatio *Nicaeni concilii* in collectione Quesnell. exhibita, concilia *Nicaenum*, *Constantinopolitanum*[1], *Chalcedonense* desumta ex collectione Hispana. Tum proferuntur *nonnullae sanctiones sparsim collecte actionis prime sancti et magni Chalcedonensis concilii, actio XI. eiusdem concilii, capitula sancti V. concilii Constantinopoli celebrati sub Iustiniano*, excerpta *VI*[ae] *synodi Constantinopolitanae*, quae omnia etiam in codd. Rotomag., Vat. 3791, Vat. 1344, Sorbonne 729 inveniuntur. In fine codicis habentur catalogus provinciarum et catalogus Romanorum pontificum inde a *Petro* usque ad *Iohannem* (VIII. 872—882), *Marinum* (I. 882—884), *Agapitum* (II. 946—951), qui exhibentur in cod. Sorb. 729.

XVI. Cod. Parisiensis 5141 membr. fol. saec. XIV. foliorum 263, qui ex codice Navarre 7 transcriptus esse videtur, omnia ut ille exhibet usque ad *actionem XI. Chalcedonensis concilii* in qua desinit[2].

§. 5. D. Quaeritur quomodo codices classis A1 et classis A2 cohaereant.

Arminius Wasserschleben (Herzog, Encyclopädie Tom. XII. p. 338) qui aliquos codices classi A2 attributos evolvisse videtur, existimat collectionem a Pseudo-Isidoro ipso confictam tantum ex decretalibus a Clemente usque ad Damasum compositam ceterasque res, concilia dico et reliquas epistolas pontificias, ab aliis postea additas fuisse. Cuius opinionis, quamquam hic tantum de codicibus agere mihi proposui, tamen mentionem non facere non potui; nam si ei esset accedendum, dubitari non posset, quin ea forma collectionis Pseudo-Isidorianae, quam exhibent codices A2, alteram codicibus A1 prolatam aetate superaret.

Ex iis quae supra adtuli intelligitur nullos codices saeculi noni classis A2 nobis relictos esse, attamen persuasum habeo iam illo saeculo libros manuscriptos, in quibus tantum decretales a Clemente usque ad Damasum, in eadem capita distinctas quae in codicibus descriptis invenimus, extitisse. Ut Augustinus Theiner (über Ivo's vermeintliches Decret. Mainz 1832. p. 12) et Ludovicus Richter (Beiträge zur Kenntniss der Quellen des canonischen Rechtes. Leipzig 1834. p. 45) iam observaverunt, auctor collectionis Anselmo dedicatae codice quodam Pseudo-Isidoriano usus est, in quo decretales a Pseudo-Isidoro consutae in singula capita distincta proferebantur. Equidem addere possum, codicem, quem auctor collectionis Anselmo dedicatae excerpserit, fuisse codicem classis A2. Fere omnes enim numeri capitum titulique eorum quae in ea[3] inveniuntur, cum numeris titulisque in codicibus A2, velut Paris. 4280 AA, Darmstadt., concordant. Cuius rei tantum haec exempla afferam:

[1] Post quod concilium proferuntur epistolae et acta de damnatione haeresis Nestorianae, hausta ex gestis concilii Ephesini, epistola Athanasii ad Epictetum (c. 52 coll. Quesnell.), epistolae paschales Theophili ab Hieronymo translatae (op. Hieronym. ed. cit. Tom. I. p. 583, 561, 611), epistola Hieronymi ad Theophilum (l. c. p. 609). — [2] Initium praefationis Pseudo-Isidori est: „*In nomine domini Iesu Christi incipit praefacio Sancti Ysidori libri huius cuius hec sunt capitula. Quod compellatur a multis episcopis et reliquis servis dei canonum sententias in unum colligere. Isidorus peccator servus Christi lectori conservo suo et parens in domino fidei salutem.*" — Inscriptio capitulorum *Angilramni ita* in codice ita ut in Navarre 7 profertur nisi quod „Engilranno" in „*Engilltranno*" corruptum est. — [3] Usus sum collectionis Anselmo dedicatae codicibus Mutinensi Ord. II. 2 saec. X. ineunt. et Parisiensi Sorbonne 752 (nunc bibliothecae caesareae) saec. XI. ineunt.

Coll. Anselmo ded.	Ps.-Anacl. (sec. cod. Darmst.)
lib. I. c. 12. „Ut difficiliores causae ad apicem Romanae sedis referantur ut ab apostolico terminentur iudicio, cuius sedis auctoritate omnes ecclesiae reguntur. K. Anacleti pp. XXXIV. Si que vero cause — disponente reguntur."	c. 34. „Ut difficiliores causae ad apicem Romanae sedis referantur ut apostolico" etc. ut coll. Ans. ded. „Si quae vero cause — disponente reguntur."
	Ps.-Evar. (sec. Paris. 4280 AA.)
lib. II. c. 4. „Quod Christus sit caput et sponsus ecclesiae et sacerdotes qui eius vice legatione funguntur similiter sint ecclesiis suis. K. Evaristi pp. IV." „Evaristus — conglutinatis fratribus." „Unum vos fratres — moechatus est eam in corde suo."	c. 4. „Quod Christus sit caput et sponsus" etc. ut in Ans. ded. „Evaristus — eam in corde suo".
	Ps.-Cal. (sec. Paris. cit. et Dst.)
lib. III. c. 99 (104 sec. cod. Sorb.). „Ut nullus criminationes suscipiat contra doctorem nisi in recta fide erraverit nec ullus doctor accusetur per scripta neque respondeat, nisi fideli et legitimo accusatori qui inreprehensibilem vitam ducit. Calisti pp. III. Criminationes vero contra — mali vult qui fidelis est."	c. 3. „Ut nullus criminaciones" etc. ut coll. Ans. ded. (in Par. tantum habetur: „accusanti" pro „accusatori"). „Criminationes vero — qui fidelis est."

Damasi papae decretalium nihil aliud in collectione Anselmo dedicata legitur quam quod habetur in illis epistolis quas codices A2 proferunt. Citantur enim Damasi decretorum c. 2. 3 in coll. Ans. ded. VIII. 15. 16; c. 6 in XII. 11; c. 7. 8 in I. 68. 69; c. 9 in I. 39. 59; c. 10 in III. 73 (Sorb. 78); c. 11 in III. 124 (S. 129); c. 12 in III. 150 (S. 156); c. 13 in III. 168 (S. 174); c. 14 in III. 74 (S. 79); c. 16 in III. 133 (S. 138); c. 18 in III. 114 (S. 119); c. 21 in I. 70 et ubi auctor de chorepiscopis agit (lib. II. c. 230—233 sec. cod. Sorb.) nihil ex epistola Damasi de chorepiscopis, sed tantum haec capita affert:

„c. 230. Concil. Ancirani k. XII. Quod non oporteat corepiscopos clericos ordinare nisi in agris et villulis. Corepiscopis non licere presbiteros aut diaconos ordinare — vel litteris in unaquaque parroechia." (c. 12 cit. sec. Dionys.)

„c. 231. Concil. Neocesari k. XIII. Unde supra. Corepiscopi quoque ad exemplum quidem et formam LXX videntur esse — quod erga pauperes exhibent honorantur." (c. 13 cit. sec. Dionys.)

„c. 232. De eadem re. Concilii (Mut. add. habiti) Ancirae (Mut. Ancira) et Cesarae (Mut. Cesarea) k. XIII. (Mut. add.: ad finem). Vicarii autem episcopis erunt quos Greci corepiscopos vocant — sollicitudinem pauperum offerant." (c. 13. cit. sec. Hisp.)

„c. 233. Item de eadem re. Concilii habiti apud Regiam k. III. Quod ergo in quibusdam scismaticis recipiendis — quod in civitatibus omnino proscribitur." (c. 3 concil. Regiensis cit.)

Cum iam Richterus (l. c. p. 39 sqq.) contra Theinerum probaverit, ea quae auctor collectionis Anselmo dedicatae ex conciliis posterioribus Damasi decretalibus afferat, ex Pseudo-Isidoro desumta non esse, omnibus his rebus Arminii Wasserschleben sententia valde confirmari videtur. Collectionem enim suam auctor inter annos 883 et 897 composuit et cum exemplari Pseudo-Isidoriano classi A2 adtribuendo usus sit, priores eius classis codices certe iam illo tempore conscriptos fuisse constat et si respexeris nonnullis annis opus fuisse ut collectio Pseudo-Isidoriana a Gallia, ubi ego cum ceteris fere omnibus viris doctis eam compositam fuisse puto, in Italiam propagaretur et ut auctor collectionis Anselmo dedicatae opus absolveret, origo illorum codicum fere usque ad a. 880 referri potest. Attamen quamquam haec argumenta gravissima videntur esse, in sententiam Arminii Wasserschleben discedendum non est. Ut supra iam probavi, codex Mutinensis qui est classis A1 ante annum 881 exaratus est.

Tum ex praefatione ipsa quam Pseudo-Isidorus operi suo praeposuit apparet, illum non solum decretales a Clemente usque ad Damasum congessisse, ait enim: „*Deinde quarumdam epistolarum decreta virorum apostolicorum intersedavimus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi et ceterorum apostolicorum quas hactenus repperiri potuimus usque ad Silvestrum papam . . . . subicientes aetiam reliqua decreta praesulum*

Romanorum usque ad sanctum Gregorium". Quae postrema verba demonstrant, a Pseudo-Isidoro seriem epistolarum reliquorum pontificum inde a Silvestro usque ad Gregorium M. in collectionem suam receptam esse neque ratione habita codicum Sangallensis et Darmstadtensis ita intelligi possunt, in postrema parte epistolas a Silvestro usque ad Damasum et tunc solum epistolas Gregorii M. subiectas esse. Cui sententiae si quis obiiciat, certum non esse, illam praefationem ab eodem viro qui falsas decretales contexuerit, operi praemissam esse, huic respondeam: cum praefatio illa primum in Pseudo-Isidorianis codicibus occurrat et exhibeatur in codice Mutinensi ante a. 881 exarato et in Paris. Sangerm. 366, Paris. 3839 A saec. IX. scriptis et partes eius in collectione Anselmo dedicata quoque legantur[1], certae rationes sunt afferendae, cur a Pseudo-Isidoro conficta esse non possit, praesertim cum, ut ex fontibus genuinis in editione mea adnotatis apparet, eodem modo quo ceterae decretales consuta sit.

Est quoque alia ratio quae me moveat, ut codicum classi A1 a me adnumeratorum originem remotiorem esse putem. Primi inter omnes Hincmarus archiepiscopus Remensis et Hincmarus Laudunensis episcopus latius fusiusque decretales Pseudo-Isidori citant earumque partes suis scriptis inseruerunt, ita ut ex his intelligi possit, cuiusnam generis codice usi fuerint.

Ex opusculo LV capitulorum Hincmari maioris (c. 24. Op. II, 477): „In cuius praefatione idem Isidorus dicit de apostolorum canonibus quod a quibusdam dicantur apocryphi et plures eos recipiant et sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt et inter canonicas constitutiones posuerunt .... De Nicaeno autem concilio non est ita ut scripsit, sicuti multis auctoritatum testimoniis adprobatur: et quod de pascha ex epistola Theophili protulit, qui ecclesiasticas historias legit, in eodem concilio de pascha cum capitulis ibidem constitutis epistolam conditam reperit. De cuius scilicet Isidori dictis, sed et de epistola Damasi quam suae praefationi supposuit et collectioni praeposuit quaedam possem prolixius ostendere"; et ex capitulis de presbyteris criminosis ab eodem scriptis (c. 21. Op. l. c. p. 793): „Scriptum namque est in quodam sermone sine exceptoris nomine de gestis sancti Silvestri excepto quem Isidorus episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanae sedis pontificum a sancto Clemente usque ad beatum Gregorium, eumdem sanctum Silvestrum decrevisse ut" etc. apparet, praefationem Pseudo-Isidorianam in codice Hincmari subiunctis epistola Aurelii ad Damasum rescriptoque eiusdem papae collectioni praemissam et iam a. 870, quo Hincmarus opusculum LV capitulorum scripserit (cf. Dümmler, Geschichte des ostfränkischen Reiches. Berlin 1862. T. I. p. 762. 763) partem eiusdem collectionis fuisse. Quin etiam in codice Hincmari Rhemensis Damasi posteriores epistolas subditicias contentas fuisse probatur ex loco epistolae primae Pelagii quem in eodem opusculo allegat (c. 15. l. c. p. 430. 431): „Ait enim idem Pelagius ad episcopos qui iniusta vocatione Ioannis ad synodum Constantinopolim ut decernerent eum universalem vocari constituerunt, de cetero inquiens fratres, super provinciae causa, unde sedem apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum a sanctis praedecessoribus nostris; sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote certam provinciam esse quae habet decem vel undecim civitates" etc.; et ab Hincmaro iuniore in collectione altera scripta a. 869 (cf. Op. Hincm. Rem. II. p. 354. Dümmler l. c. p. 763. 764) profertur tota epistola apocrypha Sixti III. (l. c. II. p. 369) maximaque pars epistolae subditiciae Damasi episcopis Italiae directae a verbis: „relatum est enim ad sedem" usque ad finem (cf. l. c. p. 337. 338). Eiusdem papae Damasi locum ex epistola de chorepiscopis a verbis: „illi episcopi qui talia sibi praesumunt" etc. etiam

[1] Praefat. c. 3 in coll. Ans. ded. III. 2; c. 5 in III. 29 (cod. Sorb. 34), 183 (S. 189); c. 6 in III. 138 (S. 144); c. 7 in III. 30 (S. 35); c. 8 in I. 9, c. 10 in III. 4 (S. 5); c. 11 in III. 5 (S. 6) exhibetur.

Hincmarus Remensis in opusculo[1] de translationibus episcoporum (c. 16. l. c. p. 756) affert. Quae omnes epistolae cum in codicibus classis A2 non inveniantur, dubitari non potest, quin classis A1, in cuius codicibus hae decretales exhibentur, sit remotioris aetatis et priores codices eidem adtribuendi iam ante a. 869 in usu fuerint.

Huc accedit, quod sexcenti loci, quos Hincmarus Remensis et Hincmarus Laudunensis in operibus suis ex Pseudo-Isidoro desumpserunt, numquam secundum capita, ut in collectione Anselmo dedicata, citantur, uno tantum excepto loco: dicit enim Hincmarus iunior in responsione ad opusculum LV capitulorum (l. c. II. p. 619): „*Dinoscitur quo tempore Nicaena synodus congregata est, ex excerptis quibusdam synodalibus gestis sancti Silvestri papae in quibus capitulo primo ita continetur, temporibus Silvestri papae et Constantini piissimi Augusti, factum est magnum concilium in Nicaea Bithyniae et congregati sunt regulariter eiusdem Silvestri papae vocatione in idipsum trecenti decem et octo episcopi catholici, et reliqua.*" Haec quidem in capite quod est primum in codicibus classis A2 leguntur, attamen hoc solo loco tali codice Hincmarum Laudunensem usum esse non probatur, cum ut supra dixi epistolas apocryphas afferat, quae in his codicibus non continentur. Tum obiici possit, quod ex ipsis verbis Hincmari non satis dilucide intelligatur, utrum verba „capitulo primo" referenda sint ad excerpta Silvestri an ad gesta, i. e. utrum citet caput primum excerptorum an excerpta ex gestorum primo capitulo. Est etiam aliud argumentum gravissimum, quo sententia mea confirmatur. Iam in describendis codicibus classis A1 dixi, decretalibus inde a Silvestro usque ad Gregorium M. tabulam singularum epistolarum suis cuique numeris adiectis praemissam esse. Cuius tabulae numeri in codicibus vetustioribus postea, ubi textus decretalium exhibetur, repetuntur et inscriptionibus earum apponuntur (cf. ed. mea). Sic in Paris. int. suppl. lat. 840 inscriptio excerptis Silvestri additur: „*incipiunt excerpta quaedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri papae. Capitulum I.*" et Hincmarus Laudunensis huc respexit, citans capitulum quod re vera est primum seriei decretalium posteriorum, ut primum capitulum excerptorum Silvestri, cum prima verba eorum afferret.

In Benedicti Levitae capitularium collectionis additamento IV., quod certe ante controversias inter Hincmarum maiorem et iuniorem ortas compositum est, etiam decretales Pseudo-Isidori nullis adiectis capitum numeris citantur, veluti in c. 5: „*ex epistola Stephani papae scripta generalibus omnibus episcopis*", in c. 22: „*cum qua Nicaena sinodus et decreta Iulii et Simmachi papae et alia sinodica concordant*", c. 24: „*ex decretis Iulii papae*". Tantum capitibus 8° et 21° praefertur, illi: „*ex decretis Anastasii papae capitulo VI.*"[2] et huic: „*ex decretis Sixti papae capitulo VIII.*" Attamen hac re non probatur, auctorem additamenti codice classis A2 usum esse, nam decreta Pseudo-Anastasii in talibus manuscriptis non continebantur et quae sub nomine Anastasii affert, congessit ex Exod. XXIII. 1, Hormisdae ep. 91 c. 2 (sec. Hisp.), c. 13 conc. I. Carth., I Timoth. V. 1, Xysti Pyth. s. 292, Levitic. XIX. 13. 16, Coloss. III. 25, Zach. II. 8, Dan. III. 44. 45, Leon. M. ep. 14 c. 1 (ed. Ball. I. 684), Ps. XXXIII. 14. 15, Hieronymi epistola ad Oceanum de vita clericorum (ed. Vallars. XI. P. II. 371) aut c. 98 lib. I. conc. Aquisgr. a. 816, interpositis quibusdam similibus eis quae leguntur in epistola Pseudo-Pontiani c. 6, Pseudo-Athanasii ad Felicem, Fel. II. pp. c. 12. II., Cornel. c. 3, Sixt. II. pp. c. 8, Anacl. c. 40. Cap. 21 autem additamenti non ex decretis Sixti I., in quorum capite tertio (sec. codd. A2) similia quaedam habentur, sed ex decretis Iulii c. 12 desumtum est, magis enim cum hoc quam cum illo concordat:

[1] Videtur scriptum a. 872 aut non multo post, quia in c. 12 de Actardo episcopo Nannetensi legitur: „donec petentibus clero et plebe provinciae Turonensis et conhibentibus episcopis ad provinciam suam rediit et a pontifice apostolicae sedis in vacante metropoli fuerit incardinatus" (quod factum est epistola Hadriani II. data exeunte a. 871. Jaffé 2238). — [2] In ed. Knustii (Leg. 2, 147) omittitur: capitulo VI.

Ben. add. IV. c. 21.	Sixti I. pp. c. 3.	Iul. c. 12.
Placuit ut *semper primo* in accusatione *clericorum* persona, fides, *conversatio et vita* blasphemantium perscrutetur, nam fides omnes actus hominis *debet praecedere*, quia dubius in fide infidelis est: nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant nec rectae conversationis vitam ducunt, *quia* tales facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est *primo* et corrigenda[1].	*De cetero* placuit *propter malorum hominum infestationes*, ut in accusatione *domini ministrorum primo* persona, fides, *vita et conversatio* blasphemantium *enucleatim* perscrutetur. Nam . . *precedere debet*, ... *quoniam* tales facile indifferenter (cēteri codd. add.: et) . . . . *primum*	Placuit, ut *semper* in accusatione *clericorum primo* persona, fides, vita et conversatio perscrutetur. Nam fides . . . . *praecedere debet* . . . . *quoniam* tales facile et indifferenter . . . . *primo* . . .

Ex his apparet auctori qui additamentum quartum Benedicti collectioni adiecerit, in eis quae capitulis a se allatis inscripserit, fidem habendam non esse, neque ex additamento illo argumenta ad sententiam meam de remotiore aetate codicum classis A1 refellendam repeti posse.

Iam si quod sibi proposuerit Pseudo-Isidorus inspexeris, in meam sententiam discedes. Auctor primis pontificibus Romanis epistolas adfinxit, ut graviore auctoritate confirmarentur quae ipse excogitavit. Ab ipsis autem pontificibus quos auctores decretalium esse voluit, epistolas in capita distinctas non fuisse effugere neminem potuit, qui modice tantum ei collectioni operam dederit; et si Pseudo-Isidorus ipse decretales in capita divisisset, nihil egisset, nisi ut epistolarum vim auctoritatemque minueret.

Praeterea ipsa distinctio capitum tam imprudenter facta est, ut auctor Pseudo-Isidorus ipse esse non possit, numeri enim titulique capitum non modo talibus locis apponuntur, quae separari non possunt, sed etiam medias in comprehensiones verborum inseruntur. Cuius rei haec exempla sufficient:

a) „Pontiani c. VI i. f. ... Fidelis ergo homo magis diligit audire quae oportet quam dicere quae non oportet.
(c. VII. Unde discernantur filii dei a filiis diaboli.)
Et si quis fidelis est, videat ne mala loquatur aut cuiquam insidias ponat. In hoc ergo discernuntur filii dei et filii diaboli: filii namque dei semper cogitant et agere contendunt etc.“

b) „Gai c. II. Paganos et hereticos accusare non posse christianos.
Primum quidem scias paganos et hereticos non posse christianos accusare aut vocem infamationis inferre.
(c. III. Episcopum non accusandum apud iudices seculares.)
Deinde nemo umquam episcopum apud iudices seculares aut alios clericos accusare praesumat.
(c. IV. De episcopo, presbitero aut diachono vel reliquis clericis apud episcopos accusatis.)
Et si quis episcopus, presbiter aut diaconus vel quilibet clerici apud episcopos, quia alibi non oportet a qualibet persona quae rite recipienda est fuerint accusati quicumque fuerit ...., noverit docenda probationis documentis ministranda se debere inferre.“

c) „Marcelli c. VIII. ... Sed his rite peractis suisque omnibus libere dispositis si tum iustae videtur suis respondeat accusatoribus et inducias si ei necesse fuerit accipiat non modicas ut explorare valeat ea que obitiuntur ei, ne aliquando delusus fraude nocenter ruat.
(c. IX. Quod non oporteat quemquam iudicare vel dampnare priusquam accusatus habeat legitimos praesentes accusatores.) Quoniam non oportet quemquam iudicare vel damnare, priusquam legitimos habeat presentes accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Unde ait propheta: priusquam agnoscas, non iudices quemquam.“

Haec sunt quae me moverunt, ut codicibus classis A1 remotiorem originem quam eis quae classi A2 assignavi vindicarem. —

Superest, ut exponam cur duas illas classes ita cohaerere dixerim, ut eadem littera A significari possint. Codices A2 ex eodem exemplari ex quo codices A1

[1] Ex capit. Angilramni (cf. c. 3) desumtum c. 31 additum esse non potest, num c. 3 incipit: „placuit, ut semper primo in accusatione clericorum *fides et vita* blasphemantium perscrutetur.“

derivatos esse apparet: 1) ex eo quod decretales eodem ordine ponunt, non solum priores sed etiam Damasi, quas quidem eius papae afferunt. Sane in aliquibus codicibus, ut in Par. 4280 AA, Pistor., Lucensi ultima Liberii epistola non ut in codicibus classis A1 post Felicis II. decreta profertur, sed aliis Liberianis subiungitur: attamen verisimile est eum qui decretales in capita distinxerit, ideo ordinem mutasse, quia omnibus cuiusque papae epistolis perpetuos numeros capitum apposuerat, neque praetereundum est quod in Sangall., Bamberg., Darmst., Valicell. illa Liberii epistola ut in codicibus A1 post Felicem II. habetur. 2) Secundum argumentum mihi est, quod in omnibus codicibus et classis A1 et classis A2 eadem additamenta inveniuntur, scilicet in epistola Liberii Ennodii epistola et in epistola Hieronymi ad Damasum additamentum sumptum ex Isidori etymol. lib. I. c. 16. 3) Inscriptiones singularum epistolarum plerumque eaedem pleraeque in duabus classibus codicum exhibentur tituique primi capitis epistolarum in codicibus A2 ex inscriptionibus quas codices A1 habent, formantur. Epistolae secundae Anacleti in Paris. 3852 (A1) et in Bambergensi (A2) et in Par. 4280 AA (A2) inscriptio est: „*Cuius supra ad episcopos Italiae directa. De ordinatione episcoporum atque sacerdotum et de fide caeterisque causis*", et in Par. 4280 AA capitis primi eiusdem epistolae, scilicet XVIII[1] omnium capitulorum Anacleti, titulus hic est: „*de ordinatione episcoporum atque sacerdotum*". In Par. inter suppl. lat. 840 ante epistolas Cornelii profertur: „*incipiunt decreta Cornelii papae: de translatione corporum apostolorum et quibusdam hereticis*", titulus autem c. I in Paris. 4280 AA sic habetur: „*de translatione corporum apostolorum Petri et Pauli facta rogatu nobilissime matrone Lucine*".

Quis fuerit ubique vixerit is qui sic decretales in capita distinxerit, de hac re nihil certi affirmari potest, coniici tamen licet, fuisse Italum. Primam enim classis A2 notionem ex collectione Anselmo dedicata habemus, et vetustiores codices eiusdem classis in Italia inveniuntur, ut Epored., Valicell., Pistor., Luc., aut sunt originis Italicae, ut Bamberg.; et Parisiensem 4280 AA in meridionali Galliae parte exaratum fuisse ex concilio Tolosano in fine eius addito apparet. Quibus rebus commotus affirmem, primos codices collectionis Pseudo-Isidorianae qui ex Gallia in Italiam propagati fuerint, non integram collectionem continuisse, et tali codici ab Italo quodam capitum distinctionem insertam esse. Quod etiam epistolis *Nicolai I.* confirmatur. In epistola enim ad universos episcopos Galliae a. 865 (Mansi 15, 693. Jaffé 2100) decretalium Pseudo-Isidori mentionem fecit, ut Arminius Wasserschleben (Beiträge zur Geschichte der falschen Decretalen p. 7) et Richterus (Kirchenrecht 5. Aufl. p. 85, Note 17) iam ostenderunt egoque infra aliis argumentis usurus probabo; in duabus aliis epistolis, altera ad Rodulfum archiepiscopum Bituricensem a. 864 (Mansi 15, 389. Jaffé 2091), altera ad Arduicum archiepiscopum Vesontionensem a. 865 (Mansi 15, 865. Jaffé 2107), de iure chorepiscoporum nihil eorum quae Pseudo-Isidorus de iis statuit, attulit. Qua ex re apparet codicem Pseudo-Isidorianum Nicolai fuisse classis A2, in quo ut supra dixi epistolae de chorepiscopis a Pseudo-Isidoro confictae non inerant.

§. 6. Cap. II. De codicibus Pseudo-Isidorianis classi B adnumerandis.

Huic classi adtribuendi sunt codices:

1) Bononiensis (bibliothèque de la ville de Boulogne sur mer) 115 saec. XII.

2) Bononiensis 116 saec. XII.

3) Parisienis 3853 saec. XII.

4) Parisiensis olim Sancti Victoris 184[1] saec. XII.

[1] In calce fol. 2 et in fine cod. legitur: „*Iste liber est sancti Victoris Parisiensis: quicumque eum furatus fuerit vel celaverit aut titulum deleverit, anathema sit. Amen. Acquisitus per fratrem Iohannem Lamasse priorem* (c. a. 1422) *dictae ecclesiae S. Victoris Parisiensis.*"

5) Vaticanus 631 saec. XIII.

Paucis de singulis codicibus iisque quae in principio eorum habentur praemissis cum eorum omnium eadem sit forma, omnes simul describere licet:

I. Cod. Bononiensis 115 membr. fol. scriptus inter ann. 1145 et 1152, foliorum 297. In principio leguntur: 1) „*nomina provinciarum Romani imperii: Italia, Gallia — civitas Vinciensium i. e. Ventio*"; 2) „*nomina Romanorum imperatorum: Iulius, Augustus — Conradus III. Huius tempore scriptus est liber iste*" (1138—1152) [alia manu additur: *Fridericus*]; 3) „*nomina Romanorum pontificum: Petrus — Eugenius*(III.). *Huius tempore scriptus est liber iste*" (1145—1153). [Posteriore manu addita leguntur nomina inde ab Anastasio IV. usque ad Gregorium IX. 1227—1241.]

II. Cod. Bononiensis 116 membr. duo in volumina fol. divisus, scriptus inter ann. 1154 et 1159, foliorum 305. Exhibetur 1) idem catalogus provinciarum, 2) catalogus imperatorum usque ad Fridericum I., cuius nomini adiicitur eadem manu: „*huius tempore* (1152—1190) *scriptus est liber iste*" [posteriore manu adduntur nomina Henrici VI., Ottonis IV., Friderici II.], 3) catalogus Romanorum pontificum usque ad Adrianum IV. (1154—1159), cui manu posteriore adduntur nomina ceterorum paparum usque ad Bonifacium VIII.

III. Cod. Parisiensis 3853 membr. fol. scriptus inter ann. 1154—1159. foliorum 279. Leguntur in principio codicis iidem 3 catalogi qui in Bonon. 116 omissis tantum additamentis manuum posteriorum. Et Friderico I. et Adriano IV. eadem manus qui catalogos reliquamque codicis partem scripsit, apposuit: „*huius tempore scriptus est liber iste*".

IV. Cod. Parisiensis S. Victor. 184 membr. fol. saec. XII. foliorum 262. Initio codicis exhibentur 3 catalogi, ut in ceteris, et quidem catalogus imperatorum usque ad Fridericum I., pontificum Romanorum usque ad Innocentium II. (1130—1143).

V. Cod. Vaticanus 631 membr. fol. in duo volumina divisus saec. XIII. foliorum 469. In principio[1] codicis proferuntur tabula contentorum praemissa catalogus provinciarum, idem qui in citatis codicibus, catalogus imperatorum usque ad Henricum IV. (1056—1106), Romanorum pontificum usque ad Iohannem XXI. (1276—1277).

Quibus in omnibus post ea quae enumeravimus exhibetur: 1) pars praefationis collectionis Hispanae: „*quo tempore concilia celebrari ceperunt et de IV conciliis. Canones generalium conciliorum — in hoc opere condita continentur*", 2) tractatus: „*item de septem synodis*", 3) „*item annotatio synodorum quorum gesta in hoc codice continentur*".[2]

Tum praemissis epistolis Aurelii ad Damasum et Damasi ad eundem sequitur praefatio, cuius initium est in duobus Bononiensibus, Paris. 3853: „*Incipit prefatio sancti Isidori sequenti opere. Isidorus Mercator*[3] *servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fideli salutem.*" In Parisiensi S. Victor. 184 „*mercator*" omittitur, sed intervallum inter verba „*Isidorus*" et „*servus*" invenitur, et Vaticanus habet: „*Isidorus servus Christi*"[4]. Subiicitur tabula decretalium et conciliorum: „*I. Ordo de celebrando concilio. II. Canones apostolorum. III. Decreta Clementis pape et martyris*" — „*XXXII. Decreta Melchiadis. XXXIII. De primitiva ecclesia et edictum Constantini. XXXIV. Concilium Nicenum CCCXVIII episcoporum. Fides Gregorii iunioris.*" — „*LXXXVI. Concilium Spalense secundum. LXXXVII. Exceptiones ex decretis sancti Silvestri pape.*" — „*CXX. Decreta Gregorii iunioris. CXXI. Liber capitulorum ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum*

[1] Manu s. XIV. tabulae antepositum est: „*Iste liber est reverendissimi patris et domni domni Petri cardinalis Rotomagensis. Ex pluteo VII. in quo canonistae in bibliotheca publica ad sinistrum ingredientibus per portam maiorem bibliothecae apostolicae.*" — [2] Quae duae posteriores res exhibentur etiam in Cod. Lond. Mus. Britann. King's library 11 D. IV. — [3] Manu posteriore supra verbum „mercator" additur „*peccator*" in Bonon. 116. — [4] Cod. post verba c. 4 praef. „sub huius voluminis aspectu locavimus" addit: „*quia tempore impio Isidore*" (sic) „*presidebat beato Gregorio*", quod in nullo alio codice inveni.

collectorum ab Agilramno Metensi episcopo. CXXII. Item exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis non alienandis. CXXIII. Item exceptiones de gestis Calcedonensis concilii et Constantinopolitani secundi. CXXIV. Disputatio Liberii papae et Constantii imperatoris."

Ponuntur deinde praemissis verbis: „*incipiunt canones i. e. regulae ecclesiastice a sanctis patribus constitute et ab Isidoro in unius codicis corpus collecte*" ordo de celebrando concilio et canones apostolorum, quorum titulus est: „*incipiunt canones apostolorum per Clementem papam prolati*".

Sequuntur decretales a *Clemente* usque ad *Melchiadem*, insertisque tractatu de primitiva ecclesia, donatione Constantini integra (ut in codd. classis A1), tractatu: „quo tempore actum sit Nicaenum concilium", praefatione concilii Nicaeni ex coll. Quesnell. concilia a *Nicaeno* usque ad *Hispalense II.* et quidem eadem quae in codicibus A1 habentur, tantum omittuntur ante concilium I. Carthaginense epistola Aurelii, ante concilium IV. Toletanum praefatio I. concilii Bracarensis, ante concilium IX. Toletanum excerpta quae incipiunt: „*haec sancta synodus*", quae omnia in codicibus A1 inveniuntur.

Post concilia proferuntur decretales a *Silvestro* usque ad *Gregorium M.*, de quibus haec sunt animadvertenda:

1) Epistolae *Liberii* et *Felicis II.*, cui in tabula memorata unus titulus praemittitur: „*XCI. decreta Felicis papae cum epistola Egyptiorum sacerdotum de persecutione hereticorum quibus etiam subiuncta est epistola Liberii papae, quia forsitan post martyrium Felicis de exilio reversus in sedem suam idem papa Liberius eandem scripsit*" eodem ordine, quo in codicibus A1 inveniuntur, ita ut ultima epistola Liberii decreta Felicis II. sequatur. In fine eiusdem epistolae deest epistola Ennodii et dies et nota consularis quae in codicibus A1 habentur. (Cf. p. XXIII. XXIV.)

2) *Damasi* proferuntur: a) epistola ad Paulinum (cf. p. XXV. no. 99 a.), b) „*Synodus Romana sub Damaso papa*" (c. 1 epistolae II^ae^ Damasi coll. Hisp. cf. l. c. d.), c) epistola subditicia *Stephani* ad Damasum (cf. l. c. e.), d) rescriptum apocryphum *Damasi ad eosdem* (cf. l. c. f.), e) „*quod omnes de filio dei et spiritu sancto male sentientes similes sint iudeis et de unitate trinitatis*" (cf. l. c. g.), f) epistola Damasi „*de corepiscopis et qui idem sint aut si aliquid sint aut nihil*" (cf. l. c. h.), g) „*item de sacerdotibus qui de ecclesiis suis ad alias migrant ecclesias*" (cf. l. c. i.), h) epistola *Damasi ad Illyricos* (cf. l. c. m.), i) epistola subditicia *Damasi ad episcopos Italiae* (cf. l. c. n.). Omittuntur igitur epistola Hieronymi ad Damasum, rescriptum Damasi ad eundem, epistola Damasi desumta ex Cass. hist. trip. IX. 15, professio catholicae fidei Damasi (supra l. c. sub b, c, k, l).

3) *Innocentii I.* quidem eaedem epistolae proferuntur, quae in codicibus A1, ita tamen ut primum locum obtineant omnes epistolae quae in collectione Hispana leguntur eodemque ordine positae, deinde septem quae ex collectione Quesnell. desumptae sunt, sequantur. Additamentum quod in quibusdam codicibus classis A1 epistolae ad Felicem Nocerinum ex epistola Leonis M. subiungitur (cf. supra p. XXV. no. 102) deest.

4) *Leonis M.* tantum 39 epistolae in codicibus habentur eaedem eodemque ordine atque in collectione Hispana positae, quae sunt epistolae p. XXVI. no. 107 allatae sub numeris 17, 18, 19, 26—44, 20—25, 45—54, 57. Rescriptum Flaviani (no. 19) et epistola Leonis ad episcopos per Italiam (no. 25) ita ut in codicibus A1 concepta sunt. Epistolae Anatholio directae: „manifestato" (cf. l. c. no. 44) idem atque in Hispana, non idem qui in codicibus A1 finis est. Epistola ad Africanos (cf. no. 51 l. c.) ita ut in editione Merlini, non ut in codicibus citatis profertur, epistolaque de chorepiscopis cum ceteris aliis deest.

5) *Gelasii* decretorum exhibent: a) „*decretum cum LXX episcopis habitum de apocrifis scripturis*" (cf. p. XXIX. no. 111 a.), b) „*item epistola Gelasii papae ad episcopos per Lucaniam et Siciliam constitutos*": „necessaria" (cf. l. c. f.), c) epistolam ad *Sicilienses* (l. c. g.), d) ad *Faustum* (l. c. b.), e) ad *Anastasium* (l. c. c.), f) duas

epistolas quibus in cod. A1 inscriptiones sunt: „*incipiunt rationes reddende*“ etc. et „*incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientales*“ in unum coniunctas sub titulo: „*ad episcopos Dardaniae*“ (cf. l. c. d, e).

6) *Symmachi* decreta eadem quae in codicibus A1 proferuntur, tantum breviores tituli libello apologetico Ennodii et synodis V^ae et VI^ae praemittuntur[1].

7) *Gregorii M.* decreta eadem quae in cod. Paris. int. suppl. lat. 840 leguntur, epistolae duae ad Leandrum, ad Reccaredum, ad Secundinum, ad Theotistam, responsiones ad Augustinum, synodus sub Gregorii I. habita.

8) Deinde sequitur synodus *Gregorii iunioris.*

Post quae in omnibus codicibus capitula Angilramni proferuntur, quibus inscriptio haec est: „*Incipiunt capitula collecta ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum ab Agilramno*[2] *Metensi*[3] *episcopo et Adriano pape oblata*“, deinde: „*exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis*“ (eaedem quae in codd. A1 post concilium VIII. Toletanum inseruntur), excerpta concilii *Calcedonensis* et concilii II. *Constantinopolitani* quae in codicibus A1, velut in Rotomag. habentur, altercatio *Liberii* et *Constantii.* In cod. Paris. 3853 nihil amplius additur: in Bononiensi 115 autem subiciuntur versus editi in catalogo citato bibliothecae p. 98, in altero Bononiensi: „*brevis annotatio librorum huius ecclesiae*“ (cat. cit. p. 100). In codicibus Par. S. Vict. 184 et Vat. 631 post altercationem exhibetur collectio Hadriano-Dionysiana, cui in Vatic. subiunguntur catalogus provinciarum Gallicanarum, excerpta concilii Chalcedonensis, Sardicensis, epistolarum Gregorii M., versio concilii VI. Constantinopoli sub Agathone papa a. 680 habita (Mansi 11, 195). In fine eiusdem codicis leguntur: „*in hoc corpore continetur sancta VI. synodus — gloria individuae trinitatis! scriptus est enim hic codex temporibus domni Sergii sanctissimi ac beatissimi pape et in patriarchio sancte ecclesie Romane ecclesie reconditus, deo gratias. Amen*“. Quae cum eadem manu quae codicem exaravit, scripta sint, non referenda sunt ad Vaticanum codicem, sed ad codicem concilii Constantinopolitani, ex quo Vaticanus transcriptus est. — Iam quin codices huius classis ex classe A1 derivati sint dubitari non potest. Etenim quae in eis inveniuntur omnia in codicibus classis A1 leguntur, quin etiam in his plures decretales aliaeque res afferuntur quae desunt in illis. Probatur etiam ex eo quod in fine codicum B eadem habentur quae in vetustioribus classis A1 et quod catalogus provinciarum qui in horum fine adiiciebatur, in principio illorum positus est.

§. 7. Cap. III. De codicibus Vaticano 630, Audomarensi 189, Lipsiensi no. CCXLI. Rep. II. no. 7, Lipsiensi no. CCXL. Rep. II. no. 8, Montecasinensi no. I. (classis A/B.)

Descriptis codicibus classis A et classis B agendum est de codicibus Vaticano 630, Audomarensi 189, Lipsiensi no. CCXLI. Rep. II. no. 7, Lipsiensi no. CCXL. Rep. II. no. 8, Montecasinensi no. I. Sunt enim codices qui neutri classi attribui possint, nam ex iis quae de prioribus classibus attuli et quae nunc afferam, apparet codices citatos ex codicibus classis A1 deductos esse et ex eis sive similibus classem B ortam esse. Itaque eos codices classis A/B appellem: inter quos Vaticanus 630, Audomarens., Lipsiensis CCXLI. formam exhibent, quae similior est codicibus B, Montecasinensis autem minus a codicibus A abhorret. Cum autem praecipue Vaticano, Audomarensi, Lipsiensi sententia mea confirmetur, eos primo describam.

[1] „*Incipit praefatio Ennodii in libro sequenti*“; „*incipit liber Ennodii sanctae ecclesiae Romanae diaconi contra obtrectationes quartae synodi habitae Romae palmari a Symmacho papa sub Theodorico rege*“; „*incipit actio quintae synodi CCXVIII episcoporum sub Symmacho papa tempore Theoderici regis*“; „*incipit sexta synodus Romana sub Symmacho papa habita tempore Theoderici regis die Kal. Octobr.*“ — [2] Cod. Par. S. Vict. *Angilranno.* — [3] Vat. 631: *Metense.*

I. Cod. Vaticanus 630. membr. fol. duo in volumina divisus, saec. XI. exeuntis aut saec. XII. ineuntis, foliorum 321. Initio codicis invenitur catalogus Romanorum pontificum inde a Petro usque ad Nicolaum I. (858—867), cui manu recentiore subiunctum est: „*hic liber spectat ad usum Iohannis episcopi Atrebatensis.*" Postea priore manu proferuntur annotationes synodorum eaedem quae in codicibus classis B habentur. Ultima earum ducitur usque ad concilium Maticense prolatum sub numero XXI, cui subiiciuntur numeri XXII—XXIX nullis conciliis adiectis, deinde sub numeris XXX—XLVII concilia Hispana inde ab: „*Elibertinum XVIII episcoporum*" usque ad: „*concilium Toletanum LVIII episcoporum.*" — Deinde sequitur 1) situs diversarum provinciarum (qui etiam in codd. B exhibetur), 2) notitia Galliarum prolata quoque in Vatic. 631, 3) epistola formata Liutadi Vvencensiensis episcopi ad Vvenilonem archiepiscopum Rotomagensem a. 868 (edit. in Notices et extraits etc. Tom. VI. p. 277).

His praemissis quae ad collectionem Pseudo-Isidori non pertinent, praefatio Pseudo-Isidori ponitur: „*Incipit praefatio sancti Isidori episcopi libri huius. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fidei salutem.*" Subiunguntur epistolae Aurelii ad Damasum et Damasi ad eundem, ordo de celebrando concilio, praefatio collectionis genuinae Hispanae. — Tum profertur tabula conciliorum: „*Incipiunt capitula conciliorum Greciae I. concilii trecentorum et octo episcoporum.*" — „*XLV. Sententiae quae in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur, sed a quibusdam insertae sunt. XLVI. Decreta quorundam praesulum Romanorum ad fidei regulam et disciplinam ecclesiasticam constituta. XLVII. Synodus Toletana LXVIII episcoporum*". Postea epistola Hieronymi ad Damasum: „gloriam", cui praeponuntur verba: „*de canonibus apostolorum qui non sint respuendi ut quidam garriunt, sed omni veneratione habendi sunt, sicut haec beati Hieronimi presbiteri et aliorum multorum sanctorum patrum scriptura testatur*", quae etiam in codd. A1, velut in Andegav., Paris. 3852 leguntur[1]. — Deinde exhibentur canones apostolorum quibus eadem quae in codicibus citatis inscriptio est: „*Incipiunt ecclesiasticae regulae sanctorum apostolorum prolatae per Clementem ecclesiae Romanae pontificem, que ex Grecis exemplaribus in ordine primo ponuntur quibus quam plurimi quidem consensum non praebuere facilem, attamen postea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videntur.*" — Canones apostolorum excipit prima series decretalium a *Clemente* usque ad *Melchiadem*, cuius epistolae subiunguntur: 1) tractatus de primitiva ecclesia et synodo Nicena, et 2) exemplar constituti domni Constantini imperatoris.

Sequuntur concilia a *Nicaeno* usque ad *Hispalense II.* Nicaeno quidem praemittuntur tractatus: quo tempore actum sit Nicaenum concilium et praefatio collect. Quesnell., sed non praefatio metrica quae in codicibus quibusdam A1 invenitur. Ante concilium V. Toletanum praefatio concilii I. Bracarensis et ante concilium IX. excerpta: „*haec sancta synodus*" etc., ut in codicibus A1 inseruntur, sed epistola *Aurelii* et *Mizonii* in eisdem concilio I. Carthaginensi praemissa deest. Concilium XIII. Toletanum non ut Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 20.) dicunt, integrum, sed sola eius praefatio et eadem pars capitis I. quae in codicibus A1 exhibetur.

Praemissis verbis: „*hactenus digestis*" etc. ut in codd. cit. profertur tertia pars collectionis, continens ceterorum pontificum Romanorum decretales ab: „*Incipiunt excerpta quaedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri cap. I.*" usque ad Gregorium M. De decretis singulorum paparum haec dicenda sunt:

1) *Liberii* et *Felicis II.* epistolarum idem ordo qui in codicibus A1 et B servatur: ultima epistola Liberii ita ut in codicibus B omissis epistola Ennodii, die, nota consulari exhibetur.

[1] Rescriptum Damasi ad Hieronymum directum: „gaudet ecclesia", quod Ballerinii l. c. P. III. c. 6. §. 5 no. 18 in codice inesse dicunt, non profertur. (Cf. quoque Camus, notices et extraits Tom. II. p. 279.)

2) *Damasi* papae prima epistola est ad Paulinum, quae et in codicibus A et in codicibus B prima profertur. Cui subiungitur haec tabula reliquorum decretorum eiusdem papae:

„I. Item eiusdem pape Damasi ad eundem Paulinum de dampnatione quorundam episcoporum.
II. Item epistola Stephani archiepiscopi et trium conciliorum ad Damasum papam quod episcoporum summorum negotium ecclesiaticorum cause semper ad sedem apostolicam sint referendae.
III. Item epistola Damasi ad eundem Stephanum et ad concilia Africe quod episcoporum iudicia et maiores causae non aliter quam auctoritate sedis apostolicae sint terminandae.
IV. Quod omnes heretici de filio dei et spiritu sancto male sentientes in perfidia iudeorum et gentilium inveniuntur, et de trinitatis unitate.
V. De chorepiscopis et qui idem sint aut si aliquid sint aut nihil.
VI. Item eiusdem de sacerdotibus qui de ecclesiis suis ad alias migrant ecclesias."

Sequuntur deinde epistolae tabula indicatae et duae aliae: ad Illyricos et ad Italos, ita ut desint eaedem epistolae quae in codd. B omittuntur. (Cf. p. LIX.)

3) *Innocentii I.* epistolae eaedem quae in codicibus B exhibentur, ita tamen ut post *Anastasii I.* et ante *Zosimi* epistolas legantur tantum priores 23 epistolae ex Hispana collectione exceptae et earum quae ex coll. Quesnell. desumtae sunt nullae nisi epistola concilii Carthaginiensis Innocentio scripta et initium rescripti Innocentii ad idem directi usque ad verba: „*curam geritis quibus providetis ecclesiis sollicitu*", quae leguntur in fol. 215. Sequuntur a fol. 215$^{v.}$ decreta *Zosimi*, *Bonifacii I.*, *Coelestini I.*, *Sixti III.* et post *Sixtum III.* proferuntur repetito iterum integro rescripto Innocentii I. ad concilium Carthaginiense cetera quinque decreta eiusdem papae, quae in coll. Quesnell. leguntur.

4) Post quas Innocentii epistolas proferuntur *Leonis M.* quae in codd. classis B et eodem ordine eademque forma.

5) Etiam in *Gelasii* epistolis plane cod. Vatic. convenit cum codicibus modo citatis; decreta autem, quibus inscriptiones in codicibus A1 sunt: „*incipiunt rationes*" etc. et „*incipit de eadem ratione reddenda*" etc., non ut in codicibus B in unam epistolam congesta sunt, sed ita ut in codicibus A1 seiuncta.

6) *Symmachi* decretorum inter Anastasii et Hormisdae epistolas inseruntur tantum priora: epistola ad Caesarium et synodi quae etiam in collectione Dionysiana inveniuntur. In *Gregorii M.* et *Gregorii iunioris* decretis exhibendis codex concordat cum codicibus B.

7) Desinunt decreta *Gregorii iunioris* in fol. 296$^{r.}$; fol. 296$^{v.}$ purum exhibetur. Deinde fol. 297 proferuntur libellus *Ennodii*, synodus quinta, sexta *Symmachi*, duae eidem adscriptae epistolae ut in codice Par. int. suppl. 840 (A1; cf. p. XXIX. no. 113 e—i).

Subiiciuntur 1) capitula Angilramni: „*ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis presulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatricae urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die tertio decimo Kalendas Octobr. indictione nona quando pro sui negotii causa agebatur*"; 2) disputatio imperatoris Constantii et Liberii Romani pontificis; 3) „*nonnullae sanctiones sparsim collecte actionis primae sancti et magni Calcidonensis concilii*"; 4) „*de mutatione episcoporum XII. ex libro XII. historiae aecclesiasticae que tripertita vocatur cap. XVIII. et XI. sumpta sunt haec*", quae omnia in cod. Rotom. supra §. 3. descripto inveniuntur. Postea additur pars epistolae secundae Pelagii II. a verbis: „*quod enim in canonibus legitur*" usque ad verba: „*non solum extorris sed*", quae sunt in prima columna ultimi folii; altera exsecta est.

Iam ex iis quae de singulis rebus in cod. Vatic. exhibitis attuli, apparet, eum et cum codicibus A1 et cum codicibus B cohaerere, itaque non inter codices vetustissimos numerari posse. Sed dicat quispiam: quamquam ipse codex saeculo IX. exaratus non sit, descriptum tamen esse ex vetutissimo exemplari, cum pauciores res quam alii codices contineat et ea, quae in ceteris inveniuntur, postea addita esse

appareat. Cui obiciendum est primum: si aliae gravissimae causae non inveniantur, eis codicibus qui remotioris aetatis sint, fidem habendam esse. Deinde maxima pars eorum quae in Vaticano 630 omissa sunt, solum in vetustioribus exemplaribus extat, non in posterioribus codicibus B, quorum antiquissimus inter a. 1145—1152 scriptus est, itaque hae res a quodam amanuensi in collectionem postea insertae esse non possunt. Quae sententia confirmabitur, si singularum rerum omissarum rationem habueris. 1) Codex Vaticanus ante canones apostolorum tabulam praemisit, non quidem ut codices A1 decretalium priorum et conciliorum, sed tantum conciliorum. Haec tabula conciliorum etiam in codicibus quibusdam collectionis Hispanae invenitur (cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 4. §. 2. Coustant, epist. Roman. pont. praef. p. CXVII.), unde Pseudo-Isidorus ea desumsit. Sed nonne verisimilius est, Pseudo-Isidorum, si ipse tabulam suo operi anteposuerit, eam ita concepisse ut etiam canones apostolorum et decretalium a Clemente usque ad Melchiadem ea comprehenderet? Et tabula quae sola concilia exhibet, ut Vaticani 630, certe non ante canones et decretales, sed post has ante concilia ponenda fuit. 2) Vaticanus exhibet sicut codd. A1 post concilium IV. Toletanum praefationem concilii I. Bracarensis et post Toletanum VIII. excerpta: „haec sancta synodus", omisit autem epistolam Innocentii Mizoniique positam ante canones concilii I. Carthaginiensis. Quae omnes res in Hispana non leguntur, itaque a Pseudo-Isidoro additae esse videntur. Iam si duas priores adiecit, verisimile est, etiam epistolam citatam ab illo esse insertam, nam inter ipsos titulos canonesque illius concilii a quodam librario postea interpolatam fuisse nullam habet probabilitatem. 3) Leonis autem decretalium in Vaticano tantum eaedem quae in collectione Hispana proferuntur, attamen in omnibus codicibus A1, qui posteriorem partem collectionis exhibent et quidem in duobus codicibus saec. X. scriptis (Par. int. suppl. lat. 840 et Carnot. 67bis) plures continentur. Quodsi respexeris, etiam hos codices ut Vaticanum ex vetustiore quodam exscriptos esse, certe codici ex quo transcripti sunt, eadem aetas atque ei ex quo Vaticanus profluxit, tribuenda est.

Quae omnia iam Balleriniorum sententiam, Vaticanum codicem inter omnes maximae virtutis auctoritatisque esse, refellunt.

Accedit alia res, quae non contineri in ea antiquissimam formam collectionis probat. Profertur enim, ut supra iam notavi, post ordinem de concilio celebrando praefatio collectionis Hispanae. Quam certe ipse Pseudo-Isidorus non inseruit, nam cum in sua praefatione dicat canones apostolorum, quamquam a quibusdam tamquam apocryphi reiicerentur, operi suo a se ut patrum synodali auctoritate roboratos insertos esse, non potuit ipsis canonibus aliam praefationem anteponere, in qua de iis legitur: „canones autem qui dicuntur apostolorum seu quia eosdem nec sedes apostolica recipit nec sancti patres illis consensum praebuerunt, pro eo quod ab haereticis sub nomine apostolorum compositi dignoscuntur; quamvis in eis quaedam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota." Qua ex re etiam hoc explicari potest, quid sit, cur Vaticanus plura quae in codicibus A1 inveniuntur, omiserit. Ipse enim amanuensis qui codicem Vaticanum scripsit, aut ille qui exemplar ex quo Vaticanus transcriptus est exaravit, adhibuit codicem collectionis Hispanae, et cum tales res quae in hoc non legebat omitteret, videtur collectionem Pseudo-Isidorianam secundum Hispanam expurgare voluisse. Quod etiam ex eo apparet, quod in ultima epistola Liberii finem ex epistola Ennodii compositum, de quo dubitari potest, an pars Liberianae epistolae sit, non posuit et Innocentii epistolas eodem ordine qui in Hispana est protulit, postea autem et quidam post Sixtum III. alias ex collect. Quesnell. a Pseudo-Isidoro desumtas inseruit. Quin etiam hac in re primo haesitasse videtur, cum primam eo loco quo epistolas collectionis Hispanae posuit, adiunxerit, deinde in secunda scribenda desierit. — Etiam aliis ex rebus probatur, codicem Vaticanum non ea ex causa pauciora exhibere quod

vetustissimus sit, sed quia librarius plura omisit. Tabula, quae in codicibus A1 tertiae parti praemittitur, in codice Vaticano deest, in codice autem ex quo exscriptus est, inerat; nam numerus I, qui in tabula excerptis Silvestri additur et in codicibus citatis postea etiam ubi textus eorum profertur, inscriptioni apponitur, etiam in codice Vaticano invenitur, quippe qui ut cod. Paris. inter suppl. lat. legat: „*incipiunt excerpta quaedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri cap. I.*" Synodi V^{a} et VI^{a} Symmachi tantum incuria amanuensis inter decreta eiusdem papae omittuntur, eas enim a Pseudo-Isidoro confictas esse dubitari nequit, cum eodem modo iisque ex fontibus ut cetera figmenta impostoris conflatae sint et omnibus aliis in codicibus suo loco proferantur.

Postremo quo magis quae de codice Vaticano diximus confirmentur, locos quosdam afferam, ut textus Hispanae collectionis, codicum A1, codicum B, codicis Vaticani comparari possit:

1) c. 6. conc. Gangrens.

Hisp.	cod. Andeg. (A1).	Vatican. 630.	Bonon. 115.
Si quis extra ecclesiam *privatim* populos congregans contemnat ecclesiasticas sanctiones ipsamque ecclesiam apud se *autem* sine consilio episcopi cum *presbyteris* (alii: presbytero) agat, anathema sit.	Si quis extra ecclesiam *privatam* . . . . ecclesiam apud se sine consilio episcopi cum *presbytero* agat, anathema sit.	Si quis extra ecclesiam *privatam* populos congregans contemnat ecclesiasticas sanctiones *aliter ea quae sunt ecclesiae voluerit usurpare non conveniente presbytero iuxta decretum episcopi anathema sit*, ipsamque ecclesiam etc. ut Andeg.	ut Vatic. 630.

2) c. 9. conc. Tarracon.

Hisp.	cod. Andeg.	Vatic. 630.	Bonon. 115.
Si quis lectorum adulterae mulieri voluerit misceri vel adhaerere consortio, aut relinquat adulteram aut a clero habeatur extraneus; *similis sententia* ostiariorum manebit *scholam.*	. . . . *simili sententia* ostiariorum manebit *scola.*	. . . . *simili sententia* ostiariorum manebit *sententia.*	. . . . *simili sententia* manebit ostiariorum *sententia.*

Atque haec quidem de codice Vaticano 630[1].

II. Cod. Audomarensis 189. membr. fol. saec. XII. ineunt. in duo volum. fol. 176 et fol. 172 divisus initio profert catalogum Romanorum pontificum usque ad Paschalem II. (1099—1118), deinde omnia sicut cod. Vaticanus 630 exhibet, annotationes synodorum, catalogum provinciarum, epistolam formatam Liutadi etc., quin etiam epistolas easdem Innocentii I. ante decreta Zosimi et easdem ante Leonis M. epistolas profert et duas synodos Symmachi et duas eiusdem papae epistolas eodem loco quo codex laudatus eas exhibet, post quas etiam in fine omnes eaedem res usque ad excerptum epistolae Pelagii II. inveniuntur; in eo tantum differt, quod in fine, ubi mutilus non est, excerptum ex Pelagii II. epistola usque ad verba: „cui si aliquis contradixerit, non solum extorris sed etiam anathematizatus ab ecclesia pellatur" exhibet. — De duobus Lipsiensibus pauca dicenda mihi videntur:

III. Cod. Lipsiensis CCXLI. Rep. II. no. 7. membr. fol. saec. XI. foliorum 75, mutilus in principio et in fine et in medio. Erat codex qui collectionem Pseudo-Isidorianam ita ut Vaticanus 630 exhibebat. In duobus prioribus foliis quae sola huius quaternionis supersunt, legitur *conc. III. Toletanum* a verbis c. 2: „ita sit vestrae docibilitatis" usque ad verba: „quicumque nescire filium dei quae

[1] Valde etiam confirmantur ea quae de codicibus A1 et Vaticano 630 dixi, epistola *Leonis* ad Mauros ab Hincmaro Remensi in opusculo LV capitum c. 5 citata, qua de re lectorem ad §. 13. V. 5. remittimus.

pater sciat dixerit, anathema sit: quicumque" confessionis fidei episcoporum, presbyterorum vel primorum Gothicae gentis in eodem concilio prolatae. Fol. 3. ponuntur: „*incipiunt excerpta quaedam ex sinodalibus gestis sancti Silvestri papae cap. I.*", epistola *Athanasii ad Marcum* (usque ad verba: „maxime Arriani a quibus cotidie"). A fol. 4, in cuius initio finis epistolae ultimae *Iulii* inde a verbis: „maiorum natu per alios ne fiant" legitur, usque ad fol. 24 proferuntur epistolae *Liberii*, *Felicis II.*, *Damasi*, *Siricii*, *Anastasii* ita ut habentur in cod. Vaticano 630; secundaeque Damasi epistolae eadem tabula ceterarum decretalium eiusdem papae quae in isto codice (cf. p. LXII.) praemittitur. — Epistolarum *Innocentii I.* ponuntur primae omnes epistolae collectionis Hispanae, et postea septem ex collect. Quesnell. desumtae. — Postremo codex sequentium paparum epistolae usque ad *Leonem M.* exhibet. Cuius epistolae eodem ordine positae quo in codice Vaticano 630 inveniuntur; cum autem codex in fine mutilus sit, non 39 omnes leguntur, sed tantum 30 priores usque ad epistolam ad universos episcopos per Campaniam et Picenum, in cuius verbis: „tales admissi sunt, ab ecclesiasticis" (c. 2) codex desinit.

IV. Codicem Lipsiensem CCXL. Rep. II. no. 8. membr. fol. saec. XII. foliorum 8, cuius tantum unus quaternio scilicet quartus superest et qui a verbis c. 18: „crucifixissent, crucifigunt" ultimam epistolam *Alexandri*, epistolas *Sixti I.*, *Ygini*, *Annicii*, *Pii*[1], *Sotheri*, *Eleutheri*, primam epistolam *Victoris* usque ad verba c. 4: „audivimus vos vestrosque" profert, his codicibus adnumerem, quamquam ex textu quem exhibet satis dilucide non apparet, utrum his an sit codicibus classis B attribuendus.

V. Postremo pauca de codice Montecasinensi, qui non tantum quantum Vatican. a codicibus classis A1 abhorret. Est enim Montecasinensis no. I. (numer. interior 663) membr. fol. saec. XI. litteris Beneventanis scriptus, foliorum 454. In duobus foliis non numeratis praemittuntur fragmenta expositionis in evangelia factae et „*sermo venerabilis Paulini Legionensis Britannicae urbis episcopi de translatione S. Matthaei. Anno dominicae incarnationis nongentesimo quinquagesimo quarto cum Gisulfus princeps Salernitanum populum regere*" etc. In fol. 1 proferuntur omissa praefatione Pseudo-Isidoriana epistola *Aurelii* ad *Damasum* et rescriptum *Damasi* ad eundem, quibus subiicitur tabula decretalium et conciliorum, tamen auctior quam in codicibus A1, et numeros XCV. exhibens[2]; tum praemissis verbis „*de canonibus apostolorum*" etc. epistola Hieronymi ad Damasum: „gloriam sanctitatis." Sequuntur epistolae pontificum Romanorum a *Clemente* usque ad *Melchiadem*. Omissis tractatu de primitiva ecclesia, exemplari constituti Constantini, ceteris rebus quae in codicibus A1 hoc loco leguntur, exhibetur secunda tabula decretalium: „*incipiunt capitula decretalium venerabilium apostolicorum sancte Romane sedis ecclesie.*" Quae etiam plures numeros et titulos quam codices A1 profert, nam recepit multas res quae ad collectionem Pseudo-Isidorianam non pertinent, sed post eam in codice leguntur[3]. Tabulam sequuntur decretales reliquorum Romanorum pontificum a *Silvestro* usque ad *Gregorium*, inter quas:

[1] Decreta Pii post Annicii epistolam ponuntur; in margine codicis huic manu eadem additur: „post Yginum sedit Pius, post Pium Anicius: hic et ordo decretorum." — [2] Conciliis Galliae enim adduntur et ante concilia Hispaniae inseruntur: „*LXII. conc. Aurelian. II.* 32 *episcoporum. LXIII. conc. Aur. III.* 15 *episc. LXIV. conc. Aurel. IV.* 23 *episc. LXV. conc. Aurel. V.* 26 *episc. LXVI. conc. Veneticum. LXVII. conc. Vasense II.* 10 *episc. LXVIII. conc. Epaonense* 23 *episc. LXIX. conc. Ausonicum* 10 *episc. LXX. Item conc. Ausonicum* 8 *episc. LXXI. canones Matesconenses* 20 *episc. LXXII. Item synodus Matesconensis* 45 *episcoporum et legati aliorum episcoporum* 13 *et epistola Guntrani regis. LXXIII. conc. Telenense* 80 *episc. LXXIV. conc. Parisiacense* 15 *episc. LXXV. Item canones Parisiacenses* 27 *episc. LXXVI. conc. Antisiodorense. LXXVII. canones Cabillonenses* 38 *episc. et legati aliorum episcoporum Theodorio directa.*" — [3] Posteriores tituli sunt: „*CXLIV. decreta II*i *Pelagii papae. CXLV. item epistola I*i (pro II.) *Pelagii pape Benigno archiepiscopo directa. CXLVI. cuius supra generaliter omnibus et specialiter his qui per Campaniae et Italiae provincias degunt episcopis scripta. CXLVII. epistola Gregorii papae ad Leandrum Spalensem episcopum de simpla mersione baptismatis. CXLVIII. cuius supra ad eundem. CXLIX. c. s. ad Recharedum regem Vvisigothorum.*

1) *Liberii* et *Felicis* epistolae ita ut codd. citt. exhibentur, et quidem ultima Liberiana etiam cum additamento ex Ennodii sumpto, die, nota consulari.

2) *Damasi* decretorum omittuntur duo: epistola ad eundem Paulinum de damnatione quorundam hereticorum: „post concilium — hereticus erit" (cf. supra p. XXV. no. 99. d.) et rescriptum ad Stephanum: „lectis fraternitatis" (cf. l. c. f.). Ceterae epistolae eodem ordine quo in codicibus A1 (et epistola Hieronymi cum eodem additamento) proferuntur.

3) *Innocentii I.* primum epistolae ex collectione Hispana, deinde 7 e coll. Quesnell. desumtae ut in codicibus B et codice Vaticano 630 ponuntur. In prioribus tamen non eundem ordinem qui in Hispana est, servavit: mutavit enim eum ita ut post priores 10 epistolas Hispanae i. e. post epistolam ad Aurelium et Augustinum: „acceptissimi" poneret epistolam ad Iulianam: „singulare" et ad Aurelium de pascha: „caritatis nostrae", quae sunt 13ª et 11ª Hispanae collectionis. Omissa epistola ad eundem Aurelium: „qua indignitate" (12ª l. c.) ceteras Hispanae collectionis eodem ordine addidit. Additamentam epistolae quartae ad Felicem Nocerinum ut in codd. B et Vatican. 630 deest.

4) Epistola *Sixti III.* subditicia desideratur in codice.

5) *Leonis* epistolae omnes quae in codicibus A1 exhibentur in codice leguntur, nisi quod epistola ad Flavianum quae in codd. cit. sub no. 5 et 26 repetitur (cf. p. XXVI. no. 107) semel profertur. Ordo quem codex servat, partim cum codicibus B et codice Vaticano 630, partim cum codicibus A1 concordat. Ut in illis primae ponuntur epistolae quas l. c. sub numeris 17—19 memoravi et quarum ultimae finis ita ut in codicibus A1, B, Vatic. 630 conceptus est. Deinde autem sequuntur ita ut in codicibus A1 epistolae supra numeris 20—26 notatae. Post quas leguntur eae quas codices A1 sub numeris 1—16 proferunt, omissa sola epistola Leonis ad Flavianum (5ª). Postremo ceterae omnes (l. c. 27—58) subiunguntur, quarum epistola 45ª ad episcopos per Siciliam scripta ita ut in Rotomag. et Paris. 3852 concepta est, nam inter verba ipsius epistola ad Dorum Beneventanum inserta est. Epistola ad Africanos (51ª) ita ut in Parisiensi 3852 composita et ultimae duae (57ª et 58ª) ut in Rotomag. conceptae sunt.

6) Decreta *Gelasii* ut in cod. Par. int. suppl. lat. 840 et

7) *Symmachi* decreta ita ut in Parisiensi 3852 exhibentur.

8) Post epistolam ultimam *Pelagii II.*, quae in codice tantum usque ad verba: „adulteri et horum similes" profertur, desunt folia quaedam, ita ut

CL. c. s. ad Secundinum servum dei inclusum. CLI. c. s. ad Augustinum episcopum quem in Saxoniam pro se ad praedicandum misit. CLII. cuius supra. CLIII. item decreta pape Gregorii iunioris cum capitulis suis. CLIV. ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis presulum ac principum Romanorum hic capitula sparsim collecta sunt et Agilramno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita. CLV. disputatio imperatoris Constantii et Liberii Romani pontificis. CLVI. item epistola Gregoria Theotistae patriciae de discordia sedanda. CLVII. ita nonnulle sanctiones sparsim collecte actionis prime sancti et magni Calcidonensis concilii. CLVIII. item que sequuntur ex Constantinopolitana VIª synodo sumpta sunt. CLIX. item epistola Pelagii papae. CLX. adnotatio annorum regum Visigothorum. CLXI. item quae sequuntur ex epistolis beati Gregorii papae excerpta. CLXII. item que sequuntur epistolarum verba de diversis locis sunt excerpta. CLXIII. epistola papae Hispalensis urbis episcopi ad Laudofredum Cordovensem episcopum. CLXIV. epistola Isidori episcopi ad Masonem episcopum de restauratione sacerdotis. CLXV. de matrimonii ratione Hieronimi et aliorum. CLXVI. epistola s. Isidori de nominibus hereticorum qui unitatem ecclesiae turbari conati sunt. CLXVII. de philosophis gentium. CLXVIII. ut omnes pontifices rectoresque ecclesiarum, quando ordinandi sunt sub cautione promittant, quam iustissime vivere debeant. CLXIX. gesta synodalia quae in urbe regia a pontificibus tempore Recesvinti regis acta fuerunt. CLXX. cuius supra ad Aquileiensem episcopum. CLXXI. c. s. ad Iulianum episcopum. CLXXII. c. s. ad Theodosium augustum. CLXXIII. c. s. ad synodum apud Calcedonam habitam. CLXXIV. c. s. ad Anatholium episcopum. CLXXV. c. s. ad Leonem augustum per Philoxenum agentem in rebus. CLXXVI. c. s. ad Anatholium episcopum per Patricium diaconum. CLXXVII. c. s. ad Anatholium per Nectarium agentem in rebus." Epistolae, quae sub numeris 170—177 afferuntur, sunt epistolae Leonis M., quas amanuensis in tabula inter epistolas Leonis ponere omisit et hic addidit.

9) *Gregorii M.* tantum epistola ad Theotistam a verbis: „prius enim a vobis secreto“, synodus sub eodem papa habita et

10) *Gregorii* iunioris synodus exhibeantur.

Quas sequuntur capitula Angilramni: „*ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis hic capitula sparsim collecta sunt et Agilramno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita indictione IX., quando pro sui negotio causa agebatur*“, et quae in tabula sub numeris CLV. CLVII. CLVIII. CLX. (cf. Isid. op. ed. cit. VII, 185.) CLXI. CLXII. CLXIII. CLXIV. CLXVI. memorantur (etiam in quibusdam codicibus A1 et A2 prolata). Epistola *Pelagii* quae sub numero CLIX. notatur, non invenitur, sed pro ea inter CLVIII. et CLX. ponuntur excerpta Cass. hist. trip. XII. 8. 11., quae etiam codices Rotomag. et Vaticanus 630 proferunt. Liber Isidori de nominibus hereticorum (no. CLXVI) non integer extat, in textu ipsius desinit codex in fol. 448, in cuius margine legitur: „*hic liber gestorum summorum pontificum sive decretorum et conciliorum optimus et valde notabilis, optatus quidem haberi ipsius exemplum a Iohanne abbate monasterii sancti Georgii maioris de Venetiis ordinis sancti Benedicti et hoc ipse propria manu scripsit die VII. Iulii* 1430.“

Folia 449—454 quae sequuntur, cum duobus primis codicis coniungenda sunt et partes rerum ibi scriptarum exhibent.

§. 8. Cap. IV. De codicibus classi C attribuendis.

I. Codex Montepessulanus H. 3. membr. fol. saec. XII. exeunt. aut saec. XIII. ineunt. in duo volumina, alterum 218, alterum 206 foliorum, divisus.

II. Codex Montepessulanus H. 13. membr. fol. saec. XIV. foliorum 197, ex secundo volumine codicis citati transcriptus.

III. Codex Parisiensis bibliothecae quae vocatur „du Corps législatif“ B. 19 (olim 681) membr. fol. saec. XIII. ineunt. foliorum 258.

IV. Codex Vaticanus 1340 membr. fol. saec. XIV. foliorum 390.

V. Codices S. Marci Veneti Zanetti CLXVIII. XCIV. 3. et CLXIX. LXIV. 3. chartac. fol. saec. XV., quorum alter priorem, alter secundam partem collectionis Pseudo-Isidorianae continet.

Hi omnes collectionem exhibent auctam multis additamentis quae aliis in manuscriptis non inveniuntur.

Cod. Montepessulanus H. 3. et Parisiensis initio sicut codices B proferunt 1) catalogum provinciarum, 2) nomina Romanorum principum usque ad Fridericum I. (1152—1190), Montepess. autem alia manu usque ad Fridericum II. (1212—1250), 3) nomina Romanorum pontificum, Paris. usque ad Coelestinum III. (1191—1198), Montepess. usque ad Alexandrum III. (1159—1181).[1] In Vaticani 1340 prioribus foliis, quibuscum folia 387—390 coniungenda sunt, vitae Romanorum a Sixto III. usque ad Adrianum IV. (1154—1159) et versus et tractatus de aera computanda leguntur. — Tum codices citati et Venetus CLXVIII. ponunt annotationes 3 de synodis quae in codicibus B leguntur, et epistolam *Aurelii* ad Damasum et rescriptum *Damasi* ad eundem. — Sequitur praefatio, in Montepess.: „*incipit praefatio Ysidori in sequenti opere. Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parenti*“ (alia manu supra additur: „vel parens“) „*in domino fideli*“ (alia manus supra posuit: „vel fidei“) „*salutem*“; in Paris.: „*incipit praefatio Ysidori in sequenti opere. Isidorus servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fideli salutem*“; in Vatic.: „*incipit praefacio Ysidori in sequenti opere. Mercator servus Christi lectori conservo suo et parenti in domino fideli salutem*“ (supra verbo „parenti“ eadem manus ut videtur addidit: „*pro*

[1] Alia manu adduntur nomina usque ad Gregorium IX. (1227—1241), posteriore alia manu nomina Coelestini IV. (1241—1241) et Innocentii IV. (1243—1254), tertia manu Urbani IV. (1261—1264) et Clementis IV. (1265—1268).

parens", et „*pro fidei*" supra „fideli"); in Venet.: „*incipit praefacio Ysidori in sequenti opere. Mercator*" etc. ut in Vatic.

Profertur tabula decretalium et conciliorum, cuius ultimi tituli in Montepessul., Vatic., Venet. ita ut in codicibus B exhibentur:

„*Decreta Gregorii iunioris.*"

„*Liber capitulorum ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum collectorum ab Agilramno*[1] *Metensi episcopo.*"

„*Item exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis non alienandis.*"

„*Item exceptiones de gestis Calcedonensis concilii et Constantinopolitani secundi.*"

„*Disputatio Liberii papae et Constantini imperatoris*"[2].

Post tabulam habentur ordo de celebrando concilio, canones apostolorum ceteraeque res usque ad *concilium II. Hispalense* sicut in codicibus B leguntur.

Profertur deinde series secunda decretalium et quidem:

1) epistolae *Liberii* et *Felicis II.* eo ordine et eodem modo conceptae quo in codd. citt. exhibentur.

2) *Damasi* decreta etiam eadem quae in codd. B inveniuntur, nisi quod ante epistolam *Stephani* conciliorumque Africae Damaso scriptam inseruntur: a) epistola *Damasi* ad Hieronymum et b) rescriptum *Hieronymi* cum eodem additamento quod est in codd A1.

3) *Siricii* epistolis adduntur 3 aliae, quae in prioribus codicibus non leguntur: a) concilium Thelense, quod in codicibus quibusdam collectionis Hispanae simul cum sequenti epistola post concilium Milevitanum ponitur, b) Siricii epistola ad Africanos: „diversa quamvis cum in unum" (cf. Coustant. p. 651), c) rescriptum eorum ad Siricium: „recognovimus litteras" (Coustant. p. 669), quas omnes res Merlinus suae editioni Pseudo-Isidori inseruit.

4) *Innocentii I.* epistolae ita ut in codicibus B proferuntur, i. e. primum omnes quae extant in collectione Hispanae deinde 7 ex coll. Quesnell. desumtae.

5) Ex decretis *Coelestini* papae cod. Paris. eadem quae in prioribus inveniuntur exhibet. In Montepessulano tantum prima epistola ad Venerium etc.: „apostolici" et secunda ad episcopos Galliae: „cuperemus quidem" usque ad verba (c. 6.): „cruentatas advenerat portionem" leguntur. In his verbis desinit pars prima codicis, in cuius operculo manu saec. XV. scriptum est: „*liber sancte Marie Clarevall. canonum pars prima.*" Etiam Venetus CLXVIII. epistolis Coelestini clauditur. In Vaticano duae tantum epistolae priores leguntur, quibus subiungitur: „*explicit prima pars canonum.*"

Parisiensis post decretales Coelestini epistolam subditiciam *Sixti III.* profert. Montepessulanus autem H. 3, cuius secunda pars decreta Romanorum pontificum inde a Sixto III. exhibet, Montepessulanus H. 13 ex eadem parte codicis H. 3 exscriptus, Venet. CLXIX., qui secunda pars codicis CLXVIII. est, Vaticanus 1340 ante textum epistolae Sixti III. aliam tabulam decretalium praemittunt, incipientem a decretis Sixti et in fine plures titulos quam prima tabula proferentem, hos: „*sanctiones sparsim collecte actionis prime sancti et magni Chalcedonensis concilii; item exceptiones ex Constantinopolitano concilio; altercatio Liberii pape et Constantini imperatoris; epistola Innocentii pape ad Samsonem archiepiscopum et ad Henricum Senonensem archiepiscopum et ad Bernardum Clarevalensem*

[1] Vatican.: *ab Gilramno.* — [2] Paris. tabulam in fine auctiorem profert: „*CXVII. decreta Iohannis papae. CXVIII. decr. Benedicti papae. CXIX. decr. Pelagii papae. CXX. decr. Gregorii I. pp. CXXI. decr. Vitaliani pp. CXXII. decr. Gregorii iunioris. CXXIII. decr. Gregorii III. CXXIV. decr. Zachariae pp. CXXV. epistolae quorundam. CXXVI. liber capitulorum ex diversis conciliis seu decretis Romanorum pontificum collectorum ab Agilramno Metensi episcopo. CXXVII. item exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis non alienandis. CXXVIII. item exceptiones de gestis Calcedonensis concilii et Constantinopolitani secundi. CXXIX. disputatio Liberii papae et Constantini imperatoris. CXXX. decr. Innocentii pp. CXXXI. decr. Eugenii pp.*"

abbatem; item eiusdem ad eosdem; item concilium Remense I. sub Innocentio papa; item concilium secundum sub Eugenio papa apud urbem Remensem" [1].

6) Epistolarum *Leonis M.* codices magnam partem proferunt, quae in prioribus desunt.

Primum locum obtinent epistolae 39 collectionis Hispanae eodem ordine, quo etiam in codicibus B inveniuntur et quas in codicibus A1 describendis notavi numeris 17—19 (inserta tamen post primam, no. 17, epistola ad Theodosium: „quantum praesidii" op. Leon. ed. Ball. I, 767), 26—44, 20—25, 45—54, 57 (cf. p. XXVI. no. 107): sed finis rescripti Flaviani Constantinopolitani ad Leonem: „nulla res diaboli" non ita ut in codicibus A1 et B conceptus, sed ut in collectione Hispana profertur (cf. l. c. no. 19), epistolae autem Leonis ad Italos scriptae: „in consortium" (cf. l. c. no. 25) idem finis qui in codicibus A1 et B est. In epistola ad Anatholium (cf. l. c. no. 44): „manifestato" codices cum codicibus B et collectione Hispana, non cum codicibus A1 concordant [2].

Post quas XL epistolas in codicibus leguntur aliae LXII hoc ordine [3]:

41) ad Ravennium: „optassemus (l. c. p. 1136), 42) ad Martianum de pascha: „tam multis" (l. c. p. 1228), 43) ad Eudochiam: „de paschali observantia" (l. c. p. 1232, ubi „Iuliano episcopo" inscribitur), 44) ad Leonem augustum: „multo gaudio mens" (l. c. p. 1339), quae 14ª in codd. A1 profertur, 45) ad Septimum: „lectis fraternitatis" (l. c. p. 594), 46) ad eundem: „relatione sancti fratris" (l. c. p. 589, ubi „ad Aquileiensem episcopum" inscribitur) [4], 47) ad Dorum: „iudicium nostrum" (l. c. p. 732) [5], 48) epistola subditicia ad episcopos Germaniae de chorepiscopis (ed. cit. II. p. 1270), non ut in codicibus A1, ubi est 55ª inter huius papae decretales prolata, sed addita parte eiusdem papae epistolae ad Africanos inde a verbis: „in eos specialius et propensius" (ed. cit. I. p. 667) usque ad finem, 49) ad episcopos per provinciam Viennensem constitutos: „divinae cultum religionis" (ed. cit. I. p. 632), 50) ad Ravennensem episcopum: „provectionem dilectionis" (l. c. p. 891), 51) ad Iulianum: licet per nostros" (l. c. p. 875, in codd. A1 prolata 10ª), 52) ad Theodosium: „quantum rebus humanis" (in codd. cit. 11ª, ed. cit. p. 839), 53) ad Pulcheriam: „quantum praesidii" (6ª in cod. citt., ed. cit. p. 853), 54) ad Constantinopolitanos: licet de his (7ª in codd. citt., ed. cit. p. 975), 55) ad Pulcheriam: „religiosam clementiae" (ed. cit. p. 1076), 56) ad Faustum: „causa fidei" (l. c. p. 1011), 57) ad Martianum: „sanctum clementiae" (l. c. p. 1075), 58) ad Anatholium: „diligentiam" (13ª inter epistolas Leonis in codd. A1, ed. cit. I. p. 1317), 59) ad Pulcheriam: „sanctis et deo placitis" (l. c. p. 1153), 60) ad Iulianum: „agnovi in dilectionis" (l. c. p. 1190), 61) ad Martianum: „quam excellenti" (l. c. p. 1185), 62) ad Pulcheriam: „multis extantibus" (l. c. p. 1188), 63) ad Iulianum: „litteras dilectionis" (l. c. p. 1210), 64) ad Eudochiam: „quanta mihi catholicae" (l. c. p. 1234), 65) ad Iulianum: „frequentissime" (l. c. p. 1244), 66) ad Palaestinos: „sollicitudini meae" (in codd. A1 8ª inter epistolas Leonis: capita quae in iis desiderantur, hic proferuntur; cf. ed. cit. I. p. 1236), 67) ad Theoderitum: „remeantibus" (epistola 1ª in codd. citt., ed. cit. I. p. 1218), 68) ad Iulianum: „christianissimi principis" (l. c. p. 1246), 69) ad Anatholium: „lectis dilectionis" (15ª in codd. A1, ed. cit. I. p. 1342), 70) ad eundem: „si firmo" (16ª in codd. citt., ed. cit. I. p. 1277), 71) ad Iuvenalem: „omne quidem" (12ª in codd. A1, ed. cit. I. p. 1193), 72) ad eundem: „acceptis dilectionis" (4ª in

[1] In Montepessulanis duobus huic tabulae anteponuntur vitae Romanorum pontificum a Petro usque ad Nicolaum I. (858—867) et catalogus paparum ab Adriano II. (867—872) usque ad Coelestinum III. (1191—1198): in codice H. 3 tamen nomina ab Anastasio IV. (1153—1154) manu recentiore addita sunt. — [2] Epistola ad Africanos (cf. l. c. 51) in cod. Vatic. in hunc modum concepta est: a) ponuntur c. 1, 2, 3 et quidem tertium usque ad verba: „futura est sacerdotis, iam tunc figura" (op. Leon. ed. Ball. I, 660), b) sequitur epistola ad Aquileiensem episcopum incipiens a verbis: „ut sub velamento communionis" usque ad finem (ed. cit. p. 590). Etiam in sequenti epistola exhibenda Vaticanus a ceteris discrepat: hi enim post epistolam ad Africanos ponunt epistolam ad Theodorum Foroiuliensem: „sollicitudinis" (ed. cit. I, 1173. cf. p. XXVIII. no. 52), at Vaticanus praemissa inscriptione „ad Dorum" affert epistolam ad eundem: „iudicium quod" usque ad verba: „quod volebant cum miserae" (ed. it. I. 735) et adiungit posteriorem partem epistolae ad Theodorum memoratae inde a verbis: „cum dominus noster cuius iudicia" (l. c. p. 1174 i. f.). — [3] Cf. op. Leon. M. ed. Ballerin. praef. in epistolas Leon. §. 13 (Tom. I. p. 527 sqq.). — [4] In Vaticano 1340 epistola legitur tantum usque ad verba c. 1: „fructum maxime expetunt" (l. c. p. 590), additur deinde pars epistolae ad Africanos inde a verbis c. 3: „beatum Christi et ecclesiae spirituale coniugium" (l. c. p. 660) usque ad verba c. 9: „iusta posthac ultione plectamus" (l. c. p. 667). — [5] Vaticanus 1340 loco huius epistolae affert epistolae ad Theodorum Foroiuliensem priorem usque ad verba c. 3: „merita actusque discutere" (l. c. p. 1174) et postea posteriorem partem epistolae ad Dorum inde a verbis c. 1: „voluntati te dignius" (l. c. p. 735) usque ad finem.

codd. citt., ed. cit. I. p. 1285), 73) epistola Ravennii aliorum episcoporum Gallorum ad Leonem M.: „perlata ad nos" (3a in codd. citt., ed. cit. I. p. 1107), 74) epistola Ceretii, Talonii etc.: „recensita epistola" (ed. cit. I. p. 1003), 75) epistola Cyrilli ad Nestorium (c. 66 coll. Quesnell.), 76) epistola Leonis M. ad Leonem augustum inde a verbis: „in magno se sacrilegio" (ed. cit. c. 9. Tom. I. p. 1375) usque ad verba: „merearis regnare cum Christo" (l. c. p. 1381) quae epistola integra 23a in codd. A1 profertur, 77) ad episcopos et presbiteros intra terciam provinciam constitutos: „tanta saeculi" (ed. cit. I. p. 1471), 78) ad Rusticum: „impletis per" (l. c. p. 1140), 79) ad episcopos per Gallios et Hispanias constitutos: „cum in omnibus" (l. c. p. 1283), 80) ad Theodosium: „pro integritate fidei" (l. c. p. 955), 81) ad Iulianum: „litterae dilectionis" (l. c. p. 869), 82) ad Flavianum: „litterae tuae" (l. c. p. 885), 83) ad Theodosium (l. c. p. 886), 84) ad eundem (l. c. p. 887), 85) ad Flavianum: „auget sollicitudinem" (l. c. p. 889), 86) ad Constantinopolitanos: „in notitiam nostram" (l. c. p. 931), 87) ad Anastasium: „quantum relatione" (l. c. p. 929), 88) ad Flavium: „quae et quanta" (l. c. p. 931), 89) ad Iulianum: „cognitis quae" (l. c. p. 930), 90) ad Faustum: „quamvis ea" (l. c. p. 937), 91) ad Martinum: „gratias egimus" (l. c. p. 1019), 92) ad Martianum: „litteras pietatis" (l. c. p. 1033), 93) ad Iulianum: „litteras fraternitas" (l. c. p. 1042), 94) ad Pulcheriam: „religiosam" (l. c. p. 1048), 95) ad Anatolium: „ad declinandum" (l. c. p. 1054), 96) ad Martianum: „credebamus" (l. c. p. 1060), 97) ad Pulcheriam: „quamvis" (l. c. p. 1206), 98) ad Maximum: „quantum dilectioni" (l. c. p. 1212), 99) ad Leonem augustum: „officiis" (l. c. p. 1300), 100) ad eundem: „licet proxime" (l. c. p. 1305), 101) ad eundem: „litteras clementiae" (l. c. p. 1321), 102) ad Pulcheriam: „quantum sibi" (l. c. p. 847).

Quas epistolas sequitur: „*incipit breviarium cause Nestorianorum et Euthicianorum collectum a sancto Liberato archidiacono ecclesiae Carthaginis*" in tabula sub no. CI. prolatum (ed. apud Mansi 9, 659 sqq.).[1]

7) Epistolis *Hilarii* subiunguntur tres aliae: a) ad Veranum etc.: „movemur ratione", b) et c) duae epistolae Tarraconensium ad Hilarium quae in editione Merlini leguntur.

8) Inter primam et secundam epistolam *Simplicii* inseruntur a) epistola ad Johannem Ravennatem, b) ad Florentium etc., e) ad Acacium, quae etiam in editione Merlini extant.

9) *Felicis III.* eadem decreta quae in codicibus B proferuntur.

10) *Gelasii* papae decretorum plura quam in codicibus prioribus exhibentur alioque ordine. Sunt haec: a) epistola ad episcopos per Lucaniam etc. constitutos: „necessaria" (cf. p. LIX. no. 5, b), b) ad Sicilienses (l. c. sub c), c) „*incipit tomus de anathematis vinculo*" (c. 47 coll. Quesnell.) qui in prioribus codicibus non invenitur, d) epistola ad Faustum (cf. l. c. sub d), e) ad Anastasium (cf. l. c. sub e), f) ad Dardanos, epistola ex duabus in codd. A1 prolatis epistolis in unam coniuncta (cf. l. c. sub f), g) ad Euphemium: „quod plene cupimus" (Mansi 8, 5), h) ordo veteris testamenti[2], i) decretum cum LXX episcopis habitum.

11) *Symmachi* decreta ita ut in codicibus B exhibentur.

12) *Hormisdae* papae epistolis quae in codicibus A1 et B leguntur, duae aliae adduntur ex collectione Hadriano-Dionysiana desumtae: a) epistola Iustini Hor-

[1] Cui breviario subiunguntur: a) epistola Constantinopolitani episcopi Iohannis ad Theodorum Movisvestenum episcopum: „si esset quidem venire possibile — vigilans anime tue dilectio", b) sancti Gregorii Nazanzeni episcopi ad eundem Theodorum: „tempus mihi est illud" (op. ed. Ben. Tom. II. cura Caillau. Par. 1840. p. 128), c) pars eiusdem epistolae sancti Gregorii ad eundem Theodorum episcopum: „quia assumpsit David famulum suum" (l. c. p. 116), d) item epistola sancti Gregorii ad eundem Theodorum episcopum: „habuit quidem et apud nos livor quem non facile" (l. c. p. 150), e) epistola Ysidori Pelusiote ad Cyrillum: „terrent me divinarum scripturarum" (cf. ep. 370 lib. I. S. Isidori Pelusiotae opera. Paris. 1638), f) eiusdem ad eundem: „compassio quidem non acute videt" (cf. lib. I. ep. 310 l. c.), g) eiusdem ad eundem: „multa quidem testimonia" (lib. I. ep. 323 l. c.), h) eiusdem ad eundem: „oportet admirabilis inconvertibilem" (lib. I. ep. 324 l. c.), i) „defensio fidei facta a Cyrillo. Invicta pariter veritate", k) „iterum capitula b. Cyrilli et testimonia diversorum" (excerpta ex operibus et epistolis Cyrilli, Athanasii, Gregorii Nysseni, Gelasii, Theodoreti), l) „S. Quintiani episcopi Asculani ad Petrum Antiochenum: omnes itaque qui dicit naturam dei", m) epistola Athanasii ad „Epictitium" (c. 52 coll. Quesnell.), n) epistola Cyrilli ad Iohannem (c. 53 l. c.), o) „incipit libellus Augustini de fide catholica contra omnes hereticos" (op. ed. Bened. Tom. VIII. app. p. 75 sqq.). — [2] Epistola ad Euphemium et ordo veteris testamenti a Merlino editi in codicibus vetustiorum classium non proferuntur.

misdae scriptum: „quo fuimus semper“ et b) exemplar precum ab clericis Hierosolymitanis ad Iustinianum scriptum: „haurite aquam.“

13) *Silverii* decretis subiungitur: a) *damnatio Vigilii*, quae in codd. B non profertur, in codd. A1 autem inter epistolas Leonis M. legitur, et b) liber sancti Prosperi pro praedicatoribus gratiae dei contra librum Cassiani presbiteri qui praenotatur de protectione dei (S. Prosperi opera. Paris. 1711. p. 307).

14) *Gregorii M.* decretis quae omnia ut in codd. B exhibentur, adduntur: a) epistola Felicis ad Gregorium M. et b) rescriptum Gregorii M. ad eundem, quae iam in cod. Darmstadt. (cf. p. XLVII.) leguntur.

15) Decretis *Gregorii iunioris* subiiciuntur praemissa inscriptione et numero CXXI. (ad tabulam decretalium respiciente) „*incipiunt epistolae Vitaliani papae*“ 4 epistolae eiusdem: a) ad Paulum Cretensem: „decimo nono“ (Jaffé 1614), b) ad Vaanum: „semper celsitudo“ (Jaffé 1615), c) ad Paulum: „ad cognitionem“ (Jaffé 1616), d) ad Georgium Syracusanum: „gesta sive“ (Jaffé 1617), quas sequitur „exemplar epistolae Martini papae“: „fraternitatis tuae“ (Jaffé 1595).

Numero CXXII, nulla tamen rubrica praemissa, subiicitur: 1) iuramentum Bonifacii (ep. *S. Bonifacii* ed. Wuerdlwein p. 19), 2) epistola Gregorii II. ad Bonifacium: „exigit“ (l. c. p. 11), 3) ad episcopos: „sollicitudinem“ (l. c. p. 22), 4) ad clerum et plebem Thuringiae: „probabilibus“ (l. c. p. 27), 5) ad eosdem: „insinuatam nobis“ (l. c. p. 25), 6) ad eosdem: „dominus Iesus“ (l. c. p. 24), 7) ad Saxones: „sapientibus et insipientibus“ (l. c. p. 25), 8) ad Bonifacium: „creditae speculationis“ (l. c. p. 41), 9) epistola Gregorii III. ad eundem: „magna nos gratulatio“ (l. c. p. 65).

Ponitur deinde inscriptio: „*CXXIII. Hucusque Gregorius a primo secundus. Hinc Gregorius a secundo iunior.*“ Sequuntur epistolae Gregorii III. a) ad episcopos omnes: „domino cooperante“ (l. c. p. 94), b) ad episcopos Germaniae: „quoniam decessor“ (l. c. p. 95), c) ad episcopos Boioariae et Alemanniae: „catholica et sanctorum“ (l. c. p. 97), d) epistola Gregorii II. ad Bonifacium: „desiderabilem mihi“ (l. c. p. 58), e) epistola Gregorii III. ad eundem: „doctoris gentium“ (l. c. p. 99).

Sub rubrica: „*CXXIV. Zacharias*“ afferuntur: a) epistola Bonifacii ad Zachariam: „confitemur, domine pater“, b) epistola Zachariae ad Wittam: „domino cooperante“ (l. c. p. 117), c) eiusdem ad Bonifacium: „Virgilius et Sedonius“ (l. c. p. 154), d) eiusdem ad diversos: „gratias ago“ (l. c. p. 219), e) ad Bonifacium: „cum nobis sanctissimae“ (l. c. p. 182), f) ad eundem: „benedictus deus“ (l. c. p. 248), g) ad eundem: „susceptis sanctissimae“ (l. c. p. 111)[1], h) epistola Bonifacii ad Stephanum: „sanctitatis vestrae clementiam“ (l. c. p. 258), i) eiusdem: „nam tempore Sergii“ (l. c. p. 278), k) epistola Danielis ad omnes reges, duces cet.: „dum universis“ (l. c. p. 9), l) epistola Caroli maioris domus: „cognoscentibus qualiter“ (l. c. p. 29), m) epistola Karlomanni“ (capitulare a. 742. Leg. 1, 16), n) capitulare Liftinense a. 743 (l. c. p. 18), o) epistola Bonifacii ad Ethobaldum: „confitemur coram deo“ (ep. Bonif. ed. cit. p. 189), p) ad abbatissam Buggam: „notum sit tibi“ (l. c. p. 78).

Tum proferuntur capitula Angilramni, quorum inscriptio in duobus Montepessulanis, Vatican. 1340, Venet. CLXIX. est: „*haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatrice urbis episcopo Rome a beato Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur*“, at Parisiensis illam ita conceptam exhibet: „*incipiunt capitula collecta ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum ab Angilrammo Metensi episcopo et Adriano papae oblata.*“

Sequuntur a) exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis, b) nonnullae sanctiones sparsim collectae sancti et magni Calcedonensis concilii,

[1] Quae omnia etiam a Merlino edita sunt.

c) excerpta ex concilio Constantinopolitano, d) altercatio Liberii papae et Constantii imperatoris, quae etiam in codicibus B et in nonnullis A1 leguntur.

Postea proferuntur epistola *Innocentii II.* ad Henricum Senonensem: „testante apostolo" (Jaffé 5767), ad Samsonem Remensem: „per praesentia scripta" (ib. 5768), „concilium Lateran. a. 1139 sub Innocentio II. habitum (Mansi 21, 526), concilium II. Remense a. 1148 sub Eugenio III. celebratum (l. c. 21, 713)[1], quo clauduntur duo codices Montepessulani.

In Parisiensi tum exbibentur duae epistolae Friderici I. imperatoris: „Theodoro et Philippo comitibus Flandrensibus vicis illustribus gratiam et omne bonum. Litteras benignitatis vestre et honorabiles" et „dilectis filiis suis venerabili clero beneficiatis Cameracensis ecclesie gratiam suam et omne bonum. Cum firmissime domus decor." In fine codicum leguntur „assertiones Gilleberti Pictaviensis episcopi" (cf. Gieseler, Kirchengeschichte Tom. II. 2. 4. Aufl. p. 399. not. 29), et symbolum (l. c.) cui praemittitur: „anno incarnationis verbi M° C° XLVIII° simbolum istud sub Eugenio papa in Remensi concilio firmatum est a patribus X provinciarum."

Contra Vatican. 1340 et Venet. in fine proferunt a) notitiam provinciarum, quae etiam in codicibus B et nonnullis A1 invenitur, b) nomina Romanorum imperatorum usque ad Fridericum I., c) nomina Romanorum pontificum alter usque ad Clementem III. (1187—1191), alter usque ad Hadrianum IV. (1154—1159).

Dubitari non potest quin omnes codices hac §. descripti recentioris sint originis. Collectio Pseudo-Isidoriana omnibus fere in rebus ita ordinata exhibetur ut in codicibus B, attamen ex multis additamentis in hanc classem manuscriptorum insertis apparet, librarium multos alios codices unde ea, velut epistolas Leonis M. repeteret adhibuisse, et inter illos etiam codicem sive codices classis A1, cum non solum quasdam epistolas in codicibus B omissas, quae in classe A1 inter decreta Pseudo-Isidoriana leguntur, proferat, velut epistolam Hieronymi ad Damasum, Damasi epistolam ad eundem, damnationem Vigilii, sed etiam additamenta quaedam iam in codicibus A1 exhibita, velut epistolas Vitaliani papae quae leguntur in codice Vatic. 1344.

Appendix: De codice quo Merlinus in collectione conciliorum edenda usus videtur esse.

Integram collectionem Pseudo-Isidorianam ab Iacobo Merlino solo a. 1523 sub hoc titulo: „Tomus primus IV conciliorum generalium, XLVII conciliorum provincialium authenticorum, decretorum LXIX pontificum etc. Venundatur Parisiis in edibus Galioti a Prato", editam esse quis est qui ignoret? Quae editio postea repetita est Coloniae anno 1530 et Parisiis 1535. Aetate nostra J. P. Migne editionem Coloniae a. 1530 factam denuo in tomo CXXX° „patrologiae cursus completi" (Par. 1853) sine ulla diligentia et cura typis expressit. Ballerinii (l. c. P. III. c. 7. no. 1) iam observaverunt, Merlinum ad suam editionem conficiendam exemplari quod codice Vaticano 1340 simile erat, itaque codice quodam, qui classi C attribuendus est, usum esse. Si editionem illius cum iis quae modo de hac classe attulimus comparaveris, hoc in dubium non vocabis. Equidem affirmare audeo codicem a Merlino adhibitum esse Parisiensem B. 19. asservatum in bibliotheca quae „du corps législatif" vocatur.

Cum verisimile sit codicem Parisiensem in Gallia exaratum esse et editio Parisiis prodierit, iam hinc opinari licet, hoc codice Merlinum usum esse. Huc accedit, quod omnium huius classis codicum praeter hunc nullus est, in quo tale sit praefationis initium quale est in editione laudata, in qua post verbum „*Isidorus*" cognomen „*Mercator*" omittitur. Denique gravissimi momenti est, quod

[1] In Montepessulano H. 3, ubi folia aliqua exsecta sunt, desunt posteriora capitula concilii I. (inde a c. 18) et priora secundi (usque ad initium c. 7).

codex et editio Merlini c. 82 conc. IV. Carthagin. sic exhibent: „*venientes etiam diebus remissionis genua flectant*", cum in ceteris codicibus et collectione Hispana legimus: „*poenitentes*" etc. Hinc, quamquam Merlinus plurima ex codice omisit et in textu, ut anterioribus temporibus fiebat, plurima mutavit, colligere licet, Parisiensem codicem fuisse, secundum quem editionem suam typis expresserit[1].

§. 9. Cap. V. De codicibus quae non integram collectionem, sed tantum excerpta ex eadem continent.

Codices qui non integram collectionem sed tantum excerpta exhibent, sunt:
I. Cod. Vatican. 1343. membr. 8. saec. XI. foliorum 173.
II. Cod. Parisiens. 3856. membr. fol. saec. XII. foliorum 179.
III. Cod. Rotomag. E. 11/6. membr. fol. saec. XII. foliorum 135.
IV. Cod. Rotomag. E. 12/7. membr. fol. saec. XII. foliorum 145.
V. Cod. Londinens. (King's library) 9. B. XII. membr. fol. saec. XII. foliorum 273.
VI. Cod. Londinens. (King's library) 11. D. VIII. membr. fol. saec. XII. foliorum 249.
VII. Cod. Londinens. Cod. Cottonian. Claudius D. IX. membr. fol. saec. XII. foliorum 234.
VIII. Cod. Lincolnensis B. 2. 3. membr. fol. saec. XII. foliorum 222.
IX. Cod. Parisiens. 1563. membr. fol. saec. XIV. exeunt. aut saec. XV. ineunt. foliorum 274.
X. Cod. Vaticanus 3829. membr. 8. saec. XII. foliorum 278.
XI. Cod. domini illustris Thomae Phillips (Middlehill).

I. Initio codicis Vaticani 1343 proferuntur tractatus de vestimentis sacerdotalibus, de sacramentis ecclesiae, de ordinatione missae. Deinde ponuntur concilia a *Nicaeno* usque ad canones conciliorum *Africanorum* ex collectione Hadriano-Dionysiana desumta, inter quae desiderantur concilium *Laodicenum* et canones concilii *Constantinopolitani:* conciliorum prolatorum quidem librarius neque omnes canones neque omnes subscriptiones posuit, sed nonnumquam quaedam omisit. Sequuntur capita quaedam decretalium *Innocentii I.*, *Zosimi*, *Leonis M.*, *Anastasii* ex eadem collectione hausta. Post quae excerpta leguntur: a) „*praecepta sancti Petri de conservandis sacramentis. Clemens Iacobo karissimo*" (epistola Clementis: „quoniam sicut", et quidem sine additamentis a Pseudo-Isidoro confictis, qualis extat in edit. cit. op. Leon. M. Tom. III. p. 674), b) „*Statuta antiqua Orientis*", c) „*incipit epistola canonica quam adimplere debent presbiteri, diaconi, subdiaconi*" (l. c. p. 669), d) „*incipit decretum Silvestri pape urbis Rome*", cuius inter inscriptionem et textum insertus praemittitur can. 14. Martini Bracarensis. Inveniuntur deinde decreta *Leonis M.*, *Gelasii*, *Gregorii M.* ex collectione citata desumta, quae enumeraverunt fratres Ballerinii (l. c. P. III. c. 8. no. 3): quibus subiunguntur epistola *Gregorii* ad Augustinum, quam ex hoc codice Ballerinii (l. c. p. CCXLIV.) ediderunt et excerptum ex epistola Hieronymi ad Evangelium a verbis: „nam Alexandriae a Marco" usque ad verba: „presbiteros turba contemptibiles facit"

[1] De codicibus ab iis, qui conciliis edendis operam dederunt, adhibitis pauca asserere licet. Mansi (1, 5. 6) lectiones varias ex cod. Vaticano 630 (classis A/B) praefationi Ps.-Isidori adnotavit et usus est codice Lucensi 123 classis A2 (cf. p. XIV. 125. 130. 138 etc.). Labbe (1, 3) mentionem facit codicis cuiusdem Iustelli et Harduinus manuscripti Collegii Parisiensis societatis Iesu (1, 4). De quibus nihil aliud affirmari potest quam videri fuisse aut codices classis A1 aut classis A/B et in quibusdam epistolis proferri rubricas easdem quae leguntur in codicibus tantum excerpta decretalium velut Paris. 3856 exhibentibus (cf. Labbe 1, 566. Harduin 1, 93. Mansi 1, 664). Textus decretalium apud Blondellum (Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes. Genevae 1628) prolatus etiam ex codice quodam classis A1 aut A/B desumtus esse videtur. Saltem et in editionibus conciliorum et apud Blondellum textus melior et purior est quam in editione Merlini.

(op. Hieronymi ed. cit. Tom. I. p. 1082. 1083). Postea codex profert praemissis epistola *Aurelii* Carthaginiensis ad Damasum et *Damasi* rescripto ad eundem decretales Pseudo-Isidorianas, sed non omnes neque eas quas affert omnes integras et primum quidem:

1) epistolam ultimam *Clementis*. 2) *Anacleti* epistolam primam usque ad verba c. 6: „nec fratres infestare“; eiusdem secundam et tertiam integras. 3) *Evaristi* primam usque ad finem c. 2: „viros venerabiles consecuta“, cui subiunguntur verba c. 3 i. f.: „haec vero fratres praedicate — dat. IX. Kal. April. Valere et Vetere vv. cc. conss.“; eiusdem secundam integram. 4) *Alexandri* primam usque ad verba c. 9: „super infirmos etiam manus imponite et bene habebunt.“ 5) *Sixti I.* epistolam secundam integram. 6) *Pii* epistolam primam. 7) *Annicii* et 8) *Sotheri* epistolas integras. 9) *Eleutherii* epistolam. 10) *Victoris*, 11) *Zepherini*que epistolas primas integras. 12) ambas *Calixti*. 13) *Urbani* unam. 14) *Anteri* epistolam usque ad verba c. 5: „nostra vero iudicat deus“, quibus subiungitur: „dat. XIII. Kal. April. Maximiano et Affricano vv. cc. conss.“ 15) *Fabiani* secundam et tertiam. 16) *Cornelii* secundam. 17) *Stephani* secundam usque ad verba c. 13: „mala quisquam vexetur“, quibus verbis additur: „data Non. April. Valeriano et Gallicano vv. cc. conss.“ 18) *Dionisii* secundam. 19) *Felicis I.* secundam. 20) *Euticiani* secundam usque ad verba c. 9: „gaudium meum impletum in semetipsis“, additis: „dat. XIV. Kal. Octobr. Caro II. et Canano vv. cc. conss.“ 21) *Gaii* epistolam usque ad verba c. 4: „sub stipulatione valeant.“ 22) *Iulii* epistolam primam: „decuerat vos fratres“; epistolam *Orientalium* ad eundem missam: „licet circa“; epistolam *Iulii* secundam: „decuerat vos adversus,“ omnes integras. 23) Partem epistolae *Felicis II.* primae inde a verbis c. 15: „de induciis“ usque ad verba c. 16: „dilectionem habueritis ad invicem“, subiunctis: „dat. Id. Febr. Rogario et Iuliano vv. cc. conss.“ 24) *Stephani* conciliorumque Africae epistolam ad Damasum scriptam et rescriptum eiusdem, integra.

Ex epistolis quas codex affert itemque ex epistolis in causa Rothadi Suessionensis scriptis[1] quae excerpta decretalium sequuntur, apparet, librarium codice quodam qui similis Valicellano D. 38 fuerit, itaque codice classis A2 usum esse. — Postremo afferuntur:

1) Fragmentum *Leonis M.* epistolae Dioscoro Alexandrino scriptae (op. Leon. I. p. 628). 2) *Gregorii M.* epistola ad Serenum (Jaffé 1361). 3) Synodus sub Zacharia a. 743 celebrata (Mansi 12, 381). 4) Liber Gennadii de ecclesiasticis regulis Augustino adscriptus. 5) Excerpta ex epistola *Gregorii M.* ad Ianuarium episcopum Carilitanum directa (Jaffé 933). 6) *Innocentii I.* epistolae ad Marcianum Naisitanum et ad Rufum, Eusebium ceterosque episcopos Macedoniae. 7) Canones ex concilio Carthaginiensi et conciliis Africanis collectionis Hadriano-Dionysianae excerpti. 8) Fragmentum epistolae sub nomine Hormisdae prolatae (cf. Berardi, Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti. P. II. T. I. Venet. 1783. p. 384. et c. 29 dist. L.). 9) Epistola *Gregorii M.* ad Etherium episcopum Lugdunensem (Jaffé 1263). 10) „*Haec sunt dicta Zachariae papae de eo quod nullus consanguineus debeat copulari*“. 11) Formata ex hoc codice edita a Balleriniis (l. c. P. III. c. 8 no. 5). — Quibus omnibus diversis manibus posterioribus adduntur excerpta breviora ex epistolis *Marcelli* et *Gelasii* et formata *Attici*.

II. Codices Parisiensis 3856, Rotomag. E. 11/6, Rotomag. E. 12/7, Londinens. (King's library) 9. B. XII., Londinens. (King's library) 11. D. VIII., Londinens. Cod. Cottonian. Claudius D. IX., Lincolnensis B. 2. 3, Parisiensis 1563 etiam tantum excerpta collectionis Pseudo-Isidorianae sed aliter concepta exhibent. Praemisso titulo: „*excerpta ex decretis Romanorum pontificum*“ proferunt epistolas tres priores Clementis[2] integras. Ex aliis epistolis tantum excerpta inveniuntur, singulaque in capita numeris titulisque appositis distinguuntur. Cum longius sit exponere, qui loci ex singulis epistolis hausti exhibeantur, satis habeo aliqua exempla huius rei attulisse:

a) Epistola I. Anacleti ita concepta est:
„Decreta Anacleti.“

Deinde ponuntur tituli:

„I. De iis qui sacerdotes accusant.

[1] Sunt epistolae a Philippo Jaffé enumeratae sub numeris: 2053, 2052, 2054, 2058, 2066, 2067, 2082, 2097, 2101, 2102, inter quas (inter 2082 et 2097) inseritur libellus proclamationis Rothadi (Mansi 15, 681). — [2] Cod. Paris. 3856 in principio mutilus incipit a verbis: „oportet ligari solvet“ (c. 2).

II. Ut episcopus deo sacrificans testes secum habeat.
III. De peregrinis et provintialibus iudiciis.
IV. Ut oppressus iudicio saecularium appellet iudicium sacerdotum et de maioribus causis ad sedem apostolicam referendis."

In textu epistolae legitur:

1) initium: „Anacletus — a domino in saecula."
2) c. 1. a verbis „nolite mirari" usque ad „regni urbem properare cupientes" (c. 2).
3) c. I. = „Audivimus" (c. 3) — „aut testimonio suscipiendus" (c. 4).
4) c. II. = „Episcopus deo" (c. 10) — „et sancta Romana tenet ecclesia" (c. 11).
5) c. III. = „Leges enim ecclesiae" (c. 15) — „terminari voluit" (c. 16).
6) c. IV. = „Omnis enim oppressus" (c. 16 i. f.) — „aedificabo ecclesiam meam" (c. 17).

b) „Decreta Telesfori.
I. Ut VII ebdomadas ante pascha clerici a carne ieiunent nec admittant laicos in accusationibus suis.
II. De celebratione missarum et ymno angelico recitando.
III. De episcopis honorandis et non detrahendis.
IV. De accusatoribus non recipiendis."

c. I. = c. 1. „Karissimis" — „noctisque studeant."
c. II. = c. 2. „Nocte vero sancta" — „hominibus bonae voluntatis" et c. 3. „Ab episcopis autem" — „solempniter recitandus."
c. III. = „Ipsi enim" (c. 3) usque ad finem eiusd. c. 4.
c. IV. = „Accusatores vero" (c. 4) — „mereamini vestro salvatori" (c. 4 cit.) adiunctis verbis: „deus vos incolumes custodiat, fratres karissimi."

Etiam integrae epistolae quorundam pontificum exhibentur, velut epistola prima Vigini, quae sic profertur:

„Decreta Egini[1] papae.
I. De missione filii a patre.
II. De causis episcoporum.
III. De criminationibus maiorum.
IV. De peregrinis iudiciis."[2]

Tali modo excerpta decretalium ab *Anacleto* usque ad *Melciadem* exhibentur, inter quae tantum ex epistolis *Pontiani*, *Euticiani*, *Gaii*, *Marcellini* nihil affertur.

Sequuntur exemplar constituti *Constantini* et alia excerpta ex decretalium *Silvestri* usque ad *Damasum*. Tum ponuntur excerpta ex epistolis ceterorum pontificum Romanorum a Siricio usque ad Gregorium iuniorem, inter quas tamen omittuntur decretales *Bonifacii II.*, *Iohannis II.*, *Agapiti*, *Silverii*, *Vigilii*, *Pelagii I.*

Illum, qui haec excerpta fecerit, codice quodam A, et quidem simili Parisiensi inter suppl. lat. 840 usum esse dubitari non potest, nam: 1) inter epistolas *Damasi* invenitur: „professio catholicae fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum episcopum", quae in ceteris classibus non legitur; 2) epistolae *Innocentii I.* et *Leonis M.*, ex quibus excerpta affert, eodem ordine ponuntur quo in codicibus citatis; 3) *damnatio Vigilii* ut in his codicibus inter decreta Leonis profertur.

Post decreta Gregorii iunioris adduntur capitula Angilramni[3]: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Ingilramno Mediomatricae urbis episcopo Rome a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur*",[4] quibus subiiciuntur: a) synodale decretum *Nicolai* a. 1059 (Mansi 19, 897); b) eiusdem decretum de simoniacis (l. c. p. 899); c) iusiurandum *Berengarii* (l. c. 900); d) tantum in codd. Paris. 3856. 1563, Rotomag. E. 11/6: synodus a. 1079 sub Gregorio VII. habita (Mansi 20, 523).

Codices Parisiensis 3856 et duo Rotomagenses nihil aliud ex collectione Pseudo-Isidoriana afferunt, sed codices 4 Anglici supra enumerati addunt post

[1] Sic omnes codices pro Vigino legunt. — [2] Singula capita cum capitibus codd. A2 concordant. Divisio capitum quae exhibetur apud Blondellum in epistolis Iulii: „decuerat vos adversum sanctam" (p. 457) et Felicis II.: „sacram vestram" (p. 499), etiam in his codicibus profertur. — [3] Omittuntur in cod. Rotomag. E. 12/7 mutilo in fine, qui desinit in decretis Gregorii M. — [4] In cod. Paris. 3856 unum folium partem capitulorum Angilramni continens nunc deest.

decreta ad Nicolaum II. pertinentia etiam seriem conciliorum, et quidem primum ex collectione Hadriano-Dionysiana canones apostolorum, concilium Nicaenum, Ancyritanum, Neocaesariense, Gangrense, Sardicense, Antiochenum, Laodicenum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, cui praemittitur synodus Ephesina, deinde formatam Attici; deinde cetera concilia inde a concilio I. Carthaginiensi usque ad concilium II. Hispalense, quae in Pseudo-Isidorianis exhibentur. Epistola Aurelii Mizoniique in codicibus A1 ante concilium I. Carthaginiense inserta etiam hic invenitur.

Eadem concilia codex quoque Parisiensis 1563 exhibet, differt tamen ab aliis eo, quod ea excerptis ex decretalibus praemittit.

III. Codex Vaticanus 3829 alia excerpta breviora ex epistolis Romanorum pontificum et ex subditiciis et ex genuinis quae in collectione Pseudo-Isidori continentur insertis excerptis ex libro pontificali profert[1], quibus adiungit excerpta ex epistolis Deusdediti, Honorii I., Theodori I., Nicolai I., Eugenii II., Agathonis, Benedicti III., Iohannis VIII., Constantini I., Zachariae, Stephani III., Adriani I., Paschalis I., Nicolai I., Eugenii, Adriani, Leonis IX., Alexandri II., Gregorii VII., Eugenii II., Urbani II., Paschalis II., inter quae sub nomine Adriani leguntur excerpta quaedam ex capitulis Angilramni. Initio codicis habetur catalogus Romanorum pontificum inde a Marcello (308—310) usque ad Calixtum II. (1119—1124). Videtur librarius excerpsisse codicem recentiorem classis A1.

IV. De codice viri illustris Thomae Phillips 1764. 610, qui videtur codicibus Pseudo-Isidorianis adnumerandus esse, nihil afferre possum nisi quod habetur in Gustavi Haenel catalogo (p. 856): „Collectio sententiarum, ut fert titulus; sunt autem excerpta ex conciliis et decretalibus; ad calcem fol. 138 recti haec habentur: Ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum et principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et ab Ingelramno Mediomatricae urbis episcopo Romae beato P. Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indict. VIII., quando pro sui negotii causa agebat. Sequuntur deinde varia capitula de accusatoribus et de accusatis; saec. circiter XI. membr. (Manu diversa. Notatur ad extremam fol. IX. versi oram, ecclesiae S. Gervasii et Protasii Suession.)"; nam ut iam (§. 1.) dixi, facultas eum inspiciendi mihi non erat.

[1] Exempli loco sint decreta Gaii:
„decreta Gaii papae de probanda accusatione.
Gaius papa: Si quis episcopus (c. 4) — se iacturam infamiae sustinere."
„Ut ad episcopatum per gradum ascendatur.
Illud nos statuentes — episcopus ordinetur" (c. 7).
„De ordinibus aecclesiae.
Gaius natione Dalmaticus — ordinaretur" (ex libro pontificali desumtum).
„Ut sedi apostolicae res difficiles deferantur.
Gaius dilectissimo fratri Felici episcopo. Quaecunque difficiles — ad sedem apostolicam referantur" (c. 7 i. f.).
„Ut christiani paganos non accusent.
Pagani vel heretici — infamationis inferre" (c. 2).
„Ut delata probentur.
Si quis adversus — infamiae sustinere" (c. 4 med.).

PARS II. QUO MODO QUIBUSQUE EX REBUS PSEUDO-ISIDORUS COLLECTIONEM SUAM COMPOSUERIT?

§. 10. Cap. I. De indole generali collectionis Pseudo-Isidorianae.

Descriptis codicibus Pseudo-Isidorianis agi potest de ipsa collectione et primum quidem quomodo Pseudo-Isidorus eam composuerit. Qua in re quoniam et prioribus collectionibus usus est et ipse decretales composuit, disputatio nostra ita instituenda est, ut primum de illis rebus quas aliunde hausit, deinde (part. III.) de iis quas ipse confinxit, disseramus.

Recentiore tempore inter viros doctos in dubium vocatum est, utrum ipse Pseudo-Isidorus collectionem suam tantum ex decretalibus an etiam ex conciliis conflaverit (cf. Wasserschleben in Herzog, Real-Encyclopädie Tom. XII. p. 338. Richter, Kirchenrecht 5. Aufl. p. 84). Sed iam ex diversis formis codicum classis vetustissimae A1 inter se comparatis apparet, concilia quoque in collectionem recepta esse (cf. supra §. 3). Quod etiam praefatione confirmatur, quam Pseudo-Isidoro abiudicari non posse iam §. 5. comprobavi.

In illa enim Pseudo-Isidorus de ordine collectionis suae dicit:

„In principio vero voluminis huius *qualiter concilium apud nos celebratur* posuimus .... denique propter eorum auctoritatem *ceteris conciliis praeposuimus canones qui dicuntur apostolorum* .... Deinde quarumdam *epistolarum decreta virorum apostolicorum intersedavimus, id est Clementis, Anacleti, Evaristi et ceterorum apostolicorum* quas hactenus repperiri potuimus epistolas usque ad *Silvestrum papam: postmodum vero Nicenam synodum constituimus* propter auctoritatem eiusdem magni concilii: *deinceps diversorum conciliorum Graecorum ac Latinorum* sive quae antea, seu quae postmodum facta sunt sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta sub huius voluminis aspectu locavimus, subicientes aetiam *reliqua decreta praesulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium et quasdam epistolas ipsius*."

Quibus ex verbis intelligitur, Pseudo-Isidorum etiam concilia in sua collectione comprehendere voluisse. Huic sententiae hoc solum obiici potest, quod inter codices classis A multi inveniuntur qui tantum decretales exhibent, velut omnes classis A2 et classis A1 Parisiensis inter suppl. lat. 840 saec. X., Parisiensis 3852 saec. XI., Vatic. 3791 saec. XII., Londin. Cotton. Claudius E. V. saec. XII. exeunt., Cantabrig. Dd. I. 10. 11. saec. XIII. ineunt., Paris. Sorbonne 729 saec. XV. et quod econtra omnes codices classis B et C concilia exhibent. Attamen causa cur in quibusdam codicibus et quidem vetustioribus concilia omitterentur, haec fuisse mihi videtur. Collectione a Pseudo-Isidoro in lucem edita fieri non potuit quin omnium rerum in ea prolatarum decretales ab ipso confictae omnibus maximi momenti esse viderentur, cum epistolae primorum pontificum Romanorum quorum nomina praeferebant, usque ad id tempus incognitae essent et tum genuinae haberentur. Itaque mirum non videtur, quod omnes, qui tales codices adquirere studebant, eos in primis propter illas decretales subditicias quaerebant et cum concilia in quibus Pseudo-Isidorus fere nihil interpolavit, et in collectione Hadriano-Dionysiana iam tunc late diffusa et in collectione Hispana iam saeculo octavo trans Hispaniae fines propagata (cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 3. §. 4. Notices et extraits l. c. Tom. VII. p. 173. Hincmari archiep. Rem. opusc. adv. Hincmar. Laud. c. 24[1] op. Tom. II. p. 476) omnibus praesto essent,

[1] ... „cum de ipsis sententiis plena sit ista terra sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus, in huiusmodi sicut et in capitulis regiis studiosus, obtinuit et istas regiones ex illo repleri fecit."

verisimile est, saepius solas decretales [1] a librariis exscriptas fuisse, ut codices citius absolverentur et minore pretio venumdarentur.

Perseverandum igitur est in priore sententia et pro certo habendum ab ipso Pseudo-Isidoro collectionem suam in illas tres partes digestam esse, quas praefatio enumerat. Qua in re sine dubio indolem collectionis Hispanae secutus, quae quoque concilia Africana, Gallicana et Hispana et deinde seriem epistolarum pontificum Romanorum exhibet, initio tertiam partem continentem decretales usque ad Melciadem a se confictas praemisit.

§. 11. Cap. II. De prima parte collectionis.

Auctor ipse in praefatione sua citata (§. 10) dicit, primam partem collectionis compositam esse ex ordine de celebrando concilio, ex canonibus apostolis, decretalibus a Clemente usque ad Silvestrum. Quae omnes res codices vetustiores A1 exhibent (cf. supra §. 3). Attamen latius hac de re agendum est, cum plures res quas ipse Pseudo-Isidorus non enumerat, in iis inveniantur, unde quaestio exoritur utrum ei vindicandae sint an abiudicandae.

I. Praefationi, quae operi praemittitur, subiunguntur duae epistolae: epistola *Aurelii Carthaginiensis ad Damasum et rescriptum huius papae ad eundem Aurelium.* In priore Aurelius petit a Damaso, ut sibi statuta omnium pontificum inde a Petro transmittat, id quod Damasus in secunda promittit. Quas duas epistolas Pseudo-Isidoro adscribere non dubito: leguntur enim in codicibus vetustioribus, velut in Mutinensi ante a. 881 scripto, et Hincmarus Remensis quoque eas eodem loco codicis sui positas invenit [2]. Ac ne scribendi quidem genus a ceteris figmentis Pseudo-Isidorianis abhorret, praesertim cum epistola Damasi, ut ex fontibus genuinis in editione mea adnotatis apparet, eodem modo ac ceterae decretales Pseudo-Isidorianae conflata sit. Postremo ex iis quae in ipsis epistolis proferuntur auctorem Pseudo-Isidorum esse confirmatur, posuit enim eas ut maiorem auctoritatem adderet et canonibus apostolorum et decretalibus a se confictis [3].

II. Quibus epistolis subiunxit Pseudo-Isidorus *ordinem de celebrando concilio*, quem in sua collectione a se insertum ipse in praefatione dicit. Auctorem eum ex concilio IV. Toletano sumpsisse plerique viri docti affirmant. (Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6 §. 5 no. 18. Richter, Kirchenrecht 5. Aufl. §. 37.) Attamen cum in c. 4 conc. cit. pauciora hac de re proferantur, imprimis orationes apud Pseudo-Isidorum insertae desint, quaeritur, num ea forma qua ordo in Pseudo-Isidorianis exhibetur, auctori collectionis vindicanda sit. Exhibent enim aliqui codices collectionis Hispanae ordinem de celebrando concilio ampliorem quam ille in c. 4 conc. IV. Toletani statutus, velut codex Alveldensis sive Vigilanus (nunc bibliothecae S. Laurentii Escorialensis: Estante 98 d. Plut. I. 2) exaratus a. 976 et codex Aemilianensis (nunc in eadem bibliotheca asservatus et signatus: Estante 98 d. Plut. I. 1) [4], ex quorum priore Mansi collect. concil. 1, 10 eum edidit. Similem ordinem de concilio celebrando etiam codex collectionis Hispanae qui fuit olim Rachionis episcopi Argentoratensis continet. (Cf. Notices et extraits Tom. VI. p. 175. 202.) Quamquam l. c. accurate codex non describitur, tamen ex verbis (l. c. p. 175 annot. 2): „il (scilic. ordo de celebrando concilio) ne doit pas avoir fait partie de la préface du recueil primitif espagnol, dont l'âge ainsi que

[1] Tali codice etiam Hincmarum Remensem usum esse apparet ex loco modo allato: praefationem Pseudo-Isidori in eodem manuscripto extitisse iam supra (p. LIV.) comprobavi. — [2] Opuscul. cit. c. 24 (II. 477): „de cuius scilicet Isidori dictis, sed et de epistola Damasi quam suae praefationi supposuit et collectioni praeposuit, quaedam possem prolixius ostendere.“ — [3] Cf. Ballerinii l. c. P. III. c. 6 §. 5 no. 18. Coustant l. c. p. 619 no. 26. Blondellus, Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes. Genevae 1628. p. 544. (Knust, de fontibus et consilio Pseudo-Isidorianae collectionis. Gotting. 1832. p. 2 sqq.). — [4] Cf. praefatio editionis Matrit. collect. Hisp. — Car. de la Serna Santander, praefatio critica in veram et genuinam collectionem veterum can. eccl. Hisp. Bruxell. 1800. no. 16, 19.

nous le verrons ci-après remonte à l'année 633; attendu que dans ce passage il est fait mention du onzième concile de Tolède convoqué en 675." intelligitur, etiam in codice Rachionis non eundem ordinem qui in c. 4 conc. Toletani, sed similem ut in codice Alveldensi inveniri. Quod si consideraveris et perpenderis, ordinem de concilio celebrando in duos citatos codices Escorialenses saec. X. qui nihil nisi collectionem Hispanam exhibent, ex exemplari quodam Pseudo-Isidoriano irrepere non potuisse, iam pro certo habendum est, Pseudo-Isidorum cum ordinem de celebrando concilio in suam collectionem insereret, Hispanico quodam fonte usum, non suis figmentis c. 4 conc. IV. Toletanum auxisse [1].

Singuli fontes ordinis de celebrando concilio adhuc recognosci possunt. Orationes et exhortationes in eo prolatae: „adsumus domine — consequamur praemia sempiterna", „ecce sanctissimi sacerdotes — post hanc orationem", „nulla est domine" etc., „Christus dei filius" etc., „nostrorum tibi domine", etiam in ordine Romano (qualiter agatur concilium provinciale, ordo I. diei; cf. de divinis cathol. eccles. officiis libri. Par. 1624. p. 171. 172. 176) inveniuntur, et in ceteris quae statuuntur adhibita esse videntur praefat., c. 1. 5 conc. cit. Tolet., c. 18. conc. III. Tolet., c. 1 conc. XI. Tolet., c. 18 Martini Brac. Quibus fontibus cum in Hispania in usu essent, etiam ordinem Hispanicae originis esse confirmatur. Attamen id saltem definiri non potest, utrum Pseudo-Isidorus ordinem ita conceptum sicut in collectione sua eum profert in Hispanae collectionis codice invenerit, an iam auctiorem ordinem similemque in codicibus citatis Escorialensibus exhibitum excerpserit, quamquam ultimum verisimilius esse videtur: in ordine enim Pseudo-Isidori ea tantum ex ordine in codice Vigilano exhibito omittuntur, quae ad ingressionem et ad functiones regis et optimatum pertinent atque haec ceteris cum rebus a Pseudo-Isidoro de iure synodorum et episcoporum statutis non conveniunt.

III. Ordinem de concilio celebrando sequitur *tabula decretalium pontificum Romanorum et conciliorum*, cui tituli canonum apostolorum et epistola *Hieronymi* ad *Damasum* subiunguntur. Vetustissimi codices qui eam proferunt sunt Andegavensis 354, Carnotensis 140, Vindocinensis 91, Carnotensis 140, Vatic. reg. 1054, omnes saeculi XI., cum remotioris aetatis manuscripti velut Paris. int. suppl. lat. 840 et Carnot. 67bis mutili, Mutinensis et omnes codices classis A2 (cf. supra §. 3. 4) non integram collectionem habeant. Sed dubitari non potest, quin ipse Pseudo-Isidorus tabulam illam composuerit, in fine enim praefationis suae ad eam respicit, his verbis usus: „primo quidem ordo, ut praedictum est, de celebrando concilio insertus habetur et *postmodum canonum apostolorum ac primorum apostolicorum id est a sancto Clemente usque ad sanctum Silvestrum decretorum atque diversorum conciliorum breviarium interpolatur* sequens ordinem suum." Quibus verbis tabula quam ex codicibus Paris. 3852 et Andegav. edidi, plane respondet. Quod breviarium ex tabula quae praemittebatur vetustiori et breviori formae collectionis Hispanae, edita a Balleriniis (l. c. P. III. c. 4 §. 2) et a Petro Coustant (l. c. praef. no. 141) et ex iis quae Pseudo-Isidorus ipse titulis eius praeposuit et subiunxit composita est. Ipsi enim secundum ea quae in sua praefatione dicit [2] adiudicanda sunt initium: „incipit breviarium" etc. et priores 32 rubricae. In fine autem tabulae adduntur ultimi 2 tituli: „*LXXVII. decreta quorundam praesulum Romanorum ad fidei regulam et disciplinam ecclesiasticam constituta.*" „*LXXVIII. Synodus Toletana LXVIII episcoporum*", et postea: „*deinde sequuntur*

[1] In quam sententiam etiam Santander l. c. no. 136, 137 discedit: „multa quippe convincunt atque evidenter demonstrant, collectionem canonum putam puram Isidori pro fundamento Mercatori vel Riculfo fuisse, ut suam fabricaret. Primum huius assertionis argumentum in illo positum est, quod ordinem de celebrando concilio in principio suae collectionis ediderit Riculphus, cum enim nullo in opere laudatus ordo exstet praeterquam in manuscriptis codicibus Hispanicis dubitari non potest, quin Hispanum codicem genuinae collectionis ex quo illum exscripsit, ad manus habuerit impostor." — [2] Qua re etiam atque etiam confirmatur, quod supra (§. 7) de tabula in codice Vaticano 630 et de ipso codice secundum exemplar quoddam Hispanae collectionis expurgato diximus.

reliquorum decreta apostolicorum sicut in subsequentibus continetur." Quorum titulus LXXVII. est inscriptio tabulae in iisdem exemplaribus collectionis Hispanae seriei decretalium praemissae. (Cf. Ballerinii l. c. Coustant l. c. no. 144.) Titulus autem LXXVIII. referri non potest nisi ad concilium III. Toletanum. Inscriptio quidem in Matritensi editione collectionis Hispanae prolata tantum LXII episcoporum mentionem facit, attamen in codice Rachionis (notices et extraits VII, 205) LXVIII episcopi nominantur et idem numerus habetur, in codicibus quibusdam Pseudo-Isidorianis velut in Andegav. ubi in fine concilii nomini primi episcopi subscribentis additur: „*et alii episcopi subscripserunt i. e. LXVII.*" Quae res ex eo explicatur quod, quamquam secundum subscriptiones in ipso concilii LXII episcopi adfuerunt, tamen cum amanuenses in multis codicibus Hispanae subscriptiones conciliorum non exscriberent, sed tantum numerum subscribentium ponerent, etiam nomina regis et presbiterorum et diaconorum neque solum subscriptiones episcoporum, quorum omnium numerus in concilio III. Toletano facit 68, numeraverunt. Qua ex causa titulus citatus hoc loco positus fuerit nescio, neque diiudicari potest, num ipse Pseudo-Isidorus eum una cum titulo LXXVII. adiecerit, cum etiam in codicibus Hispanae collectionis, velut in codice Vatic. 1341 originis Gallicae, illi duo inveniantur. (Cf. Ballerinii l. c. c. 6 §. 5 no. 18.) Verba autem in fine tabulae subiecta: „*deinde sequuntur*" etc. Pseudo-Isidoro vindicari possunt, iis enim ad ceteras decretales a se post concilia allatas respexisse voluit.

IV. Post tabulam proferuntur canones apostolorum ex collectione Dionysii sumti, quos partem Pseudo-Isidorianae collectionis esse ex praefatione intelligitur. Pauca tamen de iis quae inter titulos et ipsum textum in codicibus citatis inserta leguntur, disserenda sunt.

Verba quae titulos sequuntur: „*plura capitula constituta in decretis apostolicorum*" etc. (p. 27 ed. meae) Pseudo-Isidoro adtribuenda sunt, nam nullis aliis in collectionibus, quod equidem sciam, leguntur; cetera, quae textui canonum apostolorum praemissa sunt, pars collectionis quidem Pseudo-Isidorianae habenda, sed ipsi ut auctori assignanda non sunt.

Epistolam enim *Hieronymi* ad Damasum papam apocrypham hodie inter omnes constat. Non solum in codicibus nostrae collectionis, sed etiam in codicibus libri pontificalis invenitur (cf. Em. a Schelstrate antiquit. ecclesiae etc. diss. III. c. 4 no. 2 sqq. Tom. I. Romae 1692. p. 347 sqq., Vignoli, lib. pontif. Tom. III. praef., Ballerinii l. c.), et quae in ea proferuntur magis libro pontificali quam Pseudo-Isidori collectioni conveniunt. Hinc iam coniicere licet, non a nostro auctore sed ab alio, qui rebus gestis paparum conscribendis operam dederit, eam confictam esse. Est mihi autem alterum argumentum. Epistolam Hieronymi, quae in citatis codicibus Pseudo-Isidorianis legitur interque tabulam et canones apostolorum in praefatione ab auctore ipso laudatos inseritur, ille certe in suam collectionem recepit; sustinebat enim contra eos qui canones apostolorum apocryphos esse putabant, eorum auctoritatem, quam ad rem haec epistola valere ei videbatur. At in codicibus libri pontificalis et in quibusdam Pseudo-Isidorianis quos supra §. 3 enumeravi profertur etiam rescriptum *Damasi* papae. Quas duas epistolas inter se cohaerere et ab uno eodemque fictas esse dubitari non potest. Cum autem epistola Damasi in vetustioribus codicibus laudatis omissa collectionis Pseudo-Isidori pars non existimanda sit, Pseudo-Isidorus ambas si ipse earum auctor fuisset, inseruisset. Sed cum eas in suo codice libri pontificalis quo fonte in conficiendis decretalibus suis usus est, inveniret, tantum epistolam Hieronymi desumsit, quia haec sola cum de aliis rebus tum de canonibus apostolorum agit, itaque sola ab eo ad auctoritatem illorum statutorum probandam adhiberi potuit[1].

Posteriora verba quae canones apostolorum praecedunt: „*incipiunt ecclesiastice regule*" etc. cum ipsis ex collectione Hadriano-Dionysiana exscripsit, nam multis

[1] Eadem sentiunt Walter, Kirchenrecht §. 95. Richter, Kirchenrecht ed. cit. p. 77. Schulte, Kirchenrecht Tom. I. p. 260 ann. 6.

in codicibus istius collectionis, velut in codicibus **Sessoriano** LXIII. (bibliothecae S. Crucis Romanae) saec. IX. duobus bibliothecae regiae **Monacensibus** cod. lat. 6355. Fris. 155. G. N. 5 saec. IX., cod. lat. 6242. Fris. 42 saec. X. ante textum canonum praemittuntur haec verba: „*incipiunt ecclesiasticae regulae sanctorum apostolorum prolatae per Clementem ecclesiae Romanae pontificem quae ex Grecis exemplaribus in ordine primo ponuntur quibus quam plurimi quidem consensum non praebuere facile et tamen postea*[1] *quaedam constituta pontificibus ex ipsis canonibus assumpta esse videntur*".[2] (Cf. Zeitschrift für Rechtsgeschichte T. I. p. 456.)

V. Omnes epistolas quae a prima *Clementis* papae usque ad *Melciadem* in editione mea ponuntur, collectioni ab ipso Pseudo-Isidoro compilatae esse adtribuendas dubitari non potest, cum hac in re omnes codices non mutili concordent. Quarum tantum duas non plenas a Pseudo-Isidoro consutas esse etiam inter omnes constat.

Prima epistola enim *Clementis* a Graeco quodam conficta a Rufino in latinum versa est[3], eique tantum Pseudo-Isidorus additamentum inde a verbis: „Paenitemini inquit" (c. 20 meae ed.) usque ad finem a se ipso compositum adiunxit.

Similiter secundam epistolam *Clementis* non totam confinxit: partem eius posuit aliam apocrypham Clementis. Initium enim epistolae uti apud Pseudo-Isidorum profertur usque ad verba: „grave ordinatori adducant" (c. 47), deinde verba c. 54: „his ergo bene — Petri iubentis audivi", verba c. 47: „a principio epistolae — per negligentiam clericorum", verba c. 55: „haec praecepta — damnationem adcipiet" formant epistolam quae sub nomine Clementis exhibetur iam in collectionibus ante Pseudo-Isidorum enucleatas, velut in collectione cit. codd. Barberini 2888 et Vatic. 1342 (cf. **Ballerinii**, diss. laud. P. II. c. 7 no. 34, op. Leon. Tom. III. p. 674) et in collectione Gallica a **Coustant** in codice Colbertino 3368 inventa saeculo VII. compilata (cf. **Coustant** l. c. praef. no. 101. 104). In collectionibus Italicis huic epistolae titulus: „*praecepta S. Petri de sacramentis conservandis*", in Gallicis autem: „*item incipit praeceptorum sancti Clementis papae missa Iacobo fratri domini*", aut similis praefertur (cf. **Ballerin.** l. c.). Cum idem etiam in vetustioribus codicibus Pseudo-Isidorianis legatur (cf. ed. mea p. 46), apparet, Pseudo-Isidorum eam ex Gallica quadam collectione sumpsisse. Id tantum quaeritur, num iam Pseudo-Isidorus in huius epistolae parte quam primam posuit, verba quae in c. 46: „*solus cum sola femina fabulas misceat — nullus clericus ingrediatur nisi cum duobus aut tribus*" apud eum proferuntur, invenerit. **Knust** (l. c. p. 35) putat ea fortasse a Pseudo-Isidoro inserta esse. In quam sententiam discedendum erit, si hunc locum, qualem codices Pseudo-Isidoriani exhibent, cum textu huius epistolae in aliis codicibus prolato comparaveris. Nam

apud **Ballerin.** (l. c. III. 676)[4] sic exhibentur:	in ed. decret. Pseudo-Isid. mea sic:
Nec presbyter solus cum sola *adiungatur*, *sed duobus adductis testibus visitet infirmam.* Nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi proxima aut soror fuerit.	Nec presbiter solus cum sola *femina fabulas misceat*, *nec archidiaconus aut diaconus sub praetextu humilitatis officii frequentet domicilia matronarum aut forte per clericos aut domesticos eius matronae mandent secretim aliquid. Si cognitum fuerit et illae deponantur et illa a luminibus arceatur aecclesiae. Sed si forte aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur. Et si talis est, ad quam debeat ire pio interventu ipse pergat: sin autem de*

[1] Duo Monac.: *pro ea.* — [2] Quae verba etiam in codice ab Eusebio **Amort** l. c. edito p. 75 habentur. — [3] **Coustant** l. c. app. p. 1 sqq., qui eam graece et latine edidit. **Rufinus**, de ea in litteris ad Gaudentium, S. Clementis recognitionum libris praemissis ait: „epistolam sane, in qua idem Clemens ad Iacobum fratrem domini scribens de obitu nunciat Petri et quod se reliquerit successorem cathedrae et doctrinae suae, in qua etiam de omni ordine ecclesiastico continetur, ideo nunc huic operi non praemisi quia et tempore posterior est et olim a me interpretata et edita." Citantur etiam in c. 6 conc. I. Vasensis a. 442 habiti et leguntur in collectionibus remotioris Pseudo-Isidoriana aetatis, velut in collectione quae est contenta in codicibus Barberini 2888 et Vatic. 1342 et in collectionis Quesnell. c. 64. (Cf. op. Leon. ed. Baller. Tom. III. p. 454.) — [4] Cf. quoque **Mansi** 1, 126.

> *latere suo dirigat, cum duobus aut tribus qui hoc debeat sanare. Sane ad visitandam mulierem infirmam nullus clericus ingrediatur, nisi cum duobus aut tribus.* Nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi soror aut proxima fuerit etc.

Ex quibus apparet, epistolam uti in veteribus collectionibus inveniatur, consulto mutatam esse; nam verba: „sed duobus adductis testibus visitet infirmam" omisit Pseudo-Isidorus, et pro eis similia quidem, sed multo fusiora, c. 5 conc. Africani ut videtur respiciens, posuit.

Alias 3 epistolas *Clementis* ceterasque usque ad papam *Melciadem* prolatas a Pseudo-Isidoro confictas esse, postquam Blondellus in opere suo citato et imprimis contra Francisci Turriani adversus Magdeburgenses centuriatores pro canonibus apostolorum et epistolis decretalibus pontificum apostolicorum libros V (Florent. 1572) eas subditicias esse demonstravit, nemo est qui neget. Cum hac de re omnes viri docti hodie consentiant, id tantum restat, ut de fontibus illarum epistolarum, accuratius quam Blondellus et Knustius, disputetur, qua de re in tertia huius commentationis parte agam.

Neque tamen hic praetereundum est, quod Blascus (de collectione canon. Isidori Mercatoris commentar. in Andreae Gallandii de vetustis canonum collectionibus dissertationum sylloge. Tom. II. Magontiaci 1790. p. 39. 40), quem non secutus est sed potius exscripsit Antonius Theiner (de Pseudo-Isidoriana collectione. Vratislaviae 1827. p. 47. 48), *Urbani* epistolam Pseudo-Isidoro abiudicavit. Negant enim in hac epistola Pseudo-Isidorum concilio Parisiensi a. 829 habito fonte usum esse, quia Caroli M. tempore collectionem iam compilatam fuisse (Blascus l. c. p. 45. Theiner l. c. p. 47) contendunt; itaque affirmant, epistolam postea in eam insertam esse. Attamen quaestione quo tempore Pseudo-Isidorus collectionem suam composuerit, hic omissa negari non potest, concilii laudati libri II. caput 10 in Urbani epistola conficienda adhibitum esse. Fugit tantum Blascum et Theinerum, quod non textu, sed titulo eius usus est Pseudo-Isidorus[1]. Praeterea epistola in omnibus vetustioribus codicibus profertur et iam ab Hincmaro Remensi c. 4 eiusdem in opusculis „de causa Teutfridi" (op. II, 802) et „quae exequi debeat episcopus" (op. II, 763) et c. 5 in epistola ad Carolum regem pro Hincmaro Laudunensi a. 868 scripta (op. II, 323) citatur. Et si quaedam ex eadem epistola brevius (cf. c. 3) quam in collectione Pseudo-Isidoriana leguntur in conventu Carisiacensi a. 857 habito (Pertz, Leg. I, 453) afferuntur, hac ex re non quod Blascus et Theinerus volunt colligi potest, postea epistolam adulteratam aut mutatam esse, nam Urbani epistolam sicut Anacleti conventus non verbotenus desumpsit, sed tantum excerpsit. (Cf. quoque Knust l. c. p. 5.)

§. 12. Cap. III. De secunda parte collectionis.

Secundam partem collectionis suae Pseudo-Isidorus posuit concilia a *Nicaeno* usque ad *Hispalense secundum;* praemittuntur iis:

1) tractatus de primitiva ecclesia et synodo Nicaena,
2) exemplar constituti domni Constantini imperatoris,
3) tractatus: quo tempore actum sit Nicaenum concilium,
4) epistola vel praefatio Nicaeni concilii,
5) alia praefatio eiusdem concilii metrice composita.

[1] Urban. c. 9. Gravius *enim* puniuntur *qui votum fecerunt aut* fidem perceperunt, *et votum non perfecerunt aut* in malis vitam finierunt, quam illi qui sine *voto aut* fide mortui sunt et tamen bona egerunt opera.

Conc. VI. Paris. lib. II. c. 10 tit. *Quod* gravius puniantur qui fidem *Christi* perceperunt *et* in malis vitam finierunt, quam illi qui sine fide mortui sunt et tamen bona opera egerunt.

Conc. Par. cit. lib. II. c. 10 text. Patet profecto, si in iisdem nequitiis vitam finierit, gravius illum quam eos qui licet fidem Christi non perceperunt, bonis tamen operibus operam dederunt, puniendum.

I. *Concilia* ab ipso Pseudo-Isidoro suam in collectionem inserta esse iam supra (§. 10) probavi. Etiam 4 *priores res modo enumeratae* collectioni vindicandae sunt, cum fere omnibus in codicibus et quidem vetustioribus proferantur. Dubitari tantum potest de praefatione metrica. Invenitur illa iam in codicibus collectionis Hadriano-Dionysianae, velut in codicibus §. 11 memoratis et in editione a Pithoeo Paris. 1609 vulgata. Cum Pseudo-Isidorus ex ea collectione multa desumpserit et praefatio in vetustioribus codicibus classis A1, Andegavensi, Carnotensi 140, Vindocinensi legatur, quibus aliis in rebus, ut iam p. LXXIX. de tabula praefationi subiuncta disserens probavi, fides habenda est, illam etiam Pseudo-Isidorianae collectioni assignem, eoque magis quia ceteris ex rebus concilio ipsi Nicaeno praemissis apparet, auctorem omnia quae in aliis collectionibus ad hanc synodum spectantia inveniret, suo operi inserere voluisse.

Aliarum rerum supra laudatarum:

1) *tractatus de primitiva ecclesia et de synodo Nicaena* ab ipso Pseudo-Isidorus confictus est, ut ex genere scribendi et ex fontibus a me in editione indicatis intelligitur, qua in re etiam omnes qui hac de collectione egerunt, conveniunt.

2) Exemplar *constituti domni Constantini* quidem apocryphum est, sed iam ante Pseudo-Isidori tempora vulgatum; invenitur enim in collectione Gallicana codicis Colbertini 3368. Qua de re iam satis egerunt Biener, de collectione canon. ecclesiae Graecae (Berolini 1827) p. 72, et Knust l. c. p. 3, et omnes viri docti nostri temporis conveniunt. (Cf. Walter l. c. Richter l. c. Schulte l. c.)

3) Tractatum cui titulus est: „*quo tempore actum sit Nicaenum concilium*" ex collectione Hispana excepit paucis tantum verbis mutatis Pseudo-Isidorus, ubi eadem in praefationis initio leguntur.

4) Neque *alia praefatio Nicaeni concilii* Pseudo-Isidoro adtribuenda est, exhibetur enim iam in collectione Quesnelliana (ed. Baller. l. c. p. 22) saeculo VI. compilata: solum illam capitibus e Rufini historiae ecclesiasticae libro primo scilicet 2. 3. 4 post primum capitulum allatum insertis amplificavit[1].

II. Post quas res Nicaeno concilio praemissas proferuntur concilia ea, quae in codicibus classis A1 (supra p. XXIII.) describendis enumeravimus. Ut tabulam canonibus apostolorum antepositam ex collectionis Hispanae codice exscripsit, ita quoque concilia ex tali codice in suam collectionem recepit. Qua in re tamen usus non est manuscripto formam primigeniam Hispanae collectionis exhibente (cf. Ballerinii, diss. cit. P. III. c. 4. §. 2), sed adhibuit codicem, qui tabulam quidem primogeniae formae conservaverat, in quem tamen iam additamenta irrepserant. Ballerinii (l. c. §. 4) mentionem faciunt codicis Vindobonensis XL., in quo post concilium IV. Toletanum inserta sunt concilia Toletana a quinto usque ad decimum tertium. Alii eiusdem generis codices sunt Vaticanus 1341 a Balleriniis (l. c. §. 5) laudatus et a Petro Coustant (l. c. praef. no. 143 sqq.) descripti Noviomensis, Bellovacensis, Laudunensis. Differunt tamen a Vindobonensi. Nam hic Hispanicae, illi, ut Ballerinii l. c. censent, Gallicae orginis sunt, et in Vaticano 1341 plures lectiones corruptae Vindobonensis ex arbitrio librarii ita emendatae inveniuntur, ut sententiam idoneam habeant; tum in codices Vaticanum 1341 et tres a Petro Coustant memoratos iam ex Pseudo-Isidori collectione epistolae quaedam illatae sunt.

Atque etiam in Gallia codices fuisse qui eandem formam integram quam Hispana collectio nullis additamentis Pseudo-Isidorianis insertis exhiberent[2], codex Rachionis Argentoratensis episcopi probat[3]. Quamquam mihi codicem inspicere non licuit et Koch (Notices et extraits l. c. p. 173 sqq.) de eo pauca tantum attulit, tamen id saltem contendi potest, codicem esse eiusdem classis ac manuscriptos a Balleriniis et a Petro Coustant laudatos, sed tamen deductum ex codice recen-

[1] Cf. coll. Quesnell. ed. Ball. op. Leon. T. III. p. 26 not. 19. — [2] Quorum Ballerinii nullos viderunt (cf. l. c. §. 5). — [3] Ex prologo apparet, codicem iussu Rachionis scriptum fuisse a. 787. (Cf. Notices et extraits Tom. VII. p. 173 sqq. 211.)

tioris originis, quam illum ex quo Vindobonensis a Balleriniis usurpatus derivatus est. Omisit enim iam praefationem concilii I. Bracarensis in aliis inter Toletanum IV. et Toletanum V. interpositam (cf. Notices et extraits l. c. p. 176. 205) et cum in primogenia collectione Hispana synodus I. Bracarensis concilium IV. Toletanum sequeretur et insertis postea aliis conciliis Toletanis pars Bracarensis hoc loco scriberetur, apparet, in codice Rachionis iam formam recentiorem extare. Differt quoque a forma vetustissima eo quod deest concilium XIII. Toletanum: quod incuria librarii videtur esse omissum. Cum autem Pseudo-Isidorus sicut Hispana collectio inter concilium IV. Toletanum et quintum praefationem synodi I. Bracarensis inseruerit et concilii Toletani decimi tertii quoque initium et partem capitis primi proferat, codice Rachionis aut simili usus esse non potest. Immo codicem adhibuit qui formae collectionis Hispanae, quae in Hispania ipsa vulgata erat, propinquior est. Nam in codice Rachionis leguntur 24 tantum canones concilii Ancyrani (l. c. p. 202), sed in ed. Hisp. Matrit. et in codice Andegavensi Pseudo-Isidoriano 25. Exhibet codex Argentoratensis concilium Agathense in 73, Andegav. et ed. cit. in 71 canones divisum. Numerus episcoporum qui concilio Sardicensi interfuerunt, apud Rachionem est: 121, in Andeg. et ed. cit. 300; Eliberitanum concilium in codice illo a 20, in Andeg. et ed. cit. a. 19 episcopis habitum esse memoriae proditum est. Celebrata sunt synodus I. Constantinopolitana aera 419 et concilium Valentinum aera 412 secundum codicem Rachionem, secundum Andeg. et ed. cit. aeris 418 et 413.

Eiusdem autem originis esse codicem Rachionis et illum quo Pseudo-Isidorus usus sit, ut iam supra asserui, ex eo intelligi potest, quod et in codice Rachionis et in Andegavensi conciliis Toletanis a quarto usque numeri falsi appositi sunt.

De quibus in libro cit. Notices et extraits p. 205. 212 haec afferuntur:	In Andegav. eadem concilia sic habentur:
Toletanum quintum [IV.], anno III. regnante Sisenando, Non. Dec. era 681, ep. 62, can. 71.	Deest inscriptio, sed librarius ad ponendam eam spatium fecit[1].
Toletanum sextum [V.] anno primo Cintillae regis, ep. 24, can. 9.	(Inseritur praefatio syn. I. Bracarensis deinde.) *Incipit concilium Toletanum XXIV episcoporum, habitum era DLXXXIV.*[2] *anno I° domini Chintillani regis* (can. 9).
Toletanum septimum [VI.] anno secundo Cintillani regis, die VI. Id. Ian. era 676[3], can. 18.	*Item concilii Toletani VII. incipiunt tituli* (in textu era DCLXXX. numeri canonum 19: in ed. Matrit. 18, in Andeg. numeri 19, apponitur num. 19 verbis: „His omnibus rite").
Toletanum octavum [VII.] anno quinto Chintillani regis XV. Kal. Nov. era 684, ep. 30, can. 6.	*Incipit sinodale decretum in Toletana urbe XXX episcoporum concilio gestum anno V. clementissimi domni nostri Chindasvindi regis die XV. Kal. Novembr. era DCLXXXIV.* can. 6.[4]
Toletanum nonum [VIII.] ep. 8, tituli 13.	*Incipiunt gesta sinodalia LII pontificum in urbe regia celebrata die XVII. Kal. Ian. era DCLXLI.* (691) *anno incarnationis dominice DCCLIII. cicli decennovalis XI.* canonum numerus 12.[5] (Inseruntur post textum excerpta quae incipiunt: „haec sancta synodus" etc.)
Toletanum decimum [IX.] anno septimo Recesvinthi regis, die Kal. Nov. era 668, ep. 16, can. 17.	*Incipit sinodus habita ab episcopis XVI in Toletana urbe post diem Kal. Nov. anno VII. Recesvinti gloriosissimi principis in basilica sancte Mariae semper virginis era DCLXIII.*

[1] In initio textus idem annus, dies atque in cod. Rachionis proferuntur, numerus episcoporum non ponitur; canonum numerum 74 exhibet Andeg. — Ed. Matrit.: era DCXXI. ep. 66. — [2] Ed. Matrit.: DLXIV. — [3] Ad hunc numerum Koch l. c. adnotavit: „annus 676 aerae Hisp., qui potest esse secundus Chintilae regis, non satis distincte in codice nostro expressus est." In ed. Matrit. legitur: era 676. — [4] Iidem numeri in ed. cit. inveniuntur. — [5] Ed. cit.: „concilium Toletanum octavum quinquaginta duorum pontificum in urbe regia celebratum die XVII. Kal. Ian. era DCXCI. anno quinto orthodoxi atque gloriosi et vera clementiae dignitate praecipui Rescesvinthi regis" (can. 12).

	(can. 17).[1] (Sic quoque cod. Carnot. 67bis saec. X.)
Toletanum undecimum [X.] anno octavo Recesvinthi regis die Kal. Dec. era 679, ep. 21, cap. 7.	*Incipit sinodus habita in Toletana urbe die Kal. Decembrium.* (can. 6.)[2]
Toletanum duodecimum [XI.] anno quarto Wambani regis die VII. Id. Nov. era 713, ep. 17, can. 16.	*Incipiunt gesta sinodalia concilii Toletani XI. acta in urbe regia in Toletana sede a XVII episcopis anno IV. regni gloriosi principis Vvambani sub die VII. Id. Nov. era DCCXIII.* (Ita quoque Carnot. 67bis cit.)[3] (can. 16.)
Toletanum tertium decimum [XII.] una cum edicto confirmationis Ervigii regis, anno primo Ervigii regis, V. Id. Ian. era 719, ep. 35, can. 23.	*Incipiunt acta sinodalia concilii XII. Toletana in urbe regia celebrata anno I° ortodoxi atque serenissimi domni nostri Erugi* (Carnot. 67bis cit. „Ervigi") *regis* (additur in Carnot.:) *sub die Iduum Ianuarium era DCCXIX.*[4] (can. 13.)

Ex hac tabula non solum ea quae de codice Rachionis et de illo, quo usus est Pseudo-Isidorus, diximus, recte nos contendisse apparet, sed etiam id cognoscitur, in codices Hispanae collectionis in Galliam propagatos falsos illos numeros conciliorum Toletanorum irrepsisse. Codex Rachionis eos in omnibus synodis Toletanis, quarum 5^{ae}, 7^{ae}, 8^{ae}, 9^{ae}, 10^{ae} numeri postea sed eadem manu appositi sunt (cf. Notices et extraits p. 212) exhibendis usurpavit, Pseudo-Isidoriani autem numerum falsum soli concilio IV. apponunt et postea in undecimo et duodecimo proferendis errorem emendaverunt. At librariis qui Pseudo-Isidorianos codices exaraverunt, hic error adtribuendus non est, neque enim solum in codice Andegavensi, sed etiam in Ottoboniano 93 et in Vaticano 630 omittitur inscriptio concilii quarti; qua ex re apparet, iam a Pseudo-Isidoro eam in suo codice collectionis Hispanicae non inventam esse. Quod codice Rachionis confirmatur, cum verisimile sit, librarium etiam in codice a se descripto concilii quarti inscriptionem omissam errore supplevisse (cf. l. c.). Pro certo igitur habendum est Pseudo-Isidorum in conciliis recipiendis adhibuisse codicem qui formam collectionis in Vindobonensi prolatae habebat, codice autem Rachionis aut simili quodam usum non esse. Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 19, c. 4. §. 5. no. 16. 17) affirmant, Gallicanae fuisse originis codicem a Pseudo-Isidoro exscriptum. Qua in re nihil habeam, quod afferam, cum propter temporis augustias mihi non liceret, etiam codices collectionis Hispanae examinare. Attamen id saltem affirmare possum, textum conciliorum, quorum plurimos locos contuli, in vetustioribus exemplaribus Pseudo-Isidorianis magis convenire cum textu Hispanae collectionis qualis exstat in editione Matritensi, quam cum conciliis a Merlino editis. Tota quaestio utrum Pseudo-Isidorus Gallicanae originis manuscripto an Hispanicae usus sit, maioris momenti esset, nisi aliis rebus probari posset, Gallum Pseudo-Isidorum collectionemque eius in Gallia absolutam esse. Attamen cum huius rei alia gravissima argumenta sint et cum et ex codice Rachionis et ex iis quae Hincmarus Remensis de Riculfo[5] archi-

[1] Ed. cit.: „concilium Toletanum nonum XVI. episcoporum anno feliciter VII. regni serenissimi atque clementissimi domini nostri Recesvinthi regis era DCXCIII." (can. 17). — [2] Ed. cit.: „conc. Tolet. decimum XX episcoporum habit. die Calendarum Decembrium anno VIII. gloriosi domini religiosissimi Reccesvinthi principis era DCXCIV." Exhibentur canones 7, ut in codice Rachionis. In Andeg. et aliis codicibus Pseudo-Isidorianis velut Carnot. 67bis, Ottobon. 93, Vatic. 630 tantum 6 canones inveniuntur, can. enim 6 in iis componitur ex c. 6 ed. Matrit. et fine c. 7, initio eiusdem omisso. — [3] Ed. cit.: „conc. Tolet. undecimum XVII episcoporum habitum anno quarto regni gloriosi principis Wambanis sub die VII. Id. Nov. era DCCXIII." (can. 16). — [4] Ed. cit.: „conc. Tolet. duodecimum celebratum sub die V. Id. Ian. era DCCXIX. anno primo orthodoxi atque serenissimi domini nostri Ervigii regis" (can. 13). — [5] Opusc. contra Hincm. Laud. c. 24 (op. II. 476): „quia forte putasti neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas praeter te habere et idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, quum de ipsis sententiis plena sit ista terra sicut et *de libro collectarum epistolarum ab Isidoro quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in huiusmodi sicut et in capitulis regiis studiosus obtinuit et istas regiones ex illo repleri fecit*;" Quo in loco videtur mihi Hincmarus collectionem Hispanam cum falsa confudisse (cf. Wasserschleben, Beiträge zur Geschichte der falschen Dekretalen p. 54, in Herzog, Real-Encyclopädie Tom. XII.

episcopo Moguntino refert constet, collectionem Hispanam saeculis octavo exeunte et nono ineunte in Gallia vulgatam fuisse, his rebus solis iam probaretur, Pseudo-Isidori codicem Gallicanae originis fuisse[1]. Iisdem causis commotus etiam reiiciam quae Ballerinii l. c. P. III. c. 4. §. 5. no. 17 dicunt: „Si omnes codices collectionis Hispanicae originis Gallicanae eiusdem rationis essent ac Vaticanus 1341 et alii tres recensiti et allegati a P. Coustantio, ita ut praeter emendationes liberiores indicata quoque additamenta ex Isidoro excerpta omnes exhiberent, nec unum hisce additamentis expertem solisque emendationibus liberioribus distinctum liceret reperire...., tunc vehemens suspicio ingereretur, ipsum fortassis Isidorum Mercatorem quem Gallicanum fuisse videbimus, eorumdem exemplarium Gallicanae originis fuisse auctorem qui scilicet codicem Hispanae originis exscribens suo arbitrio emendavit simul et indicatis tum sinceris, tum supposititiis additionibus auxit, antequam digereret suam collectionem pluribus imposturis refertam, cui ipsam Hispanicam collectionem abs sese iam emendatam inseruit." Contra illa quoque faciunt, quae nunc de modo, quo Pseudo-Isidorus concilia in suam collectionem induxerit expositurus sum. Sunt quidem in conciliis in codicibus Pseudo-Isidorianis exhibitis variae lectiones quae cum textu in edit. Matritensi prolato non conveniunt, et omittuntur in plurimis multa quae ibidem leguntur, velut catalogi episcoporum, tamen haec omnia aut ad incuriam negligentiamque librariorum qui aut codices Hispanae aut Pseudo-Isidorianae collectionis exaraverunt, referri possunt, aut sunt emendationes eiusmodi, ut cuilibet homini docto in textu corrigendo facile in mentem venirent.

Sed quamquam omnes codices Pseudo-Isidorianos in quibus concilia extant diligenter examinavi, nullum locum inveni quo canones conciliorum ita mutati sunt, ut in sententiis quas statuunt, cum praeceptis a Pseudo-Isidoro prioribus pontificibus Romanis adfictis conveniant. Quin etiam, quamvis in praefatione asseruerit, Nicaeni concilii plura quam viginti capitula esse, ad id magis comprobandum epistolam Athanasii ad Marcum papam datam eiusque rescriptum conflaverit, in epistolis Iulii papae (c. 12.) multa spuria sub nomine synodi laudatae proferat, tamen in parte collectionis suae, ubi concilia exhibet, tantam viginti genuinos canones Nicaenos posuit. Solum canonem 7. conc. II. Hispalensis, in quo omnes codices Pseudo-Isidoriani a genuina collectione abhorrent, ita adulteravit, ut semper verbo „presbiteri" adderet „*vel chorepiscopi*" et in fine adiungeret: „*quae omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur.*" Quibus ex rebus intelligitur, concilia Pseudo-Isidorum ipsum non adulterasse, sed in suam collectionem traduxisse qualia in collectione Hispana erant. Neque difficile est, causam invenire, cur tantum verba c. 7. conc. II. Hispal. ita mutaverit, ut ea quae de presbyteris statuit concilium, in sua collectione de chorepiscopis praecepta esse viderentur. Profert enim canonem citatum[2] nomine tantum Leonis M. praeposito, addita inscriptione: „*Leo Romane ecclesiae et apostolice sedis episcopus universis Germaniarum adque Galliarum regionum episcopis salutem*", verbis quibusdam in principio adiectis inter epistolas Leonis M.[3] eoque canone usus est ad confingendum praeceptum eiusdem de privilegio chorepiscoporum. Cum hac in epistola ubique verbo „presbiteri" adderet „*vel chorepiscopi*", iam hac ex re intelligitur, cur eadem

p. 349); nam Feodoro Goecke (de exceptione spolii p. 47) accedere nequeo, qui putat, Hincmarum ad verba citata pronuncianda tantum Benedicti Levitae auctoritate commotum in praefatione capitularium collectionis suae dicentis: „capitula... sparsim invenimus et maxime in sanctae Mogontiacensis metropolis ecclesiae scrinio a *Riculfo* eiusdem sanctae sedis metropolitano recondita." Iam recte contra Goeckium Wasserschleben (l. c. p. 349) animadvertit cum Benedictus collectionis a Riculfo de Hispania allatae et in Gallia propagatae mentionem non fecerit, Hincmarum illius praefationem hac in re sequi non potuisse.

[1] Cf. quoque Eichhorn, über die spanische Sammlung der Quellen des Kirchenrechts in Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft T. XI. p. 168 sqq. — [2] Cf. Op. Leon. ed. Ball. Tom. II. p. 1270. — [3] Quam epistolam collectioni Pseudo-Isidorianae adtribuendam esse infra probabo.

verba in concilii Hispalensis ipsius textum inseruerit: neque ut opinor erravero, si putem ad hoc Pseudo-Isidorum eo adductum esse, ne cum nullo fonte tam aperte quam canone laudato uteretur, in aliis autem epistolis quae ex locis undique desumptis consutae erant fontes magis occultarentur, ex comparatione concilii Hispalensis et epistolae Pseudo-Leonis de huius fide dubium lectoribus moveretur et ut econtra iis epistolae praecepta tantum in concilio Hispalensi repetita esse viderentur.

III. Postquam generatim de conciliis a Pseudo-Isidoro ex collectione Hispana receptis egi, superest, ut de quibusdam rebus singularibus pauca addam:

1) *Formatam Attici* Blascus (l. c. p. 13. not. 3) quidem a Pseudo-Isidoro confictam esse vult, sed cum iam in illa forma collectionis Hispanae qua auctor usus est[1], exhibeatur (cf. Ball. l. c. P. III. c. 4. §. 2. Coustant l. c. no. 141. Notices et extraits Tom. VII. p. 203), illam ex collectione Hispana exceptam esse persuasum habeo[2].

2) In codicibus classis A1 describendis (p. XXIII.) dixi, post titulos concilii Carthaginiensis et ante textum ipsius synodi inseri *epistolam Aurelii Mizoniique*, eandem quam collectio Quesnelliana statutis concilii Hipponiensibus praemittit. Quae litterae cum tantum in huius collectionis codicibus, non in aliis tribus antiquis collectionibus quae statuta Hipponensia continent (cf. Baller. in ed. op. Leon. III. p. 79. no. 4, p. 83. no. 10), neque in collectione Hispana inveniantur aliasque res Pseudo-Isidorus ex Quesnelliana quoque exscripserit, ex ista eum desumpsisse affirmare licet. Accedit, quod epistola aliter atque in codicibus Quesnellianae concepta est, interpolantur enim quaedam quae de coniunctione statutorum Hipponensium cum VII conciliis Carthaginiensibus facta tractant, sicut ex epistolae fine, quem secundum editionem collectionis Quesnellianae in op. Leon. Tom. III. a Balleriniis vulgatam et secundum codicem Andegavensem saepe laudatum hic affero:

Coll. Quesnell. c. 2 (ed. cit. p. 87).	Cod. Andegav.
... ut abhinc quisquis decretorum temerator extiterit, sciat se status sui operatum fuisse iacturam.	... ut abhinc quisquis decretorum temerator extiterit, sciat se status sui operatum fuisse iacturam. *Statuta quoque Ypponiensis concilii breviata et quaedam eorum in conciliis Carthaginensibus cum Byzacenis episcopis collata ac diligentius pertractata his VII conciliis interpolavimus ordinabiliterque distinximus.*
(Post quae omissis quae in cod. Andeg. leguntur immediate proferuntur:)	
Brevem vero statutorum in quo omnia videntur esse complexa et quaedam diligentius constituta huic epistolae *subdi fecimus*, ut compendio quae decreta sunt recensentes sollicitius observare curemus. Optamus vos, fratres, semper in deo bene valere et nostri memores esse. *Et manu senis Mizonii: Optamus, vos fratres, beatos* semper in domino gaudere et *nostri memores esse.*	Brevem vero statutorum *ante singula concilia* in quo omnia videntur esse complexa et quaedam diligentius constituta huic epistolae *subdidimus*, ut compendio quae decreta sunt recensentes sollicitius observare curemus. Optamus vos, fratres, in deo semper bene valere et nostri *sine intermissione* memores esse *atque* gaudere semper in domino. *Explicit.*

3) Dubitari non potest, quin *praefatio synodi I. Bracarensis* quae in codicibus A1 post concilium IV. Toletanum profertur Pseudo-Isidorus ex exemplari suo collectionis Hispanae receperit, cum etiam in hoc loco in forma eius qua in ceteris usus est, legatur (cf. p. LXXXIII.).

4) Accuratius disserendum est de excerptis quae in iisdem codicibus Pseudo-Isidorianis exhibentur post concilium Toletanum VIII. et quae codices B sub titulo: „*exceptiones ex diversis constitutionibus de rebus ecclesiasticis*" (cf. p. XXIV. LX.) ad finem post capitula Angilramni revocaverunt. Compilata sunt haec excerpta, quae in editione mea et quidem post synodum Toletanam laudatam publici iuris feci, tali modo:

1) „Haec sancta synodus — tempore quo potuerunt" (c. 3 conc. III. Tolet. a. 589); inscriptio nulla praemittitur.

[1] Nec non in aliis collectionibus vetustioribus (cf. Ballerinii, op. Leon. Tom. III. p. 451. not. 10). — [2] Cf. Knust l. c. p. 3.

2) „Quicquid parrochiarum — sanctione vertenda" (c. 3 conc. Epaon. a. 517 aut c. 53 conc. Agath. a. 506).
3) „His ergo perpensis — pietatis consideratione dispergit" (c. 4, 6, 7, 8 exempl. const. Symmachi a. 502).
4) „XI. Item praeceptum atque lex data a gloriosissimo Teoderico rege."
„Pervenit ad nos, patres conscripti — praesule vindicetur". (Fontem invenire non potui.)
5) „XI. Ex concilio Aurelianense cap. VIII."
„De agellis vero — communione privetur" (c. 13 conc. II. Aurel. a. 533).
6) „XII. Ex eodem concilio."
„Abbatibus, presbiteris — episcopi revocetur" (c. 26 conc. II. Aurel. cit.).
7) „XIII. Si quis vero de clericis — facultatibus reddat" (c. 25 conc. Agath. a. 506).
8) „Ex consilio Epaunensis cap. I."
„Si quis fidelis — communione societur" (c. 79 conc. Eliberit. a. 305).
9) „IX. Ex concilio Eliberitano cap. LXXIII."
„Episcopis, presbiteris — communione cessabit" (c. 1 conc. Epaon. a 517. aut c. 55 Agath. a. 506).
10) „XII. Ex concilio Aurilianse cap. XXII."
„Si quis clericorum — sunt reprimenda" (c. 24 conc. II. Aurel. cit.).
11) „XIII. Ex concilio Arelatensium titulo VI."
„Presbiter diaconem — non praesumat" (c. 4 conc. V. Arelat. a. 554).
12) „XII. Ex concilio Spalensi, capitulo VI."
„Comperimus quondam — praeceperit definire" (c. 6 conc. II. Hispal. a. 618).
13) „XIV. Ex concilio Toletano capitulo."
„Suggerendo in concilio — redeant christianam" (c. 14 conc. III. Tolet. cit.).
14) „Ex concilio Urbenense capitulo VI."
„Si quis iudaicae — protinus segregetur" (c. 4 conc. I. Arvern. a. 535).
15) „Ex eodem concilio capitulo IX."
„Ne iudaei — praeponantur" (c. 7 conc. I. Arv. cit.).
16) „Ex concilio Aurelianense cap. XIV."
„De mancipiis christianis — contumacia subiacebit" (c. 14 conc. II. Aurel. cit.).
17) „Ex eodem concilio capitulo XXXII."
„Quia deo propitio — non praesumant" (c. 33 eod.).
18) „Ex concilio Toletano cap. III."
„Inflexibilis iudaeorum — valitura censemus" (c. 3 conc. VI. Tolet. a. 638).
19) „Ex concilio Spalitano capitulo X."
„Comperimus quosdam — saecularis emendet" (quae neque in conciliis Hispalensibus neque aliubi reperire licuit).

Quaeritur, utrum haec excerpta a Pseudo-Isidoro in suam collectionem inserta, an ab ipso compilata, an aliunde desumta, an fortasse postea in codices Pseudo-Isidorianos a librario quodam inducta sint.

Vetustiores codices, quorum Carnotensis 67bis est saeculi decimi, haec capitula exhibent, sed quamquam hac ex causa colligi posse videtur, ea ad collectionem Pseudo-Isidori pertinere, praesertim cum, quod sciam, in nulla alia collectione antiquiore exhibeantur, tamen a librario quodam in codices Pseudo-Isidorianos illata esse magis crediderim.

Ex quadam collectione auctiore capitula desumpta esse, probant numeri singulis titulis passim appositi. Nam quantopere sint corrupti, id saltem cognosci potest, capitulis sub 5—8 enumeratis appositos fuisse numeros: XI. XII. XIII. XIV. Itaque fortasse prioribus capitulis praepositi fuerant numeri VII. VIII. IX. X., id quod confirmatur codice Vaticano qui praecepto Theoderici addit numerum X.[1] At si Pseudo-Isidorus ipse haec capitula composuisset, certe numeros inde a primo perpetuos adiecisset, quorum ne vestigia quidem in ullo manuscripto invenire mihi licuit. Tum comparatis titulis et inscriptionibus in codicibus exhibitis et fontibus unde capitula hausta sunt a me indicatis mea opinio adiuvatur. Cum enim diversis ex locis compilata sint et quidem ex conciliis, ex quibus Pseudo-Isidorus alioquin nihil excerpsit (cf. infra §. 15) velut concilio Epaonensi, et auctor secunda in parte suae collectionis res integras quas in ceteris invenit posuerit, haec canonum compilatio ad operam Pseudo-Isidori esse referenda mihi non videtur.

Quin etiam persuasum habeo, hanc collectiunculam ab ipso Pseudo-Isidoro

1 Ceteros numeros idem codex quoque ita corruptos sicut Carnot., ex quo supra allata desumpsi, et Andegav., Ottobon. profert.

in opus suum insertam non esse. Agunt capitula de rebus ecclesiasticis a clericis alienandis (no. 1—7), de fidelibus aleatoribus (no. 8), de canibus accipitribus a clericis ad venationem non habendis (no. 9), de clericis rebellibus (no. 10), de depositione et deiectione clericorum (no. 11. 12), de iudaeis (no. 13—19). Magnam partem conciliorum, ex quibus haec praecepta desumpta sunt, velut exemplar constituti Symmachi, conc. Eliberitanum, Agathense, Toletanum III. et VI., Hispalense II. integra in collectionem suam excepit neque ulla causa afferri potest, cur singula capitula repetierit. De canibus et accipitribus clericorum, de clericis aleatoribus, de iudaeis nihil in falsis epistolis suis statuit, et cum omnia quae nova in ecclesiasticam disciplinam introducere voluit, auctoritate antiquorum Romanorum pontificum confirmaret, cur hic tantum capitula quaedam excerpta fontibus genuinis adiectis interpolavit? Neque ratio inveniri potest, cur hoc quidem loco post concilium Toletanum VIII. haec excerpta inseruerit.

Quamquam certius nihil hac de re statui potest, tamen his quae adtuli commotus affirmaverim, hanc canonum compilationem a quodam librario in codices vetustiores intrusam fuisse, qui fortasse titulum in tabula prolatum: „*LXXVI. sententie que in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur sed a quibusdam in se ipsis inserta sunt*“ explere voluit. Est enim titulus ex collectione Hispana (cf. p. LXXIX. Baller. diss. cit. P. III. c. 4. §. 2) cum tabula repetitus, et cum ei respondeant canones Agathensis concilii a can. 48 usque ad 70, postea huic concilio adiecti et in codicibus Hispanae quoque a Pseudo-Isidoro adhibitis iam hoc loco positi (cf. Baller. l. c. Bruns, can. apost. I. 1. p. 392. I. 2. p. 145. 155) librarius quem hoc fugit, quae ei deesse videbantur supplevit nulla ratione habita, ad quem locum potissimum pertinerent.

§. 13. Cap. IV. De tertia parte collectionis.

I. Tertiam partem suae collectionis Pseudo-Isidorus ad imaginem Hispanae partis secundae ex decretalibus Romanorum pontificum inde a Silvestro papa composuit eique hanc praefationem ex Hispana (cf. Baller. diss. cit. l. c. Coustant, praef. no. 144) repetitam praeposuit: „Hactenus digestis conciliis sanctorum patrum sequuntur decreta praesulum Romanorum praefatae sedis apostolicae praesulum constituta quae ad fidei regulam vel ecclesiasticam pertinent disciplinam in hoc libro diligenti cura collecta sunt, ita ut singulorum pontificum quotquot decreta a nobis reperta sunt sub uniuscuiusque epistolae serie propriis titulis praenotarentur eo modo quo superius priscorum patrum canones nostro studio ordinati sunt, quatinus lectoris industria facilius intelligere possit, dum capitulis propriis distincta intendit“[1].

II. Cui praefationi tabula decretorum praesulum Romanorum subiungitur, quae in editione mea antecedit. Ut in prima tabula, etiam in hac conficienda auctor est usus ea, quae iam in codicibus Hispanae collectionis exhibetur edita a Balleriniis et a Petro Coustant (ll. cc.).

At non solum differt forma in collectione Pseudo-Isidoriana prolata ab Hispana, sed etiam codices nostri eam diverse conceptam habent; quare pauca de his afferenda erunt. Initium ita habetur:

„Item incipiunt capitula decretalium venerabilium apostolicorum sanctae Romanae sedis ecclesiae.“

„I. Primum excerpta quaedam ex sinodalibus gestis sancti Silvestri papae capitula posuimus.“

Sequuntur postea sub numeris II—XIII. inscriptiones epistolarum ad Marcum, Iulium, Felicem II., Liberium pertinentium: quae omnia in tabula collectionis Hispanae desunt. Inde a numero XIV. sequuntur tituli decretorum Damasi, et quidem plures quam in collect. Hisp., quos hic adiicio:

[1] Secundum cod. Carnot. 67bis.

Coll. Hisp.	Pseud.-Isid.
I. Epistola papae Damasi ad Paullinum Antiochenum episcopum.	XIV. Epistola papae Damasi ad Paulinum Antiocenum episcopum.
II. Confessio fidei eiusdem papae ad eumdem Paullinum.	XV. Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum de dampnatione quorumdam haereticorum.
	XVI. Item epistola Stephani archiepiscopi et trium conciliorum ad Damasum papam quod episcoporum et summorum negotiorum ecclesiasticorum causae semper ad sedem apostolicam sunt referendae.
	XVII. Item epistola Damasi ad eundem Stephanum et ad concilia Africae quod episcoporum iudicia et maiores causae non aliter quam auctoritate sedis apostolicae sint terminandae.
	XVIII. Quod omnes heretici de filio dei et spiritu sancto male sentientes in perfidiam iudaeorum et gentilium inveniuntur et de trinitatis unitate.
	XIX. De vana superstitione chorepiscoporum vitanda.
	XX. Item eiusdem de sacerdotibus qui de ecclesiis ad alias migrant ecclesias.
	XXI. Item epistola Damasi urbis Romae pontificis.
	XXII. Professio catholicae fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum episcopum in Macedoniam quae fuit in Thessalonica.
	XXIII. Item epistola Damasi Romanae ecclesiae episcopi qui post Liberium pontificatus iura suscepit multis scilicet virtutum ornatus insignibus: is etenim his in epistolis habuit nonaginta consortes episcopos qui ex Italiis atque Galliis in Romanam convenerunt urbem, quorum nomina propter multitudinem his non sunt inserta.
	(Quibus additur in codicibus Rotom. 15/9. E. saec. XI. et Vatic. 3791 saec. XII:)
	XXIV. Item eiusdem Damasi ad episcopos per Italiam constitutos.[1]

Tabula his in rebus pauciora profert quam ipsi codices in textu exhibent: epistolae enim *Damasi* ad Hieronymum et rescriptum eiusdem prolatae post primam epistolam Damasi in codicibus A1 et A2 et epistola ultima eiusdem ad episcopos per Italiam constitutos in tabula non laudantur, huius saltem titulus tantum in posterioribus codicibus enumeratur.

In epistolis *Siricii* papae exhibendis tabula Pseudo-Isidoriana quidem cum epistolis integris postea in codicibus propositis et cum tabula collectionis Hispanae convenit, sed in ceteris multum differt, sicut ex his apparet:

Tabula Hisp.	Tabula Pseudo-Isidoriana: cod. Par. int. suppl. lat. 840.	cod. Rotomag. 15/9. E.	Epistolae postea in textu coll. Ps.-Is. prolatae:
V. Eiusd. Siricii per diversos episcopos directa.	XXVIII. (Par. 3852: XXV.) eiusdem Siricii per diversos directa.	XXVII. Item eiusdem p. S. p. diversos directa.	profertur.
		XXVIII. Item Anastasii papae.	exstant.
		XXIX. C. s. Noviano nobilissimo viro dir.	
VI. Epist. Innocentii p. ad Decentium episcopum Eugubinum.	XXIX. (Par. cit.: XXVI.) ep. Innoc. p. ad Dec. Euiubinum.	XXX. Item ep. regularis pape Inn. ad Decent. episc. Euiubinum.	ep. 1 cod. A1 (cf. §. 3).
VII. C. s. ad Victoricum Rotomagens.	XXX. (P. cit.: XXVII.) C. s. ad Victor. Rotomagens. episc.	XXXI. Item eiusdem Innocentii pape ad Victoricum Rotom. episc.	ep. 2.
VIII. C. s. ad Exuperium Tolosanum episcop.	XXXI. (Par. cit.: XXVIII.) C. s. ad Exsuperium Tolosanum episc.	XXXII. Item Inn. p. ad Exup. Tholos. episc.	ep. 3.

[1] Qui titulus in vetustioribus cod. Par. inter suppl. lat. 840 saec. X., Carnot. 67bis saec. X., Paris. 3852 saec. XI. omittitur.

Tabula Hisp.	Tabula Pseudo-Isidoriana: cod. Par. int. suppl. lat. 840.	cod. Rotomag. 15/9. E.	Epistolae postea in textu coll. Ps.-Is. prolatae:
IX. C. s. ad Felicem episcopum.	XXXII. (Par. cit.: XXIX.) C. s. ad Fel. ep.	Item eiusdem p. Inn. ad Fel. Nucerian.	ep. 4.
		Item epistola concilii Cartagin. ad sanct. Inn. pap. urb. Rome.	ep. 5.
		Item rescriptum sancti pape suprascripto.	ep. 6.
		Item epistola Milevitani concilii ad eiusdem papam urbis contuli.	ep. 7.
		Item epistola pape Innocentii ad quos supra.	ep. 8.
		Item epistola familiaris episcoporum V ad suprascriptum papam Romanum.	ep. 9.
		Item epistola pape Innocencentii ad suprascriptos.	ep. 10.
		Item familiaris epistola pape suprascripti ad Aurelium Carthaginiensem episcop.	ep. 11.
X. Ad Maximum et Severum episcopos.	XXXIII. (Par. cit.: XXX.) C. s. ad Maximum et Severum episcopos.	XXXIII. Item Innocentii ad Maximum et Severum episcopos de his qui in presbiterio filios genuerint ut ab officio removeantur.	ep. 12. 13.

In aliis epistolis enumerandis tabula collect. Hisp. et collect. Pseudo-Isid. et quidem omnes codices laudati inter se concordant eaedemque epistolae etiam postea in collectione ipsa Pseudo-Isidoriana proferuntur, tantum in tabula Pseudo-Isidoriana titulus unius epistolae qui in Hispana habetur, „XVII. Ad eundem" (scil. ad Aurelium Carthaginiensem) omittitur, quamquam ipsa epistola in collectione, ubi est vicesima, inter epistolas Innocentii non desideratur.

In decretis *Zosimi*, *Bonifacii I.*, *Coelestini* tabulae duae inter se et cum epistolis in collectione Pseudo-Isidori prolatis conveniunt, solum in tabula Pseudo-Isidoriana decretorum apocryphorum *Sixti III.* mentio non fit.

Econtra *Leonis M.* epistolarum inscriptiones ita diverse ut *Innocentii I.* enumerantur, sicut ex hac tabula apparet:

Tab. coll. Hisp.	Tabula Pseudo-Isidoriana: cod. Par. int. suppl. lat. 840.	cod. Rotom. cit.	Epistol. in codd. A1 prolatae:
Desunt.	Desunt.	Incipit epistola Leonis pape ad Teodoritum episcopum Cyri post Calcidonens.	ep. 1.
		Domino sancto et beatissimo patri Leoni Eusebius Mediolanensis episcopus per quam fidei eius quam Orientem direxerat assertione cum aliis episcopis consentiens subscripsit. (Et alia manu:) Incolumem tuam beatitudinem sanctissima divinitas tueatur atque custodiat domine sancte beatissime pater.	ep. 2.
		Ad Leonem papam Ravennii aliorumque episcoporum Galliorum fidei eius quam direxit ad Origenem laudem dicentis.	ep. 3.
		Item Leo episcopus Iuvenali episcopo Hierussolimitano.	ep. 4.
		Item Leo episcopus †.	ep. 5 (?).
		Item epistola Leonis papae ad Iulianum episcopum.	ep. 10.
		Item epistola Leonis ad Pulcheriam augustam.	ep. 6.
		It. ep. pp. Leon. ad Constinopolitanum.	ep. 7.
		It. ep. pp. Leon. ad Aquilegensem episcopum.	ep. 9.
		†It. epistola Leon. ad Teodosium Augustum.	ep. 11.

Tab. coll. Hisp.	Tabula Pseudo-Isidoriana: cod. Par. int. suppl. lat. 840.	in cod. Rotom. cit. enumeratur:	Epist. in codd. A 1 prolatae:
XXXVII. Epistola Leon. p. ad Eutycem presb.	LIX. (Par. 3852 cit.: LVI.) ep. L. pp. ad Eut. presb.	Eadem epistola.	ep. 17.
XXXVIII. C. s. ad Flavian. CP. episc.	LX. (Par. LVII.) C. s. ad Flav. CP. ep.	Eadem epistola.	ep. 18.
XXXIX. Rescr. Flaviani ad supradictum Leonem papam.	LXI. (Par. LVIII.) rescriptum Flav. ad suprad. Leonem papam.	Eadem epistola.	ep. 19.
*LIX. Ad Marcianum augustum.	LXII. (Par. LIX.) C. s. ad Martianum aug., ubi gratias agit quod per Calcidonense concilium pax ecclesiae catholicae reddita sit.	Eadem epistola.	ep. 20.
*LX. Ad eumd. Marcian. aug.	LXIII. (Par. LX.) C. s. ad eundem Martianum august.	Eadem epistola.	ep. 21.
*LXI. Ad eumd. Marc.	LXIV. (Par. LXI.) C. s. ad eund. Martianum aug., in qua scribit de exilio Euticetis.	Eadem epistola.	ep. 22.
*LXII. Ad Leonem imperatorem subiunctis testimoniis per rescripta de libris patrum.	LXV. (Par. LXII.) C. s. ad Leon. imp. de blasphemiis Nestorii et Euticis subiunctis testimoniis de libris patrum.	Eadem epistola.	ep. 23.
*LXIII. Ad Turibium Asturicensem episcopum.	LXVI. (Par. LXIII.) C. s. ad Turibium Asturicens. episc. contra Priscillianistas.	Eadem epistola.	ep. 24.
*LXIV. Ad univers. episc. per Italiam provinciam constitutos.	LXVII. (Par. LXIV.) C. s. ad episcopos per Italiam.	Eadem epistola.	ep. 25.
XL. Leon. rescr. ad supradict. Flavianum.	LXVIII. (Par. LXV.) C. s. rescript. ad Flavian. ep. contra Euticetis perfidiam.	Eadem epistola.	ep. 26.
XLI. Ep. Petri episcopi Ravenn. ad Eutycem presb.	LXIX. (Par. LXVI.) Ep. Petri episcop. Ravenn. ad Euticen presb.	Eadem epistola.	ep. 27.
XLII. Ep. Leon. ad Ephesin. synod.	LXX. (Par. LXVII.) Ep. Leon. ad Ephesin. synod. in qua congregatos provocat episcopos Euticetis blasphemias condempnare.	Eadem epistola.	ep. 28.
XLIII. C. s. ad Theodosium aug.	LXXI. (Par. LXVIII) C. s. ad Theod. aug.	Eadem epistola.	ep. 29.
XLIV. C. s. ad Pulcheriam aug.	LXXII. (Par. LXIX.) C. s. ad Pulcher. aug.	Eadem epistola.	ep. 30.
XLV. C. s. item ad Pulcheriam aug.	LXXIII. (Par. LXX.) C. s. ad eand. Pulcher. aug.	Eadem epistola.	ep. 31.
XLVI. Ad Martinum et Faustum presbiteros.	LXXIV. (Par. LXXI.) C. s. exortatoria ad Martianum et Faustum presbiteros de dampnatione Ephesini secundi concilii.	Eadem epistola.	ep. 32.
XLVII. Ad Theodosium aug.	LXXV. (Par. LXXII.) C. s. ad Teodos. aug.	Eadem epistola.	ep. 33.
XLVIII. Ad Pulcheriam aug.	LXXVI. (Par. LXXIII.) C. s. ad Pulch. aug.	Eadem epistola.	ep. 34.

Tab. coll. Hisp.	Tabula Pseudo-Isidoriana: cod. Par. int. suppl. lat. 840.	in cod. Rotom. cit. enumeratur:	Epist. in codd. A1 prolatae:
XLIX. Ad Faustum, Martinum, Petrum, Manetum et ceteros.	LXXVII.(Par.LXXIV.) C. s. ad Martianum et Faustum ceterosque presbit.	Eadem epistola.	ep. 35.
L. Ad Pulcheriam aug.	LXXVIII.(Par.LXXV.) C. s. ad Augustam: ei ibi gratias egit quod Nestorianum et Euticen fidei defensione destruxerit.	Eadem epistola.	ep. 36.
LI. Ad Anatolium CP. ep.	LXXIX. (Par. LXXVI.) C.s.ad Anathol.CP.ep.	Eadem epistola.	ep. 37.
LII. Ad Marcianum imperat.	LXXX. (Par.LXXVII.) C.s. ad Martian. in qua pro conservatione catholicae fidei illi congratulatur.	Eadem epistola.	ep. 38.
LIII. Ad eumd. Marcian. aug.	LXXXI. (P. LXXVIII.) C. s. ad Mart. in qua pro defensione catholicae fidei imperatori congratulatur.	Eadem epistola.	ep. 39.
LIV. Ad Anatolium ep.	LXXXII. (Par.LXXIX.) C. s. ad Natholium CP. episc.	Eadem epistola.	ep. 40.
LV. Ad Marcian. aug.	LXXXIII.(Par.LXXX.) C. s. ad Martian. de directa vicis suae legatione Constantinopoli pro Calcidonensi concilio faciendo.	Eadem epistola.	ep. 41.
LVI. Ad synod. Calchedon.	LXXXIV. (P. LXXXI.) C. s. ad synod. Calcidonens.	Eadem epistola.	ep. 42.
LVII. Ad Marcian. imperat.	LXXXV. (P. LXXXII.) C. s. ad Martian. aug. in qua eius congratulatur fidei quae in Calcidonensi concilio gesta est et de Anatholio Constant. episc.	Eadem epistola.	ep. 43.
LVIII. Ad Anatolium CP. episc. (tit. LIX—LXIV. cf. supra post XXXIX.).	LXXXVI.(P.LXXXIII.) C. s. ad Anathol. CP. episc.	Eadem epistola.	ep. 44.[1]
LXV. Ad episcopos per Siciliam const.	LXXXVII.(P.LXXXIV.) C. s. ad episcopos per Siciliam cum capitulis suis.	Eadem epistola.	ep. 45.
LXVI. Ad episcopos per Campan., Samnium et Picenum const.	LXXXVIII.(P.LXXXV.) C. s. ad episcopos per Camp., Sam. et Pic. const.	Eadem epistola.	ep. 46.
LXVII. Ad Ianuarium Aquilegens. episcopum.	LXXXIX.(P.LXXXVI.) C. s. ad Ianuarium Aquilegens. episc.	Eadem epistola.	ep. 47.
LXVIII. Ad Rusticum Narbonensem episcopum.	XC. (Par. LXXXVII.) C. s. ad Rusticum Narbonens. episc.	Eadem epistola.	ep. 48.
LXIX. Ad Anastas. Thessalon. episc.	XCI. (Par. LXXXVIII.) C. s. ad Anastasium Thessal. episc.[2]	Eadem epistola.	ep. 49.

[1] Epistolae Leon. ad Dorum Beneventanum, quae in quibusdam codicibus A1 inter epistolas 44 et 45 inseritur (cf. supra p. XXVII.), mentio non fit. — [2] Haec est ultima epistola quam tabula cod. Rotom. hic desinens enumerat.

Tab. Hisp.	Tab. Ps.-Is. (cod. int. suppl. lat. 840.)	Epist. in cod. A1 prolatae:
LXX. Ad Nicetam Aquilegens. episc.	XCII. (Par. LXXXIX.) Ad Nicetam Aquilegens. episc.	ep. 50.
LXXI. Ad Africanos episcopos.	XCIII. (Par. XC.) C. s. ad Africanos episc.	ep. 51.
LXXII. Ad Theodor. Foroiuliens. episc.	XCIV. (Par. XCI.) C. s. ad Teodor. Foroiul. episc.	ep. 52.
LXXIII. Ad Leon. Ravenn. episc.	XCV. (Par. XCII.) C. s. ad Leon. Ravennens. episc.	ep. 53.
LXXIV. Ad Dioscorum Alexandr. episc.	XCVI. (Par. XCIII.) C. s. ad Dioscorum Alexandr. episc.	ep. 54.
LXXV. Ad episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos. (Explic. tit. epist. Leon.)	XCVII. (Par. XCIV.) C. s. ad episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos.	*ep. 57.
	XCVIII. (Par. XCV.) C. s. de privilegio corepiscoporum sive presbiterorum ad universos Germaniae atque Galliae ecclesiarum episcopos. (Explic. tit. epist. Leon.)	*ep. 55.
		ep. 56 (Damnatio Vigilii) et 58 (epistola Leonis de statu paenitentiae et reconciliationis) in tabula omittuntur.

In posterioribus titulis ab epistolis Hilarii papae ad Hormisdam tabulae collectionis Hispanae et Pseudo-Isidorianae conveniunt, tantum in epistolis Hilarii ultimis non eundem ordinem sequuntur; habentur enim sic:

in Hisp.	in coll. Pseudo-Is. sec. Par. int. suppl. lat. 840.
XCV. It. Hormisdae p. ad Salustium Spalens. episc.	CXVIII. (Par. 3852 cit.: CXV.) It. Horm. pap. ad Epiphan. CP. episc.
XCVI. Ad Epiphanium episc. CP.	CXIX. (Par. CXVI.) It. H. p. ad Salustium Spalens. episc.
XCVII. It. Hormisdae p. ad universos prov. Boeticae episc.	CXX. (Par. CXVII.) It. H. p. ad un. provintiae Boeticae episcopos.

Idem ordo atque in tabula Pseudo-Isidoriana postea quoque in collectione servatur.

Sequentes tituli qui post Hormisdam proferuntur in tabula Hispanae collectionis:

XCVIII. Vigilii papae ad Profuturum episcopum.
XCIX. Epistola Gregorii papae ad Leandrum Spalensem episc.
C. C. s. ad eumdem Leandrum.
CI. C. s. ad praedictum antistitem.
CII. C. s. ad Recaredum regem Gotthorum.

in codicibus Pseudo-Isidorianis non exhibentur.

Aliorum codicum classis A1 rationem nondum habui, velut Carnot. 67bis saec. X., Ottobon. 93. saec. XI/XII., Vatic. 3791. saec. XII., Londin. Cotton. Claud. E. V. saec. XII. exeunt., Cantabrig. saec. XIII. ineunt., Paris. Sorb. 729. saec. XV. — Carnot. eosdem ac Par. int. suppl. lat. 840 et Par. 3852 titulos ponit (tantum eos erronee usque ad CXXVIII. numerat, cum numerum LXXX. sequatur numerus XC.), econtra Ottobon. 93 convenit cum Rotomag. 15/9. E. Posteriores tres nihil ad rem facere posse ex eo apparet quod Londin. et Cantabrig. in suis tabulis res proferunt quae ad collectionem Pseudo-Isidorianam certe non pertinent (cf. supra §. 3).[1] Cod. Paris. Sorbonne 729 ita ut cod. Paris. Navarre 7. saec. XII. exeunt. (class. A2, cf. §. 4) quidem tabulam exhibent tantum decretales usque ad Gregorium M. complectentem at cum in eis omnes epistolae ita ut postea in textu leguntur enumerentur, tabul

[1] Qua ex re etiam codicum A/B, B, C (cf. §§. 7. 6. 8) ratio habenda non est.

secundum textum composita fuisse videtur[1], neque iis codicibus, quippe qui posterioris aetatis sint et a manuscriptis vetustioribus hac re differant, fides haberi potest. Etiam in Rotomagensi et Ottoboniano vetustissimam formam exhiberi nego. Tabulam enim librarius in eis quoque secundum textum epistolarum supplevit, quae res eo evidentissime probatur, quod numeros titulorum eosdem qui in Parisiensibus duobus leguntur, retinuit et titulis quos ipse adiecit, numeros non apposuit: tum saltem in Rotomag. tituli pleniores quam in Parisiensibus cum inscriptionibus epistolarum in textu positis concordantes leguntur.

Quibus ex rebus apparet, vetustiorem formam tabulae illam esse, quam codices Parisienses citati proferunt. Quaeritur num illa Pseudo-Isidoro auctori adtribuenda et ei fides talis habenda sit, ut ex ea quas epistolas auctor suae collectioni inseruerit diiudicari possit. Quarum rerum alteram quidem negari necesse est. Tabula ad imaginem eius quae in collectione Hispana exhibetur, confecta est. Initio quidem tituli epistolarum quarundam Pseudo-Isidorianarum praemittuntur, ordo titulorum Leonis ad ordinem epistolarum eiusdem papae in collectione Pseudo-Isidoriana servatum mutatur, inseritur titulus epistolae subditiciae de chorepiscopis, attamen dubitari non potest, quin tabula ita Pseudo-Isidorianae collectioni accommodata plures epistolas ad eam pertinentes omittat. Iam praefatio epistolas usque ad Gregorium auctorem in suam collectionem recepisse dicit, cum tabula etiam brevior quam tabula Hispanae collectionis tantum titulos decretalium usque ad Hormisdam papam exhibeat. Epistolae quoque plures quorundam paparum leguntur in omnibus codicibus, velut *Gelasii*, *Symmachi*, quam in tabula numerantur; praetereuntur etiam in illa omnes decretales subditiciae post *Damasum* inter genuinas prolatae, velut *Sixti III.*, *Anastasii I.*, *Felicis IV.* etc., quibus in exhibendis fere omnes codices conveniunt. His omnibus perpensis tabulae auctoritas ad eas, quas Pseudo-Isidorus in suam collectionem exceperit, epistolas ab aliis postea illatis discernendas vindicanda esse non videtur.

Hac re si quis priorem quaestionem absolutam censet et tabulam illam Pseudo-Isidoro abiudicandam esse[2], ex mea quidem sententia tota via errat. Supra (p. LXXIX.) ostendi, tabulam prioris partis a Pseudo-Isidoro ipso compilatam esse. Cum in priore parte tabulam suam iam ad imaginem collectionis Hispanae composuerit, verisimile est, eum eandem collectionem in posteriore parte secutum esse, praesertim cum is qui secundam tabulam fecit, posteriorem Hispanae ante oculos haberet. Ad quam tabulam etiam prioris verba post titulum: „LXXVIII. Synodus Toletana LXVIII episcoporum“ posita: „*deinde sequuntur reliquorum decreta apostolicorum sicut in subsequentibus continetur*“ (cf. ed. meae p. 26) referenda esse videntur.

At cur Pseudo-Isidorus, obiiciat quispiam, si ipse tabulam composuit, eam rebus postea in ipsam collectionem receptis non accommodavit? Non summa diligentia hac in re egisse auctorem iam ex tabula prima apparet, quam tantum epistolis a Clemente usque ad Melciadem praepositis verbotenus ex collectione Hispana recepit. Simile quid fecit in secunda tabula exhibenda. Anteposuit etiam priores epistolas a se ipso confictas et mutavit ordinem decretalium ex Hispana desumptarum. Itaque quatenus Hispana in hac parte collectionis suae compilanda usus est, tabulam quoque emendavit. Solum eas epistolas, quas aliunde hausit, in tabula sua non enumeravit et ultimos titulos Hispanae omisit. Quod mihi fecisse videtur, quia in fine collectionis tam multas res inseruit, ut hic tabulam paene omnibus in rebus a tabula Hispanae differre necesse esset et quia fortasse cum tabulam componeret adhuc haesitabat, quasnam alias res in aliis collectionibus contentas interpolaret, an ipse novas adhuc confingeret et quonam loco istas proferret. Postea autem collectione tota absoluta tabulam iterum mutare omisit.

[1] Probat hoc tabula in cod. Par. Navarre 7 proposita, quae a decretalibus Damasi incipit, cum epistolae a Silvestro usque ad Liberium comprehendantur in tabula priore, quae ita ut codices A2 non solum titulos decretalium, sed etiam singulorum capitum earum profert. — [2] Sic Ballerinii (cf. diss. cit. P. III. c. 6. §. 6. no. 25).

III. Decreta ad *Marcum* papam spectantia usque ad epistolas *Felicis II.* et *Liberii* ad collectionem pertinere ipsique Pseudo-Isidoro adscribenda esse inter omnes constat, cum ita ut alia priora ex genuinis fontibus quos in editione mea adnotavi consuta sint. „*Excerpta quaedam ex sinodalibus gestis sancti Silvestri papae*", uti in manuscriptis proferuntur, habent ipsum Pseudo-Isidorum auctorem; quamquam quidem verbotenus exhibent partes constitutorum Silvestri sive concilii II. Romani sub Silvestro habiti (Mansi 2, 623), tamen constituta ipsa a Pseudo-Isidoro conficta non sunt, leguntur enim integra iam in antiquioribus collectionibus, velut in collectione codicis Colbertini 784. (Cf. Coustant l. c. app. p. 37. 38. Ballerin. diss. cit. P. III. c. 6. §. 5. no. 20, P. II. c. 6. no. 4. Walter, Kirchenrecht §. 95. Richter, Kirchenrecht 5. Aufl. p. 77.)

De epistolis *Liberii* duae quaestiones oriuntur. Altera, utrum Pseudo-Isidorus eas ita collocaverit, ut post epistolam Athanasii Aegyptiorumque episcoporum ad Liberium eiusdemque rescriptum ad illos decreta ad Felicem II. spectantia insereret et deinde aliam epistolam Liberii ad „generaliter episcopos" subiungeret, an omnia tria decreta ad Liberium pertinentia coniunctim protulerit et postea Felicis II. adiecerit. Hic ordo exhibetur in quibusdam codicibus A2, ille in codicibus A1, A/B, B, C. Attamen cum etiam plures codices A2, velut Bambergensis, Valicellanus, Sangallensis, Darmstadtensis aut saec. X. aut XI. (cf. supra §. 4) ultimam epistolam Liberii post decreta Felicis II. collocent, hic ordo a Pseudo-Isidoro institutus esse mihi videtur, praesertim cum in libro pontificali (vit. Liberii c. 2. 4. 5) legeret, post Liberium in exilium a Constantio imperatore missum in eius locum Felicem presbiterum Romanum episcopum ordinatum, deinde autem Liberium ab imperatore revocatum Felicemque de episcopatu eiectum fuisse. Alterum ordinem qui tantum in eis codicibus qui tabulam capitulorum singularum decretalium proferunt invenitur, ideo librarii secuti sunt, ut capitulis Liberii in tabula coniunctim positis textus quoque responderet.

Altera quaestio pertinet ad eandem tertiam epistolam Liberii. Iam supra (§. 3. 4) dixi, in codicibus A1 et A2 in fine eius additam esse epistolam integram *Ennodii episcopi Ticinensis* (quae est inter epistolas eius 13ª libri II.) et postea: „*data XV. Kal. Beato et Iuliano vv. cc. conss.*" Quin illam librarius quidam in textum introduxerit, dubitari non potest, nam ea quae in his litteris de ratione epistolarum scribendarum Speciosaque religiosa femina dicuntur, cum rebus a Liberio antea tractatis nullo modo cohaerent. Dies autem et nota consularis num Pseudo-Isidoro adscribendae sint, certo definiri non licet, tamen ab illo confictas esse verisimile est, cum in editione epistolarum Ennodii non inveniantur.

IV. Fusius etiam disserendum est de epistolis *Damasi* papae.

Prima epistola quam codices Pseudo-Isidoriani exhibent: „epistola papae Damasi ad Paulinum Antiocenum episcopum" est eadem quae prima omnium decretalium in collectione Hispana profertur, et ex eadem desumpta.

Sequuntur in codicibus A1 et A2 epistola Damasi ad Hieronymum et rescriptum eiusdem ad Damasum. Quamquam tabula huic parti collectionis praemissa titulos eorum non enumerat, hac ex re, ut iam supra ostendi, concludi non potest, illas postea in collectionem insertas esse. Quin etiam certo scimus, eas iam in codicibus ab auctore collectionis Anselmo dedicatae adhibitis proferri, itaque iam saeculo nono exeunte partes Pseudo-Isidorianae fuisse. Epistolae ipsae in collectione Anselmo dedicata quidem non citantur, attamen cum in c. 15. 16. lib. VIII. sub inscriptionibus: „*Damasi pp. k. II.*" et „*eiusdem pp. k. III.*" partes epistolae primae Damasi quae eosdem capitulorum numeros in codicibus A2 habent, et tota epistola Damasi: „*post concilium Nicenum — haereticus erit*", quod in eisdem codicibus est caput sextum, cum inscriptione: „*Damasi pp. k. VI.*" in c. 11. lib. XII. Anselm. ded. exhibeantur, etiam in codice epistolae duae memoratae inerant, quae in codicibus A2 nobis traditis faciunt cap. IV. et V.

Itaque cum hac in re nihil aliud quam fidem manuscriptorum sequi possimus,

epistolae citatae collectioni Pseudo-Isidorianae vindicandae erunt. Apocryphas illas esse dubium non est (cf. Hieronymi op. ed. cit. Tom. XI. P. I. p. 376 sqq.), sed quaeritur, utrum a Pseudo-Isidoro, an ab alio ante eius tempus confictae sint. Vetustiores fere omnes qui hac de re egerunt, epistolas Pseudo-Isidoro adscripserunt, cf. Blondellus l. c. p. 516. 517. Coustant l. c. p. 604. Vallarsius (in ed. op. Hieronymi memor. l. c.), nostraque aetate Knust (l. c. p. 72) et Jaffé (l. c. no. CLXI). Alii, velut Walter, Kirchenrecht §. 95, Richter, Kirchenrecht ed. cit. p. 77, Schulte, Kirchenrecht Tom. I. p. 290 not. 6. eas Pseudo-Isidoro abiudicant ea in re auctoritatem Balleriniorum sequentes, qui in diss. cit. (P. III. c. 6. §. 6. no. 25) eas partes collectionis Pseudo-Isidori non fuisse contendunt. Attamen hoc solum affirmant, quia codicem Vaticanum 630 praestantissimum omnium esse persuasum habebant. Sed hac in re eos erravisse iam supra (cf. §§. 2. 7) ostendi. Quamquam enim de hac re certo iudicari tum demum posset, si cognovissemus aetatem codicum omnium non-pseudo-isidorianorum easdem epistolas exhibentium, tamen equidem in sententiam Balleriniis contrariam discedam. Etenim, quod sciam, in nullo codice collectionis Anselmo dedicatae vetustiore inveniuntur et primo in collectione Pseudo-Isidoriana exhibentur. Tum epistola Hieronymi ad Damasum eodem modo ac ceterae Pseudo-Isidorianae ex genuinis fontibus conflata est, quamvis id saltem concedendum sit, ea quae in fine vetustiorum codicum ex Isidori etymologiis excerpta legantur ad epistolam non pertinere et a librario quodam addita esse[1].

Quartam epistolam quae inscripta est: „*Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum*“ etc., Pseudo-Isidorus desumpsit ex collectione Hispana, ubi secunda profertur, attamen eam dissecuit et hic tantum priorem partem usque ad verba: „non recte habuerit, hereticus est“ posuit.

Epistolam *Stephani* et trium conciliorum Africae ad Damasum scriptam eiusdemque rescriptum ad eosdem Spittlerus (Geschichte des kanonischen Rechtes, Halle 1778. p. 243 sqq.) quidem Pseudo-Isidoro abiudicavit, sed quamquam in codicibus quibusdam Hispanam collectionem exhibentibus inveniuntur (cf. Coustant l. c. praef. no. 145, Baller. diss. cit. P. III. c. 4. §. 5), tamen aetas eorum saeculum decimum superare non videtur[2]. Cum etiam in omnibus codicibus vetustioribus Pseudo-Isidorianis legantur et partes epistolarum repetantur in coll. Anselmo dedicata[3] et Hincmaro Laudunensi[4], iam nono saeculo confictae erant. Itaque Pseudo-Isidoro iure vindicandae erunt, praesertim cum genus dicendi, fontes in conficiendis epistolis adhibiti, res de quibus in eis agitur nullum alium auctorem, ut iam Knustius (l. c. p. 7) recte animadvertit, quam Pseudo-Isidorum indicent.

Quae sequuntur inscripta: „*quod omnes heretici de filio dei*“ etc. sunt c. 2 epistolae Damasi secundae in collectione Hispana prolatae, cuius priorem partem Pseudo-Isidorus post epistolam Hieronymi ad Damasum posuit et cui finem adulteratum ex initio secret. III. conc. Lateran. a. 649 haustum addidit.

Epistolam *Damasi* ad episcopos *Numidiae* „de vana superstitione chorepiscoporum vitanda“ Blascus (l. c. p. 40) postea in collectionem illatam esse conten-

[1] Vallarsius l. c. auctiorem formam epistolae Hieronymi edidit; post ea quae in Pseudo-Isidorianis habetur, sequuntur enim multa de psalmorum ordine et auctoribus. Quae cum tantum uno in codice legantur, postea addita esse videntur. — [2] Dicit enim Coustant l. c., qui librum suum a. 1721 edidit, codices (scil. Noviomensem, Bellovacensem, Laudunensem) ab annis circiter 700 descriptos esse. Ballerinii (l. c.) non dubitant, quin cod. Vatic. 1341 post collectionem Pseudo-Isidorianam confectam exaratus sit. Quae omnia Henricum Knust (l. c. p. 7) fugerunt, qui dicit: „Isidorum illas tanquam primitias et praecursores tali codici intulisse et sic viam ad scopum sibi patefecisse, haud immerito dici potest. Hinc Coustantius mirari desinat, quod librarius ex falsis mercibus plures non descripserit.“ — [3] Scil. c. 7 in coll. Anselmo ded. I. 68, c. 8 in I. 69, c. 9 in I. 39, 59, c. 10 in III. 73, c. 11 in III. 124, c. 12 in III. 150, c. 13 in III. 168, c. 14 in III. 74, c. 16 in III. 133, c. 18 in III. 114, c. 21 in I. 70. — [4] c. 8, 9 decret. Damasi in epistola ad Hincmarum Rem. (op. II. 350), in collectione altera etc. (l. c. 362); c. 7, 8 in resp. ad opuscul. LV. capit. (l. c. 623, 624).

dit: sed equidem eam quoque Pseudo-Isidoro adtribuo, cum non solum in antiquioribus codicibus classis A1 exhibeatur, sed etiam ab Hincmaro Remensi (cf. §. 5) citetur; Blascus autem eam Pseudo-Isidoro non alia ratione commotus abiudicasse videtur, quam ut sustineret quod de collectione Pseudo-Isidoriana iam saeculo octavo compilata statuerat. Etiam ex eis quae infra de collectione Benedicti Levitae et de chorepiscopis afferam, mea sententia confirmabitur.

Cui epistolae subiunxit Pseudo-Isidorus c. 3 epistolae collectionis Hispanae dissectae titulo praemisso: „*Item de sacerdotibus*" etc., deinde: 1) „*epistolam Damasi urbis Romane pontificis*", 2) „*professionem catholicae fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum Antiocenum episcopum*", 3) epistolam ad *episcopos Illyricos*, ex Cassiodori hist. trip. lib. IX. c. 15. 16, lib. V. c. 29. repetitas[1]. Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 6. no. 25) commoti auctoritate codicis Vaticani 630 priorem epistolam professionemque fidei ad collectionem Pseudo-Isidorianam non pertinere contendunt. Sed cum fides vetustioribus codicibus A1 habenda sit et epistolae in tabula tertiae parti collectionis praemissa memorentur, contraria sententia approbari debet: et verisimile est, Pseudo-Isidorum, qui, ut ipsi dicunt, epistolam ad episcopos Illyricos ex Cassiodoro exceperit, etiam alias inde desumpsisse. Neque obici potest, quod Pseudo-Isidorus eandem rem bis protulit, cum illam professionem etiam epistola secunda ex Hispana repetitam exhibeat. Nam hanc ultimam Pseudo-Isidorus in tres partes dissecuit et epistola Damasi: „quoniam apostolicae" solum apud Cassiodorum (lib. IX. c. 15), non in Hispana legitur.

Alteram epistolam ex Cassiodoro haustam ultimamque epistolam Damasi apocrypham ad Pseudo-Isidorum referendas esse, dubitari nequit.

V. De *Siricii* epistolis tribus ex Hispana desumptis et duabus *Anastasii* ab auctore ipso conflatis controversia nulla est.

Innocentii I. epistolas omnes ex Hispana et deinde 7 ex collectione Quesnelliana (c. 6—c. 12) Pseudo-Isidorum excepisse iam Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 5. no. 20) dicunt. Attamen cum in vetustioribus codicibus A1 quidem eae epistolae omnes et ordine tali ponantur, ut quartam Hispanae 7 Quesnellianae sequantur, illum ordinem a Pseudo-Isidoro institutum fuisse coniici potest; nam si fidem codicis Vaticani 630 ut Ballerinii sequeremur, dicendum nobis esset, Pseudo-Isidorum unam et dimidiam epistolam ex collectione Quesnelliana aliis decretalibus Innocentii ex Hispana haustis subiunxisse ceterasque ante Leonis M. epistolas — tali enim ordine in codice memorato proferuntur (cf. p. LXII.) — collocasse.

Haec generatim de decretalibus Innocentii I., quas Pseudo-Isidorus in collectionem suam recepit. Restat tantum ut pauca de epistola ad *Felicem* data quae est IV[a] in codicibus A1, et de epistola ad *Aurelium* episcopum (XX[a] l. c.) dicam.

Alteri in omnibus codicibus vetustioribus adiungitur pars epistolae *Leonis* quae extat in edit. Baller. tom. I. p. 1163 sqq. (cf. §. 3 no. 102). Cum nullo modo cum epistola Innocentii cohaereat, opinari licet, eam errore librarii cuiusdam iam in codices remotioris aetatis introductam fuisse.

Alteram Coustant (l. c. p. 932) a Pseudo-Isidoro conflatam esse contendit. Quam sententiam iam Ballerinii (l. c. P. III. c. 4. §. 2 i. f.) refutaverunt demonstrantes, eam quoque in codicibus vetustioribus collectionis Hispanae contineri neque ex nota consulari concludi posse falsam eam esse. Discedendum igitur est in eorum sententiam, praesertim cum etiam codices, secundum quos editio Matritensis collectionis Hispanae exarata est, epistolam proferant[2].

VI. In decretalibus *Zosimi*, *Bonifacii I.*, *Coelestini I.*, in quibus omnes codices vetustiores Pseudo-Isidoriani collectionem Hispanam sequuntur, morari opus non

[1] Professio quidem catholicae fidei etiam in collect. Quesnell. (ed. Ball. p. 400) exhibetur, attamen ex textu eiusdem et Cassiodori c. 16 lib. IX. et meae editionis comparato apparet, Pseudo-Isidorum illam, sicut ceteras duas epistolas, ex Cassiodoro desumpsisse. — [2] Knust l. c. p. 3. Balleriniis quoque assentit.

est, neque de epistola *Sixti III.*, quam a Pseudo-Isidoro consutam esse inter omnes constat, amplius disserendum. Accedam igitur ad epistolas *Leonis M.*

Cum auctoritatem codicis Vaticani 630 in constituenda prima forma collectionis non sequar, etiam hic sententiae fratrum Balleriniorum mihi repugnandum est qui censent: Pseudo-Isidorum tantum XXXIX decretales collectionis Hispanae excepisse. Plures enim in codicibus saeculi X. exhiberi supra (§. 3) ostendi, itaque statuendum est, illas ab initio ad collectionem pertinuisse. Huc accedit quod omnes epistolae non in Hispana exhibitae excepta una sola leguntur in collectione Quesnelliana (epistolae 2—5 supra §. 3. no. 107 enumeratae in c. 56. c. 57. c. 68. c. 69. ep. 6—9 in c. 79—82, ep. 10. 11 in c. 88. 89, ep. 12—16 in c. 92—96) ex qua Pseudo-Isidorus, qua de re omnes consentiunt, decretales Innocentii I. in Hispana prolatas auxit. Hoc saltem concedendum est, Pseudo-Isidorum in decretalibus falsis conficiendis nulla earum epistolarum ut fonte usum fuisse, sed hac ex causa epistolae ex collectione Quesnelliana desumtae priori collectionis formae abiudicari non possunt. Sunt enim etiam epistolae ex Hispana exceptae, quas in consuendis suis statutis non adhibuit[1] (velut epistola ad Martianum aug.: „puritatem fidei christianae"[2], ad Theodosium aug.: „omnibus quidem vestrae"[3], ad Pulcheriam aug.: „quod semper"[4] et sententiis aliarum epistolarum usus est, quas neque in collectione Hispana neque in collectione Quesnelliana invenit nec in sua collectione repetiit, cuius rei haec afferri possunt exempla:

1) Lib. c. 1.	Leon. ep. ad Theod. aug. (ed. Ball. 1, 907).
Olim ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fidutiam ut habeamus auctoritatem, *pro universali aecclaesia ad rectam* defendendam *fidem*, quatenus nulli liceat *statum sanctae aecclaesiae* commovere *ad lesionem recte credentium absque suo periculo honoris*. (Cf. quoque Zeph. 10, Dionys. 2, Bonif. II. pp. ep. 1.)	Olim et ab initio *in conciliis celebrandis* tantam nos percepimus a beato Petro apostolorum principe fiduciam, ut auctoritatem habeamus *ad veritatem pro nostra pace* defendendam, quatenus nulli liceat sic *eam munitam in aliquo* commovere, dum *repente laesio removetur*.

2) Rescriptum *Flaviani* episcopi Constantinopolitani ad Leonem M. extat quidem inter epistolas a Pseudo-Isidoro ex collectione Hispana desumptas (cf. §. 3. no. 107. ep. 19[a], Hisp. p. 51, ed. Ball. no. 22. p. 758) eoque usus est Pseudo-Isidorus:

Telesf. c. 4.	Rescript. Flaviani (Ball. l. c.).
... Tales enim membra sunt diaboli qui sursum atque deorsum pervolans quaerit, quod (al. quos) possit occidere (add. aliqui cod.: quos possit superare [alias: separare]), quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est etc.	... sursum *enim* atque deorsum pervolans quaerit, quos possit occidere, quos possit superare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est etc.
Anastas. I. pp. ep. 1.	Rescript. Flav. (l. c. p. 759).
... Sunt *ergo* quidam *eorum* veste sua oves significantes, interius *vero* lupi rapaces *existunt* quos iuxta *veritatis vocem* ex fructibus eorum debemus *cog*noscere. Quando autem ceperint assumere impietatem illud quod hoccultabitur in illis, aperitur et dolus omnis fit omnibus manifestus. Inveniuntur *quoque* infirme fidei homines et qui divinas lectiones *sciunt*, secum eos in perditionem *precipitant*, *dissipant enim et vituperant* patrum disciplinas et *relinquunt* sanctas scripturas ad suam perditionem: quos — *ut praedictum est* — debemus *pro*videre et *ab his* multum *cavere*, ne in malitia *sua* aliqui occupati concidant de sua *infirmitate*.	... Sunt quidam veste sua oves significantes, interius *autem* lupi rapaces: quos ex fructibus eorum debemus *ag*noscere. *Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro fuissent, nobiscum mansissent.* Quando autem coeperunt assumere impietatem quod *prius* occultabatur in illis, aperitur et dolus omnis fit omnibus manifestus. Inveniuntur *autem* infirmae fidei homines et qui divinas lectiones *nesciunt et* secum eos in perditionem praecipitant, *dissipantes et vituperantes* patrum disciplinas et *relinquentes* sanctas scripturas ad suam *ipsorum* perditionem: quos debemus *prae*videre et *a quibus* multum *vacare*, ne in *sua* militia aliqui occupati concidant de sua *firmitate*.

[1] Cf. infra §. 15. — [2] No. 21 int. ep. Leon. §. 3 no. 107 enum., no. 130 in ed. Ball. 1, 1256, no. 58 Hisp. — [3] No. 33 (§. 3. l. c.), no. 69 ed. Ball. 1, 1005, no. 45 Hisp. — [4] No. 36 (§. 3 l. c.), no. 79 ed. Ball. 1, 1035, no. 48 Hisp.

Sed alia quoque versione eiusdem epistolae in collectione Chalcedonensi exhibita (ed. Baller. 1, 750) usus est Pseudo-Isidorus, ut ex his locis apparet:

1) Lib. c. 2:

In nichilum (alias tantum: nihil) est, quod *nos* (alias: diu) stare *fateamur nisi dei gratia.* Diaboli nequitia incontemptibile malum plenum veneno mortifero *sevit; qui* sursum atque deorsum circuit querens quem devoret, *superemus.* Unde vigilare et sobrii esse ad orationes et deo propinquare *debemus* et fatuas *domino auxiliante hominum insidias*, *prout dominus posse dederit*, respuere et patres sequi et non transgredi terminos *patrum satagamus* ...

Rescript. Flav. (l. c. p. 752):

Nihil est, quod stare *faciat* diaboli nequitia, incontemtibile malum, plenum veneno mortifero: sursum atque deorsum circuit quaerens quem *percutiat*, *quos conturbet*, *quos* devoret. Unde *et* vigilare et sobrii esse ad orationes et propinquare deo et fatuas *quaestiones* respuere et patres sequi et non transgredi terminos *aeternos*, *ex scriptura sancta didicimus.*

2) Lib. c. 2 (paulo infra):

... Quando vero suam evomuerint impietatem dolum qui in eis est erumpentes et adprehendentes infirmiores et eos qui ad eloquia divi*ni* sensus inexercitatos habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subvertentes et iniuriantes paternas doctrinas, sicut et sanctas scripturas ad perditionem suam, quos oportet prescientes cavere, ne malitia eorum quidam seducti abscidantur a propria firmitate.

Rescript. Flav. cit. (l. c. p. 753, 754).

... Quando vero suam evomuerint impietatem dolum qui in eis est erumpentens et apprehendentes infirmiores et eos qui ad eloquia divi*na* sensus inexercitatos habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subvertentes et iniuriantes paternas doctrinas, sicut et sanctas scripturas ad perditionem suam, quos oportet praescientes cavere, ne malitia eorum quidam seducti abscindantur a propria firmitate.

Quibus ex rebus cum intelligatur, Pseudo-Isidorum etiam Leonis epistolas a se in collectionem non receptas habuisse neque omnibus ex Hispana desumtis ut fonte usum esse, contra sententiam meam nihil ex eo colligi potest, quod ex collectione Quesnelliana quidem epistolas inseruit, tamen eas in conficiendis falsis decretalibus non adhibuit. Itaque mirari non possumus, etiam epistolam primam *Leonis* (ad *Theoderitum:* „remeantibus") neque in Hispana neque in collectione Quesnelliana inveniri: unde eam Pseudo-Isidorus desumpserit, diiudicari non licet, sed in collectionibus quibusdam epistolarum Leonis M. exhiberi Ballerinii animadverterunt (cf. op. Leon. M. 1, 1218)[1], qui dubitare quidem videntur, an haec epistola Leoni M. adtribuenda sit. Sed id saltem pro certo habendum est, a Pseudo-Isidoro confictam non esse, cum plane a modo, quo ipse suas decretales consuerit, abhorreat[2]. (Cf. quoque ed. cit. Tom. II. p. 1237 sqq.) De his quoque epistolis Leonis disserendum est, et quidem:

1) de rescripto *Leonis ad Flavianum* episcopum: „te lectis dilectionis tuae litteris." Exhibetur enim bis (scilicet ut quinta et 26[a]) in codicibus Paris. int. suppl. lat. 840 saec. X., Carnot. 67[bis] saec. X., Paris. 3852 saec. XI., in Rotomag. 15/9. E. saec. XI., Ottobon. 93 saec. XI/XII., Vatic. 3791 saec. XII. Quod non errore librarii cuiusdam, sed Pseudo-Isidori ipsius incuria factum esse videtur. Primo enim inter epistolas ex collectione Quesnelliana desumtis exhibetur[3], ubi est cap. 69, cum epistola praecedente quae cap. 68 eiusdem collectionis est, secundo autem idem rescriptum ponens Pseudo-Isidorus, cum exscriberet epistolas ex Hispana collectione et coniunctim epistolas 38[am] usque ad 56[am] eodem ordine quo eas invenit, collocaret aut oblitus est, rescriptum Leonis (quae est prima epistolarum modo laudatarum[4]) a se iam antea prolatum fuisse aut id repetere voluit propter magnam eius auctoritatem[5].

[1] Dicunt, inesse in epistolarum Leonis collectione XI (cf. l. c. p. 525), XII (cf. p. 527), XVIII (cf. p. 543), XXI—XXIV (cf. p. 551 sqq.), quarum duae priores exhibentur in codicibus Pseudo-Isidorianis, itaque a Pseudo-Isidoro adhibitae esse non possunt. — [2] Philippus Jaffé eam quoque inter epistolas genuinas posuit (l. c. no. 274). — [3] Sub inscriptione quae habetur in collectione Quesnelliana: „*Leo episcopo Constantinopolitano*". — [4] Secundo loco, ubi epistola apud Pseudo-Isidorum exhibetur, titulus ei praemittitur: „*Leonis rescriptum ad Flavianum contra Euthices pravitatem*," qui respondet titulo collectionis Hispanae. — [5] Baller. ed. cit. (1, 793): „Inter omnia Romanorum pontificum decreta fidei celeberrima est sequens S. Leonis ad Flavianum epistola, qua tota de incarnatione controversia exacte discussa ac de-

2) Rescripti *Flaviani ad Leonem* „nulla res diaboli" (no. 19 in Pseud.-Isid., ed. cit. Baller. 1, 757, Hisp. p. 51) et epistolae Leonis ad episcopos Italiae „in consortium vos" (no. 25 in Pseud.-Isid., ed. cit. 1, 623. H. p. 96) fines permutatos in codicibus A1, A/B, B esse iam supra memoravi (cf. §§. 3. 7. 6). Qua in re cum omnes manuscripti vetustiorum classium conveniant et soli codices C epistolas, uti in collectione Hispana et in ed. Balleriniorum proferant, quaeritur, num ipse Pseudo-Isidorus eas ita novaverit. Neque Ballerinii neque ii qui editionem collectionis Hispanae Matritensem confecerant, aliorum codicum mentionem faciunt, in quibus eadem permutatio finium epistolarum invenitur, quin etiam id Ballerinios, qui codicibus Ottobon. 93, Vatic. 3791, Vatic. 630 usi sunt (l. c. p. 525 sqq.) fugisse videtur, hos codices hac in re cum ceteris non concordare. Itaque si fidem manuscriptorum sequamur, statuendum nobis erit, aut ipsum Pseudo-Isidorum duas epistolas ita composuisse aut librarii incuria conclusiones earum permutatas esse. Quarum sententiarum, quam posteriore loco proposui, verisimilior esse videtur, nam nulla causa proferri potest, cur ipse Pseudo-Isidorus fines istarum epistolarum permutaverit. Flavianus enim in suo rescripto quale in codicibus memoratis exhibetur, dicit: plures diaboli nequitia esse instigatos, ut a definitione fidei a patribus statuta desciscant, talemque Eutychetem emersisse, de quo ita pergit (l. c. p. 760): „trecentorum autem decem et octo sanctorum patrum de fide expositionem factam et sanctae memoriae Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium ... tentavit evellere, antiquam impii Valentini et Apollinaris reparans sectam"; (l. c. p. 624:) „Hos enim divulgavit auctoritas et censura correxit. Quos potuimus emendare correximus et ut damnarent Manichaeum cum praedicationibus et disciplinis suis publica in ecclesia professione et manus suae subscriptione compulimus" etc. Sequuntur deinde cetera quae Leo in epistola ad Italos de Manichaeis a se Romae detectis scripsit. Itaque cum haec posteriora rescripto Flaviani adnectantur, id uti in Pseudo-Isidorianis exhibetur, agit de damnatione Eutychetis et Manichaeis Constantinopoli inventis, quae duo genera haeresis nullo modo cohaerent. In altera autem epistola ad Italos initio praemisso dicit Leo (ed. cit. p. 624): „plurimos impietatis Manichaeae sequaces et doctores in urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit"; (ed. cit. p. 760:) „qui non timebant praeceptum veri regis dicentis: quicumque scandalizaverit.... Verecundiam autem omnem eius perfidia abiecit et quam gerebat infidelitatis pellem excutiens in sancta nostra synodo asserebat, instanter dicens, Iesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, cum a nobis unius substantiae et unius personae cognoscatur" etc., ita ut hic quoque quae attulit Leo de Manichaeis et Flavianus de Eutychete, coniungantur et tamquam a Leone M. scripta proferantur. Quarum epistolarum fines in antiquo exemplari a librario quodam permutatos fuisse etiam eo confirmatur, quod in quibusdam codicibus velut in cod. Par. int. suppl. lat. 840 rescripto Flaviani rubricae IV capitulorum praetermittuntur eaedem, quae in editionibus Balleriniorum et collect. Hispan. singulis capitulis anteponuntur, ita ut quae in fine capituli III. et in capitulo IV. apud Pseudo-Isidorum habentur, cum titulis praemissis non conveniant.

3) Epistola *Leonis M. ad Anatholium:* „manifestato" (44[a] in Pseudo-Isidorianis) integra non exhibetur ut in collectione Hispana p. 76 et apud Ballerinios l. c. p. 1157 extat, sed tantum usque ad verba: „et illa Nicaenorum canonum per sanctum vere spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis" (Baller. l. c. p. 1163, Hisp. p. 76) adduntorque verba: „quos videt dignatio tua non posse reprobari eligere debebis quos clericos facias: si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium praestare velimus tales invenire possumus, de quorum adsumptione nec metuere nec erubescere valeamus", quae sunt ultima verba c. 5

finita contrariisque Nestorii et Eutychetis erroribus proscriptis catholica doctrina ita accurate nedum sententiis, sed etiam vocibus declarata invenitur, ut quicquid in ea scriptum est, ex apostolica et evangelica probetur sumtum esse doctrina."

ep. *Innoc. I. ad Felic. Nocer.* (H. no. 9). Cum autem sic tantum in vetustioribus codicibus A1 et Montecassinensi (cf. §. 3. 7), in posterioribus quibusdam autem et Vaticano 630 et codicibus B epistola ita ut in Hispana proferatur verbaque ex decretali Innocentii subiuncta cum caeteris non cohaereant, opinari licet, iam in vetustissimum exemplar, ex quo pars codicum A1 profluxit, librarii cuiusdam errore introducta esse. Saltem etiam id statui possit, epistolam iam mutilam a Pseudo-Isidoro in suam collectionem receptam et in recentioribus ab amanuensibus secundum collectionem Hispanam restitutam esse[1].

4) De epistola eiusdem papae ad *Dorum Beneventanum* (c. 98 collect. Quesnell., ed. cit. 1, 733) codices quoque dubitationem afferunt. Deest enim in antiquissimis manuscriptis classis A1, Paris. int. suppl. lat. 840 saec. X. et Carnot. 67[bis] eiusdem saeculi, neque habetur in codicibus B neque Vaticano 630. Attamen non solum in codicibus C, sed etiam in quibusdam codicibus A1, scilicet in Paris. 3852 saec. XI., Ottobon. 93 saec. XI/XII., Rotomag. 15/9. E. saec. XI., Vatican. 3791 saec. XII. profertur. Ut iam supra (§. 3) notavi, in Paris. cit. et Ottobon. mediam in epistolam ad episcopos Sicilienses (no. 45 in Pseudo-Isidor.) inseritur, ut eam finis eiusdem epistolae sequatur, in ceteris autem ante epistolam ad episcopos Sicilienses legitur. Auctoritatem vetustissimorum codicum sequens decretalem collectioni Pseudo-Isidorianae abiudicem et affirmaverim, a librario posteriore inter epistolam ad episcopos Sicilienses insertam, denique ab alio ante illam positam esse, idque eo magis asseveraverim, quod Pseudo-Isidorus omnes epistolas ex collectione Quesnelliana exceptas coniunctim protulit neque cum iis quas ex Hispana hausit, permiscuit, epistola ad Dorum autem solum in illa, non hac in collectione habetur.

5) Singulari modo, ut iam supra §. 3 memoravi, concepta legitur epistola *Leonis M. ad Africanos episcopos* (51[a] in Pseudo-Isidor., ed. cit. 1, 657, Hisp. no. 69 p. 113): a) Prima pars eius formatur initio: „*cum de ordinationibus*“ etc. usque ad verba: „*indebitum obtinent principatum.*“ (Hisp. p. 114, ed. Ballerin. p. 664. c. 4. in f.) b) Sequitur: „*quod ergo die dominico ordinationes sacerdotum celebrantur non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica novimus venire doctrina scriptura manifestante, quod cum apostoli*“ etc. usque ad verba: „*auctoritatis teneremus agnovit*“ (c. 1. 2 epistolae Leon. ad Dioscorum Alexandrinum episc. ed. cit. 1, 629 sqq.), quibus verbis adnectitur: „*quapropter miror cum inter vos statuenda erint aut studia popularium.*“ Quae tantum in codd. Par. int. suppl. lat. 840 saec. X. et Rotomag. 15/9. E. saec. XI. habentur, in codd. Vatic. 3791 saec. XII., Montecassinensi (classis A/B) saec. XI. omittuntur. c) Cetera pars c. 1 epistolae ad Africanos, uti habetur apud Ballerinios et in collectione Hispana. d) Cap. 5 collect. Hisp. aut c. 9 ed. Baller. (l. c. p. 666): „*cum itaque de omnibus fere quae fratris nostri Potentii — ultione plectamus.*“ e) Ponuntur postea eadem quae apud Baller. (l. c. p. 667) et in collectione Hadriano-Dionysiana non in Hispana leguntur inde a verbis: „*in eos specialius — sententia roborentur. Dat. IV. Id. Aug.*“ f) Adduntur deinde c. 2. 3. 4 iterumque c. 5 collectionis Hispanae (aut c. 6. 7. 8., prima pars c. 9 apud Baller. l. c. p. 665 sqq.).

Ita epistola non solum in codicibus sub b iam memoratis, sed etiam et quidem iis quae in Par. int. suppl. lat. 840 et Rotomag. habentur (cf. sub b) omissis, in codicibus A1 recentioribus London. Cotton. Claud. E. V. saec. XII., Cantabrig. D. I. 10, 11 saec. XIII. ineunt. exhibetur; in codice Vaticano 630 autem, in codicibus B et C (excepto Vaticano 1340, de quo cf. p. LXIX.) ita ut in Hispana concepta profertur. Quibus ex rebus apparet, vetustiorem formam illam a forma Hispanae differre. Hoc etiam testimonio Hincmari Remensis confirmatur, ita ut non solum saeculo decimo, quo vetustissimi codices Pseudo-Isidoriani exarati sint, sed etiam nono epistolam ita conceptam fuisse constet. In

[1] Ballerinii (l. c.) hac de re nihil dicunt.

opusculo enim LV capitulorum dicit Hincmarus (c. 5 ed. cit. II, 403): „Lege decretalem epistolam Leonis ad episcopos per Caesariensem Mauritaniam constitutos et invenies *Lupicinum*, secundum huius synodi tenorem, in provincia iussum audiri cum ratione reddita quare communionem ante auditionem meruerat. Et non praeiudicatis apostolicae sedis statutis nec praedecessorum suorum suisque decretis, *Donatum Salicinensem* conversum directo fidei libelli gregi dominico praesedisse. *Maximum* etiam ex laico reprehensibiliter ordinatum, similiter dato libello, ab episcopali quam quoquomodo adeptus fuerat, dignitate non repelli. *Aggari* denique et *Tiberiani* causam, qui per tumultus et seditiones dicebantur ordinati, provincialium episcoporum iudicio commissam fuisse et ad apostolicam sedem statuta referenda praeceptum fuisse invenies." Cum in epistola qualis in collectione Hispana exhibetur, nihil de causa Lupicini, in epistola autem, qualis in Hadriano-Dionysiana extat, nihil de causa Maximi, Aggari et Tiberiani legatur, neque hac neque illa usus est Hincmarus. In collectionibus epistolarum Leonis tantum in XI^a^ et aliis quae ex ea derivatae sunt, XX^a^, XXI^a^, XXIII^a^ epistola ita concepta profertur (cf. Baller. ed. cit. 1, 647 et 527). Ballerinii igitur iam asseverarunt, Hincmarum collectione XI^a^ hac in epistola exscribenda usum fuisse. Attamen cum collectio ab iis XI^a^ appellata consistat ex epistolis Leonis quae in codicibus A1 Pseudo-Isidorianis repetuntur [1], Hincmarus hanc epistolam ita conceptam in codice suo Pseudo-Isidorianae collectionis invenit [2]. His consideratis pro certo habendum est, Pseudo-Isidorum ita epistolam compilasse et voluisse Hispanae editionem breviorem ex collectione Hadriano-Dionysiana supplere.

Id solum dubitari potest, an non ea quae ex epistola ad Dioscorum Alexandrinum (cf. sub b) in codicibus Paris. int. suppl. lat. 840 et Rotomag. 15/9. E. inseruntur a Pseudo-Isidoro interpolata fuerint. Cum autem in epistola ad Africanos agatur primum de ordinationibus per tumultum non faciendis et postea de qualitalibus eorum, qui ordinari possint, et his rebus epistola Dioscori, in qua de temporibus ordinationum et de iterando missae sacrificio tractatur interposita sit, quae cum rebus in priore memoratis non cohaeret, verisimilius mihi videtur esse, hanc a librario quodam commoto similitudine rerum in duabus epistolis prolatarum, quam ab ipso Pseudo-Isidoro additam esse.

6) Epistolam subditiciam *Leonis* de privilegio chorepiscoporum sive presbiterorum ad universos Germaniae atque Galliae ecclesiarum episcopos Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 6. no. 25, ed. Leon. M. cit. II, 1265 not. 1) quos Walter (Kirchenrecht §. 95) sequitur, additamentum collectionis Pseudo-Isidorianae esse censent, hac in re etiam auctoritatem codicis Vaticani 630 secuti. Attamen cum in omnibus manuscriptis A1 epistola exhibeatur et ut Ballerinii ipsi dicunt, in vetustioribus codicibus collectionum epistolarum Leonis M. non inveniatur (cf. ed. cit. II, 1265), Pseudo-Isidoro ipsi vindicanda erit. Accedit, quod in tabula secunda tertiae collectionis parti praemissa titulus epistolae profertur. Neque praetereundum est, quod cum epistola Damasi de vana superstitione chorepiscoporum vitanda a Pseudo-Isidoro conficta sit auctorque ea quae nova in ecclesiasticam disciplinam introducere voluit omnia iterum iterumque repetierit, hac re mea sententia comprobatur [3]. Mirari saltem quispiam potuerit, cur Leoni M. quidem hanc epistolam

[1] Dicunt enim (l. c. 1, 525 sqq.) codices vetustissimos collectionis XIae esse codices Ottobon. 93 et Vatic. 3791, quos supra §. 3 descripsi. Simul ex iis quae l. c. afferunt apparet, codicis Ottobon. 93, cuius folium ubi epistola ad Africanos legebatur iam non extat, plura folia integra fuisse tempore, quo eum Ballerinii Romae evolverunt. — [2] In codicibus Pseudo-Isidorianis epistola inscribitur: „*epistolas ad Affricanos episcopos*," apud Hincmarum autem citatur: „ad episcopos per Caesariensem Mauritaniam." Sed hac ex re nihil contra sententiam meam deduci potest, nam plenior inscriptio (in codicibus Pseudo-Isidorianis saec. X. iam non integra repetita) erat: „*ad episcopos Africanos provinciae Mauritaniae Caesariensis.*" (Cf. Baller. l. c. 1, 657.) — [3] Mecum conveniunt Blondellus l. c. p. 567 sqq., Knust l. c. p. 5 sqq., Weizsäcker, der Kampf gegen den Episcopat des fränkischen Reichs im neunten Jahrhundert (Tübingen 1859) p. 34 sqq., Jaffé (no. CXCIII.).

adfinxerit, attamen etiam huius rei ratio afferri potest. Ut probabo, Pseudo-Isidorus collectione capitularium Benedicti Levitae ut fonte in decretalibus suis componendis usus est. In qua cum epistolam Leonis III. papae de chorepiscopis (lib. III. c. 260) legeret, Leonis M., ut maiorem et a Benedicto Levita et a se statutis auctoritatem adderet, nomen decretali praeposuit.

7) Sequitur praeceptum *Leonis de chorepiscopis* in vetustioribus codicibus A1 *epistola Silverii* papae ad Vigilium episcopum praemisso titulo: „*damnatio Vigilii.*“ Quam Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 7. no. 6) quoque, cum in codice Vaticano 630 non exhibeatur, Pseudo-Isidoro abiudicaverunt. Mirum sane est, quod haec epistola non inter alia Silverii decreta, quae postea sequuntur, profertur, ubi eam ponunt codices recentiores A1 (velut Vatic. 1344 saec. XIII. ineunt., Paris. Sorbonne 729 saec. XV.) et codices C. Auctoritate tamen manuscriptorum vetustiorum commotus etiam hanc epistolam ad Pseudo-Isidorum auctorem refero, a cuius ceteris decretalibus nulla in re abhorret.

8) Restat ut disseram de ultima epistola *Leonis M. ad Theodorum Foroiuliensem.* Codices enim A1 eam 52^{am} exhibent, postea autem in fine omnium decretorum Leonis M. repetitur in codicibus Par. int. suppl. lat. 840 saec. X., Paris. 3852 saec. XI., Vatic. 3791 saec. XII.[1] In codice Rotomag. 15/9. E. (quem sequitur cod. Montecassin. saec. XI. classis A/B) fini epistolae praecedentis ad episcopos Campanos praeponitur et denuo omissus finis prioris epistolae profertur. In codice Paris. int. suppl. lat. 840 epistola inscripta est: „*Leonis de statu paenitentiae et reconciliationis.*“ Qui titulus cum paene cum titulo in cap. 70 collect. Quesnellianae eidem epistolae praemisso conveniat[2], ex hac collectione hic repetita esse videtur. Ipsum Pseudo-Isidorum eam bis posuisse persuadere mihi non potui. Neque enim solum codex Rotomagensis dubitationem affert, ubi in mediam epistolam praecedentem intruditur, sed etiam Paris. int. suppl. lat. 840, qui est omnium vetustissimus. Hoc in codice enim finis epistolae ad episcopos Campanos ita conceptus est: „Tunc enim plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Data pridie Non. Mart. Recimend.“ (pro: Recimero consule) „Leonis de statu paenitentiae et reconciliationis. Pridie Non. Marc. Regim.“ Deinde ponitur synodale decretum Hilari papae et post illud epistola iterum praemisso titulo: „epistola Leonis papae de statu paenitentiae et reconciliationis.“ Tali modo Pseudo-Isidorum ipsum epistolam protulisse verisimile non est, et cum etiam in Rotomag. cum epistola praecedenti coniungatur[3], epistola non ab auctore sed a librario quodam postea in collectionem illata videtur esse.

VII. *Hilari*, *Simplicii*, *Felicis III.* decreta omnia quae in collectione Hispana exhibeantur, Pseudo-Isidorum in suam recepisse omnes consentiunt. Quod etiam codices A1 confirmant; cod. Parisiensis 3852 quidem aliquas res ex collectione Hadriano-Dionysiana inter decreta memorata profert, attamen cum omnes alii codices (excepto Par. Sorbonne 729) has non receperint et maxima earum pars in Paris. 3852 in foliis postea interpositis legatur, hae res additamenta recentiora putanda sunt.

VIII. Decretorum *Gelasii* papae Pseudo-Isidorum Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 5. no. 20) eadem, quae in codicibus A1 habentur, enumerant, alio tamen ordine a Pseudo-Isidoro posita esse videntur. In codicibus A1 enim decreta Gelasii sic proferuntur:

a) „*In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis et non recipiendis libris quae scripta sunt a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica urbis Romae*“, et quidem ita concepta, ut in collectione Lucano-Colbertina codice Colbertino 3368 (cf. Baller., diss. cit. P. III. c. 6. §. 5.

[1] Codices recentiores classis A1 epistolam non repetunt. — [2] Baller. ed. cit. (II. p. 1173 not. 2). — [3] In Vaticano 3791 quoque finis epistolae ad episcopos Campanos desideratur, quamquam is non ut in Rotomag. epistolae ad Theodorum subiungitur.

no. 20, P. II. c. 6. i. f., c. 8 in f.), quae est forma tertia et brevissima a Ballerinii (l. c. P. II. c. 11. §. 5. no. 3) descripta.

b) epistola ad *Faustum magistrum:* „ego quoque mente."

c) ad *Anastasium:* „famuli vestrae."

d) *ad episcopos Dardaniae:* „*valde mirati sumus*" praemisso titulo: „*incipiunt rationes reddende Acatium a sede apostolica competenter fuisse dampnatum.*"

e) *ad episcopos Orientales:* „*quid ergo isti*" titulo praeposito: „*incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientales.*"

Quas omnes res (b—e) Pseudo-Isidorus ex collectione Quesnelliana hausit, ubi leguntur eodem ordine (c. 48—51), quibusque subiunxit:

f) decretum generale *Gelasii* et

g) epistolam eiusdem ad episcopos *Sicilienses*, quae in coll. Hisp. invenit[1].

IX. Sequitur deinde epistola *Anastasii II.* papae ad Anastasium imperatorem, qualis est in eadem collectione. Quam ad Pseudo-Isidorum pertinere inter omnes constat.

De decretis autem *Symmachi* quae post Anastasium exhibentur, disputatur. Ballerinii (diss. P. III. cap. 6. §. 5. no. 20) secuti auctoritatem codicis Vaticani 630 primigeniae formae collectionis Pseudo-Isidori tantum vindicant a) epistolam Symmachi ad Caesarium: „hortatur nos aequitas", quae est unica eiusdem papae in Hispana prolata, et b) synodos tres in Hadriano-Dionysiana exhibitas. *Synodos* autem *quintam* et *sextam* cui praemittitur libellus apologeticus *Ennodii* episcopi Ticinensis et duas epistolas eiusdem episcopi, quarum alteri inscriptio est: *dictio data Stephano V. S. vicario dicenda Maximo episcopo* (ed. cit. p. 473) et alteri: „*Ennodius Liberio patricio*" (ep. 1 lib. V. p. 135) sub nomine Symmachi prolatas „posterioribus curis Pseudo-Isidori" accessisse affirmant, quia eas post Gregorii iunioris decreta in Vaticano 630 positas inveniebant. Synodos quintam et sextam subditicias esse iam Ballerinii (l. c. P. III. c. 6. §. 5. no. 7) probaverunt et in eorum sententia perseverandum est, quamquam Hefele (Conciliengeschichte T. II. p. 627. 628. not. 1) synodos genuinas esse contendit. Compilatae enim sunt iisdem ex fontibus ex quibus ceterae decretales Pseudo-Isidorianae et quidem ex synodis post Symmachum habitis, velut concilio III. Paris. a. 557, cuius plura capita Pseudo-Isidorus in synodo VI. confingenda exscripsit. Sed non solum Pseudo-Isidoro hae synodi adtribuendae sunt, sed etiam illas una cum rebus ex Ennodii operibus desumptis subiunctas ceteris decretis Symmachi in antiquissima forma collectionis fuisse[2] apparet ex codicibus A1, quos esse vetustissimos ostendi et qui haec omnia cum epistolis et synodis genuinis Symmachi proferunt, Vaticano 630 et Audomarensi 189 inter omnes codices solis eas in fine exhibentibus.

X. Decretis X ad *Hormisdam* papam spectantibus, quae omnia in collectione Hispana inveniuntur, adiunxit Pseudo-Isidorus plures epistolas a se ipso conflatas sub nomine pontificum *Ioannis I.*, *Felicis IV.*, *Bonifacii II.*, *Ioannis II.*, *Agapeti I.*, *Silverii.* Quas omnes ad collectionem Pseudo-Isidorianam pertinere auctoritate codicum A1 probatur. Blascus (l. c. p. 42) quidem epistolam primam Felicis IV. postea ex concilio VI. Parisiensi interpolatam esse putat, sed nulla alia ratione ductus, quam ut omnia argumenta quae falsae suae opinioni de tempore collectionis Pseudo-Isidorianae absolutae obessent, removeret.

XI. Post quas decretales subditicias Pseudo-Isidorus inseruit ex coll. Hisp. epistolam *Vigilii* papae ad Profuturum, cuius sex capitulis addidit caput septimum a se ipso confictum. Sextum, ut volunt Ballerinii (l. c.), Pseudo-Isidoro adtribui non potest, habetur enim in codicibus Hispanae, quibus editores Matritensis usi sunt (ed. cit. p. 156) et in codice Rachionis episcopi Argentoratensis (Notices

[1] Cod. Parisiensis 3852 saec. XI. quidem solum decretum de libris recipiendis profert, attamen cum omnes alii plura ad Gelasium spectantia habeant, dubitari non potest, quin librarius cetera omiserit. — [2] Eadem sentit Knust l. c. p. 4.

et extraits T. VII. p. 201)[1]. Septimum capitulum Walter (l. c. §. 95) et Richter[2] (Kirchenrecht 5. Aufl. p. 76) apocryphum, sed iam ante collectionem Pseudo-Isidorianam editum esse censent. Sed cum primum in codicibus Pseudo-Isidorianis exhibeatur et eo modo quo cetera Pseudo-Isidori figmenta conflatum sit (cf. fontes in mea ed. indicati), ipsi vindicandum videtur esse.

XII. Sequuntur aliae epistolae a Pseudo-Isidoro *Pelagio I.*, *Ioanni III.*, *Benedicto*, *Pelagio II.* adfictae, quas quoque Pseudo-Isidoro vindicant omnes viri docti, exceptis tantum Blasco (l. c. p. 40 sqq.) et Theinero (l. c. p. 49), qui iisdem rationibus quas iam supra commemoravi fulti Ioannis III. epistolam de chorepiscopis postea additam censent. Sed refelluntur auctoritate codicum, ceteris epistolis de chorepiscopis certe ad collectionem pertinentibus, iis quae infra de tempore quando Pseudo-Isidorus illam fecerit et de chorepiscopis afferam. (Cf. quoque Knust l. c. p. 4.)

XIII. Fusius disserendum est de epistolis *Gregorii M.*, quae postea a Pseudo-Isidoro exhibentur. Proferunt codices vetustiores A1 excepto Paris. 3852. scil. Paris. int. suppl. lat. 840 saec. X., Rotom. 15/9. E. saec. XI., Vatic. 3791 saec. XII.

1) tres epistolas quae etiam in collectione Hispana habentur: a) epistolam ad *Leandrum Hispalensem* episcopum de simpla mersione babtismatis, non integram sed tantum usque ad verba: „*resurrectio triduani temporis exprimitur*" (cf. ed. cit. p. 157), b) *ad eundem:* „*sanctitatis tuae*" (l. c. p. 158), c) *ad Reccaredum regem Vvisigothorum*, omisso tamen ulteriore parte c. 4 collect. Hisp. (inde a verbis: „*item ante longum tempus — valeat profisci*" ed. cit. p. 161)[3].

2) Postea sequuntur in codice Par. int. suppl. lat. cit. et Vatic. 3791 epistola *Gregorii ad Secundinum* servum dei inclusum (ed. Ben. T. II. p. 964. ep. 52. lib. IX.) et *epistola de expositione diversarum rerum b. Gregorii papae urbis Romae quam transmisit in Saxoniam ad Augustinum episcopum quem ipse pro se ad praedicandum misit*" (ed. cit. ep. 64. lib. XI.). In priore epistola desunt aliqua, quae in editione Bened. leguntur post verba: „*Synodi probatur adversa*" (l. c. p. 968)[4], attamen etiam in Pseudo-Isidorianis additamentum de lapsis presbiteris: „et quia sanctitas" etc. quae in vetustioribus codicibus non invenitur (ed. cit. p. 967 not. m) habetur. In secunda epistola autem omissa est obsecratio Augustini de transmittendis reliquiis sancti Sixti martyris et concessio Gregorii M., quas etiam Maurini in sua editione (2, 1157) in quibusdam codicibus et in omnibus exemplaribus Bedae deesse adnotant.

In Rotomag. 15/9 E. saec. XI. inter epistolas Gregorii M. tantum epistola ad Augustinum exhibetur, et epistolae ad Secundinum et quidem post decreta Gregorii iunioris papae pars profertur, quae in Parisiensi non habetur, scilicet inde a verbis: „in extremum epistolae requisisti" usque ad verba: „percipienda pertingat" (cf. ed. cit. l. c. p. 970 sq.). Cum etiam cod. Londin. Cotton. E. V. saec. XII. exeunt., Catabrigens. saec. XIII. ineunt. (classis A1)[5] et Vatican. 630 (classis A/B)[6] has duas epistolas contineant, dubitari non potest, quin collectioni Pseudo-

[1] Cf. quoque Knust l. c. p. 7. — [2] Rationes suae opinionis non afferunt. Walter (l. c.) dicit, se hac in re Balleriniorum dissertationem secutum esse, sed hi, auctorem capitis VI. et VII. Pseudo-Isidorum esse contendunt. — [3] Quae etiam eodem ordine ponuntur in cod. Vatic. 630. — [4] Cf. quae in ed. mea adnotavi ad hanc epistolam. — [5] Codicum Vatic. 1343, Paris. Sorb. 729 ratio habenda non est, cum in fine multa in decreta Gregorii M., quae ad collectionem non pertinent, inserant. De forma epistolae ad Augustinum missae in cod. Vatic. 1343 exhibita cf. §. 9. Codices B, C epistolam ad Secundinum, ita ut Paris. int. suppl. lat. 840, epistolam ad Augustinum auctam obsecratione Augustini et concessione Gregorii proferunt. Neque codices A 2, quorum non omnes sed aliqui tantum hanc epistolam et quidem similiter conceptam ut in Vat. 1343 exhibent, hac in quaestione adhiberi possunt, cum integram collectionem Pseudo-Isidori amanuenses qui eos exaraverunt, non exscripserint. In codicibus Sangall., Darmst., Vatican. 4873, Matrit. (eiusdem classis) epistolas Gregorii postea additas esse pro certo habendum est, cum codices A1 omnes pauciores epistolas habeant. — [6] Ceteri codices A B excepto Audomarensi qui in omnibus cum Vaticano 630 conspirat, hac in parte mutili sunt.

Isidoro adtribuendae sint, et quidem epistola ad Secundinum talis qualis in codice Parisiensi legitur: nam cum in Rotomag. excerpta ex aliis epistolis Gregorii in Paris. citato saec. X. non exhibita partem huius epistolae sequatur, etiam ea cum excerptis postea addita esse videntur.

Additamentum de lapsis presbiteris eidem epistolae insertum apocryphum esse iam Maurini (l. c. p. 967 adn. m) probaverunt, sed Pseudo-Isidoro auctori adscribi non potest, quia iam in libro poenitentium a Rhabano Mauro ante Pseudo-Isidorianam collectionem scripto profertur (cf. Baller. diss. cit. P. IV. c. 8. §. 4)[1].

3) Postea ponuntur in codice Paris. int. suppl. lat. 840 epistola ad Theotistam (ed. Maur. ep. 45. lib. XI.) et synodus Gregorio Magno adscripta auctioris formae quam in Hisp. collectione habetur (cf. ed. cit. T. II. p. 1288). In Rotomag. 15/9. E. saec. XI. et Vatic. 3791 saec. XII. eaedem res continentur, sed epistola ad Theotistam post decreta Gregorii iunioris ponitur, cum codices A/B (Vaticanus 630, Audomarensis et Montecassinensis) cum codice Parisiensi conveniant. Auctoritate huius codicis fultus qui vetustissimus omnium est, epistolam et synodum a Pseudo-Isidoro in suam collectionem receptas esse affirmem, cum aliorum codicum ex causis supra (cf. p. CVI. not. 5) allatis ratio haberi non possit[2].

XIV. Post quae decreta *Gregorii M.* in codicibus Parisiensi, Rotomagensi, Vaticano 3791, Vaticano 630 citatis exhibetur synodus *Gregorii iunioris* (II.) ex collectione Hadriano-Dionysiana desumta. In praefatione Pseudo-Isidori quidem de rebus quas in fine collectionis suae posuit, haec legimus: „reliqua decreta praesulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium et quasdam epistolas ipsius", attamen cum in codice vetustissimo Parisiensi exhibeatur, Pseudo-Isidorus multa ex Hadrianea receperit, haec synodus etiam saepius illis temporibus sub nomine eiusdem Gregorii papae citetur[3], Ballerinii (diss. P. III. c. 6. §. 5. no. 20), qui eam quoque collectionis primigeniae formae assignant, recte fecisse videntur.

XV. Ordinem rerum in codice Parisiensi prolatarum secutus de singulis epistolis Pseudo-Isidoro adtribuendis disserui. Restat, ut agam de quaestione iam ab aliis mota, utrum epistola *Felicis Siciliae episcopi ad Gregorium M.* et *eiusdem papae rescriptum ad eundem* (ed. Maur. cit. ep. 16 et 17 libr. XIV.) genuina an apocrypha, utrum si subditicia iudicanda sint, Pseudo-Isidorus ea finxerit et suae collectioni addiderit an alius illa compilaverit. Blondellus (l. c. p. 667), Berardi (Gratiani canones etc. Tom. II. P. II. p. 52 sqq.), Knust (l. c. p. 5), Jaffé (l. c. no. CCXXXIV.) ea Pseudo-Isidoro adtribuunt, econtra Maurini (ed. cit. Tom. II. p. 1275) et Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 7. no. 6) genuina esse censent. Atque horum quidem sententia confirmari videtur eo quod eae epistolae in uno solo codice classis A2 scilicet *Darmstadt.* et codicibus *classis C* epistolas proferuntur.

Ac ne illorum quidem qui Pseudo-Isidorum auctorem esse contendunt, argumenta levia sunt. Recte enim Knust (l. c.) animadvertit: „Gregorio M. minime familiares esse potuisse repetitiones ex epistolis Gregorii II. et III., ex sententiis Isidori Hispalensis, e concilio XI. Toletano aliisque, nisi quis dixerit sanctum Gregorium futuras etiam phrases potuisse praevidere; dein illas epistolas Felicis ad Gregorium huiusque ad illum responsionem tam arcte inter se coniunctas esse, ut

[1] Cum quibus Galliccioli (in suae edit. oper. Greg. tom. VIII. p. 91) consentit dicens: „constat vero Pauli Diaconi qui a. 801 obiisse dicitur, epistola data ad Adhalardum Corbeiensem hanc de qua agitur epistolam unam fuisse ex 54 sancti Gregorii quas solus colligere potuerat Paulus, in qua reperitur huiusmodi assumentum, constat iam ab eo tempore fuisse corruptam." — [2] Excerpta quae ex epistolis Gregorii M. in pluribus codicibus A1 (cf. §. 3) exhibentur, Pseudo-Isidoro, qui integras epistolas in suam collectionem recepit, auctoritate codicis Parisiensis citati et verborum ex praefatione allatorum abiudicari necesse est. — [3] Hincmari Rem. ep. ad Rodulf. et Frotar. archiepisc. (op. T. II. p. 655. 656): „.... et *sanctus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem* episcopum, quem audierat .... et in *edicto* canonico *ante corpus beati Petri prolato:* si quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem" etc. (c. 9 synod. memor.). Cf. quoque eiusd. consilium de poenitentia Pippini regis (l. c. p. 829), de divort. Lotharii interrog. XII. (l. c. T. I. p. 642. 643).

una sive altera cogitari nequeat. Tota Felicis epistola Isidorum mendacem redolet et propter argumentum et quia ex usitatis ei fontibus hausta est et propter solitam impudentiam qua mendacia sua e concilio Nicaeno derivat, et quia Felix eo tempore quo hanc epistolam scripsisse prohibetur, diu vita decesserat."

Equidem non dubito, in eius sententiam discedere. Maurini (l. c. p. 1275) antiquissimum codicem qui epistolas duas exhibeat, Corbeiensem esse dicunt, sed cum nihil amplius de eius aetate afferant, quam haec (l. c. p. 482): „Corbeiensis qui nunc est bibliothecae S. Germani a Pratis codex venerandae antiquitatis, ut fere sunt omnes celeberrimi huius monasterii", non pro certo haberi potest ante collectionem Pseudo-Isidori editam codicem esse exaratum [1]. Tum genuinas epistolas esse evinci testimonio aiunt Iohannis Diaconi [2] et Hincmari Remensis [3], qui iam partes earum citaverint. At Iohannes Diaconus, qui opusculum papae Iohanni VIII. (872—882) dedicavit [4] et Hincmarus Remensis post Pseudo-Isidorum scripserunt, itaque epistolas etiam ex eius collectione desumsisse possunt. Argumentis igitur Maurinorum genuinas eas esse non probatur. Econtra ea quae Knust attulit, falsas epistolas esse aperte demonstrant: quae sententia etiam eo confirmatur, quod in antiqua collectione Pauli Diaconi in codice Corbeiensi contenta non proferuntur, in qua eae solae epistolae quae in ceteris codicibus omissae sunt, exhibentur, neque ante Iohannem Diaconum et Hincmarum Remensem a quoquam memorantur.

Pseudo-Isidorum autem auctorem esse non solum ex modo quo epistolae consutae, sed etiam ex fontibus ex quibus compilatae sunt, apparet. Initium epistolae Felicis haustum ex secret. II. conc. Lateranensis sub Martino papa a. 649 habiti (Mansi 10, 943), quo in conficiendis suis decretalibus Pseudo-Isidorus saepius usus est (cf. infra p. CXXVII.); proferuntur etiam partes epistolarum genuinarum Gregorii M. (cf. l. c.), quas etiam alias ad epistolas componendas adhibuit. In rescripto Gregorii etiam eadem de vexatione episcoporum et clericorum quae in anterioribus decretalibus sexcenties statuit et alia multa, quae ubi in prioribus inveniantur in editione mea indicavi, repetuntur.

Cui sententiae nihil aliud opponi potest, quam quod nec codices classis A (excepto Darmstadt.) nec codices B duas epistolas continent. Attamen saeculo nono eas confictas esse constat ex Ioannis Diaconi et Hincmari allegationibus. Ante editam Benedicti Levitae collectionem autem compilatae esse non possunt, cum in epistola Gregorii ad Felicem legantur quaedam ex Benedicti II. 402 (cf. III. 331) desumta. Itaque non solum fontes et genus scribendi, sed etiam tempus Pseudo-Isidorum auctorem esse demonstrant. Ac si nihilominus in codicibus saec. X. non proferuntur, id ex omissione librariorum explicari potest, eo magis cum hae epistolae in fine collectionis positae fuisse videantur.

§. 14. Cap. V. Conspectus rerum, quas aliunde in suam collectionem receperit Pseudo-Isidorus.

Postquam in §§. anterioribus (§§. 10—13) accuratius de singulis rebus quae primigeniae formae collectionis Pseudo-Isidori vindicandae sint, disserui, ad rem

[1] Quo cum codice cavendum est, ne alterum codicem Corbeiensem permutemus, de quo Maurini (l. c. p. 483) haec tradunt: „Omnibus enumeratis codicibus (scilicet etiam priori Corbeiensi) praeponi debuerat Corbeiensis nunc bibliothecae S. Germani a Pratis, missus a Paulo Diacono ad S. Adalardum abbatem Corbeiensem, ut patet ex eiusdem Pauli epistola praemissa collectis hoc in libro Gregorii epistolis, quam noster D. J. Mabillonius act. SS. Ord. S. Benedicti tom. I. p. 397 inserendam curavit. Quinquaginta quatuor tantum epistolas continet hic codex (quae ratio fuerit ut eum omnium postremo enumeraremus) quarum 34 ipsius Pauli manu correctae sunt et emendatae." In quo codice saec. VIII. exeunte aut IX. ineunte scripto epistolae de quibus hic ago, non extant. — [2] Vit. Gregorii M. lib. II. c. 38 (op. Greg. ed. cit. T. IV. p. 57). — [3] In libro de divortio Lotharii regis et Tetbergae reginae a. 860 (cf. Dümmler, Geschichte des ostfränkischen Reiches, p. 457 not. 39) scriptis interrog. V. (ed. cit. T. I. p. 594), interrog. XII. (l. c. p. 642. 643), interrog. XIX. (l. c. p. 667), quaest. VII. (l. c. p. 699). — [4] Praef. vitae cit. (op. Greg. l. c. p. 19. 20).

mihi facere videor, si nunc singulis collectionibus enumeratis adiiciam quas res ex eis in suam Pseudo-Isidorus receperit.

I. Ex collectione *Hispana* repetiit: 1) ordinem de celebrando concilio (cf. §. 11 no. II.); 2) tractatum: „quo tempore actum sit concilium Nicaenum" (cf. §. 12 no. I.); 3) concilia omnia inde a Nicaeno usque ad secundum Hispalense (cf. l. c. no. II.); 4) praefationem secundae decretalium seriei praemissam: „hactenus etc." (cf. §. 13 no. I.); 5) decretalium Damasi a) epistolam ad Paulinum Antiocenum episcopum: „per filium meum Vitalem", b) epistolam quartam: „post concilium Nicaenum — haereticus erit", c) decreta inscripta: „quod omnes heretici de filio dei", et d) „quod omnes heretici de filio dei et spiritu sancto male sentientes" etc. (cf. §. 13 no. IV.); 6) Siricii papae epistolas omnes (cf. l. c. no. V.); 7) Innocentii I. epistolas 23 (cf. §. 13 no. V. et §. 3 no. 102); 8) Zosimi, 9) Bonifacii I., 10) Coelestini I. epistolas omnes (cf. §. 13 no. VI.); 11) Leonis epistolas 39 omnes quae in collectione Hispana leguntur (cf. §. 13 no. VI. et §. 3 no. 107); 12) Hilarii, 13) Simplicii, 14) Felicis III. epistolas omnes (cf. §. 13 no. VII.); 15) duo Gelasii decreta (cf. §. 13 no. VIII); 16) epistolam Anastasii II. ad Anastasium imperatorem (cf. §. 13 no. IX.); 17) epistolam Symmachi ad Caesarium (cf. l. c.); 18) decreta Hormisdae (cf. §. 13 no. X.); 19) capita 6 priora epistolae Vigilii ad Profuturum (cf. §. 13 no. XI.); 20) epistolas Gregorii ad Leandrum duas, scilicet: „respondere" et „sanctitatis tuae" et ad Reccaredum (cf. §. 13 no. XIII.).

II. Ex collectione *Hadriano-Dionysiana* in suam recepit: 1) canones apostolorum (cf. §. 11 no. IV.); 2) praefationem metricam concilii Nicaeni (cf. §. 12 no. I.); 3) synodos 3 priores Symmachi (cf. §. 13 no. IX.); 4) synodum Gregorii iunioris (cf. §. 13 no XIV.).

III. *Duabus laudatis collectionibus* usus est in consuenda epistola Leonis M. ad Africanos (cf. §. 13 no. VI. 5).

IV. Ex collectione *Quesnelliana* desumsit: 1) partem priorem primae epistolae Clementis ad Iacobum (c. 64 eod. cf. §. 11 no. V.); 2) praefationem concilii Nicaeni; 3) epistolam Aurelii Mizoniique statutis Hipponiensibus (c. 2) praemissam (cf. §. 12 no. III.): 4) epistolas 7 Innocentii I. (c. 6—12. eod. cf. §. 13 no. V. et §. 3 no. 102); 5) epistolas 15 Leonis M. (c. 56. 57. 68. 69. 79—82. 88. 89. 92—96. eod. cf. §. 13 no. VI. et §. 3 no. 107); 6) epistolas Gelasii 4 (c. 48—51. eod. cf. §. 13 no. VIII.).

V. Ex *historia tripartita Cassiodori* excepit inter decreta Damasi c. 15. 16. libr. IX. et c. 29 libr. V. (cf. §. 13. no. IV.), et

VI. ex operibus *Ennodii* Ticinensis libellum apologeticum (ed. cit. p. 317 sqq.) et praemisso nomine papae Symmachi dictionem III. datam Stephano (l. c. p. 473) epistolamque I. libri V. (cf. §. 13 no. IX.).

VII. Certo definiri non potest, quibusnam ex collectionibus desumpserit: 1) epistolam Hieronymi ad Damasum: „gloriam" (cf. §. 11 no. IV.); 2) partes epistolae secundae Clementis (cf. §. 11 no. V.); 3) exemplar constituti domni Constantini (cf. §. 12 no. I.); 4) constituta Silvestri quorum excerpta profert (cf. §. 13 no. II.); 5) epistolam Leonis M. ad Theodoritum (cf. §. 13 no. VI.); 6) Gelasii decretum de libris recipiendis (cf. §. 13 no. VIII.); 7) Gregorii M. epistolas ad Secundinum, Augustinum, Theotistam et synodum sub eodem papa habita (cf. §. 13 no. XIII.).

VIII. Inter quas res apocryphae, sed iam ante Pseudo-Isidorum confictae, censendae sunt: 1) canones apostolorum, 2) epistola Hieronymi sub VII. 1 hui. §. cit., 3) partes epistolae primae et secundae Clementis (cf. no. IV. 1 et no. VII. 2 hui. §.), 4) exemplar constituti Constantini (no. VII. 3 l. c.), 5) praefatio concilii Nicaeni (no. II. 2), 6) constituta Silvestri (no. VII. 4), 7) additamentum de lapsis epistolae Gregorii M. ad Secundinum insertum (cf. §. 13 no. XIII.).

PARS III. DE FONTIBUS DECRETALIUM A PSEUDO-ISIDORO IPSO CONFICTARUM.

§. 15. Cap. I. Agitur generatim de fontibus.

Fontibus decretalium Pseudo-Isidorianis indagandis Davides Blondellus (in libro suo: „Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes" iam saepius laudato) summo studio admirabilique assiduitate operam dedit. Non solum falsas esse decretales Pseudo-Isidori fontibus detectis indicatisque diligentissime ac dilucide demonstravit, sed etiam iis qui adhuc in fontes Pseudo-Isidori inquirunt, librum suum quasi fundamentum praebuit.

Quem secutus est Knust (l. c. p. 16—84). Attamen hic non tantum perfecit, quantum Blondellus. Correxit enim aliquos ab eo adnotatos fontes, sed magnam eorum partem ex „Pseudo-Isidoro et Turriano vapulantibus" exscripsit. Cum alii, qui fontes enumeratos a Friderico Knust examinaverunt, eum in iis indicandis non semper accurate egisse iam affirmaverint (cf. Richter, Kirchenrecht 5. Aufl. p. 79) idemque ego paucis ab eo citatis locis comparatis persuasum habuerim, ipse denuo opus aggressus sum, ita ut primum omnes fontes et a Davide Blondello et a Friderico Knust appositos examinarem et postea cum multum hac in re praestandum esse viderem, pro viribus indicationes eorum corrigerem et augerem. Singulos locos, quibus in decretalibus consuendis Pseudo-Isidorus usus est, suos cuique epistolae, sicut Blondellus et Knustius fecerunt, in mea editione apposui. Attamen cum hac via inita fontes sub unum aspectum subiici non possint, itaque qui indicationes aut a me aut a Knustio in capite III. prolatas (l. c. p. 33 sqq.) inspexerint, facile in eam sententiam deduci possint Pseudo-Isidorum plus sexcentis libris usum fuisse, hic quoque tabulam fontium inserere ex re esse iudicavi. Quam ita disposui, ut singulorum, quae adhibuit Pseudo-Isidorus, operum titulos alphabetico ordine disponerem et indicarem, quales singuli eorum loci et ubi in falsis decretalibus invenirentur [1]. Capitulis Angilramni et collectioni capitularium Benedicti Levitae primum locum adsignavi in tabula; nam quamquam equidem ea ut fontes Pseudo-Isidorum adhibuisse puto, nescio tamen, an alii viri docti hanc in meam sententiam discessuri sint. Etiam lector, antequam tabula utatur, de his admonendus est:

1) Ubi eadem duobus in operibus et quidem verbotenus afferuntur ita ut definiri non possit, utrum Pseudo-Isidorus exscripserit, sub uniuscuiusque operis titulo locos indicavi, sed alteri loco alterum verbo „aut" coniunctum apposui, velut: „*sub Hieronymo*" epist. ad Nepotian. no. 14. 15 (op. I. 268) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 94. Anacl. 40, Ant. 5. 6. — et „*sub concilio Aquisgran.* a. 816." lib. I. c. 94 aut ep. Hieronym. ad Nepot. no. 14. 15. Anacl. 40, Ant. 5. 6.

2) Locos, quos non ex ipso fonte, sed iam in alia collectione mutatos recepisse Pseudo-Isidorus mihi videtur, ita significavi: „*concil. I. Arelat.*" [c. 13] cf. Ben. I. 401. Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12. — et „*Bened. Lev. Capit.*" lib. I. c. 401 (c. 13 conc. I. Arelat.) Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.

[1] Conradi Rosshirtii sententiam qui librum Auxilii de ordinationibus a Formoso papa († 896) factis fontem Pseudo-Isidori esse affirmat (cf. Zu den kirchenrechtlichen Quellen des ersten Jahrtausends, Heidelberg 1849. p. 48. Kanonisches Recht, Schaffhausen 1857. p. 325) postquam iam eam Richter (Kirchenrecht 5. Aufl. p. 77) et Wasserschleben (in Herzog l. c. p. 339) refutaverunt, ego quoque refellam non opus est. Codicem Bambergensem non antiquiorem sed recentiorem collectione Pseudo-Isidoriana — quod demonstrari non posse Rosshirtius putat (cf. Kanonisches Recht p. 326) — supra (§. 4) probavi.

3) Ubi versio conciliorum, qua usus est Pseudo-Isidorus recognosci potest, translationem Hispanae collectionis littera: H. et Hadriano-Dionysianae littera: D. notavi.

His praemissis nunc tabula ipsa subicitur:

TABULA FONTIUM A PSEUDO-ISIDORO IN DECRETALIBUS CONFINGENDIS ADHIBITORUM.

Capitula Angilramni.

c. 1. aut Ben. II. 365. III. 167. (Isid. sent. III. 39 no. 2.) Telesf. 3, Euseb. 9.

c. 1. aut Ben. II. 381 (c. 17 conc. V. Aurel.) Anacl. 20, 21, Sixt. II. pp. 5, Iul. 12.

c. 2. (c. 15 conc. Ant. D., Apol. Ebbon. Rem., Cass. IV. 9, const. Symm. de reb. eccl. c. 3, praef. conc. Nicen. coll. Quesn., Innoc. I. ep. ad Fel. Noc. et ad Decent.) Iul. 5, 6.

c. 3. (Ben. I. 393, Xysti Pyth. s. 156, 5, Ben. I. 335.) Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.

c. 4. (c. 17 conc. V. Aurel. aut Ben. III. 153, add. III. 22, Ben. III. 156, 89, Ben. III. 153, c. 21 text. et tit. conc. IV. Carth., c. 10 C. Th. IX. 1. aut Ben. II. 381, Ben. III. 116, Ben. III. 71, c. 54 conc. Afric. D. aut Ben. III. 87, c. 21 conc. IV. Carth., c. 19 conc. Carth. D., c. 96 conc. IV. Carth. aut Ben. III. 110, add. III. 11, Capit. eccl. a. 789 c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. I. 401 tit., c. 19 i. f. conc. Carth. D., l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. I. 2 s 3 interpr., epit. Aeg. ad Paul. rec. sent. V. 5, 5. aut Ben. III. 204; l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. V. 5, 9. aut Ben. III. 354, add. III. 102, nov. Marciani tit. 1, interpr. nov. cit., interpr. nov. Valent. III. tit. 34. aut Ben. III. 240, add. III. 25.) Fel. I. pp. 8—14.[1]

c. 5. (c. 17 conc. Chalc. H.) Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12.

c. 6. (Ben. III. 436, des. ex c. 19 C. Th. IX. 1.) Eutic. 7.

c. 7. (interpr. tit. 1 nov. Marciani) Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3, Iul. 12.

c. 9. (Ben. II. 381 confl. ex c. 10 C. Th. IX. 1 et c. 15 conc. Ant. D.) Steph. 10, Iul. 17.

c. 9. aut Ben. II. 381. III. 102. aut c. 105 conc. Afric. D. Dam. 19.

c. 10. (Cass. VII. 12 in Ben. II. 381) Zeph. 12.

c. 11. (c. 23, 30 conc. IV. Carth. cf. Ben. III. 106. II. 363. III. 219.) Vigin. 2, Luc. 4, Iul. 12.

c. 12. aut Ben. I. 393. II. 381 (c. 17 conc. Afric. D., c. 8 conc. Carth. D., c. 21 conc. Chalc. D.) Pii 5.

c. 13. aut Ben. I. 74. III. 111 et II. 359. III. 112. aut c. 35 cap. eccles. a. 789, Pont. 9, Calist. 17, Fab. 13, 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. ep. 3.

c. 13. aut Ben. II. 362. aut c. 45 cap. eccl. a. 789, Anacl. 19, Calist. 17, Fab. 25, Sixt. III. pp.

c. 14. (c. 8 conc. Carth. D. aut Ben. III. 85.) Fab. 25, Sixt. III. pp. (Cf. Steph. 11.)

c. 15. aut Ben. III. 308 (c. 21 conc. III. Carth., interpr. c. 2 C. Th. IV. 16, c. 22 conc. Ant. D.) Calist. 12, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.

c. 16. aut Ben. III. 309 (c. 10 C. Th. IX. 1.) Anacl. 15, Vigin. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III. pp.

c. 17. aut Ben. III. 314 (c. 15 conc. Ant. D.) Luc. 5, Iul. 12, Dam. 8.

c. 17. aut Ben. III. 314 (c. 9, 17 conc. Chalc. D.), Ann. 4, Iul. 12.

c. 17 i. f. aut Ben. III. 314 i. f., Corn. 5.

c. 18. cf. Ben. I. 397. II. 381.

c. 18 med. Fab. 13.

c. 18 i. f. aut Ben. III. 437, Steph. 2.

c. 19. aut Ben. I. 392. II. 381. III. 184. (act. apost. XXV. 16.) Steph. 8, Marcelli 9, Iul. 17, Dam. 19, Dam. ad episc. Ital.

c. 20. aut Ben. III. 315. aut epit. Hadriani c. 3 conc. Sard. Fab. 29, Iul. 12, Sixt. III. pp.

c. 21. (Ben. III. 438 des. ex c. 41 C. Th. XVI. 2.) Gai. 4, Sixt. III. pp.

c. 23. aut Ben. I. 400. (c. 1 et interpr. C. Th. II. 18.) Eleuth. 2. 3, Iul. 16.

c. 26. aut Ben. II. 381. III. 104. (c. 15 conc. Ant. D.) Fab. 26, Euseb. 11, Fel. II. pp. 12. xviii., Sixt. III. pp., Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.

c. 28. aut Ben. III. 322. (l. Visig. II. 4. 7.) Cf. Alex. 5, Steph. 13. Pelag. II. pp. ep. 3. (Vide quoque Ben. III. 440.)

c. 28 i. f. aut Ben. III. 322 i. f. aut c. 3 C. Th. IX. 6. Euseb. 18, Silv. ep. ad Amat.

c. 30. aut Ben. III. 324. aut interpr. c. 12 C. Th. IX. 1. Steph. 11, Dion. 4, Iul. 12.

c. 31. aut c. 4. (cf. supra) Fab. 27, Sixt. III. pp.

c. 32. (Ben. III. 332 des. ex interpr. nov. Valent. tit. 34.) Fab. 26, Sixt. III. pp.

c. 33. 34. (ep. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 1—3 l. Rom. Visig. C. Th. XI. 8. cf. Ben. III. 333. 251.) Fab. 27, Sixt. III. pp.

c. 37. aut Ben. III. 347. (c. 2 C. Th. IV. 16.) Zeph. 5, Fab. 29, Euseb. 17, Iul. 18, Sixt. III. pp.

c. 39. aut Ben. III. 349. aut epit. Hadriani conc. Sard. c. 7, Marcelli 2, Iul. 12.

c. 42. (Ben. I. 404. II. 300. III. 121. des. ex c. 15 conc. Carth. D.) Luc. 2, Iul. 12. (Cf. Corn. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.)

c. 43. aut Ben. III. 358. aut c. 9 conc. Ant. D. Ann. 2, Luc. 5.

c. 46—48. aut Ben. III. 364. 365. aut epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 3—6 l. Rom. Visig. C. Th. IX. 1. Fab. 28, Sixt. III. pp., Dam. 19.

c. 49. aut Ben. II. 363. III. 219. aut c. 30 conc. IV. Carth. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12,

[1] Cf. infra c. 31.

c. 50. aut Ben I. 399. aut c. 58 conc. IV. Carth. Pont. 9, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv.
c. 51. cf. infra c. 12 (bis).
c. 1 (bis) aut Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1 C. Th. IX. 40.) Cf. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
c. 2 (bis) aut c. 28 conc. IV. Carth. Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
c. 2 (bis) aut Ben. III. 193. 366. (c. 13 tit. conc. II. Arel. H.) Lib. 2 inscr. et text.
c. 3 (bis) aut Ben. III. 367. (epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 4 l. Rom. Visig. C. Th. II. 1.) Fab. 28, Sixt. III. pp.
c. 10 (bis) aut Ben. II. 397. III. 369. Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. xvi., (Euseb. 18.)
c. 11 (bis) (Ben. II. 323. III. 221. aut c. 2 conc. VIII. Tolet.) Fab. 29, Dam. 23, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 11 (bis) aut Ben. III. 372. aut Xysti Pyth. s. 174, Calist. 20.
c. 11 (bis) i. f. aut Ben. III. 372. Marcellini 3, Pelag. II. pp. ep. 2.
c. 12 (bis) aut Ben. III. 373. II. 357. III. 259. aut Xysti Pyth. s. 250, Isid. syn. II. no. 86. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Calist. 3, Fab. 17, Steph. 13, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8. 17, Iul. 19, Sixt. III. pp.
c. 16 (bis) aut Ben. I. 402 aut Cass. hist. trip. X. 6. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
c. 18 (bis) aut Ben. I. 405 aut l. Visig. II. 1. 28 tit. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
c. 19 (bis) aut Ben. III. 374, aut Procli ep. ad Domn. Ant. Alex. 6, Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2. 13, Euseb. 5, Iul. 12, Pelag. II. ep. 1.

Bened. Levit. capit.

Lib. I.

c. 1. aut ep. Zachar. pp. ad Franc. Anacl. 40. 41.
c. 23. aut epit. Hadriani c. 36 apost. (cf. Ben. II. 311. III. 182.) Clem. 36. 70.
c. 40. aut 322 et I Ioann. III. 15. Clem. 40.
c. 40 et 322. (conc. Aquisgr. C. III. c. 7 et II Cor. V. 20.) Zeph. 13.
c. 40. (Ioann. III. 15.) Anacl. 14, Alex. 17.
c. 74. III. 111. aut c. 35 cap. eccl. a. 789. Calist. 3.
c. 74. III. 111 aut c. cit. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13. 25, Steph. 12, Pelag. II. pp. ep. 3. (Fel. I. pp. 12 [cf. c. 4. Angilr.], Sixt. III. pp. [c. 13 Angilr.])
c. 187. II. 364. III. 85. 88. aut c. 8 conc. Carth. (D.), Iul. 18.
c. 208. Add. III. 1 aut conc. Par. a. 829 lib. I. c. 15. Urb. 4.
c. 224. (c. 27 conc. Chalc. D.) Calist. 8.
c. 260. II. 290 aut c. 24 capit. a. 805 ap. Theod. vill. Calist. 8.
c. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1 C. Th. IX. 40.) aut c. 1 (bis) Angilr. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
c. 311. 391. II. 360. 399. (l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. V. 5. 9.) Zeph. 4.
c. 313. III. 196 aut Ennod. ep. I. 4. (p. 8.) Steph. 11, Euseb. 3, Dion. 4, Iul. 12.
c. 315. aut Rufini hist. eccles. I. 2, Melc. 11.
c. 315. aut conc. Par. a. 829 lib. I. c. 4. Anacl. 10.
c. 315. aut c. cit. Anacl. 20, Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 322. cf. supr. c. 40.
c. 322. II. 99. Greg. M. ad Fel.
c. 322. (conc. Aquisgr. a. 836 C. III. c. 7 et II Cor. V. 20.) Clem. 39.
c. 322. Clem. 39.
c. 322. Telesf. 4.
c. 322. Fab. 24.
c. 329. aut conc. Par. a. 829 lib. I. c. 21 i. f. aut conc. Aquisgr. a. 836. C. I. c. 12. Evar. 4.
c. 335 tit. III. 176 tit. Pont. 9, Fab. 5.
c. 335 tit. III. 176. Fab. 13.
c. 335. III. 176. (c. 64 conc. IV. Tol.) Calist. 17, Fab. 5, Euseb. 3.
c. 335. III. 176. (c. 64 cit.) Steph. 2.
[c. 335] cf. c. 3. Angilr. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.
c. 391. cf. supra c. 311.
c. 392. II. 381. III. 184 aut c. 19. Angilr. (Act. apost. XXV. 16.) Steph. 8, Marcelli 9, Iul. 17, Dam. 19, Dam. ad Ital.
[c. 393] cf. c. 3. Angilr. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.
c. 393. II. 381 aut c. 12. Angilr. (c. 21 conc. Chalc. D., c. 8 conc. Carth. D.) Pii 5.
c. 393. II. 381. III. 84. 97 et c. 12. Angilr. (c. 17 conc. Afric. D., c. 21 conc. Chalc. D., c. 8 conc. Carth. D.) Steph. 13, Marcelli 11, Fel. II. pp. 12. xiv.
c. 397. II. 381. Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5. 19, c. 18 Angilr.
c. 397. II. 381. Zeph. 3, Fel. I. pp. 2, Iul. 12.
c. 398. II. 381. (tit. c. 11 conc. VI. Tolet. et comm. ad Corinth. I. 2. Ambr. adscr.) Eleuth. 3, Dam. ad Ital.
c. 399. aut c. 58 conc. IV. Carth. aut c. 50. Angilr. Pont. 9, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv.
c. 400. aut c. 23. Angilr. (c. 1 et interpr. C. Th. II. 18.) Eleuth. 2. 3, Iul. 16.
c. 401 tit. Zeph. 5, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xii. 15. (Fel. I. pp. 12. cf. c. 4 Angilr.)
c. 401. (c. 13 conc. I. Arel.) Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.
c. 402. aut Cass. hist. trip. X. 6 aut c. 16 (bis) Angilr. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
c. 403. II. 393. III. 199. 207 aut exempl. const. Symm. c. 2, Steph. 12.
[c. 404. II. 300. III. 149 des. ex c. 15 conc. Carth. D.] cf. c. 42 Angilr. Luc. 2, Iul. 12.
c. 404. II. 300. III. 109 aut c. 15 conc. Carth. D. aut c. 42 Angilr. Corn. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 405. aut l. Visig. II. 1. 28 tit. aut c. 18 (bis) Angilr. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.

Lib. II.

c. 93. (Poen. Theod. II. 4 §. 11.) Calist. 10.
c. 97. Calist. 16.
c. 99. (Cypriani epist. 66 c. 8?) Pii 8.
c. 99. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7, II Cor. V. 20) et III. 390. Clem. 51.
c. 99. cf. supra I. 322.

c. 104. 357. III. 156. aut c. 5 conc. XI. Tolet. Steph. 12, excerpt. Silv. 9, Fel. II. pp. 12. xviii. Greg. M. ad Fel.
c. 112. cf. c. 38 C. Th. XVI. 2. Anacl. 15 (cf. III. 421).
c. 113. II. 381. (c. 23. C. Th. XVI. 2.) Pii 9.
c. 115 tit. Steph. 5.
c. 117 tit. et text. II. 385. (c. 40 C. Th. XVI. 2.) Pii 7. 8, Urb. 5.
c. 121. Dam. de corep.
c. 130 tit. et text. (l. Visig. XII. 3. 8.) Calist. 16.
c. 133. Calist. 16.
c. 147. 345. aut l. Visig. II. 4. 5, Calist. 17, Dam. ad Ital.
c. 161. 353. aut l. Visig. VIII. 1. 2, Euseb. 12, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
c. 166. aut c. 2 conc. Herudf. Dion. 3.
c. 199 tit. Calist. 10.
c. 208. cf. infra III. 431.
c. 290. cf. supra I. 260.
c. 300. cf. supra I. 404.
c. 301. III. 151. (c. 20 conc. III. Carth.) Calist. 12.
c. 307. aut c. 12 conc. Carth. D. Anacl. 15, Zeph. 5.
c. 309. III. 171. 178. Iul. 18.
c. 311. cf. supra I. 23.
[c. 323. III. 221 aut c. 2 conc. VIII. Tolet.] cf. c. 11 (bis) Angilr., Fab. 29, Dam. 23, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 326. aut praef. conc. XII. Tolet. Steph. 2, Euseb. 5.
c. 337. aut Leon. M. ep. 93 c. 3. Praef. 6, Evar. 7.
c. 343. (l. Visig. II. 1. 9.) Steph. 7.
c. 345. cf. supra c. 147.
c. 353. cf. supra c. 161.
c. 357. aut c. 12 (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250.) Calist. 3, Steph. 13, Euseb. 17, Sixt. III. pp.
c. 357. cf. supra c. 104.
c. 359. III. 112. aut c. 13. Angilr. Calist. 17, Fab. 13. 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 360. cf. supra I. 311.
c. 362. aut c. 13 Angilr. aut c. 45 Cap. eccl. a. 789. Anacl. 19, Calist. 17, Fab. 25, Sixt. III. pp.
c. 363. III 219. aut c. 49 Angilr. aut c. 30 conc. IV. Carth. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
[c. 363] cf. c. 11 Angilr. Vigin. 2, Luc. 4, Iul. 12.
c. 364. cf. supra I. 187.
c. 365. III. 167. aut c. 1 Angilr. (Isid. sent. III. 39 no. 2.) Telesf. 3, Euseb. 9.
c. 369. Dam. de corep.
c. 370. (I Petr. III. 18.) Anacl. 19, Sixt. I. pp. 4, Greg. M. ad Fel.
c. 370. Steph. 12.
c. 381. (Studendum etc.) aut c. 26 conc. IV. Carth. Steph. 10, Fel. II. pp. 12. iii.
c. 381. (Auctoritas etc.) aut Cass. hist. trip. IV. 9. Marcelli 2. 10, Iul. 6. 11. 13, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 381. (Nullus episcopus etc.) aut c. 2 Angilr. (conflat. ex c. 15 conc. Ant. D., Cass. hist. trip. IV. 9, Ebbon. Rem. apol.) Marcelli 2. 10, Iul. 5, Dam. 9.
c. 381. III. 153 i. f. (Nemo episcopum etc.) (int. c. 12 C. Th. XVI. 2.) Gai. 3, Fel. II. pp. 12. i.
c. 381. (Accusatores etc.) (c. 96 conc. Afric. D.) Praef. 7, Calist. 16 (cf. infra III. 108. 307), Euseb. 2 (cf. infra III. 108).
c. 381. (Variis detractionibus etc.) et Cass. hist. trip. V. 29. Anacl. 6, Telesf. 3, Fel. II. pp. 12. xi.
c. 381. (Multum etc.) aut Cass. l. c. III. 8. Anacl. 6, Fel. II. pp. 12. xi.
c. 381. (Ideo non etc.) Anacl. 19.
c. 381. (Primo semper etc.) cf. supra I. 393.
c. 381. (Non est etc.) cf. supra I. 392.
c. 381. (Omnis accusatio etc.) aut c. 9 Angilr. (c. 10 C. Th. IX. 1. c. 15 conc. Ant. D.) Steph. 10, Iul. 17. (Fel. I. pp. 9.)
c. 381. (Maior etc.) cf. supra I. 397.
c. 381. (Iudicis etc.) cf. supra I. 398.
[c. 381. Episcopos eiectos etc.] cf. c. 10 Angilr. (Cass. hist. trip. VII. 12.) Zeph. 12, Iul. 8. (Dam. 12.)
c. 381. (Placuit ut etc.) aut c. 1 Angilr. (c. 17 conc. V. Aurel.) Anacl. 20. 21, Sixt. II. pp. 5, Iul. 12.
c. 381. III. 109. (Si quae causae etc.) aut Innoc. I. ep. ad Vict. Rot. c. 3, Anacl. 17. 34, Zeph. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1. (cf. infra sub Innoc.)
c. 381. III. 102. (Prudentissime etc.) aut c. 9 Angilr. aut c. 105 conc. Afric. D. Dam. 19.
c. 381. III. 82. (Servata etc.) cf. c. 2 conc. I. Constant.
c. 381. III. 104. (Si quis etc.) aut c. 26 Angilr. (c. 15 conc. Ant. D.) Fab. 26, Euseb. 11, Fel. II. pp. 12. xviii., Sixt. III. pp., Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
c. 381. (Quaecumque etc.) cf. supra II. 113.
c. 381. (Maledictus etc.) aut Deut. XXVII. 17, Fab. 15, Euseb. 14, Iul. 11.
c. 383 i. f. Calist. 8.
c. 385. cf. supra II. 117.
c. 393. cf. supra I. 403.
c. 397 tit. et text. (cf. III. 369 c. 10 bis Angilr. l. Visig. II. 4. 1.) Clem. 31.
c. 397 text. aut c. 10 (bis) Angilr. Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. xv.
c. 398. cf. supra I. 308.
c. 399. cf. supra I. 311.
c. 401. III. 103. aut c. 4 conc. Sard. Eleuth. 2, Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
c. 402. III. 331. (Isid. epist. ad Masson., eiusd. allegor. s. script. no. 61. 62. Num. XII. 1. 8. 10.) Greg. M. ad Fel.
c. 402. (Greg. M. reg. past. III. 4.) Greg. M. ad Fel.
c. 404. aut August. in evang. Ioann. tract. 50. no. 10, Luc. 7.
c. 410. cf. interpr. c. 3 C. Th. III. 12.
c. 426. aut Bonif. ep. 72, Anacl. 14, Luc. 7.
c. 436. III. 352. Add. III. 10. (l. Visig. II. 1. 12 tit. et Ennod. lib. apolog. p. 329.) Eutic. 9, Fel. II. pp. 12. viii.

Lib. III.

c. 16. aut c. 5 conc. Carth. D. Corn. 3.
c. 28. aut c. 5 conc. Afric. Clem. 46.
c. 44. aut Coelest. I. ep. ad Vener. c. 1. Sixt. II. pp. 8, Iul. 9. 19, Fel. II. pp. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 52. aut Leon. M. ep. 4 c. 2 cf. sub Leon.
c. 54. aut Leon. M. ep. 7 c. 2. cf. sub Leon.
c. 71. (Anast. II. ep. ad Anast. imp. c. 4 tit. H. no. 84.) Fab. 14, Fel. I. pp. 10.
c. 82. cf. supra II. 381 et c. 2 conc. I. Constant.
c. 84. cf. supra I. 393.
c. 84. (c. 21 conc. Chalc. D.) Evar. 10.
c. 85. cf. supra I. 187.
c. 85. aut c. 8 conc. Carth. D. Anacl. 22, Fab. 13, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xv.
c. 85. aut c. 8 conc. Carth. D. Pont. 3.
c. 85. aut c. 8 conc. Carth. D. Steph. 2.
[c. 85. aut c. 8 conc. Carth. D.] cf. c. 14 Angilr. Fab. 25, Sixt. III. pp. (Steph. 11.)
c. 86. aut c. 30 conc. Carth. D. Corn. 5, Fel. II. pp. 12. ix.
c. 87. aut c. 54 conc. Afric. D. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 10.)
c. 88. cf. supra I. 187.
c. 89. 156. aut c. 19 conc. Carth. D. Steph. 10.
c. 89. 156. (c. 19 conc. Carth. D.) c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
c. 97. aut c. 17 conc. Afric. D. Calist. 17.
c. 97. cf. supra I. 393.
c. 99. 437. aut c. 96 conc. Afric. Clem. 31.
c. 99. 437. aut c. cit. Steph. 2, Euseb. 3.
c. 99. 437. aut c. cit. Steph. 7.
c. 99. 437. aut c. cit. Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv., Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 102. cf. supra II. 381.
c. 103. cf. supra II. 401.
c. 104. tit. (c. 15 conc. Ant. D.) Steph. 10.
c. 104. cf. supra II. 381.
[c. 106.] cf. c. 11 Angilr. Vigin. 2, Luc. 4, Iul. 12.
c. 106. aut c. 35 apost. Ann. 2.
c. 107. Pont. 9, Iul. 18, Silv. ad Amat., Pelag. II. pp. ep. 1 i. f., ep. 3.
c. 108. cf. supra II. 381.
c. 108. (c. 96 conc. Afric. D.) Telesf. 4, Steph. 7, Euseb. 2 (cf. infra III. 307.), Dam. 14. (cf. c. cit.)
c. 109. cf. supra II. 381.
c. 110. Add. III. 11. aut c. 96 conc. IV. Carth. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 12.) Calist. 17.
c. 111. cf. supra I. 74.
c. 112. cf. supra II. 359.
c. 115. (exempl. const. Symm. c. 3.) Marcellini 3. (cf. c. 15 [bis] Angilr.)
c. 116. (Symm. syn. III.) c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 10.)
c. 116 i. f. et Symm. syn. III. Fab. 20.
c. 121. cf. supra I. 404.
c. 145. (c. 32 conc. III. Aurel.) Marcellini 3.
c. 145. (cf. 9 i. f. conc. III. Carth.) Anacl. 16, Alex. 4, Marcellini 3.
c. 151. cf. supra II. 301.
c. 152. aut epit. Aegid. ad c. un. C. Th. II. 2, Fab. 22, Dam. 16.
c. 153. Fel. II. pp. 12. iv.
c. 153. Praef. 6, Steph. 6, Fel. II. pp. 12. iv.
c. 153. Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.
c. 153. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
c. 153 i. f. (interpr. c. 12 C. Th. XVI. 2.) Fab. 23.
c. 155. aut regul. can. c. 81. Mansi 14, 343. Clem. 57.
c. 156. cf. supra II. 104. III. 84. 89.
c. 156. Steph. 13.
c. 167. cf. supra II. 365.
c. 167. cf. infra c. 441.
c. 170. cf. supra I. 308.
c. 171. 178. cf. supra II. 309.
c. 173. 314. cf. sub c. 9. 17. conc. Chalc.
c. 176. cf. supra I. 335.
c. 179. cf. infra c. 463.
c. 182. cf. supra I. 23.
c. 184. cf. supra I. 392.
c. 184. (Act. Apost. XXV. 16.) Eleuth. 6, Marcelli 8.
c. 187. Telesf. 4, Iul. 12, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
c. 187. Steph. 7.
c. 188. (ep. Aegid. ad c. 1 C. Th. XVI. 2. cf. Add. III. 12.) Anacl. 3, Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. x.
c. 188. (epit. cit.) Steph. 2.
c. 192. aut epit. cit. ad nov. Valent. tit. 5, Steph. 2.
c. 193. 366. aut c. 2 (bis) Angilr. (c. 13 tit. conc. II. Arel. H.) Lib. 2 tit. et text.
c. 196. cf. supra I. 313.
c. 198. (Tob. IV. 16.) Clem. 52, Fab. 12, Dam. 14.
c. 198. aut Tob. IV. 16. Anacl. 8.
c. 199. cf. supra I. 403.
c. 204. aut epit. Aegid. ad Paul. rec. sent. V. 5. 5. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13.)
c. 207. cf. supra I. 403.
c. 211. Telesf. 1, Fab. 13, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3, Iul. 19.
c. 215. Calist. 9, Fab. 5, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.
c. 215. Steph. 2.
c. 219. cf. supra II. 363.
c. 221. cf. supra II. 323.
c. 238. aut interpr. c. 9 C. Th. XI. 39, Telesf. 4, Iul. 12.
[c. 240.] cf. c. 4. 31 Angilr.
c. 246. aut l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 4. 12, Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.
c. 251. cf. c. 33. 34 Angilr.
c. 253. aut c. 3 C. Th. X. 10, Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
c. 259. pr. (Isid. syn. lib. II. no. 85.) Melc. 2.
c. 259. (l. c. no. 86.) Praef. 5, Vict. 4, Sixt. II. pp. 7, Iul. 12.
c. 259. cf. infra III. 373. 441. 464.
c. 260. Dam. de corep.
c. 260. (Innoc. I. ad Ruf. c. 3. H. no. 26) Dam. de corep.
c. 261. 386. (Rom. I. 32.) Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.)
c. 268 tit. (c. 13 conc. Milevit.) Luc. 5.
c. 307. cf. supra II. 381.
c. 307. (cf. supra c. 108 et c. 9 Angilr.) Euseb. 2, Dam. 14.
c. 308. aut c. 15 Angilr. Calist. 12, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.

c. 309. aut c. 16 Angilr. (c. 10 C. Th. IX. 1.) Anacl. 15, Vigin. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III. (Corn. 5.)
c. 314 tit. Dam. 19.
c. 314. aut c. 17 Angilr. (c. 15 conc. Ant. D.) Dam. 8.
c. 314. aut c. 17 Angilr. (c. 15 conc. cit., apol. Ebbon. Rem., c. 105 conc. Afric. D.) Luc. 5, Iul. 12.
c. 314. aut c. 17 Angilr. (c. 9. 17 conc. Chalc. D.) Ann. 4, Iul. 12.
c. 315. aut epit. Hadriani c. 3 conc. Sard. aut c. 20 Angilr. Fab. 29, Iul. 12, Sixt. III. pp.
c. 322. aut c. 28 Angilr. (l. Visig. II. 4. 7.) Alex. 5, Steph. 13, Pelag. II. pp. ep. 3. (cf. quoque infra III. 440.)
c. 322 i. f. aut c. 28 i. f. Angilr. aut c. 3 C. Th. IX. 6, Euseb. 18, Silv. ad Amat.
c. 324. aut interpr. c. 12 C. Th. IX. 1. aut c. 30. Angilr. Steph. 11, Dion. 4, Iul. 12.
c. 331. cf. supra II. 402.
[c. 332.] cf. c. 32 Angilr.
c. 333 tit. Dam. 13.
c. 333. cf. c. 33. 34 Angilr.
c. 339. aut cap. inc. anni (cui interfuit Bonif.) Fab. 22.
c. 347. aut c. 37 Angilr. (c. 2 C. Th. IV. 16.) Zeph. 5, Fab. 29, Euseb. 17, Iul. 18, Sixt. III. pp.
c. 349. aut c. 39 Angilr. aut epit. Hadriani conc. Sard. c. 7. Marcelli 2, Iul. 12.
c. 350. (c. 17 conc. V. Aurel. Matth. XVIII. 15—17.) Fel. II. pp. 12. II.
c. 350 et Add. III. 22. (c. 17 conc. V. Aurel.) Alex. 8, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.
c. 351. (l. Visig. XII. 2. 9.) Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. VI.
c. 352. cf. supra II. 436.
c. 354. Add. III. 102. aut l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. V. 5. 9. Steph. 8. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13.)
c. 358. aut c. 43 Angilr. (c. 9. 13 conc. Ant. D., Matth. XX. 28. 26, c. 35 apost.) Calist. 13, Luc. 3, Iul. 12.
c. 358. aut c. 43 Angilr. aut c. 9 conc. Ant. (D.) Ann. 2, Luc. 5.
c. 364. 365. aut c. 46—48 Angilr. aut epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 3—6 C. Th. IX. 1, Fab. 28, Sixt. III. pp., Dam 19.
c. 366. cf. supra c. 193.
c. 367. aut c. 3 (bis) Angilr. (epit. cit. ad c. 4 C. Th. II. 1.) Fab. 28, Sixt. III. pp.
c. 369. cf. supra II. 397.
c. 372. aut c. 11 (bis) Angilr. aut Xysti Pyth. s. 174, Calist. 20.
c. 372 i. f. aut c. 11 (bis) Angilr. i. f. Marcellini 3, Pelag. II. pp. ep. 2.
c. 373. aut c. 12 (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250.) Alex. 7. (cf. supra II. 357.)
c. 373. 259. aut c. 12 (bis) Angilr. (cf. c. 51 ibid.) aut Isid. syn. lib. II. no. 86. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 1. 9.
c. 373. cf. infra c. 441.
c. 374. aut c. 19 (bis) Angilr. aut Procli ep. ad Domn. Ant. Alex. 6, Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2. 13, Euseb. 5, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 386. cf. supra 261.
(c. 386. cf. Horm. ep. ad episc. per Hisp. c. 2 H. no. 91.)
c. 387. aut conc. VI. Par. a. 829 lib. II. c. 10 tit. Urb. 9.
c. 390. cf. supra II. 99.
c. 391. (c. 38 conc. Afric. D. Leon. M. ep. 167 c. 16.) Fel. IV. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
c. 394. aut c. 46 conc. Meld. a. 845. Fab. 9. 10.
c. 421. cf. supra II. 112.
c. 422. Pont. 3.
c. 423. Dam. de corep. (cf. c. 7 conc. II. Hisp.)
c. 427. (l. Visig. XII. 2. 10.) Pii 5, Fab. 5.
c. 431. (conc. Par. a. 829. lib. III. c. 6 et const. Wormat. c. 12. LL. 1, 342.) Clem. 70, Fel. IV. pp. ep. 1.
[c. 436.] cf. c. 6 Angilr. Eutic. 7.
c. 437. cf. supra c. 99.
c. 437. aut c. 18 Angilr. i. f. Steph. 2.
[c. 438. desumt. ex c. 41 C. Th. XVI. 2.] cf. c. 21 Angilr. Gai. 4, Sixt. III. pp.
c. 439. (c. 12 conc. Chalc. D., c. 6 conc. Afric. D., Ben. III. 29.) Ann. 3, Steph. 9. (Clem. 28. 29, Anacl. 26. 28, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII.)
c. 440. (l. Visig. II. 4. 7.) Melc. 5. (cf. Ben. III. 322. aut c. 28 Angilr.)
c. 441 tit. Clem. 38, Telesf. 3.
c. 441 tit. Pont. 3.
c. 441. Anacl. 19, Euseb. 9.
c. 441. III. 167 et Isid. sent. III. 39 no. 5. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Pii 4.
c. 441 text. et tit. Iul. 16.
c. 441 text. et III. 259. aut III. 373. Fab. 17.
c. 446 et Procli ep. ad Domn. Ant. Fab. 16.
c. 453. aut c. 12 C. Th. IX. 1. Steph. 11.
c. 457 tit. aut c. 14 tit. conc. I. Carth. Steph. 2, Euseb. 5.
[c. 459.] cf. Ennod. apol. p. 329.
c. 462. (Clem. ep. I. c. 4, Isidor. III. 39 no. 5. 6, Luc. X. 16, conc. Aquisgr. a. 836 C. III. c. 7, II Cor. V. 20.) Evar. 5. 6.
c. 462. (conc. Aquisgr. a. 836 C. III. c. 7, II Cor. V. 20.) Anacl. 3. 21, Luc. 2, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8, Dam. 9.
c. 462. (Clem. ep. I. c. 11. 15, Ioann. X. 11. Hebr. XIII. 17.) Evar. 8.
c. 463. (III. 179, c. 37. Poen. Marten., c. 13 conc. IV. Carth., Ionae Aurel. de instit. laicali II. 2.) Evar. 2.
c. 464. (Isid. syn. lib. II. no. 85.) Alex. 7.

Addit. III.

c. 1. cf. supra I. 208.
c. 8. aut Ennod. apol. (p. 337.) Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Euseb. 12, Iul. 12, syn. V. Symm., Ioh. I. pp. ep. 1.
c. 10. cf. supra II. 436.
c. 11. cf. supra III. 110.
c. 12. cf. supra III. 188.
c. 15. aut Ennod. apol. (p. 327.) Sixt. I. pp. 3, Marcelli 11, Iul. 12.
c. 20. aut I Cor. II. 15, Fel. II. pp. 12. XV.

c. 22. (c. 17 conc. V. Aurel.) Alex. 8.
c. 22 et supra III. 153. aut c. 17 conc. V. Aurel. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
c. 22 et III. 350, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.
[c. 25.] cf. supra III. 240, c. 4. 31 Angilr.
c. 101. (l. Rom. Visig. Pauli recept. sent. II. 32. 18.) Steph. 2.
c. 102. cf. supra III. 354.
c. 103. aut l. Rom. Visig. cod. Greg. III. 5. 1, Steph. 6, Euseb. 12, syn. V. Symm., Ioann. I. pp. ep. 1.
c. 107. (cf. Innoc. I. ep. ad Vict. Rot. c. 3 H. no. 7.) Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 111. (cf. c. 3 cit. ep. Innoc.) Anacl. 15.

Acacii Constantinopolitani

epist. ad Simplic. (H. no. 78) init. Marcelli I., Pelag. II. pp. ep. 3.

Ambrosii (sec. ed. Bened. Par. 1686. 1690)

epistolarum

ep. 2. no. 13 (2, 757) } Calist. 18.
no. 15 (2, 758) }
ep. 5. no. 2 (2, 765) Anacl. 35, Fab. 13, Steph. 11, Symm. syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1.
ep. 34. no. 10 (2, 924) Calist. 6.
ep. 40. (2, 955) Anacl. 35, Corn. 5.
ep. 44. no. 2 (2, 976) Calist. 18.

De dignitate sacerdotii

c. 4. Clem. 25.

Commentarius Ambrosio adscriptus.

[ad Corinth. I. 2 Tom. II. append. p. 127.] cf. Ben. I. 398. II. 381. Eleuth. 3, Dam. ep. ad Ital.

Lib. de dignitate hum. Ambrosio adscriptus:

c. 3. (Tom. II. app. p. 612.) Anacl. 13.

Anastasii II. pp.

epist. ad Anast. imper. (H. no. 84.)

c. 2. Dam. 20.
c. 2. Eleuth. 5, Iul. 19.
[c. 4 tit.] cf. Ben. III. 71. Fab. 14, Fel. I. pp. 10.
c. 7. Eleuth. 3.

Augustini (sec. ed. Bened. Par. cit.)

epistola

185. c. 10. no. 45 (2, 661) Calist. 19. 20.

Enchiridii de fide

c. 78. 79. Fab. 17.

Sermones.

serm. 46. de post. no. 14. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 12. Anacl. 26, Fab. 11.
serm. 75. append. (Tom. V. app. p. 136.) Alex. 18.
serm. 351. de util. agend. poen. I. no. 10. Praef. Ps.-Is. 5.
no. 10. Fab. 17.
no. 11. Fab. 12.

Tractatus

in evang. Ioann. 50. no. 10. (T. II. P. 2 p. 632.) aut Ben. II. 404. Luc. 7.

S. Benedicti regulae (sec. Holstenii cod. regul. monast. August. Vindel. 1769).

praef. Clem. 43. 44.
c. 4. Clem. 41. 42.

Biblia sacra.

Geneseos

c. I. v. 31. Eleuth. 1.
c. XIX. v. 9. Anacl. 15, Steph. 7.

Exodi

c. XX. v. 7. Corn. 3.
v. 22—24. Fel. IV. pp. ep. 1.
c. XXIII. v. 1. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19, Fel. II. pp. 12. XI.
v. 1. 2. Eleuth. 5.

Levitici

c. XIX. v. 13. Iul. 15.
v. 13. 15. Dam. 16.

Numerorum

c. I. v. 51. Fab. 17.
c. III. v. 32. 44. 45. Fab. 17.
c. XII. [v. 1. 8. 10.] cf. Ben. II. 402. Greg. M. ad Fel.
c. XXII. v. 7. Pelag. II. pp. ep. 1.

Deuteronomii

c. XII. v. 13. Fel. IV. pp. ep. 1.
v. 13. 14. Anacl. 9.
c. XIX. v. 19. Symm. syn. VI.
c. XXVII. v. 17. aut Ben. II. 381. Fab. 15, Euseb. 14, Iul. 11.

I Regum

c. XVI. v. 7. Ant. 2.

III Regum

c. VIII. v. 13—66. Fel. IV. pp. ep. 1.

Nehemiae (II Esdrae)

c. VIII. v. 10. Amat. ep. ad Silv.

Tobiae

c. III. v. 2. Marcelli 11.
v. 13. Marcelli 11.
v. 20. Marcelli 11.
v. 21. 22. Marcelli 11.
c. IV. v. 16. Clem. 22. 36, Alex. 16, Calist. 18, Melc. 2, Dam. 16.
[v. 16.] cf. Ben. III. 198. Clem. 52, Fab. 12, Dam. 14.
v. 16. aut Ben. III. 198. Anacl. 8.

Iobi

c. XII. v. 21. Eleuth. 6.
c. XXIX. v. 11—17. Iul. 3.
v. 13—17. Zeph. 9, Fel. II. pp. 10.
c. XXX. v. 31. Fel. II. pp. 11.
c. XXXI. v. 16—18. Iul. 3.

Psalmi

I. v. 4—6. (vers. Hier.) Melc. 5.
II. v. 1—5. (vers. Hier.) Melc. 5.
v. 10. 11. Dion. 1, Fel. IV. pp. ep. 2.
v. 11. 12. (vers. Hier.) Anacl. 11.
V. v. 7—13. (vers. Hier.) Anacl. 8.
XVII. v. 26. 27. Fab. 7, Silv. ep.
XVIII. v. 3. Steph. 12.
XXIII. v. 10. Calist. 20.
XXV. v. 4—12. (vers. Hier.) Telesf. 5.
XXX. v. 19. Steph. 13.
XXXI. v. 9. 11. Clem. 42.
XXXII. v. 1. Euseb. 21.
XXXIII. v. 8—23. (vers. Hier.) Eutic. 9.
v. 12. Clem. 42.
v. 13—17. Clem. 42.
v. 14. Fab. 30, Sixt. III. pp.
v. 14. 15. Pii 6, Excerpt. Silv. 8.
v. 14—17. (vers. Hier.) Euseb. 5.
v. 22. (vers. Hier.) Euseb. 5.
XXXV. v. 1—13. (vers. Hier.) Melc. 5.
XXXVI. v. 32—40. (vers. Hier.) Telesf. 2.
XXXVIII. v. 2. Zeph. 13.
XXXIX. v. 10. Steph. 13.
XLIII. v. 22. Zeph. 7.
XLVII. v. 2. Marcelli 11.
v. 14. Eutic. 9.
XLVII. v. 14. 15. Zeph. 14, Ant. 8.
v. 15. Marcelli 11.
XLVIII. v. 13—21. (vers. Hier.) Marcelli 11.
XLIX. v. 19—22. (vers. Hier.) Telesf. 4.
LI. v. 3—11. (vers. Hier.) Telesf. 2, Marcelli 11.
LIV. v. 23. (vers. Hier.) Anacl. 13.
v. 23—25. Eutic. 9.
LXXII. v. 1—2. (vers. Hier.) Pont. 6.
LXXIV. v. 6. Clem. 37. 51.
v. 6—10. Evar. 11.
LXXV. v. 7—10. Evar. 11.
LXXXI. v. 6. Anacl. 19, Marcelli 10.
LXXXII. tot. (v. Hier.) Luc. 7.
v. 19. Marcellini 1.
XCIII. v. 1. Anacl. 19.
v. 11. Alex. 7, Ant. 2, Corn. 6, Greg. ad Fel.
XCVIII. v. 6. Anacl. 33.
C. v. 2. 3. 5. Anacl. 19.
CIV. v. 15. Euseb. 3.
CXIII. v. 5. 6. Euseb. 17.
CXXIX. v. 7. Calist. 20.
CXXXII. v. 1. Clem. 82, Alex. 14, Iul. 7.
CXXXIX. v. 3. 4. (vers. Hier.) Steph. 13.
v. 11—13. (vers. Hier.) Steph. 13.
v. 12. Alex. 18.

Proverbiorum

c. X. v. 32. Iul. 2.
c. XI. v. 3. 6. 8—11. Iul. 2.
c. XV. v. 2—9. Iul. 2.
c. XVIII. v. 1. Iul. 10.
v. 19. Eleuth. 6, Fab. 29, Sixt. III. pp.
c. XIX. v. 28. Fab. 7, Silv. ep.
c. XXII. v. 28. Alex. 1, Calist. 12.
c. XXIV. v. 1. 2. Fab. 14.
v. 16—20. Fab. 14.
c. XXVI. v. 4. Calist. 3.
v. 18. 19. 21. 22. 27. 28. Anacl. 19.
c. XXVII. v. 3. Anacl. 19.
c. XXVIII. v. 17. 25. 26. Anacl. 19.
c. XXX. v. 33. Anacl. 19.

Ecclesiastae

c. IV. v. 12. Marcellini 3, Fel. II. pp. 11.
c. V. v. 4. Urb. 9.

Sapientiae

c. I. v. 1—16. Ant. 4.
v. 3. Iul. 2.
c. I. v. 6. 7. Iul. 2.
v. 11. Corn. 3.

Ecclesiastici

Iesaiae

Ieremiae

Ezechielis

Danielis

Oseae

Ioelis

Evangelii Ioannis

Actuum apostolorum

Pauli epistolae ad Romanos

ad Corinthios ep. I.

ad Corinthios ep. II.

c. VI. v. 14. 16. Vigin. 6.
v. 15. 14. Calist. 11, Melc. 8.
c. VII. v. 1. Vigin. 6, Euseb. 7.
v. 4. Vigin. 6.
c. XI. v. 28. Melc. 12.
c. XIII. v. 11. Clem. 85, Evar. 3. 11, Euseb. 14. 21, Ioann. I. pp. ep. 2.
v. 13. Euseb. 21.

Epistolae ad Galatas

c. I. v. 6. Euseb. 10.
c. V. v. 19—21. Eutic. 5.
v. 21. Fab. 18.
c. VI. v. 1. Anacl. 33, Iul. 2.
c. VI. v. 1. 2. Alex. 5, Calist. 18.
v. 2. Steph. 13, Melc. 1, Dam. 15.
v. 7. Alex. 15.

Epistolae ad Ephesios

c. I. v. 3—12. Anacl. 28.
v. 3—23. Eutic. 5.
c. II. v. 1—4. Eutic. 5.
v. 21. Pii 8.
c. III. v. 14—21. Marcellini 4.
c. IV. v. 1—14. Euseb. 10.
v. 15. 16. Euseb. 14.
c. IV. v. 17—32. Marcellini 3.
v. 25. Corn. 3.
v. 29—32. Ant. 8, Euseb. 19.
c. V. v. 1—21. Ant. 8, Marcellini 3, Euseb. 19.
v. 5. Alex. 17.
c. VI. v. 10. Fel. I. pp. 16, Amat. ep. ad Silv.
v. 10—17. Fab. 30, Sixt. III. pp.

Epistolae ad Philippenses

c. II. v. 10. 11. Ann. 5.
v. 16. Fab. 5.
v. 21. Dam. de corep.
c. IV. v. 19. 20. Pelag. II. pp. ep. 2 i. f.
v. 20. Evar. 3.
v. 21. 22. Alex. 15.

Epistolae ad Colossenses

c. I. v. 11. Euseb. 21.
c. II. v. 8—10. Pii 1.
v. 8—23. Melc. 8.
v. 18. 19. Pii 1.
c. III. v. 1—17. Melc. 8.
c. III. v. 9. Corn. 3.
v. 12. 13. Pii 1.
v. 25. Pii 10, Pont. 2, Marcelli 9, Iul. 15, Pelag. II. pp. ep. 3.

Epistolae I. ad Thessalonicenses

c. V. v. 14. Eleuth. 6.
v. 14—23. Fel. IV. pp. ep. 1.
c. V. v. 23. Fel. I. pp. 8.

Epistolae II. ad Thessalonicenses

c. I. v. 3. 4. Pii 1.
c. II. v. 14—16. Ant. 8.
c. III. v. 1—3. Ant. 8.
c. III. v. 4. Ant. 8.
v. 13—15. Melc. 8.

Epistolae I. ad Timotheum

c. II. v. 1—3. Melc. 12.
v. 4. Vict. 6.
c. III. v. 15. 16. Bened. I. pp. ep.
c. IV. v. 1—16. Bened. I. pp. ep.
v. 14. Alex. 16.
c. V. v. 1. excerpt. Silv. 8, Iul. 4.
v. 8. Pelag. II. pp. ep. 2.
v. 19. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.
c. VI. v. 11. 12. Pelag. II. pp. ep. 2.

Epistolae II. ad Timotheum

c. II. v. 24. Zeph. 7, Fab. 13, Marcellini 2.
c. III. v. 5. Ant. 4.
c. III. v. 12. Eutic. 9.
c. IV. v. 2. Marcellini 2.

Epistolae ad Titum

c. I. v. 6. Anacl. 21.
c. III. v. 11. Eleuth. 6.

Epistolae ad Hebraeos

c. IV. v. 13. Corn. 6, Greg. M. ad Fel.
c. VI. v. 4. Euseb. 21.
c. XI. v. 6. Clem. 20.
c. XII. v. 1. Eleuth. 6.
c. XII. v. 14. Euseb. 4.
c. XIII. v. 9. Iul. 9.
v. 16. Alex. 9.
[v. 17.] cf. Ben. III. 462. Evar. 8.

Iacobi epistolae

c. I. v. 8. Anacl. 4.
c. II. v. 8. 9. Anacl. 3.
v. 10—13. Anacl. 5.
v. 13. Steph. 13, Sixt. II. pp. 3.
v. 14. Urb. 1.
c. III. v. 1. 2. 13. Urb. 1.
v. 1—18. Marcelli 2—4.
c. IV. v. 4—13. Alex. 10.
v. 11—14. Clem. 52.
v. 16. Clem. 57.

c. V. v. 1—6. Alex. 10.
v. 7—11. Anacl. 1.

c. V. v. 12. Corn. 3.
v. 16. Alex. 12.

Petri epistolae I.

c. I. v. 2. Alex. 16, Urb. 1.
v. 3—7. Anacl. 1.
v. 13—25. Marcelli 4.
v. 22. Clem. 41.
c. II. v. 1. Eutic. 5.
v. 1. 2. Anacl. 3.
v. 1—9. Marcelli 4.
v. 11. 12. Clem. 40.
v. 21. Anacl. 8.
c. III. v. 8. Calist. 1.
v. 8—12. Iul. 2.
v. 10. Anacl. 3.

c. III. [v. 18.] cf. Ben. II. 370. Anacl. 19, Sixt. I. pp. 4., Greg. M. ad Felic.
c. IV. v. 7—11. Anacl. 41, Marcelli 4.
v. 12—18. Anacl. 1.
c. V. v. 2. Melc. 12.
v. 2—4. Ann. 4.
v. 5 i. f. Anacl. 12.
v. 6. Anast. I. pp. ep. 2.
v. 6. 8. Alex. 11.
v. 8. Fab. 4, Fel. II. pp. 16.
v. 10. 11. Vigin. 6.

Petri epistolae II.

c. I. v. 1. 2. Anacl. 1.
c. II. v. 4—10. Vigin. 6.
v. 21. Pelag. II. pp. ep. 2.
c. III. v. 8—12. Corn. 4.
v. 8—13. Vigin. 6.

c. III. v. 9. Vict. 6.
v. 14—18. Anacl. 17.
v. 14. 15. Anacl. 41.
v. 18. Euseb. 14.

Ioannis epistolae I.

c. II. v. 24—29. Anacl. 12.
c. III. tot. Anacl. 12.
v. 10. Pont. 7.
[v. 15.] cf. Ben. I. 40. Anacl. 14, Alex. 17.
v. 15. Clem. 40, Alex. 16, Steph. 13.
v. 16. Alex. 2.
c. IV. v. 1. Anacl. 12.
v. 7. 8. Ann. 4.

c. IV. 7—21. Eutic. 9, Euseb. 6, Iul. 2. 16, Steph. 13.
v. 20. Clem. 23, Eleuth. 6.
c. V. v. 1—3. Eutic. 9.
v. 1—20. Euseb. 6.
v. 2. 3. Symm. syn. VI.
v. 9—20. Evar. 3.

Ioannis epistolae III.

c. III. v. 5. Sixt. I. pp. 1.

c. III. v. 11. Sixt. I. pp. 1.

Iudae epistolae

v. 15. Alex. 18.
v. 17—23. Ann. 4, Corn. 4.

v. 17—25. Anacl. 17.

Apocalypseos

c. I. v. 17. 18. Pelag. II. pp. ep. 1.
c. II. v. 5 ibid.
v. 7 ibid.
v. 10 ibid.

c. II. 19—23 ibid.
26. 27 ibid.
c. III. v. 20. 21. Pelag. II. pp. ep. 1.
c. XI. v. 6. Clem. 37.

Bonifacii I. pp. epistolae:

ad episcop. Galliae (H. no. 31.) Iul. 11.
i. fin. Iul. 11.

ad Hilarium (H. no. 32.) Sixt. II. pp. 8, Iul. 19, Dam. de corep.

Bonifacii Mogunt. epist. (sec. ed Würdtwein.)

ep. 22. (p. 56.) Steph. 13.
(p. 56.) Steph. 13.
(p. 57.) Steph. 13.
ep. 36. (p. 83.) Fab. 4.
(p. 83.) Steph. 13.
ep. 54. fin. (p. 120.) Corn. 6.

ep. 72. (p. 193.) aut Ben. 426. cf. Anacl. 14, Luc. 7.
ep. 73. (p. 195.) Fab. 5.
(p. 197.) Anacl. 12.
ep. 79. (p. 232.) Fab. 7, Silv. ep.
ep. 92. (p. 262.) Steph. 13.

Caesarii Arelatens.

hom. 27. (Biblioth. patr. Colon. Agripp. 1618. T. V. P. 3. p. 772.) Pii 6.

Cangyth abbatissae epist.

ad S. Bonifac. (no. 30 int. epist. S. Bonifacii ed. Würdtwein p. 74.) Anacl. 13. (l. c. p. 75.) Anacl. 13. 14.

Canones Apostolorum:

can. 1. Anacl. 28.
can. 34. Eleuth. 3, Fel. II. pp. 12. IX., Anast. I. pp. ep. 1.
can. 35. Anacl. 33.
can. 35. aut Ben. III. 106. Ann. 2.
[c. 35.] cf. Ben. III. 358. aut c. 43 Angilr. Calist. 13, Luc. 3, Iul. 12.

Capitula Martini Bracar.

(c. 18. Ordo de conc. celebr. cf. quoque ordo Hisp.)

Capitularis ecclesiastici anni 789.

c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Calist. 3.
c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13. 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3. (cf. c. 4, 13 Angilr., Fel. I. pp. 12.)
c. 45. aut Ben. II. 362. aut c. 13 Angilr. Anacl. 19, Calist. 17, Fab. 25, Sixt. III. pp.

Capitularis incerti anni (circ. a. 744? cf. Walter, corp. iur. germ. II. p. 24 sqq.)

c. 18. aut Ben. III. 339. Fab. 22.

Capitularis anni 805 apud Theod. vill.

c. 24. aut Ben. I. 260. II. 290. Calist. 8.

Capitularis Vern. a. 755.

c. 1. Clem. 27.

Cassiodori historiae tripartitae

lib. II. c. 9. Iul. 1, Athan. ep. ad Lib.
c. 11. Iul. 1.
c. 12. Iul. 1.
c. 12 i. f. Iul. 1.
c. 14. Praef. Ps.-Is. 5, Iul. 4. 11.
c. 22. Iul. 4.
lib. III. c. 7. Iul. 11.
c. 8. aut Ben. II. 381. Anacl. 6, Fel. II. pp. 12. XI.
lib. IV. c. 2. 5. Iul. 11.
c. 6. Iul. 11.
[c. 9.] cf. Ebbon. archiep. Rem. apol.
[c. 9.] cf. c. 2 Angilr. Praef. Ps.-Is. 8, Iul. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 9. aut Ben. II. 381. Marcelli 2. 10, Iul. 6. 11. 13, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 9. 19. Iul. 11.
c. 15. Sixt. I. pp. 6.
c. 15. Iul. 11, Fel. II. pp. 13.
c. 16. Iul. 10. 11.
c. 16. 19. Iul. 11.
c. 19. Iul. 6. 11, Fel. I. pp. 1.
c. 24. Iul. 1.
lib. IV. c. 29. Zeph. 13, Fel. I. pp. 16, Fel. II. pp. 17.
lib. V. c. 29. Telesf. 1.
c. 29 et Ben. II. 381. Anacl. 6, Telesf. 3, Fel. II. pp. 12. XI.
c. 29. Telesf. 4.
c. 34. Marcelli 10.
lib. VI. c. 22. Iul. 14, Pelag. II. pp. ep. 2.
lib. VII. c. 2. Fel. II. pp. 11.
c. 9. Marcelli 11, Fel. II. pp. 15.
[c. 12.] cf. c. 10 Angilr. (Ben. II. 381.) Zeph. 12, Iul. 8. (Dam. 12.)
c. 12. Marcelli 8, Fel. II. pp. 11.
lib. IX. c. 14. Fel. II. pp. 12. IV. 15.
c. 14. Fel. II. pp. 16.
c. 12. Anacl. 18.
c. 15. Fel. II. pp. 16.
lib. X. c. 6. aut Ben. I. 402. aut c. 16 (bis) Angilr. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
c. 17. Iul. 13.
lib. XII. c. 7. 8. Pelag. II. pp. ep. 2.
c. 8. Ant. 4.
c. 8. Ant. 2, Pelag. II. pp. ep. 2.

Clementis epistola I. ad Iacobum (coll. Quesnell. c. 64, ep. Leon. M. ed. Baller. 3, 455 sqq.).

Tota epist. Clem. 1—20.
[c. 4.] cf. Ben. III. 462. Evar. 5.
c. 7 i. f. Evar. 8.
[c. 11.] cf. Ben. III. 462. Evar. 8.
c. 12. Evar. 1.
c. 14. Anacl. 2.
[c. 15.] cf. Ben. III. 462. Evar. 8.
c. 17. Alex. 5.
c. 17 i. f. 18. Anacl. 39, Alex. 6, Fab. 6.

Eiusdem epistola II.

Tota epist. Clem. 45—47. 55.
His ergo bene etc. Clem. 54.
c. 55. Clem. 44.
Haec praecepta etc. Clem. 55.

Eiusdem recognitionum (sec. ed. Gersdorf. Lips. 1838)

lib. I. c. 46. Clem. 58.
c. 67. Clem. 63.
lib. II. c. 3. 4. Clem. 72.
c. 18. Clem. 57.

lib. II. c. 20. Clem. 70.
c. 21. Clem. 43.
c. 21. Clem. 43. 71.
c. 22. Clem. 71.
c. 30. 31. Clem. 71.
c. 33. Clem. 57.
lib. III. c. 66. Clem. 59—61.
c. 67. Clem. 62. 63.
lib. IV. c. 4. Clem. 42. 43.
c. 4. Clem. 43. 61.
c. 5. Clem. 43.
c. 6. Clem. 56.
lib. V. c. 2—13. Clem. 64—69.
c. 8. Clem. 56.
lib. VI. c. 2. Clem. 57.
c. 2. Clem. 57. 74.
c. 2—12. Clem. 74.
c. 13. 14. Clem. 73.
lib. VIII. c. 4. Clem. 70.
c. 37. Clem. 61.
c. 62. Clem. 69.
lib. X. c. 5. Clem. 82.
c. 42. 43. Clem. 83—85.
c. 43. Clem. 48. 85.
c. 44—46. Clem. 48. 49.

Codicis Theodosiani (ed. Hänel.)

lib. II. tit. 18. [c. 1 et interpr. = Breviar. Alaric. c. 1. lib. II. 18.] cf. Ben. I. 400. aut c. 23 Angilr. Eleuth. 2. 3, Iul. 16. 17.
lib. III. tit. 12. interpr. c. 3 = B. A. c. 3 lib. III. 12. Calist. 16. cf. Ben. II. 410.
lib. IV. tit. 16. [c. 2 = B. A. c. 1 lib. IV. 14.] cf. Ben. III. 347. aut c. 37 Angilr. Zeph. 5, Fab. 29, Euseb. 17, Iul. 18, Sixt. III. pp.
[interpr. c. 2 = B. A. l. c.] cf. c. 15 Angilr. aut Ben. III. 308. Calist. 12, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.
lib. IX. tit. 1. c. 10 = B. A. c. 5 lib. IX. 1. aut Ben. II. 381. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
[c. 10.] cf. Ben. II. 381. aut c. 9 Angilr. Steph. 10, Iul. 17.
[c. 10.] cf. Ben. III. 309. aut c. 16 Angilr. Anacl. 15, Vigin. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III.
interpr. c. 11 = B. A. int. c. 6 lib. IX. 1. Dam. 16.
c. 12 = B. A. c. 7 l. c. aut Ben. III. 453. Steph. 11.
interpr. c. 12 = B. A. int. c. 7 cit. aut Ben. III. 324. aut c. 30 Angilr. Steph. 11, Dion. 4, Iul. 12.
lib. IX. tit. 1. [c. 19 = B. A. c. 11. l. c.] cf. Ben. III. 436 et c. 6 Angilr. Eutic. 7.
tit. 6. c. 3 = B. A. c. 2 lib. IX. 3. aut Ben. III. 322 i. f. aut c. 28 Angilr. i. f. Euseb. 18, Silv. ep. ad Amat.
interpr. c. 3 = B. A. interpr. c. 2 cit. Steph. 13.
tit. 38. interpr. c. 8 = B. A. int. c. 1 lib. IX. 28. Steph. 2, Pelag. II. pp. 3.
tit. 39. interpr. c. 3 = B. A. int. c. 1 lib. IX. 29. Steph. 2.
tit. 40. [interpr. c. 1 = B. A. int. c. 1 lib. IX. 30.] cf. Ben. I. 308. II. 178. III. 170. aut c. 1 (bis) Angilr. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
lib. X. tit. 10. interpr. c. 2 = B. A. int. c. 1 lib. X. 5. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
c. 3 = B. A. c. 2 l. c. aut Ben. III. 253 i. f. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
lib. XI. tit. 39. interpr. c. 9 = B. A. int. c. 4 lib. XI. 14. aut Ben. III. 238. Telesf. 4, Iul. 12.
interpr. c. 13 = B. A. int. c. 7 l. c. Anacl. 14, Telesf. 4, Iul. 12.
lib. XVI. tit. 2. [interpr. c. 12 = B. A. int. c. 2 lib. XVI. 1.] cf. Ben. III. 153 i. f. Fab. 22.
[interpr. c. 12 cit.] cf. Ben. II. 381, Ben. III. 153 i. f. Gai. 3, Fel. II. pp. 12. I.
[c. 23 = B. A. c. 3 l. c.] cf. Ben. II. 113. 381. Pii 9.
c. 38 (in B. A. non recept.) cf. Ben. II. 112. III. 421. Anacl. 17.
[c. 40 in B. A. non recept.] cf. Ben. II. 117. III. 385. Pii 7. 8, Urb. 5.
[c. 41 in B. A. non recept.] cf. c. 21 Angilr. (Ben. III. 438.) Gai. 4, Sixt. III. pp.
Nov. Valentin. [tit. 34. interpr. = B. A. tit. 12 int.] cf. Ben. III. 332 et c. 32 Angilr. Fab. 26, Sixt. III. pp.
[tit. 34. interpr. aut Ben. III. 240. Add. III. 25.] cf. c. 4. 31 Angilr. Fab. 27, Fel. I. pp. 14, Sixt. III. pp.
Nov. Marciani tit. 1 = B. A. tit. 1. cf. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13.)
tit. 1. interpr. = B. A. interpr. cf. c. 7 Angilr. Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3, Iul. 12.
tit. 1. interpr. cf. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13.)

Coelestini I.

ep. ad Vener. (H. no. 33.)
pr. Melc. 1, Sixt. I. pp. 6, Excerpt. Silv. 8.
c. 1. Iul. 11, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 1. aut Ben. III. 44, Sixt. II. pp. 8, Iul. 9. 19, Fel. II. pp. 10, Pelag. II. pp. 1.
c. 1. Dam. de corep., Ioann. III.
c. 1. Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 11. Marc. 1.
c. 11. Anacl. 35.
c. 12. Fab. 11.
c. 12. Anacl. 35.
ep. ad episc. per Vienn. (H. no. 34.)
pr. Clem. 56, Alex. 15, Zeph. 9, Ant. 8, Fab. 11, Fel. II. pp. 10.
pr. Anacl. 35.
pr. Fab. 11, Pelag. II. pp. ep. 2 pr.
c. 1. Fab. 11.
ep. ad episc. per. Apul. (H. no. 35.)
not. cons. Sixt. III. pp.

Collectionis Hispanae praefatio.

Quatuor autem etc. Praef. Ps.-Is. 11.
In principio etc. l. c. 4.
Canon autem etc. l. c. 3.

Conciliorum Africanorum (D.)

c. 5. aut Ben. III. 28. Clem. 46.
[c. 6.] cf. Ben. III. 439. (III. 29.) Ann. 3, Steph. 9.
c. 6. Clem. 28. 29, Anacl. 29, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. xiii.
[c. 17.] cf. Ben. I. 393. II. 381. III. 84. 97 et c. 12 Angilr. Steph. 13, Marcelli 11, Fel. II. pp. 12. xiv.
c. 17. aut Ben. III. 97. Calist. 17.
[c. 38.] cf. Ben. III. 391. Fel. IV. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
c. 54. aut Ben. III. 87. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 10.)
[c. 87.] cf. Ben. II. 309. III. 171. 178. Iul. 18.
c. 96. Fab. 13. 18, Euseb. 5.
c. 96. Gai. 2.
c. 96. Dam. 10.
c. 96. aut Ben. III. 99. 437. Clem. 31, Steph. 7, Euseb. 3, Steph. 2, Praef. Ps.-Is. 7, Calist. 6, Steph. 7, Iul. 7. 12. 18, Fel. II. pp. XV., Dam. 14. (cf. Ben. II. 381. III. 108. 307, c. 9. 18 Angilr.)
[c. 96.] cf. Ben. III. 108. Telesf. 4.
c. 101. Aegypt. ep. ad Marc.
c. 101. Iul. 7.
c. 103. Dam. 8.
c. 103. Marc. 1.
c. 105. Iul. 10 i. f.
c. 105. aut Ben. II. 381. III. 102. aut c. 9 Angilr. Dam. 19.
[c. 105.] cf. Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. Iul. 12.
c. 105 i. f. Iul. 10 i. f.

Concilii Agathensis

c. 61. Greg. M. ad Fel.

Concilii Antiocheni (D.)

c. 2. Fab. 6.
c. 9. aut Ben. III. 358. aut c. 43 Angilr. Ann. 2, Luc. 5.
[c. 9. 13.] cf. Ben. III. 358. aut c. 43 Angilr. Calist. 13, Luc. 3, Iul. 12.
c. 10. Dam. de corep.
c. 13. Dam. de corep.
[c. 15.] cf. Ben. II. 381. aut c. 2 Angilr. Marcelli 2. 10, Iul. 5, Dam. 9.
[c. 15.] cf. Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. Luc. 5, Iul. 12.
[c. 15.] cf. Ben. II. 381. III. 104. aut c. 26 Angilr. Fab. 26, Euseb. 11, Fel. II. pp. 12. xviii., Sixt. III. pp., Symm. syn. V., Ioann I. pp. ep. 1.
[c. 15.] cf. Ben. III. 104 tit. Steph. 10. (cf. Ben. II. 381, c. 26 Angilr.)
[c. 15.] cf. Ben. III. 381. aut c. 9 Angilr. Steph. 10, Iul. 17.
c. 19. Ann. 1.
c. 21. Pelag. II. ep. 2.
[c. 22.] cf. c. 15 Angilr. (Ben. III. 308.) Calist. 12, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.
c. 22 i. f. Calist. 14.

Concilii Aquisgranensis a. 816.

Lib. I.

c. 8. aut Isid. de offic. II. 7 no. 4. Anacl. 22.
c. 9. aut l. c. II. 5 no. 4. Anacl. 27.
c. 9. aut l. c. II. 7 no. 1—3. 5. 6. Anacl. 22—24.
c. 9. aut l. c. 7 no. 5. 11 i. f. Anacl. 25.
c. 10. aut Hieron. comm. ad Tit. c. 1. Anacl. 26.
c. 11. aut Hieron. ep. ad Ocean. no. 8. Fab. 11.
c. 12. aut August. sermo 46 de past. Anacl. 26, Fab. 11.
c. 13. aut Greg. M. reg. past. II. 6. Anacl. 36.
c. 14. aut Greg. M. reg. past. I. 1. Anacl. 26.
c. 30. aut Isid. sent. III. 38 no. 3. 4. Anacl. 37, Ant. 5.
c. 30. aut l. c. III. 38 no. 5. Anacl. 36, Ant. 5.
c. 30. aut l. c. III. 38 no. 5. Anacl. 37, Ant. 5.
c. 31. aut l. c. III. 39 no. 3. Evar. 9.
c. 31. aut l. c. III. 39 no. 4. Anacl. 38, Fab. 22.
c. 31. aut l. c. III. 39 no. 5 et Ben. III. 167. 441. Pii 4.
c. 31. aut l. c. III. 39 no. 6. 5. Clem. 42, Anacl. 39, Calist. 3, Fab. 23.
c. 31. aut l. c. III. 39 no. 6. Fab. 22, Corn. 4, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
c. 36. aut l. c. III. 46 no. 2. Evar. 9.
c. 36. aut l. c. III. 46 no. 4. Anacl. 39, Greg. M. ad Fel.
c. 36. aut l. c. III. 46 no. 13. Calist. 16, Greg. M. ad Fel.
c. 37. aut Greg. M. moral. in Iob. XIX. 25 no. 45. Evar. 11.
c. 94. aut ep. Hieron. ad Nepot. no. 14. 15. Anacl. 40, Ant. 5. 6.
c. 95. aut ep. Hieron. ad Paul. no. 6. Ant. 6.
c. 96. aut ep. Hieron. ad Rustic. no. 8. Ant. 6.
c. 97. aut ep. Hieron. ad Heliodor. no. 8. Telesf. 3, Pont. 2, Ant. 7, Fel. II. pp. 11, Dam. 20.
c. 98. aut ep. Hieron. ad Ocean. de vita cleric. Anacl. 40, Corn. 3.
c. 99. aut Isid. de off. II. 1 no. 2. Ant. 8.
c. 103. aut Greg. M. reg. past. III. 4. Fab. 22, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel. (Pelag. II. pp. ep. 3.)
c. 103. aut Greg. M. l. c. Greg. M. ad Fel.
c. 103. aut Greg. M. l. c. III. 10. Fab. 23, Greg. M. ad Felic.

Lib. II.

c 4. aut Cypriani de habitu virg. c. 7. Urb. 1.

Concilii Aquisgranensis anni 836.

c. I. c. 12. aut Ben. I. 329. aut conc. Par. a. 829. lib. I. c. 21 i. f. Evar. 4.
c. II. c. 5 de vita infer. ord. Urb. 10.
c. III. c. 7. Anacl. 3.
[c. 7.] cf. Ben. I. 40. 322. Zeph. 13.
[c. 7.] cf. Ben. I. 322. Clem. 39.
[c. 7.] cf. Ben. I. 322. II. 99. Greg. M. ad Fel.
[c. 7.] cf. Ben. II. 99. III. 390. Clem. 51.
[c. 7.] cf. Ben. III. 462. Anacl. 3. 21, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, Dam. 19.
lib. I. c. 1. Urb. 4, Fab. 18.
c. 31. Marcelli 6, Melc. 1.
lib. II. c. 16. 15. Fel. IV. pp. ep. 1.
c. 22. Steph. 3.
lib. III. c. 21. aut conc. Par. a. 829. lib. I. c. 15. Melc. 9.
c. 26. Symm. syn. VI.

Concilii I. Arelatensis

[c. 13.] cf. Ben. I. 401. Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.
c. 20 tit. Dam. de corep.

Concilii II. Arelatensis (H.)

[c. 13 tit.] cf. Ben. III. 193. 366. aut c. 2 (bis) Angilr. Lib. 2 tit. et text.

Concilii III. Aurelianensis

[c. 32.] cf. Ben. III. 145. Marcellini 3.

Concilii V. Aurelianensis

c. 17. aut Ben. III. 153. Add. III. 22. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
[c. 17.] cf. Ben. III. 350. Fel. II. pp. 12. II.
[c. 17.] cf. Ben. II. 381. aut c. 31 Angilr. Anacl. 20. 21, Sixt. II. pp. 5, Iul. 12.
[c. 17.] cf. Ben. III. 350. Add. III. 22. Alex. 8, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.

Concilii III. Bracarensis

c. 1. Alex. 9.

Concilii Carthaginiensis (D.)

init. (verba Aurelii) Aegypt. ep. ad Marc., Marc. 1.
c. 2 i. f., c. 3 i. f. Clem. 70, Anacl. 26.
c. 5. aut Ben. III. 16. Corn. 3.
c. 8. Eutic. 9, Fel. II. pp. 3.
c. 8. aut Ben. III. 85. Anacl. 22, Fab. 13, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. XV., Pont. 3, Steph. 2.
c. 8. aut Ben. I. 187. II. 364. III. 85. 88. Iul. 18.
[c. 8. aut Ben. III. 85.] cf. c. 14 Angilr.
[c. 8.] cf. Ben. I. 393. II. 381. III. 84. 97 et c. 12 Angilr. Steph. 13, Marcelli 11.
[c. 8 et c. 21. conc. Chalc. D.] cf. Ben. I. 393. II. 381 et c. 12 Angilr. Pii 5.
c. 12. aut Ben. III. 307. Anacl. 15, Zeph. 5.
[c. 15. vide Ben. I. 404. II. 300. III. 121.] cf. c 42 Angilr. Luc. 2, Iul. 12.
c. 15. aut Ben. I. 404. II. 300. III. 121. aut c. 42 Angilr. Corn. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 19. Dam. 11.
c. 19. Fel. II. pp. 12. IX.
[c. 19.] c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 12, 13.)
c. 19. aut Ben. III. 89. 156. Steph. 10.
[c. 19.] cf. Ben. III. 89. 156. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9.)
c. 30. aut Ben. III. 86. Corn. 5, Fel. II. pp. 12. IX.

Concilii I. Carthaginiensis (H.)

c. 14 tit. aut Ben. III. 457 tit. Steph. 2, Euseb. 5.

Concilii III. Carthaginiensis H.

[c. 9.] cf. Ben. III. 145. Anacl. 16, Alex. 4, Marcellini 3.
[c. 20.] cf. Ben. II. 301. III. 151. Calist. 12.
c. 21. cf. c. 15 Angilr.
c. 42. Clem. 34, Bonif. II. exempl. prec.

Concilii IV. Carthaginiensis H.

[c. 13.] cf. Ben. III. 463. Evar. 2.
[c. 21 tit. et text.] c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 9. 11.)
c. 21. Fel. II. pp. 12. VIII.
c. 22. Anacl. 18.
[c. 23. 30.] cf. c. 11 Angilr. (cf. quoque Ben. III. 106. II. 363. III. 219.) Vigin. 2, Luc. 4, Iul. 12.
c. 26. aut Ben. II. 381. Steph. 10, Fel. II. pp. 12. III.
c. 27. Calist. 15.
c. 28. aut c. 2 (bis) Angilr. Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
c. 30. aut Ben. III. 219. II. 363. aut c. 49 Angilr. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
c. 35. Urb. 7.
c. 58. aut Ben. I. 399. aut c. 50 Angilr. Pont. 9, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. XV.
c. 96. aut Ben. III. 110. Add. III. 11. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 12), Calist. 17.

Concilii Chalcedonensis

c. 2. Iul. 4.
c. 9. Anacl. 16.
c. 9. 17. Clem. 29.
[c. 9. 17. D.] cf. Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. Ann. 4, Iul. 12.
[c. 9. 17. D.] cf. Ben. III. 173. Fel. II. pp. 4.
[c. 9. 17. D. et H.] cf. Ben. III. 173. 314. aut c. 5. 17 Angilr. Fel. II. pp. 12. xx.
c. 12. Clem. 28. 29.
c. 12. Anacl. 26. 29.
c. 12. Iul. 12.
c. 12. Fel. II. pp. 12. xiii.
[c. 12.] cf. Ben. III. 329. Ann. 3, Steph. 9.
[c. 17. H.] cf. c. 5 Angilr. Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12.
c. 18 (D.) Calist. 8.
[c. 21.] cf. Ben. III. 84. Evar. 10.
[c. 21.] cf. Ben. I. 393. II. 381. III. 84. 97 et c. 12 Angilr. Steph. 13, Marcelli 11, Fel. II. pp. 12. xiv.
[c. 21 et c. 8 conc. Carth. D.] cf. Ben. I. 393. II. 381 et c. 12 Angilr. Pii 5.
c. 27. Symm. syn. V.
[c. 27. D.] cf. Ben. I. 224. Calist. 8.
subscript. (D.) Symm. syn. V. VI.

actio I. eiusd. conc. (Mansi 6, 763.) Corn. 3.
act. X. (l. c. 7, 206.) Corn. 6.

Concilii I. Constantinopolitani (D.)

c. 2. Praef. Ps.-Isid. 9. cf. Ben. II. 381. III. 81 et c. 8 Angilr.

Concilii II. Constantinopolitani anni 550.

collat. V. (Mansi 9, 332.) Clem. 37. 51.

Concilii III. Constantinopolitani anni 680.

act. IV. epist. Agath. (Mansi 11, 242.) Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 2. 3, Symm. syn. VI.
epist. Iustin. II. ad Ioann. V. i. f. (Mansi 11, 738.) Athan. ad Lib.

Concilii Eliberitani

c. 75. aut c. 5 (bis) Angilr. Steph. 2.

Concilii Gangrensis (D.)

c. 20. Fel. I. pp. 15.

Concilii Herudfordensis

c. 2. aut Ben. II. 166. Dion. 8.

Concilii II. Hispalensis

c. 7. (tot.) Leon. ep. de corep.
c. 7. (in divinis etc.) Dam. de corep.
c. 7. (si quidem nec licere etc.) Dam. de corep.
c. 7. (sed neque coram episcopo etc.) l. c.
c. 7. (quia pontificatus apicem etc.) l. c
c. 7. (haec enim illicita etc.) l. c.
c. 13. Alex. 18, Fel. I. pp. 15

Concilii Laodiceni (D.)

c. 26. Fel. IV. pp. ep. 1.
c. 57. Dam. de corep.
c. 58. Fel. IV. pp. ep. 1.

Concilii Lateranensis anni 649 (Mansi 10, 863 sqq.)

secr. I. Et maxime praeceptum habentes etc. (p. 882.) Dam. 16.
Ne quando quidem radix amaritudinis etc. (p. 882.) Dam. de corep.
Suggerimus sancto apostolatui etc. (p. 882.) Fel. II. pp. 1.
Pro qua re oportet iuxta vestram etc. (p. 887.) Dam. 8.
Apostolicis visceribus vestra beatitudo etc. (p. 887.) Fel. II. pp. 1, Dam. 8.
secr. II. Studuit competenter non antea per scripta etc. (p. 890.) Dam. ad episc. Ital.
Quod addiscentes contrarii non levibus etc. (p. 895.) Fel. II. pp. 1.
Ideoque ad propositum recurrentes etc. (p. 896.) Fel. II. pp. 1.
Ideoque exoro ut minime etc. (p. 902.) Zeph. 9, Ant. 8, Fel. II. pp. 10, ep. Fel. ad Greg
Vae qui potum dat amico suo etc. (p. 910. 911.) Fel. I. pp. 16, Fel. II. pp. 16.
Firmamentum a deo fixum etc. (p. 914.) Fel. II. pp. 4, Dam. 8.
O sanctissime abscinde etc. (p. 914.) Fel. II. pp. 5.
Deus igitur creator etc. (p. 915.) Dam. 7.
Incolumem te etc. (p. 915.) Fel. II. pp. 10, ep. Fel. ad Greg.
Non enim de fontibus salutiferis etc. (p. 918.) Fel. I. pp. 16, Fel. II. pp. 16.
Nec enim fas est supplicum etc. (p. 918.) Fel. II. pp. 5.
Domino beatissimo apostolico etc. (p. 919.) Dam. 7.

Cui etiam in honore beatissimi Petri etc. (p. 919.) Fel. II. pp. 6, Dam. 7.
Antiquis enim regulis etc. (p. 919.) Fel. II. pp. 5, Dam. 7.
Quocirca humillimum vestro etc. (p. 919.) Fel. II. pp. 6.
Vestrae beatissimae paternitatis etc. (p. 943. 946.) Ep. Athan. ad Lib. 1, init. ep. Fel. ad Greg.
Sicut scriptum est, meditabitur etc. (p. 946.) Fel. II. pp. 7, ep. Fel. ad Greg.
Prae omnibus fateor etc. (p. 946.) Fel. II. pp. 6.
Vestra est itaque frater etc. (p. 947. 950.) Eleuth. 6, Fel. II. pp. 9, Ep. Fel. ad Greg.
Donec iudicium de eo etc. (p. 950.) Fel. II. pp. 14, Dam. 21.
Quod utique et nos etc. (p. 950.) Dam. 22.
Itaque oportet catholicos (p. 951.) Iul. 10, Dam. 23.
Non nos oportet de cetero negligere etc. (p. 954.) Iul. 10.
Expectavi enim sicut etc. (p. 954.) Dam. 22.
Igitur usque ad hoc sufficiunt etc. (p. 954.) Iul. 10.
secr. III. Propter Sion non tacebo etc. (p. 954. 955.) Lib. ep. 1, decr. Damas. quod omnes heretici etc.
Sed consurgere cum deo etc. (p. 955.) Soth. 3, Lib. l. c.
Non enim per probabilem et paternam etc. (p. 962. 963.) Zeph. 12, Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3 i. f.
Scriptum est enim ego sum etc. (p. 970.) Dam. 22.
Non debemus omnino timere etc. (p. 978. 979.) Zeph. 12, Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3 i. f.
secr. IV. Sed venite et nos dilectissimi fratres etc. (p. 1007. 1010.) ep. Athan. ad Lib., Ioann. I. pp. ep. 1.
Per ea quae illicite etc. (p. 1010.) Dam. 7.
Nullus enim introductus etc. (p. 1015.) Dam. 15.
Quatenus testimonii mercedem etc. (p. 1015.) Dam. 16.
Ecce quam bonum etc. (1019. 1022.) Zeph. 13, Fel. II. pp. 19—21.
Praedicavimus ad supernam vocationem etc. (p. 1026.) Fel. II. pp. 21.
Nec enim detrahentibus detrahere etc. (p. 1027.) Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.
Igitur arbitrati sumus etc. (p. 1030.) Iul. 4.
Qui autem ea praesumpserint etc. (p. 1031.) Lib. 1.
Bonum est namque procul dubio etc. (p. 1031.) Alex. 15, Iul. 4.
Hic igitur cum omni undique etc. (p. 1046.) Lib. 1.
Imitatores dei convenit, ut licitum est etc. (p. 1054. 1055.) Fel. II. pp. 18.
secr. V. Protestatur nobis beatus etc. (p. 1066. 1067.) Lib. 1.

Concilii Meldensis anni 845.

c. 46. aut Ben. III. 394. Fab. 9. 10.

Concilii Milevitani (H.)

[c. 13.] cf. Ben. III. 268 tit. Luc. 5.

Concilii Moguntini anni 813.

c. 1. Clem. 20.

Concilii Neocaesariensis

c. 13. Anacl. 24. 28, Dam. de corep.

Concilii Nicaeni praefatio coll. Quesnell. (op. Leon. ed. Baller. 3, 22 sqq

p. 22. 23. 25. Aegypt. ep. ad Marc.
p. 23. Iul. 11.
p. 23. Anacl. 30—32, Marcelli 1. 2, Iul. 6.
p. 24. Anacl. 18, Annic. 1.
p. 24. Ant. 2, Pelag. II. pp. ep. 2.

Concilii Nicaeni

c. 4. Anacl. 18, Annic. 1, Ioann. III. pp.
c. 5. (H.) Iul. 10.
(c. 6. Fel. II. pp. 5. 10. 12. XII.)
c. 8. Dam. de corep.
c. 9 i. f. Calist. 5, Marcellini 3, Dam. 14, Symm. syn. VI.

Concilii III. Parisiensis anni 557.

c. 1. Symm. syn. VI. — c. 1 i. f. l. c. — c. 2. l. c.

Concilii VI. Parisiensis anni 829.

lib. I. c. 1. Clem. 73.
c. 4. aut Ben. I. 315. Anacl. 10.
c. 4. aut Ben. l. c. Anacl. 20, Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1. Pelag. II. pp. ep. 3.
lib. I. c. 12. Clem. 56.

c. 15. aut conc. Aquisgr. a. 836. lib. III.
c. 21. Melc. 9.
c. 15. aut Ben. I. 208. Add. III. 1. Urb. 4.
c. 21 i. f. aut Ben. I. 329. aut conc. Aquisgr. a. 836. C. I. c. 12. Evar. 4.
c. 27. Dam. de corep., Ioann. III.
c. 28. Melc. 12—14.
lib. II. c. 10 tit. aut Ben. III. 387. Urb. 9.
lib. III. [c. 6.] cf. Ben. III. 431. Clem. 70, Fel. IV. pp. ep. 1.

Concilii II. Romani sub Silvestro (Constitut. Silv.)

c. 3. (Mansi 2, 623.) Excerpt. Silv. 2. 3. 4, Zeph 1.
c. 14—16. (Mansi 2, 629.) Excerpt. Silv. 5.

Concilii Romani sub Gregorio (D.)

praef. Aegypt. ep. ad Marc.
pr. Symm. syn. VI.

Concilii Romani anni 743 sub Zacharia (Mansi 12, 367)

init. Iul. 1.

Concilii Sardicensis

c. 1. (H.) Pelag. II. pp. ep. 2.
c. 4. aut Ben. II. 401. III. 103. Eleuth. 2, Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
c. 7 tit. (D.) Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
c. 7 tit. (D.) Marcelli 2.

Concilii III. Toletani

(c. 18. Ordo de celebr. conc. cf. quoque ord. Hispan.).

Concilii IV. Toletani

(c. 4. Ordo cit.)
(c. 5. l. c.)
[c. 64.] cf. Ben. I. 335. III. 176. Calist. 17, Fab. 5, Euseb. 3, Steph. 2.

Concilii VI. Toletani

[c. 11 tit.] cf. Ben. I. 398. II. 381. Eleuth. 3, Dam. ad Ital.

Concilii VIII. Toletani

[c. 2.] cf. c. 11 (bis) Angilr. (et Ben. II. 223. III. 221.) Fab. 29, Sixt. III. pp., Dam. 23, Pelag. II. pp. ep. 3.

Concilii X. Toletani

init. Pelag. II. pp. ep. 2.

Concilii XI. Toletani

(praef. c. 1. 2. Ordo de celebr. conc. cf. quoque ordo Hispan.)
c. 5. aut Ben. II. 104. 357. III. 156. Steph. 12, Silv. excerpt., Fel. II. pp. 12. XVIII., Greg. ad Fel.

Concilii XII. Toletani

praef. aut Ben. II. 326. Steph. 2, Euseb. 5.

Confessio rectae fidei Iustiniani adv. III. capp. (Mansi 9, 570).

Clem. 51.

Constantini imperatoris donatio.

Melc. 10.

Constitutiones Wormatienses anni 829.

[De his quae pro populo adnunt. c. 12.] cf. Ben. III. 431. Fel. IV. pp. ep. 1.

Cuthberti epistola

ad Lullum (int. ep. S. Bonif. ed. Würdtwein no. 111 p. 292.) Steph. 13. (p. 293.) Anacl. 1.

Cypriani (sec. ed. Goldhorn. Lipsiae 1838)

(epist. 66. c. 8?) cf. Ben. II. 99. Pii 8.
de habitu virgin. c. 7. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. II. c. 4. Urb. 1.

Ebbonis Remensis apologiae

[c. 3.] (Mansi 14, 776.) cf. Ben. II. 381. aut c. 2 Angilr. Marcelli 2. 10, Iul. 5, Dam 9.
c. 3. (l. c.) cf. Ben. III. 314 aut c. 17. Angilr. Iul. 12.
c. 3. (l. c.) Dam. 11.

Ennodii Ticinensis[1]

dictiones.

d. 5. (p. 478.) Pelag. II. pp. ep. 3.
d. 9. (p. 495.) Anacl. 6.
d. 11. (p. 502.) Anacl. 8.
d. 18. (p. 520.) Pelag. II. pp. ep. 3.
d. 21. (p. 529.) Pelag. II. pp. ep. 3.

[1] Sec. ed. Sirmond. Par. 1611.

Gelasii I. epistola

ad episc. per Lucan. (H. no. 82.) init. Calist. 1, Symm. syn. VI.
c. 5. Steph. 2.
c. 11. Iul. 9.
c. 11. Eutic. 3.

Gregorii Magni[1]

epistolarum

lib. I. ep. 25. (2, 512) Melc. 15.
ep. 43. (2, 521) init. Bened. I. pp. ep. init.
lib. II. ep. 37. (2, 600) Eutic. 4.
ep. 51. (2, 614) Euseb. 1.
lib. V. ep. 10. (2, 735) Steph. 2.
ep. 21. (2, 751) Steph. 2.
ep. 43. (2, 771) Fab. 23.
(2, 771) Sixt. II. pp. 4, Fel. IV. pp. ep. 1.
(2, 771) Bonif. pp. exempl. prec.
(2, 771) Pelag. II. pp. ep. 1.
(2, 772) Fel. I. pp. 1, Pelag. II. pp. ep. 1.
ep. 46. (2, 775) Pont. 1, Greg. M. ad Fel.
(2, 775) Fab. 3, Greg. M. ad Fel.
ep. 53. (2, 780) Sixt. III. pp., Silv. ep. ad Amat., Greg. M. ad. Fel.
(2, 783) Ant. 8, Eutic. 4, Greg. M. ad Fel.
ep. 54. (2, 783) Dion. 2. 3, Bonif. II. pp. ep. 1.
(2, 785) Eutic. 3.
lib. VII. ep. 21. (2, 866) Marcelli 2.
lib. IX. ep. 12. (2, 940) Dam. 5.
ep. 22. (2, 945) Fab. 3.
ep. 22. (2, 946) Pont. 5, Fab. 3.
ep. 41. (2, 957) Calist. 8.
ep. 41. (2, 957) Steph. 4.
ep. 49. (2, 962) } Dam. de corep., Ioann.
ep. 49. (2, 963) } III. pp.
ep. 52. (2, 967) Fab. 29, Sixt. III. pp.
(2, 969) Calist. 20.
(2, 972) Fab. 30, Sixt. III. pp.
ep. 59. (2, 976) Marcelli 2.
ep. 64. (2, 981) Fab. 15.
ep. 74. (2, 988) Dion. 1, Fel. IV. pp. ep. 2.
ep. 93. (2, 998) Dam. de corep., Ioann. III. pp.
lib. IX. ep. 106. (2, 1006) Greg. M. ad Fel. init.
(2, 1010) Greg. M. ad Fel.
ep. 107. (2, 1011) Dion. 4. 5, Anast. I. pp. ep. 1, Symm. syn. VI.
(2, 1012) Pont. 1, Dion. 5, Symm. syn. VI.
ep. 108. (2, 1013) Corn. 1, Marcelli 5.
(2, 1014) Greg. M. ad Fel.
ep. 111. (2, 1018) Fab. 8.
ep. 115. (2, 1022) Fab. 15, Fel. II. pp. 11, Greg. M. ad Fel.
ep. 119. (2, 1025) Pont. 10.
ep. 120. (2, 1026) Dam. ad Ital. i. f.
ep. 121. (2, 1028) Clem. 55, Dam. ad Ital., Bonif. II. pp. exempl. prec.
ep. 122. (2, 1030) Dam. ad Ital. i. f.
ep. 122. (2, 1030) Fab. 30, Sixt III. pp.
lib. X. ep. 29. (2, 1060) Zeph. 4, Fel. I. pp. 2, Iul. 12.
ep. 43. (2, 1074) Dam. de corep., Ioann III. pp.
ep. 48. (2, 1076) Corn. 1.
lib. XI. ep. 1. (2, 1091) Euseb. 21.
ep. 2. (2, 1093) Fel. I. pp. 6, Sixt. III. pp.
ep. 2 i. f. (2, 1098) Sixt. II. pp. 3.
ep. 59. (2, 1146) Ant. 8.
ep. 64. int. III. IV. (2, 1152) Fel. ep. ad Greg. M., Greg. M. ad Fel. (cf. Leon. M. op. ed. Ball. T. III. p. CCXLV.)
ep. 65. (2, 1163) Pelag. II. pp. ep. 1.
ep. 75. (2, 1175) Pont. 3—5, Dion. 1, Fel. IV. pp. ep. 2.
lib. XIII. ep. 45 (2, 1251) Zeph. 4, Fel. I. pp. 2, Iul. 12.

Homiliarum in evangelia

lib. I. h. 17 no. 16. (1, 1504) Clem. 27, Anacl. 35, Soth. 1, Fel. I. pp. 7, Lib. 2, Dam. de corep.
lib. I. h. 17 no. 18. (1, 1505) Clem. 23.
h. 26 no. 6. (1, 1556) Urb. 8.

Moralium

lib. X. c. 6 no. 8. (1, 340) Clem. 23.
lib. XIX. c. 25 no. 45 (1, 628) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 37. Evar. 11.

Regulae pastoralis

I. 1. aut c. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 14. Anacl. 26.
II. 6. aut c. cit. lib. I. c. 13. Anacl. 36.
III. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Greg. M. ad Fel.
III. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Fab. 22, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3, Greg. M. ep. ad Fel.
III. [4.] cf. Ben. II. 402. Greg. M. ad Fel.
III. 10. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Fab. 23, Greg. M. ad Fel.
III. 10. aut c. cit. i. f. Greg. M. ad Fel.

Gregorii II. pp. epistolae

ad univ. episc. (Mansi 12, 238) Clem. 56.
ad Bonifac. (S. Bonif. ep. ed. Würdtwein p. 58.) Greg. M. ad Fel.

Gregorii III. pp. epistolae

ad Bonifac. (S. Bonif. ep. ed. Würdtwein p. 67.) Greg. M. ad Fel.
ad Bonifac. (l. c. p. 68.) Clem. 55, Telesf. 5, Bonif. II. pp. exempl. prec.

[1] Sec. ed. Ben. Paris. 1705.

Hieronymi[1]

commentar. ad Titum

c. 1. aut conc. Aquisgr. a. 816 lib. I. c. 10. Anacl. 26.

Epistolae

ad Heliod. no. 8. (1, 34.) aut conc. cit. lib. I. c. 97. Telesf. 3, Pont. 2, Ant. 7, Fel. II. pp. 11, Dam. 20.
ad Nepotian. no. 14. 15. (1, 268.) aut conc. cit. lib. I. c. 94. Anacl. 40, Ant. 5. 6.
ad Paulin. no. 6. (1, 324.) aut conc. cit. lib. I. c. 95. Ant. 6.
ad Ocean. no. 8. (1, 425.) aut conc. cit. lib. I. c. 11. Fab. 11.
ad Rustic. no. 8. (1, 937.) aut conc. cit. lib. I. c. 96. Ant. 6.
ad Ocean. de vita clericor. (11, 371.) aut conc. cit. lib. I. c. 98. Anacl. 40, Corn. 3.

Hilarii pp.

syn. decr. (H. no. 74.) c. 1. Symm. syn. VI. c. 4. l. c.
ep. ad Acac. (H. no. 76.) init. Zeph. 1, Fab. 25, Marcelli 1, Pelag. II. pp. ep. 3.

Honorii augusti

rescr. ad Bonifacium I. (H. p. 39.) init. Dam. rescr. ad Aurel. Carth.

Hormisdae pp. epistolae

ad Ioann. (H. no. 89.) Bonif. II. pp. ep.
ad Ioann. (H. no. 90.) Marcellini 1.
ad episc. per Hisp. (H. no. 91.) init. Euseb. 15—17.
c. 1. Euseb. 17.
c. 2. (cf. Ben. III. 386.) Pii 3.
c. 3. Marcellini 1.
ad episc. per Hisp. (H. no. 92.) init. Marcellini 1. med. Euseb. 19. Bonif. pp. ex. prec. i. f. Euseb. 18.
ad Epiphanium (H. no. 93.) init. Agap. ep. Bonif. II. ex. prec. Marcellini 1.
ad Salust. (H. no. 94.) Ioann. II. pp. init.
ad episc. per Baet. (H. no. 95.) init. Marcellini 2.

Idacii Clari contra Varimad. lib. (max. bibl. patr. Lugd. T. V. 1677. p. 726 sqq.)

Isaias namque propheta etc. (p. 726.) Alex. 10, Ben. I. pp. ep. 1.
Unum enim verum deum etc. (p. 728.) Sixt. I. pp. 2, Pelag. I. pp. ep. Vigin. 1, Ioann. II.
Quod ante promiserat etc. (p. 729. 730.) Soth. 1. 2.
Agnosce, fili karissime, non ex tempore etc. (p. 730.) Sixt. II. pp. 1.
Filium non posse proprie videre patrem etc. (p. 731.) Fel. I. pp. 18.
Illi ergo qui dicunt quod filius in eo minor etc. (p. 736.) Anacl. 27.
Quibus competens etc. (p. 737. 738.) Marcellini 1.
De patre solum dictum esse, quia ipse solus etc. (p. 740.) Evar. 3.

Innocentii I. pp. epistolae

ad Decent. Eugub. (H. no. 6.) pr. Clem. 27.
pr. Dam. de corep.
pr. Marcelli 1, Vigil. 7.
c. 3. Euseb. 21.
ad Victor. Rotom. (H. no. 7.) pr. Dam. de corep. init., Ioann. I. pp. ep. 1.
pr. Fel. IV. pp. ep. 1.
pr. Fel. II. pp. 12.
pr. Dam. 22.
c. 3. Ann. 4.
c. 3. Alex. 4, Iul. 11.
c. 3. Sixt. I. pp. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
c. 3. Fel. I. pp. 17.
c. 3. (cf. coll. Quesn. ed. Baller. in opp. Leon. 3, 206.) Marcelli 2, Dam. 19, cf. Ben. II. 381.
c. 3. (cf. ed. cit.) Praef. Ps.-Is. 9.
c. 3. (cf. ed. cit.) aut Ben. II. 381. III. 109. Corn. 5.
c. 3. (cf. c. 4 ed. cit.) aut Ben. II. 381. III. 109. Anacl. 17. 34. Zeph. 6. Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.
[c. 3.] cf. Ben. add. III. 111. Anacl. 15.
[c. 3.] cf. Ben. add. III. 107. Pelag. II. pp. ep. 1. fin. Fab. 24.
ad Exup. Tolos. (H. no. 8.) pr. Evar. 1.
ad Fel. Nuc. (H. no. 9.) pr. Dam. de corep. init.
pr. (quasi ad caput) Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
pr. et c. 3. eiusd. pap. epist. ad Vict. (H. no. 7.) Alex. 4, Iul. 11.
ad Rufum et Geront. (H. no. 12.) Fel. II. pp. 12.
ad Rufum et Geront. Dam. de corep., Ioann. III. pp.
ad Rufum et Geront. Evar. 2.
ad Aurel. Carth. (H. no. 17.) Evar. 2.
ad Iulian. (H. no. 18.) Anast. I. pp. ep. 2, Fel. IV. pp. ep. 2.
ad Bonif. (H. no. 19.) Anast. I. pp. ep. 1.
ad Alex. Ant. (H. no. 20.) Anast. I. pp. ep. 1.
ad Alex. Ant. (H. no. 23.) c. 1 i. f. Fel. II. pp. 10.
ad Rufum H. no. 26 [c. 3]. cf. Ben. III. 260. Dam. de corep.
ad Aurel. Carth. (op. Leon. M. ed. Ball. 3, 134 sqq.)
c. 1. Evar. 7.
c. 2. Symm. syn. VI.
ad conc. Milevit. (l. c. p. 144 sqq.)
c. 2. Fab. 10.

[1] Sec. ed. Vallarsii. Venet. 1796 sqq.

Ionae Aurel. episc. de instit. laicali

[lib. II. c. 2.] cf. Ben. III. 463. Evar. 2.

Ioannis Constant.

libell. fidei ad Horm. (H. no. 88.) Bonif. II. pp. exempl. prec.

Isidori Hispalensis[1]

allegoriae sacrae scripturae

[no. 61. 62.] cf. Ben. II. 402. Greg. M. ad Felic.

De differentiis

lib. II. c. 37. no. 143. Clem. 24.

Epistola

[ad Masson.] cf. Ben. 402. Greg. M. ad Fel.

Etymologiarum

lib. VII. c. 14 no. 1. Urb. 8.

De officiis

lib. II. c. 1 no. 2. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 99. Ant. 8.
c. 5 no. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 9. Anacl. 27.
lib. II. c. 7 no. 1—3. 5. 6. aut conc. cit. l. c. c. 9. Anacl. 22—24.
c. 7. no. 4. aut conc. cit. l. c. c. 8. Anacl. 22.
c. 7 no. 5. 11 i. f. aut conc. cit. l. c. c. 9. Anacl. 25.

Sententiarum

lib. II. c. 3 no. 4. Clem. 24.
no. 5. Clem. 24.
no. 7. Clem. 24.
lib. III. c. 28 no. 1. Clem. 23.
c. 38 no. 3. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 30. Anacl. 37, Ant. 5.
no. 5. aut conc. cit. l. c. Anacl. 36, Ant. 5.
no. 5. aut conc. cit. l. c. Anacl. 37, Ant. 5.
c. 39 [no. 2.] cf. Ben. II. 365. III. 167. c. 1 Angilr. Telesf. 3, Euseb. 9.
no. 3. aut conc. cit. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Evar. 9.
no. 4. aut conc. cit. l. c. Anacl. 38, Fab. 22.
no. 5. aut conc. cit. l. c. et Ben. III. 167. 441. Pii 4.
[no. 5.] cf. Ben. III. 441. Anacl. 19, Euseb. 9, Iul. 16.
no. 5. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Clem. 42, Anacl. 39, Calist. 3, Fab. 23.
[no. 5. 6.] cf. Ben. III. 462. Evar. 6.
no. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Fab. 22, Corn. 4, Euseb. 11, Symm. syn. V, Ioann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
c. 46 no. 2. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 35. Evar. 9.
no. 4. aut c. cit. Anacl. 39, Greg. M. ep. ad Fel.
no. 13. aut c. cit. Calist. 16, Greg. M. ep. ad Fel.

Synonymorum

lib. II. no. 50. Telesf. 3.
[no. 85.] cf. Ben. III. 259. pr. Melc. 2.
[no. 86.] cf. Ben. III. 259. Praef. Pseudo-Is. 5, Vict. 4, Sixt. II. pp. 7, Iul. 12.
lib. II. [no. 86.] cf. Ben. III. 259. 373. aut c. 12 (bis) Angilr. (c. 15 ibid.) Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 19.

Iustiniani I. imperatoris epistola

ad Ioannem II. i. f. (Mansi 8, 797.) ep. Athan. ad Marc.

Legis Romanae Visigothorum[2]

Pauli rec. sent. lib. I. 2 s. 1 int. Steph. 2.
s. 3 int. cf. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13.)
lib. II. 32 [s. 18.] cf. Ben. add. III. 101. Steph. 2.
lib. V. 4 s. 12. aut Ben. III. 246. Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.
5 [s. 9.] cf. Ben. I. 311. 391. II. 360. 399. Zeph. 4.
s. 9. aut Ben. III. 354. add. III. 102. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 13), add. III. 102.
17 s. 1. Steph. 11.
s. 1 et interpr. s. 3. Calist. 17.
s. 3 interpr. Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xi.
Cod. Greg. III. 5. s. 1. aut Ben. add. III. 103. Steph. 6, Euseb. 12, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.

[1] Sec. ed. Faust. Arevalo. Romae 1797 sqq. — [2] Cf. supra sub cod. Theod.

Legis Visigothorum

lib. II. tit. 1. [c. 9.] cf. Ben. II. 343. Steph. 7, Pelag. II. pp. ep. 3.
[c. 12 tit. et Ennod. lib. apol. p. 329.] cf. Ben. II. 436. III. 352. add. III. 10. Eutic. 9, Fel. II. pp. 12. VIII.
c. 28 tit. aut Ben. I. 405. aut c. 18 (bis) Angilr. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
tit. 4. [c. 1.] cf. Ben. II. 397. III. 369. c. 10 (bis) Angilr. Clem. 31, Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. XVI.
c. 1 et Ben. aut Angilr. capp. cit. Euseb. 18. (Steph. 2.)
c. 5. aut Ben. II. 147. 345. Calist. 17, Dam. ad Ital.
[c. 7.] cf. Ben. III. 322. aut c. 28 Angilr. (vide quoque Ben. III. 440.) Alex. 5, Steph. 13, Melc. 5, Pelag. II. pp. ep. 3.
c. 12. tit. aut Ben. II. 348 tit. Calist. 17.
lib. II. tit. 5. c. 9 tit. Alex. 7.
lib. VIII. tit. 1. c. 2. aut Ben. II. 161. 353. Euseb. 12, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
lib. XII. tit. 2. [c. 9.] cf. Ben. III. 351. Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. VI.
[c. 10.] cf. Ben. III. 427. Pii 5, Fab. 5.
tit. 3. [c. 8.] cf. Ben. II. 130. Calist. 16.

Leonis Magni epistolae (sec. ed. Baller. Venet. 1753):

ep. 2. c. 1. (1, 594) Marc. 1, Pelag. II. pp. ep. 2.
ep. 4. init. (1, 612) Dam. de corep.
init. (1, 612) Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 2. (1, 614) Dam. de corep.
c. 2. (1, 615) Eleuth. 6, Dam. de corep. (cf. Ben. III. 52.)
c. 2. (1, 615) Dam. l. c., Ioann. III. pp.
c. 5. (1, 616) Dam. l. c., Ioann. III. pp.
ep. 7. c. 1. (1, 624) Dam. de corep.
c. 1. 2. (1, 624. 625) Anast. I. pp. ep. 1.
c. 2. (1, 625) Fab. 6.
c. 2. (1, 625) aut Ben. III. 54. Soth. 3, Fab. 7, Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3, Anast. I. pp. ep. 1, Silv. ep., Bened. I. pp. ep.
c. 2. (1, 625) Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3.
c. 2 fin. (1, 625) Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3.
ep. 9. pr. (1, 628) Evar. 4.
ep. 10. c. 5. (1, 638) Ann. 1.
ep. 12. c. 1. (1, 658) Leon. ep. de corep.
c. 9. (1, 666) Vigin. 5, Corn. 2, Lib. 3, Greg. M. ad Fel. (Fel. I. pp. 7.)
ep. 14. c. 1. (1, 683) Marcelli 1, Dam. 18, Vigil. 7.
c. 1. (1, 684. 686) Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.
c. 1. (1, 686) Dam. 18. 19, Vigil. 7.
c. 1. (1, 686) Iul. 8.
c. 2. (1, 687) Dam. rescr. ad Aurel.
c. 8. (1, 689) Dion. 3.
c. 11. (1, 690) Iul. 8. 9.
c. 11. (1, 691) Iul. 9.
c. 11 i. f. (1, 691) Clem. 29, Anacl. 33, Melc. 3, Iul. 9, Vigil. 7.
c. 11 i. f. (1, 692) Pii 1, Calist. 1, Sixt. II. pp. 4, Melc. 3, ep. Aegypt. ad Marc., Iul. 9, Fel. IV. pp. ep. 1.
c. 11 i. f. (1, 692) Iul. 9. 11. 17, Vigil. 7.
ep. 15 init. (1, 694) Marcellini 1.
ep. 16 init. (1, 715) Soth. 3, Zeph. 10, Fab. 1, Iul. 11.
i. pr. (1, 716) Dam. de corep., Ioann. III. pp.
c. 1. (1, 716) Iul. 8.
c. 2. (1, 717) Vict. 7.
c. 2. (1, 718) Dam. de corep.
ep. 23. (1, 765) Telesf. 5.
ep. 33. c. 2. (1, 867) Ioann. II. pp.
ep. 43 init. (1, 907) Zeph. 10, Dion. 2, Lib. 1, Bonif. II. pp. ep. 1.
ep. 44 init. (1, 909) Luc. 1.
c. 2. (1, 913) Dam. rescr. ad Aurel.
c. 2. (1, 915) Iul. 7.
fin. (1, 917) Sot. 2.
ep. 60. (1, 982) Sixt. II. pp. 1, Fel. I. pp. 1. 8.
(1, 983) Calist. 6.
ep. 61. (1, 983) Ann. 1, Fel. I. pp. 8.
c. 2. (1, 984) Calist. 6, Sixt. II. pp. 1, Pelag. I. pp. ep. i. f.
ep. 70. (1, 1009) Pelag. I. pp. ep. pr.
(1, 1010. 1011) Steph. 4.
(1, 1011) Dam. de corep.
ep. 71 init. (1, 1012) Euseb. 9.
ep. 80 init. (1, 1038) Steph. 4.
c. 1. (1, 1038) Sot. 3.
c. 2 i. f. c. 3. (1, 1040) Euseb. 10.
ep. 83. c. 2. (1, 1047) Vict. 7, Ioann. III.
ep. 85 init. (1, 1050) Steph. 1, Eutic. 1, Ioann. III.
c. 1. (1, 1050) Steph. 3.
c. 3. (1, 1052) Euseb. 6.
ep. 93 init. (1, 1067) Praef. Ps.-Is. 6, Dam. ad Ital., Ioann. III.
c. 1. (1, 1069) Dam. ad Ital., Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 2. (1, 1071) Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 3. (1, 1071) Praef. Ps.-Is. 6, Evar. 7 (cf. Ben. II. 337).
ep. 104 init. (1, 1143) Eleuth. 1, Sixt. II. pp. 4, Fel. IV. pp. ep. 1.
c. 1. (1, 1145) Marcelli 11.
c. 3. (1, 1149) Vict. 3.
c. 3. (1, 1149) Vict. 3, Eutic. 6, Fel. II. pp. 12. XVII.
ep. 106. c. 1. (1, 1157) Vict. 1, Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 1. (1, 1159) Calist. 1.
c. 1. (1, 1159) Vict. 6, Calist. 5.
ep. 115 init. (1, 1199) Anast. I. pp. ep. 2.
c. 2. (1, 1205) Vict. 6.
ep. 134. c. 1. (1, 1274) Ioann. I. pp. ep. 2 init.
ep. 165. c. 1. (1, 1354) Marcelli 2.
c. 2—6. (1, 1357) Agap. pp. ep.
c. 4—10. (1, 1361) Gai. 5. 6.
(1, 1391) Agap. pp. ep.
ep. 167 init. (1, 1417) Marci 1.
[c. 16. (1, 1427.)] cf. Ben. III. 391. Fel. IV. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.

Libri pontificum:

vit. Anacl. c. 2. Anacl. 18.
vit. Evar. c. 1. Evar. 3. 11.
c. 2. Evar. 1.
vit. Alex. c. 1. Alex. 10. 15. 18.
c. 2. Alex. 9.
vit. Xysti I. c. 1. Sixt. I. pp. 3. 6.
c. 2. Sixt. I. pp. 4.
vit. Telesf. c. 2. Telesf. 1. 2. 3.
vit. Hygin. c. 1. Vigin. 5. 6.
vit. Pii c. 1. Pii 6. 10.
c. 1. Pii 7.
c. 2. Pii 1.
vit. Aniceti c. 1. Ann. 5.
c. 2. Ann. 5.
vit. Sotheri c. 1. Soth. 1. 2. 3.
c. 2. Soth. 3.
vit. Eleuth. c. 1. Eleuth. 6.
c. 2. Eleuth. 1.
vit. Vict. c. 1. Vict. 6. 7.
c. 2. 3. Vict. 1. 2.
vit. Zeph. c. 1. Zeph. 9. 14.
c. 2. Zeph. 14.
vit. Calist. c. 1. Cal. 6. 20, Urb. 11.
c. 2. Cal. 1.
vit. Pont. 2. Pont. 5. 10.
vit. Ant. c. 1. Ant. 8.
vit. Fabian. c. 1. Fab. 7. 24. 30.
c. 2. Fab. 2. 3.
c. 4. Fab. 4.
vit. Corn. c. 1. Corn. 2. 6.
c. 2. Corn. 2.
c. 4. Corn. 1.
vit. Luc. c. 1. Luc. 8.
c. 3. Anacl. 9. 10. Luc. 1.
vit. Steph. c. 1. Steph. 3. 13.
c. 3. Steph. 3.
vit. Xysti II. c. 1. Sixt. II. pp. 3. 8.
vit. Dionys. c. 1. Dion. 1. 5.
c. 2. Dion. 3.
vit. Fel. I. c. 1. Fel. I. pp. 7. 16. 18.
c. 2. Fel. I. pp. 16.
vit. Eutic. c. 1. Eutic. 4. 9.
c. 2. Eutic. 3.
vit. Gai. c. 1. Gai. 7.
c. 2. Gai. 7.
c. 3. Gai. 7.
vit. Marcellini c. 1. Marcellini 1. 4.
vit. Marcelli c. 1. Marcelli 4, 11.
c. 3. Marcelli 5. 7.
vit. Euseb. c. 1. Euseb. 6. 14. 21.
c. 2. Euseb. 1. 20.
vit. Melc. c. 1. Melc. 8.
c. 2. Melc. 8.
vit. Silvestri c. 4—6. Excerpt. Silv. 1. 2.
c. 6. Clem. 31, Marcelli 11, Euseb. 3.
c. 7. 8. Excerpt. Silv. 6—8.
vit. Marci c. 3. ep. Marci.
vit. Iul. c. 1. Iul. 1. 9.
vit. Lib. c. 2. ep. Athan. ad Lib.
vit. Dam. c. 5. Dam. 5.
vit. Siric. c. 2. Excerpt. Silv. 9.
vit. Anast. I. c. 1. Anast. I. pp. ep. 1.
c. 2. l. c. Excerpt. Silv. 10.
vit. Xysti III. c. 1. 2. Sixt. III. pp. ep.
vit. Ioann. I. c. 1. Ioann. I. pp. ep. 1. 2.
c. 1. 2. Ioann. I. pp. ep. 2.
vit. Fel. IV. pp. c. 1. Fel. IV. pp. ep. 1. 2.
vit. Ioann. II. c. 1. Ioann. II. pp. ep.
vit. Agapiti c. 2. Agap. ep. i. f.
c. 3—5. l. c. pr.
vit. Silverii c. 2. Silv. ep. ad Amat. i. f.
c. 6—9. l. c. med.
vit. Vigilii c. 1. Vigil. 7.
vit. Pelag. I. c. 2. Pelag. I. pp. ep. i. f.
vit. Ioann. III. c. 2. 3. Ioann. III. pp. ep. i. f.
vit. Bened. I. pp. c. 1. Bened. I. pp. ep. i. f.

Lulli epistola

ad pontif. max. (int. ep. S. Bonif. ed. Würdtwein no. 112 p. 290.) Clem. 70.

Martini I. pp.

epistolae encyclicae (Mansi 10, 1169 sqq.):

Martinus servus servorum etc. (p. 1170.) Fel. II. pp. 18.
Qualiter in eo proficientes a gloria etc. (p. 1170.) ibid.
Attendite itaque vobis etc. (p. 1178. 1179.) Sixt. I. pp. 4, Lib. 2.
Omne regnum divisum etc. (p. 1179.) Vigin. 5, Corn. 2, Lib. 3, Greg. M. ep. ad Fel.
Nemo ergo vos seducat etc. (p. 1182.) Lib. 2.
Propterea enim venit etc. (l. c.) Lib. 2, Dam. 20.
State ergo dilectissimi etc. (l. c.) Sixt. I. pp. 3, Ant. 4, Lib. 2.
Confidimus autem de vobis etc. (p. 1182. 1183.) Lib. 2, Dam. 20, Pelag. II. pp. ep. 1.
Quia neque mors etc. (p. 1182. 1183.) Sixt. I. pp. 4, Corn. 2, Lib. 2, Dam. 20, Pelag. II. pp. ep. 1.
Sitis autem perfecti in eodem etc. (p. 1183.) Dam. 23.
Sed et nunc fratres commendamus etc. (p. 1183.) Sixt. I. pp. 6, Lib. 2, Dam. 23.

Epistolae ad Amandum episc. Traiect. (Mansi 10, 1183 sqq.)

Quando quidem tantum nos etc. (p. 1184.) Lib. 2, Corn. 1.
Ideoque iterum hortamur etc. (p. 1185.) Lib. 2.
Neque pigeat vos temporales cruciatus etc. (p. 1185.) Corn. 1, Lib. 2.

Ordo Romanus, qualiter agatur concilium provinciale

aut ord. Hispan. (orationes p. 171. 172. 174. 176 in ord. Ps.-Is. de celebr. concil.)[1]

[1] Cf. p. 22. p. LXXVIII.

Petri Ravennensis

epist. ad Eutych. (H. no. 39.) Fel. I. pp. 8.

Philonis Iudaei

fragm. cit. ab Hincmaro in dialogo de statu sanctae ecclesiae. Bened. I. pp. ep.

Poenitentialis Marteniani

[c. 37.] cf. Ben. III. 463. Evar. 2.

Poenitentialis Theodori

lib. II. 4. [§. 11.] cf. Ben. II. 93. Calist. 10.

Procli epistolae ad Domn. Antioch. (M. bibl. vet. patr. Colon. Agripp. 1618. T. V. P. I. p. 538.)

Sic enim odit etc. aut Ben. III. 374. aut c. 19 (bis) Angilr. Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5. — Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1.
Deus ad hoc vestram etc. et Ben. III. 446. Fab. 16.

Prosperi Aquitani sententiae (ed. Par. 1711. p. 543 sqq.):

s. 21. Zeph. 7, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 10, Ioann. I. pp. ep. 1.
s. 23. Zeph. 13, Sixt. II. pp. 7, Pelag. II. pp. ep. 3.
s. 32. Zeph. 10, Fel. I. pp. 5, Pelag. II. pp. ep. 3.
s. 34. Zeph. 8, Pelag. II. pp. ep. 3.
s. 53. Fel. I. pp. 6.
s. 118. Calist. 6.
s. 120. Zeph. 1.
s. 138. Clem. 49.
s. 179. Clem. 50, Calist. 6.
s. 203. Calist. 5.
s. 274. Pelag. II. pp. ep. 3.
s. 365. Pelag. II. pp. ep. 3.

Regulae canonicae e Chrodeg. norma et conc. Aquisgr. etc. consarcinat.

c. 81. (Mansi 14, 343) aut Ben. III. 155. Clem. 57.

Rufini historiae ecclesiasticae

lib. I. c. 2. aut Ben. I. 315. Melc. 11.

Simplicii pp.

epist. ad Zenon. (H. no. 77.) init. Calist. 7.

Siricii pp. epist.

ad Eumer. (H. no. 3.) pr. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19. — pr. Iul. 9.
c. 1. Sixt. II. pp. 1. 4, Fel. IV. pp. ep. 1, Vigil. 7.
c. 1. Dam. de corep.
c. 2. Dam. 18.
c. 7. Fab. 10.
c. 7. Anacl. 40, Fab. 11, damn. Vigil. Symm. syn. VI., Pelag. II. pp. ep. 1.
c. 15. Lib. 3.
ep. ad div. episc. (H. no. 4.) init. Ant. 1.
ep. per div. episc. dir. (H. no. 5.) init. Alex. 1.

Symmachi pp.
epistola

ad Caesar. (H. no. 85.) init. Eutic. 1.

Synodi I.

c. 1. 2. 3. 4 acclam. Symm. syn. VI.
c. 1 acclam. Symm. syn. V.
c. 1 i. f. Symm. syn. V.
c. 1 i. f. Symm. syn. V.
c. 2 acclam. Symm. syn. VI.
c. 4 pr. l. c.
c. 4 acclam. Symm. syn. VI
c. 4 i. f. Symm. syn. V. VI.

Exemplaris constituti de rebus ecclesiasticis

pr. Symm. syn. V. init.
c. 2. init. Symm. syn. VI.
c. 2. aut Ben. I. 403. II. 393. III. 199. 207. Steph. 12.
c. 3. pr. Symm. syn. VI.
[c. 3.] cf. Ben. III. 115. Marcellini 3. (cf. c. 15 [bis] Angilr.)
[c. 3.] cf. c. 2 Angilr. Luc. 5, Euseb. 21, Iul. 5.
c. 3 med. Symm. syn. VI.
c. 7. Symm. syn. VI.
c. 8. Symm. syn. VI.
subscript. Symm. syn. V. VI.

Synodi III.

Sperans ut insidiator etc. Iul. 19, Fel. II. pp. 12. v. cf. Ben. III. 116.
Sperans etc. et Ben. III. 116. Fab. 20.
[Sperans etc.] cf. Ben. III. 116. c. 4 Angilr. (Fel. I. pp. 10.) Marcelli 8.
Et omnia quae — responderet, Zeph. 12, Fel. II. pp. 3, Dam. 7.
Et omnia quae — pristino redderetur, Steph. 6.
Et omnia etc. Evar. 7, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 11, syn. V. Symm., Ioann. I. pp. ep. 1.
Causas de ipsius iudicio etc. Dam. 19.
Causas etc. Zeph. 12, Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.
Non esse ovium etc. Fel. II. pp. 7, Dam. 19.
finis Symm. syn. V.

Turonensis provinciae episcop. epist. ad plebem miss. post syn. II. Turon. a. 567 (Mansi 9, 808).

Quapropter pontificalis etc. Clem. 49.
Ecce oris nostri etc. Clem. 50.
Nos tamen consilium dantes etc. Clem. 85.

Venantii Fortunati expositio symboli apostolici (ed. Angelisuchi Rom. 1786. P.-I. p. 371).

Clem. 21. 22.

Vigilii

ep. ad Profut. (H. no. 96.) init. Gai. 1.
c. 2. Dam. 5.

Xysti Pythagor. sententiae (max. bibl. patr. Colon. Agripp. 1618. Tom. III. p. 64).

[s. 5.] cf. c. 3 Angilr. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.
s. 6. Calist. 4.
[s. 156.] cf. c. 3 Angilr. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.
s. 160. Alex. 18.
s. 162. Pont. 6.
s. 168. 169. Pii 6, Pont. 8, Melc. 5.
s. 174. aut Ben. III. 372. aut c. 11 (bis) Angilr. Calist. 20.
s. 176. Alex. 18, Zeph. 9, Ant. 8, Corn. 6, Melc. 5.
s. 189. Calist. 3.
s. 203. Alex. 18, Calist. 3, Pont. 6, Corn. 6. Melc. 5.
[s. 250.] cf. Ben. III. 373. aut c. 12 (bis) Angilr. Alex. 5.
[s. 250.] cf. Ben. II. 357. aut c. 12 (bis) Angilr. Calist. 3, Steph. 13, Euseb. 17, Sixt. III. pp.
s. 292. Alex. 18, Corn. 6, Luc. 6, Melc. 5.
s. 292 et s. 203. Excerpt. Silv. 8.
s. 328. Calist. 20.

Zachariae pp. epistolae (sec. ed. epist. S. Bonif. ed. Würdtwein)

ad Franc. (no. 50 p. 105.) aut Ben. I. 1. Anacl. 40. 41.
ad Bonif. (no. 52 p. 112.) Clem. 29, Anacl. 28, Dam. de corep.
ad Bonif. (no. 60 p. 147.) Fel. I. pp. 17.
ad univ. ep. (no. 78 p. 220.) Anacl. 17.

Zosimi pp.

epist. ad Hesych. (H. no. 28.) init. Fab. 8, Ioann. I. pp. ep., Pelag. II. pp. ep. 2.
init. Corn. 3, Anast. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
c. 1. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.

Qua tabula inspecta apparet, Pseudo-Isidorum adhibuisse multa, quae inveniuntur in collectionibus 1) Hadriano-Dionysiana, 2) Hispana, 3) Quesnelliana, 4) in Cassiodori historia tripartita, 5) operibus Ennodii, quibus ex rebus etiam res genuinas in collectionem suam excepit, 6) in constituto domni Constantini, 7) epistola secunda Clementis apocrypha, quam etiam integram in sua collectione posuit. Fontibus deinde usus esse videtur 8) capitularium collectione Benedicti Levitae, 9) capitulis quae vocantur Angilramni, 10) epitome Hadriani, 11) libro pontificali, 12) Eusebii historia ecclesiastica, 13) Rufini historia ecclesiastica; conciliis 14) Aquisgranensi a. 816, 15) Aquisgranensi a. 836, 16) Aurelianensi III., 17) Aurelianensi V., 18) actis concilii Chalcedonensis, 19) conciliis Constantinopolitano II. a. 550, 20) Constantinopolitano III. a. 680, 21) Herudfordensi a. 673, 22) concilio Lateranensi a. 649 cum epistolis Martini I. papae ad Amandum et eiusdem epistola encyclica, 23) Meldensi a. 845, 24) Moguntino a. 813, 25) Parisiensi III. a. 557, 26) Parisiensi VI. a. 829, 27) concilio II. Romano sub Silvestro (aut const. Silvestri), 28) Ebbonis Remensis apologia, 29) confessione rectae fidei Iustiniani; epistolis indicatis 30) Iustiniani I. et 31) Iustiniani II.; capitularibus 32) incerti anni (circa 744?), 33) ecclesiasticis a. 789, 34) Vernensi a. 755, 35) capitulari apud Theodonis villam a. 806, 36) constitutionibus Wormat. a. 829, 37) codice Theodosiano, 38) lege Romana Vvisigothorum[1], 39) epitome Aegidii ad eandem et epitome codicis Paris. int. suppl. latina 215 quae

[1] Aut codice Breviarii Alariciani locis codicis Theodosiani in puram formam breviarii non receptis aucto, cum plures constitutiones a Ps.-Isidoro adhibitae tantum in codice Theodos., non in breviar. inveniuntur (cf. tab. sub: cod. Theod. et L. Rom. Visig.): tales manuscriptos auctos circumlatos esse demonstrat Haenel, l. Rom. Visig. p. XIX.

quoque „scintilla“ vocatur ad eandem, 40) lege Vvisigothorum, 41) Ambrosii epistolis, 42) eiusdem libro de dignitate sacerdotii, 43) eidem adscriptis commentariis ad epistolas ad Corinthios, 44) eidem adscripto libro de dign. condit. humanae; 45) Augustini epistolis, eiusdem 46) enchiridio de fide, 47) sermonibus, 48) tractatu in evangel. Iohannis; 49) Caesarii Arelatensis homiliis, 50) Clementis Romani recognitionibus, 51) Cypriani epistolis, 52) eiusdem de habitu virginum, 53) Eusebii Gallicani homiliis; 54) Gregorii M. epistolis, eiusdem 55) homiliis in evangelia, 56) moralibus in Iob, 57) regula pastor.; 58) Hieronymi commentariis ad Titum, 59) eiusdem epistolis; 60) Idacii Clari libro contra Varimadum, 61) Ionae Aurelian. libro de institut. laicali; 62) Isidori Hispalensis allegoriis, eiusdem 63) de differentiis, 64) de officiis, 65) sententiis, 66) synonymis, 67) eiusdem epistola ad Masonem; 68) Prosperi Aquitani et 69) Xysti Pythagoraei sententiis; 70) epistolis Bonifacii Moguntini (inter quas insertae inveniuntur in codicibus epistolae Cangyth abbatissae, Cuthberti, Lulli, Zachariae papae), 71) Gregorii II., 72) Gregorii III., 73) epistolis aliquot Leonis M., quae in collectionibus supra laudatis non inveniuntur (cf. §. 13. no. VI.); 74) epistola Procli ad Domnum Antiochenum, 75) Venantii Fortunati expositione symboli apostolici; poenitentialibus 76) Marteniano et 77) Theodori; 78) regula S. Benedicti, 79) regula canonicorum ab anonymo e Chrodegangi norma etc. consarcinata, 80) excerpto quodam Philonis.

At si perpenderis tot libros Pseudo-Isidorum illo tempore simul in unam bibliothecam congestos habuisse versimile non esse, si addideris quibusdam ex libris unum tantum aut paucos locos eum excerpsisse (velut e concilio Herudford., ex homiliis Caesarii, ex operibus Cypriani etc.) neque credibile esse unius tantum loci adhibendi causa Pseudo-Isidorum libros integros perlegisse: statuendum est, illum non omnibus his ipsis libris, sed excerptis iam ab aliis et aliis in collectionibus factis usum esse. Quod quidem dilucide me demonstrare non posse apparet, nam maximam partem eorum excerptorum non iam extare iure contendere licet; ideoque frustra opera daretur ad tales codices manuscriptos in bibliothecis reconditos reperiendos.

Praesto tamen sunt argumenta non levia ad hanc sententiam confirmandam. Infra probabo, collectionem capitularium Benedictae Levitae fontem decretalium Pseudo-Isidorianarum esse. Cui rei si assentias, iam numerus librorum quos a Pseudo-Isidoro esse adhibitos nobis statuendum erit, aliquanto diminuetur, nam omnes loci qui in decretalibus leguntur ex operibus sub no. 13, 16, 17, 21, 32, 33, 35, 36, 51, 61, 62, 67, 74, 76, 77, 79 citatis etiam in capitularibus Benedicti Levitae aut capitulis Angilramni inveniuntur, ita ut Pseudo-Isidorus his solis collectionibus usus esse possit.

Deinde verisimile videtur, multos locos a Pseudo-Isidoro ex concilio Aquisgranensi a. 816 habito, non ex ipsis libris desumtos esse. Ex sex enim *Hieronymi* epistolis locos et unum tantum ex commentario ad Titum profert: si opera ipsa prae oculis habuisset, certe mirum esset, cur praeter illos septem locos nullum excerpsisset. Attamen omnes leguntur in concilio Aquisgranensi citato. *Cypriani* quoque c. 7 de habitu virginum, quo uno capite suis in decretalibus eum ut fonte usum esse probari potest, etiam in eodem concilio exhibetur, neque minus omnia capita *Gregorii M.* regulae pastoralis et libri *Isidori Hispalensis* de officiis, quae in suis decretalibus reperire licet: item maxima pars locorum ex eiusdem sententiis hausta. Tum etiam id praetereundum non est, quod loci qui in concilio laudato coniuncti ponuntur, etiam apud Pseudo-Isidorum simul proferuntur, velut loci ex epistolis Hieronymi ad Nepotian., ad Paul., ad Rusticum, ad Heliodorum, qui habentur et in c. 94. 95. 97. libri I. concilii et c. 5. 6. 7 Anteri papae, et quod magis sententiam meam confirmat, ex Isidori libro de offic. II. 7. no. 5. 11 i. f., c. 1 comm. Hieronymi ad Titum, Augustini sermone 46 de past., Gregor. M. reg. past. I. 1 eadem excerpta ponuntur in c. 9. 10. 12. 14. libri I. l. c., quae in c. 25 et 26 papae Anacleti.

Quod cum fortuito contigisse nemo contendat, si quidem hac re aperte non demonstratur, saltem ex ea colligere licet, Pseudo-Isidorum non ipsis omnibus fontibus, sed quorundam excerptis usum esse [1].

Verisimile igitur videtur, etiam locos *Ambrosii*, *Augustini*, *Caesarii Arelatensis*, *Eusebii Gallicani*, qui in concilio Aquisgranensi laudati non inveniuntur, ex excerptis quibusdam haustos esse ita ut ex catalogo fontium essent omittendi etiam libri sub numeris 41—49, 53, 57, 58, 59, 64 laudati.

Qui cum fontibus supra memoratis etiam in collectione Benedictae Levitae et Angilramni exhibitis faciunt numerum 30; itaque numeri 80 catalogi ad numerum quadragesimum nonum reducuntur. Num praeter citatas alias quoque sententias ex excerptis quibusdam desumserit Pseudo-Isidorus, neque probare neque statuere possum; sed, cum qua ratione fontibus suis usus fuerit a me indagatum sit, dubitari non licet, eum plerumque non ex ipsis libris hausisse, sed tantum paucos codices excerpta continentes ad decretalia sua confingenda adhibuisse.

Fridericus Knust agens de fontibus Pseudo-Isidori multa affert (p. 18 sqq.) ad demonstrandum, quo modo textum eorum detruncaverit et adulteraverit, enumeratque singulos fontes ex quibus res ad materiam dogmaticam, moralem, iuridicam etc. spectantes excerpserit (cf. p. 20 sqq.). Quae cum iam omnibus nota sint et cum in editione mea suos cuique epistolae fontes apposuerim, hic repetere supervacaneum duxi lectoremque hac de re et ad editionem meam et ad ea quae auctor laudatus scripsit, remittere possum.

Restat tamen ut in hac parte commentationis agam de versione sacrae scripturae a Pseudo-Isidoro adhibita et de cohaerentia decretalium cum capitularium collectione Benedicti Levitae et capitulis Angilramni, cum haec maximi momenti sint ad quaestiones de tempore et patria collectionis Pseudo-Isidorianae instituendas.

§. 16. Cap. II. De versione sacrae scripturae a Pseudo-Isidoro adhibita.

Richter (Kirchenrecht 5. Aufl. p. 82. not. 4) verisimillimum esse putat, Pseudo-Isidorum recensione vulgatae ab Alcuino facta usum esse, dicens: „Eine Frage, welche näherer Untersuchung würdig wäre, ist die, ob nicht der Verfasser die Alcuin'sche Recension der Vulgata benutzt habe. Eine durch Freundeshand angestellte Vergleichung der in dem zweiten Briefe des P. Eutychianus enthaltenen Stellen Ephes. I. 3—23, II. 1—3 mit dem berühmten Alcuin'schen Codex, welcher sich früher im Besitze von v. Speyer-Passavant zu Basel befand und jetzt dem Brit. Museum gehört, scheint die Hoffnung auf ein günstiges Resultat zu begründen."

Econtra Arminius Wasserschleben (in Herzog's Encyclopädie T. XII. p. 348) asserit, recensionem Alcuini a Pseudo-Isidoro adhibitam non fuisse, cum textus Pseudo-Isidori quem cum codice optimo Bambergensi conferendum curavit, a textu et vulgatae et ab Alcuino factae recensionis abhorreat [2].

[1] Similia quaedam Knust (l. c. p. 19) qui tamen hanc rem amplius indagare omisit, profert: „unum denique non praetermittendum duxi, scilicet quod Pseudo-Isidorus in ep. 2 Anacleti (pag. 125. 126 et 130 ed. Blond., c. 22—25. c. 27 ed. meae) et in ep. 2 Evaristi (p. 155 ed. cit., c. 11 ed. meae) ubi ex Isidori Hispal. de offic. l. II. c. 7 et c. 5 et e Gregorii I. Moral. XIX, 14 hausit, non ita omnino locos mutuatos exhibuerit, ut in fontibus leguntur, sed quales in concilio Aquisgran. an. 816 (c. 8, 9. 37, Mansi T. XIV. col. 157—159 et 195) laudatos invenimus. Unde fortasse non sine iure colligere licet, Ps.-Isidorum illas Isidori et Gregorii sententias describentem aut simul conc. Aquisgranense inspexisse aut talibus illorum auctorum libris manuscriptis usum fuisse, quales in Gallia sive Germano-Francia tunc temporis usitati erant." Attamen contra Fridericum Knust id asserendum est, ex textu, ut apud Pseudo-Isidorum et in concilio laudato habetur, nihil colligi posse, nam textus sententiarum in concilio prolatarum magis cum textu operum ipsorum quam cum textu Pseudo-Isidoriano concordat. — [2] Ait enim: „Die von Herrn Dr. Stenglein angestellte Vergleichung von 11 Schriftstellen zeigt, dass zwar die Lesart: ante omnia in Iud. v. 25 bei Anacl. Br. 1 a. E. (c. 17 ed. meae) auch in dem Alcuin'schen Text steht, dagegen die zum Theil sehr eigenthümlichen Abweichungen von der Vul-

Ad quam controversiam dirimendam cum essem Londini ipse plus quam 30 locos codicis (nunc bibl. Musei Brit. no. 10546) ab Aemilio **Richter** laudati, qui est optime manu saec. IX. scriptus multisque picturis ornatus, contuli et ita idem quod **Wasserschleben** intellexi, textum eius magis cum textu vulgatae quam cum Pseudo-Isidoriano convenire. Attamen hac ex re id tantum colligi potest, Pseudo-Isidorum non verbotenus locos scripturae recepisse sed quasdam res in eis mutavisse aut alia recensione vulgatae adhuc incognita usum esse. Quod etiam locis quos nunc subiiciam probabitur, quamquam diiudicari non licet, utrum ipse textum vulgatae aut Alcuini an iam alius ante eum in recensione ab ipso adhibita textum corruperit.

1) I. Ioann. IV. c. 7 sqq.

a) Vulg.	b) Alcuin.	c) Euseb. c. 6.
7. *Charissimi*, *diligamus nos* invicem quia charitas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum.	*Carissimi, diligamus* invicem quia caritas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum.	*Diligamus nos*, *karissimi*, invicem, quoniam caritas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum.
8. Qui non diligit, non novit deum, quoniam deus charitas est.	Qui non diligit, non novit deum, quoniam deus caritas est.	Qui non diligit, non novit deum, quia (alii cod.: quoniam) deus caritas est.
9. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum.	In hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum.	In hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum.
10. In hoc est charitas non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse *prior dilexit* nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.	In hoc est caritas non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam *ipse dilexit* nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.	In hoc est caritas non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse *dilexit nos* et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.
11. Charissimi, *si sic* deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.	Carissimi, *sicut* deus dilexit nos et nos debemus alterutrum diligere.	Karissimi, *si* deus dilexit nos et nos debemus alterutrum diligere.
12. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et charitas eius in nobis perfecta est.	Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est.	Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est.
13. In hoc *cognoscimus*, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.	In hoc *cognoscimus*, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.	In hoc *intellegimus*, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis.
14. Et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi.	Et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi.	Et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi.
15. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo.	Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo.	Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo.
16. Et nos cogno*sc*imus et credidimus charitati, quam habet deus in nobis. Deus charitas est; et qui manet in charitate, in deo manet et deus in eo.	Et nos cogno*v*imus et credimus caritati, quam habet deus in nobis. Deus caritas est et qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo.	Et nos agnovimus (al. cognovimus) et credimus (alii: credidimus) caritati, quam habet deus in nobis. Deus caritas est et qui manet in caritate in deo manet et deus in eo.

gata im 2. Korintherbriefe 2, 6—8 bei Evaristus Br. 2 (c. 11 ed. meae), im Galaterbrief 6, 1 bei Alexander Br. 1 (c. 5 ed. meae) und in den Anführungen aus den Psalmen Ps. 49, 19—22 im Brief des Telesphor (c. 4 ed. meae), Ps. 25, 4—12 (c. 5 ibid.), Ps. 1, 4—6 und 2, 1—4 im Brief des Melchiades (c. 5 l. c.) mit jenem, der Vulgata im Wesentlichen conformen Texte nicht stimmen. Diese Differenz ist eine so bedeutende, dass nach meiner Ueberzeugung an eine Benutzung der Alcuin'schen Recension nicht gedacht werden kann. Der Text der pseudoisidorischen Decretalen bei Merlin und Migne ist zwar überaus unzuverlässig und wimmelt, wie die von mir angestellte vollständige Vergleichung mit der Darmstädter Handschrift gezeigt hat, von Fehlern, allein auch in letzterer ist die Abweichung in der Fassung jener Schriftstellen von der Vulgata, unbedeutende Differenzen abgerechnet, dieselbe, wie im Migne'schen Texte."

2) I. Ioann. V. v. 6 sqq.

a) Vulg.	b) Alcuin.	c) Euseb. l. c.
6. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus, non in *aqua* solum, sed in *aqua* et *sanguine*. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.	Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus non in *aquam* solum sed in *aquam* et *sanguinem*. Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.	Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus non in *aqua* solum sed in *aqua* et *sanguine*. Et spiritus etc.
7. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in caelo: *pater*, *verbum et spiritus sanctus*, *et hi tres unum sunt*.	Quoniam tres sunt qui testimonium dant, *spiritus*, *aqua et sanguis*, *et tres* unum sunt.	Quoniam tres sunt, qui testimonium dant, *spiritus*, *aqua et sanguis*, *et tres* unum sunt.
8. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus et aqua et sanguis; et hi* tres unum sunt.		
9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est, *quoniam hoc est testimonium dei*, *quod maius est*, *quoniam* testificatus est de filio suo.	Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est, *quoniam hoc est testimonium dei quod maius est*, *quia* testificatus est de filio suo.	Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est, *quia* testificatus est de filio suo.
10. Qui credit in fili*um* dei, habet testimonium dei in se: qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimoni*um*, quod testificatus est deus de filio suo.	Qui credit in fili*o* dei, habet testimonium dei in se: qui non credit filio, mendacem facit eum, quoniam non credit in testimoni*o*, quod testificatus est deus de filio suo.	Qui credit in fili*um* dei, habet testimonium dei in se: qui non credit fil*io dei*, mendacem facit eum, quia non credit in testimoni*o* quod testificatus est deus de filio suo.
11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis deus. Et haec vita in filio eius est.	Et hoc testimonium est, quoniam vitam aeternam dedit nobis deus. Et haec vita in filio eius est.	Et hoc testimonium est, quoniam vitam aeternam dedit nobis deus. Et haec vita in filio eius est.
12. Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium, vitam non habet.	Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium, vitam non habet.	Qui habet etc.
. . . .	. . . .	. . . .
16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, *petat et dabitur ei vita* peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.	Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, *petit et dabit ei vitam* peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.	Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, *petat et dabitur ei vita* peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.

Quibus ex textibus tribus inter se comparatis apparet, in versibus ex cap. IV. ep. I. Ioann. prolatis, vulgatam et Alcuinum magis inter se convenire quam cum Pseudo-Isidoro (cf. v. 13) et ad confirmandam sententiam Aemilii Richter tantum v. 10 allegari posse, in quo Alcuinus et Pseudo-Isidorus verbum „*prior*" in vulgata exhibitum omittunt.

Maiore autem iure pro Aemilio Richter v. 7. cap. V. cit. afferri potest; hic enim Pseudo-Isidorus et Alcuinus omnibus in rebus concordant, cum ambo a vulgata multum abhorreant. Attamen aliis in versibus (cf. v. 6. 10. 16) vulgata et Pseudo-Isidorus eadem proferunt et apud Alcuinum diversae lectiones inveniuntur.

Cum etiam aliis ex locis a me comparatis nihil certius statuere mihi licuerit, sufficiet hic tantum tertium locum adiungere, ut lector intelligat, hac in re dubitationem a me propositam non tolli[1]:

3) III Reg. c. VIII. v. 13 sqq.

a) Vulg.	b) Alcuin.	c) Felic. IV. ep. 1.
13. Aedificans aedificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.	Aedificans aedificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.	Edificans, *inquit Salomon:* domino edificavi etc., ut Vulg. et Alc.

[1] Re vera textus Alcuini et vulgatae tam parum a se differunt, ut etiam omnibus locis comparatis nihil certi hac de re statui possit. Cf. Hug, Einleitung in die Schriften des neuen Testamentes. 4. Aufl. T. I. p. 416 sqq.

14. Convertitque rex faciem suam et benedixit omni ecclesiae Israel; omnis enim ecclesia Israel stabat.	Convertitque rex faciem suam et benedixit omni ecclesiae Israel; omnis enim ecclesia Israel stabat.	Convertitque etc., ut Vulg. et Alc.
15. Et ait *Salomon:* Benedictus dominus deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum et in manibus eius perfecit, dicens:	Et *ait: Benedictus* dominus deus Israel qui locutus est ore suo ad David patrem meum et in manibus eius perfecit, dicens:	Et *ait: Benedictus* dominus deus Israel etc., ut Vulg. et Alc. (exceptis:) *manibus meis.*
16. A die qua eduxi populum meum Israel de Aegypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel ut aedificaretur domus et esset nomen meum ibi: sed elegi David, ut esset super populum meum Israel.	A die qua eduxi populum meum Israel de Aegypto non elegi civitatem de universis tribubus Israhel ut aedificaretur domus et esset nomen meum ibi, sed elegi David, ut esset super populum meum Israel.	A die qua eduxi populum meum Israel de Egypto non elegi civitatem de universis tribubus Israhel ut edificaretur domus etc. Vulg. et Alc.
17. Voluitque David pater meus aedificare domum nomini domini dei Israel;	Voluitque David pater meus aedificare domum nomini domini dei Israel;	Voluitque David pater meus edificare etc., ut Vulg. et Alc.
18. et ait dominus ad David patrem meum: quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.	et ait dominus ad David patrem meum: quod cogitasti in corde tuo aedificare domum nomini meo bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.	et ait dominus ad David patrem meum: quod cogitasti in corde tuo edificare etc., ut Vulg. et Alc.
19. Verumtamen tu non *aedificabis mihi domum*, sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis, ipse aedificabit domum nomini meo.	Verumtamen tu non *aedificabis mihi domum*, sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis, ipse aedificabit domum nomini meo.	Verumtamen tu non *edificabis domum*, sed filius etc., ut Vulg. et Alc.
20. Confirmavit dominus sermonem suum, quem locutus est: stetique pro David patre meo et sedi super thronum Israel, sicut locutus est dominus, et aedificavi domum nomini dei Israel.	Confirmavit dominus sermonem suum, quem locutus est: stetique pro David patre meo et sedi super thronum Israel, sicut locutus est dominus, et edificavi domum nomini dei Israhel.	Confirmavit etc., ut Alc.
21. Et constitui ibi locum arcae, in qua *foedus domini est*, quod percussit cum patribus nostris quando egressi sunt de terra Aegypti.	Et constitui ibi locum arcae, in qua *foedus est* domini, quod percussit cum patribus nostris quando egressi sunt de terra Aegypti.	Et constitui ibi locum arche in qua *fedus domini est*, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Egypti.
22. Stetit autem Salomon ante altare domini in conspectu ecclesiae Israel et expandit manus suas in coelum,	Stetit autem Salomon ante altare etc., ut Vulg.	Stetit etc., ut Vulg. et Alc.
23. et ait: domine deus Israel, non est similis tui deus in caelo desuper et super terram deorsum, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo,	et ait: domine deus Israhel etc., ut Vulg.	et ait ut Vulg. et Alc.
24. qui custodisti servo tuo David patri meo, quae locutus es ei: ore locutus es et manibus perfecisti ut haec dies probat.	qui custodisti servo tuo David patri meo, quae etc., ut Vulg.	qui custodisti servo tuo David patri meo, que etc., ut Vulg. et Alc.
25. Nunc igitur, domine deus Israel conserva famulo tuo David patri meo quae locutus es ei, dicens: non auferetur de te vir coram me qui sedeat super thronum Israel, ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo.	Nunc igitur domine deus Israel et conserva famulo tuo David patri meo quae locutus es ei etc., ut Vulg.	Nunc igitur etc., ut Vulg. et Alc.

26. Et nunc, domine deus Israel, firmentur verba tua, quae locutus es servo tuo David, patri meo.	Et nunc etc., ut Vulg.	Et nunc etc., ut Vulg. et Alc.
27. Ergone putandum est, quod vere deus habitet super terram? si enim caelum et caeli caelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi.	Ergone etc., et Vulg.	Ergone etc., ut Vulg. et Alc.
28. Sed respice ad orationem servi tui et ad preces eius, domine deus meus: *audi hymnum* et orationem quam servus tuus orat coram te hodie,	Sed respice ad orationem servi tui et ad preces eius, domine deus meus: *audi hymnum* et orationem etc., ut Vulg.	Sed respice ad orationem servi tui et ad preces eius, domine deus meus: *audi*, *domine*, *hymnum* et orationem etc.
29. ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte *ac* die; super domum de qua dixisti: erit nomen meum ibi; ut exaudias orationem quam orat in loco isto ad te servus tuus.	ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte *et* die, super domum de qua dixisti: erit nomen meum ibi; ut exaudias orationem quam orat *ad te servus tuus in loco isto.*	ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte *et* die, super domum de qua dixisti: erit nomen meum ibi; ut exaudias orationem quam *orat servus tuus in loco isto.*
30. Ut exaudias deprecationem servi tui et *populi tui Israel*, quodcunque oraverint in loco isto, et *exaudies* in *loco* habitaculi tui in caelo, et cum exaudieris propitius eris.	Ut exaudias deprecationem servi tui et *populi Israel*, quodcumque oraverint in loco isto, et *exaudies* in *locum* habitaculi tui in caelo, et cum exaudieris propitius eris.	Ut exaudias deprecationem servi tui et *populi tui Israel*, quodcumque oraverint in loco isto, et *exaudias* in *loco* habitaculi tui in celo, et cum exaudieris propitius eris.

Tantum id pro certo habendum est, Pseudo-Isidorum quibusdam in locis usum esse versione Hieronymi veteris testamenti ex Hebraeo (cf. Hieron. op. ed. Vallasii T. IX.) quos locos in tabula §. 15 inserta appositis verbis: „vers. Hier.“ distinxi. (Cf. p. CXVII.)

§. 17. Cap. III. De collectione capitularium Benedicti Levitae.

De Benedicto Levita qui hodie eiusmodi quaestionibus operam dant in duas fere partes discedunt: alteri ut Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 4), Eichhorn, über die spanische Sammlung (Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft 11, 183), Knust (l. c. p. 11. 15 et in praef. edit. Bened. Levit. Pertz Leg. 2. app. p. 19 sqq.), Stobbe, Geschichte der deutschen Rechtsquellen (Abth. I. p. 237) contendunt, a Benedicto Levita in collectione sua compilanda decretales Pseudo-Isidorianas excerptas easque aut saltem schedulas et materias a Pseudo-Isidoro ad epistolas falsas confingendas collectas a Benedicto adhibitas esse; alteri, Benedictum sub nomine Pseudo-Isidori latere aut fraudis Pseudo-Isidorianae participem fuisse, velut Walter (Kirchenrecht §. 97, II.), aut Benedictum et Pseudo-Isidorum ex iisdem falsis materiis hausisse, velut Goecke, de exceptione spolii p. 57.

Quarum sententiarum equidem probare possum neutram. Etenim omnes qui hac de re scripserunt, parum accurate quo modo collectiones Benedicti et Pseudo-Isidori cohaererent, investigarunt. Mea sententia haec est: Pseudo-Isidorum collectione Benedicti Levitae ut fonte usum esse. Quae his rebus probatur:

I. Benedictus saepe fontes a se adhibitos adulteravit; easdem res quas Benedictus in fontes genuinos interpolavit, Pseudo-Isidorus etiam protulit, sed ipse eos quoque locos, ubi Benedictus cum fontibus convenit, novavit.

Innoc. I. ep. ad Ruf. c. 3. (H. no. 26.)	Ben. III. 260.	Dam. ep. de vana superstitione chorepiscoporum vitanda.
... *cum nos dicamus ab haereticis ordinatos* vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Ubi vulnus	*Sumentes quoque de canonica auctoritate sanctionem affirmabant a chorepiscopis ordinatos* vulneratum *potius quam epi-*	*Quapropter per illam inlicitam manus inpositionem* (scilicet chorepiscoporum) *ut paulo superius praelibavimus*, vulne-

infixum est, medicina est adhibenda *quo* possit recipere sanitatem . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Sed econtra adseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod *ille posset* accipere. *Acquiescimus et verum est: certe* quia quod non habuit dare non potuit.

scopaliter sanctificatum per illam manus inpositionem habere caput. Ubi *autem* vulnus infixum est, medicina est adhibenda, *qua* possit recipere sanitatem . . . . *nec ullum usquam de episcopali ministerio a chorepiscopis* aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod *aliquis horum* accipere *potuit*, quoniam quod non habuit *quis eorum dare non potuit.*

ratum *capud illi qui videbantur aliquid accepisse habebant. Et* ubi vulnus infixum est, *necesse est*, medicinam adhibere *qua infixa sanetur macula, i. e. reiterari necesse est* etc. ... [1] *Nam benedictionem quam praedicti corepiscopi ante suam prohibitionem per manus inpositionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre quam salutem et illi qui pontificatus apicem non habebant* [2], *quomodo ea quae non habebant dare poterant, quoniam* nihil in dante erat, quod ille *possit* accipere, *aut quis hominum, licet more humano loquamur, dare potest quod non habet?*

Benedictus hoc in capitulo Pseudo-Isidorum non exscripsit; quamquam quidem, sicut ille, ea quae Innocentius I. statuit de clericis ab haereticis ordinatis de chorepiscopis profert, tamen Benedictus in omnibus rebus magis cum Innocentii I. verbis quam Pseudo-Isidorus convenit. Cum Pseudo-Isidorus autem eandem epistolam Innocentii ad statuta de chorepiscopis confingenda adhibuerit pluraque quam Benedictus mutaverit, ex capite eiusdem locos citatos epistolae Damasi composuisse videtur.

Dicat forsitan quispiam, utrumque tertio eodemque fonte usum fuisse. Quod facile est ad refellendum. Nam capitulum Benedicti, quod profert, Arnone archiepiscopo ad Leonem III. papam misso chorepiscopos ab eo et postea synodo eiusdem auctoritate in civitate Reginisburc habita prohibitos damnatosque, falsum est, ut iam Knust (de fontibus et consilio Pseudo-Isid. p. 92 et Leg. 2. app. p. 27) et Weizsäcker (der Kampf gegen den Chorepiscopat p. 8. 11), cum hac de synodo nullo alio in fonte aliquid traditum sit, affirmaverunt et perspicue apparet ex eo quod confictum secundum c. 3. Innoc. epist. laud., c. 3 eiusd. epist. ad Victor. Rotom. (H. no. 7), c. 16. epist. 167 Leon. M., c. 27 conc. Paris. a. 829, c. 3 Innoc. epist. ad Rufum cit., c. 16 c. 1 epist. Leon. memor., c. 3 cit. Innoc. ep. ad Rufum cit. et Benedictus decreta, quae a synodo facta esse vult, repetiit et adulteravit ex locis modo allatis.

Titulus capituli apud Benedictum ita profertur: „*de chorepiscoporum superstitione atque damnatione*", epistola *Damasi* autem inscribitur: „*de vana superstitione chorepiscoporum vitanda.*"

Leonis epistolae de chorepiscopis et capituli initium similiter conceptae sunt:

Ben.	Leon. ep.
Omnibus sanctae dei ecclesiae fidelibus et nostris notum esse volumus, quia non parva quaestio de chorepiscoporum superstitione ad nos non solum semel aut bis aut ter venerat, sed saepissime nostris auribus molestiam intulerat. Ipsa enim quaestio non solum inter clericos, sed etiam inter laicos crebrius ventilabatur.	Leo Romane ecclesiae et apostolice sed. episcopus universis Germaniarum atque Galliarum regionum episcopis salutem. Cum in dei nomine in Romana aecclesia synodum episcoporum sive ceterorum consacerdotum Christique fidelium coadunatum habuissemus et de ordinationibus inlicitis super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo perveniret etc.

Pseudo-Isidorum in hoc capitulo a Benedicto exscriptum esse non posse iam ostendi. Itaque cum Damasi epistolae inscriptio ad imaginem tituli Benedicti et initium Leonis epistolae adhibita eiusdem epistola ad Africanos (ed. Ball. 1, 657) secundum idem capituli principium concepta esse videantur, statui non potest, Pseudo-Isidorum et Benedictum ex eodem fonte figmenta sua desumsisse, nam hunc

[1] Paullo superius quam locus primus prolatus. — [2] Cf. Innoc. ep. ad Decent. Eugub. c. 3 (II. no. 6).

fontem iam eadem de synodo Reginoburgensi et de papa Leone III. protulisse quae Benedictus credibile non est, praesertim cum nullum vestigium tertii fontis ex quo Pseudo-Isidorus et Benedictus hauserint, supersit.

Praeterea confirmatur sententia mea his rebus. Si Pseudo-Isidorus Benedictum adhibuit in decretalibus de chorepiscopis compilandis, optime explicatur, cur Leoni I. papae epistolam quae de eadem re est, adfinxerit. Invenit enim nomen Leonis papae (et quidem tertii) apud Benedictum, qua re inductus est, ut ad maiorem auctoritatem et aetatem decretalibus suis vindicandam unam earum Leoni M. adscriberet. Quod Benedictus de synodo Reginoburgensi profert, Pseudo-Isidorus concilio Romano sub Leone M. habito decretum esse dicit. In verbis initio epistolae suae positis: „crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo perveniret“ respexit ad initium laudatum capituli Benedicti et ad ea, quae de legatione Arnonis apud illum affertur. Eodem capitulo etiam commotus esse videtur, ut epistolam Leonis ad episcopos Germaniae et Galliae scriptum fuisse fingeret.

Quae omnia explicari non possent, si Benedictus post Pseudo-Isidorum collectionem suam absolvisset, nam si iam epistolae Damasi et Leonis M. de chorepiscoporum damnatione illo tempore exstitissent, cur opus fuisset, ut Benedictus ad statuta sua confirmanda aliquid de synodo Reginoburgensi et legatione ad papam Leonem III. missa ementiretur? Contra Benedictus quae de damnatione chorepiscoporum profert, Leoni III. et concilio laudato affinxit, quia ad eum a Carolo M. legatio missa fuisse videtur ad inquirendum, quid de presbiteris criminosis statuendum esset, et huius rei ratione habita multa de purgatione sacerdotum et de clericis ad bella proficiscentibus excogitavit (cf. Ben. I. 35. 36. II. 370. III. 142. Weizsäcker l. c. p. 10. 11).

II. Inveniuntur capitula in collectione Benedicti Levitae conflata diversis ex fontibus, a Benedicto iam adulteratis: iidem loci etiam apud Pseudo-Isidorum cum Benedicti et aliis mutationibus magis quam apud Benedictum a fonte differentibus.

a) Tit. c. 11. conc. VI. Tolet. Ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur.	Ben. I. 398. De non iudicando quemquam absque legitimo accusatore. Iudicis non est quemlibet iudicare vel condempnare absque legitimo accusatore, *quoniam et dominus* Iudam *furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.*	Eleuth. 3. ... Nihil tamen absque legitimo *et idoneo* accusatore fiat. *Nam et dominus noster Iesus Christus* Iudam *furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.*
Comm. ad Cor. I. 2 Ambros. adscript. (ed. Ben. T. II. app. p. 127.) ... *quia et dominus* Iudam *cum fur esset*, quia non est accusatus, minime abiecit.	Ben. II. 381. Iudicis non est etc. ut I. 398, mutato tantum: *quoniam et dominus* in: *quia* etc.	Dam. ep. ad Italos. ... *Nam et dominus noster Iesus Christus* Iudam *furem esse sciebat, sed quoniam*[1] *non est presentialiter accusatus, ideo non est eiectus.*

Dubitari non potest, quin Benedictus et Pseudo-Isidorus ad capitula sua laudata conficienda c. 11. conc. VI. Tolet. et commentariis citatis usi sint. Quos hac in re ex tertio quodam fonte, in quo duo illi loci iam coniuncti essent, hausisse verisimile non videtur. Sequitur, ut Pseudo-Isidorus Benedictum, non Benedictus Pseudo-Isidorum adhibuisse debeat. Nam initio capitis Benedicti idem quod titulus concilii Toletani dicit repetitur, Pseudo-Isidorus non solum sententiam ampliavit, proferens nihil sine accusatore legitimo *fieri* debere, dum Benedictus tantum statuit neminem *iudicandum* aut *condemnandum* esse absque legitimo accusatore, sed etiam addidit: „*idoneus.*“ Magis igitur Benedictus cum fonte quam Pseudo-Isidorus congruit.

In fine capituli Benedictus verba fontis „*cum fur esset*“ in *furem esse sciebat*, et verba „*minime abiecit*“ in *ideo non est eiectus* mutavit. Quae omnia Pseudo-

[1] Verba: *sed quoniam* desunt in codice Paris. int. suppl. lat. 840.

Isidorus quoque profert, tamen hic in epistola et Eleutherii et Damasi pro verbis quae apud Benedictum ita ut apud Pseudo-Ambrosium exhibentur „*quia*[1] *et dominus*“ posuit: *nam et dominus noster Iesus Christus*, addiditque apud Damasum in fine verbis „*non est accusatus*“ etiam: *presentialiter*. Huc accedit, quod etiam initio epistolae Damasi similia titulo c. 11. conc. cit. inveniuntur velut: „*relatum est enim ad sedem apostolicam vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore.*“ Quae omnia explicari non possent, si, id quod ceteri contendunt, a Benedicto Pseudo-Isidorus exscriptus esset.

b) C. 32. Concil. III. Aurel.	Ben. III. 145.	Marcellini 3.
Ut sine episcopi licentia nec clericus laicum nec laicus clericum ad saeculare iudicium trahat.	Ut cuiuspiam gradus clericus sine pontificis sui concessu nullum ad iudicium seculare attrahere praesumat.	
Clericus cuiuslibet *gradus sine* pontificis sui permissu nullum ad saeculare iudicium praesumat attrahere *neque laico inconsulto sacerdote clericum in saeculare iudicium liceat exhibere.*	Clericus cuiuslibet *gradus sine* pontificis sui permissu nullum ad seculare iudicium attrahere praesumat *nec laico quemlibet clericum in seculari iudicio liceat accusare*,	. . . clericus *vero* cuiuslibet *ordinis* absque pontificis sui permissu nullum presumat ad seculare iudicium adtrahere *nec laico quemlibet clericum liceat accusare.*
C. 9. i. f. Carth. III.		Marcellini 3 (paullo antea).
. . . cum privatorum christianorum causas apostolus etiam ad *ecclesiam* deferri *atque ibi determinari praecipiat.*	cum privatorum christianorum causas magis apostolus ad *ecclesias* deferri atque *ibidem terminari praecipiat.*	*quecumque ergo contentiones inter cristianos orte fuerint ad ecclesiam deferantur et ab ecclesiasticis viris terminentur.*
		Anacl. 16.
		. . . cum apostolus privatorum christianorum causas *magis* ad *ecclesias* deferri et ibidem *sacerdotali iuditio terminari voluit.*
		Alex. 4.
		. . . cum *magis* apostolus christianorum causas ad *ecclesias deferri et ibidem terminari praecipiat.*

Benedictum et Pseudo-Isidorum inter se cohaerere certum est. In prima autem parte capitis allegati Pseudo-Isidorus Benedictum adhibuit, nam ita ut Benedictus omisit „*inconsulto sacerdote*“, et mutavit verbum „*exhibere*“ in *accusare*, sed posuit pro „*gradus*“ (quod est in concilio Aurel. et in Ben.): *ordinis*, et suppressit „*in saeculari iudicio*“, quod legitur in concilio cit. et apud Ben., qua re sensus ita mutatur, ut statutum Marcellino adfictum multo magis clericis faveat, quam capitulum Benedicti. In secunda autem parte Pseudo-Isidorus tantum sensum eorum, quae a Benedicto fontem verbotenus paene exhibente dicuntur, in epistola Marcellini refert, sed eundem locum ex Benedicto haustum in epistolis Anacleti et Alexandri adhibet, cum in iis ea quae Benedictus mutaverit: 1) *ecclesias*, 2) *ibidem terminari* legantur. Benedictum autem ex c. 3 Marcellini et c. 16 Anacl. aut c. 4 Alex. caput suum compilasse minorem habet probabilitatem, quam Pseudo-Isidorum capitulo Benedicti integro in Marcellini et fine eius in Anacleti et Alexandri epistolis usum esse, praesertim cum apud Anacletum et Alexandrum verbum „*magis*“ neque in conc. Carth. neque apud Benedictum prolatum inseratur et in c. 4 Alexandri verbum „*privatorum*“, quod est in concilio, et apud Bened. omittatur.

c) C. 39 conc. Afric. D. (= c. 6 conc. V. Carth.)	Ben. III. 391.	Felic. IV. pp. ep. 1.
Item placuit *de infantibus, quoties* non inveniuntur certis-	Placuit *ut infantes quando* non inveniuntur certissimi	*De ecclesiarum consecratione quoties dubitatur et nec certa*

[1] Nullius momenti est, quod in Ben. I. 398 legitur: *quoniam*, nam *quia* et *quoniam* in codicibus et in editionibus saepe confunduntur et in c. 381 lib. II. etiam *quia* invenitur.

simi testes *qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur* neque ipsi sunt per aetatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, *ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt.*	testes *qui eos sine dubitatione baptizatos esse testentur*, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo *tempore legitimo* baptizari.	*scriptura nec certi* testes *existunt a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas, nec talis trepidatio faciat deteriorem rationem,*
(Additur in conc. V. Carth., ut in collectione Pseudo-Isidori exhibetur:) „Similiter et de ecclesiis, quotiens super earum consecratione haesitatur, agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.“	Similiter et de ecclesiis *vel altaribus atque consignandis fidelibus quotiens super his dubitatur* agendum est, i. e. ut sine ulla trepidatione consecrentur et *fideles confirmentur,*	
Leon. M. ep. 167 c. 16 (ed. Ball. T. I. p. 1427). *in quibus* quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.	*quoniam* quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.	*quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum.*

Greg. M. ep. ad Felic.

. . . ut quotiens tam de baptismo aliquorum vel confirmatione quam de ecclesiarum consecratione dedicationum in dubium habetur et nec scriptis nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati vel confirmati sive ecclesie consecrate sint, ut baptizentur tales ac confirmentur atque ecclesie canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod certis inditiis ostenditur rite peractum.

Si haec capita inspexeris, non dubitabis, quin ea quoque Pseudo-Isidorus adhibuerit. Composuit Benedictus capitulum suum ex c. 38. conc. Afric. sive c. 6. conc. V. Carth. aucto additamento quodam verisimiliter Hispanae in Gallia adiuncto et c. 16. Leon. M. ep. 167, addens illi quaedam de consignandis fidelibus, quae in fonte citato non leguntur. Pseudo-Isidorus duos locos profert ex duobus capp. citatis compositos, quorum in altero tantum de ecclesiarum consecratione, in altero de iisdem rebus atque in capitulo Benedicti agitur. Attamen cum Benedictus fere in omnibus fontem exscribens in fine figmenta sua de fidelium consecratione addiderit, Pseudo-Isidorus has res ipsi textui inseruit, ceterum locos citatos ad imaginem capituli Benedicti concipiens. Etiam in c. 16. cit. Leon. quaedam mutavit, quae apud Benedictum hic fontem secutum non habentur.

III. Quibusdam in capitulis Benedictus sententiam fontis prorsus adulteravit idemque Pseudo-Isidorus aliis mutationibus factis profert, cuius rei hoc exemplum afferam:

Leg. Visig. II. 1. 9.	Bened. II. 343.	Steph. c. 7.
De remotis alienarum gentium legibus.	Ut alienae gentis homines ad exercitium imbuantur legibus.	
Alienae gentis legibus ad exercitium utilitatis imbui et permittimus et optamus: ad negotiorum vero discussionem et resultamus et prohibemus, quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus haerent.	*Alienae gentis homines* legibus ad exercitium imbui et permittimus et optamus: ad negotionum vero discussionem resultamus et prohibemus; quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus haerent.	*Nullus enim alienigena aut accusator eorum fiat aut iudex.*

IV. Inveniuntur etiam loci apud Pseudo-Isidorum, qui conficti sunt secundum plura capitula Benedicti et in quibus Pseudo-Isidorus non solum textum capitum, sed etiam titulos eorum adhibuit.

C. 64 conc. IV. Tolet. De Iudaeis conversis et post praevaricantibus, ut ad testimonium non admittantur. Non potest erga homines esse fidelis, qui deo exstiterit infidus: *iudaei ergo qui dudum Christiani effecti sunt et nunc in fidem Christi praevaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent, quamvis sese christianos annuntient, quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita et in* testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium qui in fide falsi docentur:* nec eis esse credendum qui veritatis *a se* fidem *abiciunt.*	Ben. III. 176. De his qui *in recta fide suspecti sunt*, in accusationem sacerdotum vel testimonium non suscipiendis. *Ut omnes qui in fide Christi catholica suspecti sunt, in accusatione sacerdotum vel* testimonio humano dubii habeantur *nec recipiantur.* Eiusd. I. 335. Ut omnes qui in fide catholica suspecti sunt in testimonio humano dubii habeantur. *Omnes qui in fide Christi vel catholica suspecti sunt,* in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium, qui in fide falsi docentur,* nec eis esse credendum qui *veritatis fidem ignorant.*	Calist. 17. *Omnes ergo qui in recta fide suspecti sunt in accusatione sacerdotum et eorum super quorum fide non hesitatur, minime recipiantur* et in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *vocem de quorum fide dubitatur* nec eis *omnino* esse credendum, qui *rectam fidem ignorant*[1]. Sixt. I. pp. c. 3. . . . nec eis esse omnino credendum *qui veritatis fidem ignorant nec recte conversationis vitam ducunt.*
		Iul. 12. *.... nec eis omnino est credendum qui veritatis fidem ignorant nec rectae conversationis vitam ducunt.*
L. Visigoth. XII. 2, 10. Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit: quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad testimonium admittendus. Merito ergo *testificari prohibiti sunt Iudaei seu baptizati sive non extiterint baptizati.*	Bened. III. 427. Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit, quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad accusationem vel testimonium admittendus. Merito ergo *accusare et testificare prohibentur qui in recta fide suspecti sunt.*	Fab. 5. ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspectiones (al. suspecti omnes) semper sunt amovendi. Merito ergo eorum *reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt* nec eis omnino esse credendum *qui veritatis fidem ignorant.*

Sensum capitis cit. conc. Tolet. mutavit Benedictus, nam cum in illo de iudaeis in testimonium non recipiendis agatur, Benedictus omnes qui in fide suspecti sunt, a testimonio dicendo et accusatione facienda contra sacerdotes prohibet. Quibus in rebus cum eo Pseudo-Isidorus concordat, sed alia quae Benedictus ita ut in fonte erant profert, novavit. Pro „testimonium" enim dicit: *vocem* (cf. Calist. 17) et pro „qui in fide falsi docentur" posuit: *de quorum fide dubitatur*. Quibus ex rebus iam apparet, Pseudo-Isidorum capitulis Benedicti laudatis ut fontibus usum esse; magis autem hoc confirmatur modo, quo locos citatos composuit. Calisti c. 17 compilavit enim ex c. 176 lib. III. et fine c. 335 lib. I. Verba „*omnes ergo — habeantur*" ad imaginem illius concepta sunt, sed pro verbis „*qui fide Christi vel catholica suspecti sunt*" in textu apud Benedictum prolatis posuit verba: *qui in recta fide suspecti sunt*, quae in tit. c. 176 leguntur. Finem autem c. 17 Calisti et c. 3 Sixt. I. et c. 12 Iul. desumsit ex c. 335, cum in omnibus exhibeantur verba Benedicti: „*qui veritatis fidem ignorant*", non verba concil. Toletani: „*qui veritatis a se fidem abiciunt.*" Verba Fabiani: „ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt", hausit et ex initio textus c. 176 et ex titulo eiusd. (cf. verba: „non suscipiendis"), ultima verba autem: „*qui veritatis*" etc. ex c. 335; interpolavit finem c. 427 allat., quod apud Benedictum magis cum fonte convenit, omisso initio eiusdem etiam in cap. cit. exhibito. Quibus omnibus aperte demonstratur neque

[1] Similia ut a verbis: „nec eis omnino" etc. etiam in c. 3 Angilr. leguntur; attamen cum initium locorum allatorum ibi non afferatur, neque Benedictus neque Calistus ex capitulis Angilramni hauserunt. Nolui hic iam locos Benedicti et Pseudo-Isidori cum iisdem capitulis cohaerentes afferre, ne hac re disquisitio minus plana aut perspicua fieret, disseramque de his in capitulo sequenti.

Pseudo-Isidorum uno eodemque fonte cum Benedicto neque Benedictum Pseudo-Isidoro ut fonte usum esse.

Haec ad meam sententiam comprobandam sufficient, praesertim cum alii loci etiam in capitulo sequenti ubi agam de capitulis Angilramni eorumque nexu cum collectionibus et Benedicti et Pseudo-Isidori afferendi sint et alii in tabula §. 15. indicentur.

Restat tantum ut proferam capitula in quibus Benedictus Pseudo-Isidorum adhibuisse posse videtur.

Allegari possunt haec:

1) Bened. III. 463. De legitimo coniugio. — Evarist. c. 2.[1]

Decretum est, ut uxor legitime viro coniungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi a his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legibus dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum praecibus et oblationibus a sacerdote benedicatur et a paranimfis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis *et* tempore congruo petita legibus detur et solemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino placebunt et filios non spurios sed legitimos atque hereditabiles generabunt.

= Ben. his exceptis: *Similiter custoditum et traditum habemus.*

et deest.

Cum duo capitula prope verbotenus conveniant, diiudicari non potest, utrum alterum altero ut fonte usum sit, sed cum alii loci prolati doceant, Benedictum a Pseudo-Isidoro adhibitum esse, idem etiam hac in re videtur statuendum esse. Tum Benedictus multa capitula ad ius matrimoniale spectantia profert et quamquam ut fontem huius capituli reperirem mihi non contigit, tamen si non haustum est ex concilio quodam Gallico deperdito, potest esse compilatum secundum Ben.[2]

[1] Sec. text. codd. Sang., Bamberg., Darmst., Paris. 3852; in Mut. (cf. ed. meae p. 87) pauca aliter leguntur.

[2] Subiungo capitula et fontes, cum Knust in fontibus Benedicti indicandis non accuratius quam in Pseudo-Isidorianis egerit.

Ben. III. 179. Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat vel quam propinquus suus habuit ducat uxorem; sed dotatam et a parentibus traditam per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult nubere uxorem.	
Sancitum est, ut publicae nuptiae ab his qui nubere cupiunt fiant, quia saepe in nuptiis clam factis gravia peccata tam in sponsis aliorum quam et in propinquis sive adulterinis coniugiis et quod peius et dicere consanguineis accrescunt vel accumulantur.	Cap. Vernen. a. 755 c. 15: Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles quam ignobiles.
Ex his autem procreari solent coeci, claudi, gibbi et lippi sive alii turpibus maculis aspersi. Et hoc ne deinceps fiat, omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus sacerdos, in cuius parrochia nuptiae fieri debent, in ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit an non alterius uxor vel sponsa vel adultera.	Cap. Aquisgr. a. 802 c. 35: ... ut incestis nuptiis et se ipsos et caeteros maculare audeant, coniunctiones facere non praesumat, antequam episcopi et presbiteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant et tunc cum benedictione iungentur.
Et si licita et honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium et benedictionem sacerdotis et consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare et legitime dotare debet.	Poenit. Marten. c. 37:
Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: Talis esse debet quae uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate et dotata legitime et a parentibus tradita sponso et a paranimphis acci-	Augustinus ait: Qualis esse debeat uxor quae habenda est, i. e. si viro casta, si desponsata in virginitate, si dotata legitime et a parentibus tradita et a sponso et a paranymphis eius accipienda. Ita se-

C. 64 conc. IV. Tolet.

De Iudaeis conversis et post praevaricantibus, ut ad testimonium non admittantur.

Non potest erga homines esse fidelis, qui deo exstiterit infidus: *iudaei ergo qui dudum Christiani effecti sunt et nunc in fidem Christi praevaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent, quamvis sese christianos annuntient, quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita et in* testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium qui in fide falsi docentur:* nec eis esse credendum qui veritatis *a se* fidem *abiciunt.*

Ben. III. 176.

De his qui *in recta fide suspecti sunt*, in accusationem sacerdotum vel testimonium non suscipiendis.

Ut omnes qui in fide Christi catholica suspecti sunt, in accusatione sacerdotum vel testimonio humano dubii habeantur *nec recipiantur.*

Eiusd. I. 335.

Ut omnes qui in fide catholica suspecti sunt in testimonio humano dubii habeantur.

Omnes qui in fide Christi vel catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium, qui in fide falsi docentur*, nec eis esse credendum qui *veritatis fidem ignorant.*

Calist. 17.

Omnes ergo qui in recta fide suspecti sunt in accusatione sacerdotum et eorum super quorum fide non hesitatur, minime recipiantur et in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *vocem de quorum fide dubitatur* nec eis *omnino* esse credendum, qui *rectam fidem ignorant*[1].

Sixt. I. pp. c. 3.

. . . nec eis esse omnino credendum *qui veritatis fidem ignorant nec recte conversationis vitam ducunt.*

Iul. 12.

. . . . nec eis omnino est credendum qui veritatis fidem ignorant nec rectae conversationis vitam ducunt.

L. Visigoth. XII. 2, 10.

Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit: quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad testimonium admittendus. Merito ergo *testificari prohibiti sunt Iudaei seu baptizati sive non extiterint baptizati.*

Bened. III. 427.

Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit, quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad accusationem vel testimonium admittendus. Merito ergo *accusare et testificare prohibentur qui in recta fide suspecti sunt.*

Fab. 5.

ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspectiones (al. suspecti omnes) semper sunt amovendi. Merito ergo eorum *reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt* nec eis omnino esse credendum *qui veritatis fidem ignorant.*

Sensum capitis cit. conc. Tolet. mutavit Benedictus, nam cum in illo de iudaeis in testimonium non recipiendis agatur, Benedictus omnes qui in fide suspecti sunt, a testimonio dicendo et accusatione facienda contra sacerdotes prohibet. Quibus in rebus cum eo Pseudo-Isidorus concordat, sed alia quae Benedictus ita ut in fonte erant profert, novavit. Pro „testimonium" enim dicit: *vocem* (cf. Calist. 17) et pro „qui in fide falsi docentur" posuit: *de quorum fide dubitatur.* Quibus ex rebus iam apparet, Pseudo-Isidorum capitulis Benedicti laudatis ut fontibus usum esse; magis autem hoc confirmatur modo, quo locos citatos composuit. Calisti c. 17 compilavit enim ex c. 176 lib. III. et fine c. 335 lib. I. Verba „*omnes ergo — habeantur*" ad imaginem illius concepta sunt, sed pro verbis „*qui fide Christi vel catholica suspecti sunt*" in textu apud Benedictum prolatis posuit verba: *qui in recta fide suspecti sunt*, quae in tit. c. 176 leguntur. Finem autem c. 17 Calisti et c. 3 Sixt. I. et c. 12 Iul. desumsit ex c. 335, cum in omnibus exhibeantur verba Benedicti: „*qui veritatis fidem ignorant*", non verba concil. Toletani: „*qui veritatis a se fidem abiciunt.*" Verba Fabiani: „ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt", hausit et ex initio textus c. 176 et ex titulo eiusd. (cf. verba: „non suscipiendis"), ultima verba autem: „*qui veritatis*" etc. ex c. 335; interpolavit finem c. 427 allat., quod apud Benedictum magis cum fonte convenit, omisso initio eiusdem etiam in cap. cit. exhibito. Quibus omnibus aperte demonstratur neque

[1] Similia ut a verbis: „nec eis omnino" etc. etiam in c. 3 Angilr. leguntur; attamen cum initium locorum allatorum ibi non afferatur, neque Benedictus neque Calistus ex capitulis Angilramni hauserunt. Nolui hic iam locos Benedicti et Pseudo-Isidori cum iisdem capitulis cohaerentes afferre, ne hac re disquisitio minus plana aut perspicua fieret, disseramque de his in capitulo sequenti.

Pseudo-Isidorum uno eodemque fonte cum Benedicto neque Benedictum Pseudo-Isidoro ut fonte usum esse.

Haec ad meam sententiam comprobandam sufficient, praesertim cum alii loci etiam in capitulo sequenti ubi agam de capitulis Angilramni eorumque nexu cum collectionibus et Benedicti et Pseudo-Isidori afferendi sint et alii in tabula §. 15. indicentur.

Restat tantum ut proferam capitula in quibus Benedictus Pseudo-Isidorum adhibuisse posse videtur.

Allegari possunt haec:

1) Bened. III. 463. De legitimo coniugio.

Decretum est, ut uxor legitime viro coniungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi a his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legibus dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum praecibus et oblationibus a sacerdote benedicatur et a paranimfis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis *et* tempore congruo petita legibus detur et solemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino placebunt et filios non spurios sed legitimos atque hereditabiles generabunt.

Evarist. c. 2.[1] = Ben. his exceptis: *Similiter custoditum et traditum habemus.* — *et* deest.

Cum duo capitula prope verbotenus conveniant, diiudicari non potest, utrum alterum altero ut fonte usum sit, sed cum alii loci prolati doceant, Benedictum a Pseudo-Isidoro adhibitum esse, idem etiam hac in re videtur statuendum esse. Tum Benedictus multa capitula ad ius matrimoniale spectantia profert et quamquam ut fontem huius capituli reperirem mihi non contigit, tamen si non haustum est ex concilio quodam Gallico deperdito, potest esse compilatum secundum Ben.[2]

[1] Sec. text. codd. Sang., Bamberg., Darmst., Paris. 3852; in Mut. (cf. ed. meae p. 87) pauca aliter leguntur.

[2] Subiungo capitula et fontes, cum Knust in fontibus Benedicti indicandis non accuratius quam in Pseudo-Isidorianis egerit.

Ben. III. 179. Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat vel quam propinquus suus habuit ducat uxorem; sed dotatam et a parentibus traditam per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult nubere uxorem.	
Sancitum est, ut publicae nuptiae ab his qui nubere cupiunt fiant, quia saepe in nuptiis clam factis gravia peccata tam in sponsis aliorum quam et in propinquis sive adulterinis coniugiis et quod peius et dicere consanguineis accrescunt vel accumulantur.	Cap. Vernen. a. 755 c. 15: Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles quam ignobiles.
Ex his autem procreari solent coeci, claudi, gibbi et lippi sive alii turpibus maculis aspersi. Et hoc ne deinceps fiat, omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus sacerdos, in cuius parrochia nuptiae fieri debent, in ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit an non alterius uxor vel sponsa vel adultera.	Cap. Aquisgr. a. 802 c. 35: ... ut incestis nuptiis et se ipsos et caeteros maculare audeant, coniunctiones facere non praesumat, antequam episcopi et presbiteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant et tunc cum benedictione iungentur.
Et si licita et honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium et benedictionem sacerdotis et consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare et legitime dotare debet.	Poenit. Marten. c. 37:
Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: Talis esse debet quae uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate et dotata legitime et a parentibus tradita sponso et a paranimphis acci-	Augustinus ait: Qualis esse debeat uxor quae habenda est, i. e. si viro casta, si desponsata in virginitate, si dotata legitime et a parentibus tradita et a sponso et a paranymphis eius accipienda. Ita se-

C. 64 conc. IV. Tolet.
De Iudaeis conversis et post praevaricantibus, ut ad testimonium non admittantur.

Non potest erga homines esse fidelis, qui deo exstiterit infidus: *iudaei ergo qui dudum Christiani effecti sunt et nunc in fidem Christi praevaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent, quamvis sese christianos annuntient, quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita et in* testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium qui in fide falsi docentur:* nec eis esse credendum qui veritatis *a se* fidem *abiciunt.*

Ben. III. 176.
De his qui *in recta fide suspecti sunt*, in accusationem sacerdotum vel testimonium non suscipiendis.

Ut omnes qui in fide Christi catholica suspecti sunt, in accusatione sacerdotum vel testimonio humano dubii habeantur *nec recipiantur.*

Eiusd. I. 335.
Ut omnes qui in fide catholica suspecti sunt in testimonio humano dubii habeantur. *Omnes qui in fide Christi vel catholica suspecti sunt,* in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *testimonium, qui in fide falsi docentur,* nec eis esse credendum qui *veritatis fidem ignorant.*

Calist. 17.
Omnes ergo qui in recta fide suspecti sunt in accusatione sacerdotum et eorum super quorum fide non hesitatur, minime recipiantur et in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum *vocem de quorum fide dubitatur* nec eis *omnino* esse credendum, qui *rectam fidem ignorant* [1].

Sixt. I. pp. c. 3.
. . . nec eis esse omnino credendum *qui veritatis fidem ignorant nec recte conversationis vitam ducunt.*

Iul. 12.
. . . . *nec eis omnino est credendum qui veritatis fidem ignorant nec rectae conversationis vitam ducunt.*

L. Visigoth. XII. 2, 10.
Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit: quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad testimonium admittendus. Merito ergo *testificari prohibiti sunt Iudaei seu baptizati sive non extiterint baptizati.*

Bened. III. 427.
Si coram hominibus repertum mendacium et infamem facit et dampnis affligit, quanto magis in divina fallax fide praeventus non erit penitus ad accusationem vel testimonium admittendus. Merito ergo *accusare et testificare prohibentur qui in recta fide suspecti sunt.*

Fab. 5.
ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspectiones (al. suspecti omnes) semper sunt amovendi. Merito ergo eorum *reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt* nec eis omnino esse credendum *qui veritatis fidem ignorant.*

Sensum capitis cit. conc. Tolet. mutavit Benedictus, nam cum in illo de iudaeis in testimonium non recipiendis agatur, Benedictus omnes qui in fide suspecti sunt, a testimonio dicendo et accusatione facienda contra sacerdotes prohibet. Quibus in rebus cum eo Pseudo-Isidorus concordat, sed alia quae Benedictus ita ut in fonte erant profert, novavit. Pro „testimonium" enim dicit: *vocem* (cf. Calist. 17) et pro „qui in fide falsi docentur" posuit: *de quorum fide dubitatur.* Quibus ex rebus iam apparet, Pseudo-Isidorum capitulis Benedicti laudatis ut fontibus usum esse; magis autem hoc confirmatur modo, quo locos citatos composuit. Calisti c. 17 compilavit enim ex c. 176 lib. III. et fine c. 335 lib. I. Verba „*omnes ergo — habeantur*" ad imaginem illius concepta sunt, sed pro verbis „*qui fide Christi vel catholica suspecti sunt*" in textu apud Benedictum prolatis posuit verba: *qui in recta fide suspecti sunt*, quae in tit. c. 176 leguntur. Finem autem c. 17 Calisti et c. 3 Sixt. I. et c. 12 Iul. desumsit ex c. 335, cum in omnibus exhibeantur verba Benedicti: „*qui veritatis fidem ignorant*", non verba concil. Toletani: „*qui veritatis a se fidem abiciunt.*" Verba Fabiani: „ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt", hausit et ex initio textus c. 176 et ex titulo eiusd. (cf. verba: „non suscipiendis"), ultima verba autem: „*qui veritatis*" etc. ex c. 335; interpolavit finem c. 427 allat., quod apud Benedictum magis cum fonte convenit, omisso initio eiusdem etiam in cap. cit. exhibito. Quibus omnibus aperte demonstratur neque

[1] Similia ut a verbis: „nec eis omnino" etc. etiam in c. 3 Angilr. leguntur; attamen cum initium locorum allatorum ibi non afferatur, neque Benedictus neque Calistus ex capitulis Angilramni hauserunt. Nolui hic iam locos Benedicti et Pseudo-Isidori cum iisdem capitulis cohaerentes afferre, ne hac re disquisitio minus plana aut perspicua fieret, disseramque de his in capitulo sequenti.

Pseudo-Isidorum uno eodemque fonte cum Benedicto neque Benedictum Pseudo-Isidoro ut fonte usum esse.

Haec ad meam sententiam comprobandam sufficient, praesertim cum alii loci etiam in capitulo sequenti ubi agam de capitulis Angilramni eorumque nexu cum collectionibus et Benedicti et Pseudo-Isidori afferendi sint et alii in tabula §. 15. indicentur.

Restat tantum ut proferam capitula in quibus Benedictus Pseudo-Isidorum adhibuisse posse videtur.

Allegari possunt haec:

1) Bened. III. 463. De legitimo coniugio.	Evarist. c. 2.[1]
Decretum est, ut uxor legitime viro coniungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi a his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus propinquioribus sponsetur et legibus dotetur et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum praecibus et oblationibus a sacerdote benedicatur et a paranimfis, ut consuetudo docet, custodita et sociata a proximis *et* tempore congruo petita legibus detur et solemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino placebunt et filios non spurios sed legitimos atque hereditabiles generabunt.	= Ben. his exceptis: *Similiter custoditum et traditum habemus.* *et* deest.

Cum duo capitula prope verbotenus conveniant, diiudicari non potest, utrum alterum altero ut fonte usum sit, sed cum alii loci prolati doceant, Benedictum a Pseudo-Isidoro adhibitum esse, idem etiam hac in re videtur statuendum esse. Tum Benedictus multa capitula ad ius matrimoniale spectantia profert et quamquam ut fontem huius capituli reperirem mihi non contigit, tamen si non haustum est ex concilio quodam Gallico deperdito, potest esse compilatum secundum Ben.[2]

[1] Sec. text. codd. Sang., Bamberg., Darmst., Paris. 3852; in Mut. (cf. ed. meae p. 87) pauca aliter leguntur.

[2] Subiungo capitula et fontes, cum Knust in fontibus Benedicti indicandis non accuratius quam in Pseudo-Isidorianis egerit.

Ben. III. 179. Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat vel quam propinquus suus habuit ducat uxorem; sed dotatam et a parentibus traditam per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult nubere uxorem.	
Sancitum est, ut publicae nuptiae ab his qui nubere cupiunt fiant, quia saepe in nuptiis clam factis gravia peccata tam in sponsis aliorum quam et in propinquis sive adulterinis coniugiis et quod peius et dicere consanguineis accrescunt vel accumulantur.	Cap. Vernen. a. 755 c. 15: Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles quam ignobiles.
Ex his autem procreari solent coeci, claudi, gibbi et lippi sive alii turpibus maculis aspersi. Et hoc ne deinceps fiat, omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus sacerdos, in cuius parrochia nuptiae fieri debent, in ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit an non alterius uxor vel sponsa vel adultera.	Cap. Aquisgr. a. 802 c. 35: ... ut incestis nuptiis et se ipsos et caeteros maculare audeant, coniunctiones facere non praesumat, antequam episcopi et presbiteri cum senioribus populi consanguinitatem coniungentium diligenter exquirant et tunc cum benedictione iungentur.
Et si licita et honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium et benedictionem sacerdotis et consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare et legitime dotare debet.	Poenit. Marten. c. 37:
Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: Talis esse debet quae uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate et dotata legitime et a parentibus tradita sponso et a paranimphis acci-	Augustinus ait: Qualis esse debeat uxor quae habenda est, i. e. si viro casta, si desponsata in virginitate, si dotata legitime et a parentibus tradita et a sponso et a paranymphis eius accipienda. Ita se-

III. 179 et c. 13. concilii IV. Carthaginiensis et Ionae Aurelianensis de institutione laicali II.[1]

2) Ben. III. 462.

Episcopum vero oportet oportune et inportune atque sine intermissione ecclesiam suam docere eamque prudenter regere et *admonere* ut a vitiis se abstineat et salutem consequi possit aeternam. Et illa cum tanta reverentia eius doctrinam debet suscipere eumque amare et diligere ut legatum dei et praeconem veritatis, quia testante veritate, *quaecumque* ligaverit super terram *erunt ligata* et in coelo, et *quaecumque* solverit super terram *erunt soluta* et in coelo. Nimis timenda *est haec* sententia et *providendum* vobis, ne offendatis eos qui tantam a domino habent potestatem. Et ideo potius oboediendi, diligendi et summopere sunt venerandi, non detrahendi vel lacerandi

Evarist. 5. 6. = Ben. his exceptis: *amare* ... *quodcumque* ... *erit ligatum* ... *quodcumque* ... *erit solutum* ... *est fratres haec* ... *praevidendum* ...

Clement. ep. I. c. 4. Idcirco tu quidem ad hoc solum vacato, ut opportune et sine intermissione doceas verbum dei, per quod salutem consequi possint. Illi vero cum tanta reverentia tua verba suscipiant, ut sciant legatum te et praeconem esse veritatis et quodcumque super terram ligaveris esset ligatum et in coelo, et quodcumque solveris etiam ibi esset solvendum.

---

pienda. Et ita secundum legem et evangelium publicis nuptiis honestata in coniugio licite sumenda; et omnibus diebus vitae suae nisi ex consensu et causa vacandi deum numquam propter hominem separanda. Et si fornicata fuerit et vir eius voluerit, dimittenda: sed illa vivente altera non ducenda, quia adulteri regnum dei non possidebunt; et poenitentia illi accipienda. Nolite vos viri habere uxores, quarum priores mariti vivant: adulterina enim sunt ista coniugia.

cundum legem et evangelium publicis nuptiis honesta in coniugium legitime sumenda est et omnibus diebus vitae suae, nisi ex consensu et causa vacandi deo numquam a viro suo separanda est, excepta fornicationis causa. Si enim fornicata fuerit, relinquenda est, sed illa vivente altera non ducenda est, quia adulteri regnum dei non possidebunt.

Et hoc ut diximus omnino providendum est, ne eius sit propinqua quia scriptum est (Levit. XVIII. 6): Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius. Similiter scriptum est (Levit. XVIII. 20): Cum uxore proximi tui non coibis nec seminis eius commixtione maculaberis.

Et in decretalibus papae Gregorii legitur: Si quis diaconam aut monacham aut commatrem spiritalem aut fratris uxorem aut neptem aut novercam aut nurum suam aut consobrinam aut de propria cognatione vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: anathema sit. Item, si quis viduam rapuerit vel furatus fuerit in uxorem vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: anathema sit. Si quis virginem, nisi desponsaverit eam, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: anathema sit.

Concil. Rom. sub Greg. II. a. 721 (D.) c. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11.

Et alibi in canonibus scriptum est, ut nemo usque ad affinitatis lineam ex propinquitate sui sanguinis connubia ducat neque virginibus sive benedictione sacerdotis quis nubere praesumat: oppido enim ista omnia cavenda sunt ne fiant. Sed postquam ista omnia probata fuerint et nihil impedierit, tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in sacramentario continetur et cum consilio multorum bonorum hominum et non occulte ducenda est uxor; ut boni ex eis filii domino miserante procreentur, et non tales, sicut superius dictum est.

Tolet. II. 5. Nam et haec salubriter praecavenda sancimus ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usque quo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari...

Carth. IV. c. 13. Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

[1] ... „Unde etiam damnanda consuetudo inolevit, ut perraro sponsus et sponsa in missarum celebratione secundum praemissum ordinem benedicantur; nam et filii qui ex tali concubitu generati sunt, licet uterque parens liberae conditionis, in hereditate tamen cum fratribus ex legitimo matrimonio natis quod dolendum est, minime iuxta mundanae legis censuram succedere valent."

aut eiciendi, sed portandi et amandi. ipso dicente domino: qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Ideo haec vobis et omnibus fidelibus *praecipimus* ut ab his vos caveatis et posteris vestris non malum sed bonum exemplum relinquatis, quoniam iniuria episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur.

scribimus fratres

Sequitur hic c. 7 Evaristi: audivimus et quosdam a vobis infamatos et dilaceratos episcopos etc.

	Evarist. c. 8.[1]	Clem. ep. cit. c. 11.
Unde et vos qui veri dei estis discipuli abicite a cordibus ante omnia discordias et animorum dissensiones ex quibus omne opus malum procedit et benignitatem ac simplicitatem tota mente servate. Veruntamen scitote cuncti quod supra omnes vos laboret episcopus, quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero et suum et singulorum. Et ideo sicut ille pro vobis omnibus, ita et vos omnes pro eo summopere laborare debetis, in tantum ut si etiam necesse fuerit, animas vestras pro eo ponatis; sicut et ipse animam suam pro vobis, si necesse fuerit, ponere debet, ipso dicente salvatore: bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Vos vero oboedite eis et vigilate pro eis; quia ipsi *vigilant* quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.	Unde et vos qui veri dei estis discipuli, abicite a cordibus vestris ante omnia discordias et animorum dissensiones ex quibus omne opus malum procedit, et benignitatem ac simplicitatem tota mente servate etc. exceptis: *pervigilant.*	Unde et vos qui estis veri prophetae discipuli, abicite a cordibus vestris etc. ut Ben. c. 151 l. c. Verumtamen ... suum et singulorum, ut Ben.

Initium et finis capituli Benedicti secundum epistolam cit. Clementis concepta sunt, attamen hac ex re non consequitur, Pseudo-Isidorum a Benedicto adhibitum esse. Ex diversitate lectionum Benedicti et Pseudo-Isidori nihil deduci licet, nam fere verbotenus conveniunt, immo pro mea sententia id facere mihi videtur, quod apud Pseudo-Isidorum quaedam alia medium in capitulum Benedicti inseruntur.

3) Syn. III. sub Symm. (D.)	Ben. III. 116. De episcopis eiectis vel suis rebus expoliatis ut ante non accusentur, quam legibus pleniter restituantur.	Iul. 19.	Felic. II. pp. 12 V.
...*sperans* (sc. Symm.) *ut visitator qui contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas maiorum a parte cleri vel aliquibus laicis postulatus*, *ex* ordinatione *antistitum sicut decebat sanctum propositum*, prima fronte *cederet* et omnia quae per suggestiones *inimicorum suorum* amiserat, potestati eius ab honorabili concilio *redderentur* et *tanti loci* praesul *legaliter* prius statui pristino *redderetur et* tunc *veniret* ad causam et si *ita recte videretur* accusantium propositionibus responderet.	*Si quis episcopus suis fuerit rebus expoliatus et accusatione pulsatus* ordinatione *pontificum* oportet prima fronte *cedere ut* omnia quae per suggestiones *inimicorum* amiserat, *legaliter* potestati eius ab honorabili concilio *redintegrentur* et praesul prius statui pristino *reddatur; ipseque demum potestative non subito sed diu dispositis ordinatisque suis* tunc *ad tempus veniat* ad causam et *si iuste videtur*, accusantium propositionibus respondeat.	*Et apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus et in accusatione pulsatus* ordinatione *pontificum* oportet *et decet sanctum propositum* prima fronte *certare vel cedere ut* omnia quae per suggestiones *inimicorum* amiserat, *legaliter primo* potestati eius ab honorabili concilio *reintegrentur* et praesul *regulariter* prius statui pristino *reddatur et ipse dispositis ordinatisque suis* tunc *ad tempus veniat* ad causam et si *ita iuste videtur*, accusantium propositionibus respondeat.	*Si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus aut a sua aecclaesia vi aut terrore expulsus quod omni christiano nomini est inimicum*, oportet *et decet episcoporum propositum semper* prima fronte *vel cedere ut* omnia *que ei ablata sunt* potestati eius *legaliter* reddantur et presul prius *restituatur* et *postea non statim sed diu et per spatiosa tempora suis potestative dispositis et ad suam necessitatem preparatis ad tempus veniat ad causam et si iuste visum fuerit, accusatoribus respondeat suis.*

[1] Text. sec. codd. Sang., Bamberg., Darmst., Par. 3852; de Mutin. cf. edit. p. 91.

His allatis non solum Pseudo-Isidorum et Benedictum cohaerere apparet, sed etiam Pseudo-Iulium et Ps.-Fel. secundum Benedictum conceptos esse; exoritur tamen dubitatio ex eo quod apud Iul. „*et decet sanctum propositum*“ et apud Felic. „*et decet episcoporum propositum*“ legitur, haec autem verba non ex Bened., sed ex fonte genuino hausta esse videntur. Attamen Pseudo-Isidorum a Benedicto exscriptum esse hac ex re colligi non potest. Pseudo-Isidorus enim locos ita ampliatos et mutatos exhibet, ut a Benedicto eos adhibitos et ex ambobus unum factum verisimile non sit. Initium enim capituli debuisset desumere ex c. 19 Iul., item verba „*quae per suggestiones*“ etc., finem autem partim ex Fel. II. (cf. verba „*non statim*“ etc.) partim ex Iul. (cf. verba „*accusantium propositionibus respondeat*“).

Maiore iure dicitur, Pseudo-Isidorum etiam hic Benedicto usum esse, simul autem fontem genuinum (syn. III. Symm.) ante oculos habuisse, illam enim non solum integram in collectionem suam recepit, sed etiam quosdam locos eiusdem profert, quos Benedictus non adhibuit (cf. Dam. 19, Fel. II. pp. 7. 18, Pelag. II. pp. ep. 3, Zeph. 12).

4) C. 5 conc. XI. Tol.

Nullis vita praesulum *perturbari debet* excessibus motionum, quia valde indignum est, ut qui thronus (al. codd. throni) dei vocantur, *levi* motione turbentur.

Ben. II. 104. Ne episcoporum vel reliquorum clericorum vita turbetur.

Nullis vita praesulum *turbetur* excessibus, quia valde indignum est, ut qui throni dei vocantur *aliqua* motione turbentur *aut inique tractentur* ....

Ben. II. 357.

.... quia indignum est, ut qui throni dei vocantur, *aliqua* motione turbentur.

Ben. III. 156.

.... *quoniam inconveniens est*, ut *hi* qui throni dei vocantur *et immobiles esse debent*, *pravorum accusationibus moveantur vel perturbentur.*

Greg. M. ep. ad Felic.

Ceterum super vexatione episcoporum de qua nos consulere voluistis scimus quia nullis vita praesulum *perturbari debeat* excessibus, quia valde indignum est, ut *hi* qui throni dei vocantur, *aliqua* motione *a reliquis vel subditis* turbentur.

Steph. 12.

Troni *enim dei* vocantur, *ideo* non *debent moveri aut affligi vel perturbari.*

Fel. II. pp. 12. XVIII.

nec *illi* qui throni dei vocantur *pravorum hominum insidiis debent turbari.*

Silvestri excerpt. 8.

quia episcopi qui throni dei vocantur non sunt *lacerandi, sed magis portandi ac venerandi.*

A Benedicto Pseudo-Isidorum adhibitum esse colligi posset ex eo quod apud Gregorium verba „*perturbari debeat*“ habentur, quae in c. 5 cit. conc. Tolet., sed non apud Bened. leguntur. Attamen hac re sola a Benedicto Pseudo-Isidorum exscriptum esse non probatur, neque enim eo auctoritas locorum antea (I—IV.) allatorum tollitur, et cum „*turbare*“ et „*perturbare*“ facile confundantur et facile quis pro „*turbetur*“ dicat „*perturbari debeat*“, illa mutatio apud Pseudo-Isidorum etiam fortuito, non ratione fontis genuini habita facta esse potest, praesertim cum omnes loci Benedicti ita concepti sint, ut in ceteris magis quam Pseudo-Isidoriani cum fontibus genuinis conveniant, neque ullus locus Pseudo-Isidorianus monstrari possit, secundum quem Benedictus capitula sua confinxerit.

5) Ben. II. 402. Ne in praedicatores ecclesiae detractiones seu vituperationes fiant, quod canonica scriptura damnat.

Quod omnibus fidelibus *omnibusque ordinibus* summopere cavendum *sit*, ne clanculo aut publice unctum domini detractionibus et vituperationi-

Greg. M. ep. ad Felic.

Unde summopere cavendum *est* omnibus fidelibus ne clanculo aut publice *episcopum suum*, *i. e.* unctum domini detractionibus et vitupe-

[1] Isidori Hisp. ep. ad Masconam (ed. Arev. T. VI. 565) no. 10.

Nam legitur quod Maria soror Moysi prophetissa dum obtrectationis adversus Moysem incurrisset delictum, illico stigmate leprae perfusa est.

[1] Ad quos locos citatos capit. Bened. et Pseudo-Is. concepta esse videntur, cum alios fontes reperire mihi non licuerit.

bus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariae quae eo quod Moysi famulo domini propter Aethiopissam detraxit, inmunditia leprae multata sit. Et illud psalmistae: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. Et *dominus per Moysen ait:* Diis non detrahes et principi populi tui non maledices.	rationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariae, *quia pro eo* quod Moysi famulo domini propter Ethiopissam detraxit, inmundicia lepre multata sit. Et illud psalmiste: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. Et *in lege legitur divina:* Diis non detrahes et principi populi tui non maledices.	Isidori Hisp. alleg. sacr. script. no. 61, 62 (ed. cit. T. V. p. 127): Maria soror Moysi synagogae speciem praetulit quae leprosa propter detractionem et murmurationem contra Christum extitit. Uxor Moysi Aethiopissa figuravit ecclesiam ex gentibus Christo coniunctam. Numer. XII. 1. 8. 10.
	[Quae sequuntur apud Greg. ante, non post locum allatum uti apud Bened. exhibentur.]	Greg. M. reg. past. P. III. c. 4 (ed. Ben. T. II. p. 39):
Et si David iustissimus in Saul quem constabat iam a domino reprobatum et abiectum esse, manum mittere non praesumpsit, *multo* magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis sive indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum domini *et* praedicatores sanctae *dei* ecclesiae.	*Quoniam* si David *regum* iustissimus in Saul quem constabat iam a domino reprobatum et abiectum esse, manum mittere non praesumpsit, *quanto* magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis sive indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum domini *vel in* praedicatores sanctae aecclesiae, quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet cuius vice in aecclesia legatione funguntur.	... cumque eum (scil. Daviden) viri sui ad feriendum Saul accenderent fregit eos responsionibus quia manum mittere in christum domini non deberet .... Quid enim per Saul nisi mali rectores, quid per David nisi boni subditi designantur ... Quem tamen David ferire metuit, quia piae subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes praepositorum vitam nullo linguae gladio percutiunt, etiam cum de inperfectione reprehendunt.

Ben. III. 331. De detractione principum ac maiorum natu ab omnibus cavenda.

Quod omnibus fidelibus *omnibusque ordinibus* summopere cavendum sit, ne clanculo aut publice unctum domini detractionibus et vituperationibus dilanient perpendentes illud exemplum Mariae *quae pro eo* quod Moysi famulo domini propter Aethiopissam detraxit, inmunditia leprae multata sit. Et illud psalmistae: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari.

Capitula Benedicti et Pseudo-Isidorus prope verbotenus conveniunt, itaque nihil certi ex iis afferri potest, quod aut illam aut hanc sententiam confirmat. Sed magis a mea opinione loci laudati stare videntur; neque enim ratio afferri potest, cur Benedictus, si epistolam Gregorii exscripsisset, verba „*episcopum suum*“ et finem „*quoniam iniuria*“ etc. omisisset.

Alii loci qui in dubium vocent, Benedicto ut fonte Pseudo-Isidorum usum esse, non inveniuntur et si hac de re longius egi, id hac causa commotus feci, cum haec quaestio maximi momenti sit ad tempus quo scripserit Pseudo-Isidorus et ad patriam collectionis determinandum.

Omnia capitula quae Knust (Leg. l. c. p. 19 sqq.) ex Pseudo-Isidoro hausta esse contendit, proferri non possunt, sed praetermissis iis quae aperte sententiam meam confirmant, cetera ita sunt concepta, ut aut ex iis Pseudo-Isidorum a Benedicto adhibitum non esse appareat aut saltem demonstrari non possit, in eis conficiendis Benedictum Pseudo-Isidoro usum esse[1]. —

[1] Cf. Epit. Aegidii ad c. un. l. Rom. Visig. C. Th. II. 2:	Ben. III. 152. De non iudicando vel testificando quemquam in sua causa.	Fab. 22:
Ne in sua causa *quis* iudicet aut testimonium dicat. (Knust p. 26 fontem esse dicit: C. Th. II. 2 interpr. Fab. ep. 2.)	*Ut nullus* in sua causa iudicet aut testimonium dicat.	Nec ullus umquam praesumat accusator simul esse et iudex vel testis.

Ex textu fontium cum capitulis Benedicti atque decretalibus Pseudo-Isidori comparato apparet, Pseudo-Isidorum multa ad imaginem capitulorum Benedicti confinxisse.

Sed etiam Benedicti collectionem ante Pseudo-Isidorum absolutam esse concedes, si rationem habueris eorum quae Benedictus et Pseudo-Isidorus de iisdem rebus statuunt et rationis quae est inter ipsam collectionem tresque priores additiones et quartam a prioribus valde diversam.

Quod attinet ad ea quae Benedictus et Pseudo-Isidorus statuunt, Benedictus multa inordinate et confuse undique digesta multaque inter se repugnantia tum fontibus genuinis, tum suis propriis figmentis usus profert, e contrario Pseudo-Isidorus in iis quae cum rebus a Benedicto tractatis conveniens pontificibus affinxit, certo consilio agit, non tam discrepantia decreta de una eademque re proponit, severiora, pleniora, accuratiora praecepta Benedicti reddit. Cuius rei sufficient haec exempla:

1) Benedicto et Pseudo-Isidoro propositum est, ut chorepiscoporum iura imminuerent. Proferuntur apud illum (I. 320. 321) constit. Wormat. a. 829 (de pers. sacerd. c. 6), quae tantum statuunt, ne chorepiscopi „modum mensurae in sacris canonibus praefixum excedant"; in aliis autem capitulis (II. 121. 369. III. 260. 402. 423. 424) omnino prohibetur, ne chorepiscopi in posterum fiant, et cum tempore Benedicti fuerint chorepiscopi, de iis fingitur (cf. III. 260): „ista vero omnes maxime regni nobis a deo commissi episcopi cum eodem Arnone per-

Ep. cit. ad c. 1. C. Th. XVI. 2:	Ben. a) III. 188:	Ben. b) Add. III. 12:	Anacl. 3.
Ut *testandi* licentia denegetur qui christianae religionis et nominis dignitatem neglexerint.	Ut *testandi* licentia denegetur *eis* qui christianae religionis et nominis dignitatem neglexerint.	Ut *accusandi vel testificandi* licentia etc. ut III. 188.	*Accusandi vel testificandi* licentia denegetur *omnibus* qui christianae religionis et nominis dignitatem *et sue legis vel sui propositi normam aut regularum* (al. cod. „regulariter") prohibita *neglexerunt.* Eutic. 8: *Omnibus quoque similiter accusandi vel testificandi* licentia denegetur (etc. ut Anaclet. usque ad)... *regulariter prohibita neglexerint.* Fel. II. pp. 12. x. Ut accusandi etc., sicut Eutic.

(Knust p. 26 citat: C. Th. XVI. 7. 1 interpr. et p. 29: Ben. III. 427, quod nullo modo cum add. III. 12. cohaeret.)

Cap. incerti anni, cui interfuit Bonifac. a. 744 (? potius capit. composit. saeculo VIII. exeunt.) c. 18:	Ben. III. 339:	Fab. 22:
In iudiciis quatuor debent esse personae, accusator, defensor, testes, iudex. Accusator uti debet intentione ad amplicifandam causam, defensor extenuatione ad minuendam, testes veritate, iudex aequitate.	Quot personae solent in iudiciis esse? quattuor: accusator causae, defensor causae, testes, iudex. Quo quisque utitur officio? Iudex aequitate, testes veritate, accusator intentione ad amplificandam causam, defensor extenuatione ad minuendam causam. Saepe enim fit causa ratiocinationis aut metu aut gloria aut pecunia i. e. aut commodi aliquid appetendi vel incommodi aliquid vitandi.	... quoniam in omni iuditio quatuor personas necesse est semper adesse i. e. iudices electos et accusatores ac defensores atque testes.

(Knust (p. 28) fontem Fab. ep. cit. esse dicit.)

Cap. 96 conc. IV. Carth.:	Ben. III. 110:	Calist. 17:
Quaerendum in iudicio cuius sit conversationis et fidei is qui accusat et is qui accusatur.	Quaerendum est etc. = c. 96 cit.	Quaerendum est „ergo" etc. = c. 96 cit. et Ben. III. 110.

Knust (p. 26) fontem Ben. dicit esse ep. Calist. cit.

mittente praefato apostolico mitius tractantes iam dictos villanos episcopos inter *presbyteros* statuerunt, ita ut amplius nihil de episcopali ministerio praesumerent."

Pseudo-Isidorus econtra chorepiscopos ordinari vetat eisque alia iura ac presbiteris competere negat, adulterans genuina praecepta neque eadem immutata ut Benedictus proferens. Tum similia quaedam Pseudo-Isidorus ut Benedictus habet, sed multo fusiora, ita ut Pseudo-Isidoriana figmenta videantur esse amplificationes statutorum Benedicti. Apud quem legitur (III. 424): „episcopi namque non fuerunt, quia nec a tribus episcopis nec ad aliquam episcopalem cathedram ordinati fuerunt"; (III. 260:) „nam episcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis episcopalem sedem titulati erant nec canonice a tribus episcopis ordinati"; (III. 260:) „iam dictos: *villanos* episcopos".

Pseudo-Isidorus haec omnia in epistola Damasi respexisse videtur, ubi certae rationes cur chorepiscopis iura ampliora quam presbiteris non competant ordinate et coniunctim afferuntur, quae neque omnes neque tam perspicue apud Benedictum enunciantur. Ait enim Damasus:

„nec ab re dictum perpendo, quamquam manus inpositionem episcoporum perceperint, cum episcoporum nomen pluralem in se continent numerum et apud grammaticos pluralis sit genitivus: videtur enim mihi quod tunc non ab uno sed a pluribus ordinabantur, quia nullatenus diceret episcoporum, si ab uno fieret talis ordinatio, cum episcoporum pluraliter dictum sit. Cum autem dixit corepiscopum, profecto *villanum* voluit intelligi episcopum, et si villanus, quid agit in civitate cum in una civitate duo omnino esse prohibeantur episcopi? Et si in villa et in eo loco ubi antea episcopi non fuerunt, cum in modica civitate vel in villa aut castello episcopus fieri prohibeatur et in omnibus omnino locis, ubi antea episcopi non fuerunt, ne vilescat auctoritas et nomen, episcopi fuerint constituti, quid, rogo, erunt? . . . .
et eos omni auctoritate carere non dubitate, scilicet quia tria obstant quibus eorum cassatur actio vel institutio.

Unum, quod ab uno episcopo ordinari solent in quo eorum ordinatio a canonibus discordat, qui per manus episcoporum eos institui iubent [ratio a Bened. allata III. 260. 424].

Aliud, si a pluribus episcopis sunt ordinati et aut in villa aut castello seu in modica civitate aut omnino non in eo loco prefixi quo iuste episcopi fieri debent aut dudum non fuerunt ubi non vilescat auctoritas et nomen episcopi aut si in civitate cum altero, cum (ut praedictum est) in una civitate duo non debeant consistere episcopi.

Tertium, si absolute fuerint instituti sicut de quibusdam audivimus, quae omnia episcopali omnino carent auctoritate. [Ratio secunda a Benedicto III. 424. 260 prolata.]

Et illud adhuc restat [4o], quod eorum ordo non habet in divinis litteris auctoritatem."

Etiam hac re demonstratur Benedictum Pseudo-Isidoro antiquiorem esse [1].

2) Videamus nunc quae Benedictus et Pseudo-Isidorus de exspoliatione sacerdotum statuerint, qua de re quae eorum figmentis essent antiquiora nulla praecepta inveniuntur (cf. Goecke l. c. p. 5 sqq. 18 sqq., Bruns, das Recht des Besitzes, p. 137 sqq.). In figmentis suis consuendis usi sunt Benedictus et Pseudo-Isidorus:

a) c. 12 lib. VII. Cassiodori hist. trip.	Ben. II. 381.	Dam. 12. 13.
Apud illum legitur: ... *depositos autem ab eis qui dissimilem patri filium asserebant*, sedes proprias *recipere decreverunt*. Si quis autem	*Episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos in* sedes proprias *recipi et sua omnia legaliter primo eis reddi sancti canones decreverunt. Et postea* si	*Ita enim haec se habent, episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias primo recipi, et sua primo eis omnia legaliter reddi sancti ca-*

[1] Aliter Weizsäcker (Chorepiscopat p. 39) qui dicit, Benedictum voluisse ut statuta Pseudo-Isidoriana legibus saecularibus corroborata esse viderentur: quae sententia iis quae hoc loco et supra attulimus refellitur. Neque verba c. 260 libr. III: „qui nobis verbis et scriptis ab eo renuntians haec non esse necesse iterare vel definire quia *saepissime* a suis praedecessoribus et a multis sanctis episcopis atque synodalibus sanctionibus eos esse prohibitos atque damnatos; et ideo non esse necesse ventilare sed definita tenere" ad decretales Pseudo-Isidori referri necesse est; sicut enim Benedictus totum capitulum excogitavit, ita nullarum certarum decretalium aut synodorum ratione habita etiam haec ementiri potuit; quin etiam quaerere licet, cur si decretales Pseudo-Isidori cognovisset, nomina paparum Damasi, Leonis M., Ioannis III. non adtulisset, cum iis rebus a se statutis maiorem auctoritatem addidisset?

eos accusare vellet, aequo *hoc* periculo facere sanciverunt. Iudices esse decernentes episcopos recte sapientes *et de vicinis provinciis* in ecclesiam convenientes ubi testes essent singulorum qui *dicerentur* oppressi.	quis eos accusare vellet, aequo periculo facere sanciverunt. Iudices esse decernentes episcopos recte *sapientes et in ecclesia* convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi *videbantur.*	*nones decreverunt. Et postea,* si quis eos accusare voluerit (al. vellet) aequo periculo facere sanciverunt. Iudices esse decernentes episcopos recte sapientes *et iuste volentes ad tempus diuque illis resumptis viribus et suis potestative fruentibus rebus, amicisque et dei servis sapientibus consulentibus viris in ecclesia* convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi esse *videntur.*

Qua in re Pseudo-Isidorus statutum Benedicti amplificavit: Benedictus enim episcopum post restitutionem factam, Pseudo-Damasus autem multo tempore post („ad tempus diuque illis resumptis viribus" etc.) accusari permittit, et apud Pseudo-Iul. 8 eadem quae de eiectis episcopis profert, etiam de episcopis sine apostolicae sedis auctoritate damnatos statuuntur (...„*eosque qui absque huius sanctae sedis sententia sunt eiecti vel dampnati*" etc.).

b) Cap. 54 conc. Afric. (D.)	Ben. III. 87. Ut episcopus ante iustam definitionem nullatenus propria potestate privetur.
Nam adimi *ei* episcopatus antequam causae eius exitus appar*eret*, nullo christiano videri iure potuisset.	Adimi *episcopo* episcopatum antequam cause eius exitus appar*eat*, nulli christiano videri iure potest.

In Fel. I. pp. c. 10 (et c. 4 Angilr.) idem capitulum incipiens: „*adimi namque episcopo*" etc. uti apud Benedictum legitur, sed cum apud eum ut capitulum separatum apud Pseudo-Isidorum multis aliis intermixtum exhibeatur, primo eo Benedictus usus esse videtur.

c) Symmachi syn. III., qua Bened. (II. 116) et Iul. 19. et Fel. II. pp. 12. v. usi sunt, iam supra allegavi: Bened. statuit, ut accusatio contra expoliatum „*non subito sed diu dispositis ordinatisque suis*" post restitutionem ventiletur, Fel. II. l. c. id certius definit dicens: „*per spatiosa tempora suis potestative dispositis et ad suam necessitatem preparatis.*" Similiter Fab. 20 et Marcelli c. 8, ubi idem locus adhibitus est, „*magni spatii*" et „*induciarum non modicarum*" mentionem faciunt, et apud Fel. I. pp. 10. id spatium quatuor aut quinque aut septem mensium esse debere legitur, de quibus omnibus nihil apud Benedictum profertur.

d) Capit. 153. lib. III. Bened. fontem reperire non licet; similia et quidem fusiora leguntur apud Pseudo-Isidorum in c. 12. IV. Fel. II., c. 6. Praefat.

Ben. III. 153.	Fel. II. pp. 12. IV.	C. 6. Praefat.
Canonica testante tuba didicimus, quod episcopus eiectus vel suis rebus expoliatus nequaquam debet accusari vel iudicari, antequam legaliter et pleniter restituatur. Si quis vero libere suis ecclesiaeque sibi commissae et integerrime fruens rebus ac honoribus super certis accusatus fuerit criminibus etc.	Nam si aut vi aut timore aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicae vocari ad synodum possunt nec respondere emulis debent, antequam canonicae restituantur et sua omnia eis legaliter reddantur.	Nullus enim qui suis est rebus spoliatus aut sede propria vi aut terrore pulsus, antequam omnia sibi ablata ei legibus restituantur et ipse pacifice diu suis fruatur honoribus sedique propriae regulariter restitutus eius multo tempore libere potiatur honore iuxta canonicam accusari, vocari, iudicari aut dampnari institutionem potest.

Apud Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12 etiam additur, episcopum eiectum neque excommunicari debere, de quo Benedictus nihil statuit.

e) Epistolae Leonis 93 c. 3 (1, 1071) et Bened. et Pseudo-Isidorus ad figmenta sua consarcinanda usi sunt. Cf.

Leon. ep. cit. c. 3.	Ben. II. 337.	Praef. 6.
Quia vero non ignoramus per pravas aemulationes multarum	*Plurimos fratres* sedibus suis pulsos et in exilia *audivimus* de-	*Quia vero non ignoramus per pravas aemulationes multarum*

ecclesiarum statum fuisse turbatum plurimosque episcopos quia haeresim non reciperent, sedibus suis pulsos et in exilia deportatos atque in locum superstitum alios substitutos: his primitus vulneribus adhibeatur medicina iustitiae *nec* quisquam ita careat propriis ut alter utatur alienis: *cum si, ut cupimus*, errorem omnes *relinquunt*, nemini quidem perire *suus* honor debeat, sed illis qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio suo oport*eat* ius proprium reformari.

portatos atque in loco superstitum alios substitutos: his primitus vulneribus adhibeatur medicina iustitiae, *ne* quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis. *Quem* errorem omnes *relinquant*. Nemini quidem perire honor debeat, sed illis qui pro fide laboraverunt, *prius* cum omni privilegio suo oportet ius proprium reformari.

aecclesiarum statum fuisse turbatum plurimosque fratres iniuste sedibus suis pulsos et in exilia deportatos atque in locum superstitum alios substitutos, his primitus vulneribus adhibeatur medicina iustitiae, *ne* quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis. *Quem ita* errorem omnes *relinquant*, *ut* nemini quidem perire honor debeat, sed *prioribus episcopis* cum omni privilegio suo *ius proprium reformetur.* (Cf. Evar. 7.)

f) Pseudo-Isidorus adhibuit etiam l. Visig. Rom. Cod. Gregor. III. 5. 1: „*fructus ante litem contestatam perceptos malae fidei possessores restituere placuit*“, quod quidem profertur in add. III. 103. Bened. ita: „*de omnibus possessionibus a praeceptore possessori reddendis. Omnes possessiones et omnia sibi sublata atque fructus cunctos ante litem contestatam praeceptor possessori restituat*“, sed apud Pseudo-Isidorum iis in locis, ubi de exspoliatione et restitutione episcoporum agitur, profertur velut in Steph. 6: „*et ipse propriae sedi et pristino statui regulariter reddatur ita ut omnes possessiones et cuncta sibi iniuste sublata atque fructus omnes ante coeptam accusationem primates et sinodus episcopo de quo agitur funditus restituant*“, et in Euseb. 12: . . . „*nec diiudicari potest expoliatus vel expulsus.... unde et antiquitus decretum est: omnes possessiones et omnia sibi sublata adque fructus cunctos ante litem contestatam preceptor vel primas possessori restituat.*“ (Cf. Symmachi syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1.)

g) Similiter disiuncta ut capitulum separatum verba libri apologetici Ennodii (ed. cit. p. 337): „*non fuit privilegium quo spoliari possit iam nudatus*“ afferuntur in add. III. 8. Ben. ita: „*non est privilegium quo spoliari possit iam nudatus, ideo nisi iusto iudicio decernente nullus expolietur.*“ Quibus verbis Pseudo-Isidorus quoque usus est, sed etiam ea locis ubi de episcoporum exspoliatione agit, inseruit, itaque mutavit sensum eorum, uti extat apud Benedictum, omisitque posteriora verba: „*ideo nisi*“ etc., cum idem iam omnibus in locis aliis verbis expressisset. (Cf. Euseb. 12, Symm. syn. V., Iob. I. pp. ep. 1.)

h) Postremo ubi de spoliatione Pseudo-Isidorus agit, adhibuit tres alios locos, quorum primum fere verbotenus ex fonte Benedictus exscripsit, posteriora autem apud eum desiderantur:

α) l. Visig. VIII. 1. 2.
Quicunque violenter expulerit possidentem, priusquam pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorem habuerit, ipsam causam de qua agitur perdat. Ille vero qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant, recipiat, quae possedit *et* securus teneat. Si vero illud invasit quod per iudicium obtinere *non potuit* et causam amittat et aliud tantum quantum invasit, reddat expulso.

Ben. II. 161. 353.
= l. Vig. cit. exceptis:
et quae possedit securus.
II. 161: *obtinere potuit.*
(II. 353: *obtinere potuerit.*)

Euseb. 12.
(post verba sub f. allegata:)
et alibi scriptum habetur: ille qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant, recipiat *et quae possedit securus* teneat. (Cf. Symm. syn. V., Ioh. I. ep. 1.)

β) Epit. Aegidii ad Paul. sent. I. 7. 2.
Redintegrand*um est a praesentibus iudicibus* et in *eius unde abscessit potestate revocandum quod* quacumque conditione temporis aut

Euseb. 12.
(post verba modo allata:)
Et alibi in sinodalibus patrum decretis et regum edictis legitur statutum:
Redintegrand*a sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis praesentialiter ordinatione pontificum* et in *eorum unde abs-*

dolo aut captivitate *aut fraude* aut virtute maiorum aut per *quamcunque iniustam necessitatem substantiam suam aut statum ingenuitatis* perdidisse noscuntur [1].	*cesserunt loca funditus revocanda* quacumque conditione temporis aut dolo aut captivitate aut virtute maiorum aut per *quascumque* iniustas causas res ecclesiae vel proprias aut substantias suas perdidisse noscuntur *ante accusationem aut regularem ad sinodum vocationem eorum et reliqua.* (Cf. Symm. syn., Ioh. I. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3.)
γ) Epit. Aegidii ad c. un. C. Th. II. 26.	Euseb. 11.
Si quis pervasor approbatus fuerit, tantum spatii restituat, quantum praesumsit incedere [2].	... non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad sinodum convocentur.

Quae omnia confirmant, Pseudo-Isidorum Benedicto, non Benedictum Pseudo-Isidoro ut fonte usum esse: Pseudo-Isidorus enim 1) omnes fontes genuinos cum mutationibus a Benedicto factis adhibuit; 2) alios quoque qui apud Benedictum non leguntur, addidit; 3) ea quae Benedictus de exspoliatione statuit, amplificavit decretaque quae apud eum non inveniuntur, excogitavit; 4) loci Pseudo-Isidoriani fere omnes pluribus et diversis ex fontibus compositi sunt, cum Benedictus in capitulis suis unum tantum locum genuinum a se adulteratum proferat.

3) Benedicti collectionem prius, Pseudo-Isidorianam postea compilatam esse etiam ex iis quae de primatibus et patriarchis atque metropolitanis habent, apparet [3]. Apud Pseudo-Isidorum late et fuse de rebus a patriarchis iudicandis agitur (cf. Clem. 28. 29, Anacl. 26. 28, Fel. II. 5, Steph. 9. 10), apud Bened. (II. 381. III. 153 i. f., 156 i. pr.) nihil aliud statuitur quam ut episcopi apud primates accusandi sint. Verbis primatum et patriarcharum Pseudo-Isidorus (cf. decret. cit.), non Benedictus, promiscue utitur. Pseudo-Isidorus dicit, primates aut patriarchas esse debere, ubi erant primi flamines paganorum (Clem. 28. 29), iisque iam multo ante Christi adventum provincias divisas, illamque divisionem a Clemente renovatam fuisse (cf. Anacl. 26. 28). In cap. 3 Ann. legitur: „nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates quarum episcopos (al. apostoli) et successores eorum regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt" (cf. quoque Iul. 12); in Fel. II. pp. c. 5. 10. 12. XIII. ait, primates in Nicaeno concilio enumeratos esse, et in c. 3 cit. Ann. regula statuitur: primates modernis temporibus creandos non esse, „nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur cui necesse sit, propter multitudinem episcoporum primatem constitui." Quibus de rebus apud Benedictum nihil invenitur excepto uno capitulo, quod huc referri potest, III. 439: „nulli alii metropolitani appellentur primates nisi illi qui primas sedes tenent et quos sancti patres synodali et apostolica auctoritate primates esse decreverunt. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes sunt adepti non primates, sed metropolitani vocentur."

Leguntur etiam apud Benedictum capitula, quae apud Pseudo-Isidorum solum ita adulterata proferuntur, ut de patriarchis agant. Cf.

Interpr. c. 1 C. Th. IX. 40.	Ben. I. 308.	Zepher. 2.
Iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat *capitalem* quam aut reus *ipse fateatur vel* per innocentes testes *vel per conscios criminis sui aut homicidium aut adulterium aut maleficium commisisse* manifestius convincatur.	Ut iudex criminosum discuciens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur. *Placuit ut iudex criminosum* discutiens non ante sententiam proferat *capitalem* quam	*Patriarche vero vel primates accusatum* discutientes episcopum non ante sententiam proferant *finitivam quam apostolica fulti auctoritate* aut reum se ipsum *confiteatur aut* per innocentes *et regulariter examinatos* convincatur testes.

[1] Sola interpretatio §. 2 cit. exhibetur apud Ben. (cf. III. 288). — [2] Apud Bened. non profertur. — [3] Contrarium sentit Gfrörer (Geschichte der ost- und westfränkischen Karolinger. Freiburg. 1848. Tom. I. p. 111) dicens: „Ferner, der Mainzer Levite ist nicht nur der erste bekannte Schriftsteller, welcher pseudo-isidorische Stücke ans Tageslicht zog und in die Welt einführte, er hat auch einen der eigenthümlichsten Gedanken Pseudo-Isidor's, nämlich den Begriff eines über den Metropolitanstühlen stehenden Primates mit grosser Vorliebe aufgegriffen und weiter gesponnen. (Man vergleiche Ben. II. 309. 381. III. 1. 83. 89. 156. 171. 314. 321. 439. 460)."

Epit. Aegid. ad c. 2 C. Th. IX. 30. *Si* maioribus *personis crimen obiectum fuerit, principis est exspectanda* sententia.	aut reus *ipse confiteatur aut* per innocentes *et veraces* testes manifestius convincatur. *Et de* maioribus *nostra aut successorum nostrorum expectetur* sententia. Loco cit. III. 170. Ut iudices prius capitalem non proferant sententiam quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur. *Iudex criminosum discutiens* non ante sententiam proferat *capitalem* quam aut reus ipse *confiteatur aut* per innocentes testes convincatur. Si *in* maioribus personis crimen obiectum fuerit, principis est expectanda sententia. Loco cit. II. 398. Ne ante iudex iaculetur in reum sententiam quam ipse confiteatur aut socii sui cum convincant. *Iudex criminosum discutiens* non ante sententiam proferat *capitalem* quam aut reus ipse confiteatur *aut convictus* per innocentes testes vel *socios* criminis sui manifestius convincatur[1].	Felic. I. pp. 4. *Primates quoque accusatum* discutientes *episcopum* non ante sententiam proferant *damnationis quam apostolica freti auctoritate aut reum se* ipse *confiteatur aut* per innocentes *et canonice examinatos regulariter* testes convincatur. Iul. 12. *Primates accusatum* etc. = Fel. I. pp. 4.

Quibus omnibus consideratis pro certo habendum est, non Benedictum, ut dicit Gfrörer, ea quae Pseudo-Isidorus de primatibus statuerit, studio et amore in suam collectionem recepisse, ornasse, amplificasse[2]; e contrario etiam iis quae modo attuli demonstratur, collectionem Benedicti priorem, Pseudo-Isidori posteriorem esse. —

Postremo mihi exponendum est, quae ratio intercedat inter collectionem ipsam Benedicti tresque priores eius additiones et quartam.

Additiones prima et secunda, quarum illa ex capitulari monachorum a. 817, haec ex relatione episcoporum a. 829 Wormaciae data hausta est (cf. Knust, leg. l. c. p. 29) nihil ad rem faciunt. In tertia autem additione compilanda ab eius auctore, sive fuerit Benedictus sive alius, collectionem Pseudo-Isidorianam esse adhibitam fere omnes putant. In quam sententiam cum ego discedere non possim, necessitas mihi iniuncta est singula capitula, quae capitula in ipsa collectione iam contenta non repetunt, cum fontibus suis enumerandi.

Cap. 7. (cuius fontes Knust allegat capit. gen. 769 et Ps.-Fabiani ep. 2) ita diverse a Fabiani epistola conceptum est, ut ex ista transcriptum esse non possit.

Cap. 8. non ex Pseudo-Iul. sed ex Ennodii lib. apolog. desumtum esse iam supra de expoliatione agens ostendi (cf. p. CLVII.).

Cap. 15. Knust (l. c.) dicit haustum ex Symm. syn. V., re vera autem fons est Ennod. lib. apol.

Add. III. 15. de accusatoribus de inimici domibus prodeuntibus.	Ennod. lib. apol. (p. 327):	Symm. syn. V.
Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non *est* credendum.	Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum.	Accusatoribus *vero inimicis vel* de inimici domo prodeuntibus *vel qui cum inimicis morantur aut suspecti sunt, ne credatur.*
Cap. 20. Quod spiritalis examinet omnia, et ipse a nullo examinetur.	I Corinth. II. 15.	Fel. II. pp. 12. xv.
Spiritalis iudicat omnia, ipse *autem* a nemine iudicatur.	Spiritualis *autem* iudicat omnia *et* ipse a nemine iudicatur.	Spiritalis iudicat omnia, ipse *vero* a nemine iudicatur.

[1] Angilr. c. 1 (bis) idem profert: „iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur", qui est titulus Ben. I. 308. — [2] Inter capitula Benedicti a Friderico Gfrörer allata nullum invenitur, quod ex Pseudo-Isidori decretalibus exscriptum esse probari posset. Cf. II. 309. III. 171. 178 et c. 87 conc. Afric. (D.) et Iul. 18. — II. 381 et int. c. 12 C. Th. XVI. 2 et Fel. II. pp. 12. I., Gai. 3. — III. 1 et tit. c. 17 conc. Carth. (D.) et Anacl. 26. — III. 83 et c. 17 conc. Chalc. (D.). — III. 89 et c. 19 pr. conc. Carth. (D.). — III. 156 et c. 19 conc. cit. — III. 314 et c. 17 Angilr. et Iul. 12. — III. 321 et c. 9 conc. Chalc. (D.). — III. 439 et c. 12 conc. Chalc. (D.), c. 6 conc. Afric. (D.) — Ben. III. 29 et Steph. 9, Ann. 3. — III. 460 et c. 43 conc. Afric. (D.).

Knust fontem Fel. II. c. cit. allegat, sed cap. 20 potest quoque haustum esse ex I Corinth. II. 15.

Cap. 103. ex Pseudo-Isidoro desumtum non esse iam supra (p. CLVII.) ostendi.

Cap. 107. Ut unaquaeque provincia a iudicibus propriis iudicetur.	Pelag. II. pp. ep. 1.
Praecipimus ut non degradetur unaquaeque provincia sed apud semetipsam habeat iudices episcopos. Et quicumque causam habuerit, a suis iudicibus iudicetur et non ab alienis i. e. suae iustis iudicibus provinciae et non ab externis nisi fuerit appellatum.	*Unde non oportet ut* degradetur *vel dehonoretur* unaqueque provincia sed apud semetipsam habeat iudices *sacerdotes et* episcopos *singulos videlicet iuxta ordines suos.* Et quicumque causam habuerit a suis iudicibus iudicetur, et non ab alienis i. e. a sue iustis iudicibus provintiae et non ab externis, nisi *ut iam prelibatum est a iudicandis* fuerit appellatum.

Fontes capitum certe indicare non licuit, sed tantum abest ut ex textibus duobus comparatis appareat Pseudo-Isidorum a Bened. adhibitum esse, ut non sine idonea ratione statui possit, Pseudo-Isidorum ut fonte capit. cit. usus, cum apud eum locum amplificatus exhibeatur.

Item dicendum est de

c. 111.	et Anacl. 15.
Quicumque causam habuerit *a propriis iudicibus* iudicetur et non ad *alienos* causa vagandi *et* proterviae dimittens suam patriam transeat; *sed apud metropolitanum et reliquos episcopos suae provinciae iudicetur.*	*Unaquaeque provintia tam iuxta ecclesiasticas quam iuxta saeculi leges suos debet iustos et non iniquos habere iudices et non externos, nisi apostolicae sedis huius decreverit auctoritas quatenus* quicunque causam habuerit *apud suos iudices* iudicetur et non ad *alienos* causa vagandi *stimulante* protervia suam *despiciens* patriam transeat. sed *ad duodecim eiusdem provintiae iudices, ad quorum iuditium omnes cause civitatum referuntur, deferatur negotium.*

Non solum capitulis modo citatis Pseudo-Isidorum magis quam auctorem additionis in eis conficiendis decretalibus falsis usum esse verisimile est, sed Pseudo-Isidorus in quibusdam locis conflandis etiam c. 22 eiusd. add. ante oculos habuisse videtur, ut ex sequentibus apparet:

c. 17. conc. V. Aurel.	add. III. 22.	Alex. 8.
Placuit etiam ut si quaecumque persona contra episcopum vel actores ecclesiae se proprium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis studio ut familiari aditione commonitus sanare ea debeat quae in querimoniam deducuntur: quam rem si differre voluerit, tunc demum ad metropolitani audientiam veniatur.	Si *qui* erga episcopum vel actores ecclesiae quamlibet querelam habere iustam crediderint, *non primates aut alios adeant iudices* priusquam ipsos conveni*ant* familiariter, non semel sed saepissime ut ab eis aut suam iustitiam aut iustam *recipiant* excusacionem. Si autem secus *egerint*, ab ipsis et ab aliis communione *priventur* tanquam apostolorum patrumque aliorum contemptores, de quibus ait propheta[1]: Erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt vobis.	= add. III. 22 exceptis his: *quis.* *non prius primates superiores aut alios adeat iudices quam ipsos a quibus se laesum aestimat, conveniat* *accipiat* *egerit* *privetur*
	Ben. III. 350.	Fel. II. pp. 12. 11.
	Ut nullus episcopum aut actores ecclesiae apud alios prius accuset, quam eum familiariter conveniat atque ab eo familiarem iustitiam petet.	
	Si quis adversus episcopum causam habuerit, non prius alios episcopos *vel alios iudices* adeat, ut eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam et ab eo aut iustam emendationem aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum et inter te et ipsum	Si quis etc. = Ben. III. 350. omissis solum verbis: *vel alios iudices.*

[1] Ies. XLI. 11.

solum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum. Et si vos non audierit, dic ecclesiae, i. e. accusa eum publice tunc et non prius. Et reliqua.

Steph. 6.

... Neque aliquis eorum (scil. episcoporum) aut aecclesiarum auctorum vel defensorum ad aliquos prius accusari debet quam ipsi caritative bis aut ter ab eis qui se lesos estimant vel eos pro aliquibus erratibus corripere cupiunt, conveniantur, ut ab eis aut familiarem emendationem aut iustam percipiant excusationem.

Fel. II. pp. 3.

... sed prius si erga episcopos vel auctores aecclaesiae quisquam causam habuerit, eos cum caritate mansuete conveniat, ut ab eis vulnus unde agitur recte sanetur, aut ipse si secus egerit accusator excommunicetur.

Si locos allatos inspexeris, apparebit, c. 8 Alexandri in omnibus cum add. III. 22. convenire, et cum apud Pseudo-Isidorum plura quam in additione legantur, iam hac ex causa verisimile est, capitulo 22 Pseudo-Isidorum ut fonte usum esse. Fel. II. pp. 12. II. ex Ben. III. 350. desumtum esse certum est, cum supra ostenderim collectionem ipsam Benedicti a Pseudo-Isidoro adhibitum esse [1]. Stephani c. 6 etiam in prima parte secundum c. 22 add. III., in secunda autem secundum c. 350 libri III. conceptum est; qua re mea sententia non minus confirmatur. Contra quam si quis contendat, Benedictum Alexandri c. 8 excerpsisse et Pseudo-Isidorum Benedicti III. 350 et Alexandri c. 8 in conficiendo capite 12. II. Felicis II. ante oculos habuisse, contendit aliquid, quod multo minus verisimile videtur. Similiter Fel. II. pp. c. 3 secundum initium addit. 22 conflatum est [2]. Sane id concedendum est, hac re sola auctore additionem tertiam compilante Pseudo-Isidorum non iam editum fuisse, satis non probari, sed si perpenderis, nullo in capite Pseudo-Isidoriana inveniri, quin etiam versimile esse Pseudo-Isidorum (cf. Steph. 6, Symmachi syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1) capite 103 add. III. ut fonte usum esse (cf. supra p. CLVII), facile intelleges neque cum haec additio scriberetur, collectionem Pseudo-Isidorianam absolutam fuisse.

Econtra primum in additione quarta citantur decretales Pseudo-Isidorianae (cf. c. 5 [Stephanus], c. 8 [Anastasius], c. 21 [Sixtus], c. 22 [Iulius, Symmachus], c. 24 [Iulius]). Cum autem hic nomina pontificum allegentur neque in collectione ipsa Benedicti neque in additione tertia ullo loco ponantur, etiam hac ex re intelligi potest, decretales eo tempore, quo collectio et additio componerentur, non iam exstitisse, praesertim cum nulla ratio alia sit, cur Benedictus qui decretalibus falsis venerandam auctoritatem suis statutis addere potuit, ad eas numquam recurrerit [3].

Etiam in additione quarta nova inauditaque quaedam exhiberi colligere licet ex inscriptione ei anteposita. Cum additioni III. tantum praemittatur: „*haec capitula proprie sunt ad episcopos vel ad ordines quosque ecclesiasticos pertinentia, quae non solum observare, sed etiam sibi subiectis vel commissis facienda perdocere debeat*“, additionis quartae inscriptio ita concepta est: „*Sequentia quaedam capitula ex sanctorum patrum decretis et imperatorum edictis colligere curavimus atque inter nostra capitula lege firmissima tenenda generali consultu Erchembaldo cancellario nostro inserere curavimus.*“

Cum Erchembaldus fuerit cancellarius Caroli Magni (cf. Knust l. c. p. 34, Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte T. III. p. 428. not. 1), haec verba ipsi imperatori Carolo adficta sunt, voluitque auctor ut illa quae in additione proferret,

[1] Verba Benedicti „*vel alios iudices*“ Pseudo-Isidorus ideo omisit, quia de episcopis a primatibus iudicandis egit (cf. Fel. II. pp. 12. III.). — [2] Verba „vulnus unde agitur recte sanetur“ quidem cum c. 17 conc. V. Aurel. magis conveniunt, attamen cum caput concilii etiam apud Ben. II. 381 exhibetur, nihil obstat, quo minus Pseudo-Isidorus etiam id caput adhibuerit. — [3] Quod certe iis, qui velut Knust (Leg. l. c. p. 34) Benedictum etiam auctorem additionum fuisse dicunt, concedendum est.

etiam saeculari auctoritate confirmata esse viderentur. Qua in re imprimis decretales respexit, nam etiam earum mentionem fecit in inscriptione dicens: „*ex sanctorum patrum decretis ... colligere curavimus.*" Et si auctor opus esse quadam confirmatione regia iis quae exhiberet iudicavit, ex hoc apparet, illum scivisse a se novi aliquid et falsi afferri, itaque in hac additione primum decretales illo tempore etiamtum ignotas allegari. Quae valde adiuvantur, si rationem habueris, quales decretales et quomodo in additione proferantur.

Cap. 5. exhibet titulum: „*ex epistola Stephani papae scripta generaliter omnibus episcopis*" et titulus plane et textus fere in omnibus convenit cum inscriptione et textu epistolae secundae Stephani, sicut exstant in mea editione (cf. c. 5 i. f., c. 6).

Econtra c. 8 inscriptum: „*ex decretis Anastasii papae*" in epistola eiusdem non legitur, sed simili modo conceptum ut decretales Pseudo-Isidorianae etiam res locis quibusdam earum simillimas continet (cf. supra p. LV., ubi fontes indicavi), neque c. 21, quod *Sixto* in additione adscribitur, ex epistolis Sixti, sed ex Iul. c. 12 desumptum (l. c.) ostendi, et c. 24 ex c. 2 Angilr. non ex decretis Iulii haustum est.

Qua ex re opinari licet, illum qui additionem Benedicti collectioni adnexuerit, non iam integras decretales, quales postea edebantur, sed tantum exemplum prius earum, cum Pseudo-Isidorus collectionem totam non absolvisset et etiamtum haesitaret, quas res singulas in epistolas distribueret, adhibuisse. Quod non solum ex eo apparet, quod res Anastasii et Sixti nomine prolatae in epistolis eodem modo quo in collectione exhibentur, non inveniuntur, sed etiam ex eo, quod auctor additionis quartae schedas et materias ad collectionem Ps.-Isidor. conficiendam congestas additioni inseruit. Caput 6 add. cit. enim inscribitur: „*Augustinus ad Bonifacium de lapsorum restitutione*" et prope verbotenus desumtum est ex epistola Augustini ad Bonifacium no. 185. c. 10. §. 45. (ed. Bened. T. II. p. 661). Quo capitulo quidem Benedictus Levita non est usus, sed Pseudo-Isidorus in c. 19. 20. Calist. pluraque in textu eius mutavit. Similiter in c. 3 add. cit. c. 12 integrum *Cassiod. hist. tripart. lib. VII.* extat, quod Pseudo-Isidorus ad confingendos locos de spoliatione episcoporum adhibuit, et quidem iam in ea parte quam exscripsit Pseudo-Isidorus, adulteratum. Similiter res se habet de epistola Leonis in c. 4 add. laud. prolata, quae etiam fons est Pseudo-Isidori[1]. Neque minus in c. 75 addit. IV. inscripto: „*ex epistolis Gregorii papae sancto Bonifacio*" eadem nonnullis rebus mutatis leguntur, quae habentur in epistola apocrypha Gregorii M. ad Felicem Siciliensem episcopum inde a verbis: „*progeniem vero suam unumquemque*" etc. Quae omnia, quamquam Benedictus Levita etiam capitulo Cassiodori et Leonis epistola citata usus est[2], ex schedulis Benedicti hausta esse non possunt, nam Benedictus, ut supra ostendi, neque decretales novit neque Augustini epistolam adhibuit. Itaque cum etiam capitula Angilramni cum fraude Pseudo-Isidoriana cohaerentia in multis additionis capitulis (de quibus infra) proferantur, statuendum est — quamquam pro certo nihil hac de re affirmare velim —, auctorem huius additionis IV. ipsum Pseudo-Isidorum fuisse. Mirum illud quidem videtur quod loci adulterati cum ipsis fontibus indicatis ponuntur, sed si hac ex re argumentum contra meam sententiam sumi posset, omnino dici oporteret, additionem non certo consilio sed fortuito congestam fuisse, quod nemo qui quidem ipsius et inscriptionis eius rationem habuerit, contendere audeat. Itaque hac ex re apparet, quam impudenter illa aetate fontes genuinos adulteravint et quam parum metuerint, ne fraus detegeretur[3]; et profecto si quis auctori obiecisset, textum alium in additione legi

[1] Capitula Bened. et decretales, ubi Cassiod. VII. 12 et epistola Leonis a Pseudo-Isidoro adhibita sunt, supra in hac §. (supra p. CLV et CLVI) allegavi. — [2] Dubitari non potest quin Pseudo-Isidorus illos locos a Benedicto adulteratos fuisse intellexerit, cum eandem epistolam Leonis cum titulo in praefatione citet et ex Cassiodori hist. trip. plura quam Benedictus desumserit. — [3] De quibus rebus cf. quoque Weizsäcker, Hinkmar und Pseudo-Isidor (Niedner, Zeitschrift für historische Theologie 1858 p. 382): „Mit einer gewissen Naivität verfuhr diese Zeit im Betrügen, das lässt sich nicht leugnen; auch wo die Fälschung auf platter Hand lag und von

atque in fonte, hic inscriptione fultus affirmasset, capitula qualia ipse exhiberet, a Carolo M. approbata fuisse.

CAP. IV. DE CAPITULIS QUAE ANGILRAMNI VOCANTUR.

§. 18. A. De codicibus capitulorum Angilramni.

De capitulis Angilramni quae omnes cum fraude Pseudo-Isidoriana cohaerere praesuasum habent, adhuc magnae sunt controversiae, quarum maxima pars manuscriptis inspectis facile dirimi potest. At cum codices fere ita ac Pseudo-Isidoriani incogniti sint, primum pauca de his dicenda sunt.

Capitula Angilramni fere semper in codicibus qui collectionem Pseudo-Isidorianam continent occurrunt, ut ex iis quae in parte I. dixi apparet. Alii codices in quibus inveniuntur, sunt:

1) Cod. Sangerm. 366. membr. fol. saec. IX. (cf. §§. 1. 3), ubi habentur inde a fol. 163—167.

2) *Cod. olim Corbeiensis, nunc tabularii ecclesiae cathedralis Paderbornensis, membr. 4. saec. X., quo usi sunt Pertz (Leg. I. p. XXIII.) et Merkel (Lex Anglorum p. 3, Lex Saxonum p. 3). Continet capitula Angilramni a pag. 64—87 post leges Saxonum et Anglorum, subiiciuntur excerpta quaedam ex decretalibus Pseudo-Isidorianis multaque alia, quae hic longum est enumerare[1].

3) *Cod. biblioth. civitatis Trevirensis 1362. membr. 4. saec. X. foll. 207. Continet Reginonis abbatis Prumiensis libros II de synod. causis, quos sequuntur a p. 382—402 capitula Angilramni, post quae excerpta quaedam decretalium Pseudo-Isidori exhibentur. (Cf. Wasserschleben, Regino, p. XX.)[2]

4) *Cod. Monasterii S. Petri Salisburgensis IX. 32. (ol. X. 28.) membr. saec. X. exeunt. aut saec. XI. ineunt. Inest collectio Cresconii et alia collectio canonum quae inscribitur: DE R. S. (rebus sacris, ut videtur). Ponuntur postea multa excerpta ex diversis canonibus et epistolis pontificum Romanorum, inter quae etiam ex decretalibus Pseudo-Isidori et deinde capitula Angilramni[3].

5) Cod. biblioth. canonic. Cathedr. Pistoriensis no. XV. membr. 8. saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt. Est conglutinatus ex fragmentis diversorum manuscriptorum, inter quae unum capitula Angilramni continet. (Cf. Zaccaria, bibl. Pist. cit. p. 19.)

6) Cod. biblioth. caesareae Parisiensis 1458. membr. fol. saec. XII., similiter ut cod. modo laudatus ex diversorum codicum reliquiis compositus. Capitula Angilramni leguntur inde a fol. 97—101, ita ut fragmentum synodi sub Gregorio I., decreta Gregorii iunioris (fol. 96. 97) et synodale decretum Nicolai, iuramentum Berengarii, synodus a. 1079 (fol. 101—103) manu saec. XII. scripta[4].

7) *Cod. bibliothecae civitatis Bernensis 442. membr. 40. saec. XIII., qui inter multa alia in fol. 9v. et sequentibus exhibet capitula Angilramni[5].

Quibus accedunt codices in parte I. descripti:

8) Cod. Parisiensis int. suppl. lat. 840. saec. X.

9) Cod. Rotomagensis 15/9. E. saec. XI.

10) Cod. Vaticanus 3791. saec. XII.

Jedem entdeckt werden konnte, unterliess man sie nicht, man denke nur an die Verfälschung der Synodal-Acten von Toucy, die Hinkmar von Laon wenige Jahre darauf vornahm, während Jedermann die echten Documente zu Gebote standen."

[1] Codicem evolvit Iohannes Merkel, amicus defunctus, qui etiam capitula Angilramni contulit. — [2] Cum senatus civitatis Trevirensis codicem mihi Berolinum transmittere recusasset, vir illustris F. X. Kraus phil. dr. a me rogatus eum contulit. — [3] Collationem capitulorum Angilramni in hoc codice contentorum vir illustris Kunstmann, antecessor Monacensis, libentissime mihi tradidit. — [4] Ex iis quae ante et post capitula Angilramni ponuntur apparet, partem indicatam manuscripti fragmentum esse codicis eiusdem classis atque illos 8, quos §. 9. II. descripsi. — [5] Cf. Sinner, catalog. mss. biblioth. Bernens. T. I. (1760) p. 46. Descriptionem exactiorem vir illust. L. a Steiger iam supra laudatus mihi misit.

11) Cod. Londin. Cotton. Claud. E. V. saec. XII. exeunt.
12) Cod. Abrincensis 109. saec. XII.
13) Cod. Cantabrigensis Dd. I. 10. 11. saec. XIII. ineunt.
14) Cod. Vaticanus 1344. saec. XIII. ineunt.
15) Cod. Parisiens. Sorbonne 729. saec. XV.
16) Cod. S. Marci Veneti IV. 47. XCIV. 3. saec. XV.
17) Cod. Londinensis (King's library) 11. D. IV. saec. XV. (Cf. supra §. 3.)
18) Cod. Parisiensis Navarre 7. saec. XII. exeunt.
19) Cod. Parisiensis 5141. saec. XIV. (Cf. §. 4.)
20) Cod. Montecasinensis. saec. XI.
21) Cod. Vaticanus 630. saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt.
22) Cod. Audomarensis 189. saec. XII. ineunt. (Cf. §. 7.)
23) Cod. Bononiensis 115. saec. XII.
24) Cod. Bononiensis 116. saec. XII.
25) Cod. Parisiensis 3853. saec. XII.
26) Cod. Parisiens. S. Victor. 184. saec. XII.
27) Cod. Vaticanus 631. saec. XIII. (Cf. §. 6.)
28) Cod. Montepessulan. H. 3. saec. XII. exeunt. aut saec. XIII. ineunt.
29) Cod. Montepessulan. H. 13. saec. XIV.
30) Cod. Parisiensis (Corps législatif) saec. XIII.
31) Cod. Vatican. 1340. saec. XIV.
32) Cod. S. Marci Veneti Zanetti CLXVIII. XCIV. 3. saec. XV. (Cf. §. 8.)
33) Cod. Parisiensis 3856.
34) Cod. Rotomag. E. 11/6. (Cf. §. 9.)
35) Cod. Rotomag. E. 12/7.
36) Cod. Londinens. (King's library) 9. B. XII.
37) Cod. Londinens. Cotton. Claud. D. IX. } saec. XII.
38) Cod. Londinens. (King's library) 11. D. VIII.
39) Cod. Lincolnensis B. 2. 3.
40) Cod. Parisiensis 1563. saec. XIV/XV.
41) Cod. domini ill. Thomae Phillips circ. saec. XI.[1] (Cf. §. 9.)

[1] In bibliotheca ecclesiae cathedr. Turonensis, cuius libri et manuscripti in bibliothecam publicam translati sunt, codex Pseudo-Isidori et Angilramni collectiones continens exstitisse videtur. Neque codex ille neque duo alii apud Gustavum Haenel sub titulis: „*Adriani I. epitome canonum saec. XI. membr.* 4." (p. 482) et „*exceptiones decretorum sanctorum pontificum; membr.* 4." (p. 484) commemorati, cum essem Turoni, iam exstabant, sed in catalogo bibliothecae S. metropol. eccles. Turonensis (studio D. Victoris d'Havannae, Caesaroduni Turonum apud Iacob Poinsot. 1706. 8) p. 17 enumeratur codex: „No. 138. Augustini lib. ad Ianuarium de diversis observationibus. Antiqua canonum collectio. Capitula Ingelramno episcopo data ab Hadriano I. papa: aliquae S. Augustini epistolae. Decretum concilii Arvernensis de pace inter Domnum apostolicum et omnes episcopos Arvern. conc. et comitem Fulconem, annorum 600 in fol.", ad quem codicem auctor catalogi (l. c. p. 67 n.) haec adnotavit: „*Ingelramno* seu Angelramno Metensi episcopo, cui datam ab Hadriano I. papa de iudiciis ecclesiasticis antiquam capitulorum seu canonum collectionem dicit Hincmarus Remensis archiepiscopus in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem c. 24, in quo convenit cum codice nostro manuscripto. Discordant tamen mss. codices monasterii S. Victoris Parisiensis et monasterii Laetiensis qui econtra datam ferunt hanc capitulorum collectionem ab ipso Ingelranno ipsi Hadriano papae, quod quidem verisimilius videtur viris eruditis propter suppositias Romanorum pontificum a S. Clemente ad Siricium usque epistolas, quas his capitulis intermixtas exhibent supradicti codices. Eas enim, inquiunt, ut genuinas non agnovit Hadrianus, quippe quae desint in codice canonum, quem iste pontifex obtulit Carolo regi anno 774, in quo sane minime defuissent, si cuiuspiam fuissent apud ipsum auctoritatis. Unde inferuntur, Hadrianum haec capitula nusquam Ingelramno dedisse, sed potius ea sibi oblata ab ipso Ingelramno accepisse. Verum codex noster tollit hanc difficultatem separando decretales veterum pontificum a S. Clemente ad Siricium usque epistolas ab iis capitulis. Has enim epistolas seorsim continet sub variis titulis, quorum hic prior est: sententiae diversorum patrum de primatu Romanae ecclesiae. Quibus relatis subiuncta deinde tradit Hadriani capitula de ecclesiasticis iudiciis numero viginti duo tantum eademque brevissima sub hoc alio titulo: *Incipiunt quaedam capitula a B. Hadriano papa in unum collecta et Ingelramno Mediomatricae urbis episcopo Romae tradita quando pro sui*

In quibus inscriptio diverse concepta est, et ita quidem omissis variantibus quae tantum ad alium modum verborum scribendorum referri possunt.

In Sangerm. 366. saec. IX. legitur: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et sinodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatricae urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona quando pro sui negotii causa agebatur.*" — Eandem inscriptionem exhibent codd. Salisburgensis saec. X/XI., Vaticanus 630 saec. XI/XII., Audomarens. 189 saec. XII. ineunt. Huc quoque referendi sunt codices Corbeiens. saec. X., Rotomag. saec. XI. 15/9. E., Montecasinensis saec. XI., Vatican. 3791. saec. XII., Abrincensis saec. XII. Inter quos Montecasinensis tantum „*hic capitula sparsim*" etc. habet pro „haec", idemque proferunt Vaticanus 3791 et Abrinc., qui quoque in fine pro „indictione IX." ponunt: *indictione VIII.;* Abrinc. etiam in eo differt, quod omisit verbum „*sunt*" post „collecta" et nomen exhibeat ita: „a Gilramno"[1].

Rotomagensis tantum nomen mutavit in „*Gilranno*", ceteroquin inscriptionem solum usque ad verba „*a beato papa Adriano tradita*" et pro „haec capitula" ita ut Montecas. et Abrinc. „*hic capitula*" exhibens.

In Parisiensi int. suppl. lat. 840. saec. X. titulus ita conceptus est: „*Ex Grecis et Latinis canonibus*[2] *et sinodis Romanis adque decretis presulum ac principum Romanorum hec capitula sparsim collecta sunt et Ingilramo Mediomatricorum urbis episcopo Rome a beato papa Adriano tradita sub diae XIII. Kal. Oct. indictione IX., quando pro sui negotii causa agebatur.*" — Codices Lond. Cotton. Claud. E. V., Claud. D. IX., Lond. King's library 9. B. XII., King's library 11. D. VIII., Lincoln. omnes saeculi XII. eandem inscriptionem habent, nisi quod pro „*Ingilramo Mediomatricorum*" exhibent: „*Ingilramno Mediomatrice*", et codices Parisiensis 1458, 3856 (saec. XII.), 1563 saec. XIV/XV., Rotomagenses E. 11. 6, E. 12. 7. saec. XII. ponunt: „*Ingilranno Mediomatrice.*"

A quibus 20 codicibus, qui paucis exceptis inscriptionem eodem modo conceptam proferunt, iam magis differt codex Trevirensis saec. X., cuius inscriptio ita habetur[3]: „*Haec capitula quae sequuntur de accusatis et accusatoribus ex Grecis et Latinis canonibus, et*[4] *sinodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum in unum collecta et Engilramno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione IX., quando pro suo statu causa habebatur.*"

Cod. Pistoriensis saec. XI/XII. talem eam profert: „*Incipiunt capitula quae ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilkanno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita sunt XIII. Kal. Octbr. indictione IX., quando pro sui negotii causa agebatur.*" — Ita concepta legitur in codicibus Navarre 7. saec. XII. exeunt., Parisiens. 1541. saec. XIV., in quibus tantum forma nominis est *Engilranno*, Sorbonne 729. saec. XV., qui profert *Engilramno*, Veneto IV. 47. saec. XV., ubi legitur *Engilkammo*, Vatic. 1344. saec. XIII. exeunt. qui ponit *Engilcamno.*

Montepessulanus H. 3. saec. XII/XIII., H. 13. saec. XIV., Vatic. 1340. saec. XIV., Venet. CLXVIII. saec. XV. habent inscriptionem: „*Haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatrice urbis episcopo Rome a beato Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur.*"[5]

negotii causa ibi agebatur. Unde nihil obest, quo minus Ingelramnus ea diutius accepisse a Hadriano possit: neque vero codices Victorini et Laetienses hac in re praevalere debent omnibus fere aliis codicibus eorundemque plerisque editionibus quae adiunctam habent authoritatem Hincmari Remensis archiepiscopi."

[1] Sequitur: „Mediomatrice urbis episcopo Romae *a beato papa Adriano*" etc. — [2] Sic correxi „*cononibus*", quod codex exhibet. — [3] Iam edita ab Arminio Wasserschleben (Beiträge p. 23). — [4] Alia manu correctum in „ex". — [5] In Pertz, Archiv (T. VII. p. 194) dici-

Secundum quos 31 codices citatos Hadrianus papa capitula collegit et Angilramno tradidit; ceteros autem codices si sequimur, ab Angilramno collecta et Hadriano tradita sunt, quorum Paris. 3853, Victor. 184, Bononienses duo 115 et 116 (omnes saeculi XII.), Vatican. 631. saec. XIII., Paris. (Corps législatif) saec. XIII. inscriptionem ita conceptam exhibent: „*Incipiunt capitula collecta ex diversis conciliis sive decretis Romanorum ab Agilramno*" (S. Vict. „*Angilranno*", Par. „*Agilrammo*") „*Metensi episcopo et Adriano pape oblata*", cum qua rubrica in tabula initio horum codicum posita: „*liber capitulorum ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum collectorum ab Agilramno Metensi episcopo*" convenit.

In codice autem viri illustris Thomae Phillips similis inscriptio, tamen auctior legitur: „*Ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum et principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et ab Ingelramno Mediomatricae urbis episcopo Romae beato P. Adriano tradita sub die XIII. calend. Octobr. indict. VIII., quando pro sui negotii causa agebat*", ita ut septem tantum codices Hadrianum capitula ab Angilramno accepisse tradant. Qua in re tamen tabulae codicum Montepessulanorum, Veneti CLXVIII. cum iis concordant, ubi eadem capitulorum Angilramni rubrica, ut in codicibus Paris. 3853 ceterisque cum eo citatis exhibetur, Vaticanus 1340 autem similem rubricam sed non eandem profert: „*liber capitulorum ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum collectorum ab Gilranno Metensi episcopo.*"

Singulariter concepta est inscriptio in codice Bernensi: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et ab Angilramno Medio-Matrice urbis episcopo Rome a beato papa Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobres indictione IX., quando pro sui negotii causa agebatur.*"

Deest inscriptio in cod. Cantabrig., qui hac in parte mutilus est, et in Londin. 11 D. IV. saec. XV., ubi librarius qui spatium fecit, eam scribere omisit; adnumerandi tamen codices sunt aliis 31, nam rubrica capitulorum in tabulis praemissis ita concepta est: „*capitula diversarum sanctionum presulum sive principum ab Adriano papa Ingelranno episcopo Metensi tradita.*"

Ordo qui in omnibus codicibus servatur idem est qui in editionibus adhuc divulgatis (cf. Mansi 12, 903 sqq.), tantum singula capita in quibusdam velut in Salisburgensi et Trevirensi omittuntur (cf. editio mea). Plerique manuscripti et quidem vetustissimus Sangerm., Trevirensis etc. numeros capitulis appositos non exhibent; numeri inveniuntur in Parisiensi int. suppl. lat. 840, Corbeiensi, Salisburgensi, Vaticano 630, Abrincensi, Bononiensibus duobus 115. 116, Parisiensi 3853, Parisiensi S. Vict. 184, duobus Montepessulanis, Parisiensi (Corps législatif), Vaticano 1340, Venet. IV. 47. In Parisiensi int. suppl. latina 840, Corbeiensi, Salisburgensi inveniuntur numeri inde a 1—51, et deinde ceteris capitulis numeri 1—20 adiiciuntur: quibuscum Vaticanus 630 et Audomarensis 189 fere in omnibus conveniunt, quorum tamen alter in prima serie exhibet numeros 1—52, et alter numeros 1—53. Posterioribus in codicibus omnia capita continui numerantur et hac ex re orta fuisse videtur divisio quae est in codicibus Bononiensi 115, Parisiensi S. Vict., in Parisiensi 3853, Bononiensi 116, quorum priores duo exhibent 70, posteriores 71 capitula, uti apparebit ex numeris in mea editione secundum omnes codices citatos appositis. Differunt codices Montepessulani duo et Vaticanus 1340, qui 69 numeros ponunt, in Abrincensi 68, in Parisiensi (Corps législatif) 66, in Venet. IV. 47. 63 capitula inveniuntur, quod ortum est partim ex falsa numera-

tur, inscriptio codd. Montepessul. ita concepta esse: „*haec capitula sparsim collecta sunt ab Angilranno*", at in schedis meis, quas in bibliotheca Montepess. his de codicibus conscripsi, ita inscriptio ut in textu prolata exstat.

tione librariorum [1], partim ex eo quod capitula plura in unum congesta sunt. In omnibus ceteris, exceptis Venet. CLXVIII. et codice viri illustris Thomae Phillips, quos non ipse vidi et de quibus nihil certi asserere licet, numeri non exhibentur [2].

Cum plurimis in codicibus capitula continue sine numeris adiectis sequentia inveniantur et quidem in Sangerm. saec. IX. quoque verisimile est, auctorem ipsum numeros non posuisse: quod etiam opusculis Hincmari Remensis et Laudunensis confirmatur, ubi capitula Angilramni non secundum numeros allegantur [3]. Divisione capitulorum, quae non solum ratione codicum sed etiam collectionum canonum vetustiorum [4] habita antiquissima fuisse videtur, in priorem seriem 51 et secundam 20 capitulorum idem probatur, nam talem ipse auctor non fecisset.

Septuaginta duo capitula uti extant in editione Antonii Augustini Tarraconensis archiepiscopi (Op. omn. Luccae 1765. T. 3, 349 sqq.) neque LXXX capitula quae editiones in collectionibus conciliorum (Labbe 6, 1828. Hardouin 5, 2051. Mansi 12, 904) exhibent nullo in codice inveni, quamquam dubitari non potest, quin numerus octogenarius in quibusdam manuscriptis prolata fuerit, cum Gratianus secundum eum capitula alleget [5]. Quis titulos sive rubricas singulis capitulis adiecerit, quae in editionibus Antonii Augustini et conciliorum leguntur, nescio; neque enim ullo in codice habentur. Itaque a quodem editore additos fuisse credere licet.

§. 19. B. Quaeritur quando capitula Angilramni compilata fuerint et quo modo cum Benedicti Levitae et Pseudo-Isidori collectionibus cohaereant?

De capitulis quae vocantur Angilramni magnae adhuc controversiae agitantur: sunt enim qui ea sincera (velut Eichhorn l. c. p. 185, Theiner l. c. p. 28. 33) nec nisi ex sinceris fontibus translatas esse contendant (velut Wasserschleben, Beiträge zur Geschichte der falschen Decretalen p. 24, apud Herzog l. c. p. 347. Gfrörer, Untersuchung über Alter, Zweck etc. der falschen Decretalen. Freiburg 1842. p. 10 sqq.), quorum alii (velut Eichhorn, Theiner) *Hadrianum I.*, alii (velut Wasserschleben, Baluze in praefat. §. 4. in diss. Ant. Augustini de emendat. decr. Gratiani in op. ed. cit. 3, 6) *Angilramnum* ea collegisse dicunt.

E contrario apocryha ea esse affirmant Blascus (l. c. p. 151), Ballerinii (diss. cit. P. III. c. 6. §. 2. no. 8), Hefele (über den gegenwärtigen Stand der pseudo-isidorischen Frage. Tübinger Quartalschrift Jahrgang XXIX. 1847. p. 585),

[1] Velut in Vaticano qui re vera 69 numeros profert, tamen ultimo capiti numerum 73 apponit: nam numeri 43, 61, 71 bis ponuntur et numerum 48 sequitur numerus 56. — [2] In codice Bernensi initio capitulorum tantum priores 4 numeri exhibentur. — [3] Cf. Hincm. Rem. op. LV. cap. c. 24 (II. p. 475), Hincm. Laud. ad Rem. (II. p. 338), eiusd. coll. alt. (II. p. 362), l. c. (II. p. 368) ibid. (II. p. 372. 373). — [4] In collect. canonum codicis Darmstadt. saec. XI. citantur 3 capitula: „*capit. Hadriani c. XV. XXVII. XLII.*“ (cf. Wasserschleben, Beiträge zur Geschichte der vorgratianischen Kirchenrechtsquellen p. 21), quorum duo priora conveniunt cum divisione in codd. Paris. int. suppl. lat., Corbei., Salisburg. exhibita. C. XLII. citatum Wasserschleben affirmat eundem ac 43 editionis Antonii Augustini esse, sed cum c. 43 apud Aug. etiam in codicibus citatis habeat numerum XLIII., cum nullis aliis codicibus autem numeri in cod. Darmst. allati concordent, videtur librarius huius codicis pro numero XLIII. errore XLII. posuisse. Simili codice usus est Burchardus Wormatiensis in decreto suo; profert enim inscriptiones in c. 39 lib. II.: „*ex decretis Adriani pap. cap. XV.*“ et in c. 8 lib. XV.: „*ex decr. Adr. pap. cap. XVI.*“, quorum caput posterius est capitulum XVIum seriei secundae. In c. 200 lib. II. et c. 14 lib. XVI. quidem capitula XXXVIIum et XLIXum codicum laudatorum cum inscriptionibus: „*ex decr. Adr. pp. cap. XXXVIII.*“ et „*ex decr. Adr. pp. cap. IV.*“ exhibentur, sed per errorem librarii hoc accidisse nemo est, qui non videat. — Collectio Anselmo dedicata quae nullum caput Angilramni excepit, et collectio Reginonis quae tantum in c. 35. 36 app. III. duo capitula sub nomine concilii Carthag. affert, nihil ad rem faciunt. — [5] Citantur enim apud Gratianum c. 5 in c. 4 C. IV. qu. 6, c. 21 in c. 2 C. VI. qu. 1, c. 35 in c. 48 C. XI. qu. 1, c. 38 in c. 2 C. V. qu. 3, c. 40 in c. 49 C. XI. qu. 1, c. 41 in c. 1 C. V. qu. 6, c. 44 in c. 40 C. II. qu. 6, c. 49 in c. 5 C. V. qu. 6, c. 50 in c. 1 C. V. qu. 1, c. 52 in c. 3 C. II. qu. 3, c. 64 in c. 3 C. XV. qu. 4, c. 68, c. 72 in c. 6 C. VI. qu. 1.

Phillips (Kirchenrecht T. IV. §. 176), Walter (Kirchenrecht §. 99), Richter (Kirchenrecht ed. cit. p. 73), Rettberg (Kirchengeschichte Deutschlands T. I. p. 502 sqq. 646 sqq.), Goecke (de exceptione spolii p. 28 sqq.).

Neque minus controversum est inter viros doctos, utrum in capitulis decretales Pseudo-Isidorianae excerptae sint (cf. Blascus l. c., Ballerinii l. c., Eichhorn l. c. p. 173, Theiner l. c. p. 36), an Pseudo-Isidorus eis ut fonte usus sit (cf. Wasserschleben ll. cc.), an pars sint fraudis Pseudo-Isidorianae (cf. Knust, de fontibus et consilio Pseudo-Isidorianae collect., Rettberg l. c. p. 646, Goecke l. c. p. 31 [1]).

Quae controversiae cum solum ex inscriptione capitulorum Angilramni et ex fontibus eorum dirimi possint, ego hic duabus de rebus agam et sententiarum ab aliis prolatarum rationem habebo.

Supra §. 18 dixi, omnibus in codicibus (exceptis tantum duobus, Cantabrig. et Londin. II. D. IV., et quidem altero hac in parte mutilo, altero hoc in loco spatium exhibente) inscriptionem proferri. Cum eam quoque uterque Hincmarus in codicibus a se adhibitis invenerit (cf. ep. Hincmar. Rem. II. p. 475. 338. 362) [2], dubitari non potest, quin ab auctore ipso opusculo praemissa fuerit; quamobrem in Ferdinandi Walter (cf. l. c.) sententiam discedere non possum, qui ad hanc quaestionem ullius momenti esse negat inscriptionem.

Itaque primum quomodo inscriptio ab auctore ipso concepta fuerit quaerendum videtur esse. Qua de re pertinaciter Arm. Wasserschleben (ll. cc.) defendit antiquiorem formam esse: „*Ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta et ab Angilramno Mediomatriciae urbis episcopo Romae beato papae Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. ind. IX.*, *quando pro sui negotii causa agebatur.*“ (Cf. Beiträge zur Geschichte der falschen Decretalen p. 23 sqq., apud Herzog l. c. p. 346.) Quam sententiam falsam esse facile est ad demonstrandum.

Ac primum quidem formam inscriptionis a viro doctissimo prolatam nullus codex exhibet, cum in codice ill. Thomae Phillips ita et quidem in ultimis verbis iam corrupta proferatur: „*ex Graecis*“ etc. „*ab Ingilramno*“ etc. „*indict. VIII.*, *quando pro sui negotii causa agebat*“, et alii codices velut Parisiens. 3853, Victor. 184, Bononienses 115 et 116, Vatic. 631, Paris. (Corps législatif) praebeant: „*incipiunt capitula collecta ex diversis conciliis sive decretis Romanorum ab Agilramno Metensi episcopo et Adriano pape oblata.*“ Si autem perpenderis, secundum codices citatos, quorum 6 posterioribus classibus (B et C) codicum Pseudo-Isidorianorum adtribuendi sint et secundum codicem monasterii Laetiensis [3] a Stephano Baluze [4] (notae ad Gratianum, op. Ant. Augustini ed. cit. 3, 187) laudatum, itaque tantum secundum 8 codices ab Angilramno capitula collecta fuisse, econtra secundum alios 33 et codicem deperditum Turonensem et quidem secundum vetustissimos codices a papa Hadriano capitula Angilramno tradita fuisse, sine dubio illa inscriptio quae est in codice Sangerm.: „*Ex Grecis et Latinis canonibus et sinodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta sunt et Angilramno Mediomatricae urbis episcopo Romae a beato Adriano tradita sub die XIII. Kal. Octobr. indictione nona*, *quando pro sui negotii causa agebatur*“, pro ea, quam auctor ipse collectioni praeposuit, habenda est, et id tantum dubitari potest, utrum propria forma nominis episcopi Mediomatricae sit *Angilramnus*, an *Ingilramnus*, an *Engilramnus*, neque enim solum in codicibus citatis, sed etiam in operibus Hincmari Remensis et Laudunensis [5] et aliis in fontibus [6] ita diverse exhibetur.

[1] Qui tamen etiam inter se differunt, qua de re cf. Goecke l. c. — [2] De additione IV. Benedicti Levitae collectionis, ubi multa capitula Angilramni proferuntur, tamen aliis cum inscriptionibus infra disputabo. — [3] Hodie: *Liesse* in Gallia. — [4] Qui inscriptionem ita conceptam esse dicit: „*Liber capitulorum ex diversis conciliis sive decretis Romanorum pontificum collectorum ab Anilramno Metensi episcopo.*“ — [5] Cf. ll. cc. — [6] Angilramnus in c. 55 Cap.

Inscriptionem in codice viri ill. Thomae Phillips contentam esse corruptam iam supra dixi: idem de forma quae in codicibus aliis 7 citatis invenitur dicendum est; in quibusdam aliis enim codicibus velut in Abrincensi (cf. §. 18) nomen ita scribitur: *a Gilramno*, et cum codices laudati 7 (excepto S. Vict. 184) habeant: „*ab Agilramno* aut *Anilramno*", haec forma inscriptionis ad errorem librarii cuiusdam referenda est, qui putans „*a Gilramno*" duo verba esse correxit ea in *ab Agilramno* et postea „*a*" ante verba „*papa Hadriano*" omisit et „*papa*" in *pape* mutavit. Quod confirmatur inscriptione codicis Bernensis, quae ita concepta est: „*... et ab Angilramno Medio-Matrice urbis episcopo Rome a beato papa Adriano*".

Huc accedit quod apud utrumque Hincmarum[1] inscriptio ita ut extat in codicibus vetustioribus Angilramni citatur et in collectionibus canonum velut in collectione cod. Darmst. et in decreto Burchardi et Gratiani non capitula Angilramni sed capitula *Hadriani* (cf. §. 18) appellantur. Itaque auctor collectionis voluit eam ab Hadriano I. papa factam et Angilramno traditam esse.

Sed inscriptio et ipsa capitula falsa sunt. Quod Wasserschleben (Beiträge p. 24, apud Herzog p. 345) affert ad probandum capitula sincera esse, quod hoc est: si apocrypha essent, auctor in inscriptione non fontes a se adulteratos indicasset, ne suspicio lectoribus moveretur, nullius momenti est. Nam capitula aliis ex fontibus collecta fuisse quisque inspiciens ea intellexisset et cum auctor fontes eorum canones graecos et latinos, synodos Romanas, decreta praesulum ac principum Romanorum esse diceret, omnes fontes iuris exceptis legibus barbarorum et capitularibus regum Franconum generaliter enumeravit, ita ut fraus non facilius detegeretur quam si nihil de fontibus attulisset, quin etiam a falsario ipse vir doctissimus ita se decipi passus est, ut non solum non fontes trium capitulorum, c. 59. 60. 77 (ed. Mansi)[2] reperire posset, sed etiam c. 5 (ed. Mansi) aut c. 4 (ed. meae) ex genuina quadam synodo Romana desumtum esse putaret (cf. Beiträge p. 20. 21. 16).[3]

Deinde ex aliis quoque rebus inscriptionem et capitula falsa esse apparet. Secundum indictionem in inscriptione prolatam Hadrianus capitula Angilramno die XIX° mensis Septembris, ut nostro genere dicendi hac in re utar, anni 785 Romae tradidit. Angilramnum, de cuius vita et gestis pauca nobis relata sunt[4], Romae fuisse nullus scriptor memoriae tradidit[5]; at cum in c. 55 conc. Francf. a. 794 legatur:

> „Dixit etiam domnus rex in eadem synodum, ut a sede apostolica, id est ab Adriano pontifici licentiam habuisse, ut Angilramnum archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eadem synodum ut eo modo sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum episcopum habere debuisset; quia et de eodem, sicut et de Angilramno, apostolicam licentiam habebat. Omnis synodus consensit et placuit eis eum in palatium esse debere propter utilitates ecclesiasticas",

Theiner (l. c. p. 28), Wasserschleben (apud Herzog p. 346) sibi persuaserunt, Angilramnum Romam adiisse, ibi cum archicapellanus Caroli M. esset[6], veniam in aula regis Francorum extra dioecesim degendi impetrasse et verba inscriptionis: „quando pro sui negotii causa agebatur" hanc rem respicere. Sed

Francof. 794, annal. Alam. cont. Murbac. (SS. 1, 47), Anghilramnus in quodam necrologio Mettensi saec. VIII/IX. adhuc inedito, Angelramnus in catal. episc. Mett. (SS. 2, 269), Engilramnus in annal. Fuld. (SS. 2, 237), Enghilramnus in annal. Lauresh. (SS. 1, 34), Ingilramnus in chron. Moissiac. (SS. 1, 299).

[1] Cf. ll. cc. — [2] Cf. Ben. Lev. III. 193. 366 (tit. c. 13 conc. II. Arel.), Ben. III. 366. aut ep. cod. Par. int. suppl. lat. 215 ad c. 3 leg. Rom. Visig. C. Th. II. 1, c. 4 ep. 12 Leon. M. (1, 663). — [3] Fontes in editione mea capitulorum Angilramni indicavi. In commentatione apud Herzog p. 345 hanc sententiam Wasserschleben retractavit. — [4] Cf. Rettberg l. c. p. 501 sqq. — [5] False Theiner l. c. p. 29 not. c: „Hincmarus expresse dicit: sui ipsius negotii causa Angilramnum Romam migrasse; vide opusculum 55 c. 24. opp. T. II. p. 475", cum Hincmarus hoc loco tantum verba inscriptionis proferat. Cf. Rettberg l. c. p. 504. — [6] Cf. Rettberg l. c. p. 501, catal. episcop. Mett. (SS. 2, 269).

quamquam concedi potest, ex eo quod nobis de itinere ab Angilramno facto nihil traditum sit colligi non posse, Angilramnum Romae non fuisse neque opus esse ut capitula ab Hadriano de eadem re quam negotium Angilramni spectaverit, agant, verba tamen „*quando pro sui negotii causa agebatur*" solum ad accusationem adversus Angilramnum institutam referri possunt. Cum enim verba „negotium" et „negotium agere" idem quod „actionem intendere" significent[1] et capitula fere omnia ad accusationes episcoporum pertineant, verba inscriptionis tantum ita intelligi possunt, capitula Angilramno tradita fuisse, quando Romae accusaretur: sicque ea etiam is qui codicem Trevirensem conscripsit interpretatus est, verba „*quando pro suo statu causa habebatur*" pro verbis „quando pro sui negotii causa agebatur" ponens. Si igitur consideraveris verisimile non esse, papam Hadrianum iudicaturum de episcopo accusato ei collectionem canonum a se ipso compilatam qua reus se defenderet tradidisse, simulque perpenderis, de Angilramno Romae accusato ut de collectione canonum a papa Hadriano facta nihil a quoquam eius temporis auctore referri, iam dubitari non poterit, quin inscriptio non sincera, sed conficta sit. Quae sententia valde adiuvatur fontibus, ex quibus capitula Angilramni componuntur; opus igitur non est ad falsitatem eorum asserendam id repeti, quod Ballerinii (l. c.) observarunt, in ea multa inesse quae Romanus pontifex nequaquam proposuisset.

Goecke (l. c. p. 31) iam dixit, auctorem capitulorum Angilramni et decretalium Pseudo-Isidorianarum ex eodem tertio opere hausisse; at hoc tertium opus non sunt materiae a Pseudo-Isidoro ad conficienda figmenta sua collectae, sed etiam collectio Benedicti Levitae est. Quamquam haec res difficulter probatur, quia multa capitula Angilramni et Benedicti verbotenus conveniant, tamen inveniuntur nonnulla capita quae iure fontes capitulorum Angilramni reputandi sunt, id quod ex his apparebit:

1) Symmachi const. de rebus eccles. c. 3.	Ben. III. 115. De episcopis damnare volentibus eos a quibus sunt consecrati.	Angilr. 15 (bis).
... *quanto magis* ... *quod a laicis licet consentientibus aliquantis episcopis qui tamen* pontifici a quo consecra*ri* probantur, praeiudicium inferre *non potuerunt*, *praesumptum fuisse non cognoscitur*, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.	*Episcopi* pontifici a quo consecra*ti* probantur, praeiuditium inferre *nullum possunt. Quodsi presumptum fuisse cognoscitur*, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.	Episcopi pontifici a quo consecra*ri* (Vat. 630: consecra*ti*) probantur, praeiuditium inferre *nullum possunt. Quodsi praesumptum fuerit*, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

In prima parte capitis Benedictus et Angilramnus easdem mutationes fontis proferunt, at cum in secunda Benedictus cum c. 3 Symm. const. cit. (cf. verba „*quodsi praesumptum fuisse cognoscitur*") conveniat, Angilramnus autem pro iis verba „*quodsi praesumptum fuerit*" ponat, Angilramnus solo ex Benedicto hausisse potest. Neque repugnat, quod apud Angilramnum et Symmachum „consecra*ri*", apud Benedictum „consecra*ti*" legitur; nam in codicibus saepe *r* et *t* confunduntur, sicut ex codice Vaticano 630, qui exhibet „consecra*ti*", apparet.

2) C. 19 C. Th. IX. 1.	Ben. III. 436.	C. 6. Angilr.
Accusationis ordinem *iam* dudum legibus institutum serva*ri* iubemus, ut quicunque in discrimen capitis arcessitur,	Accusationis ordinem *canonicis* dudum *regulis* institutum servare iubemus ut *si quis clericus in criminali vel in leviori*	Accusationis ordinem dudum *canonicis* institutum *decretis* servare iubemus ut si quis clericorum *in accusatione*

[1] Cf. c. 4 conc. Sardic.: „Ut nullus accusati sedem usurpet episcopi. Gaudentius dixit: ..... ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur et proclamaverit, *agendum sibi negotium* in urbe Roma etc." — C. 9 conc. Chalc.: „Si quis clericus adversum clericum *habet negotium*, non deserat episcopum proprium et ad saecularia percurrat iudicia."

non statim reus qui accusari potuit aestimetur, ne subiectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet *et* vinculum inscriptionis arripiat, custodi*ae* similitudinem, habita tamen dignitatis aestimatione patiatur nec *impunitam* sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.	*causa pulsatur vel* in discrimine capitis arcessitur, non statim reus aestimetur, quia accusari potuit, ne subiectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est qui crimen intendit, in iudicium *episcopale* veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodi*at* similitudinem, habita tamen dignitatis aestimatione patiatur nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.	*pulsatus fuerit*, non statim reus aestimetur, qui (Sal. quia) accusari potuit, ne subiectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodi*at* similitudinem, habita tamen dignitatis aestimatione patiatur nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

Simili modo Angilramnus hic mutationes a Benedicto factas profert, tantum verbum „*episcopale*" omisit, quia id quod Benedictus de ordine accusationis in iudicio episcopi instituendo statuit, in omnibus iudiciis ecclesiasticis vigere vult; sed cum pro verbo „regulis" ponat „*decretis*" et pro „si quis clericus in criminali vel leviori causa pulsatur vel in discrimine capitis arcessitur" verba „*in accusatione pulsatus fuerit*", Benedicto ut fonte usus est Angilramnus, omittens verba „in discrimine capitis arcessitur", quae de accusatione ecclesiastica non apte dicuntur et quae Benedictus fontem sequens in suum capitulum acceperat[1].

3) Tit. c. 13 conc. II. Arelat. (H.)	Ben. III. 193. Ut sacerdotes suam non relinquant ecclesiam.	C. 2 (bis) Angilr.
Ut ne quis qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam.	Ut ne quis qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam. Ben. III. 366. Ut nullus absque inevitabili necessitate suam relinquat ecclesiam. Ut ne quis *dum in ea durare potuerit*, qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam.	Ut ne quis dum in ea durare poterit, qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam.

Benedictus in altero capite profert fontem, in altero addit verba: „*dum in ea durare potuerit*", et cum Angilramnus tantum hunc locum exhibeat, verisimilius est, Angilramnum ex Benedicto hausisse quam Benedictum Angilramnum et fontem exscripisse. — Iam supra (p. CLVIII.) attuli Ben. I. 308. III. 170. II. 398, in quibus conflandis Benedictus adhibuit interpr. c. 1 C. Th. IX. 40. et epit. Aegidii ad c. 2 C. Th. IX. 30. Similia affert Angilramnus in capite 1 (bis) quae prope verbotenus conveniunt cum tit. Ben. I. 308 et parte capitis 170 lib. III. Quod Angilramnus tantum ex Benedicto hausisse potest, nam, nisi ita se res haberet, dicendum esset, Benedictum capitula citata compilasse ex fontibus citatis et Angilramno, cum magis verisimile sit eum secundum fontes titulum fecisse et Angilramnum, qui eum tantum proferat, illum ex Benedicto desumsisse.

4) C. 10 conc. III. Carth. (= c. 15 Carth. D.)	Ben. II. 300. Ut ecclesiasticis audientia minime denegetur provocantibus.	C. 42. Angilr.
Hoc etiam placuit ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse vel aliqua cupiditate aut gratia depravati: sane si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam a pauciori numero quam	Placuit ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum, *non eis denegetur qui provocaverint.* III. 121. Quotiens de minoribus iudicibus ecclesiasticis ad maiores ecclesiasticos iudices fuerit provocatum non eis denegetur qui provocaverint. Placuit etc. = II. 300. I. 404. Ut liceat maiores iudices appellare, quotiens necessitas ingruerit. Quandocumque a quibuslibet iudicibus eccle-	Placuit ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi maior est auctoritas fuerit provocatum, *audientia non negetur.*

[1] Cf. quoque c. 41 C. Th. XVI. 2 et Ben. III. 438 et c. 21 Angilr. — Cassiod. hist. trip. VII. 12 et Ben. II. 381 et c. 10 Angilr.

constitutum est non liceat provocari.	siasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum non eis denegetur qui provocaverint.

Benedictus tria capitula allata confinxit secundum c. 10 conc. III. Carth. et Angilramnus eadem sicut apud Ben. II. 300. III. 121 concepta sunt ponit, tantum in fine verba „non eis etc." mutavit in „*audientia non negetur.*" Cum igitur locos duos inter se cohaerere appareat, dicendum est, Angilramnum verbum „*audientia*" ex titulo Ben. III. 300 hausisse, neque statui potest, Benedictum Angilramno ut fonte usum esse, cum fines trium capitulorum eodem modo proferat neque in ullo verbum „audientia" ponat.

5) Cap. eccles. a. 789 c. 35. Item in eodem ut illi qui non sunt bonae conversationis et eorum vita est accusabilis ut non audeant episcopos vel maiores natu accusare.	Ben. I. 74. De his qui non sunt bonae conversationis. Item = c. 35 cit. Ben. III. 111. De accusatoribus pravae conversationis vel quorum vita est accusabilis non recipiendis in causa sacerdotum. Ut hi qui non sunt bonae conversationis vel quorum vita est accusabilis, non permittantur maiores natu accusare.	C. 13 Angilr. Hi qui non sunt bonae conversationis vel quorum fides, vita et libertas nescitur, non possunt sacerdotes accusare nec viles personae in accusationem eorum admittantur.
[Fontem invenire non licet.]	Ben. III. 112. De accusatoribus quorum fides, vita et libertas nescitur, non admittendis in sacerdotum pulsatione. Quorum fides, vita et libertas nescitur, non possunt sacerdotes accusare. Ben. II. 359. Ut hi quorum libertas nescitur nequaquam accusent sacerdotes. Quorum etc. = Ben. III. 112 exceptis: „possint."	
Cap. cit. c. 45. Item in eodem infra duo capitula ut viles personae non habeant potestatem accusandi.	Ben. II. 362. Ne viles personae ad accusandum sacerdotes admittantur. Viles personae nullatenus admittantur ad accusationem sacerdotum.	

Singulos fontes Benedictus in capitulis a se distinctis profert, itaque is certe ex capitulari citato hausit. Apud Angilramnum autem eadem quae apud Benedictum exhibentur, in unum tamen capitulum congesta sunt et quidem ita ut mutationes a Benedicto factae (cf. verba: „*non possunt sacerdotes accusare*" [Ben. III. 112] et „*admittantur ad accusationem*" [Ben. II. 362]) etiam apud illum inveniantur. Quibus ex rebus apparet, Benedictum ab Angilramno exscriptum esse.

Quibus omnibus probatur, Benedictum fontem capitulorum Angilramni esse. Attamen quo magis sententia mea fulciatur, opus est locos qui contra eam facere videntur afferam:

1) Interpr. tit. I. novell. Marciani.	Ben. III. 323. De non neganda appellatione accusati.	C. 29 Angilr.
... ille vero qui pulsatus fuerit, *si iudicem suspectum* habuerit, liceat appellare ... C. 17 conc. Sardic. ... quia non oportet ei negare audientiam roganti.	Placuit ut accusato si *iudices suspectos* habuerit, liceat appellare, quia non oportet negare audientiam roganti.	Placuit ut accusatus (Corb., Salisb., Par. int. suppl. lat. Trevir.: accusato) si *iudicem suspectum* habuerit licet appellare, quia non oportet negari audientiam roganti.

Nemo dubitare potest, quin capitula Angilramni et Benedictus inter se cohaereant; at dicat aliquis Benedictum capitulum Angilramni excepisse, cum in hoc ut in fonte „*iudicem suspectum*", apud Benedictum autem „*iudices suspectos*" legatur. Tamen cum ipsum Angilramnum verba etiam genuino fonte non adhibito mutare potuisse aut hac in re librarios pro plurali singularem posuisse non inverisimile sit, hac ex re nihil contra sententiam meam concludi potest.

2) **Leg. Rom. Visigoth. Paul. sent. III. 6. 8.**	**Ben. III. 346. De non valendis constitutionibus contra canones et decreta praesulum aut bonos mores conditis.**	**C. 36 Angilr.**
Conditiones **contra** *leges et* **decreta** *principum* **vel bonos mores adscriptae nullius sunt momenti.**	*Constitutiones* **contra canones et decreta praesulum Romanorum** *seu reliquorum pontificum* **vel bonos mores nullius sunt momenti.**	*Constitutiones* **etc. = Ben., omittit tamen** *seu reliquorum pontificum.*

Angilramnus verba „*reliquorum pontificum*" hic consulto omisisse potest; cum enim caput Benedicti tantum ad constitutiones saeculares pertinere intelligi possit, Angilramnus verba laudata supprimens sensum ita mutavit, ut etiam decreta reliquorum pontificum contra decreta praesulum Romanorum statuta nullius momenti esse declararet. Saltem ne hoc quidem capite Benedictum capitulis Angilramni ut fonte usum fuisse probatur.

3) **C. 17 conc. Afric. (D.) = c. 40 conc. III. Carth.**	**Ben. II. 381.**	**C. 12 Angilr.**
... et in eadem plebe cui ordinandus est, discutiantur primo personae contradicentium: postremo etiam illa quae obiciuntur pertractentur ... **C. 21 conc. Chalced. D.** **... clericos aut laicos accusantes episcopos aut clericos passim et sine probatione ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.** **C. 8 conc. Carth. D.** **... sunt quam plurimi non bonae conversationis.**	**. . . . .** **Primo semper** *persona, fides, vita et conversatio* **accusantium inquiratur et postea quae obiciuntur fideliter pertractentur, quia nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum prius vita discutiatur.**	 **Primo semper** *vita et persona* **accusantium** *diligenter* **inquiratur etc. = Bened.**

Differunt Benedictus et Angilramnus eo quod apud hunc desiderantur: „*fides et conversatio*", attamen ea etiam consilio ab Angilramno omissa esse possunt, cum sequenti capitulo (13) eos qui non bonae conversationis sint aut quorum vita et fides nesciatur ad accusandos sacerdotes admitti vetet.

4) **Cass. II. 2.**	**Ben. II. 403. Quod episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit, debent.**	**C. 51 Angilramni.**
Cumque dies constituta venisset, libellos suscipiens[1]: **Hae quidem accusationes,** *inquit,* **tempus** *habebunt* **proprium, i. e. diem magni iudicii: iudicem vero illum qui tunc futurus est,** *omnibus* **iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium,** *simul* **et accusatorum quos minime convenit tales debere monstrar***i* **qui iudicentur ab aliis.** **VII. 2.** *At ille*[2] **super vos est, inquit,** *talis electio: Vos enim gratia divina potiti et illo splendore fulgentes melius poteritis eligere.*	*Constantinus imperator de accusationibus episcoporum ait: Hae* **quidem accusationes tempus** *habent* **proprium i. e. diem magni iudicii: iudicem** *vero* **illum, qui tunc futurus est** *omnes* **iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium** *et simul* **accusatorum quos minime convenit tales debere monstrar***i* **qui iudicentur ab aliis.** *Imperator quoque Valentinianus de episcoporum causis sic ait:* **supra nos, inquit, est vestrum negotium. Et** *ideo vos de vestris inter vos agite causis, quia supra nos estis. Et reliqua.*	*De accusationibus episcoporum Constantinus imperator inter caetera sic ait: Vestrae* **quidem accusationes,** *inquit,* **tempus** *habebunt* **proprium, i. e. diem magni iudicii: iudicem vero illum qui tunc futurus est** *omnibus* **iudicare. Mihi ergo homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium sacerdotum scilicet accusantium** *et simul* **accusatorum, quos minime convenit tales debere monstrar***e* **qui iudicentur ab aliis:** *Cum ab ipso domino magis ipsi sint iudicandi, de quibus ait propheta:* **deus stetit in synagoga deorum, in** *medio autem* **deos discernit.**

[1] Scilicet Constantinus. — [2] Scilicet Valentinianus.

Ruf. hist. eccles. I. 2 in conc. Par. a. 829 lib. III. c. 8.[1]	Ben. I. 315.	
Illud etiam ad exemplum *eis* reducendum est, quod in ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: deus inquit, constituit vos sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: et ideo nos a vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod dei solius inter vos expectate iudicium et vestra iurgia quaecumque *sunt*, ad illud divinum reserventur examen. Vos *etiam* nobis a deo dati estis dii et conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: deus stetit in synagoga deorum, *in medio autem* deos discernit.	... Illud etiam ad exemplum reducendum est, quod = conc. Par. cit. exceptis his: *sint* ... *etenim* ... *in medio deus autem*	
Isidori syn. lib. II. no. 86 (ed. cit. T. VI. p. 519).	Ben. III. 259.[2]	
... non potest condemnari humano examine *quem* deus suo iudicio reservavit ...	... *quoniam* non potest humano *con*demnari examine *quem* deus suo iudicio reservavit ...	*Neque possunt* humano condemnari examine *quos* deus suo reservavit iudicio *et reliqua talia et his similia.*
Synod. Rom. sub Silv. aut const. Silv. c. 3.	Ben. I. 302.	
... Neque praesul summus a quoquam iudicabitur, quoniam est scriptum: Non est discipulus super magistrum ...	... Neque praesul summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: Non est discipulus super magistrum.	Neque praesul summus a quoquam iudicabitur, quia *dicente domino* non est discipulus super magistrum.

Quibusdam in verbis, velut „*inquit*", „*habebunt*", „*omnibus*", „*in medio autem deus*" Angilramnus magis cum fontibus allegatis concordat quam Benedictus: at hae res levis momenti sunt et ex erroribus librariorum provenisse possunt. In ceteris omnibus Benedictus cum fontibus magis concordat, quin etiam cum Angilramnus quasdam mutationes etiam apud Benedictum exhibitas proferat (cf. initium cap.), Benedictus Angilramno ut fonte usus non est, e contrario verisimile videtur, Angilramnum qui omnes fontes capituli sui a Benedicto receptos inveniebat, illum adhibuisse.

5) C. 1 i. f. conc. VII. Tolet.	Ben. II. 322.	c. 20 (bis) Angilr.
Nam quid magis eorum utilitatibus videtur ferre consultum, si huius constitutionis *nostrae* forma *ab ipsis principibus* servetur *et omnibus subiectis impleri cogatur? Si quis vero haec instituta putaverit execranda*, anathema fiat et velut praevaricator catholicae fidei semper *apud dominum* reus existat quicumque regum deinceps canonis huius censuram in quocumque crediderit *vel* permiserit violandam.	Ut nullus regum huius canonis censuram in aliquo violare permittat. Huius constitutionis forma servetur, *ut execrandum* anathema *fiat* et velut praevaricator catholicae fidei semper *a domino* reus exsistat, quicumque regum deinceps canonis huius censuram in quocumque crediderit *aut* permiserit violandam.	*Item generali decreto constituimus ut execrandum* anathema (Corb., Sal. add. *fiat*) et velut praevaricator catholicae fidei *apud dominum* reus existat quicumque regum *vel potentum* deinceps canonum censuram in quorumque credidit *vel* permiserit violandam.

Quamquam apud Angilramnum verba „*apud dominum*" et „*crediderit vel permiserit*" cum fonte, non cum capite Benedicti conveniunt, tamen Benedictum Angilramnum adhibuisse contendi non potest, nam ceteris in rebus ille concilium

[1] Cf. quoque lib. I. c. 29 conc. cit. et const. Wormat. a. 829. (Leg. 1, 338.) — [2] Cf. quoque Ben. III. 373.

Toletanum exscripsit, ita quidem ut cum retinuerit verba „*huius canonis censuram*" quicumque quaerat, quem canonem ipse Benedictus his verbis respexerit: e contrario Angilramnus ea verba mutans vetat, regem quemlibet aut potentem canones violare. Etiam initio Benedictus magis cum fonte concordat neque verba „*vel potentum*", quae apud Angilramnum solum leguntur, exhibet. Itaque cum verba „*a domino*" apud Benedictum corrupta ex „*apud dominum*" fuisse verisimile sit et verba „*vel*" et „*aut*" saepius a librariis confundantur, etiam hoc ex capitulo nihil contra sententiam meam concludi potest.

Quae omnia si consideraveris et perpenderis multos locos in capitulis Angilramni et in collectione Benedicti verbotenus convenire (quos in tabula in §. 15. prolata et in editione capitulorum Angilramni indicavi) mea sententia comprobata esse videbitur, idque eo magis, quia in nullo capitulo Benedicti neque ullo alio priore fonte citantur[1]. Itaque statuendum est, capitula Angilramni falsa esse.

Quomodo autem cohaereant cum fraude Pseudo-Isidoriana nunc ostendam. Qua in re partim in sententiam Arminii Wasserschleben discedo, qui ea a Pseudo-Isidoro ut fontes adhibita esse probavit (Beiträge p. 13 sqq. et apud Herzog p. 345 sqq.), partim in sententiam Feodori Goecke (de except. spolii p. 31) affirmantis capitula Angilramni partem fraudis esse. At cum Goecke (l. c. p. 36. 39. 40) conatus sit probare, capitula Angilramni ex uno eodemque tertio fonte ut Pseudo-Isidorum hausisse similiaque quaedam iam ante eum Rettberg (Kirchengeschichte T. I. p. 646 sqq.) contenderit, latius hac de re agendum est. Ac primum quidem capitula ex decretalibus hausta non esse apparebit ex his locis:

1) c. 1 (bis) Angilr. Iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur. C. 2 (bis) Angilr. Irritam esse iniustam episcoporum damnationem, idcirco a synodo retractandam.	Fel. I. pp. 4. Primates quoque accusatum discutientes episcopum non ante sententiam proferant damnationis quam apostolica freti auctoritate aut reum se ipse confiteatur aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincatur: irritam esse iniustam episcoporum damnationem, idcirco a synodo retractandam. Iul. 12. Primates accusatum = Fel. I. pp. 4.

Supra iam dixi, c. 1 (bis) Angilramni haustum esse ex Benedicti Lev. collect. (cf. tit. I. 308. III. 170); sed cum c. 2 (bis) verbotenus desumtum sit ex c. 28. conc. IV. Carth., apud Benedictum non prolatum et duo loci alter post alterum apud Angilramnum et coniuncti apud Pseudo-Isidorum exhibeantur, a Pseudo-Isidoro capitula Angilramni, non Benedictum simul cum c. 28 conc. Carth. cit. adhibita esse verisimile est.

2) C. 15 conc. Ant. (D.) Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus episcopis eiusdem provinciae ...	Ben. II. 381. Omnis accusatio intra provinciam audiatur et a comprovincialibus terminetur.	C. 9. Angilr. Ultra provintiae terminos accusandi licentia non progrediatur. Omnis accusatio intra provintiam audiatur et a conprovincialibus terminetur.	Steph. 10. Ultra provintiae vero terminos accusandi licentiam non progrediatur, sed omnis accusatio intra provinciam audiatur et a conprovintialibus terminetur, *nisi ad sedem apostolicam fuerit tantum appellatum.*
C. 10 C. Th. IX. 1. Ultra provinciae terminos accusandi licentia non progrediatur.	Ultra provinciae terminos accusandi licentia non progrediatur.		Iul. 17. Similiter in iam fata Nicena synodo statutum est, ne ultra provintiae terminos accusandi licentia non progrediatur, *nisi ad hanc apostolicam fuerit sedem provocatum.*

Angilramnus hic a Pseudo-Isidoro exscriptus non est. Id tantum quaeri potest, utrum Pseudo-Isidorus Benedicto an Angilramno usus sit: et cum apud hunc locus ita ut apud Stephanum proferatur, fontem fuisse Angilramnum, non Benedictum, statuendum est.

[1] De capitulis in add. IV. Bened. allatis in fine huius §. disseram.

3) Cass. VII. 12.	Ben. II. 381.	C. 10 Angilr.	Zeph. 12.
Depositos autem ab eis qui dissimilem patri filium asserebant, sedes proprias recipere decreverunt. Si quis autem eos accusare vellet, aequo hoc periculo facere *sanciverunt*, iudices esse decernentes episcopos recte sapientes et de vicinis provinciis in ecclesiam convenientes ubi testes essent singulorum qui dicerentur oppressi.	Episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos in sedes proprias recipi et sua omnia *legaliter primo* eis reddi *sancti canones decreverunt; et postea* si quis eos accusare vellet aequo periculo facere *sanciverunt*, iudices esse decernentes episcopos recte sapientes in ecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur.	*Placuit episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias primo recipi* et sua omnia eis reddi *et postea* si quis eos accusare vellet aequo periculo facere. Iudices = Ben. II. 381.	*Praeceptum est ergo in antiquis statutis episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos in aecclesias proprias* recipi et primo sua omnia eis reddi et demum si quis eos *iuste* accusare voluerit etc. = Ben. et Angilr.

Dubitari non potest, quin Angilramnus Benedicto ut fonte usus sit, nam magis cum eo quam Pseudo-Isidorus convenit: cum autem Pseudo-Isidorus ita ut Angilramnus pro „sedes proprias" ponat „*ecclesias proprias*" et addat „*praeceptum est*" etc. et verbum „*iuste*", Pseudo-Isidorus Angilramnum adhibuit[1].

4) C. 19 C. Th. IX. 1.	Ben. III. 436.	C. 6 Angilr.	Eutic. 7.
Accusationis ordinem iam dudum *legibus* institutum servari iubemus, ut quicumque in discrimen capitis arcessitur non statim reus etc. ut p. CLXX.	Accusationis ordinem *canonicis* dudum *regulis* institutum servare iubemus, *ut si quis clericus in criminali vel leviori causa pulsatur vel* in discrimine capitis arcessitur non statim reus etc. cf. p. CLXX.	Accusationis ordinem dudum *canonicis* institutum *decretis* servare iubemus, *ut si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit*, non statim reus aestimetur etc. cf. p. CLXX.	Accusationis vero ordinem talem *et didicimus* (al. cod. *dicimus*) et servari debemus (Bb. *iubemus*), *id est si quis clericorum in crimine impetitur* non statim reus estimetur etc.

Rettberg (l. c. p. 651) dicit: capitulum Angilramni post decretales Pseudo-Isidori confictam, quia Pseudo-Isidorus verba „*canonicis decretis*" non omisisset, si Angilramnum ante oculos habuisset. Attamen cum, cur Pseudo-Isidorus haec verba poneret, non esset, quia Pseudo-Isidorus haec statuta papae Euticiano adfinxit, Rettberg immerito hoc protulit. E contrario apparet, Angilramnum Benedicto, Euticianum Angilramno ut fonte usum esse, nam neque apud Euticianum neque apud Angilramnum verba fontis „*in discrimen capitis arcessitur*" leguntur, et Euticianus verba „*ut si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit*" mutavit in „*ut si quis clericorum in crimine impetitur*": quae verba posteriora ab Angilramno mutata esse non possunt, cum Angilramnus eodem verbo ac Benedictus „*pulsari*" utatur[2]. Ad contrariam suam opinionem comprobandam Rettberg quoque alia capitula affert, de quibus nunc disserendum est. Sunt haec:

5) c. 15 conc. Ant. (D.)	Ben. III. 381.	Angilr. c. 2.	Iul. 5. 6.
Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus eiusdem provinciae. Apolog. Ebbon. a. 840. ... compulsus ad tribunal palatinum, non ad synodalem sanctorum patrum conventum, quo violenter non licet trahi, sed magis liberum canonice vocari episcopum. Cass. IV. 9: non oportere praeter	Auctoritas ecclesiastica atque canonica docet, non debere absque sententia Romani pontificis concilia caelebrare. Nullus episcopus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica atque canonica vocatione congregata super quibusdam criminibus pulsatus audiatur.	Nullus episcopus nisi canonice vocatus et in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, cui iussione domini et beati Petri apostoli singularis congregandorum conciliorum auctoritas et sacrorum canonum ac venerandorum patrum decreta multipliciter privata tradita est potestas super quibuslibet criminibus pulsatus	... unanimiter in praedicta Nicena statuerunt synodo, ut nullus episcopus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, i. e. iudicetur aut dampnetur. Sin aliter praesumptum fuerit in vanum deducatur quid egerint nec inter ecclesiastica ullo modo reputabuntur. Ipsa vero primae sedis ecclesiae convocandarum generalium synodorum iura et iudicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia sem-

[1] Dam. 12. 13. (cf. supra p. CLV.) videtur adhibuisse c. 10 Angilr. et Ben. II. 381. — [2] Cf. Goecke l. c. p. 38, qui tamen variantes in codicibus Pseudo-Isidorianis non exhibitas profert.

sententiam Romani pontificis concilia celebrari.

Const. Symm. de reb. eccles. c. 3.

.... praesumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

Praefat. conc. Niceni coll. Quesn. (op. Leon. ed. Ball. 3, 23):

quoniam sancta ecclesia Romana nullis synodicis decretis praelata est, sed evangelica voce domini et salvatoris nostri Iesu Christi primatum obtinuit, ubi dixit beato apostolo Petro: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam etc.

Innoc. I. ep. ad Fel. Noc. (H. no. 9) pr.:

ad nos, quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre..

Eiusd. ep. ad Decent. (H. no. 6) pr.

... ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est....

Ben. III. 115.

Quodsi praesumptum etc. = Const. Symm. l. c.

audiatur vel impetatur.

Sin aliter praesumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabuntur nec ullas habebit vires quicquid ei obviaverit. Quoniam eadem sedes testante veritatis voce primum primatum obtinuit nec prima diceretur, si aliam super se haberet. Quae etiam caput est omnium ecclesiarum a qua omnes sumpsere originem: primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis sed domino largiente qui ait: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et reliqua talia et his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit praeceptionibus non exeat impunitus sed gradus sui periculo subiacebit.

per maiores causae ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri praecepte sunt, nec ullo modo potest maior a minore iudicari.

Ipsa namque omnibus maior et praelata est ecclesiis quae non solummodo canonum et sanctorum patrum decretis sed domini salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es, inquiens, Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et reliqua. Et quodcumque ligaveris et solveris super terram, erunt ligata et soluta in caelo et in terra. Porro dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum in praefatis antiquis decretum fuerat statutis quae actenus sancta et universalis apostolica tenet ecclesia non oportere praeter sententiam Romani pontificis concilia celebrari nec episcopum dampnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatum omnium ecclesiarum esse voluerunt: et sicut beatus Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita et haec ecclesia suo nomine consecrata domino instituente prima et caput sit ceterarum et ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores ecclesiae causae et iudicia episcoporum recurrant.

In prima parte capituli sui Angilramnus Benedicto usus est, verba „canonica vocatione" mutavit in „*canonice vocatus*", addidit in fine „*vel impetatur*", ex verbis „apostolica auctoritate congregata" adhibito initio Benedicti: „auctoritas ecclesiastica" etc. composuit ea quae in verbis „*cui iussione*" etc. statuit. Pseudo-Isidorus autem Angilramnum et alios fontes quos in editione mea indicavi ante oculos habuit, neque, ut vult Rettberg l. c., Pseudo-Isidorus ab Angilramno excerptus est. Nam primum apud Pseudo-Isidorum multa leguntur, quae Angilramnus exscripsisset, velut ea quae de referendis iudiciis episcoporum ad sedem apostolicam, deinde verba „*congregandorum conciliorum auctoritas*", quae secundum Benedictum Angilramnus posuit, ex verbis Iulii „*convocandarum generalium synodorum iura et iudicia episcoporum*" excerpta esse non possunt; tum idem dicendum est de verbis antea exhibitis: „*pulsatus audiatur vel impetatur*" (apud Angilr.) et: „*pulsatus audiatur i. e. iudicetur vel dampnetur* (apud Pseudo-Isid.); denique inverisimile est, Angilramnum si excerpsisset Pseudo-Isidorum, non eundem ordinem secutum esse et verba „*sin aliter praesumptum esse*" non eodem loco posuisse. Econtra Pseudo-Isidorus cum latius de primatu sanctae Romanae ecclesiae agere vellet, quod apud Angilramnum in verbis „*cui iussione*" etc. statutum inveniret, hoc loco omisit et postea multum amplificata adiunxit. Neque refert in fine capituli Angilramni legi:... „*aedificabo ecclesiam meam, et reliqua talia et his similia*", apud Pseudo-Isidorum autem: „*aedificabo ecclesiam meam, et reliqua. Et quaecumque ligaveris*" etc.,

nam etiam Pseudo-Isidorus versus hos ex Matth. XVI. 18. 19 desumtos non integros profert, quin etiam ut Angilramnus verba „et reliqua“ exhibet; posteriora autem „*et quaecumque*“ etc. bene ex memoria aut ex praefatione Quesnelliana addere potuit[1].

6) C. 21. conc. Chalc.	Ben. I. 393.	C. 3 Angilr.	Sixt. I. pp. 3.
Clericos aut laicos accusantes ... ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio. C. 17. conc. Afric. (D.) = c. 40 conc. III. Carth. ... et in eadem plebe cui ordinandus est, discutiantur primo personae contradicentium.	*Item a praedicta sancta Romana et apostolica ecclesia sancitum est et ab omnibus synodali auctoritate decretum, ut semper primum persona*, fides, vita, *conversatio accusantium enucleatim* perscrutetur *et postea quae obiciuntur pertractentur: quia non aliter quicquam fieri debet, nisi prius inpetitorum vita discutiatur* (cf. II. 381).	*Placuit ut semper primo in accusatione clericorum* fides et vita blasphemantium perscrutetur.	*De cetero placuit propter malorum hominum infestationes ut in accusatione domini ministrorum primo persona*, fides, vita *et conversatio* blasphemantium enucleatim perscrutetur. Nam fides etc. = c. 3 Angilr. Iul. 12. Placuit ut semper *in accusatione clericorum* primo fides et vita etc. = c. 3 Angilr. omisso: *enucleatim*.
Xysti Pyth. s. 156: Fides actus tuos omnes praecedat. Eiusd. s. 5: Dubius in fide infidelis est. C. 64 conc. IV. Tolet. ... nec eis esse credendum, qui veritatis fidem a se abiiciunt.	Ben. I. 335. ... nec eis esse credendum qui veritatis fidem ignorant.	Nam fides omnes actus hominis debet praecedere, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant aut non rectae conversationis vitam ducunt, quoniam tales facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda.	

Rettberg (l. c.) capitulum ex decretalibus excerptum esse dicit, quia de eadem re fusius et latius Angilramno agit, et addit verba „*et credentes*“ post verba „*recte et pie viventes*“. Attamen haec verba in nullo antiquiore codice leguntur, et si locos diligenter inspexeris, intelliges illis Rettbergii sententiam nullo modo confirmari.

Angilramnus a Benedicto adhibitus non est, profert enim duas sententias Xysti Pythagoraei quae apud Benedictum non inveniuntur, contra Angilramnus Benedicto usus esse potest, cum ea quae apud hunc in diversis capitulis exhibentur congesserit. Pseudo-Isidorus autem qui Angilramni capitulum tantum quibusdam rebus mutatis bis profert, eo et capitulo Benedicti ut fonte usus esse mihi videtur, qua re etiam id explicatur quod initio Sixti c. 3 plura quam apud Angilramnum et verba „*domini ministrorum*“ pro verbis „*in accusatione sacerdotum*“, quae apud Iulium inveniuntur, legantur. Saltem nulla ratio afferri potest, qua statuendum sit, Angilramnum a Pseudo-Isidoro esse exscriptum.

7) Rettberg l. c. Arminium Wasserschleben[2] refellere conatus est dicentem Fel. I. pp. fin. c. 8. et c. 9—14 desumta esse ex c. 4 Angilramni. Ait enim, Angilramnum mutasse ideo verba „*tempore congruo i. e. autumnali vel aestivo*“, ut statuta Nicaeni concilii in memoriam lectorum revocaret; deinde pro sua sententia facere putat, quod apud Felicem quaedam latiora quam apud Angilramnum habentur; tandem obiicit, initium Angilramni ex decretali haustum esse, quia verbis eius „*sancta synodus Romana dixit*“ fons indicaretur quod aliis in capitulis Angilramni factum non esset. Mihi Arminii Wasserschleben sententiae adhaeren-

[1] Capitulum 3. Angilr. postea insertum esse Wasserschleben (Beiträge p. 15 et apud Herzog p. 345) contendit. Sed cum in cod. Sangerm. saec. IX., Corbeiensi saec. X., Paris. int. suppl. lat. 840 saec. X. legatur et cod. Trevirensis etiam alia capitula velut c. 6. 36. 43. c. 16 (bis), c. 17 (bis), quae res Pseudo-Isidoro proprias non continent, omittat, eius sententia refutatur. — [2] Beiträge p. 16.

dum esse videtur. Ex textu Angilramni et Felicis nihil colligi potest, quin etiam cum apud Angilramnum legatur: „*ipse dispositis ordinatisque libere ac secure suis tunc canonice convocatur ad tempus synodo in legitima et canonica veniat ad causam*“, apud Felicem autem: „*ipse dispositis ordinatisque libere ac secure diu suis tunc regulariter infra quatuor vel quinque aut septem menses iuxta quod possibilitas ei fuerit et non ante convocatus ad tempus concilio in legitimo et canonico veniat ad causam*“, dicendum esse videtur, Angilramnum a Pseudo-Isidoro adhibitum fuisse; nam si Angilramnus Pseudo-Isidoro usus esset, non omisisset ea quae de spatio temporis apud Felicem statuta sunt.

Apertissime autem fonte quem Angilramnus adhibuit probatur, Pseudo-Isidorum ex Angilramno hausisse. Dubitari non potest, quin Angilramnus capitulum suum secundum Benedictum (III. 153) multis aliis adhibitis conceperit, cum in c. 153 de iisdem rebus, de exspoliatione, de admonitione caritativa, de concocandis episcopis accusatis ad synodum, de primatibus iudicibus agatur. Comparatis autem his verbis Benedicti et Angilramni:

Bened. III. 153.	c. 4 Angilr.
... quodsi sponte aut aliqua necessitate compulsus aut in fratrum conventu aut in quolibet loco canonice vocatus *nec olim* familiariter commonitus venerit a nullo conpellatur antequam haec fiant, ut respondeat, sed prius ut praelibatum est, familiariter conveniatur, ut de se et de suis ea sanet, unde querimonia agitur. *Deinde tempore in Nicenis canonibus praefixo ut canonice respondeat ad synodalem convocetur conventum.* Et ut episcopum apud iudices publicos nemo audeat accusare sed aut apud primates dioecesearum aut apud sedem apostolicam.	... postquam ipse ab eis caritative conventus fuerit, ut ipsam causam emendari debeat et eam corrigere noluerit, *non olim* sed tunc ad summos primates causa eius canonice deferatur. *Qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore in canonibus praefixo Nicenis concilium canonice convocare debebunt*, ita ut ab omnibus eiusdem provinciae episcopis in ea audiatur...

Angilramnum Benedicto tamquam fonte usum esse manifestum est: itaque cum Angilramnum aut Pseudo-Isidorum exscripsisse aut a Pseudo-Isidoro excerptum esse necesse sit, Angilramnus autem ita ut Benedictus verba „*tempore in Nicenis canonibus praefixo*“ proferat, nihil aliud superest quam ut Pseudo-Isidorus Angilramnum adhibuerit, et Wasserschleben (l. c.) recte dixit: a Pseudo-Isidoro ideo verba citata Angilramni mutata fuisse in verba „*tempore congruo i. e. autumnali vel aestivo*“, quia concilium Nicenum post tempora Felicis papae celebratum est.

Neque loci quos attulit Goecke (l. c. p. 36. 37. 39. 40) meae sententiae adversantur.

8) Epist. Hadriani c. 3 Sardic.	Ben. III. 315.	C. 20 Angilr.	Iul. 12.
Ut inter discordes episcopos comprovinciales episcopi audiant. Quod si *damnatus* appellaverit Romanum pontificem, id observandum quod ipse censuerit.	Placuit ut si episcopus *accusatus* appellaverit Romanum pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.	= Ben. III. 315.	Placuit si *accusatus vel damnatus* episcopus appellaverit Romanum pontificem, id statuendum quid ipse *iuste* censuerit.

Cum a Pseudo-Isidoro Angilramnum et Benedictum aliis in locis excerptum esse probaverim, hic etiam Pseudo-Isidorus aut Ben. III. 315. aut c. 20 Angilramni usus est adhibuitque fontem genuinum, quem etiam aliis in decretalibus exscripsit (cf. tabula in §. 15. prolata).

9) Allegat Goecke quoque c. 3 Symm. const. de reb. eccles., Ben. III. 115, c. 15 (bis) Angilr. (cf. supra p. CLXX.), Marcellini c. 3, affirmans, Marcellinum ut fonte Angilramno usum non esse, cum verba „*praesumptum fuisse cognoscitur*“ apud eum, sed non apud Angilramnum occurrant. At cum eadem quoque apud Benedictum legantur, dubitari non potest, quin Marcellinus hunc adhibuerit.

10) Tandem locorum ab eo allatorum, scilicet c. 1. et interpr. C. Th. II. 18, Ben. I. 400, c. 23 Angilr., Eleuth. 2. 3, Iul. 16. in editionibus meis Pseudo-Isidori et Angilramni textus alius exhibetur, in quo illae mutationes c. 2. 3 Eleutherii, quibus sententia Feodori Goecke nititur, non inveniuntur.

Itaque nostra sententia haec est: **Pseudo-Isidorum ut fontibus et capitularibus Benedicti et capitulis Angilramni usum, multa autem capitula Angilramni ex capitularibus Benedicti hausta esse.**

Sunt igitur compilata post absolutam Benedicti collectionem et ante collectionem Pseudo-Isidorianam aut saltem simul cum illa, scilicet intra annos 847 et 853, intra quos, ut infra ostendam, collectio Pseudo-Isidori perfecta sit necesse est. Etiam id asserendum est, ea non solum materias ad fraudem Pseudo-Isidorianam conficiendam fuisse, quamquam ut fontes in ea consuenda adhibita sint. Nam si tantum huius rei causa compilata fuissent, auctor eorum inscriptionem eis non praeposuisset neque ea, quod ex allegationibus utriusque Hincmari apparet, cum illa inscriptione propagasset.

Auctorem eorum ipsum Pseudo-Isidorum fuisse affirmaverim, quamquam id aperte probare non possum. Inscriptio enim a fraude Pseudo-Isidoriana non abhorret, quin etiam, cum in ipsa inscriptione auctor diem, quo capitula ab Hadriano Angilramno tradita esse vult, ponat et Pseudo-Isidorus multos dies fictitios in suis decretalibus proferat, id cum figmentis Pseudo-Isidorianis bene concordat.

Ex iisdem deinde fontibus Pseudo-Isidorus et Angilramnus compositi sunt et de iisdem rebus in ambabus collectionibus agitur. De personis enim accusatoribus, de exceptione spolii, de ordine accusationis etc. multa quae cum decretalibus conveniunt Angilramnus profert, tamen illae de iisdem rebus latius et fusius tractant et decreta apud Angilramnum statuta amplificant. In Arminii Wasserschleben sententiam (Beiträge p. 16. 21) autem discedere non possum, qui censet, capitula quaedam rebus a Pseudo-Isidoro statutis contradicere. Nam capitula a viro docto pro sententia sua allata c. 5. 9 in f., c. 24. 25[1] eam omnino non comprobant. Can. 5 enim, quo episcopo a metropolitano suo gravato permittitur aut primatem aut sedem Constantinopolitanam adire, ut iam recte Goecke (l. c. p. 41) animadvertit: „sine ullo periculo immutatus recipi potuit, cum omnino non timendum esset, ne quis occidentalis episcopus Constantinopolitanam sedem adiret, sed per se cuique manifestum esset, in occidenti ad Romanam sedem hoc referendum esse". Accedit, quod idem in Hadriano-Dionysiana (cf. c. 17 conc. Chalced.) in Occidenti late diffusa legebatur et in c. 17 Angilramni verbis: „nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit aut infestos senserit, apud primatem dioceseos aut apud Romanae sedis pontificem iudicetur" Romano episcopo ius suum servatur. Alia capitula vetant, episcopum accusatum ab aliis quam a comprovincialibus episcopis iudicari, quod etiam saepius apud Pseudo-Isidorum statuitur (cf. Anacl. 15, Iul. 12. et loci in edit. Angilr. ad capit. laud. cit.), sententiam autem definitivam secundum Angilramni decreta, non solum secundum decretales Romano pontifici competere, apparet ex c. 2 Angilr. („nisi in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata" etc.), c. 8 („salvo Romanae ecclesiae in omnibus primatu" etc.), c. 20 (supra p. CLXXIX. allat.)[2].

Quibus omnibus perpensis recte contendi potest auctorem capitulorum Angilramni Pseudo-Isidorum fuisse et collectionem ideo fecisse, ut et eis in conficiendis decretalibus uteretur et ordinem accusandorum episcoporum sub uno aspectu collocatum proponeret, quem in decretalibus multos in locos diffusum exhibebat. Etiam haec sententia confirmatur et iis quae Pseudo-Isidorus de numero capitulorum concilii Nicaeni profert et **modo quo capitula Angilramni in additione IV. Benedicti Levitae habentur.** In praefatione sua (c. 9) dicit Pseudo-Isidorus Nicaeni concilii non XX, sed LXX capitula fuisse, quod repetit in epistola Athanasii ad Marcum papam et in rescripto eiusdem ad eundem, adductus ad id confingendum codicibus concilii Nicaeni canones et Sardicenses coniunctim exhibentibus[3]. Capi-

[1] In edit. concil. c. 6. 12. 27. 28. — [2] Goecke l. c. p. 41. — [3] Quorum aliquot enumerant Ballerinii, diss. cit. P. II. c. 1 no. 13 sqq. (cf. quoque ibid. P. III. c. 2 no. 6). Exhibentur in iisdem XX canones Nicaeni concilii et XX Sardicensis in unum coniuncti

tula autem quae Pseudo-Isidorus ex Nicaeno concilio sumta profert apud Iulium (c. 12) et Felicem II. (c. 12) magna ex parte cum Angilramni capitulis concordant aut ex iis hausta sunt. — In collectionis Benedicti additione IV. autem capitula Angilramni sub hoc titulo non exhibentur, sed ut capitula diversarum synodorum Romanarum. Cum autem capiti 22. praemittatur inscriptio: „*de personis et accusationum querelis non recipiendis. Ex sexta sinodo Romana cap.* 11, *cum qua et Nicena sinodus et decreta Iulii et Simmachi papae et alia sinodica concordant*“ et similia in c. 9 Angilr. et Iul. c. 7. 12 legantur [1], et in c. 24 addit. IV. proferatur c. 2 Angilr. cum inscriptione: „*ex sinodis Romanis capitulo* 49 *et ex decretis Iulii* [2] *papae*“, hac ex re apparet, illum qui additionem Benedicti fecerit, iam scivisse, capitula hodie Angilramni vocata apud Pseudo-Isidorum ut capitula Nicaeni concilii afferri et in decretis Iulii exhiberi. Quin etiam ille, qui additionem adiunxit, etiam fontes capitulorum et Pseudo-Isidori cognovit, ut intelligitur ex inscriptione cap. 23 l. c. „*ex decima sinodo Romana capitulo* 7, *cum qua et concordat Antiocenum concilium in capitulo* 22“, quod verus fons capituli Angilramni est. Quae omnia si consideraveris et perpenderis me supra (§. 17 i. f.) probare conatum esse, Pseudo-Isidorum ante absolutam collectionem additionem Benedicto adiecisse, idem non immerito statui potest, etiam Pseudo-Isidorum auctorem capitulorum Angilramni fuisse. Quis enim alius ante perfectam Pseudo-Isidorianam collectionem partes decretalium partes capitulorum habuerit, quis fontes eorum cognoverit, quis materias eas protulerit, quis sciverit, capitula Angilramni ut in Nicaeno concilio statuta allegatum iri in decretis Iulii [3], nisi idem auctor et collectionis Pseudo-Isidorianae et capitulorum Angilramni, ipse Pseudo-Isidorus? [4]

et titulis praemissis: „*Canon Nicaenus seu Sardicensis qui in Graeco non habetur*“ aut „*incipiunt tituli concilii Nicaeni numero XX episcoporum qui in Graeco non habentur, sed in Latino esse inveniuntur tantummodo*“. Ad quod respexisse Pseudo-Isidorum evidens est in epistola Athanasii citata proferentem: „sane praesentibus nobis octoginta in memorata capitula tractata sunt synodo, scilicet quadraginta a Grecis Greca edita lingua et quadraginta a Latinis similiter Latina edita lingua, sed visum trecentis decem et octo patribus in praedicto sancto spiritu repletis concilio congregatis et maxime iam dicto Alexandro et apostolicae sedis apocrisiariis ut decem capitula adunarentur, aliis atque congruis in locis insererentur et ad formam LXX[ta] discipulorum vel totius orbis terrae linguarum LXX[ta] tanti et tam excellentis concilii fierent capitula“.

[1] Cf. c. 9 Angilr.: „accusationes et accusatores atque earum negotia quae seculares non adsciscunt leges divina ac synodica funditus a clericis repellere auctoritate censemus.“ Iul. 7: „est etiam in iam fata Nicena concorditer statutum synodo, ut accusationes et accusationes quas saeculi non admittunt leges a sacerdotali funditus averti nocumento“. Iul. 12: „accusationes et accusationes quas leges saeculi non adsciscunt et nos unanimiter submovemus“. Symmachi syn. IV.: „cum patrum statu sanxissent“ (c. 96 conc. Afric. D.) „ut quos ad accusationem leges saeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione vel accusandi aliquid delegandam non esse licentiam“. — [2] Iul. c. 5. 6. 7. — [3] Apud Iulium (c. 12) etiam numeri capitulorum Nicaeno concilio false adscriptorum proferuntur, qui tamen neque cum numeris capitulis Angilramni in codicibus appositis neque cum numeris capitulorum synodorum Romanarum in additione IV. Benedicti exhibitis conveniunt; illos a Pseudo-Isidoro ad libitum fictos esse verisimile est, nam magis fraus detegebatur, si, cum tantum capitula Nicaeni concilii cum synodis Romanis concordare diceret, non eosdem numeros capitulis utrisque apponebat. Angilramni capitulorum autem numeros non ab ipso, sed postea additos esse iam supra probavi.

[4] Qua re etiam optime explicatur quod in quibusdam capitulis additionis quartae textus capitulorum Angilramni magis cum fonte et in quibusdam magis cum decretalibus convenit, velut in c. 26 et c. 24 add. IV.

Ben. III. 436:	C. 26 add. IV.:	C. 6 Angilr.:	Eutic. 7:
Accusationis ordinem *canonicis* dudum *regulis* institutum servare iubemus, ut *si quis clericus vel in criminali vel in leviori causa pulsatur vel in discrimine capitis accersitur*, non statim etc.	Accusationis ordinem dudum *canonicis* institutum *decretis* servare iubemus, ut *si forte aliquis clericorum in civili aut criminali causa pulsatur vel in crimine capitis accersitur*, non statim etc.	Accusationis ordinem dudum *canonicis* institutum *decretis* servare iubemus, ut *si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit*, non statim etc.	Accusationis ordinem *talem et didicimus et servari debemus*, ut *si quis clericorum in crimine impetitur*, non statim etc.

(Cf. supra p. CLXX. CLXXVI.)

C. 24 add. IV. autem fere in omnibus cum c. 2 Angilramni, non cum c. 5. 6 Iul. concordat, tantum cum apud Iul. 5: „*pulsatus audiatur i. e. iudicetur aut damnetur*“ et apud Angilr.: „*pul-*

Quae res etiam his confirmatur. Leguntur in additione IV. Benedicti Levitae inscriptiones sequentes capitulorum Angilramni aut capitulorum quae similia quaedam atque illa continent:

add. IV. c. 20. Ut nullus metropolitanus aliquorum pontificum suorumque clericorum aut ecclesiarum causas audiat absque omnium comprovincialium episcoporum praesentia. Ex sinodis Romana tertia. (Cf. c. 11. Angilr.)

add. IV. c. 22. De personis et accusantium querelis non recipiendis. Ex sexta sinodo Romana c. 11 cum qua et Nicena sinodus et decreta Iulii et Simmachi papae et alia sinodica concordant. (Cf. loci paullo antea citati.)

add. IV. c. 23. Ut nullus episcopus alterius parrochianum retinere, ordinare aut iudicare praesumat. Ex decima synodo Romana cap. 7, cum qua et concordat Antiocenum concilium in c. 22. (Cf. c. 15. Angilr.)

add. IV. c. 24. De primatu sedis apostolicae cui episcoporum finitiva iudicia et congregandarum sinodorum privilegia sunt reservata et de canonica episcopi vocatione. Ex sinodis Romanis cap. 49 et ex decretis Iulii papae. (Cf. c. 2 Angilr.)

add. IV. c. 26. De accusationis ordine et ut non facile quisquam accusetur. Ex VI. sinodo Romana cap. 9, cum qua et aliae sanctiones imperatorum et sinodalium concordant. — Ita etiam in synodo Romana statutum fuisse legitur, quod ex c. 4. Angilr. apud Felicem I. (c. 8 sqq.) profertur.

Cum autem numeri singulis synodorum capitulis apud Benedictum assignati cum numeris capitulorum Angilramni non conveniant, atque etiam fons capitis 4. Angilramni synodus Romana esse initio eius legatur, statuendum est, primo auctorem haec figmenta voluisse sub nomine synodorum Romanarum cum Nicaenis conciliis concordantes proferre, quo magis animos lectorum deciperet. Itaque etiam in inscriptione capitulorum, quae deinde ut opusculum separatum edidit, ad concilium Nicaenum et synodos Romanas respexit, dicens: „ex Grecis ... canonibus ... atque sinodis ... praesulum ... Romanorum ... collecta“, et cum additionis IV. capitula a Carolo M. eiusque cancellario Erchembaldo approbata esse fingeret, capitula Angilramni ab Hadriano, cuius nomine iam epitome Dionysianae collectionis circumferebatur et qui ipse Carolo M. codicem eiusdem collectionis transmiserat, collecta et Angilramno viro etiam apud Carolum M. officio archicappellani functo et viro magnae auctoritatis[1] tradita excogitavit.

Ex quibus omnibus tam aperte quam his in rebus fieri potest, probasse mihi videor, et additionem IV. et capitula Angilramni et decretales Pseudo-Isidori ita cohaerere, ut ab eodem auctore facta esse dicendum sit.

satus audiatur vel impetatur“ legatur, pro his verbis exhibet: „*pulsetur i. e. iudicetur, audiatur vel impetatur*“.

[1] Cf. Pauli Warnefridi lib. de episcop. Mettens. i. f. (SS. 2, 268): „Hic iam, pater sanctissime Angilramne, narrationis serie vestram beatitudinem locus expectat. Sed ego meae tenuitatis non immemor, adtemptare minus idonee non audeo quae de vestrae vitae cursu laudabili maiore stilo promenda sunt“.

PARS IV. QUO TEMPORE COLLECTIO PSEUDO-ISIDORIANA CONFECTA SIT.

§. 20. Cap. I. Quando Benedictus Levita collectionem suam absolverit quaeritur.

Indicatis fontibus a Pseudo-Isidoro adhibitis transibo nunc ad disserendum, quo tempore fecerit suam collectionem. Multi quidem viri docti hac de re agentes ita ordinem disquisitionis instituerunt, ut primum quid sibi voluerit Pseudo-Isidorus indagarent, deinde ex consilio Pseudo-Isidori et rebus gestis regni Francorum et ecclesiae Gallicanae comparatis statuerent, quibus annis scripserit Pseudo-Isidorus[1]. Attamen cum certi quid de consilio hominis, de quo quisnam fuerit nihil constat, difficillime assertu sit, factum est, ut adhuc adeo diversae opiniones de tempore collectionis Pseudo-Isidorianae proferantur. Ego vero contrariam rationem inibo, ita ut ex fontibus Pseudo-Isidori definiam quibus annis scripserit, deinde quid sibi voluerit: hoc enim modo tota quaestio certius dissolvitur quam quo modo omnes fere viri docti usque ad nostra tempora rem aggressi sunt.

Supra (§. 17) probavi Pseudo-Isidorum ut fonte collectione capitularium Benedicti Levitae usum fuisse, post absolutam igitur eam ipse decretales compilavit. Quo tempore autem Benedictus capitularia sua collegerit, viri qui hac de re disseruerunt, non conveniunt, itaque cum haec quaestio ad annos quibus Pseudo-Isidorus collectionem suam consuerit definiendos maximi momenti sit, primo hac de re meam quidem sententiam praemittam opus est.

Knust, qui collectionem capitularium in tomo II. legum monumentorum Germaniae edidit, dicit (l. c. app. p. 34): Benedictum collectionem suam post synodum Meldensem (845) et extremis vitae Autcarii archiepiscopi Moguntini (847) temporibus perfecisse et divulgasse. Similiter Eichhorn (deutsche Rechtsgeschichte, 5. Aufl. T. p. 583), Gengler (deutsche Rechtsgeschichte im Grundriss p. 219), Walter (deutsche Rechtsgeschichte §. 151), Zoepfl (deutsche Rechtsgeschichte, 3. Aufl. p. 80), Stobbe (Geschichte der deutschen Rechtsquellen p. 237), Dümmler l. c. p. 295 contendunt vivente Autcario circa annum 845 capitularia a Benedicto compilata fuisse. Weizsäcker (l. c. p. 81) opinatur, eum opus suum absolvisse post mensem Iunii anni 846 aut anno 847.

Econtra Gfrörer (Geschichte der ost- und westfränkischen Karolinger T. I. p. 111 et Untersuchung über Alter, Ursprung, Zweck der Dekretalen des falschen Isidorus p. 64) affirmat, Benedictum collectionem suam a. 842 incepisse, quem Merkel (apud Herzog, Realencyclopädie etc. T. II. p. 45. 46) secutus est.

Quorum nulli sententiae accedere equidem possum. Gfrörer pro sua affert, quod Otgarius Moguntinus iam a. 842 factionem episcoporum rebus a Pseudo-Isidoro statutis adhaerentium destituit et quod cum Benedicto capitularium collectionis faciendae mandatum dedisset isque multa ex Pseudo-Isidoro recepisset, ideo Benedictus ante hunc annum opus suum ingredi debuit. At Gfrörer non probavit, Pseudo-Isidorum ante 842 absolutum ex Benedicto hausisse (cf. supra §. 17), Otgarium parti Pseudo-Isidorianae adhaesisse, sed de omnibus his rebus, ut Wenck (das fränkische Reich nach dem Vertrage von Verdun. Leipzig 1851. p. 382 sqq.) omnibus assentientibus[2] ostendit, tantum sententias futiles pro-

[1] Cf. Goecke l. c. p. 43 sqq. p. 461 sqq. Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage in ihrem gegenwärtigen Stande (in v. Sybel, historische Zeitschrift 1860 T. III. p. 45 sqq. p. 70 sqq.). — [2] Cf. Weizsäcker, Kampf gegen den Chorepiscopat p. 1. Walter, Kirchenrecht §. 95. Richter, Kirchenrecht p. 85. Dümmler l. c. p. 295. Warnkönig et Gerard, histoire des Carolingiens. Bruxelles 1862. T. II. p. 256. 257.

tulit, quae non fontibus sed solum coniecturis nituntur. Pro mea inquisitione hic instituta sufficit, ut lectores contra eum remittam ad §. 17, ubi Benedictum fontem Pseudo-Isidori fuisse probavi et versus praefationis metricae Benedicti subiciam, ex quibus dilucide intelligitur, post divisionem imperii a. 843 Viroduni factam capitularium collectionem compilatam esse:

„Hludovicus enim fluvii cis litora Reni
Imperat et gentes comprimit ecce feras.
Necnon Hlotharius parili ditione potitus
Francorum cesar sceptra tremenda vehit.
Tum Karolus regnum Francorum *sorte* retentat,
Nomen avi referens auxiliante deo“ [1].

Neque in sententiam quam Knust statuit discedere possum, nam omnes locos quos et pro sua opinione affert ex concilio Meldensi a. 845 et aliis eiusdem temporis synodis, ut iam Merkel l. c. observavit, haustos esse probari non potest [2], quamquam ego puto non solum post synodum Meldensem, sed etiam aliquot annis post collectionem compilatam fuisse. Omnes enim viros doctos qui hac de re scripserunt, fugit, quod praefatione ipsa Benedicti annus ante quem collectio absoluta esse non potest, satis certo definiri potest. Nam de collectione ab Ansegiso facta quibusdam praemissis pergit Benedictus:

„*Autcario* demum quem *tunc* Mogontia summum
Pontificem *tenuit*, *praecipiente pio*,
Post Benedictus ego ternos levita libellos
Adnexi legis quis recitatur opus.“

Quomodo ex his versibus deduci possit, Benedictum vivente Otgario collectionem suam perfecisse, ego non video. Dicit enim Benedictus, Otgarium, qui tunc archiepiscopus esset Moguntinus, sibi praecepisse, ut collectionem compilaret. Otgarius igitur adhuc in vivis erat, quando Benedicto mandatum dedit, sed cum post opus perfectum Benedictus dicat: „*qui tunc archiepiscopus erat Moguntinus*“, illo tempore i. e. compilata a Benedicto collectione, aut non iam archiepiscopus Moguntinus erat aut iam decesserat, nam alioquin Benedicto dicendum fuisset non: „quem *tunc* Moguntia summum pontificem tenuit“, sed: „quem *nunc* Moguntia summum pontificem tenet.“ Otgarium autem ad aliam dignitatem ecclesiasticam provectum non fuisse, sed archiepiscopum Moguntinum ultimo die vitae functum, apparet ex annalibus Fuldensibus ad a. 847 (SS. 1, 365): „Otgarius Mogontiacensis episcopus XI. Kal. Maii obiit“, ex necrologio Moguntino (Böhmer, fontes III, 141) et aliis a Dümmlero (l. c. p. 299. not. 25) citatis.

Itaque statuendum est, Benedictum opus suum post obitum Otgarii, i. e. post XXI. diem mensis Aprilis a. 847 perfecisse. Quod non solum ex verbis: „quem tunc“ etc. concluditur, sed etiam ex his rebus colligi potest: 1) Si Otgarius opere absoluto inter vivos degisset, Benedictus qui clericus eius esse fuisse videtur et qui ab eo iussus est opus compilare, non de eo tam pauca protulisset, et si non opus suum ei dedicasset, certe more eorum temporum plura ad laudem Otgarii in praefatione posuisset. 2) In praefatione secunda legitur: „*Haec vero capitula quae in subsequentibus tribus libellis coadunare studuimus in diversis locis et in diversis scedulis sicut in diversis synodis ac placitis generalibus*

[1] Knust, L. 2. app. p. 40. Pro quibus versibus in codice Belvacensi habentur hi:
„Lotharius primum regnum sortitur avitum,
Arduennae nemoris incola factus ovat.
Hinc Hludovicus heros Rheni cis littora genti
Imperat et populi effera colla terit.
Tunc Karolus, cari species genitoris amata,
Gallorum coetus ordinat atque domat.“
Cf. Knust l. c p. 40. 34, Dümmler l. c. p. 295. — [2] Cf. Knust l. c. p. 34, Ben. I. 13. 14. 375. III. 395, add. IV. 146, conc. Meld. a. 845 c. 62, Karoli II. synod. Bellovac. a. 845 c. 1, conc. Meld. cit. c. 64. 65. 72.

edita erant, sparsim invenimus et maxime in sanctae Mogontiacensis metropolis ecclesiae scrinio a Riculfo eiusdem sanctae sedis metropolitano recondita et demum ab Autgario secundo eius successore atque consanguineo inventa repperimus, quae in hoc opusculo tenore suprascripto inserere maluimus." Quo in loco Benedictus non aliter de Otgario quam de Riculfo iam initio saec. IX. mortuo loquitur, unde vel apparet, tunc cum haec praefatio scriberetur Otgarium mortuum fuisse. Quae sententia ea quoque causa stabilitur, quod cum hac aetate statuta res a Benedicto in ipsa collectione exhibitae concordant et aliae res quae adhuc omnibus viris doctis mirae esse videbantur, facile explicantur.

Benedictus, ut iam supra (§. 17) ostendi, non solum iura chorepiscoporum diminuere, sed etiam eos in totum attenuare et perdere nititur. Concilii autem Meldensis a. 845 habiti c. 44 de chorepiscopis statuit:

„Ut chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat et nec sanctum chrisma nec sanctum paracletum spiritum *solis episcopis iuxta decreta Innocentii* tribuere debitum tradere tentet; nec ecclesias consecret neque ecclesiasticos qui per impositionem manus tribuuntur, i. e. non nisi usque ad subdiaconatum et hoc iubente episcopo et in locis quibus canones designant, agere praesumant. Impositioni autem poenitentiae aut poenitentium reconciliationi per parochiam secundum mandatum episcopi sui inserviat. Si vero civitatis episcopos obierit, nihil ex episcopali ministerio specialiter episcopis debito attentet: quia ex hoc magnum scandalum et divisionem rerum ecclesiasticarum atque dilationem in canonice ordinandis episcopis dei ecclesiis accidisse conspeximus. Nam si episcopus civitatis propter desidiam aut saecularem pervagationem vel propter infirmitatem modum suum chorepiscopis transcendere consenserit, sententiam canonicam debet attendere, qua decretum est, ut qui contra dicta canonum fecerit, gradus sui periculo sine retractione subiaceat."

Quo tempore collectio Benedicti in qua epistola Leonis apocrypha chorepiscopos damnans profertur, nondum cognita erat, nam si eo tempore iam propagata fuisset, episcopi ad eam recurrissent. Econtra cum canon citatus in conventu mense Iunii 846 Sparnaco habito a proceribus et ab optimatibus reiectus esset [1], post illud tempus Benedictus videtur opus suum scripsisse. Qua de re omne dubium tollitur, si rationem habueris quod in canone Meldensi epistola Innocentii ad Decentium Eugubinum [2] citatur et Benedictus in cap. 260 lib. III. confingendo alia epistola eiusdem Innocentii (cf. supra p. CXLIII.) usus est. Itaque si Benedictus opus suum post conventum Sparnaco celebratum aut eiusdem tempore composuit, verisimile videtur, illud decem mensibus post, i. e. tempore quo mortuus est Otgarius, non fuisse absolutum [3].

Alia quoque re id quod de aetate huius collectionis dixi confirmatur. Multi viri docti admirati sunt, Benedictum decreta allata de chorepiscopis excogitasse, cum in dioecesi Moguntina nulli adversarii chorepiscoporum exstitissent [4], Rabanumque Maurum successorem Otgarii in operibus suis numquam Benedicti Levitae collectionis mentionem fecisse [5]. Attamen si Benedictum mortuo Otgario collectio-

[1] Cf. Dümmler l. c. p. 277. Weizsäcker, Chorepiscopat p. 49. — [2] C. 3 (H.): „de consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificibus solis debetur ut vel consignent vel paracletum spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat" etc. — [3] Non immerito Benedicti III. 394. I. 171 fontes fuisse capitula 46. 48 conc. Meldensis dici potest, quos locos Knust omisit afferre. — [4] Cf. Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage p. 90, Chorepiscopat p. 27 sqq. Dümmler l. c. p. 297 sqq. — [5] Knust quidem (Leg. II. app. p. 31) quem secutus est Dümmler (l. c. p. 299 not. 26) dicit: „alium tamen, Rabanum scilicet Moguntinum Autcarii successorem qui capitularia parvi pendere non solebat, haud contemnendum habemus iudicem. Is enim a. 853 capite 29 epistolae suae ad Heribaldum ita scripsit: „„quod autem inquit, interrogasti de his qui matrimonio coniuncti sunt et nubere non possunt, si ille aliam vel illa alium ducere possit, *non cum auctoritate, sed quorundam statutis respondeo*"", in quibus scriptum est: „„vir et mulier"" etc. uti apud Benedictum II. 55 leguntur." Attamen non solum apud illum, sed etiam in Poenit. Marten. c. 41 et Theodori II. 12. §. 32 idem locus profertur. Cum autem Rabanus Benedicti collectionem non sub titulo „*quaedam statuta*" citare potuerit et verisimile sit, eum in epistola de poenitentia scripta imprimis libros poenitentiales respexisse, apparet sub verbis „*quorumdam statutis*" eum voluisse intelligere poenitentiale Martenianum sine auctoris nomine editum, praesertim

nem suam perfecisse mihi concedas nihil cogit, ut illum Moguntiae collectionem suam edidisse dicamus. Apud Otgarium quidem munere aliquo functus esse videtur, et partim ex materiis schedisque in scrinio Moguntinae ecclesiae antea reconditis opus suum se compilasse in praefatione sua affirmat: sed cum nihil aliud de eo nobis traditum sit, his ex rebus tantum colligi potest, aliquamdin Moguntiae apud Otgarium archiepiscopum degisse, mortuo autem eo non apud Rabanum remansisse, sed Moguntia decessisse. Quidquid de collectione eius compertum habemus, probat, illam ab eo in Francia occidentali, non in Germania divulgatam fuisse. Ait enim in praefatione, non solum ex schedis Moguntiae repertis, sed ex schedulis quas in diversis locis sparsim invenisset se hausisse. Rabanus, si archiepiscopus Benedicti fuisset, collectionem eius cognoscere debuisse praesumendum est. Accedit, quod in collectione sua complura capitula contra chorepiscopos profert, qui in dioecesi Moguntina magna auctoritate fruebantur, et quod collectio primo non in Germania sed in Francia occidentali, scilicet in conventu apud Carisiacum a. 857 sub Karolo II. habito citatur [1]. Itaque si fides Benedicto de fontibus habenda est, apparet, ex praefatione eum non solum Moguntiae, sed etiam diversis locis capitula sua collegisse; econtra si ei credendum non est, asserere non possumus, eum ex scrinio Moguntinae ecclesiae hausisse: maiores igitur et graviores sunt rationes, quae collectionem in Francia occidentali ab eo editam esse ostendunt.

Quibus igitur omnibus rebus probasse mihi videor, Benedictum opus suum post diem XXI. mensis Aprilis absolvisse et verisimile esse, id ab eo in Francia occidentali editum fuisse.

§. 21. Cap. II. Quaeritur quando Pseudo-Isidorus collectionem suam perfecerit.

Annus ante quem Pseudo-Isidorus collectionem suam absolvisse non potest, ex iis quae supra dixi certo definiri potest. Nam si Pseudo-Isidorus Benedicto usus est ut fonte, Benedictus autem opus suum ante d. XXI. m. April. a. 847 non perfecit, collectio Pseudo-Isidoriana ante hunc diem compilata esse non potest.

Attamen cum multi viri docti eam iam in anterioribus saeculi noni monumentis respici dicant, ut magis sententiam meam confirmem ostendendum est, ante annum laudatum decretales non allegari [2].

1) Dicitur enim in capitularis a. 806 (Leg. 2, 148) fragmento decretales citari [3], attamen capit. desumtum est ex constituto Silvestri ante Pseudo-Isidorum conficto (cf. supra §. 13. no. III.).

cum in c. 30 epistolae suae locum ex Theodoro (lib. I. c. XV. §§. 1—5 ed. Wasserschleben) sub nomine eiusdem („*Theodori archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est*“) afferat.

[1] Cf. Leg. 2, 454, ubi allegantur c. 341 lib. I. et c. 97 lib. II. — [2] Decretales iam octavo saeculo exstitisse Theiner (l. c. p. 24 sqq. p. 27 sqq. 38 sqq. 79) et Eichhorn (Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft l. c. p. 185. 186) ideo contendunt, quia illae iam in capitulis Angilramni et in capitulis Remedii Curiensis excerptae sint. Attamen, ut §. 19 ostendi, capitula Angilramni falsa et partim ex Benedicti collectione hausta sunt et capitulorum Remedii inscriptionem: „Alamannicae ecclesiae veteris canones ex pontificum Romanorum epistolis excerpti a Remedio Curiensi episcopo iussu Caroli M. regis Francorum et Alamannorum“ a primo editore eorum Melchiore Goldast (Alamannicarum rerum scriptores aliquot vetusti T. II. p. II. 1601. p. 154 sqq.) fabricatam esse cum nullo in codice inveniatur iam Kunstmann (die Kanonensammlung des Remedius von Chur. Tübingen 1836. p. 2 sqq.) et Knust (Studien et Kritiken 1836. p. 167) dixerunt. Itaque quamquam adhuc quaestio de patria et de aetate huius collectionis diremta non est (cf. quoque Richter, kritische Jahrbücher 1837. p. 352 sqq., Wasserschleben ibid. 1838. p. 485 sqq.), constat tamen capitula non saeculo octavo compilata et decretalibus posteriora esse (cf. etiam Hefele l. c. p. 612). Neque, ut vult Eichhorn l. c. p. 198, Hadrianus I. in epistola ad Carolum M. (cod. Carol. n. 49) decretales respexit, nam donatio Constantina, quae in ea allegatur, antiquior decretalibus est (cf. supra §. 12. I.). — [3] Conc. Aquisgr. a. 803 c. 4, quod Theiner l. c. p. 44 affert, falsum et ex Benedicti lib. III. c. 260 desumtum est. In cap. II. a. 805 c. 17 et III. eiusd. ann. c. 9, in quibus clausulam Isidorianam deprehendi dicit, nihil aliud legitur, quam: „salva etiam de hoc et de omnibus ecclesiis canonica auctoritate“.

2) Afferuntur ab Antonio Theiner (l. c. p. 41. 42) epistolae Theodulphi episcopi Aurelianensis ad Modoinum Augustodunensem (circ. a. 820) versus:

Culpa facit saevum confessa perire latronem:
 Non est confessus praesul et ecce perit.
Non ibi testis inest, iudex nec idoneus ullus:
 Non aliquod crimen ipse ego fassus eram.
Esto forem fassus, cuius censura valeret
 Dedere iudicii congrua frena mihi?
Solius illud opus Romani praesulis exstat,
 Cuius ego accepi pallia sancta manu.

At iam ipse pergit: „non inficiandum est, haec Theodulphi verba accipi posse de pallio, ob quod scilicet novo introducto iure inconsulta sede apostolica ipse deponi non potuisset. Potius autem Theodulphus respexisse videtur ad Pseudo-Decretales quae de omnibus omnino episcopis expresse cavent, ut praeter sententiam Romani episcopi deponi nequeant." Cum autem Theodulphus ideo se a Romano pontifice iudicandum esse dicat, quia pallium acceperit, intelligitur, eum decretales non respexisse (cf. Wasserschleben, Beiträge p. 47. 48).

3) Neque Agobardus archiepiscopus Lugdunensis, ut faciunt Theiner (l. c. p. 42. 43) et Eichhorn (l. c. p. 192. 193), testis pro eo, quod decretales iam circa a. 825 exstiterint, produci potest, ait enim in libri circa annum laudatum scripti de dispensatione rei ecclesiasticae c. 20: „Verum quia sunt, qui Gallicanos canones et aliarum regionum putent non esse recipiendos eo, quod *legati Romani seu imperatoris in eorum constitutione non interfuerint*, restat, ut etiam sanctissimorum clarissimorum PP. doctrinas et expositiones diversosque tractatus, ut S. Cypriani . . . doceant non esse recipiendos, quia cum haec tractarent vel exponerent, legati Romani sive imperatoris non aderant." Recte iam Richter (Kirchenrecht ed. cit. p. 83) et Wasserschleben (l. c. p. 47) observaverunt, in decretalibus non statui, decreta conciliorum, si legati *imperatoris* non interfuerint, nullam auctoritatem habere. Huc accedit, quod Agobardus in lib. adv. legem Gundob. c. 12 eos qui opus esse legati pontificis Romani conciliis adsint contendunt, „neotericos Romanos" appellat, qua re etiam probatur, eum decretalium Pseudo-Isidori rationem non habuisse (cf. Wasserschleben l. c.).

4) In concilio Paris. VI. a. 829. lib. II. c. 10 decretales non allegari, iam supra §. 11 probavi.

5) Citat Theiner (l. c. p. 44) epistolam Gregorii IV. de non accusando Aldrico episcopo Cenomanensi datam secundum subcriptionem (in Mabillon, veter. analecta. Par. 1723. p. 298): „*Cohlambur VIII. Id. Iulii indict. XI.*" aut d. 8. m. Iul. a. 833.

Quamquam quidem multi, velut Spittler, Geschichte des kanonischen Rechtes p. 242 sqq., Richter l. c. p. 84, Wasserschleben, Beiträge p. 48. 49, Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage (l. c. p. 65), eam apocrypham esse sentiunt, tamen etiam sunt inter recentiores, qui eam genuinam esse iudicant, velut Walter, Kirchenrecht §. 97, et Paulus Piolin, histoire de l'église du Mans. Paris 1854. T. II. p. 146. Itaque cum etiam Philippus Jaffé, vir his in rebus versatissimus (regesta Romanor. pontif. p. 227. no. 1958) epistolam inter genuinas proferat, addens quidem: „veramne hanc epistolam an falsam iudicem, animi adhuc pendeo", latius hac de re disserendum est.

Suspicionem falsitatis quidem subscriptio epistolae: „*Cohlambur VIII. Id. Iulii indict. XI.*", quae quidem solum apud Mabillonem, non in editionibus conciliorum (cf. Mansi 14, 513) exhibetur, tollere videtur, cum Gregorius IV. mensi Iunii a. 833 exeunte prope Colmarum in loco Rothfeld degeret (cf. loci a Philippo Jaffé l. c. p. 227 allati), attamen ego quoque epistolam falsam esse persuasum habeo. Gesta enim Aldrici a Stephano Baluze in Miscellaneorum T. III. (Paris. 1680) deiectum quidem episcopatu suo Aldricum referunt, at non anno 833, sed anno 840. De qua re in eis habetur: „decedente domno Hludovico Francorum imperatore secundo .... anno incarnationis dominicae DCCCXL ....

surrexit quaedam tyrannica pravitas inter cetera mala inter Ligerim et Sequanam et maxime in pago Cenomanico in quo Aldricus tunc octavum annum in episcopatus dignitate fulgebat. Et licet praedictus imperator inter tres filios suos regna sua divideret, i. e. inter Hlotharium et Hludovicum et Karolum..... Praefatum autem pontificem memorato Karolo filio suo minori per manus commendavit. Cui iam dictus pontifex Aldricus fidem servans debitam, ab infidelibus sanctae dei ecclesiae et suis *a praefata tyrannica potestate in supradicto anno a praescripto episcopio et a sua sede eiectus est* et propterea multa quae in ecclesiasticis et aliis rebus pro amore dei facere coeperat imperfecta remanserunt." (Cf. l. c. c. 57. p. 145.)

Epistola autem laudata apud Mabillonem edita est ex aliis actibus pontif. Cenom. in urbe degent. (cf. l. c. p. 239[1]), in quibus postquam obiter actum est de ecclesiis ab Aldrico Cenomannis constructis pergitur: „si quis hoc investigare aut scire voluerit, *in alia scedula quae de eius actibus est causa memoriae et utilitatis conscripta plenius invenire poterit*" (p. 298) etc. et deinde epistolae prolatae subiicitur: „Domnus igitur Aldricus accepta apostolicae auctoritatis epistola sedi suae restitutus cum annos XXIV Cenomannensem rexisset ecclesiam in pace defunctus est et in ecclesia sanctorum martyrum Vincentii et Laurentii honorifice sepultus."

Itaque vita apud Stephanum Baluze edita tantum deiectionis Aldrici a. 840, altera accusationis et persecutionis eius a. 833 mentionem facit. Cum autem in illa inprimis de aedificiis et ecclesiis quas construendas curavit Aldricus agatur, ad primam respexisse istam apparet, primae igitur ut antiquiori est fides habenda eoque magis, cum ea quae in vita a Baluzio edita de deiectione inveniuntur, auctorem posterioris aut alium ante eum ad epistolam Gregorii de Aldrico compilandam commovisse possint.

Fidem epistolae esse etiam tum suspectam, cum genuinis ex fontibus consuta sit, nunc probatur:

Fontes:

Epistola Gregorii IV. (sec. edit. Mabill.)

Divinis praeceptis et apostolicis *saluberrime* incitamur monitis, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum divina dispensatione ecclesiarum curam gerimus, omnibus nostra poscentibus suffragia apostolica auctoritate subvenire optamus. Quoniam divinae virtutis ac infirmitatis humanae sanctio est, ut omnium ecclesiarum negotia ad nostrae reparationis tendant affectum.

Quapropter has ad vos litteras destinamus, quibus decreto nostro vestram rogantes caritatem mandamus, ut si aliquis, quod non optamus, suorum aemulorum Aldricum Cenomannicae ecclesiae episcopum accusare damnabiliter detractaverit, ut honoretur beati principis apostolorum Petri memoria ecclesiaeque Romanae cui praesedit privilegium nostrique nominis

Leon. M. ep. 16 (ed. Ball. 1, 715).

Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.

Pseudo-Isid.

Fab. 1: Divinis praeceptis apostolicis *monemur institutis*, ut pro *cunctarum* ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.

Soth. 3: Divinis preceptis et apostolicis monitis informamur, ut pro omnium aecclesiarum statu impigro vigilemus *effectu*.

Zeph. 10: *ut pro universali Christi sanguine redempta aecclesia* inpigro *laboremus affectu*.

Iul. 11: *ut nos* divinis praeceptis et apostolicis monitis *informati, qui* pro omnium eccle-

[1] Qua de re Mabillon l. c. p. 297 dicit: „In ms. codice Cenomanensi sequuntur gesta Aldrici episcopi prout ab eruditissimo Stephano Baluzio in T. 3 Miscellaneorum edita sunt, quae gesta huc compendio retuleram, omissis actis novem subsequentium ab Aldrico episcoporum quae in exemplo ad nos transmisso desiderabantur. Hoc cognito idem Baluzius ad supplendam editionis nostrae lacunam .... acta illa novem episcoporum ex bibliotheca Colbertina seu ex schedis clarissimi Andreae Chesnii .... nobis liberaliter communicavit. Acta Chesniana incipiunt a Principio episcopo et in Guidone desinunt suntque velut quoddam nostrorum compendium, tametsi nonnulla continent quae in cod. Cenomannensi quo usi sumus desiderantur: qualis est Gregorii papae IV. pro Aldrico epistola .... Colbertinum seu Chesnianum exemplum secuti sumus in actis Aldrici et subsequentium novem episcoporum".

auctoritas, liceat illi post auditionem primatum dioeceseos si necesse fuerit, nos appellare et nostra auctoritate aut ante nos aut ante legatos nostro e latere missos iuxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones, nullusque illum ante hoc iudicet aut iudicare praesumat. Sed si quid (*quod absit*) grave intolerandumque *ei obiectum fuerit*, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius *de eo qui ad sinum sanctae Romanae confugit ecclesiae eiusque implorat auxilium decernatur*, quam *quod ab eiusdem ecclesiae fuerit praeceptum auctoritate, quae* vices *suas ita aliis impertivit ecclesiis*, ut in partem *sint vocatae* sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Proinde dilectio vestra quorum devotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris et det operam, ut non cuiusquam praesumptione circa memoratum fratrem vestra provisione vel successorum vestrorum, si ipse superstes fuerit, aliter quam hic insertum est, ullo modo fiat, sed haec quae ad eius tuitionem atque defensionem praedicta hic auctoritate suggesta sunt atque salubriter ordinata, absque ulla apologia pleniter impleantur. Si autem quod non arbitramur a quoquam secus praesumptum fuerit et ab officio cleri et iniuriarum reus ab omnibus iudicetur, ne lupi qui sub specie ovium subintraverunt bestiali saevitia quosque *audeant delacerare* et quod sibi fieri nolunt, aliis inferre non praesumant: nec quisquam frivolus aut contentiosus sive contumax haec nostra iura onerabiliter praecipi contendat, cum et auctoritate canonum et praedecessorum nostrorum decretis sancitum sit, ut episcopus accusatus si voluerit, appellet Romanum pontificem et ad eum si libuerit, confugiat, ut ab eo eius audiatur causa aut ipse e latere suo legatos qui eam audiant, mittat, qui iuste omnibus cum episcopis comprovincialibus eius auctoritate iudicent; quae omnia hic non est necesse inserere, ne proditores magis quam praeceptores esse videamur. Et sanctae recordationis Innocentius antecessor noster inter cetera sic ait: Si maiores causae in medio fuerint devolutae ad sedem apostolicam, ut Nicaena synodus definivit et inveterata consuetudo exigit referantur, et multa talia quae in suis auctoribus pleniter inveniuntur. Nec alicui fratri haec gravia aut inutilia videri debent: quoniam sicut praedicto fratri sancti Petri et nostrae sanctae sedis auctoritate succurrimus, ita omnibus quibus necesse fuerit et debemus subvenire et impigre volumus. Et sicut quisquam sibi subveniri cupit, ita alium adiuvare debet et non eius auxilium moleste ferre, cum apostolus moneat, omnes gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.

Nos vero ad hunc finem omnem nostrum affectum curamque dirigimus ut quod ad

Eiusd. ep. 14 c. 1 (l. c. p. 686): Sed *etiam* si quid grave intolerandumque *committeret*, nostra erat expectanda censura, *ut nihil prius ipse decerneres*, quam *quid nobis placeret agnosceres*. Vices *enim nostras ita tuae credidimus caritati*, ut in partem *sis vocatus* sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Leon. ep. 2 (p. 594): ne lupi qui sub specie ovium subintraverunt bestiali saevitia *simplices* quosque dilacerent.

Cf. c. 7 conc. Sard.

Innoc. I. ep. ad Victor. Rot. c. 3 (H.)
Si maiores causae in medio fuerint devolutae ad sedem apostolicam sicut *vetus consuetudo* exigit (D. sicut synodus statuit) *post iudicium episcopale* referantur.

omnes — flentibus. Rom. XII. 15.

Leon. ep. 14 c. 11 (l. c. p. 690):
Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum

siarum statu inpigro *vigilare debemus effectu.*

Sixt. II. pp. 8 et Iul. 19: *ut* si quicquid grave intolerandumque *committerent*, nostra *prestolaretur* censura, ut nihil prius *aut aliud decerneretis*, quam *quod nobis placere cognoveritis.*
Ep. Vig. ad Profut. c. 7: ... *ecclesia quae est prima ita reliquis ecclesiis* vices *suas credidit largiendas*, ut in parte *sint vocatae* sollicitudinis, non in plenitudine potestatis.

Marci 1. = Leon. exceptis:

quosque.

exaltationem sanctae dei ecclesiae et quod ad custodiam *et profectum* pertinet *sacerdotum*, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.	curamque dirigimus ut quod ad *unitatem concordiae* et quod ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.	Iul. 9. *quatenus ea que sunt ab apostolis eorumque successoribus statuta*, nulla desidia neglega*ntur*, nulla dissensione vio*lentur*, nulla concertatione turbentur.
Super quibus si quis nos arguere voluerit aut extra auctoritatem facere contenderit, *veniat ad sedem apostolicam quo omnia ecclesiastica negotia de quibus quaestio habetur, confluere iussum est*, ut ibi ante confessionem sancti Petri nobiscum iuste decertet, quatinus inibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.	Leon. ep. cit. (l. c. p. 692): *et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret.*	Iul. 9: et rursum = Leon. exceptis: *sollicitudinem eius*
Vos fratres *hortamur et monemus* ut quae *a nobis* pie *vobis circa praedictum fratrem mandata sunt eiusque pro simplicitatis defensione salubriter* ordinata *atque iniuncta* nulla concertatione turbentur: *quoniam non intervenit temeritas praesumptionis ubi est diligentia pietatis.* Nemo *vestrum* quod suum est quaerat sed quod alterius, *et quod* apostolus *inquit:* unusquisque proximo suo placeat in bonum, *et reliqua.* Praeceptis ergo apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quae a sancta Romana et apostolica auctoritate iussa sunt, salutifere impleantur, si eiusdem sanctae ecclesiae quae est caput vestrum communionem habere desideratis.	Leon. ep. cit. (l. c. p. 690. 691) .. *hortor et moneo*, ut quae pie sunt ordinata *salubriterque disposita*, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est quaerat sed quod alterius, *sicut* apostolus *ait:* unusquisque *vestrum* proximo suo placeat in bonum *ad aedificationem.*	Cf. Iul. 9 antea ad verba: nos vero ad hunc etc. collat.
Qui *autem se sciunt* quibusdam esse praepo*sitos*, non moleste fer*ant* aliquem sibi esse praelatum: sed obedientiam quam exigunt, etiam *ipsi dependant.*	Ep. cit. (l. c. p. 692): Qui *ergo* scit se quibusdam esse praeposit*um*, non moleste fera*t*, aliquem sibi esse praelatum; sed obedientiam quam exigit, etiam *ipse dependat.*	Iul. 9: qui ergo scit se quibusdam propositum etc. = Leon. Vigil. 7: nam et qui se scit aliis esse praepositum etc. = Leon.
Unde liquet quod omni studio devotionis unanimes divinis et apostolicis *praeceptionibus parere debeatis* et in nullo inobedientes (quod absit) effici.	Ep. 12 eiusd. c. 9 (l. c. p. 666): *ut concorditer salubres suscipiatis hortatus et nihil per contentionem agentes* sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis *constitutionibus pareatis.*	Corn. 2: ut concorditer = Leo. l. c. (Cf. Vigin. 5, Lib. 3, Greg. M. ad Fel.)
Nam licet pleraque accidant *sacerdotibus* quae sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam *comminatio*, plus caritas quam potestas, cum nemo nostrorum sine reprehensione aut sine peccato vivat. Nam si dominus statim post trinam negationem beatum praeceptorem nostrum apostolum Petrum iudicasset, non tantum ex eo fructum sicut fecit, recepisset. Expectandi ergo magis sunt atque corrigendi rectores quam statim et absque nostro consultu iudicandi:	Ep. 14 cit. c. 1 (l. c. p. 684): *ut licet nonnunquam* accidant quae in *sacerdotalibus* sunt reprehendenda *personis*, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam *commotio*, plus caritas quam potestas.	
cum maiora negotia et difficiliores causarum exitus *sanctorum patrum canones spiritu dei conditi et totius mundi reverentia consecrati iubeant*, sub nostrae sententiae expectatione suspendere nostroque moderamine finire.	Ep. cit. (l. c. p. 683): nam cum maiora negotia et difficiliores causarum exitus *liberum tibi esset* sub nostrae sententiae expectatione suspendere.	
Unde necesse est *haec et alia ecclesiastica quaeque negotia* post multarum experimenta	Ibid. (p. 686): *Et* necesse est post multarum experi-	

causarum sollicitius prospici et diligentius praecaveri: quatinus per spiritum caritatis et pacis omnis materies scandalorum et praesumptio *invidorum atque oppressio simplicium fratrum* de ecclesiis dei auferantur. Et sicut non vult quisquam fratrum se aliorum iudicio praegravari, ita non audeat inferre quod sibi non vult fieri, reminiscens praecepti domini salvatoris quo ait: Nolite iudicare et non iudicabimini, in quo enim iudicio iudicaveritis iudicabimini.

menta causarum sollicitius prospici et diligentius praecaveri, quatenus per spiritum caritatis et pacis omnis materia scandalorum de ecclesiis domini quos tibi commendavimus auferatur.

Nolite — iudicabimini. Matth. VII. 1. 2.

Nihil *ergo* per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio derogare *debemus*, cui illa sunt rata quae pia, quae vera, quae iusta sunt, et aliter necessitatis tractanda est ratio, aliter voluntatis. *Nullum* enim intentatum reliquit inimicus, *idcirco* succurrendum est irretitis, conterendus est *ergo* venantis laqueus ut *fugatis lamentationibus* tam iustitiae moderamine quam compunctione pietatis *apostolica auctoritate sol laetitiae in oculis splendeat corruentium.* Nec pigeat forsitan aut pudeat *nostris obedire mandatis aut apostolicae sedis obsecundare praeceptis*, quia humilibus datur *gratia*, non superbis. *Nam nulli fas est vel velle vel posse transgredi apostolicae sedis praecepta nec nostrae dispensationis ministerium quod vestram sequi oportet caritatem.*

Fel. III. ep. ad episc. per Siciliam c. 1 (H. no. 79): nihil*que* per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio derogar*i*, cui illa sunt rata quae pia, quae vera, quae iusta sunt, et aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. *Deterior autem est causa illius qui forte pretio sollicitatus est, ut periret. Nihil* enim intentatum reliquit inimicus, cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis, et conterendus est venantis laqueus, ut, *infucatum lamentationibus lapsum* tam iustitiae moderatione quam compunctione pietatis *ad aulam quam reliquerat sit regressus.*

Nec pudeat forsitan aut pigeat, indictis ieiuniorum gemituumque temporibus obedire, quia humilibus datur *gratia*, non superbis.

Sit ergo ruinae suae dolore prostratus *quisquis apostolicis voluerit contraire decretis* nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto fiat ministerio, non de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus a sancta et apostolica ecclesia hac auctoritate suaque inobedientia atque praesumptione a quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est exigendus cui sanctae ecclesiae commissa fuerat disciplina qui non solum praelatae sanctae ecclesiae iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne praeterirent insinuare, sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit praeceptis obtemperare apostolicis.

Sit ergo ruina sua prostratus, *si quis in Christo fieri quaerit erectus*, et per dispositionis nostrae ministerium quod vestram sequi oportet caritatem, nec alicui fas est velle vel posse *transcendere causas* . . .

Maneat itaque memoratus Aldricus hac apostolica auctoritate usque ad praesentiam sedis apostolicae semper episcopus nec antequam huc veniat, talium aut aliorum verborum curet nocivis, neque eorum succumbat iudicio aut ullam saevam suscipiat sententiam nec nobis sicut illi quod minime arbitramur inobediens existat, praedictaeque apostolicae si voluerit sanctae sedis et necesse fuerit, appellet antistitem et ad eum libere absque ullo pergat impedimento nec conligari nec iudicari vel damnari a quibusdam possit episcopis qui apostolicis fuerit fultus auctoritate: quanto magis ab illis qui eorum inobedientia atque protervia praefata iam sunt damnati auctoritate? *Quia non* aliter *persecutores fratrum neque sanctae sedis iussionibus cui omnis orbis caput inclinat inobedientes* corrigere

Leon. ep. 7 c. 2 (l. c. p. 625): aliter *enim nobis commissos* regere non possumus, *nisi hos qui sunt perditores et*

nec regere iuxta praecedentium patrum exempla possumus, nisi eos zelo fidei dominicae persequamur et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus. Quisquis namque conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis apostolicae minime defuturam: et qui monitis noluerit obedire apostolicis necesse est ut severitatis regula vindicetur, ne aliquis aut faciat aut fieri sinat, unde alium capiat vel capiendo decipiat sibique causas generet quibus reus decretalibus constitutis fiat. Cavete fratres negligere praefata, cavete temerare prohibita, ne praedictis involvamini reticulis.

perditi zelo fidei dominicae persequamur et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscindamus.

Nolite saepedictum fratrem absque nostra, ut dictum est, praesentia aut auctoritate iudicare vel condemnare aut gravare, sed sicut apostolicis est munitus praesidiis ita vestris fulciatur auxiliis sicque ab omni sacerdotalis cartologi laqueo aut oppressione vel iudicio humano intactus et liber usque ad nostrum, ut praefatum est, iudicium, qui beati principis apostolorum Petri meruit adipisci auxilium. Contra caput ergo nolite vos extollere, nolite beati clavigeri Petri cuius vice pro Christo legatione fungimur, sedem eiusque sedis auctoritatem spernere nec eius patiamini offensionem aut scandalum ecclesiae generetis: sed magis solliciti pro fratrum salute et liberatione estote et pro sanctae dei ecclesiae salute summopere laborate. Armamini caritate, non severitate. Omnibus vobis ac singulatim occurrat caritas et vinculis quae mille modis a Christo solvuntur vobiscum pariter in perpetuum connexa laetetur in domino. Ceterum insectatores fratrum ecclesiastica disciplina comprimere et erudire debetis qui statuta maiorum non tenentes dei sacerdotes atque sanctam ecclesiam *quae* in sacerdotibus *maxime* constat, principum et populorum favorem sequentes et dei iudicium non timentes sua persaepe violare nituntur praesumptione. His ergo nec factis nec consiliis nec manifesto nec silentio vos oportet praebere consensum, dicente domino: Videbas furem et currebas cum eo, et non tantum qui faciunt sed qui facientibus consentiunt, rei tenentur. Illud ergo duntaxat vestram debet mentem vehementius excitare ut ab omni labe saeculi istius immunes ante dei conspectum et securi inveniamini: ut caritatem non amittentes adiutores et sustentatores fratrum existatis: quatinus iuxta apostolum unanimes unum sentientes permanentes in Christo nihil per contentionem neque per inanem gloriam iudicantes, non hominibus sed deo salutari nostro per omnia placentes. Haec ergo caritatis conglutinatione compescite, quaeso, a memorato fratre. Si quorumcumque cognoveritis animi insidias ac aemulationes, eisque dare quoquomodo nolite consensum, quod omnibus duris rebus durius arbitramur. Si quo pacto conversationes non habet amabiles, habendus tamen pro reverentia sancti Petri cuius munitur auctoritate dilectus. Non novum *aliquid praesenti iussione praecipimus*, sed illa quae olim videntur indulta firmamus: cum nulli dubium sit quod non solum pontificalis causatio, *sed omnis sanctae religionis relatio ad sedem apostolicam* quasi ad caput *ecclesiarum*

Ben. II. 99: „sancta vero ecclesia in sacerdotibus constat.“

Videbas furem — cum eo. Ps. XLIX. 18.

non tantum — rei tenentur. Ben. III. 386.

unanimes — gloriam. Philipp. II. 2. 3.

Innoc. I. ep. ad Victor. Rot. pr. (H. no. 7): non *quod nova praecepta aliqua imperentur, sed ea quae per desidiam aliquorum neglecta sunt.*
Eiusd. ep. ad Fel. Noc. (H. no. 9): omniaque quae pos-

Dam. 22: non quod *novi nunc aliquid* imperetur, sed *illud quod* per desidiam aliquorum *aut*

debet referri et *inde normam sumere unde sumpsit* exordium, ne caput institutionis videatur omittere, *cuius auctoritate sanctificationem* omnes *tenent* sacerdotes qui nolunt ab apostolicae petrae, supra quam Christus universalem *fundavit* ecclesiam, soliditate divelli. Si quis haec apostolicae sedis praecepta non observaverit, percepti honoris hostis esse non dubitetur.

sunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre[1].

Eiusd. ep. cit. ad Victor. pr. (H. no. 7) . . . *et sancto Petro apostolo, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit* exordium[2].

Ep. Siric. ad Eum. c. 2 i. f.: *nunc praefatam regulam* omnes iam *teneant* sacerdotes qui nolunt ab apostolicae petrae soliditate divelli, super quam Christus universalem *construxit* ecclesiam.

scienter aut neglegenter *transgreditur*.

Dam. 18: *A talibus deinceps omnes se abstineant* sacerdotes qui noluerint ab apostolice petre, super quam Christus (ut praedictum est) universalem construxit ecclesiam . . . soliditate *atque sacerdotali honore secludi*.

Sed forte *vos vestrique praeceptores* in hodierno non reluctati sunt: et ne quando contingat ut reluctentur, *idcirco denuo* repetentes saepius admonemus, ut vitentur *qui* huiusmodi *fratres turbare nituntur et prohibeantur* aliud quam ille noster iussit agricola seminare.

Conc. Afric. (D.) c. 22: . . . sed forte in hodierno non reluctati sunt et ne quando contingat, ut reluctentur.

Celest. ep. ad Vener. c. 1 (H. no. 33): *nunc tamen* repetentes saepius admonemus, ut vetentur (al. vitentur) huiusmodi laborare per terras aliud, quam ille noster iussit agricola seminare.

Nam qualiter nos qui neminem volumus perire, *hi* contristent qui electorum percellunt animos, dominicus in evangelio sermo testetur; ait enim salvator ipse: quod expediat scandalizanti unum de pusillis *istis* in maris profunda demergi, et cetera quae ad hunc sensum pertinent.

Ep. cit. pr.: Nam qualiter nos qui neminem perire volumus, *ista* contristent, *quae auctoribus christianis* percellunt animos *christianos*, dominicus in evangelio sermo testatur; ait enim ipse salvator: quod expediat scandalizanti unum de pusillis in maris profundum demergi.

Melc. 1 = ep. Celest.

A quibus non solum sacerdotes sed omnes christiani se cavere omnino debent: quoniam sacerdotes qui throni dei vocantur quieti ab hominum perturbationibus esse debent. Nec abs se ipse salvator vendentes columbas et nummulariorum mensas proprio flagello evertit et proiecit e templo. Unde liquet summos sacerdotes ipsius expectare iudicium ad cuius rei confirmationem plurimum valet quod alibi inquit: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos diiudicat. Et reliqua talia quae in suis inveniuntur actoribus. Illi ergo *qui* nos speculatores esse voluit, excusari non possumus, *si fratres quos tueri et adiuvare pro viribus debemus*, improba foedari contagione *permittimus*. Unde hortamur dilectionem vestram, obtestamur et monemus ut qua debetis et potestis sollicitudine super his vigiletis, quia in specula esse debetis, ne qua infestantium prorumpat audacia. *His ergo pro viribus resistite*, *quia* nefas est, *praedicta* religiosos pati fratres quorum afflictione, quia membra sunt nostra, nos quoque convenit, macerari *crucemque iuxta domini salvatoris vocem ferre qui ait*[3]: *Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.* Quamquam maneat his beatitudo promissa quicumque probantur persecutionem *propter* iustitiam susti-

C. 5 conc. XI. Tolet.: indignum est, ut qui thronus dei vocantur levi motione turbentur.

Deus stetit — diiudicat Ps. LXXXI. 1.

Leon. M. ep. 4 pr. (1,612.): Illi qui nos speculatores esse voluit, excusare non possemus, *permittentes sincerum corpus ecclesiae*, *quod ab omni maculo purum custodire debemus*, *ambientium* improba contagione foedari.

Celest. ep. ad Ven. cit. c. 2: *unde resistatur talibus quos male crescere videmus.* Nefas est hoc pati religiosas anim*as*, quarum afflictione quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promissa quicumque probantur persequutionem *pro* iustitia sustinere: quibus quid promittat dominus in futurum sequens sermo de-

[1] & [2] Quibus locis etiam Pseudo-Isidorus, sed ita diverse usus est, ut loci, quorum fontes hae epistolae sunt (cf. tabula in §. 15 prolata), cum epistola Gregorii IV: non cohaereant. — [3] Matth. XVI. 24.

nere. Quibus quid promittat ipse salvator in futurum sequens sermo declarat. Intelligamus haec ipsa vobis quae nobis non placent, displicere.

Quod ita demum probare poterimus, *si quibus manum porrigimus vos nobiscum porrigitis: ut cui et vos manum porrigetis, vobiscum porrigamus*, quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi quemadmodum apostolus docet *dicens*, id ipsum dicamus omnes simus*que* perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. Deus vos incolumes memores nostri custodiat fratres carissimi.

Data Cohlambur VIII. Id. Iulii indict. XI, feliciter in domino. Amen.[1]

clarat. ... Intelligamus haec ipsa vobis quae nobis non placent, displicere.

Quod ita demum probare poterimus, *si imposito improbis silentio de tali re in posterum querela cessarit.*

Leon. M. ep. 16 c. 2 (1, 718): quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi quemadmodum apostolus docet, id ipsum dicamus omnes, simus *autem* perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.

Dam. de corep. quia non etc. = Leo. l. c.

Quibus ex fontibus indicatis epistolam falsam i. e. a Gregorio IV. papa scriptam non fuisse apparet. Sed dicat quispiam, hoc loco Gregorium decretalibus Pseudo-Isidori aut schedis materiisque ad eas componendas congestis in his litteris conscribendis usum esse ideoque epistolam, etiamsi ex multarum decretalium priorum paparum locis consutam, tamen Gregorium auctorem habere.

Quae opinio in totum refelleretur, si probari posset, quo tempore epistola secundum diem adiectam scripta est et antea Aldricum pacifice sedem episcopalem Cenomannensem tenuisse. Attamen quamquam de vita Aldrici pauca nobis tradita sunt, tamen vel inde deduci potest, a. 833 Gregorio Aldricum non notum aut Gregorius si eum cognovisset, illum non restituturum fuisse.

Legitur enim in vita Aldrici a Baluzio l. c. edita (p. 109): „Praefatus igitur Aldricus episcopus tantae fuit dignitatis et honoris amorisque ut *usque ad Romanam sedem eius rumor pervenerit eique domnus Gregorius Romanae sedis ecclesiae venerabilis apostolicus Roma in pago Cenomannico suum* vestimentum sacerdotale miserit, illud scilicet vestimentum quo in pascha indutus fuerat. Misit etiam ei baculum pastorale quod ferula nuncupatur, una cum sua epistola vocans eum, ut si possibile foret usque ad eum perveniret eique concessit, ut qualemcumque petitionem et benedictionem a sede sancti Petri accipere vellet aut per se ipsum aut per suum missum ei voluntarie et libenti animo mitteret atque concederet.“ Jaffé no. 1956 hoc initio a. 833 factum fuisse dicit. Sed in vita ipsa haec res refertur inter chartulam anni 838 et instrumentum a. 840 prolatum. Accedit, quod Aldricus die XXII. m. Decembr. a. 832 episcopus Cenomannensis consecratus est (cf. vita cit.

[1] Cui epistolae l. c. subiiciuntur: „Quodsi David regum iustissimus in Saul quem constabat iam a domino reprobatum et abiectum esse, manum mittere non praesumpsit, multo magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis seu indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum domini vel in praedicatores sanctae dei ecclesiae. Quod omnibus fidelibus omnibusque dei ordinibus summopere cavendum sit, ne clanculo aut publice unctum domini detractionibus aut vituperationibus dilanient: perpendentes illud exemplum Mariae quae pro eo quod Moysi famulo domini propter Aethiopissam detraxit, immunditia leprae multata sit. Et illud psalmistae: nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. In exodo cap. LXIX.: diis non detrahes et principi populi tui non maledices.“ (Ea etiam leguntur in epistola Gregorii M. ad Felic. Sicil. et Ben. II. 402: quae ibi proferuntur verba magis cum Bened. quam cum Pseudo-Isidoro concordant, sed ut apud Pseudo-Isidorum hic primo legitur: „Quodsi David — ecclesiae“, cum haec omnia apud Benedictum post verba „quod omnibus fidelibus — maledices“ habeantur). „In eodem capitulo LXXIII.: Non suscipies vocem mendacii“. (Exod. XXIII. 1.) „In eodem capitulo LXXIV.: Nec iunges manum tuam ut pro imperio dicas falsum testimonium“ (ibid.). „In eodem capitulo LXXV.: Non sequeris turbas ad faciendum malum“ (ibid. v. 2). „In eodem capitulo LXXVI.: Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiae ut a vero devies“ (l. c.). „In eodem capitulo LXXVII.: Pauperi quoque non misereberis in negotio“ (ibid. v. 3). „In eodem capitulo LXXX.: Non declinabis in iudicium pauperis“ (ibid. v. 6.). „Beda in apocalypsim: Si quis apposuerit ad haec, apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto. Haec propter falsatores dixit, non propter eos qui simpliciter quod sentiunt dicunt“. Postea sequuntur quae iam supra allegavimus: „Domnus igitur Aldricus accepta“ etc.

p. 5) neque si Gregorius ei solum 4 aut 5 mensibus post eius consecrationem elapsis vestimentum ceterasque res misisset, auctor vitae Aldrici verbis allegatis usus esse posset, cum ex verbis „*Aldricus episcopus tantae fuit dignitatis et honoris amorisque ut usque ad Romanam sedem eius rumor pervenerit eique domnus Gregorius*" etc. appareat Aldricum iam pluribus annis ecclesiam Cenomonnensem rexisse optimeque de ea meritum fuisse. Quibus causis commotus res ab auctore vitae Aldrici relata non anno 833, sed potius cum Paulo Piolin (l. c. p. 279) annis 839 aut 840 assignaverim, et si in hanc sententiam discesseris, dicendum erit, anno 833 Aldricum Gregorio non notum fuisse, cum ex verbis „*ut usque ad Romanam sedem eius rumor pervenerit*" intelligatur, tunc primo notitiam Aldrici ad Gregorium pervenisse.

Iamiam alia ex causa epistolam citatam falsam esse confitendum est. Erat Aldricus Ludovici Pii amicissimus neque umquam a factione imperatori adhaerente defecit. Itaque cum Gregorius IV. a Lothario contra patrem rebellante in Germaniam accersitus (Dümmler l. c. p. 73 sqq.) esset, Aldricus autem a patris partibus staret, mirum fuisset, quod eum restituisset. Neque anno 833, quando pars episcoporum Galliarum minati sunt, Gregorium a se depositum iri (l. c. p. 76. 77) et postea Gregorius maximo moerore commotus, quod pars Lothariana tantum auctoritate apostolica ad consilia sua perficienda abusa esset, Romam revertit, tempus aptum pontifici fuit ad novum ius introducendum et statuendum, episcopos a sola sede apostolica iudicandos esse. Et si sequaris Ernestum Dümmler, qui l. c. p. 79. 80 dicit, Aldricum in loco Rothfeld apud Ludovicum Pium fuisse [1], obiici etiam potest Gregorium causam Aldrici ibi dirimere potuisse.

His omnibus probasse mihi videor, epistolam allegatam Gregorii IV. falsam esse. De tempore quidem et cur conficta epistola sit, nihil certi statuere licet. Nam si Aldricum anno 833 neque accusatum neque a sede episcopali pulsum esse sentias, verisimile videtur, non vivo Aldrico, sed mortuo, i. e. post d. 7. m. Ianuarii 856 (cf. Gallia christiana T. XIV. 360) epistolam editam esse. Sed si perpenderis, neque Pseudo-Isidorum epistola neque epistolam Pseudo-Isidoro usum esse, econtra asseri potest, iam ante decretales editas vivente Aldrico epistolam confictam esse [2].

In quamcumque autem sententiam discesseris, saltem id concedendum erit, epistolam non pro eo proferri posse, quod decretales iam a. 833 perfectae fuerint. Quamquam enim quaedam in ea exhibentur, quae similia sunt statutis Pseudo-Isidorianis, tamen commenta Pseudo-Isidori non in totum cum eis conveniunt. In epistola Gregorii enim dicitur, episcopo post auditionem primatum dioceseos ad sedem apostolicam provocare licere et eius causam tantum a pontifice dirimendam esse, si quid grave intolerandumque ei obiectum fuerit aut si episcopus ipse appellare voluerit, a Pseudo-Isidoro autem prohibetur, ne sententia definitiva in causa episcoporum ab alio quam a pontifice Romano pronuncietur, neque inter causas graves et minores episcoporum discernitur neque tum tantum cum episcopus appellaverit, pontificem in causa eius iudicare posse dicitur. (Cf. Sixt. II. pp. 2, Zeph. 6, Iul. 6, Dam. 19.)

[1] Qua de re in annalibus Bertinianis a. 833 (SS. 1, 426) habetur: „Denique filii eius coeptum peragere cupientes in pago Helisaciae in loco qui dicitur Rotfelth .... se coniunxerunt, id est Lotharius de Italia Gregorium apostolicum secum adducens, Pippinus de Aquitania et Ludoicus de Baioaria cum plurima hominum multitudine. Quibus cum domnus imperator occurrisset, nullatenus eos ab eadem pertinacia compescere potuit, sed pravis persuasionibus et falsis promissionibus populum qui cum domno imperatore venerat, deceperunt, ita ut omnes illum dimitterent. Drogo vero, frater imperatoris, et Modoinus ac Wiliricus atque *praefatus Aldricus* episcopi cum nonnullis episcopis aliis ... cum illo remanserunt". Pertz l. c. asserit, Aldricum praefatum fuisse *archiepiscopum Senonensem*. Attamen antea neutrius Aldrici mentio fit, sed cum paullo antea referatur Ludovicum anno 832 exeunte degisse apud Aldricum Cenomannensem in ipsa civitate Cenomannorum et Aldricus Cenomannensis Ludovici amicissimus fuerit (cf. vita a Baluzio ed. l. c. p. 6), sententia Ernesti Dümmler approbanda est. — [2] Quamquam inter fontes epistolae supra cap. 99 lib. II. Bened. allegavi, in hac quaestione illo argumento non utar, cum qui sit fons huius capituli certo definiri non possit.

6) In vitae **Walae abbatis Corbeiensis** a Paschasio Radberto scriptae c. 16. lib. II. (SS. 2, 562) de Gregorio IV. a. 833 in Germaniam ad componendas controversias exortas inter Ludovicum Pium et filios eius a Lothario arcessito (cf. Dümmler l. c. p. 74 sqq.) legitur:

„Deinde oblati sanctissimo pontifici satis venerabiliter cum magna alacritate nos excepit, quia cruciabatur et ipse animo pro talibus quae repererat, qualia nunquam prius credere potuisset. Terrebatur autem (quod valde dolendum est) ab Augusto et ab omnibus suis, etiam ab episcopis qui sibi pridie quam venissemus dextras dederunt, quod unanimes essent ad resistendum his qui ex adverso erant, regibus filiis, principibus et populo; insuper consiliabantur firmantes, pro dolor! quod eumdem apostolicum, quia non vocatus venerat, deponere deberent. Erat enim ibi Phasur [episcopus quidam] et reliqui eadem cum Iustina [Iudith coniuge Ludovici Pii] sentientes. Quibus auditis pontifex plurimum mirabatur et verebatur. *Unde et ei dedimus nonnulla sanctorum patrum auctoritate firmata praedecessorumque suorum conscripta quibus nullus contradicere possit, quod eius esset potestas, immo dei et beati Petri apostoli suaque auctoritas ire, mittere ad omnes gentes pro fide Christi et pace ecclesiarum pro praedicatione evangelii et assertione veritatis; et in eo esset omnis auctoritas beati Petri excellens et potestas viva a quo oporteret universos iudicari, ita ut ipse a nemine iudicandus esset. Quibus profecto scriptis grantanter accepit et valde confortatus est.*"

Quae scripta a Radberto laudata Theiner (l. c. p. 44. 45, Eichhorn l. c. p. 192) fuisse decretales Pseudo-Isidorianas contendunt, cum Wasserschleben (Beiträge p. 49, apud Herzog p. 350) ea principia decretalium esse affirmet. Econtra Walter, Kirchenrecht §. 97, Richter l. c. p. 84, contrariam sententiam proferunt, cum dicant iam in aliis monumentis ante decretales Pseudo-Isidorianas editis, velut in libello apolog. Ennodii [c. 14. C. IX. qu. 3], in can. Silvestri c. 20 [c. 13 ibid.], in epistola Gelasii ad Faustum [c. 16 ibid.] statutum esse, ne papa ab ullo iudicaretur.

Quorum sententia eo stabiliri videtur, quod Astronomus (vit. Hlud. c. 48. SS. 2, 635) eandem rem ita refert: „Cum vero rumor usquequaque diffusus sereret de ceteris quod verum erat, de papa vero Romano, quod ideo adesset, ut tam imperatorem quam episcopos excommunicationis inretire vellet vinculis, si qui inoboedientes essent suae filiorumque imperatoris voluntati, parum quid subripuit episcopis imperatoris praesumptionis audatiae, asserentibus nullo modo se velle eius auctoritati succumbere, sed si excommunicans adveniret, excommunicatus abiret, *cum aliter se habeat antiquorum auctoritas canonum*": nihil enim vetat, nos ea quae Astronomus de auctoritate antiquorum canonum dicit, ad locos a Ferdinando Walter et ab Aemilio Richter citatos referre. Arminius Wasserschleben quidem (ll. cc.) dicit, ex verbis Paschasii Radberti apparere id quod in scriptis Gregorio IV. oblatis contineretur, novi aliquid fuisse: attamen cum Gregorius ita ut Astronomus certe antiquos canones statuentes, ne summus pontifex ab ullo iudicaretur cognovisset et decretales in locis hac de re agentes nihil aliud quam sententias veterum canonum proferant, etiam si ipsas decretales accepisset Gregorius a Wala eiusdemque partis episcopis, verba Radberti Paschasii ita intelligi non possent, Gregorium ideo gavisum et „confortatum" esse, quia ex illis scriptis didicisset, se ab episcopis neque iudicari neque excommunicari posse. Potius mihi Radbertus voluisse videtur dicere, Gregorium eo „confortatum" fuisse, quod pars episcoporum Galliae illos canones agnosceret ipseque speraret, hac re alterius factionis episcopos a proposito suo pontificis excommunicandi deterritum iri. Itaque dicendum est, „scripta nonnulla sanctorum patrum auctoritate firmata praedecessorumque suorum conscripta" non decretales Pseudo-Isidorianas sed collectionem ab episcopis factionis Lotharianae ex canonibus et decretalibus super citatis rebus similibusque compositam fuisse.

Quam sententiam meam si non sequaris, saltem concedendum erit, ex verbis Radberti aperte probari non posse, eum collectionem Pseudo-Isidori respicere[1].

7) Weizsäcker (Hinkmar und Pseudo-Isidor in Niedner, Zeitschrift für historische Theologie, Jahrgang 1858, p. 355) et Wasserschleben (Beiträge

[1] Weizsäcker, Hinkmar und Pseudo-Isidor in libro in textu cit. p. 357.

p. 81. 82, apud **Herzog** p. 355) ad probandum decretales iam intra annos 830—840 perfectas fuisse proferunt verba Hincmari Remensis (opusc. LV. cap. c. 15. Op. II. 426):

„Ad quod instar, secundum constitutionem Anacleti, Dionysius papa rusticanis parochiis terminos certos posuit ac ponendos disposuit, de quibus etiam Chalcedonense concilium quae sunt nota decrevit. De provinciarum autem dimensione et civitatum privilegiis quae ad instar duodecim tribuum Israelitici populi ethnici statuerunt et apostolica sunt postea constitutione firmata, sanctus Clemens in prima epistola ad Iacobum Hierosolymitanum episcopum qui et frater domini appellatur, scripsit, quod tu in compilatione tua sicut et nec praecedentia verba Leonis ponere voluisti, ne inveniretur in eis quod tu alicui praeter apostolicae sedis pontifici deberes aliquo modo subdi, inaniter putans, quod si tu haec in tuo pitaciolo non poneres, alii non haberent libros ubi ea legere potuissent. Sed quis ea quae nosti ignorat? *Prius enim quam formareris in utero illa novimus et antequam exires de vulva saepissime* legimus et discretius quam tu scripturas sacras et canones sacros intelligas intelleximus."

Quibus in verbis Hincmarum de decretalibus Pseudo-Isidorianis agere negari non potest, attamen cum dicit se decretales iam novisse prius quam Hincmarus Laudunensis „in utero formaretur", ei fides haberi non potest, cum Benedictus Levita, ut supra probavi, eas non cognovisset et Hincmarus animosus et exacerbatus ut erat contra nepotem suum [1] hac in re fidem superiacuisse augendo neque aliud quam ipsum prius nepote collectionem decretalium legisse dicere voluisse videatur [2].

8) **Theiner** (l. c. p. 51), **Eichhorn** (l. c. p. 191), **Wasserschleben** (Beiträge p. 50 sqq.) dicunt, concilium Aquisgranense a. 836 habitum respexisse decretales Pseudo-Isidorianas eiusdemque plura capitula ad ipsas referenda esse. Quae generatim de ea re protulit **Wasserschleben**, iam **Goecke** (l. c. p. 49) satis superque refutavit dicens: „**Wasserschleben** autem putat etiam totam synodi dictionem omniaque eius decreta, querimonias de episcoporum accusationibus, de ecclesiarum spoliationibus etc., quas omnes res et decretales tam copiose et saepe tractent, demonstrare, eas illo tempore iam extitisse, quamquam synodus eas non commemoraret. Ego autem plane contrarium ex hac re apparere puto; nam id ipsum, quod eadem synodus eadem, quae decretales, tractat et de iis queritur, quae decretales removere student, nunquam autem ad decretales provocat, ostendit, eam decretales non novisse; contra autem his rebus de quibus synodus queritur, impostorem ad opus suum conficiendum impulsum esse optime colligi potest. — Huc accedit, quod quamquam de iisdem rebus atque decretales agit, eius praecepta de removendis his rebus cum decretalium praeceptis non consentiunt, sed plane ab iis abhorrent," ipseque **Wasserschleben** postea (apud **Herzog** l. c. p. 351) sententia sua decessit. At non solum concilium Aquisgranense non novit decretales, sed etiam cum **Friderico Knust** (de font. et consilio Ps.-Isid. coll. p. 11), quem secutus est **Richter** (l. c. p. 83), dicendum est, eas synodo laudata ut fonte usas esse, ut apparet ex his locis subiunctis:

Conc. Gangr. c. 7 (D.) = c. cit. conc. Aquisgr. usque ad verba: „anathema sit," exceptis:

concilio

c. 8 l. c.: Si quis dederit = c. cit. conc. Aquisgr.

Conc. Aquisgr. a. 836 lib. III. c. 26:

Quorum alterum sub duobus capitulis, videlicet septimo et octavo in concilio Gangrensi ita legitur: Si quis oblationes ecclesiae extra ecclesiam accipere vel dare voluerit praeter *conscientiam episcopi* vel eius cui huiuscemodi *officia commissa sunt* nec cum eius voluerit agere *consilio* anathema sit.

Item si quis dederit vel acceperit *oblata* praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad

Symm. synod. VI.

Unde et in canonibus in Gangrensi aecclaesia apostolica auctoritate conditis de fructuum oblationibus quae ministris aecclesiae debentur et de his quae in usus pauperum conferuntur scriptum habetur: Si quis oblationes aecclesiae accipere vel dare voluerit praeter *episcopi conscientiam* vel eius cui huiuscemodi *sunt officia commissa* nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. *Et iterum in eodem*

[1] **Dümmler** l. c. p. 763. 764. — [2] In quam sententiam etiam nunc **Weizsäcker** discessisse videtur, cum in commentatione postea in **Sybel**, historische Zeitschrift, edita (l. c. p. 79) decretales intra annos 844 et 853 compilatas esse dicat.

	dispensandam misericordiam pauperibus et qui dat et qui accipit anathema sit.	*consilio:* Si quis oblata *deo* dederit vel acceperit praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandum misericordiam pauperibus et qui dat et qui accipit, anathema sit.
Exempl. const. Symm. c. 2 (D.):	*Alterum etiam in decretis Symmachi papae ita habetur, quod licet quibusdam aliter videatur, negotio tamen de quo agitur et ecclesiastice et canonice evidenter adstipulatur, quod ita se habet:*	
Iniquum est enim et sacrilegii instar *ut* . . . . ab *iis quos hoc* maxime servare *convenerat*, *in altitudine transferatur*.	Iniquum *est enim* et sacrilegii *instar*, quae vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae *pauperum caussa* contulerit aut certe reliquerit, ab *his a quibus* maxime convenerit servari, auferri et in aliud transferri.	*Valde ergo* iniquum et *ingens* sacrilegium ut quaecumque vel pro *remedio peccatorum* vel salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili aecclesiae contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenit, *i. e. christianis et deum timentibus et super omnia principibus et primis regionum* in *alia* transferri *vel converti*.

Dubitari non potest, quin synodus Aquisgranensis ex Hadriano-Dionysiana locos desumserit, cum fere in omnibus paucis exceptis cum capitulis concilii Gangrensis et Symmachi conveniat ipsosque numeros capitulorum duorum synodi prioris recte afferat. Ex synodo VI. Symmachi Pseudo-Isidoriana autem excerptum esse capitulum solum ab eo, qui locos diligenter non inspexit, asseverari potest. Nullum verbum a Pseudo-Isidoro mutatum in synodo Aquisgr. repetitur et unde patres eiusdem hauserunt numeros concilii Gangrensis quos Pseudo-Isidorus non profert? Contra Pseudo-Isidorus concilium adhibuit, locos enim ita coniunctos atque in eo exhibet, et verba: „alterum etiam in decretis Symmachi etc. omisit, quia ea in synodo eidem Symmacho adficta excipere non potuit[1].

In eiusdem concilii can. II. de doctrina episcoporum cap. 8 legitur: „Statutum etiam est, ut vel semel in anno, i. e. in quinta feria quae est in coena domini, unctio sancti olei, in quo salvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab episcopis non negligatur, sicut nunc usque neglecta est; sed omni devotione *iuxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium*, in quo de eadem re praecipitur, peragatur." In cuius canonis verbis „iuxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium" Eichhorn (l. c. p. 191. 192), quem antea Wasserschleben (Beiträge p. 50. 51) secutus est, epistolam secundam Fabiani (c. 9) respici contendunt. Ego cum Friderico Kunstmann (Remedius von Chur p. 11. et Fragmente über Pseudo-Isidor in Neue Sion, Jahrgang 1845, no. 54. p. 249. 250), Friderico Knust (l. c. p. 11), Aemilio Richter (l. c. p. 83) in contrariam sententiam discedo. Primo enim Kunstmann iam ea quae Eichhorn et Wasserschleben proferunt, refutasse mihi videtur[2]. Deinde cum in cit. conc. Aquisgr. de oleo

[1] Idem sentit Kunstmann (Remedius p. 13 et Neue Sion Jahrgang 1845 no. 54 p. 250. 251). — [2] Ait enim (Neue Sion l. c. p. 250: „hätten sie (scil. patres concilii Aquisgran.) hier den Brief des Pseudo-Fabian vor Augen gehabt, so hätten sie nicht die Worte iuxta traditionem apostolicam gebrauchen können, denn Pseudo-Fabian leitet die Bereitung des Chrisma am grünen Donnerstage nicht von den Aposteln, sondern von dem Herrn selbst her, indem er schreibt: in illa enim die dominus Iesus, postquam coenavit cum discipulis suis et lavit eorum pedes, sicut a sanctis apostolis praedecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit, und der Beisatz: sicut a sanctis apostolis etc. ist nur eine von ihm stets gebrauchte, in allen seinen Briefen wiederkehrende Formel, die das hohe Alter derselben darthun soll: wollte man aber auch vom chrisma absehen und die erwähnten Worte nur im Allgemeinen auf die jährliche Weihe der drei heiligen Oele am grünen Donnerstage beziehen, so wäre auch dadurch nichts gewonnen, denn nirgends findet sich eine Spur, dass sie auf apostolischer Tradition beruhe. Einen Sinn gewinnen überhaupt die Worte iuxta traditionem apostolicam ac statuta decretalium nur dann, wenn sie auf die vorhergehenden cum omni devotione bezogen werden. Devotion, wollten die Väter von Aachen, sollte dem Krankenöle erwiesen werden, weil es in dem Briefe des Apostels Jacobus, in der Decretale Innocenz I. an Decentius von Gubio, in den Schriften der Kirchenlehrer und den Canonen der Synoden als heilsam empfohlen wird. Diese Devotion mussten sie ihrem Clerus einschärfen, weil, wie uns gleichzeitige Ereignisse beweisen, im 9. Jahrhundert wirklich eine Geringschätzung gegen dieses Heilmittel obwaltete, denn in demselben Sinne ist auch der 48. Canon der Synode von Chalons vom Jahre 813 abgefasst, in welchem es heisst: secundum beati apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta patrum

infirmorum, Fabianus autem de chrismate agat, et Pseudo-Isidori collectionem post a. 847 perfectam esse ostenderim, magis Pseudo-Isidorus videtur in commentis Pseudo-Fabiani respexisse c. 46 conc. Meld. („ut nemo sacrum chrisma nisi in quinta feria maioris septimanae, i. e. in coena quae specialiter appellatur dominica, conficere praesumat") aut ad Ben. Lev. III. 394 („... nec alio umquam tempore iuxta sanctos canones vel secundum morem Romanum, nisi in coena domini sanctum chrisma conficiatur").

9) Wasserschleben (Beiträge p. 72) dicit[1], Sergium II. papam decretales iam novisse, nam iis adductum esse, ut Drogonem archiepiscopum Mettensem vicarium sedis apostolicae regionibus trans Alpes constitueret (cf. epistola Sergii a. 844 ad episcopos Transalpinos: Mansi 14, 806). Attamen iam recte Goecke (l. c. p. 49) contra eum observavit, iura a Sergio vicario tributa plane ab iis quae Pseudo-Isidorus primatibus suis vindicaverit, abhorrere, qua re commotus Wasserschleben etiam nunc sua sententia decessit (cf. Herzog l. c. p. 355). Equidem quoque non dubito Feodoro Goecke accedere dicenti: „Ita ei (scil. Drogoni) nonnisi generalium synodorum convocandarum ius tribuit (scil. Sergius), provincialium convocandarum ius metropolitanis omnino non adimens; ita quoque episcoporum causas neque sibi neque vicario reservat, sed eas tum demum ad se deferri posse dicit: si primum provinciali et postmodum generali vicarii audientia actio ventilata sit."

Quibus haec addenda sunt: Pseudo-Isidorus dicit, primatibus vel patriarchis provincias iam multo ante Christum divisas esse (Clem. 28. 29. Anacl. 26. 28. Steph. 9) novosque primates tantum constituendos esse, si „aliqua gens deinceps ad fidem convertatur cui necesse sit propter multitudinem episcoporum primatum constitui" (Annic. 3)[2]. Quae omnia cum ad Drogonem, qui ne metropolitanus[3] quidem fuit (cf. Rettberg, Kirchengeschichte T. II. p. 600, Wenck l. c. p. 97. not. 1), referri non possint, Pseudo-Isidorus autem de iuribus vicariorum diserte nihil proferat[4], Sergius hac in re decretalibus niti non potuit[5]. Contra episcopi Galliae, qui timentes, ne potestas sua a Drogone vicario constituendo diminueretur, huic rei non favebant neque vicariatum umquam agnoscebant[6], decretalibus optime uti potuerant ad ostendendum, a Sergio vicarium, qui ius haberet sententiae de depositione episcoporum proferendae, institui non posse, sed cum hac in re

consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent, sic enim ait: infirmatur quis in vobis etc. Non est igitur parvi pendenda huiusmodi medicina quae animi corporisque medetur languoribus, und Amalarius Fortunatus bezeugt dasselbe in seiner Schrift de ecclesiasticis officiis lib. I. cap. 12, indem er schreibt: apostoli autem hac arte, id est olei utebantur in redintegratione infirmorum, apostolici viri in consignatione neophytorum. Quapropter non sine peccato a nobis potest demitti, quod eorum auctoritas consecravit. Amalar unterscheidet auch genau zwischen dem Krankenöl und dem Chrisma und legt nur dem ersteren apostolische Tradition bei, denn nachdem er die Stellen Marcus VI, 13 und Jacobus V, 14 angeführt hat, fährt er fort: unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctae ecclesiae morem esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet aegroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato. De eo oleo quod infunditur super neophytos, non tale quid legimus, sed tenemus apostolicam consuetudinem et auctoritatem suam accepimus a Romana ecclesia, quam pro lege tenere oportet etc., ein Beweis, dass man auch im neunten Jahrhunderte nur in der Anordnung der Krankensalbung, nicht aber in der jährlichen Weihe aller heiligen Oele am grünen Donnerstage apostolische Tradition erkannt hat." Cf. quoque Goecke (l. c. p. 48), Richter (l. c. p. 83).

1 Idem sentit Wenck l. c. p. 106. — 2 Cf. Weizsäcker (apud Niedner, Zeitschrift für historische Theologie p. 388. 389). — 3 Archiepiscopi et metropolitani nomen idem apud Pseudo-Isidorum valere apparet ex Anacl. 26 („... haberent metropolitanos suos qui praedictis iuste oboedirent primatibus, sicut in legibus saeculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed *aut metropolitanorum aut archiepiscoporum nomine fruerentur*") et Annic. 3 („Nulli *archiepiscopi* primates vocentur, nisi illi, qui primas tenent civitates, quarum apostoli et successores eorum regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt..... Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates sed *metropolitani* vocentur"). Cf. quoque Thomassini vetus et nova disciplina P. I. lib. I. c. 30 no. 5 et epist. Ludovic. Pii ad Arnonem (L. 1, 219. 229). — 4 Cf. Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12. — 5 Sergium a Lothario imperatore ad Drogoni vicariatum tribuendum commotum fuisse probavit Dümmler (l. c. p. 238). — 6 Cf. Dümmler (l. c. p. 214 sqq.).

ad decretales non recurrerent, sed aliter[1] Drogonem vicarium agnoscere differrent, apparet, decretales eo tempore perfectas non fuisse.

10) Tandem de c. 31. 32. 33. conc. Meld. a. 845[2] habiti pauca proferenda sunt, cum Wasserschleben (Beiträge p. 73) putet, eos ab episcopis in concilio laudato congregatis ideo statutos esse, ut decretales iura metropolitanorum et synodorum provincialium minuentes redderentur irritae. Neque hac in re Arminio Wasserschleben accedere possum. Canones concilii Meldensis agunt de iuribus metropolitanorum ab episcopis suffraganeis et a principibus laesis et repetunt eadem, quae in prioribus canonibus de dignitate metropolitanorum ab episcopis agnoscenda leguntur, cum verba c. 31 cit.: „ut metropolitanis sedibus antiquitus statuta iura serventur" referri debeant ad ea quae Pippinus et Carolus M. qui passim metropolitanam dignitatem in ecclesia Gallicana restituere conati sunt, in capitularibus hac de re praeceperunt[3]. Pseudo-Isidorus econtra auctoritatem metropolitanorum in fabulis suis iuribus quae primatibus et pontifici Romano tribuit diminuit, alioquin saepius praecepit, ut reverentia metropolitanis ab episcopis exhibeatur[4].

Arminio Wasserschleben etiam obiiciendum est, quod in concilio plurimi episcopi (cf. praef. conc. Meld. apud Mansi 14, 814. 815 et subscriptiones concilii Par. Mansi l. c. 856. 857) adfuerunt, itaque ipsi simul cum metropolitanis canones laudatos statuerunt. Sed iidem canones in conventu apud Sparnacum reiecti sunt, non quod episcopi, sed quia proceres saeculares adversati sunt. Legitur enim in praefatione istius conventus (Leg. 1, 388): „Haec quae sequuntur capitula excerpta sunt a domno rege Karolo et principibus eius ex his capitulis quae anno 846 ediderunt episcopi in synodis (sc. Meldensi et Parisiensi) Wenilo (Senonensis) scilicet cum suffragraneis suis, Guntboldus (Rotomagensis) cum suffraganeis suis, Ursmarus (Turonensis) cum suffraganeis suis, Hincmarus (Remensis) cum suffraganeis suis, Amalo (Lugdunensis) cum suffraganeis suis: et oblata sunt eidem principi, sicut ipse iusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco, villa Remensis ecclesiae. *Et quia factione quorumdam motus est animus ipsius regis contra episcopos, dissidentibus regni primoribus sui ab eorundem episcoporum ammonitione et remotis ab eodem concilio episcopis*, ex omnibus illis capitulis haec tantum observanda et complacenda sibi collegerunt et episcopis tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum capitulis acceptasse quam ista et ista se velle cum principe observare", inter quae c. 31—33. concil. Meld. laud. non inveniuntur.

[1] Cf. Karoli II. concil. in Verno palatio c. 11 (Leg. 1, 385): „De praelatione reverendissimi Drogonis definire aliquid non audemus, nisi *expectandum quam maximus cogi potest Galliae Germaniaeque conventus* et in eo metropolitanorum reliquorumque inquirendum esse consensum, cui resistere nec volumus nec valemus. Nobis tamen, si quid tale alicui committi potest et *non alia quam quae praetenditur latet causa* (scil. a Sergio in epistola sua prolata: „nam nobis valde placuit, propter diversas ecclesiarum dei perturbationes, hoc necessarium satisque dignum opus explere") illi potissimum convenire videtur, qui et communione sacerdotii nobis et excellentiae vestrae propinquitatis privilegio sociatur." — [2] Can. 31: „Ut metropolitanis reverentiam exhibeant episcopi provinciae. Ut metropolitanis sedibus antiquitus statuta iura serventur et a comprovincialibus episcopis iuxta regulas ecclesiasticas eis reverentia exhibeatur." Can. 32: „Ut principes synodos provinciales suis temporibus fieri permittant. Ut principes iuxta decreta canonum per singulas provincias saltem bis aut semel in anno a metropolitanis et dioecesanis episcopis synodice conveniri concedant: quia quaelibet confusio rerum temporalium dissolvere non debet collegium sacerdotum." Can. 33: „De episcopis qui ad synodos vocati non veniunt. Ut si quilibet episcopus ad synodum vocatus quacumque occasione venire distulerit, nisi evidens impossibilitas praepedierit, salva censura ex hoc patrum auctoritate decreta cesset ab officio, donec satisfaciat fratribus." — [3] Cap. Suession. a. 744 c. 3, Cap. Vernens. a. 755 c. 2. 4. 9, Cap. Franc. a. 779 c. 1, Cap. eccl. a. 789 c. 8. Cf. Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte T. III. p. 351 sqq. — [4] Ann. 2: „... ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis aut de aliis communibus iuxta statuta apostolorum absque cunctorum illorum (sc. episcoporum comprovincialium) agat consilio; nec illi, nisi quantum ad proprias parrochias pertinet sine suo". Cf. quoque Luc. 2, quae omnino cum prioribus canonibus conveniunt, ut apparet ex c. 8 Cap. eccles. a. 789, qui repetit c. 9 conc. Antioch.: „Item in eodem concilio ut ad metropolitanum episcopum suffraganei episcopi respiciant et nihil novi audeant facere in suis parrochiis sine conscientia et consilio sui metropolitani et metropolitanus sine eorum consilio".

Ex quibus omnibus sub 1—10 modo allatis apparet, ante perfectam Benedicti collectionem decretales non exstitisse neque divulgatas fuisse. Itaque nobis annum indagantibus quando compilaverit eas Pseudo-Isidorus, haerendum est in eo: quod ante d. XXI. m. Aprilis non iam editae erant.

Nunc autem quaeritur, quando primo allegentur. Goecke (l. c. p. 56) quem secutus est Weizsäcker (die pseudo-isidorische Frage l. c. p. 79) dicit, primum certum vestigium decretalium inveniri in narratione clericorum ab Ebone a. 841 ordinatorum et postea ab Hincmaro et synodo Suessionensi a. 853 depositorum, ubi profertur: „Praesentatus autem concilio episcoporum accusatus est ab imperatore atque diu nimiis terroribus maceratus, inito tandem consilio *cum ceteris coepiscopis et fratribus suis quia episcopus nec archiepiscopus suis omnibus bonis expoliatur subque custodia tentus et ab ecclesia sua sequestratus in synodo apostolica auctoritate non convocata neque eius legatione roborata damnari nullatenus iuxta decreta sanctorum patrum potuisset*, ne diu in talibus torqueretur et etiam sanus corpore iram maximi principis quocumque modo declinaret, coactus scripsit libellum hunc" etc.[1]

Qua in re ei erit accedendum, nam cum quidem Benedictus multa de exceptione spolii proferat, tamen similia verba apud eum non leguntur, in epistolae Felicis I. papae autem c. 10 fere eadem exhibentur[2]. Qui locus cum desumtus sit ex c. 4 Angilramno, quaeri tantum potest, nonne in narratione clericorum ex capitulis Angilramni haustus sit. Attamen decretales a clericis hic allegari dicendum est, quia decretorum sanctorum patrum mentionem faciunt et haec verba potius ad decretales referenda sunt, praesertim cum non solum epistolam Felicis I. respicere potuissent, in quo nihil de episcopis synodo apostolica auctoritate convocata et pontificis Romani legatione corroborata habetur, sed etiam ad alias decretales Pseudo-Isidori[3] recurrere debuissent. Qua ex re etiam optime explicatur, quod generatim decreta sanctorum patrum, neque nomina pontificum afferunt. Nominatim autem anno 857 in conventu apud Carisiacum habito decretales allegantur[4].

Pro certo igitur habendum est, decretales Pseudo-Isidorianas confectas fuisse inter d. XXI. m. April. a. 847 et a. 853. Si autem respexeris annis quibusdam opus fuisse, ut Benedicti collectio propagaretur, ut Pseudo-Isidorus decretales conscripserit, ut iterum istae divulgarentur, verisimile videbitur, Pseudo-Isidorum circa annum 851 aut 852 collectionem suam absolvisse[5]. Qua re refutantur Goecke (l. c. p. 56), qui eas a. 845 partim perfectas fuisse dicit, Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage (l. c. p. 82), qui putat eas a. 847 editas, Carolus a Noorden (Ebbo, Hinkmar und Pseudo-Isidor, apud v. Sybel, histor. Zeitschrift, Jahrgang IV. 1862, p. 325 sqq.) qui eas a. 840—841 confictas ostendere conatus est. Omnes enim fontem decretalium Benedicti collectionem fuisse non viderunt et ea, quae de aetate collectionis Goecke et Carol. a Noorden proferunt, ideo statuunt, quia Pseudo-Isidorum in favorem Ebonis Remensis scripsisse putant et post translationem eius ad episcopatum Hildesheimensem a. 845 factam ea quae ad restitutionem Ebonis spectarent, Pseudo-Isidorum in suam collectionem recepturum non fuisse contendunt. Qua de re amplius disserendum mihi erit in partibus V et VI, ubi agam de patria decretalium et

[1] Bouquet, recueil T. VII. p. 277. — [2] „Nam si suis fuerit aut ecclesiae sibi commisse rebus expoliatus aut quod absit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, a sede propria eiectus aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonicae antequam in pristino restituatur cum omni privilegio suo honore et sua omnia que insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerunt, legibus redintegrentur, nec convocari nec iudicari poterit." — [3] Iul. 5: „quas providentes sancti patres insidias et inlicitas altercationes unanimiter in praedicta Nicena statuerunt synodo, ut nullus episcopus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur i. e. iudicetur vel dampnetur. Cf. Iul. 13, Dam. 9. — [4] Leg. 1, 453, ubi citantur Anacl. c. 14, Urban. c. 4, Luc. c. 7. — [5] De decretalibus in epistolis Romanorum pontificum allatis cf. pars sequens, ubi de patria decretalium agitur.

consilio Pseudo-Isidori. Hic saltem sufficiet dicere, certiora argumenta ex fontibus Pseudo-Isidori quam ex sententia quadam de consilio eius allata, de quo disputationem umquam sopitum iri sperari non possit, pro aetate collectionis statuenda repeti ideoque iam hac ex re ea quae viri laudati protulerint contra me nihil facere.

Restat tantum, ut epistolae Rabani Mauri de chorepiscopis mentionem faciam, qua etiam qui ante me hac de re scripserunt ad dirimendas controversias de aetate collectionis Pseudo-Isidorianae usi sunt. Quam epistolam, quam ad Drogonem archiepiscopum Mettensem direxerit, Pseudo-Isidorum in decretali Ioanni III. papae adficta respexisse dicunt Knust (de fontibus et consilio Ps.-Is. collectionis p. 13. 80), Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 253), Waizsäcker (Chorepiscopat p. 49. not. 1. et in v. Sybel, histor. Zeitschrift l. c. p. 81), quorum sententiae accedere non haesito, cum Rabanus primus Linum et Cletum [1] chorepiscopos fuisse dicat, hoc autem commentis Pseudo-Isidori, qui chorepiscopis ius presbyterorum ordinandorum abiudicat, non conveniat [2]. De anno autem quo Rabanus epistolam suam scripserit, magna controversia est. Knust l. c. (cf. Leg. 2, app. 33), Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 253) intra annos 845 et 849, Weizsäcker (in Niedner, Zeitschrift für histor. Theologie l. c. p. 357), Goecke (l. c. p. 51) annis 839 aut 840, Waizsäcker in commentationibus suis posterioribus (Chorepiscopat p. 49 et in v. Sybel, histor. Zeitschrift l. c. p. 81) post annum 847, Dümmler l. c. p. 297. not. 12 ante concilium Meldense a. 845 habitum opusculum laudatum de chorepiscopis ad Drogonem a Rabano missum esse putant. Cuius ultimi sententiam approbo. Cum enim in concilio Meldensi canon 44. contra chorepiscopos statutus sit, dubitari non potest, quin iam antea de iuribus eorum disceptatum fuerit. Rabani autem vitae a Rudolfo presbytero († 865, cf. SS. 5, 106) conscriptae ultimum capitulum nobis traditum (cf. Brower, Fuldens. antiquit. lib. III. Antverp. 1612. p. 249) nihil amplius de Rabano refert quam eum deposita dignitate abbatis Fuldensis in montem S. Petri prope monasterium Fuldense situm (a. 842. cf. Dümmler l. c. p. 301) secessisse [3] (ubi usque ad annum 847 permansit), et postea libros a Rabano scriptos enumerat, inter quos etiam epistolam citatam de chorepiscopis [4]. Unde recte Dümmler mihi collegisse videtur, illam inde ad Drogonem missam fuisse. Quae sententia etiam inscriptione confirmatur,

[1] „Habebant enim ipsi apostoli adiutores in praedicatione evangelii Christi, qui etiam ordinationes fecerunt ex praeceptis eorum. Unde legitur in codice quem Damasus papa de episcopis Romanae ecclesiae petente Hieronymo presbytero conscripsit, quod Linus et Cletus ex praecepto beati Petri ordinationes presbyterorum fecerint; quum tamen post passionem Petri non illi, sed Clemens in honorem cathedrae successerit, ipso eidem tradente principe apostolorum, sicut epistola eiusdem Clementis scripta ex mandato Petri ad Iacobum fratrem domini testatur. Hinc reor quod usus chorepiscoporum primam originem sumserit et hactenus in ecclesia catholica retineatur, ut ipsi chorepiscopi a propriis episcopis suis ordinati, iuxta praeceptum eorum diaconos et presbyteros ac ceteros gradus ordinent atque reliqua officia sacerdotalis officii peragant" (in Petri de Marca diss. de concordia sacerdot. et imper. Bambergae. T. III. p. 587). — [2] Epistola Iohannis III.: ... „Sic autem Petrus, princeps apostolorum adiutores sibi ascivit Linum et Cletum, non tamen potestatem pontificii aut ligandi vel solvendi normam eis tradidit, sed successori suo sancto Clementi qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat et quae non incongrue ad traditionem spiritus sancti per manus inpositionem pertinent... Linum et Cletum nihil legitur umquam egisse ex pontificali ministerio potestative sed quantum eis a beato Petro praecipiebatur", quae ultima prolata esse videntur ad repellendum argumentum a Rabano ex libro pontificali his verbis repetitum: „legitur in codice quem Damasus papa de episcopis Romanae ecclesiae petente Hieronymo presbytero conscripsit quod Linus et Cletus ex praecepto b. Petri ordinationes presbyterorum fecerint". Cf. quoque Kunstmann (l. c.). — [3] Qua de re Rudolfus (Brower l. c. p. 249): „Cum igitur ille venerabilis monasterium per annos XX nobiliter rexisset et deposito curae pastoralis pondere ad ecclesiam, quam ad orientem monasterii in monte constructam esse supra dixi, se contulisset, ibi manens ac deo serviens caelesti philosophiae vacabat". — [4] Rudolfus (l. c.): „sunt quoque alia opuscula eius quae ad interrogata diversorum ei respondere necessarium fuit, quorum unum est de corepiscoporum ordinatione, supra quo ad Drugonem archiepiscopum scripsit librum unum".

nam si Rabanus iam tunc cum epistolam scriberet archiepiscopus Moguntinus fuisset, illam non ita concipere potuisset: „Drugoni *summo* pontifici Hrabanus *famulus Christi*“[1], cum Drogo ei dignitate inferior esset.

Attamen quamcumque sententiam sequaris, si decretales Pseudo-Isidori circa annos 851 et 852 perfectas esse statueris, Pseudo-Isidorum epistolam Rabani respexisse dicere poteris, simulque hac re explicatur cur Rabanus numquam Benedictum Levitam et decretales in operibus suis attulerit, cum decretales tantum in Gallia occidentali usque ad annum 857 diffusae fuerint et Rabanus iam a. 856 (SS. 1, 369) decesserit, neque cum Arminio Wasserschleben (Beiträge p. 74) opus est dicamus, eum putasse, decretalibus collectionibus Dionysiana et Hispana derogatum fuisse. Neque contra sententiam a me de aetate decretalium statutam concilium Parisiense a. 849 habitum, ubi chorepiscopi depositi sunt, afferri neque dici potest, Pseudo-Isidorum si post idem suam collectionem edidisset, epistolas de eis conficturum non fuisse[2], quia in eo non chorepiscopi in totum prohibiti, sed tantum plures depositi sunt[3] et etiam post a. 849 chorepiscopi in regno Caroli Calvi inveniuntur[4].

[1] Inscriptiones epistolarum a Rabano ad archiepiscopalem dignitatem provecto scriptarum ita habentur: „reverentissimo *fratri* et *consacerdoti* Hincmaro archiepiscopo Rabanus *servus Christi et servorum eius*“ (Mansi 14, 914), „*sanctissimo viro* et merito fidei et orthodoxae doctrinae ab omnibus catholicis *venerabiliter honorando* Hincmaro ... Rabanus *peccator*,“ „*sanctissimo fratri* et in membris Christi *plurimum venerando* Hincmaro pontifici Rabanus *peccator*“ (Kunstmann, Hrabanus Magnentius Maurus. Mainz 1841. p. 215. 219). — [2] Cf. Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 253) qui ratione concilii citati habita putat, epistolam Rabani de chorepiscopis ante 849 scriptam esse. — [3] De quo concilio haec tantum refert fragmentum chronici Alberici monachi Triumfontium: „Audradus chorepiscopus Senonensis de mandato Petri qui ei in visione apparuit et de licentia archiepiscopi sui Romam profectus est anno induciarum quinto (scil. inter filios Ludovici Pii a. 848) et libros suos obtulit quarto Leoni papae, qui reverenter eos excepit. Inde Senonas reversus Parisiis ad concilium revocatus est et non solum *ipse sed etiam alii chorepiscopi*, qui erant in Francia, in eodem concilio depositi sunt.“ (Mansi 14, 927.) — [4] Cf. Wenck l. c. p. 389 not. 3, p. 392 not. 1, qui plures enumerat, et Weizsäcker (Chorepiscopat p. 26).

PARS V. DE PATRIA FALSARUM DECRETALIUM.

§. 22. Cap. I. Agitur generatim de patria.

Decretales falsas Romae et auctoribus Romanis pontificibus factas esse, inter nostrae aetatis scriptores Theiner et Eichhorn in commentationibus suis laudatis ostendere conati sunt. Quorum sententia iam plane videtur refutata, nam argumenta quibus nititur, sunt capitula Angilramni Romae a Hadriano I. papa compilata et liber pontificalis, quem saeculo IX. in aliis terris praeter Italiam propagatum non fuisse dicunt[1]. Capitula autem Angilramni falsa esse et cum fraude Pseudo-Isidoriana cohaerere supra (§. 19) probavi, librum autem pontificalem eo tempore in Gallia et Germania fuisse vulgatum apparet ex epistola Rabani Mauri de chorepiscopis (§. 21 allata) et Hincmari Remensis opusculi adversus Hincm. Laud. c. 20[2]. Neque prima vestigia falsarum decretalium in litteris Romanorum pontificum neque in Italia inveniuntur. Sunt quidem qui censeant (velut Theiner l. c. p. 46. 74) iam Leonem in epistola sua ad episcopos Britanniae a. 848 aut 849 (cf. Dümmler l. c. p. 323 not. 12) missa decretales respicere, sed Leo in ea aperte secundum collectionem Hadriano-Dionysianam episcopos clericosque iudicandos esse dicit[3]. Et Nicolaus I. ad petitionem Servati Lupi abbatis Ferrariensis: „dicitur autem *Melchiades* papa decrevisse ne quis unquam pontifex sine consensu papae Romani deponeretur. Unde supplicamus ut statuta illius integra sicut penes vos habentur, nobis dirigere dignemini, ut hinc dictis ipsius confirmati aut sicut beatus Gregorius doctor fecit de Ariminensi episcopo incommodo simili laborante sequamur aut sicut sanctus Gellasius docet removendus sit mente percussus“[4] nihil respondet, quamquam latissime de Herimanno Nivernensi mentis morbo percusso rescripsit ad Wenilonem archiepiscopum Senonensem[5]. Quae epistola cum a. 858 aut 859 scripta sit (Jaffé l. c. 2016), illo tempore Nicolaus decretales nondum novisse apertum est[6], nam etiam postea, velut in epistola ad Salomonem regem Britannorum circa a. 862 scripta (Jaffé l. c. 2044), tantum ad decretales anteriores recurrit et de episcoporum accusatione statuit, quae omnino cum priore iure, non cum regulis a Pseudo-Isidoro prolatis conveniunt[7]. Neque Arminio Wasserschleben (Bei-

[1] Theiner l. c. p. 71 sqq., Eichhorn l. c. p. 197, Kirchenrecht T. I. p. 158. — [2] „Quidam etiam quod de accusatis et testibus Silvester constituit, velut in libro episcopali (i. e. pontificali) ex hoc tenendum in auctoritate dicunt, quia Gelasius in catalogo de libris recipiendis actus illius legendos dicit.“ . . . „Alia de constitutionibus illius in libro episcopali quos sicut et alias quasdam constitutiones aliorum pontificum quae in eodem libro leguntur a praecedentibus temporibus universalis non servat ecclesia.“ (Op. II. 455.) Cf. Richter l. c. p. 84, Knust (de fontibus etc. p. 8, qui tamen immerito negat, librum pontificalem et episcopalem eosdem esse). — [3] C. 6. . . . „sanctorum conciliorum canones relinquere vel decretalium regulas i. e. quae habentur apud nos simul cum illis in canone et quibus in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis, i. e. apostolorum, Nicaenorum, Ancyranorum, Neocaesariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, *Carthaginensium*, *Africanensium:* et cum illis regulae praesulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt per quos iudicant episcopi et per quos episcopi simul et clerici iudicantur.“ (Mansi 14, 884.) Cf. Richter (l. c. p. 81), Wasserschleben (apud Herzog l. c. p. 355), Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 242). Quae Leo IV. in initio de episcopo nisi a XII episcopis et testimonio LXXII testium non damnando profert, desumsit ex constituto Silvestri et c. 12 conc. Carth. et in verbis ibidem exhibitis: „et si inter eos quos damnandos esse dixerunt homines, fuerit episcopus qui suam caussam in praesentia Romanae sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam praesumat dare sententiam: sed omnino eum audiri decernimus“ respexit ad c. 4 conc. Sardic. — [4] Mansi 15, 397. — [5] Mansi 15, 387. — [6] Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 253. 245). Contra Wasserschleben, Beiträge p. 11. 76. — [7] „Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus nisi aut ante

träge l. c. p. 78) concedi potest, eundem papam in epistola Carolo Calvo a. 865 scripta his verbis: „sed et papa Iulius Orientalibus scribens, utramque partem Athanasii scilicet et adversariorum eius accelerare praesentiam, quatenus utraque parte praesente audiretur reus et ab omnibus condemnatus de cetero cohiberetur a sacerdotio" (Mansi 15, 688) respexisse ad epistolam secundam Pseudo-Iulii, nam in ea quidem habentur, quae similia verbis illius sunt: „pari tenore decernimus non credi accusatori qui absente adversario causam suggesserit ante utriusque partis discussionem"; at recte iam Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 249) animadvertit, verba Nicolai etiam referri posse ad epistolam genuinam Iulii ad Eusebianos, in qua legitur: „scitis autem, dilecti, quae ab una solum parte aguntur nullam vim habere sed suspecta esse. Nos tamen quamquam sic actum esset, accuratioris disquisitionis causa, nec de vobis nec de iis qui pro illis scripserant, quidquam praeiudicantes hortati sumus eos qui litteras miserant, ut huc se conferrent: ut quando quidem plures sunt qui pro illis scripsere, in synodo omnia examinarentur, quo nec damnetur innoxius nec qui reus est ut purus habeatur" (cf. Coustant, epist. rom. pontif. p. 359), praesertim cum nulla in epistola Pseudo-Iulii legantur, ad quae verba a Nicolao prolata: „utramque partem Athanasii scilicet et adversariorum eius accelerare praesentiam" spectare possint, in litteris genuinis Iulii laudatis autem talia exhibeantur [1].

Attamen illo tempore Nicolaum decretales iam novisse apparet ex epistola paullo post eodem anno 865 ad episcopos Galliae scripta:

„Aequum non foret, si ad vestra se iudicia convertisset, *quamvis etsi* (sc. Rothadus) *sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferri statuta et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.* Quod tamen vos ut servata vobiscum medullitus caritate dicam, postposuisse dolemus et diversorum sedis apostolicae praesulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim, ut cuiuscumque usque ad ultimum vitae suae diem qui in fide catholica perseveravit vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quaelibet exposita, debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula quae dumtaxat et antiquitus sancta Romana ecclesia conservans nobis quoque custodienda mandavit et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur .....

Quamquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur et non solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicae et ad suorum argumentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta apud nos habentur quae non solum quorumcunque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis praeferre noscuntur. At nunc ubi suis animis resultare et privilegia tanto nos ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus quanto universae ecclesiae profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est, ut ubi universa fabricae moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptae; ergo nec Gregorii sancti nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum eo quod in codice canonum non habeatur adscriptum .... Restat nimirum quod decretales epistolae Romanorum sunt recipiendae etiamsi non sunt canonum codici compaginatae, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia

legitimum numerum episcoporum qui fit per XII episcopos aut certe probata sententia per LXXII idoneos testes qui tales sint, qui et accusare possint et prius ad sacra Christi quatuor evangelia sacramenta praestent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester et sancta Romana tenere videtur ecclesia.... Quorum vestigia et ego quoque secutus eadem censui, immo et censeo, nec ullam posse episcopos sui honoris sustinere iacturam, *quos non constat fuisse a XII episcopis, praesente primamque sententiam metropolitano episcopo obtinente, cum examinarent auditos.*" (Mansi 15, 394.)

[1] „Ergo, dilectissimi, oportuit vos huc accedere et non abnuere, ut negotium ad finem deduceretur; id enim ratio postulat. Sed fortasse praefinitum tempus id vobis non permisit; in litteris enim vestris conquesti estis angustum nos ad synodum cogendam temporis spatium definivisse. Verum hoc, dilecti, mera est causae simulatio. Nam si quos iam profectos praevertisset ille dies, angustum sane fuisse praefiniti temporis spatium recte arguerent. Si autem ii, quibus accedere non libuit, presbyteros quoque usque ad mensem Ianuarium detinuerint, merus est praetextus hominum suis rebus diffidentium." (Coustant l. c. p. 366.)

decretalia constituta sedis apostolicae custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo V. suorum decretalium: ne quid vero sit quod praetermissum a nobis forte credatur omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis ita vestrae dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari ....“[1]

Quibus in verbis Nicolaus I. ad falsas decretales respexisse mihi cum Arminio Wasserschleben (Beiträge p. 6 et in Herzog l. c. p. 355) et Aemilio Richter (l. c. p. 85) videtur. Apparet enim ex epistola illa decretalia, secundum quae Nicolaus se inconsulto Rothadum, etsi ad sedem apostolicam non appellasset, nullo modo deponi potuisse dicit, in codice canonum i. e. collectione Hadriano-Dionysiana (cf. verba antea allata „etiamsi non sunt canonum codici compaginatae, quoniam“ etc. usque ad verba „capitulo V.“: quod in ista collectione inter decreta Leonis re vera quintum profertur) non exhiberi. Cum autem decreta a Nicolao de deponendis episcopis allata in decretalibus Pseudo-Isidori legantur, et a Nicolao ad epistolam Leonis M. ad Anastasium, quippe quae etiam in Hadrianea habeatur (cf. decr. Leon. c. 31 sqq.), postea a se allegatam respectum esse non possit, iam hac re probatur, decretales Pseudo-Isidorianas Nicolaum novisse. Quod his verbis postea a Nicolao in iisdem litteris prolatis confirmatur:

„Consonat autem huic beatissimo papae Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius ita inquiens: Decretales epistolas quas beatissimi papae diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum, quia non dixit decretales epistolas quae inter canones habentur, *nec tantum quas moderni pontifices ediderunt*, *sed quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Romae dederunt. Dictis autem diversis temporibus*, *etiam illa tempora vir sanctus comprehendit*, *quae crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant.*“

Decretales prioribus aerae Christianae temporibus editae in collectione Hadrianea non exhibitae non aliae sunt ac decretales ante Siricium conditae, itaque tantum Pseudo-Isidorianae intelligi possunt. Quin etiam apertius ad eas Nicolaus respexit his verbis eiusdem epistolae:

„Hic vero tandem omissis deo duce scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est *et quod inconsultis nobis Rothado fratre et coepiscopo nostro praepropere perpetrastis (etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset)* dei auctoritate et beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum seu omnium decessorum meorum nec non *et sanctorum trecentorum decem et octo patrum qui apud Nicaeum sub Constantino pio principe convenerunt penitus evacuantes et in irritum ducentes*, *praefatum Rothadum pristino gradui*, *pristinae dignitati*, *pristino reddidisse prorsus honori.*“

Ait igitur Nicolaus, episcopos deponentes Rothadum inconsulta sede apostolica egisse contra decretales praedecessorum suorum et contra Nicaenum concilium. Cuius synodi canones cum nihil hac de re statuant, canones autem a Iulio et Felice II. papis quasi ex Nicaeno desumti et ab iis prolati talia contineant, illas ante oculos habuisse Nicolaum itaque decretales Pseudo-Isidorianas novisse manifestum est[2]. Itaque etiam hoc apparet, verba sermonis a Nicolao die vigiliarum nativitatis domini (a. 864) in ecclesia sanctae Mariae ad praesepe habiti: „quamvis et ipse sedem apostolicam si nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta decretalia se efferre statuta et episcopum inconsulte deponere, sicut vos bene nostis,

[1] Mansi 15, 694. 695. — [2] Quibus rebus refutantur Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 245) et Walter (l. c. §. 95). Epistolam autem Nicolai in c. 2 C. XV. qu. 6 prolatam, in qua Pseudo-Alexander citatur, ad Nicolaum II. pertinere recte illos censere (cf. ll. cc.) existimo, cum Hontheim (historia Trevirensis Tom. I. p. 197) nullas rationes epistolae a. 861 assignandae afferat magisque videatur epistola respicere episcopum Eberhardum Trevirensem a Conrado comite Lutzelbergensi in captivitate detentum (cf. Brower, annal. Trevirens. lib. XI. no. 134. 135. in Brower et Marsenius, antiquit. Trev. Tom. I. p. 536. 537). Nominatim iam a successore Nicolai papa Hadriano II. afferuntur decretales, velut in epistola a. 871 ad episcopos synodi Duziacensis missa (Mansi 15, 852). Cf. Wasserschleben, Beiträge p. 85. 86. Ad eundem papam etiam pertinent quae capitulis Angilramni quibusdam in codicibus subiiciuntur, velut in cod. Salisb. et Trevirensi saec. X. et quae ex iisdem in editione mea capitulis adnexui.

non debuerunt" (Mansi 15, 686) ad decretales referenda esse. Si nihilominus Nicolaus in epistolis antea laudatis ad Carolum Calvum et ad episcopos Galliae nominatim decretales non citat, huius rei causa in eo posita est, quod paullo antea decretales cognoverat et cautius ei agendum erat, quia auctoritatem eorum episcopi Galliae in dubium devocaverunt. Itaque affert ille quidem decretales Leonis M. et Innocentii ut res a se statutas confirmet, sed ita, ut Pseudo-Isidorus eas adulteraverat, sensum earum interpretatus est. Neque inverisimile videtur ipsum Rothadum episcopum Suessionensem, cuius de causa sermo a Nicolao habitus et epistola ad Gallos scripta est, decretales secum Romam attulisse [1].

Itaque cum ante annum 864 exeuntem Romani pontifices numquam ad decretales recurrerint [2], in Gallia autem clerici ab Ebone ordinati a. 853 eas respiciant, nominatim ab anno 857 [3] citentur, Hincmarus archiepiscopus Remensis iam ab a. 859 saepius eas alleget [4], pro certo habendum est neque Romae neque in Italia eas esse confictas. Immo sententia cui omnes viri docti hodie nullo fere excepto adhaerent, in Francia decretales originem sumpsisse comprobanda est.

1) Ante omnia in hanc sententiam convenit, quod Pseudo-Isidorus ad supplendam collectionem Hispanam tunc non multo tempore antea in Franciam allatam codice Gallicano eius et quidem simili manuscripto Rachionis Argentoratensis usus collectionem Hadriano-Dionysianam et collectionem Quesnellianam, quarum altera erat codex canonum ecclesiae Gallicae et altera originis Gallicae, adhibuit.

2) Falsarius ad confirmandam sinceritatem capitulorum Angilramni et additionis IV. Benedicti collectionis usus est nominibus Erchembaldi cancellarii Caroli M. eiusque archicapellani Angilramni episcopi Mettensis.

3) Ex fontibus tunc solum in Francia notis et divulgatis hausit, velut ex collectione Benedicti Levitae; quod cum primo Benedictus simul cum collectione Pseudo-Isidori in conventu Carisiacensi a. 857 allegetur, gravissimum argumentum putandum est. Concilia etiam Meldense, Aquisgranense a. 836, Parisiense a. 829, Aquisgranense a. 816 adhibuit et res quae ex operibus veterum patrum desumsit, ex iis hausit, quorum scripta in ecclesia Gallicana late diffusa erant et qui fere omnes iam in concilio Aquisgranensi a. 816 citato excerpti sunt. Tum multis in locis usus est codice Theodosiano et breviario Alariciano in Gallia eo tempore ubique propagata [5]. Adhibuit etiam saepius epitomas Aegidii et cod. Par. int. suppl. lat. 215, quae Scintilla quoque vocatur. Quarum prima in Gallia initio saeculi

[1] Dümmler l. c. p. 540. Dubitari non potest, quin a. 866 Nicolaus eas cognoverit. Quae enim in epistola eius ad episcopos syn. Suession. (Mansi 15, 743) proferuntur: „conveniens ac honestum est ut iuxta postulationem vestram nostrae firmationis perfecta subsequatur integritas eo dumtaxat ordine ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur et hinc sedem apostolicam saepissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus et quodammodo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habent. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit" cum c. 13 decr. Damasi conveniunt: „Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite pugnare; sic nec illi qui eiecti vel suis bonis sunt expoliati cum illis qui in suo stant statu et suis fruentur amicis atque bonis litigare rite non possunt: nec saeculi leges haec saecularibus fieri permittunt, sed prius eiectos vel oppressos aut expoliatos cum suis omnibus restitui iubent." — [2] In epistola ad Hincmarum d. IV. Kal. Mai. 863 Nicolaus quoque collectionem Hadrianeam citat: „sed ita ut Nicaenorum et ceterorum conciliorum canonicis definitionibus est promulgatum et beatorum Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Bonifacii, Leonis, Hilari, Gelasii, Gregorii ac ceterorum Romanae sedis pontificum constitutionibus est decretum"... (Mansi 15, 374). Num in epistola eodem anno ad eundem missa verbis: „debuerat certe beatitudo tua cum Rothadum examinaveras scribens sancti Petri memoriam honorare eiusque iudicium etiamsi nunquam appellasset idem Rothadus, modis omnibus praestolari" (15, 294) respexerit decretales Pseudo-Isidorianas dubium est. Saltem nulli alii canones aut decretales a Nicolao in hac epistola afferuntur. — [3] Cf. conc. Carisiac. a. 857 in §. 21 et epistola Lupi Ferrar. hac in §. supra cit. — [4] Anacletus in libro de praedestinatione a. 859 (1, 151), in op. de div. Loth. scripto a. 860: Alexander (1, 622), Evaristus (1,586), Fabianus (1,620), Cornelius (1,621), Felix I. (1,621). — [5] von Savigny, Geschichte des römischen Rechtes im Mittelalter, 2. Ausgabe, T. II. p. 62. 63. 120 not. n.

VIII.[1], altera ibidem eodem saeculo scriptae[2] non solum a Benedicto sed etiam ante eum ab aliis iam in Gallia adhibebantur[3]. Eandem patriam esse ostendunt etiam epistolae Bonifacii, quarum multos locos adulteravit.

4) Genus dicendi quoque auctorem fuisse Francum indicat, cum idem in capitularibus et synodis Franciae eiusdem aetatis inveniatur verbaque illis in partibus tunc usitata certaque officia ibique instituta aliasque res ibi vigentes significantia occurrant (velut: missi, seniores, comites, patricius saecularis)[4].

5) Accedit, quod in Francia primo decretales proferuntur et citantur.

Quibus omnibus rebus satis superque probatur[5], patriam decretalium Franciam esse, magisque id confirmabitur iis, quae nunc de parte Franciae ubi decretales ortae fuerint et postea de consilio falsarii afferam.

§. 23. Cap. II. De provincia Remensi patria decretalium.

Cum plurimi prius e dioecesi Moguntina decretales originem duxisse dicerent, velut Ballerinii, diss. cit. P. III. c. VI. §. 4. no. 13 sqq., Knust l. c. p. 14. 15, Wasserschleben, Beiträge p. 64 sqq. et in Herzog l. c. p. 351, Goecke l. c. p. 57, econtra Weizsäcker Chorepiscopat p. 47, die pseudo-isidorische Frage p. 61 sqq. 92 sqq. et Carolus a Noorden l. c. p. 315 sqq. in Gallia occidentali et quidem in provincia Remensi confictas esse contendunt. Quarum sententiarum primae quidem accedere non possum.

Quamquam haec quaestio cohaereat cum disputatione de consilio auctoreque collectionis, iam ex iis quae supra ostendi apparet, nullis firmis argumentis opinionem Knustii ceterorumque eum sequentium niti. Nam cum mortuo Otgario collectio Benedicti edita et a Pseudo-Isidoro adhibita sit (cf. supra §§. 17. 20) et verisimile habendum, ne Moguntiae quidem Benedictum opus suum edidisse, primum et gravissimum argumentum originis Moguntinae tollitur.

Affertur argumentum alterum, Pseudo-Isidorum voluisse sedi archiepiscopali Moguntinae pristinum honorem Bonifacio antea adtributum, scilicet honorem primatus vindicari ideoque figmenta sua de iure patriarcharum aut primatum consuisse (cf. Blascus l. c. p. 122, Gfrörer, Kirchengeschichte T. III. p. 2. 766 sqq., Knust l. c. p. 98). Referunt enim ad sedem Moguntiacam capit. 3 epist. Annic.: „nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum apostoli et successores eorum regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem episcoporum primatem constitui.“ Quo cum decreto Knust (l. c.) et Weizsäcker, qui capitulum Annic. citatum ecclesiam Remensem respicere putat (cf. apud Niedner l. c. p. 387. 391, apud v. Sybel l. c. p. 93. 94), locum epistolae primae Pelagii II. coniungunt:

„De cetero fratres super provinciae causa unde sedem apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis suffitienter tractatum a sanctis praedecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote certam provintiam esse, quae habet decem vel undecim civitates et unum regem et totidem minores potestates sub se et unum episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim episcopos iudices, ad quorum iuditium omnes cause episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum cause referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his qui iudicandi sunt appellatum, unde non oportet ut degradetur vel dehonoretur unaqueque provincia, sed aput semetipsam habeat iudices, sacerdotes et episcopos singulos videlicet iuxta ordines suos: et quicumque causam habuerit a suis iudi-

[1] Lex Romana Visigoth. ed. Haenel. p. XXV. — [2] l. c. p. XXVI. — [3] l. c. p. XXV. XXVII. — [4] Cf. Knust l. c. p. 13. 14. Wasserschleben, Beiträge p. 42. 43. — [5] Ballerinii, diss. cit. P. III. c. VI. §. 4. no. 13 sqq. afferunt quoque vetustiores codices esse Germano-Francos. Quo argumento non utar, nam plurimi codices antiquiores velut A2 in Italia scripti esse videntur (cf. §§. 4. 5). Optimi codices classis A1 hodie quidem in bibliothecis Galliae asservantur (cf. §. 3) et in Gallia exaratos esse verisimile est, attamen cum certae rationes afferri non possint aliisque ex rebus origo Gallica decretalium constet, ad patriam codicum recurramus opus non est.

cibus iudicetur et non ab alienis i. e. a sue iustis iudicibus provintiae et non ab externis, nisi, ut iam praelibatum est, a iudicandis fuerit appellatum. Si vero in qualibet provintia orte fuerint questiones et inter ipsius provintiae episcopos discrepare ceperit ratio atque inter episcopos dissidentes non conveniat, *ad maiorem tunc sedem referantur* et, si illic facile et iuste non discernuntur, ubi fuerit synodus regulariter congregata, canonice et iuste iudicentur. Maiores vero et difficiles quaestiones ut sancta synodus et beata consuetudo exigit ad sedem apostolicam semper referantur."

Cumque Moguntina provincia haberet duodecim episcopos, Pelagii locum allatum ita interpretantur, ut in eo statui putent, qualis provincia metropolitana esse debeat, cui iura primatus sint concedenda, et verbis „sub uno rege" Pseudo-Isidorum voluisse efficere, ut dioecesis Argentoratensis Lothario adtributa denuo regno Ludovici restitueretur [1].

Attamen ad ecclesiam Moguntinam haec figmenta Pseudo-Isidoriana non spectant. Recte enim Kunstmann (Neue Sion l. c. p. 254 not. 2) dixit, verba Annic. „propter multitudinem episcoporum primatem constitui" ad metropolim Moguntinam referri non posse, cum in ea pauci i. e. duodecim episcopi suffraganei essent. Deinde in loco ex epistola Pelagii allato non de provincia primatis aut de metropoli iure primatis honoranda agitur, sed tantum de provincia episcopi metropolitani. Nam ante verba citata initio epistolae tantum de Iohanne qui se universalem appellavit agitur, et postea multis ex scriptura sacra prolatis sequuntur verba: „de cetero" etc., quae cum prioribus non cohaerent. Etiam ex eo apparet, Pseudo-Isidorum de provincia metropolitani loqui, quod postea tantum in verbis: „si vero in qualibet provintia orte fuerint questiones et . . . . . . inter episcopos dissidentes non conveniat *ad maiorem tunc sedem referantur*", primatis mentionem facit et quod aliis locis duodecim iudices provinciae, i. e. provinciae metropolitani, esse debere dicit [2]. Attamen cum Pseudo-Isidorus omnes metropolitanos patriarchis, metropolitanis autem episcopos subiectos esse velit [3], si de provincia primatis quaedam statuisset, ei decernendum fuisset, quot metropolitani sub primate constituendi essent. Itaque cum hac de re nihil in epistola legatur neque in verbis citatis statuatur quidquam de provincia, cui iura primatis concedi possent, non recte ea ad provinciam primatis aut patriarchae referuntur. Itaque neque ad dioecesim Moguntinam neque ad Remensem Pseudo-Isidorus respexit.

Econtra verisimile mihi videtur illum rebus in provincia metropolitani Turonensis gestis ad locum citatum confingendum commotum esse. Erant enim illo tempore metropolitano Turonensi subiecti episcopi Cenomanensis, Andegavensis, Redonensis, Nannetensis, Corisopitensis, Vannetensis, Leonensis, Macloviensis sive Alethensis, quorum posteriorum quattuor dioeceses in territorio Nomenoii ducis Britanniae sitae erant [4]. Cum iam pluribus annis antea Brittones iugum Francorum excutere conati essent fortiterque adversus Carolum Calvum pugnassent, dux a. 848 episcopos Francis deditos e sedibus expulit, non solum alios in eorum locum substituit, sed etiam episcopatus quattuor Britanniae in septem divisit et tribus novis dioecesibus Dolensi, Briocensi, Trecoriensi institutis Dolensi iura metropolitani in ceteros episcopos tribuit [5]. Antea iam legatio a Nomenoio ad Leonem IV. missa ab

[1] Weizsäcker ll. cc. ad Remensem metropolim, cui etiam duodecim suffraganei erant, Pseudo-Isidorum respexisse putat. Dümmler l. c. p. 222. 201 aut Moguntinam aut Remensem a Pseudo-Isidoro intellectam fuisse dicit. — [2] Cf. Anaclet. 15, Zepher. 5. — [3] Cf. Anaclet. 26. — [4] Gallia christiana XIV. p. 2. — [5] Gallia christiana l. c., Wenck l. c. p. 177, Dümmler l. c. p. 323, Chronicon Nannet. (Morice, histoire de la Bretagne T. I. p. 39. 288, Chronicon Briocense l. c. p. 18. 22), cui tamen cum Nomenoium defendat, fides caute habenda est (cf. Morice l. c. p. 9a). Mansi 14, 913: „Ita rem prodit vetus ille scriptor, cuius narrationem Sirmondus inter analecta opusculorum T 3 col. 281 nov. ed. evulgavit: „„in crastino evocans princeps (sc. Nomenoius) in monasterio S. Salvatoris synodum episcoporum atque procerum adhibuit testes falsissimos pretio conductos adversus Sulsannum Venetensem, Salaconem Aletensem, Felicem Corisopitensem, Liberalem Oximensem [aut Leonensem] episcopos qui dicerent eos pretio in ecclesia intrusos, muneribus saepe sacros ordines fuisse largitos et omnibus criminibus obnoxios fore. Cumque reticerent episcopi mortis metu"" (Mansi adnotat: quam sibi a Nomenoio irrogandum timebant) permulti requisiti sunt a conventu, utrum vera essent quae oppo-

ipso petierat, ut Nomenoium regem Britannorum constitueret et episcopos quos Nomenoius deinde eiecit, deponeret. Quae omnia papa renuit et iudicandum de episcopis esse secundum canones ecclesiae respondit[1], ita ut causa a Nomenoio ad metropolitanum Turonensem et eius suffraganeos deferenda fuisset.

Ad quos res a Nomenoio gestas Pelagii epistola referri potest. Monasterium Dolense mutavit in sedem metropolitanam eique ex quattuor antiquis Britanniae dioecesibus novas sex factas subiecit. Dolensem provinciam autem non iura metropolitani obtinere potuisse ex epistola Pelagii apparet, quia non habebat XI aut X episcopos suffraganeos. Neque regi erat subiecta, nam quamquam Nomenoius regalem dignitatem affectavit, tamen non rex sed dux aut prior[2] gentis Britannorum subiectus regno Caroli Calvi erat. Provinciae Turonensis quidem ante res ecclesiasticas eiusdem a Nomenoio perturbatas quidem tantum octo episcopi suffraganei erant, attamen satishabuit Pseudo-Isidorus ostendere, sedi Dolensi iura metropolitani non recte concessa esse[3]. —

Quibus omnibus consideratis nihil afferri potest quod ostendat Moguntiam esse patriam Pseudo-Isidori, praesertim cum res ecclesiasticae Germaniae eo tempore eiusmodi essent, ut iis nemo ad decretales falsas conficiendas commoveri posset[4].

nebantur. Qui ita se habere professi sunt. Depositisque in concilio virgis et annulis pontificalibus Gallias petierunt, ad Karolum se conferentes." Cf. quoque Mansi 14, 941.

[1] Cf. epistola Leonis ad episcopos Britanniae (Mansi 14, 882). — [2] Cf. epistola concilii Parisiensis a. 859 habiti ad Nomenoium (Mansi l. c. p. 923). — [3] Hincmarus contra, ut recte Weizsäcker ostendit, locum Pelagii ad provinciam metropolitani, cui iura primatis danda sint, refert. Cf. Niedner, Zeitschrift l. c. p. 391 sqq. — [4] Optime hac de re Wenck l. c. p. 217 ita dicit: „Dem wilden Treiben einer zügellosen Kriegsaristokratie gegenüber sehen wir die westfränkischen Priester mit starrer Ausschliesslichkeit die Forderungen und Interessen ihrer Kirche im Herzen tragen*; die Deutschen standen ihnen hierin ohne Zweifel nach, bewahrten sich aber daneben auch die Theilnahme an solchen Dingen, deren Hauptreiz auf einem sittlichen Gefühle von minder beschränkter Natur, auf der Liebe des Königs oder der Stammgenossen... beruht." (L. c. p. 219:) „Von den heftigen Streitigkeiten um kirchliche Dogmen und kirchliche Verfassung, welche den Klerus Karls des K. tief aufregten, wurde die Geistlichkeit seines deutschen Bruders nur wenig berührt; dagegen machte sich in ihrer Mitte eine praktisch-religiöse Richtung bemerklich und gab sich namentlich auch durch Uebersetzungen heiliger Bücher in die deutsche Sprache kund, welche man veranstaltete. Zeigt sich in Alledem an der Geistlichkeit Ludwig's ein schlichterer, der Natur näher stehender Sinn, als wir ihn an dem Klerus seines westfränkischen Bruders kennen lernen, so darf wohl angenommen werden, dass man sich von einem solchen Sinn auch nach anderer Seite hin in Ludwig's Herrschaft weniger als in den Landen Karl's entfernt hatte. Jene entsetzliche Zügellosigkeit der weltlichen Grossen, jene Losgebundenheit von aller Sitte und jenes freche Verschmähen jeder, der natürlichen wie übernatürlichen Schranken, welches im westfränkischen Gebiete zu der kirchlichen Strenge der Geistlichkeit einen so scharfen Contrast bildete, während doch die Ursachen beider Erscheinungen ziemlich nahe bei einander lagen — unmöglich konnte diess in den einfacheren Verhältnissen der deutschen Lande zu einer solchen Höhe gediehen sein wie unter den Reizen eines südlicheren Himmels und all den Erlebnissen, von denen dort Franken, Burgunder und Gothen seit den Tagen der Völkerwanderung betroffen worden waren. Ja selbst ganz zuletzt noch hatte die Art, wie sich die Mehrzahl der deutschen Stämme an den inneren Reichswirren der Dreissiger und der ersten Vierziger Jahre betheiligt, sich weit weniger eignen müssen ihre Begriffe zu verwirren und sie in ein wildes regelloses Treiben hineinzustürzen. Wenn sie im Ganzen und Grossen dem alten Kaiser getreu geblieben waren bis zu seinem Tode, so hatten sie ja nur ihrem rechtmässigen Herrn die Treue bewahrt, die sie ihm vor allen Anderen geschworen; wenn sie aber nach seinem Tode sich dem jungen Ludwig zugewandt, hatten sie in ihrem jetzigen Könige nur das gute, auf der alten Sitte beruhende Recht in Schutz genommen gegen eine Neuerung, hervorgegangen aus Ideen, von welchen sie noch nicht tief genug durchdrungen waren, um etwa durch sie in der Anhänglichkeit an das Herkommen gestört zu werden. Und dem Allen entsprechend erscheint denn nun auch die Geschichte von Ludwig's Herrschaft, zumal so lange nicht folgenschwere Ereignisse sie mit den Ländern des Westens und Südens

* „In den Lebensbeschreibungen der Heiligen dieser Zeit und anderen Schriften, welche auf Gallien Bezug haben, wimmelt es von Parthieen, in denen sich dieser Gegensatz ausspricht, ein Gegensatz, wo nicht (wie in Deutschland) ein erst kürzlich bekehrtes Volk mit seinen alten Gewohnheiten und Ungewohnheiten in einer natürlichen Renitenz gegen die Störungen dasteht, welche die neue Religion seinen Sitten und Verhältnissen bringt, wo vielmehr in einem längst bekehrten Lande die Habsucht und Zügellosigkeit einer besonderen Menschenklasse sich auf die Rechte und Besitzthümer des geistlichen Standes Angriff auf Angriff, gegen die längst anerkannten Forderungen der Kirche die willkürlichsten Verstösse erlaubt. In den für deutsche Zustände bezeichnenden Schriften ist von einer so bitteren Feindseligkeit zwischen den zwei Ständen verhältnissmässig nur sehr wenig zu spüren" etc.

Econtra omnia indicant, in Francia occidentali et quidem in provincia Remensi esse eas compilatas. Primum enim decretales allegantur a clericis ab Ebone ordinatis, cum iudicium de depositione eorum in concilio Suessionensi a. 853 actum est. Deinde in conventu apud Carisiacum a. 857 facto proferuntur loci Pseudo-Isidoriani. Inde ab anno 859 ab Hincmaro citantur et pontifices Romani primo eas cognoverunt in causa Rothadi Suessionensis.

Profectae igitur sunt decretales Pseudo-Isidorianae ex provincia Remensi neque immerito his rebus solis ducti patriam earum istam provinciam esse contendere possumus. Accedit autem quod multis in rebus auctor statum eiusdem provinciae respexisse videtur. Cum enim hac de re latius in parte sequenti, ubi de consilio Pseudo-Isidori disserendum erit, agi possit, hic tantum pauca afferre satishabeo. Epistolae, quas finxit de chorepiscoporum damnatione, in dioecesi Moguntina confictae esse non possunt; nam in regni Ludovici et Lotharii, vel in dioecesibus Argentoratensi, Trevirensi, Coloniensi, Tullensi, Moguntina eodem tempore iura chorepiscoporum observabantur neque umquam eorum iura in controversiam vocabantur [1]. Econtrario in Francia occidentali iura eorum diminuta sunt concilio Parisiensi a. 829, deinde concilio Meldensi a. 845. Idem Ebo cum esset archiepiscopus Remensis conatus est [2], posteaque Hincmarus epistolam ad Leonem IV. scripsit, ut canones in concilio Meldensi statuti et a proceribus saecularibus in conventu apud Sparnacum habito reiecti a papa confirmarentur [3].

In eadem provincia igitur, unde emerserunt decretales Pseudo-Isidori, etiam iura chorepiscoporum concilio Meldensi et ab ipsis archiepiscopis limitantur. Eadem metropolis post Ebonem depositum habebat chorepiscopos Fulconem, quo dioecesem administrante Carolus Calvus vasallis et militibus suis magnam partem possessionum eiusdem ecclesiae distribuit [4], et Richaldum, qui Gothescalcum, cuius doctrinis de praedestinatione ex sancto Augustino repetitis tota ecclesia Gallica concutiebatur, presbyterum ordinavit [5].

in eine neue, ganz besondere Gefahren in sich schliessende Berührung brachten, weit ärmer an jenen heftigen Erschütterungen, an jenen Ausbrüchen unbändigster Leidenschaft und rücksichtslosester Eigensucht, wie sie die Begebenheiten des westfränkischen Königthums in so überreichem Maasse aufweisen." Cf. quoque Dümmler l. c. p. 293 sqq.

[1] Dümmler l. c. p. 297. 298 (cf. l. c. p. 33. 278. 279. 342), Wenck l. c. p. 394. 395. — [2] Weizsäcker, Chorepiscopat p. 43. — De ministris Remensium ecclesiae quos inordinate Ebo episcopus invenit et per deprecationem eorum inspirante sancto spiritu haec dictavit (Flodoardi presbyteri ecclesiae Remensis canonici historiar. eiusd. ecclesiae libri IV cura Iac. Sirmondi, Paris. 1611 fol. 408v.): .... „*Chorepiscopi* vero ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi commissae conversationem corrigere atque dirigere, i. e. in conficiendis divinis sacramentis et baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis praedicare, confessiones exigere, poenitentiam cum discretione caute imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis et benedictionis et sanctae unctionis inferre, communioni sanctae dignos fieri populos assidua commonitione exercere, mortuos cum commendationibus animae et orationibus dignis obsequiis sepulturae venerabiliter tradere, pro vivis etiam ac defunctis totius ecclesiae filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quaecumque intra ecclesiam et extra ecclesiam in claustro et in omnibus habitationibus a maximo usque ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat et omnem veram religionem prior ipse faciendo omnes facere doceat. *Et hunc modum nequaquam, nisi praecipiente episcopo de causis subsequentibus excedat de omni iure consecrationis. Episcopum vero civitatis propriae disponere oportet de consecratione, de confirmatione,* de reconciliatione et de publico indicendo ieiunio aut aliud aliquid publici iuris pro tempore digno deo debito. Cuius officii summa speculationis haec est, ut et subtilissime providendo insistat qualiter omnium officia studiosissime gubernando ad portum perfectionis dirigat. *Quibus in causis nisi iussus chorepiscopus nullatenus excedat.*" — [3] Weizsäcker l. c. p. 33. Flodoard. histor. lib. III. c. 10: ... „Scripsit autem praefatus pontifex ad eundem papam Leonem sexies, ut ipse in quadam ad eundem asserit epistola vel septies, dirigens sua ad eum scripta. In hac vero epistola de his quos temeritas chorepiscopalis ordinare vel quod spiritum sanctum consignando tradere praesumebat, requisivit. Et quod terrena potestas hac materia saepe offenderet, ut videlicet episcopo quolibet defuncto, per chorepiscopum solis pontificibus debitum ministerium perageretur et res ac facultates ecclesiae saecularium usibus expenderentur, sicut et in nostra ecclesia iam secundo actum fuisset" ... — [4] Weizsäcker apud Niedner l. c. p. 366. — [5] l. c. p. 368.

Deinde quae Pseudo-Isidorus de depositione episcoporum finxit, optime cum causa Ebonis conveniunt. Primus Goecke l. c. p. 51 haec probavit, cuius verba, cum equidem ita ut Weizsäcker Chorepiscopat p. 46 et Dümmler p. 248. 249 [1] huius sententiae accedam, hic ponantur: „Ebo archiepiscopus Remensis in numero episcoporum Ludovico Pio infestissimorum fuerat et imprimis ad deponendum Ludovicum et ecclesiastica poena afficiendum plurimum contulerat. Quare quum Ludovicus per Ludovicum Germanum et Pipinum adiutus regnum recuperasset, Ebo captus et in monasterio S. Bonifacii synodum exspectare iussus est. Quae quum apud Theodonisvillam congregata esset, Ebo primo petiit, ut imperator primo synodo cederet, quo impetrato per scripta crimina confessus est et se episcopatu indignum esse declaravit; quo facto a synodo ab episcopatu remotus est (anno 835). Si eo tempore decretales iam extitissent, sine dubio Ebo qui satis obstinacem se praebuit, exceptionem spolii proposuisset, quum praesertim duo falsorum operum loci (Angilr. cap. 5 et Fel. I. ep. 2) [2] episcopo „„in detentione aliqua a suis ovibus sequestrato"", quae verba optime ad hunc casum quadrant, eam tribuant; aut synodus ipsa id quod, ut postea demonstrabimus, decretales praecipiunt, ex officio Ebonem antea restituendum curasset. Sed verba supra laudata non modo optime, sed etiam nimis bene ad Ebonis causam quadrant, et iam his Ebonis causam falsarius respexisse mihi videtur. Nam sine hoc speciali casu certe in universum de captivitate aut detentione in carcere fabricator locutus esset; quum autem Ebo non in carcere detentus fuerit, his verbis impostor uti debuit. Confessionem autem ab Ebone editam ita Ps.-Isidorus invalidam facit: „„Similiter si huiusmodi personis quaedam scripturae quoquo modo per metum, fraudem aut per vim extortae fuerint"" etc. [3].... Depositio igitur Ebonis secundum haec invalida est. Postquam Ebo aliquantum temporis in diversis monasteriis versatus est, anno 840 Lotharii imperatoris tum Franciam iterum invadentis decreto cui 20 episcopi subscripserant restitutus est. Canone autem 4 Antiocheno ut iam supra in causa Chrysostomi vidimus praeceptum erat, ut, si quis episcopus a synodo aliqua depositus, nisi a maiore synodo restitutus esset, hic sine ulla restitutionis spe deponeretur. Hic canon conciliorum collectionibus tum temporis etiam a Romana ecclesia receptus erat. Synodus autem de Ebonis restitutione non habita erat, et praeterea Ebo a 43 episcopis depositus, a 20 tantum restitutus erat. Itaque ne hoc Eboni obstaret, Pseudo-Isidorus Iulium papam ita ad Antiochenos episcopum qui canonem illum ediderunt, scribentem facit: „„De receptione vero sedis et sacerdotis atque honoris, quae dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis, sed quorundam episcoporum consilio atque decreto recepit suum quod iniuste perdiderat sacerdotium ac resedit in sede"" etc. [4] Constat autem, Athanasium post depositionem Tyri factum solo regio decreto, nullis episcopis auctoribus aut adiutoribus restitutum esse. Finxit igitur, ut hunc casum ad Ebonem accommodaret, falsarius, a pauciori episcoporum numero Athanasium restitutum esse. Consideres etiam generalia verba: „„consilio et decreto"", quoniam synodus ut iam dictum de Ebonis restitutione non habita erat, sed episcopi regio tantum decreto subscripserant. Restitutio igitur Ebonis, quae secundum leges ecclesiasticas invalida erat, per Pseudo-Isidorum valida facta est. Quum Carolus Calvus a. 841 regnum recuperasset, Ebo iterum eiectus est et ad Lotharium in Italiam confugit. Inde anno 844 a Ludovico Germano vocatus episcopatum Hildeneshemensem recepit. Quum autem Ebo se adhuc archiepiscopum Remensem gessisset, ut ex eo apparet quod anno ante a Sergio papa, ut pallium sibi petierat, hac re contra innumerabilium canonum praecepta peccaverat (c. 15 conc. Nicaeni, c. 21 conc. Antioch., c. 5 Chalc., c. 1 conc. Sardic.). Unus tantum canon episcopatum mutare permittebat, „„si id utilitas ecclesiae fiendum poposcerit"", sed hac in re synodi decretum requirebat, quod

[1] Cf. quoque Car. a Noorden l. c. p. 319. — [2] C. 4 Angilr. et Fel. I. pp. c. 10 ed. meae. — [3] Alex. c. 7. — [4] Iul. c. 13.

apud Ebonem non intervenerat (cf. 27 conc. IV. Carth.). Quid igitur Pseudo-Isidorus facit? Multis locis (Anter. c. 2, Pelag. II. pp. ep. 2, Calist. c. 15, Evarist. c. 4) summa verborum copia episcopo necessitate coacto aut utilitate commoto ad alium episcopatum transmigrare licere dicit; imprimis autem episcopo a sede sua pulso hoc semper licere; synodi autem decretum omnino non requirit. Videmus igitur omnia quae contra Ebonem facta erant, iniusta, omnia autem quae ipse contra leges ecclesiasticas fecerat, a Pseudo-Isidoro iusta esse declarari."

Quae cum ita sint, non est quod Iulio Weizsäcker et Ernesto Dümmler concedamus, Pseudo-Isidorum voluisse ecclesiae Remensi primatum tribuere: immo locus Pelagii quem ad res a Nomenoio gestas referendum esse probavi, demonstrat, decretales Pseudo-Isidori in regno Caroli Calvi editas esse, neque auctorem qui in Remensi dioecesi degeret, Britanniam respexisse mirum est, cum illam terram regno Caroli Calvi et metropoli Turonensi recuperare interesset totius ecclesiae Galliae et in concilio hac de re Parisiis coacto episcopi omnium dioecesium vicinarum et quidem provinciae Remensis convenissent[1]. Deinde patria Remensi provincia decretalibus assignata facile explicatur, cur Rabanus Moguntinus archiepiscopus eas numquam in operibus suis respexerit (cf. p. CLXXXV not. 5).

Sed cum Remensem provinciam esse patriam decretalium dicimus, hoc dicimus ortas eas esse aut in ipsa provincia aut in vicinitate et confictas esse a clerico quodam, qui aut archiepiscopo subiectus fuerit, aut si non fuerit, bene tamen noverit eius provinciae statum ecclesiasticum.

PARS VI.

§. 24. De consilio Pseudo-Isidori.

Quid Pseudo-Isidoro in decretalibus suis componendis propositum fuerit, tot opiniones circumferuntur, quot viri hac de re scripserunt. Cum omnes eas Weizsäcker (die pseudo-isidorische Frage l. c. p. 52 sqq.) enumeret, equidem tantum meam sententiam ratione aliarum habita hic proferam, praesertim cum aetate posteriore a me collectioni Pseudo-Isidorianae assignata ea quae usque adhuc de consilio fraudatoris statuta sunt partim certe refellantur.

Quo pertinet quaestio adhuc ingenia multorum virorum doctorum exercens: utrum Pseudo-Isidorus collectionem compilaverit, ut totam disciplinam ecclesiasticam in unum opus congereret, an eo consilio, ut praecipue ad certas res tunc in Francia gestas respiciens auctoritate veterum pontificum abuteretur, ut ea quae factio eius consequi studebat facilius perficerentur. Ita Wasserschleben (Beiträge p. 61 sqq., apud Herzog p. 351) putat, decretales ab Otgario archiepiscopo Moguntino confictas esse, ut consuleret episcopis Lotharium contra Ludovicum Pium patrem secutis et ut auctoritati metropolitanorum synodorumque provincialium quam maxime detraheretur, ne restituto imperatore Ludovico Pio nimis acriter episcopi factionis Lotharianae opprimi potuissent. Ita etiam Goecke (l. c. p. 46), quamquam ad accusationes episcoporum impostorem praecipue spectasse putat, cum alia tum hoc ei in animo fuisse dicit, ut Ebo archiepiscopus Remensis restitueretur.

Quarum sententiarum neutra mihi placet. Recte enim primum iam obiecit Roestell (Reuter's theolog. Repertorium 1845. p. 114), verisimile non esse ad unam certamque rem ad finem perducendam tot decretales ab auctore confictas

[1] Inscriptio synodicae eiusdem concilii ad Nomenoium: „Landrannus Turonum metropolitanus episcopus, Dodo Andegavorum, Aldricus Cenomanorum, Vvenilo Senonum metropolitanus episcopus, Heriboldus Autisiodori episcopus, Prudentius Tricassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum, Hucbertus Meldorum, Helius Carnutum, Herimannus Nivernorum, *Hincmarus Rhemorum metropolitanus*, *Immo Noviomagi*, *Pardulus Lauduni*, *Rhotadus Suessionum*, *Hilmeradus Ambianorum*, *Erpoinus Silvanecti*, *Hermenfridus Bellovacorum*, Paulus Rothomagi metropolitanus episcopus, Saxobodus Saiorum episcopus, Freculfus Lexoviorum, Vvaltfridus Baiocensium Nomenoio priori gentis Britannicae salutem." (Mansi 14, 923.)

fuisse, cum paucae tantum suffecissent[1]. Equidem addo, quod si id Pseudo-Isidorus spectasset, collectionem tam amplam non compilaturus fuisset, cum pluribus annis ad eam perficiendam opus esset et res quas ad certum finem producere vellet, tempore quo ederet collectionem suam, iam contra eius voluntatem decisae esse possent.

Deinde intra annos 847 et 853, quo tempore decretales confictas esse supra ostendi, in ecclesia Gallicana tantum controversiae de praedestinatione a Gothescalco monacho commovebantur et de dioecesibus a Nomenoio Britannorum duce erectis metropoli Turonensi subiiciendis agebatur. Nullae autem res iis annis acciderunt ad quas figmenta a Pseudo-Isidoro edita respicere possent[2].

Tum ne id quidem negligendum est, Pseudo-Isidorum in decretis a se fictis tam contraria statuisse, ut si quis omnia ab illo excogitata in rebus ecclesiasticis instituendis sequi voluisset, id propter diversitatem et discrepantiam eorum quae de iisdem rebus ementitus est, facere omnino non potuisset. Cuius rei tantum unum exemplum proferre in animo est:

Ad primates deferri vult Pseudo-Isidorus iudicia reliquorum episcoporum et maiora ecclesiarum negotia (Clem. 28. 29, Steph. 9), aliis in locis (cf. Anacl. 26. 28, Steph. 10) autem additur, illam cognitionem eis „post sedem apostolicam“ aut salva apostolicae sedis auctoritate competere. Itaque episcopis accusatis appellare ad primates aut ad pontificem Romanum conceditur (cf. Vict. 6, Sixt. II. pp. 1, Iul. 12), econtra in Fel. II. pp. 4. 12. xx permittitur provocare tantum ad sedem apostolicam. Quae omnia sic componi possunt, ut dicatur, primatibus ius episcoporum causarum diiudicandarum reservata Romano pontifici sententia diffinitiva competere. Attamen in epistola I. Pelagii II. legitur: „ad quorum“ (scil. XII episcoporum provinciae) iuditium omnes cause episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum causae referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur, nisi ad maiorem auctoritatem (scil. primatem) fuerit ab his qui iudicandi sunt, appellatum“, et Pseudo-Damasus (c. 8. 9) statuit: „discutere namque episcopos et summorum ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitanos cum omnibus suis conprovincialibus, ita ut nemo ex eis desit et omnes in singulorum concordent negotiis, licet; sed definire eorum atque ecclesiarum summas querellas causarum vel dampnare episcopos absque huius sanctae sedis auctoritate minime licet: quam omnes appellare si necesse fuerit et eius fulciri auxilio oportet.“. Secundum quos locos videntur metropolitani cum episcopis suffraganeis, non primates iudicare, neque cum his convenit, quod secundum Iul. 18 accusatio est discutienda a iudicibus quos ipse accusator elegerit aut apostolica sedes vel primates delegaverint.

Quae omnia decreta in eo tantum conveniunt, quod sententiam diffinitivam Romano pontifici reservant, attamen de personis, a quibus antea accusatio discutienda sit, tam diversa statuunt, ut falsarius ipse non posset non intelligere, nihil

[1] Wasserschleben contra id quod Roestell dixit, obiiciens (apud Herzog l. c. p. 352): „Man hat es ferner für unwahrscheinlich gehalten, dass um eines einzelnen Zweckes willen Jemand eine solche Masse von Dekretalen erfunden haben sollte, da ja wenige Sendschreiben, ja ein einziges, welches das Hauptthema in schlagender Kürze behandelte, hierzu genügt haben würde; allein es handelte sich in der That nicht um einen vereinzelten Zweck; obgleich die Dekretalen durch das Bestreben der Lothar'schen Partei vor der Gewalt des Kaisers und der Provinzialsynoden zu schützen, zunächst hervorgerufen worden sind, so galt es doch Grundsätze über das Verhältniss der Kirche zum Staate, über die Bedeutung und Autorität des Episcopats und dessen Stellung zu den Synoden, Metropoliten, Primaten und dem Papste für alle Zeit zur allgemeinen Geltung zu bringen, welche unläugbar die damals bestehende rechtliche Ordnung sehr wesentlich alterirt haben würden. Ein solcher Zweck lohnte wohl der Mühe, und wenn auch eine geringere Anzahl Briefe an sich hätte genügen können, so glaubte der Verfasser doch, wie wir sehen, sein Werk in grösserem Maasstabe anlegen zu müssen“ illum non refutasse, sed potius a sua priore sententia recessisse videtur. Saltem si id quod ego de aetate qua decretales compilatae sint statui, approbabis, id quod Wasserschleben putat, Pseudo-Isidorum efficere voluisse, dicere non poteris. — [2] Cf. Hefele, Conciliengeschichte T. V. p. 124 sqq. p. 168 sqq. p. 146 sqq. Gieseler, Lehrbuch der Kirchengeschichte, 2. Bandes 1. Abtheilung ed. IV. p. 127 sqq.

horum omnium in vigentem ecclesiae disciplinam introduci posse. Neque minus incerta de rebus a diversis iudicibus tractandis excogitavit; quae enim sunt negotia maiora et causae difficiles a primatibus et maiores causae aut difficiliores quaestiones a papa secundum Anacl. 16. 17 iudicanda? —

Postremo praetereundum non est, quod multae res, quas usque ad nostrum tempus primo a Pseudo-Isidoro in figmentis suis decretas fuisse omnes dixerunt, non ab illo, sed a Benedicto Levita confictae sunt. De accusatione episcoporum et de ordine accusationis instituendo Benedictus iam multa profert; et Pseudo-Isidorus in suis figmentis eius capitulis ut fontibus usus est aut saltem similia statuit. Sic iam Benedictus decernit, ne clerici, imprimis episcopi a laicis turbentur[1] aut apud saeculares iudices accusentur[2], sed ut accusationes eorum in provincia[3] ante XII iudices[4] aut ante primates[5] aut ante metropolitanos et episcopos comprovinciales[6] discutiantur neque a synodo sine apostolica auctoritate congregata episcopi damnentur[7]. Quae generaliter de ordine accusationis instituendo[8] apud eum leguntur et quae de caritativa admonitione accusationi praemittenda profert[9], omnia etiam in decretalibus habentur.

Eadem fere quae Pseudo-Isidorus statuit de qualitate iudicum et personis ad iudicium constituendum necessariis, apud Benedictum leguntur[10]. Notum est, Pseudo-Isidorum multa de iis quibus facultas clericorum accusandorum tribuenda non sit statuere, qua de re Benedictus quoque in multis capitulis agit[11]. Quae apud Benedictum exhibentur de probatione imprimis de testibus[12], de negotiis non discutiendis absentibus accusatoribus[13] et reis[14], de sententia a iudice proferenda[15], de remedio appellationis non denegando[16], de poena falso accusatori infligenda[17] etiam apud Pseudo-Isidorum saepissime proferuntur.

Contra chorepiscopos Benedictum multa decreta excogitasse, multa de exceptione spolii et quaedam etiam de primatibus apud eum proferri supra §. 17 probavi. Itaque cum in maxima parte falsarum decretalium de iisdem rebus agatur multaque a Benedicto statuta a Pseudo-Isidoro tantum amplificata sint, ad indagandum consilium Pseudo-Isidori opus est etiam disserere de eo quod sibi Benedictus proposuerit; nam Pseudo-Isidorum ad similia proferenda collectione Benedicti commotum esse posse nemo negabit, qui illum opere Benedicti ut fonte usum esse concedet.

Qua de re Knust (Leg. 2. app. 35. 36) haec profert: „Synodorum ac comitiorum a. 840—845 acta demonstrant, omnia illa, quibus commotus Pseudo-Isidorus extremo Ludovici Pii tempore decretales suas confinxerat, minime cessasse. Miseriae, calamitas, animi depravatio, morum perversitas, rapinae, sacrilegia, vastatio, caedes, officiorum neglectus, contemtus legum, religionis, sacerdotum atque ecclesiarum, calumniae et cetera mala ex bello civili manarunt. Haud immerito igitur Levita quaeritur canens:

„„Namque patrant multi funestas saepe rapinas
Nonnulli violant templa dicata deo;
Sunt alii scelerum foedati late suorum,
Fistula quos omnes commemorare nequit.
Sed cohibet tales legum censura sacrarum
Decretisque vetat illa patrare piis.““

[1] I. 315. 397. II. 381. 104. 357. 365. III. 167. II. 402. III. 373. 441. add. III. 20. Loci Pseudo-Isidoriani qui capitulis Benedicti respondent, ex tabula in §. 15 exhibita desumi possunt. — [2] I. 22. 378. II. 381. III. 145. 422. — [3] II. 113. II. 381. III. 82. 102. 309. 314. 332. 347. 367. add. III. 107. 111. — [4] II. 307. — [5] III. 89. 153. 156. — [6] III. 106. 314. — [7] II. 381 (cf. III. 109). — [8] III. 436. 438. — [9] II. 381. III. 153. 350. add. III. 22. — [10] III. 152. III. 339. 86. — [11] I. 74. III. 111. I. 187. II. 364. III. 85. 88. I. 309. 335. III. 176. I. 393. II. 381. III. 84. 97. I. 399. 401. II. 326. 359. III. 112. II. 362. 381. 397. III. 99. 437. 107. 110. add. III. 11. lib. III. 187. 188. add. III. 12. lib. III. 211. 215. 108. 307. 322. 324. 351. 427. 440. — [12] I. 308. II. 398. III. 170. I. 392. II. 147. 345. 348. — [13] II. 398. 381. III. 184. 204. — [14] I. 311. 391. II. 360. 399. 363. III. 238. 354. — [15] I. 400. II. 381. III. 259. 372. — [16] I. 404. II. 300. III. 121. 240. 251. 315. 333. — [17] III. 253. 365.

Quibus verbis si conficta, adulterata et saepius repetita capitula addideris, consilium auctoris optime rectissimeque cognoscere poteris. Iam quum in libro nostro, quoniam vera falsis repugnare solent, multa sibi contraria inveniantur (I. 21. II. 63. 87. 235. III. 73. 381), praesertim decretales Pseudo-Isidori genuinis adversentur capitularibus: quaenam observanda sint, disertis verbis Benedictus edocuit. Praecepit enim: „„leges imperatorum non esse supra legem dei, sed subtus, non licere imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina praesumere; anathemate feriendum esse quicunque regum deinceps canones in quocunque crediderit vel permiserit violandos; honore aut communione privandam esse, quisquis statuta patrum sive sacerdotum violaverit; nulli fas esse sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicae sedis decreta temerare; omnes denique constitutiones contra canones et decreta Romanorum vel reliquorum pontificum nullius esse momenti.““ Decreta igitur ecclesiastica inprimis Pseudo-Isidoriana legi civili ac capitularibus praeposuit..... Benedictus autem non solum perversos pontificum aliorumque civitatis hominum mores corrigere severiorique disciplina coercere, verum etiam sacerdotes ab acerbissimis vexationibus et calamitatibus liberare eosque a ditione rei publicae in libertatem vindicare, munus chorepiscoporum abrogare et episcopum Moguntinum ad primatis honorem evehere voluit.“

Similiter etiam Carolus a Noorden contendit, voluisse Benedictum collectione sua capitularium efficere, ut ius ecclesiasticum in omnibus legibus saecularibus praevaleret (l. c. p. 317).

Quibus, exceptis iis quae Knust de falsis decretalibus et de sede Moguntina affert, accedendum videtur esse. Itaque cum Benedictus ad certas res tunc gestas non respexerit neque probari possit, ut eas ad certum finem perduceret collectionem eum compilasse, denique cum fere eaedem res a Benedicto et Pseudo-Isidoro tractentur, iam apparet quibusdam in rebus, scilicet in eis quas Pseudo-Isidorus ita ut Benedictus eumque secutus excogitavit, utrique idem fuisse propositum. Denique si consideraveris saeculo IX. libros tantum describendo, non arte typographica propagatos esse, haec res etiam eorum sententiae repugnat qui imprimis Pseudo-Isidorum non generatim quid statuere, sed ad certas quasdem quaestiones in ecclesia Gallicana tunc motas respicere voluisse dicunt, cum illa aetate, qua vera documenta a falsis difficulter distinguebantur, tantum ad detegendam fraudem nemo totam collectionem Hispanam multasque res collectionis Hadriano-Dionysianae et Quesnellianae desumsisset et tantum volumen quantum est collectionis Pseudo-Isidorianae conscripsisset.

Quibus omnibus rebus sententiae eorum, qui censent Pseudo-Isidorum ut cuidam factioni episcoporum consuleret opus suum composuisse, iam refutatae esse mihi videntur. Atque quamquam nec Ferdinandi Walter (Kirchenrecht §. 97) quidem neque Georgii Phillips (Kirchenrecht T. IV. p. 69 sqq.) sententiae mihi placent, qui totam disciplinam ecclesiasticam Pseudo-Isidorum in unum opus congerere voluisse contendunt, tamen id quidem negari non potest, Pseudo-Isidoro ante omnia in animo fuisse, ut ampliorem et perfectiorem collectionem quam alias antea compilatas conficeret, cum totam collectionem Hispanam circiter ante sexaginta annos in Galliam allatam in suam exceperit et eam rebus ex Hadrianea et Quesnelliana haustis amplificaverit. Quod non solum ipsius collectionis forma demonstratur, sed etiam praefationis verbis confirmatur, ubi ait: „Compellor a multis tam episcopis quam reliquis servis dei canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et de multis unum facere“.... (l. c. c. 4:) „quatenus aecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta et sancti praesides paternis instituantur regulis et obedientes ecclesiae ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis et non malorum hominum pravitatibus decipiantur.“ Quae cum ipsa cum collectione prorsus conveniant, nos, quibus de consilio hominis plane ignoti post mille annos iudicandum est, certe verba illius sequi oportet, nam si tantum

vagis coniecturis indulgere volumus, quid attinet tot volumina fontium perlustrare et tanto opere in verba eorum inquirere?

At Wasserschleben (apud Herzog l. c. p. 340), Goecke (p. 44) obiiciunt, inter epistolas Pseudo-Isidorianas fere 70, id est maximam partem, nihil aliud tractare quam accusationes episcoporum ipsumque auctorem in praefatione dicere: „Multi enim pravitate et cupiditate depressi, accusantes sacerdotes oppresserunt. Ideo sancti patres leges composuerunt, quas sanctos canones appellaverunt. Multi ergo idcirco alios accusant, ut se per illos excusent aut eorum bonis ditentur" etc.

Quibus respondendum est, cum plura genuina concilia et decretales in collectione Pseudo-Isidori contineri quam illas 70 decretales, tum de multis aliis rebus Pseudo-Isidorum agere et locum citatum qui accusationis episcoporum mentionem facit, ab eo afferri, ut ostendat, quibus rebus praecipue ecclesiastica disciplina ad interitum vocata et in ruinam praecipitata sit[1].

Quae cum ita sint, ratione habita conciliorum et non solum genuinarum decretalium quae Pseudo-Isidorus in suam collectionem excepit, sed etiam earum litterarum quas ipse finxit, consilium eius mihi hoc videtur fuisse. Voluit quidem non solum collectionem fontium ecclesiasticorum edere, in quibus contineretur ecclesiastica disciplina sicut singulis in conciliis et in decretalibus genuinis exhibebatur, sed etiam decreta quaedam quae ad statum ecclesiasticum bellis civilibus sub Ludovico Pio filiisque gestis corruptum ac paene eversum restaurandum opus esse iudicavit, itaque parte falsa suae collectionis voluit id perficere, quod synodi Parisiensis a. 829, Aquisgranensis a. 836, Meldensis et Parisiensis a. 845 et a. 846 habitae facere non potuerunt, et id quod singula capita librorum concilii Parisiensis et constitutionum Wormatiensium et libellus Aquisgranensi synodo adiunctus excerptis veterum patrum confirmant, quod Benedictus ut ex capitularibus haustum profert, ipse maxima auctoritate quae in ecclesia fuit, scilicet Romanorum pontificum et quidem illorum, qui primis temporibus ecclesiae vixerunt, corroboravit. Videbat vulnera ecclesiae Gallicanae turbulentissimis temporibus Ludovici Pii et filiorum inflicta, videbat Ludovicum Pium ruinae ecclesiae magno studio succucurrisse et episcopos concilio Meldensi congregatos multos canones ad reformandam ecclesiasticam disciplinam statuisse, sciebat studium et operam et imperatoris et episcoporum imprimis ab optimatibus ad irritum redacta esse. Itaque harum omnium rerum ratione habita finxit statuta, quibus prospicere voluit, ut quae usque ad id tempus ecclesiam perturbassent, in perpetuum removerentur, sperans fore, ut si decreta quae leges in antiquissimis ecclesiis christianis observatas exhiberent hominibus suae aetatis sicut speculum obtendisset, hac re tandem commoverentur, ut statum ecclesiasticum reformarent.

Ad quam rem apertius probandam opus est singula decreta a Pseudo-Isidoro statuta cum canonibus priorum conciliorum Gallicorum et disciplina tunc in ecclesia Gallica vigente comparare, qua ex re simul apparebit, cur de quibusdam rebus diligentius et saepius, de aliis non tam accurate egerit Pseudo-Isidorus[2].

Iam regnante Ludovico Pio putaverunt, miserias, ruinas, calamitates exortas esse

[1] Ac ne verba quidem allata magni momenti videntur esse, cum ea non ipse Pseudo-Isidorus, id quod omnes fugit, composuerit, sed ex S. Augustini sermone 351 de util. agendi poen. l. no. 10 repetierit. — [2] Qua re repellentur Weizsäcker et Walter. Alter (die pseudo-isidorische Frage apud Sybel l. c. p. 52. 59 sqq.) fere in omnibus cum Feodoro Goecke consentiens de consilio Pseudo-Isidori dicit: „Ganz anders aber ist es, wenn man nun unterscheiden will zwischen Wesentlichem und Unwesentlichem, zwischen Hauptinhalt und Beiwerk. Es hat auf die Erledigung dieses Punktes schon grossen Einfluss, ob man den Verfasser für einen Betrüger hält, ob man ihm einen bloss allgemeinen litterarischen oder einen speciellen Zweck irgend einer Art beilegt. Das Richtige ist gewiss, dass der Zweck, wenn ein solcher doch angenommen werden muss, erst aus unbefangener Betrachtung des Inhalts und der Art, wie er sich gibt, hervorgehen muss, ohne dass von vornherein gesagt werden könnte, dass bei der Untersuchung über die Absicht des Verfassers gleiches Gewicht auf alle verschiedenen Theile der Arbeit zu legen sei." (p. 52.) . . . „Richtig hat daher kürzlich Göcke gefunden, dass der geistliche Staat, der von der weltlichen Gewalt nicht bloss frei ist, sondern auch über ihr steht und von den

culpa regis et procerum, et iam ipse Ludovicus Pius, adductus ab abbate Wala ceterisque episcopis unitatem imperii conservare studentibus [1] his rebus non melius prospicere se et occurrere posse existimavit, quam si statum totius imperii et imprimis ad placandum deum statum ecclesiasticum reformaret. Ad quam rem cum ante omnia episcoporum consilio et ope opus fuisset, quatuor synodos Ludovicus convocavit a. 829, et iam similia quae de potestate ecclesiastica et laicali, de maioritate clericorum leguntur apud Pseudo-Isidorum, in capitulis unius horum conciliorum, synodi Parisiensis proferuntur. In lib. I. c. 3 enim habetur:

„Principaliter itaque totius sanctae dei ecclesiae corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet et regalem, sicut a sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua re Gelasius Romanae sedis venerabilis episcopus ad Anastasium imperatorem ita scribit: Duo sunt quippe, inquit, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas: *in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem.*"

et infra lib. III. c. 8:

„Petimus humiliter vestram excellentiam, ut per vos filii et proceres vestri nomen, *potestatem, vigorem et dignitatem sacerdotalem cognoscant.* Quod ex verbis domini facile intelligere possunt, quibus beato Petro cuius vicem indigni gerimus, ait: Quodcumque ligaveris etc.... Illud etiam ad exemplum eis reducendum est, quod in ecclesiastica historia Constantinus imperator episcopis ait: deus, inquit, constituit vos sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: et ideo nos a vobis recte iudicamur; vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod dei solius inter vos expectate iudicium et vestra iurgia quaecumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etiam nobis a deo dati estis dii et conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit." ... (l. c. c. 9:) „Ipsi (scil. sacerdotes) sunt decus ecclesiae in quibus amplius fulget ecclesia. Ipsi columnae firmissimae, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuae civitatis aeternae, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores quibus claves datae sunt regni caelorum. Ipsi etiam dispensatores regiae domus, quorum arbitrio in aula regis aeterni dividuntur gradus et officia singulorum. Licet enim sanctorum praecedentium sacerdotum vita et meritis longe inferiores simus, idem tamen sacrum ministerium quod indigni suscepimus, non minoris auctoritatis et dignitatis existit." [2]

Bischöfen unter dem Primat des Papstes administrirt wird, dass der geistliche Staat also, wie ihn Pseudo-Isidor zur Folge hat, mehr die Voraussetzung des Zwecks des Fälschers als der Zweck selbst gewesen sei. Dieser letztere ergibt sich aus dem Inhalte. Man muss aber auch hier noch eine Scheidung vornehmen können zwischen Hauptinhalt und Nebenpunkten; die Raumvertheilung in der Sammlung, die Verbindung mit andern Schriftstücken jener Zeit von ähnlicher Richtung und gleichem Fälschungscharakter, die Andeutungen des Verfassers selbst geben dafür genügende Anhaltspunkte. Es geht denn somit der Zweck, nach der gewiss richtigen Auseinandersetzung Göcke's, vornehmlich auf Gerichte und Anklagen der Bischöfe, mit dem doppelten Ziel, einmal der weltlichen Gewalt die Gerichte über Bischöfe vollständig zu entziehen, und dann jede Anklage gegen einen Bischof unmöglich zu machen. Dass nicht die Erhöhung der päpstlichen Macht die Endabsicht gewesen ist, wird schon daraus deutlich, dass die Verurtheilung eines Bischofes bis zu dem Grade erschwert wird, wo sie selbst dem Papst nicht mehr möglich wäre. Von 90 Dekretalen handeln mehr als 70 fast nur von diesen Anklagen, alle in denselben aufgeführten falschen Synoden haben nur diesen Gegenstand, diesem Zwecke dient die weitere Fälschung der Capitel Angilram's, und diesen Zweck bekennt offenbar die Praefatio Pseudo-Isidor's selbst, sammt den angeführten Beweisen für die exceptio spolii, für das ausschliessliche Recht des Papstes auf Berufung von Synoden, für die über 20 hinausgehende Anzahl der nicänischen Canones, und damit die Aechtheit des Briefes von Papst Julius. Als Nebenzwecke für die Einrichtung des Primates stehen dann die Maassregelung der Chorbischöfe, die Fürsorge wegen Beraubung der Kirchengüter und die Restitution Ebbo's, die schon theilweise auch von andern nicht verkannt worden ist. Als ganz untergeordnet erscheinen die hie und da eingestreuten liturgischen Vorschriften. So weit kann man beistimmen. Es dürfen aber die Sätze über die Primatialrechte noch mehr hervorgehoben werden" etc. — Walter autem dicit, fere nihil novi in decretalibus proferri (cf. §. 98 l. c.). Quod certe ita ut Walter fecit probari non potest: non enim iam ex solis fontibus Pseudo-Isidori, quos ipse saepius adulteravit, velut ex locis Breviarii etc. intelligitur, an decretum quoddam Pseudo-Isidorianum iam ante eum in ecclesia Gallica viguerit, sed probandum erit, id iam in fontibus ecclesiasticis tunc receptis statutum fuisse.

[1] Dümmler l. c. p. 48 sqq. — [2] Eadem aut similia habentur apud Ben. Lev. I. 315, Angilr. c. 51, et apud Pseudo-Isid. (Melc. 11, Anacl. 20, Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3).

At status imperii reformatus non est[1], immo tota respublica in dies magis in ruinam incidit; sequentibus enim annis filii Ludovici Pii contra patrem rebellaverunt et a. 833 eum regno spoliaverunt[2]. Restituto autem Ludovico a. 835[3] ad easdem res perficiendas, quae tractatae erant, in synodo Parisiensi, alia Aquisgranis a. 836 convocata est, et in ea de maioritate potestatis ecclesiasticae eadem repetens, quae iam in synodo Parisiensi statuta sunt (cf. praefat. concilii Aquisgr. Mansi 14, 673, eiusd. conc. C. III. c. 5. 7 i. f.)[4]. Cui concilio non alius eventus quam priori fuit[5]. Quin etiam postea, cum filii Ludovici Pii patre etiam tum vivo a coniurationibus contra eum non desisterent, deinde post mortem eius de partibus imperii dimicarent, status totius regni et ecclęsiae magis quam antea labefactatus est. Quibus rebus omnium regni partium maxime Gallia conturbabatur; hic enim fere omnes pugnae debellatae erant, populi huic parti subiecti velut Aquitani et Britanni saepius rebellaverant, Normanni eam devastaverant, res beneficiaria hic iam adeo convaluerat, ut homines liberi fere non iam in regno essent, sed aut seniores vasalli milites aut homines qui in tuitione eorum erant; hic proceres et episcopi factionibus magis quam in aliis partibus studuerant[6].

Quibus rebus fieri non potuit, quin ecclesia Gallica maximo detrimento afficeretur; itaque post pacem Viroduni a. 843 factam eadem, quae iam in synodis sub Ludovico Pio habitis leguntur, a conciliis inde ab illo tempore convocatis pronunciantur. Miserias calamitates hominibus ira dei inflictas esse neque aliter his subveniri posse putaverunt, quam statu ecclesiae reformando et dignitate ordinis ecclesiastici augenda et extollenda. Quae in omnibus synodis post a. 843 habitis proferuntur[7],

[1] Conc. Aquisgr. a. 836 C. III. c. 25 i. f.: „meminimus enim, in praeteritis conventibus nonnulla capitula ab episcopis vestra admonitione fuisse tractata atque statuta pro necessitate et communi salute utrorumque ordinum, ecclesiasticorum videlicet ordinum, ecclesiasticorum videlicet atque saecularium: sed nescimus quibus impedientibus obstaculis quasi oblivioni tradita.“ — Vitae Walae lib. II. c. 4: „quibus itaque omnibus ita hinc inde ostensis, cum nullus eorum negare posset quod ordo ecclesiasticus in omnibus corruptus non esset; excogitaverunt ut tribus in locis synodi fierent, in quibus de hoc diligentius quaererent, non quod (*quantum exitus probavit*) emendare talia vellent, sed ut regi interdum faverent: quoniam iam tunc ea quae postea monstrata sunt, moliebantur humana: *idcirco minus procurata sunt divina.*“ Cf. Dümmler l. c. p. 52 sqq. — [2] Dümmler l. c. p. 85 sqq. — [3] Dümmler l. c. p. 107 sqq. — [4] Dümmler l. c. p. 113. Similia etiam in episcoporum de exauctoratione Hludovici imperatoris relatione (Leg. 1, 366) leguntur: „Omnibus in christiana religione constitutis scire convenit, quale sit ministerium episcoporum qualisque vigilantia atque sollicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse vicarios Christi et clavigeros regni caelorum: quibus a Christo collata est potestas, ut quodcumque ligaverint super terram, sit ligatum et in caelo, et quodcumque solverint super terram, sit solutum in caelo. Et in quanto sint ipsi periculo constituti, si ovibus Christi pabulum vitae ministrare neglexerint et errantes ad viam veritatis arguendo obsecrando reducere pro viribus non studuerint, iuxta illud propheticum: Si non annuntiaveris“ etc. — [5] Dümmler l. c. p. 218. — [6] Wenck l. c. p. 63 sqq. — [7] Velut in conventu in loco, qui dicitur Iudicium (Iuditz) habita a. 844, ubi tres reges convenerunt. In praefatione capitulorum regibus ab episcopis oblatis legitur: „Vestrae nihilominus nobilissimae dominationi multimodas gratiarum actiones rependimus, quia ad evitandum et vestrum et nostrum periculum et ad communem totiusque populi providendam salvationem bonam et beneplacitam dei voluntatem subsequi et divinum consilium secundum praeceptum domini quo dicitur: Interroga sacerdotes legem meam et interroga patres tuos et adnuntiabunt tibi, a nobis quamquam indignis Christi tamen vicariis, quaerere et benigna devotione, velut revera ex ore ipsius dei, expectare dignamini.“ Cap. 1 ibid.: „His ita praemissis, nobilissimi domini, ut cum pace vestra dicamus, quia constat hanc sanctam ecclesiam sanguine Christi redemptam et praedecessorum vestrorum multo labore redintegratam ac adunatam atque gubernatam, vestra discordia esse discissam et perturbatam atque afflictam, videtur nobis si et in praesenti feliciter regnare et in futuro cupitis esse salvi et ab hac eadem ecclesia vobis ad gubernandum commissa, pro qua ex ministerio regali reddituri estis regi regum rationem in die iudicii, tam multiplices ac perniciosas corruptionis pestilentias vultis amovere et vigorem regium ac senioralem et super vestros et super impugnantes potestatem vestram optatis habere, caritatem illam quam apostolus docuit .... inter vos studete habere.“ C. 6: „Petimus tandem ut ordo ecclesiasticus in quibuscumque ei fuerit necesse rigorem salutis humanae exerere, per potestatem vestram et per ministerium ministrorum dominationis vestrae secundum antiquam consuetudinem, suum vigorem recipiat; et populi generalitas una cum ecclesiastica devotione iudicium quod honor regis diligit et iustitiam qua thronus eius firmatur, per dispositionem vestram suscipiat; seu ad-

aperte autem in praefatione concilii Meldensis a. 845 coacti[1]. Postquam etiam canones in hac synodo ad reformandum statum ecclesiasticum constituti in conventu apud Sparnacum congregato a proceribus saecularibus plerumque reiecti

monitione atque consilio sacerdotali vestra sublimitas et quisque in quolibet statu vel ordine, de rapinis et ceteris quae discordiae malo acciderunt, praeteritis erroribus, poenitudinem gerat et domini reconciliationem expostulet.“ Cf. quoque c. 4. 5 ib. — Karoli II. conc. in Verno palat. a. 844 c. 12: „Veniemus nunc ad ultimam partem admonitionis nostrae, quam qua intentione fundimus, dederit deus ut vos ac proceres caeterique fideles ea devotione suscipiatis. Videmus enim iram dei nobis et vobis imminere, cum pro rapinis et immanibus aliis sceleribus, tum etiam maxime quod ecclesiae facultates, quas reges et reliqui christiani deo voverunt .... nunc in usu secularium detinentur. Hinc multi servi dei penuriam cibi et potus ac vestimentorum patiuntur, pauperes consuetam aelemosinam non accipiunt, negleguntur hospites, fraudantur captivi et fama omnium merito laceratur. Et quidem si haec a paganis pateretur ecclesia, patientiam flagitaret. Nunc autem oppressi a filiis nostris, hoc est, ab his quos vel nos vel decessores nostri in Christo genuimus, christianos eos nostro ministerio facientes, nullam patientiae consolationem recipimus, quoniam de illorum interitu formidamus .... In fine omnes alloquimur, quod si nostris salutaribus adquieveritis consiliis, vestro profectui plurimum congratulabimur. *Sin autem nos, immo deum per nos loquentem, contempseritis, necessitate implendi ministerii quod nollemus, facere compellemur.*“

[1] „Quia generis humani fragilitas pronior dilabatur ad corrigenda quam studeat conservare correcta et divina testantur oracula et consuetudine monstratur quotidiana: quia etiam virtutes facilius queant plantari quam vitia possint eradicari et ager dumosus ruricolarum usu atque labore ad cultum fertilem perductus ostendit et propheta sacerdotalem gestans personam domino loquente praemonstrat dicens: Ego constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et dissipes et disperdas et aedifices et plantes. Quatuor enim prius ponens ad destruendum prava et duo postmodum ad statuendum recta, ostendit quid falce sacerdotali durius valeat et saepius debeat recidi. Quidquid terrena potestate vel cupiditate, ignorantia seu fragilitate, studio ac subreptione perversum in ecclesia aut in humana conversatione pullulaverit, recidendum. Sacerdotum est enim divina populo dare mandata et referre responsa.... Sacerdotum est etiam imminentem gladium. quae est animadversio divini furoris atque iudicii populis nuntiare: eorum est nihilo minus, verbi gladio, acutiore gladio ancipiti qui penetrat usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum atque cogitationum et intentionum cordis, in unoquoque ecclesiae filio prava resecare a rectis pravosque in omni ecclesia, si ita res proposcerit, *ut saeculi iudices et iudicii divini praecones*, segregare de rectis. Quia nulli qui sanum sapit est dubium, ita dominum omnia moderasse, ut clavibus ecclesiae datis aditus ad vitam claudi debeat vel reserari et quidquid ordine ordinato a sacerdotibus in ecclesia geritur, per gratiam sancti spiritus ab illo geratur, qui quod eis promisit, nullatenus pro quocumque in quocumque dimisit: Ecce ego, inquiens, vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Quod certissime cognoscentes domini sacerdotes et subtili examine perpendentes, quia eorum erat ad omnem actionem populi, ut dominus per Mosem praeceperat, tubis clangere, i. e. manifestissima praedicatione voluntatem domini insonare; postquam ab ipsis piae memoriae Ludovici divini Augusti temporibus ecclesia diversis et diversis coeperat vexationibus fatigari, in qua, ut propheta longe ante defleverat, a planta pedis usque ad verticem non erat, immo nec est desiderabilis sanitas, crebris monitionibus suam, principum quoque et potentum ac pauperum totiusque ecclesiae clamantes necessitatem, vocem correctionis dederunt, si forte vel ipsa vexatio, ut scriptum est, intellectum daret auditui. Hoc verbis, hoc scriptis, hoc publicis, hoc privatis suasionibus, hoc specialibus, hoc generalibus egerunt, pro Christo legatione fungentes, petitionibus, hoc etiam dicta dominica proponentes, hoc propheticis et apostolicis oraculis contestantes, hoc veterum statuta prae oculis demonstrantes, hoc capitulari et petitoria suggestione saepius et principis et reipublicae potentes atque ministros divina insinuatione et voce blande ac terribiliter, quia ita diversi rerum eventus exegerant, monuerunt... Inde vero quia sicut necesse fuerat, divinis iussionibus non est secuta obedientia, dedit dominus ab Aquilone, unde iuxta prophetam pandetur omne malum, dignos meritis nostris apostolos, crudeles scilicet et immanissimos christianitatis persecutores Northmannos qui usque Parisios venientes, quod iussit dominus demonstraverunt: quorum actus domini sacerdotes, ut praevenerant ex ore domini, sermone sunt etiam subsecuti. Sed et inde ad Belvacum civitatem venientes, quae ex domini voluntate cognoverant et verbo et scripto nullatenus siluerunt. Tandem autem grassante iniquitate et elongante se optata atque optabili pace, non solum a medio nostri, verum, quod est lugubrius, a finibus nostris, perspicientes etiam divinam misericordiam, quae potissimis in tribulatione suis fidelibus consueverat semper adesse, tot miserorum gemitus tantasque lacrymas et pene intolerabiles et in hac regni dumtaxat parte inauditas afflictiones et horribiles calamitates surda, si dici fas est, aure iusto iudicio praeterire. Ob hoc iustae indignationis divinae complangendum supplicium et ecclesiae Christi devoto pectore tractandum negotium, praesulum quoque et sequentis cleri correctionem et regis ac regni salubritatem atque stabilitatem et populi auctore et fautore domino procurandam salutem, venerabiles episcopi, Venilo .... in Meldensem ecclesiam de suis civitatibus convenerunt“ ... (Mansi 14, 813. 814.)

erant, operae pretium fuit, dignitatem sacerdotalem augere et capitularibus falsis et decretalibus vetustissimis Romanis pontificibus adfictis laicos qui reformationem ecclesiae saepius impedivissent, sacerdotibus in omnibus subiectos esse debere demonstrare. Mirum igitur videri non potest, et Benedictum et Pseudo-Isidorum in operibus suis de his rebus tam copiose agere et tanta diligentia.

Cum autem episcoporum auctoritas illis temporibus accusationibus deiectionibusque valde diminuta esset, et Benedictus et Pseudo-Isidorus imprimis talibus praecavere multis hac de re statutis quae excogitabant, conati sunt.

Anno 818 iam Anselmus episcopus Mediolanensis, Wolfoldus Cremonensis, Theodulfus Aurelianensis, qui cum Bernardo rege Italiae conspiraverant, munere spoliati sunt [1], a. 830 in conventu Noviomagi habito compressa rebellione Lotharii Iesse episcopus Ambianensis [2], a. 835 in conventu apud Theodonis villam congregato Ebo archiepiscopus Remensis [3] et Agobardus Lugdunensis [4]. Num alii episcopi eidem factioni cui Ebo adhaerentes eodem concilio damnati sint, non constat, id tantum accepimus Bartholomaeum Narbonensem, Hereboldum Autisiodorensem, Iessem Ambianensem, Bernardum Viennensem eodem tempore ultionem Ludovici Pii timentes sedes suas deseruisse [5]. Quos nominatim enumerare ex fontibus licet, plures autem eadem passos esse apparet ex episcoporum de exauctoratione Hludovici relationis c. 4 („et sacerdotibus domini ac monachis contra divinam et canonicam auctoritatem praeiudicium irrogavit [scil. Ludovicus] et absentes damnavit et in hoc reatum homicidii incurrendo divinarum seu humanarum legum violator extitisset") et ex apologetico Ebonis (c. 2: „dum non habetur incognitum quod a pluribus videtur compertum, qualiter ecclesia haec maxime Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis principum his temporibus agitata vexatur. Unde et plurimi episcoporum vi propriis a sedibus expulsi aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exulantur." C. 3: „Multi denique hinc potentes expulsi sunt a patria; episcopi quoque aliive dei ministri custodias et exilia passi") [6].

Quae cum ita essent, mirari non possumus, et Benedictum et Pseudo-Isidorum multum ad accusationem respexisse: etiam magis id explicatur, si rationem habueris, quomodo in regno Francorum ordo accusationis institutus et quomodo singulis in causis accusationes actae fuerint. Clericos a iudicibus saecularibus iudicandos non esse saepius capitularibus regum Francorum iam ante illam aetatem sancitum erat [7].

[1] Einhard. ann. (SS. 1, 205): „Anno 818 detecta fraude" (scil. Bernardi regis Italiae) „et coniuratione patefacta . . . imperator Aquisgrani revertitur . . . ., episcopos synodali decreto depositos monasteriis mancipari" (scil. iussit). Cf. ibid. 204. Thegani vit. Hlud. imp. c. 22 (SS. 2, 596): „Inventi sunt autem nonnulli in hac sedicione esse lapsos ex utrisque Francorum et Longobardorum qui omnes iudicati sunt ad mortem praeter episcopos qui postmodum depositi in confessione eorum facti sunt. Hoc fuit Anshelmus Mediolanensis et Theodulfus Aurelianensis et Wolvoldus Cremonensis." — [2] Thegani vit. c. 37 (SS. 2, 598): „Ipso eodemque anno (830) pervenit domnus imperator ad Niwimagun castrum . . . . et multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit ad eum, inter quos venerunt supradicti adversarii eius . . . Et ibi Iesse iusto iudicio episcoporum depositus est." — [3] Cf. Mansi 14, 658. Flodoard. hist. Rem. II. 20. Theg. vit. c. 56 (SS. 2, 602). — [4] Vit. Hludov. c. 54 (SS. 2, 640): „Quo facto Agobardus Lugdunensis archiepiscopus qui evocatus venire distulit, cum ter esset evocatus ad satisfactionem, ab ecclesiae semotus est praesulatu." Cf. quoque Gallia christiania T. IV. p. 58. — [5] Flodoard. hist. Rem. II. 20: „Cum quo" (scil. Lothario) „inter alios etiam quidem episcopi, fautores ipsius in adversitate patris sui relictis contra sacras regulas sedibus suis perrexerunt, Iesse videlicet Ambianensis et Hereboldus Autisiodorensis, Agobardus Lugdunensis et Bartolomeus Narbonensis episcopus." Adon. chron. (SS. 2, 321): „Bernardus adhuc et Agobardus Viennensem ecclesiam et Lugdunensem regebant. Qui ambo apud imperatorem delati, desertis ecclesiis in Italiam ad filium imperatoris Chlotharium se contulerunt." De Otgario Moguntino cf. Dümmler l. c. p. 107 not. 56. — [6] Cf. quoque conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7: „Didicimus sane nonnullos episcoporum a quibusdam personis clam temeraria detractione accusatos atque detractos." — [7] Cf. cap. Vern. a. 755 c. 18. Cap. gen. a. 769 c. 17. Cap. eccles. a. 789 c. 38. Cap. Rhispac. et Fris. a. 799 c. 3 (excepto casu in cap. Francof. a. 794 c. 30 statuto: „Et si forte inter clericum et laicum fuerit orta altercatio, episcopus et comes simul conveniant et unanimiter inter eos causam diffinient secundum rectitudinem": ad quae iudicia mixta Pseudo-

Episcopi autem secundum quaedam capitularia ante synodum metropolitanam accusandi et ab ista de eis sententia ferenda erat[1]. Attamen hoc saepe observatum non est, sed secundum vigentem disciplinam de episcopis rex cum conventu plurium episcoporum et aliis viris ecclesiastici ordinis iudicabat, quia rex Francorum non solum laicorum sed etiam clericorum supremus iudex habitus videtur esse[2]. Ita est iudicatus Gaerbodus episcopus secund. c. 10 cap. Francof. a. 794:

„Definitum est quidem a domno rege et sancta synodo[3] esse dinoscitur, ut Gaerbodus qui se episcopum esse dicebat et suae ordinationis testes non habuit, qui tamen episcopalia a Magnardo episcopo coniunctus (consecutus?) est, qui etiam professus est diaconum et presbiterum non secundum canonicam ordinationem ordinatum esse, ut ab eodem gradu episcopatus quod de se habere dicebat, deponeretur a praedicto metropolitano sive a conprovincialibus episcopis.“[4]

Theodulfum Aurelianensem et consocios eius quidem Einhardus (cf. supra p. CCXXI.) *synodali auctoritate* fuisse depositos dicit, attamen conventus Aquisgranensis non synodus metropolitana fuit et exactius sic Chronicon Moissiacense (SS. 1, 312. 313) eandem rem tradit:

„Post haec ipse imperator fecit conventum magnum Francorum et retulit eis hanc causam, ut videret quid iudicarent fideles sui de eo vel de his qui consenserant, ut insurgerent contra imperatorem ... Teudulfum vero episcopum Aurelianensem qui et ipse auctor praedicti maligni consilii fuit, synodo facta episcoporum vel abbatum nec non et aliorum sacerdotum, iudicaverunt tam ipsum quam omnes de ordine ecclesiastico episcopos et abbates vel ceteri clerici qui de hoc maligno consilio socii fuerant, a proprio deciderent gradu; quod ita factum est.“

Quo modo etiam anno 830 Iesse episcopus Ambianensis condemnatus fuisse videtur: quamquam enim apud Theganum (vita Hludovici imp. c. 37. SS. 2, 598) legitur: „et ibi Iesse iusto iudicio episcoporum depositus est“, tam ex verbis praemissis: „ipso eodemque anno pervenit domnus imperator ad Niwimagun castrum

Isidorus in confingendo c. 17 Anacl. respexisse videtur, cf. Wasserschleben, Beiträge p. 43). Vide quoque Waitz, deutsche Verfassungsgeschichte T. IV. p. 371 sqq.

[1] Cf. cap. Vern. a. 755 c. 13. Cap. eccles. a. 789. c. 10 (cf. c. 7 ibid. conc. Antioch. c. 11). Cap. Francof. a. 794 c. 10 („ordinatum esse ut ab eodem gradu episcopatus quod de se habere dicebat, deponeretur a praedicto metropolitano sive [= et, cf. c. 8 ibid.] a conprovincialibus episcopis“). — [2] Qua ex re non solum controversiae inter potentes saeculares, sed etiam inter ipsos episcopos ortas rex iudicabat. Cap. Aquisgr. a. 812 c. 2: „Ut episcopi, abbates, comites et potentiores quique, si causam inter se habuerint ac pacificare noluerint, ad *nostram* iubeantur venire *praesentiam* neque illorum contentio aliubi iudicetur neque propter hoc pauperum et minus potentium iustitiae remaneant. Neque comes palatii nostri potentiores causas sine nostra iussione finire praesumat, sed tantum ad pauperum et minus potentium iustitias faciendas sibi sciat esse vacandum.“ Eadem ex causa canones concilii Sardicensis de appellatione ad sedem Romanam facienda agentes capitulari ecclesiastico a. 789 confirmati non sunt (cf. Gfrörer, Untersuchung über Alter etc. p. 4 sqq.) et explicatur, cur saepius statuatur, ad regem esse recurrendum, si iudicia ecclesiastica inferiora ad corrigendum accusatum non valeant. Cf. Cap. Franc. cit. c. 6: „Statutum est a domno rege et sancta synodo ut episcopi iustitias faciant in suas parrochias. Si non oboedierit aliqua persona episcopo suo de abbatibus, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis et caeteris clericis vel etiam aliis in eius parrochia, venient ad metropolitanum suum et ille diiudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque veniant ad iudicium episcoporum. *Et si aliquid est, quod episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusatu cum litteris metropolitano, ut sciamus veritatem rei.*“ Epist. Hludovici Pii ad Magnum Senonicae urbis archiepiscopum (Leg. 1, 222): „Si vero aliquis tuae dioceseos eidem institutioni nostraeque admonitioni procaciter reniti voluerit et ea quae ab eodem sacro et venerabili concilio constituta atque decreta sunt, quantum dominus ei posse dederit observare contempserit, praecipimus, ut si antea huiusmodi non se correxerit, quicunque ille est, *ante praesentiam nostram tua vel missorum nostrorum admonitione, venire festinet; qualenus a nobis iuxta quantitatem culpae digne corrigatur.* Epist. eiusd. ad Arnonem Salisburgens. episcop. (ibid.). Cf. quoque Waitz l. c. T. III. p. 358. T. IV. p. 373. — [3] Quomodo synodus composita fuerit apparet ex initio capitul.: „coniungentibus deo favente apostolica auctoritate atque piissimi domni nostri Karoli regis iussionem anno 26. principatus sui cunctis regni Francorum seu Italiae, Aquitaniae, Provintiae episcopis ac sacerdotibus synodali concilio.“ — [4] Cf. quoque c. 9 ibid.: „Definitum est etiam ab eodem domno rege sive a sancta synodo, ut Petrus episcopus contestans coram deo et angelis eius iuraret cum duobus aut tribus sicut sacrationem suscepit aut certe cum suo archiepiscopo quod ille in mortem regis sive in regno eius non consiliasset nec ei infidelis fuisset.“

quod situm est super fluvium quod dicitur Walum: et multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit, inter quos venerunt supradicti adversarii eius et superaverat eos domnus imperator" apparet, etiam Iessem non a synodo metropolitana, sed a conventu plurimorum episcoporum ex diversis regni partibus congregatorum praesidente imperatore iudicatum fuisse.

Etiam ad tales synodos hi canones concilii Aquisgran. a. 836 respicere, non ad synodum metropolitanam videntur:

C. II. c. 12: ... „ut si quispiam episcoporum aut quilibet sequentis ordinis ecclesiastici deinceps timore aut cupiditate aut qualibet suasione a domino et orthodoxo Ludovico imperatore defecerit aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit et eius contrariis malevola intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium *canonica aut synodali sententia* amittat."

C. III. c. 7: „ut si aliquis deinceps accusator annisus fuerit aliquem excessum in episcopali ordine rite reprehendere et *ad aures imperiales* perducere, ut non *facile per cuiuscumque personam* officium tanti ministerii in aliquo vilescere videatur .... huius rei veritas *synodali conventui* pateat *ibidemque* omni occasione remota utrorum examinatio secundum veritatem examinetur, ut quod quisque meretur, accusatus videlicet sive accusator, pro merito canonicae disciplinae subiaceat."

Eadem apparent ex iis quae de Ebonis Remensis depositione nobis traditum est. Agebatur eius causa in conventu multorum episcoporum diversarum provinciarum [1], sed cum plurimi eorum qui tunc eum iudicaturi erant, ipsi eadem contra imperatorem quae Ebo machinati essent, eum ad confitendum se episcopali sede indignum esse commoverunt, timentes ne ab Ebone proderentur [2], qua ex re sententia contra eum pronunciata non est.

A talibus conventibus iustae sententiae proferri non potuerunt, cum fieri non posset quin in omnibus fere accusationibus ob machinationes contra imperatorem factas accusato omnes iudices infesti et adversarii essent. Nam amici accusati aut cum eo accusabantur aut ad vindictam evitandam alius alio fugiebant [3].

Mirum igitur non videtur, Benedictum et Pseudo-Isidorum [4] et quidem hunc apertius quam illum episcoporum causas diiudicandas aliis iudicibus committere voluisse. Posuerunt autem tamquam tutissimum praesidium hac in re accusatis Romanum pontificem, cum praedicarent, sine eius consilio nullum episcopum dampnandum neque deponendum esse, quia et ille factionum singulis in terris et singulis

[1] Hincmari Rem. de praedestin. adv. Gothescalc. c. 36 (op. I. 324): „Unde etiam accusatus ab ipso Augusto, in *generali synodo* in palatio Theodonis villa inducias petiit et secundum canonicam institutionem elegit sibi per consensum synodi episcopos iudices peccatorum suorum, quos canones electos appellant. de quibus scriptum est in concilio Africano cap. LXIII. ut ab electis iudicibus provocari non liceat, et dedit libellum synodo manu sua firmatum haec eadem continentem." Nomina archiepiscoporum et episcoporum idem Hincmarus (ibid. p. 325) refert. Quem iudices electos et episcopos ab Ebone sibi confessores constitutos confundere evidens est (cf. ibid. p. 325: „nam et episcopi secundum confessionem ipsius manu sua propria roboratam et testimonium confessorum suorum decreverunt ut a ministerio recederet pontificali"). Cf. quoque Dümmler l. c p. 109. — [2] Thegani vit. Hlodov. c. 56 (SS. 2, 602): „Post natalem domini altero anno habuit conventum magnum populorum et ibi Ebo turpissimus rusticus venit, quem ibi episcopi firmiter movere non ausi sunt, timentes ut eorum proditor existere debuisset. Et ideo suaserunt eum ut se concrederet ministerium sacerdotale minime habere posse." Vit. Hludov. c. 54 (SS. 2, 640): „Sane sollemnitatem purificationis sanctae Mariae in eadem Theodonis villa agendam constituit" (scil. imperator): „ubi etiam populus cui praeceptum fuerat, advenit. Quo consistens contra quosdam episcopos de sui deiectione conquerebatur: sed cum quidam in Italiam confugissent, aliqui vocati oboedire noluissent, solus Ebo eorum qui impetebantur affuit. Qui cum rationis reddendae causa super talibus urgeretur, causabatur se solum, relictis omnibus in quorum praesentia haec facta fuerant urgeri. At vero cum ceteri episcopi obtenderent necessitatem praesentiae, excusarent autem voluntatem innocentiae, hisdem Ebo tandem moleste ferens talibus extaediari, consilio petito aliquorum episcoporum, ipse in se quandam confessionem praedicavit." — [3] Recte ipse Ebo de his iudiciis in apologetico suo ait: „compulsus ad *tribunal palatinum*, non ad synodalem *sanctorum* conventum" (Mansi 14, 776 et ibid. p. 778): „Conscriptio itaque haec diversis necessitatibus i. e. delictorum vel persequentium occasione confecta, si adhuc scandalizanti alicui scrupulum generat, universorum ibi, quaeso, verborum rationem discutiat; in qua certo crimine invento, unde canonica rite sequatur damnatio, iuste precor et non livide iudicet proximo. Dumque se aestimat stare videat, ne cadat. *Quia lividus iudex festucam in alterius quaerens trabem in suo nequaquam sentit oculo.*" — [4] Cf. Ben. II. 381, Marcellini 2, 10, Iul. 5, Dam. 9.

in earum ecclesiis dimicantium expers erat et sede Romana adeunda causa protrahebatur et cum eam facile adeundi facultas non esset, damnatio et depositio saepius fieri non poterat [1].

Contra illa iudicia etiam ea finxit, quae statuit [2] de accusationibus in provinciis neque aliubi agendis et dirimendis, quia episcopi, ut ex modo allatis apparet, in conventibus coactis nulla provinciarum aut dioecesium ratione habita iudices assidebant.

Eadem ex causa ut accusationes difficiles fierent et iustius deciderentur iudicia, exceptio spolii a Benedicto quidem primo inventa et postea a Pseudo-Isidoro repetita amplificata est: qua in re ambos ad episcopos suis sedibus pulsos et Pseudo-Isidorum ante omnia ad Ebonis deiectionem respexisse dubitari non potest [3].

Quamquam enim his rebus iam satis explicatur, cur tam saepe et fuse Pseudo-Isidorus de accusationibus clericorum et praecipue episcoporum egerit, accedit, quod etiam de ordine et modo accusationis illis temporibus nullae certae regulae ad iustam sententiam de accusatis proferendam observatae videntur fuisse. Statutis enim ecclesiasticis ius Romanum in accusationibus clericorum tractandis receptum erat [4], attamen in regno Francorum non secundum ordinem Romanum sed secundum ordinem etiam in iudiciis laicorum institutum clerici et episcopi iudicabantur et damnabantur. Neque solum ita agebatur saeculo octavo [5], sed etiam saeculo nono et eadem aetate qua decretales Pseudo-Isidori editae sunt [6]. Quibus Benedictus et Pseudo-Isidorus [7] capitula et statuta sua secundum ius Romanum confingentes dero-

[1] Negari non potest tota conditione regni Francorum explicari, episcopos a rege et aliis paribus i. e. episcopis iudicatos fuisse, cum et episcopi vasalli et seniores regis essent et ab eodem ad dignitatem episcopalem proveherentur. Itaque status ecclesiasticus reformari omnino non potuit, nisi alia quoque iura regum Francorum, imprimis ius episcopatuum conferendorum mutaretur; attamen hac de re pauca apud Benedictum (cf. III. 78) et Pseudo-Isidorum (cf. Annic. 1. 2) proferri mirum non est, quia illa aetate aliam conditionem ecclesiae et reipublicae non cognoverunt et imprimis accusationibus et deiectionibus episcoporum ecclesiam in ruinam lapsam esse viderunt. — [2] Anacl. 15, Pelag. II. ep. 1, Pii 9, Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3, Iul. 12. 17, Corn. 5, Steph. 10, Fab. 28, Dam. 19 (cf. Ben. II. 64. 113. 381. III. 82. 93. 220. 332. add. III. 111). — [3] Cf. supra §§. 17. 23. — [4] Greg. M. ep. 45 ad Ioannem defensorem lib. XIII. ed. Ben. (c. 7 C. II. qu. 1). — [5] Cap. Francof. a. 794 c. 9: „Definitum est etiam ab eodem domno rege sive a sancta synodo, ut Petrus episcopus contestans coram deo et angelis eius iuraret cum duobus aut tribus sicut sacrationem suscepit aut certe cum suo archiepiscopo quod ille in mortem regis sive in regno eius non consiliasset nec ei infidelis fuisset. Qui dum episcopus (pro: episcopos) cum quibus iuraret, non invenisset, elegit sibi ipse ut suus homo ad dei iudicium iret et ille testaretur absque reliquiis et absque sanctis evangeliis solummodo coram deo quod ille innocens exinde esset et secundum eius innocentiam deo adiuvaret illum suum hominem qui ad illud iudicium exiturus erat et exivit. Tamen eius homo ad iudicium dei neque per regis ordinationem neque per sancta synodo censuram, sed spontanea voluntate, qui etiam a domino liberatus, idoneus exivit." — [6] Karoli II. synod. Suession. a. 853 c. 3: „De Burchardo etiam qui Carnotenam ecclesiam tenebat, statutum est, ut aut se idoneum ad sumendum episcopalem gradum admonitu Wenilonis metropolitani episcopi ostenderet aut certe pronam in se clementiam principis cognoscens cederet, *in utroque dei iudicium experturus*. Igitur sequenti die causa illius ad medium deducta venerabiles episcopi Remorum metropolitanus Hincmarus, Lugdunensium Pardulus, Aurelianorum Agius, seorsim eum admonere praecepti sunt, ut si absque discrimine valeret, officium se posse aggredi fateretur; aut si non posset, propter dei timorem impossibilitatem ingenue confiteretur. Parte cleri quae praesens erat, hac laicorum bonum ei testimonium perhibente, memoratis praesulibus suadentibus ad concilium intromissus, tanto quidem gradu se dignum esse profiteri arrogantiae asseruit esse, non veritatis. *Si quis vero crimen aliquod sibi vellet obicere, ad id purgandum se paratum esse firmavit.*" (Cf. quoque c. 6 ibid.) — [7] Benedictus quidem (I. 35. 36, III. 281) quaedam de sacerdotum purgatione finxit (cf. Hildenbrand, die purgatio canonica und vulgaris. München 1841. p. 60 sqq.), sed tantum „si accusatum suprascripto praetextu adprobare ipse accusator minime poterit" illum cum consacramentalibus se purgare debere dicit, similiter ut c. 8 conc. Mogunt. a. 851 (LL. 1, 413), hac in re figmenta ad imaginem priorum statutorum, imprimis Gregorii II. (cf. Hildenbrand l. c. p. 51. 60) concipiens. Pseudo-Isidorus autem de purgatione sacerdotum et consacramentalibus nihil quidem profert, sed prohibere eum id voluisse apparet ex c. 3 Corn. („sacramentum autem hactenus a summis sacerdotibus vel reliquis exigi nisi pro fide recta minime cognovimus nec sponte eos iurasse repperimus") et Sixti III. ep. („et facto concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet evadere aliter satis potuissem, suspitionem tamen fugiens

gare conati sunt, quibusdam in rebus similia quaedam quae iam antea synodi in regno Francorum habitae ordinaverant, proferentes[1].

Sicut Benedictus et Pseudo-Isidorus ad figmenta sua de accusationibus sacerdotum componenda conditione regni Francorum commovebantur, idem etiam in aliis rebus ab eis confictis probari potest.

Inter res quae ad ecclesiasticam disciplinam spectant, Pseudo-Isidorus agit:

2) de primatibus et patriarchis, eos metropolitanis praeponens et Romanae sedi subiiciens. Amplius eum hac de re quam Benedictum agere neque ad dignitatem primatis uni metropolitano tribuendam, ut plerique opinantur, haec finxisse iam supra (§§. 17. 23) ostendi. Immo statuta de primatibus excogitasse mihi videtur, ut maius praesidium episcopis esset: cum certe eum non fugeret ad papam omnibus in causis eorum recurri non posse. Illa enim quae de iure primatum in decretalibus leguntur cum figmentis de accusationibus exhibitis cohaerere apparet ex iis, quae de causa, cur patriarchae in ecclesia instituti fuerint, profert. Sic ait Anacletus (c. 26): „ut ibidem quibus necesse fuerit releventur et iuste restituantur et hi qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur atque fulciantur". [2]

Neque solum hac ex causa intelligitur, cur Pseudo-Isidorum plura de primatibus egerit, sed etiam ex duabus aliis rebus. Primum enim multa de antiqua ecclesiae disciplina profert, itaque ad dignitatem primatum[3] restituendam hac re commotus esse videtur; tum etiam epistola Sergii papae Drogonem vicarium constituentis ei causam praebuit, cur illa statuta finxerit. Cum enim vicarium Drogonem episcopi ecclesiae Gallicae agnoscere nollent[4], in decretalibus suis statuens quae illi vicariatui instituendo contraria essent, hac re id quod episcopi Franciae occidentalis admittere noluerant, comprobare voluisse videtur[5].

3) Metropolitanorum iure Pseudo-Isidorum tantum diminuisse quantum opus esset ut sententia definitiva in causis episcoporum proferenda Romanae sedi tribueretur, iam supra dixi[6].

4) In iis quae de translatione episcoporum affert, Ebonem Remensem respe-

coram omnibus me purgari, me scilicet a suspitione et emulatione liberans, sed non aliis qui noluerint aut sponte hoc non elegerint faciendum formam exemplumque dans, cum scriptum sit: si quis crimen obicere voluerit, scribat se prius probaturum"). Cf. Hildenbrand l. c. p. 69 sqq.

[1] Conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7: „accusator itaque uti, sicut hactenus, delitescendo se subtrahere locum non habeat, sed neque accusatus: huius rei veritas synodali conventui pateat, ibidemque omni occasione remota utrorum examinatio secundum veritatem examinetur, ut quod quisque meretur accusatus videlicet sive accusator pro merito canonicae disciplinae subiaceat: ne forte quisquam sacerdotum se reprehensibilem exhibere audeat aut etiam quisque leviter inaniterque propriae intemperantiae assensum praebens, tanti ordinis viros sine caussa atque probatione vituperare praesumat," cum quibus conferenda sunt quae Vig. 5, Steph. 8, Fel. I. pp. 12. 13, Calist. 17, Dam. ad Ital., Fab. 21. 28, Gai. 4, Eutic. 7, Eleuth. 2. 8, Iul. 16 statuunt. Ibid. C. III. c. 6: . . . „ut non per inanem et falsam suspicionem contra nos scandalum sumant et sine caussa in nos detrahendo deum offendant . . . . et ideo non debemus ante tempus per suspicionem iudicari, sed patienter expectari, donec ipsa veritas manifestum faciat, utrum magis audiendi an improbandi simus." (Cf. Melc. 2.) De caritativa admonitione accusationi praemittenda cf. Cap. eccles. a. 804 (Leg. 1, 129) et Anacl. 20. 21, Sixt. II. pp. 5, Fel. I. pp. 9, Iul. 12, Steph. 6, Fel. II. pp. 3. 12. II. De confessionibus rei extorquendis cf. apolog. Ebonis et Alex. 7. — [2] Cf. Evar. 10: „Nam sunt nonnulli qui praepositos suos perverse reprehendunt, si vel parum ipsi molesti exstiterint. Idcirco recto oculo primates aecclesiarum utiliter providendum est, ne quisquam eorum innocens vexetur aut scandalizetur." Fel. II. pp. 10: „nam ut omnes metropolitani vel reliqui episcopi sua odia aut vindictas in reliquos episcopos exercere non valeant, ideo nominatim in Nicena synodo expressi sunt primates." — [3] Quantum equidem scio, verbum primatis tantum semel in genuinis fontibus huius aetatis occurrit, scil. i. c. 17 lib. I. conc. Paris. a. 829: „. . . ut res ecclesiae, nisi ob nimias necessitates quas describit, nemo distrahat. Quod si quispiam imminente nimia necessitate, *inconsulto primate* provinciae aut certe maiori urgente necessitate, non adhibitis testibus vicinis episcopis, id facere attentaverit, ita canonico iudicio percellitur, scilicet ut amisso honore reus deo et concilio teneatur;" quibus ex verbis apparet, primatem idem ac metropolitanum esse: possitque cum hac re coniungi quod Pseudo-Isidoris praecepit, ne omnes metropolitani primates appellarentur. — [4] Cf. Dümmler l. c. p. 239 sqq. — [5] Cf. supra CXCIX. — [6] Cf. p. CC.

xisse, dubium esse non potest. Attamen hac re solum ad figmenta sua consuenda non est commotus. Episcopum enim ut virum uxori ecclesiae suae coniunctum esse dicit, itaque eum nisi gravissimis causis intervenientibus derelinquere ecclesiam non debere [1]. Quo praecepto etiam disciplinae corruenti eiusdem temporis succurrit: episcopi enim illa aetate negotiis reipublicae, non ecclesiasticis studentes cum regibus Francorum commorabantur, factionibus reipublicae adhaerentes aut victores aut victi in civitatibus suis non degebant [2]. Pseudo-Isidorus igitur primum praecipit, ne episcopus dioeceses suas derelinquat et postea exceptionem statuens hac in re tantum Ebonem respexit [3]. Videbat enim sedibus episcopalibus desertis tantumque chorepiscopis ad officia episcopalia ministranda institutis statum multarum dioecesium eversum bonaque earum et a clericis et imprimis a laicis direpta fuisse. Itaque

5) cum his figmentis ea cohaerent, quae contra chorepiscopos profert et de quibus iam supra (§. 23) egi.

6) Multa de terminis parrochiarum et diocesium non transgrediendis [4] et

7) de bonis ecclesiasticis intactis servandis [5] eum proferre ratione habita totius status ecclesiastici disturbati illius aetatis mirum esse non videtur.

Haec quidem de statutis quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, quae a Pseudo-Isidoro sunt prolata. Sed quaedam quoque de re dogmatica et de rebus

[1] Evar. 4: „et sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, i. e. ut illam dimittat ad quam sacratus est, absque inevitabili necessitate aut apostolica vel regulari mutatione et alteri se ambitus causa coniungat.“ Liber. 2: „id est, ut nostras relinquamus, dum in eis persistere aliquando valebimus ecclesias, ut ad alias properemus aut populos nobis commissos neglegere, ut quietem amplius quam pro eis elaborare pro quibus etiam animas ponere debemus studeamus ... quamquam multi nos persequantur“.... (Cf. Ant. 2, Calist. 15.) — [2] Conc. Par. a. 829 lib. I. c. 21: „Comperimus etiam quosdam socios ordinis nostri, non caussa necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiae et propriae delectationis, saepissime propria civitatis suae sede relicta cleroque neglecto, remotiora loca frequentare, de qua re et destitutio divini cultus et praedicatio in plebibus et cura subiectorum postponitur et hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius a quoquam sine inevitabili necessitate et certa utilitate fiat, pari consensu inhibuimus“ (repetit. in conc. Aquisgr. a. 836 C. I. c. 12. Cf. Ben. I. 329, c. 2 [bis] Angilr.) Cf. quoque c. 28. 30 conc. Meld. a. 845. Exempla episcoporum qui timore factionis adversae vitricis sedes relinquerunt, supra adtuli. — [3] Goecke ratione transmigrationis Ebonis habita de anno, quo decretales perfectae sint, haec statuit: „dicendum nobis erit, anno 844 eas nondum perfectas, cum Ebonis transmigrationem, eo anno factam respiciant, anno 845 autem eas inceptas et partim quoque iam perfectas fuisse, cum electo et instituto Hincmaro ea quae ad Ebonis restitutionem spectat, falsarius, ut equidem puto, recepturus non fuisset“ (l. c. p. 56). Similiter dicit Carolus a Noordon (l. c. p. 325): „Warum weiter konnte Ebo im Jahre 840 neben allen Versuchen, sich als Erzbischof zu behaupten, nicht auch die schlimmste Wendung ins Auge gefasst und damals schon auf Bestimmungen Pseudo-Isidors zu Gunsten einer Transmigration in das Reich seines Gönners, Kaisers Lothar, bedacht gewesen sein,“ (p. 326:) „gegen eine so späte Abfassung und Veröffentlichung sprechen indessen die Verhältnisse, welche für Ebbo nach seiner Flucht im Sommer 841 eintraten. Die Hoffnungen Lothar's auf den Besitz Westfrankens schwanden immer mehr und damit auch die Aussichten Ebo's. Nachdem der Vertrag von Verdün besiegelt, der Versuch beim Papste im Jahre 844 gescheitert war, liess sich von keinem falschen Dekretalenwerke eine wesentliche Hülfe für Ebo erwarten“; (p. 327:) „Und was sollte nun gar nach dem Jahre 846 eine Bewerbung Pseudo-Isidors um ein Primat des Rheimser Stuhles bedeuten?“ (ibid.) „Sein Verfahren im Jahre 846 beweist eben, dass er selbst an eine mit Pseudo-Isidor erzielte Wirkung nicht glaubte. Einzig von den ihm die Transmigration gestattenden Bestimmungen macht er bald darauf eine praktische Anwendung.“ Quae Carolus a Noorden coniecit, omnia iam iis quae supra (in parte III. et IV.) exposui refelluntur. Neque Feodoro Goecke concedendum est, post Ebonis transmigrationem ad sedem Hildenesheimensem factam Pseudo-Isidorum haec statuta recepturum non fuisse, nam Dümmler l. c. p. 249 probavit, etiam post illum tempus Ebonem semper ad priorem sedem aspirasse, immo dicendum est, Pseudo-Isidorum ad imaginem translationis Ebonianae regulam in postea servandam de episcopis transmigrantibus finxisse ideoque illam in collectionem recepisse. — [4] Clem. 36, Dion. 3, Calist. 12. 13, Sixt. II. pp. 6, Vict. 6, Luc. 5. Cf. Capit. eccles. a. 789 c. 11. 33. 56 (Ben. II. 166. 301. 308. 310. 400. III. 80. 151. 198. 266. 445). — [5] Anacl. 14, Luc. 7, Urb. 5, Pii 7. Cf. conc. Par. a. 829 lib. I. a. 15. 17, conc. Aquisgr. a. 836 C. II. c. 7, C. III. c. 8, Cap. Vernens. a. 844 c. 12, Conc. Meld. c. 1. 11. 17. 60. 61. (Cf. Ben. I. 181. 190. 208. 339, add. III. 1. II. 89. III. 261. II. 135. 136. III. 265. 267. 275. III. 409. 411. 419. 420.)

liturgicis exhibet. Quae plurimi tantum (velut Wasserschleben, Pseudo-Isidor l. c. p. 352) ab eo ut detegeret fraudem conficta esse dicunt.

Quod ad rem dogmaticam adtinet, Pseudo-Isidorus eas sententias repetit, quae contra Arianos et Eutychianos in ecclesia catholica receptae erant. Prolatis enim symbolo Nicaeno et expositione symboli apostolici[1] in decretales lacinias inserit contra eos, qui patrem filio esse maiorem asseveraverint[2], agit de trinitate et unitate deitatis[3], de incarnatione Christi, de duabus eius naturis[4], his in rebus Venantium Fortunatum, Idacii Clari libellum adversus Varimadum, Leonis M. epistolam 165 exscribens. Recte iam Möhler[5] observavit, has res magis cum conditione ecclesiae Hispanae saeculi octavi ineuntis concordare quam cum statu ecclesiae Gallicae saeculi noni medii. Quin etiam de controversia hac aetate in Gallia de praedestinatione agitata nihil in decretalibus profertur. At doctrinae a Gothescalco monacho ex Augustini scriptis Pseudo-Isidorum nihil repetiisse, mirari non possumus, cum aut iam illo tempore quo Gothescalcus a synodo apud Carisiacum a. 849 congregata damnabatur[6] opus suum fere absolvisset aut post damnationem Gothescalci et in Germania[7] et in Gallia pronunciatam id operae pretium esse non censuisset, praesertim cum illa quaestio quae non in totum a. 849 sopita erat, non ante sed post perfectas decretales denuo tractata fuisse videatur[8].

Quae autem de rebus dogmaticis exhibuit, Pseudo-Isidorum ideo in collectionem suam recepisse puto, ut fundamenta doctrinae christianae fidelibus praeberet. Vult enim sacerdotes doctiores reliquo populo esse, ut illum docere possint[9], itaque doctrinas principales fidei christianae congessit, secutus hac in re praecepta saepius in conciliis istius aetatis de populo in fide christiana instituendo prolata[10].

In iis quae de sacramentis administrandis, de sacramentalibus et rebus liturgicis in decretalibus habentur, Pseudo-Isidorus multa quae in libro pontificali legebat, exscripsit; neque tamen praetereundum est, quod fere de iisdem rebus etiam in conciliis illius aetatis statuta exhibentur.

De coena domini praecipit Alexander (cf. c. 9): „In sacramentorum quoque oblationibus quae inter missarum solemnia domino offeruntur, passio domini miscenda est, ut eius cuius corpus et sanguis conficitur passio celebretur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum panis tantum et vinum aqua permistum in sacrificio offerantur", quibus similia in cap. presbit. c. a. 806 c. 13 (Leg. 1, 139) proferuntur: „ut in sacramento corporis et sanguinis domini semper aqua in calice misceatur".[11] — De tempore quo baptisma celebrandum sit similia Victor (c. 2) statuit, quam conc. Par. a. 829 lib. I. c. 7, 33, c. 48 conc. Meld.[12]; apud Urbanum (c. 10) praecipitur: „omnes enim fideles per manus impositionem episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debeant, ut plene christiani inveniantur",[13] quod etiam in conc. Aquisgr. a. 836 C. II. c. 5: „quapropter ab ortu nativitatis cuiusque ad se pertinentis praedictam curam habeat" (scil. presbyter), „ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur: post acceptum autem sacrum baptisma sine manus impositione episcopi non remaneat" statuitur[14].

[1] Iul. 1, Clem. 21. 22. — [2] Evarist. 3, Fel. I. pp. 18, Marcellini 1. — [3] Alex. 10, Sixt. I. pp. 2, Pelag. I. pp. ep., Bened. I. pp. ep. un. — [4] Vigin. 1, Soth. 1, Sixt. pp. 1, Gai. 5. 6. — [5] Fragmente aus und über Pseudo-Isidor. (Schriften und Aufsätze T. I. Regensburg 1839. p. 314 sqq. 286 sqq. 342 sqq.) — [6] Dümmler l. c. p. 319. — [7] l. c. p. 318. 319. — [8] l. c. p. 385 sqq. — [9] Anacl. 12. — [10] Conc. Par. a. 829 lib. I. c. 30 (lib. III. c. 12), c. 29 i. f., c. 35 conc. Meld. (cf. quoque cap. eccles. a. 789 c. 69, cap. Aquisgr. a. 813 c. 1, Paris. a. 829 lib. I. c. 32). Similia apud Bened. Levitam proferuntur in III. 49. 113. I. 4. 72. 95. 161. 170. II. 162. 165. 372. III. 262. 404. — [11] Quae in Clem. 45. 46 leguntur, desumsit ex secunda epistola apocrypha Clementis iam multo ante Pseudo-Isidorum conficta ab eoque tota in collectione repetita. — [12] Cf. quoque Ben. I. 171. II. 181. add. II. c. 2. — [13] Cf. Clem. 79: „omnibus ergo festinandum est sine mora renasci deo" (scil. percipiendo baptismate) et demum consignari ab episcopo, i. e. septiformem gratiam spiritus sancti percipere." Melc. 6: „de his vero super quibus rogitastis vos informari, i. e. utrum maius esset sacramentum manus inpositio episcoporum aut baptismus, scitote utrumque magnum esse sacramentum. ... sed ita coniuncta sunt haec duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte praeveniente nullatenus possint segregari et unum sine altero rite perfici non potest." — [14] Cf. quoque Ben. III. 262 i. f., 404 i. f.

De locis ubi missae sint celebrandae, Pseudo-Isidorus in Clem. 70 et Felic. IV. pp. ep. 1 similia profert ac conc. Par. a. 829 lib. I. c. 47[1] et apud Anacl. 9. 10 (cf. Luc. 1) praecipitur, ne missa ab episcopo aut presbitero nullis aliis adhibitis cantetur[2].

Ne homines saeculares aut mulieres divinis ministrent prohibent Soth. 3 et Steph. 3, qua in re concordant cum conc. Par. a. 829 lib. I. c. 45 et conc. Aquisgr. a. 836 C. II. c. 7.[3]

Similiter etiam ea quae Telesf. 1, Calist. 1, Melc. 8 de ieiuniis observandis statuunt, inveniuntur in conc. Aquisgr. a. 836 C. III. c. 17. c. 18 (cf. Cap. gen. a. 769 c. 11, a. 789 c. 48).[4]

Quae in Pii c. 1, Victor. 1 de tempore paschae celebrando et in Eleuth. c. 1 de escis communibus non respuendis habentur, a Pseudo-Isidoro in suam collectionem recepta fuisse, quia tunc multi christiani aut ritus iudaicos secuti aut fidem iudaicam amplexi essent, iam Möhler (l. c. p. 335. 336) observavit[5].

Quibus omnibus ex rebus apparet, Pseudo-Isidorum in figmentis suis compilandis conditionem ecclesiasticam suae aetatis respexisse, et cum de rebus tam diversis egerit, non id solum egisse ut accusationes episcoporum impediret. Tamen id saltem concedendum est, Pseudo-Isidorum imaginem totius status ecclesiastici omnibus in rebus reformandi decretalibus suis non expressisse, nam de quibusdam rebus quas concilia eiusdem aetatis et praecipiunt et prohibent, nihil suis in epistolis profert: velut de re monastica, ad quam tot capitula synodorum Paris. a. 829, Aquisgran. a. 836, Meld. a. 845 spectant[6], de collatione beneficiorum ecclesiasticorum[7], de pravitate simoniaca[8], de decimis[9]. Quas res praetermisisse aut leviter tetigisse, videtur quia fortasse alios abusus disciplinam ecclesiasticam corrumpentes maioris momenti esse eaque quae in Benedicti capitularium collectione exhiberentur, sufficere diiudicabat, — quamquam aliquid certi hac de re statui tum demum posset, si quis auctor decretalium fuisset certis argumentis posset ostendi.

Atque haec quidem de consilio, quod Pseudo-Isidorus in decretalibus suis conficiendis sibi proposuerit[10].

Neque minus quam de consilio, etiam de culpa Pseudo-Isidori viri docti discrepant cum alii[11] eum pium poetam censent, alii[12] fraudatorem eum fuisse.

Ac falsarium eum fuisse ne ego quidem eam infitias: nam qui variis ex fontibus diversis saeculis editis, scriptis a patribus ecclesiae, compositis a legislatoribus, datis a Romanis pontificibus eos detruncando sensum eorum adulterando epistolas quas a prioribus pontificibus Romanis nominibus eorum antepositis editas esse

[1] Cf. Cap. gen. a. 769 c. 14. Cap. Aquisgr. a. 801 c. 9. (Ben. I. 383. II. 201. 202. 208. III. 136.) — [2] Cf. Par. a. 829 lib. c. 48. (Ben. I. 2. 159. add. II. 9.) Canones conciliorum illius temporis, qui eadem ac Fel. I. pp. c. 16 et Telesf. c. 2 de missis supra reliquiis martyris et nocte nativitatis domini celebrandis statuunt, invenire non licuit. — [3] Cf. quoque Ben. I. 67. III. 190. add. II. 18. — [4] Ben. I. 81. 151. II. 106. 186. 187. III. 135. 280. 430. — [5] Cf. quoque Wenck l. c. p. 134 sqq. Dümmler l. c. p. 279 sqq. De iis quae Pseudo-Isidorus de matrimoniis benedicendis iam supra (§. 17) et quae de chrismate profert §. 21 p. CXCVIII. egi. — [6] Par. cit. lib. I. c. 37, lib. III. c. 18, lib. I. 39—44. 46, Aquisgr. cit. C. I. c. 11, C. II. c. 1. 2. 3, C. III. c. 19, Meldens. c. 9. 40. 41. 58. 57—59. 70. — [7] Par. cit. lib. I. c. 22. 25, lib. III. c. 22. 23, Aquisgr. cit. C. III. c. 9. 10. — [8] Par. cit. lib. I. c. 11, Aquisgr. cit. C. I. c. 1, Meld. c. 8. 43. — [9] Cap. Wormat. a. 829 c. 5. 7. 8, Meld. c. 62. — [10] Sententiam, quam statuit Alexander a Daniels (Handbuch der deutschen Reichs- und Staatenrechtsgeschichte. T. I. p. 305 not. 3 dicens), ad imaginem formularum Marculfi similiumque decretales Pseudo-Isidori conceptas fuisse („Marculf sagt, seine Formeln seien ad exercenda initia puerorum abgefasst. Zu solchen Schulübungen gehörte insbesondere die Abfassung fingirter Urkunden und Briefe im Namen historisch bekannter Personen mit Benutzung von Nachrichten über die Zeitgeschichte. *Musterbriefe* dieser Art haben Unkundige früh schon für ächt gehalten und als ächt benutzt. Hieraus dürfte sich die *Pseudo-Isidorische Dekretalensammlung* unverfänglicher erklären, als aus absichtlicher Fälschung, für welche es bei dem bereits anerkannten Ansehen des päpstlichen Stuhles an zureichender Veranlassung fehlt“) refellere opus non est. — [11] Velut Moehler l. c. p. 304 sqq. — [12] Velut Knust, de fontibus etc. p. 86 sqq., Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage etc. apud v. Sybel l. c. p. 48, Gengler, deutsche Rechtsgeschichte p. 421 sqq.

finxit et compilavit, iure is impostor dicitur. Neque poeta neque historicus [1] fuit, cum etiam saeculo nono ex operibus et poetarum et rerum gestarum scriptorum appareat, quid scriptis suis voluerint, neque opera sua ita ediderint, ut genus librorum aliud videretur esse, atque erat. Falsum est, figmenta non ut figmenta aut coniecturas in lucem edere sed ut res vere gestas lectoribus proponere. Quae cum Pseudo-Isidorus fecerit, nomen impostoris evitare non potest [2]. Neque huic sententiae obstat, quod Pseudo-Isidorus conditioni deturbatae ecclesiae prospicere voluit, neque quod fortasse ad collectionem suam decretis paparum vetustissimorum amplificandam collectionibus prioribus quae constituta illorum in libro pontificali tradita suis locis velut collectio codicis Mutinensis Ord. I. no. 12 [3] inserunt commotus integras eorumdem paparum decretales quae deperditae esse viderentur confinxit. Nam his rebus quidem culpa eius diminuitur, neque tamen tollitur. Fatendum quoque est, illis temporibus multa instrumenta, chronica ceterasque similes res conficta esse, eaque quae hominibus illius aetatis vera iustaque esse viderentur, etiam ab illis quasi iam inde a prioribus temporibus observata et aeterna esse praecepta reputata fuisse [4]; itaque mirum videri non potest, tale opus quale decretales Pseudo-Isidorianae erant compositum esse, at ne hac re quidem Pseudo-Isidorus opprobrio fraudis liberatur, cum etiam homines illius aetatis non falsum idem ac verum esse reputarent [5].

PARS VII.

§. 25. De auctore collectionis.

Etiam magis, quam de consilio, de persona auctoris disceptatur. Ipse in praefatione se appellat Isidorum addens cognomen: *mercatoris* aut *mercati* aut *peccatoris*. Cum in Gallia illa aetate qua decretales perfectas esse supra (in parte IV.) probavi, nullus episcopus illius nominis occurrat, apparet auctorem nomen Isidori ad lectorum animos decipiendos praefationi praeposuisse [6] eoque eos com-

[1] Rosshirt l. c. p. 44 sqq. 58 sqq. — [2] Optime hac de re Gengler l. c. p. 423 ait: „Der Historiker schreibt subjectiv, er kann sich wohl selbst im schwankenden Boden der Mythe den festen Steig positiver Wahrheit ergründen. Ganz anders ist jedoch offenbar die Stellung des Gesetz- und Dogmen-Sammlers. Sein Stoff ist ein festgeschlossener Kreis als ächt erprobter Sätze und nur, inner diesem Kreise das System zu schaffen, Aufgabe seiner hinzutretenden Thätigkeit. Zu Pseudo-Isidor's Zeiten existirten aber solche von der Kirche anerkannte Rechts- und Dogmenkreise in der Dionyso-Hadriana und in der ächten Hispana. Eine Erweiterung dieser Collectionen war möglich, insofern seit ihrem Erscheinen neue päpstliche Briefe und Schlüsse der Concilien zu Stande gekommen waren, deren Nachtrag sogar ein Bedürfniss sein mochte. Aber in dieses Bereich authentischer Principien Satzungen aufnehmen, deren Ursprung im urzeitlichen Halbdunkel zerfliesst, wofür nur in ausländischen Geschichtsbüchern unbestimmte, jedenfalls unbeglaubigte Zeugnisse vorlagen — heisst eben so gut fälschen, als wenn Jemand derartige Satzungen selbst erdichten würde. Es mag der Grad des Truges ein verschiedener sein, der Begriff ist dort wie hier vorhanden. Das Figment besteht eben in der eigenmächtigen Uebertragung der dem autorisirten Theile inwohnenden Glaubwürdigkeit auf die eingeschobenen alles Aechtheitsbeweises entbehrenden Stücke." — [3] Edita a Francisco Zaccaria (apud Gallandi l. c. T. 2 p. 682). — [4] Cf. Weizsäcker Hincmar und Pseudo-Isidor (apud Niedner l. c.): „Die grossen Gegensätze, welche die Zeit bewegten, die allgemeinen Verhältnisse, auf die sie zusteuerte, galten als etwas von ewiger Wahrheit Durchdrungenes. Darum mussten sie immer gewesen sein und als solche sich ankündigen. Die Form konnte unpassend, geschmacklos, falsch, reine Lüge sein, sie schien doch nothwendig und objectiv und auch in ihrem Auftreten fast erlaubt, weil ihr Inhalt der nothwendige und absolute war.... Die Grundsätze Pseudo-Isidor's sind die richtigen und nothwendigen, also war man auch berechtigt sie als die ältesten darzustellen." — [5] Ita quoque Weizsäcker, die pseudo-isidorische Frage l. c. p. 51: „Was von absoluter Bedeutung, von ewiger Wahrheit oder mindestens dringender Nothwendigkeit und Zweckmässigkeit schien, das musste wohl auch als immer dagewesen sich darstellen lassen, mochte die Form dieses Inhalts auch unpassend, geschmacklos verfälscht, in hohem Grade lügenhaft sein. Am Bewusstsein der sittlichen Verfehlung bei solchem Verfahren mangelt es ja auch in jener Zeit keineswegs." — [6] Isidorum episcopum Setubensem auctoritate chronicorum subditiciorum et Liudprando et Iuliano Toletano adscriptorum nemo est qui dicat auctorem collectionis fuisse: qua de re cf. Blasco l. c. p. 34. 35, Florez, España sagrada. T. VIII. (Madrid 1769) p. 50 sqq., Van Espen I. E. U. P. IV. c. 1 §. 1, Theiner l. c. p. 19. 20, Phillips l. c. p. 66.

movere voluisse, ut crederent collectionem illam a celeberrimo episcopo illius nomine, Isidoro Hispalensi, compositam fuisse. Illi autem a falsario opus suum adtribui mirari non possumus, cum collectionem in quam figmenta sua inseruit, ex Hispana allatam fuisse sciret et praefatio eiusdem etiam in etymologiis Isidori Hispalensis (lib. VI. c. 16) inveniatur [1].

De cognomine autem magna controversia inter viros doctos agitatur. Cum quid verbum *mercatoris* significaret nemo intelligeret, quidam id a librariis ex verbo *peccatoris* corruptum esse censuerunt [2]. Attamen fere omnes codices, qui praefationem exhibent, cognomen *mercatoris* [3] proferunt: *peccator* tantum legitur in cod. Navarre 7 saec. XII. exeunt. (cf. p. LI), Paris. 5141 saec. XIV. (cf. p. LII), S. Marci Venet. IV. 48 XCIV. 3 saec. XV. (cf. p. LI) classis A2, et in cod. Bononiensi (cf. p. LVIII) manu posteriore additur [4]. Itaque videtur cognomen *peccatoris* 116 classis B ab amanuensibus positum fuisse, qui nescirent, quid sibi vellet nomen mercatoris.

Contra 4 codices classis A2, et quidem cod. Paris. 4280 AA, Lucensis, Pistoriensis, Vaticanus 629 initium praefationis ita exhibent: „Isidorus *mercatus* servus Christi" cet. Quae verba ita explicari possunt, ut Pseudo-Isidorus verbo „mercari" pro verbo „redimere" usus fuerit hac sententia: „Isidorus redemptus servus Christi." Sed quominus in hanc sententiam transeamus obstat, quod etiam codices quidam A2 velut Bambergensis et Valicellanus „mercator" legunt idemque omnes codices A1 proferunt, ex quibus codices A2 derivatos esse (§. 5) probavi. Iam cum verbum „redempti" aptius quam „mercati" sit, *mercatus* ab amanuensibus pro „mercator" scriptum esse mihi videtur [5].

Retinendam igitur censeo scripturam: *mercator*, quamquam ne ego quidem, quid verbum significet, excogitare possum.

Neque ex nomine neque ex cognomine in initio praefationis prolatis quidquam de persona auctoris collectionis opinari licet. Itaque factum est, ut diversae hac de re sententiae a viris doctis in medium prolatae sint. Quarum tamen nulli accedi potest. Certae rationes quae probabiles essent, nemo pro sua opinione adtulit, neque ex fontibus illius temporis nobis traditis quaedam erui possunt, quibus appareat, quae persona sub nomine Isidori Mercatoris lateat. — Quae cum ita sint, melius esse mihi videtur a coniecturis capiendis abstinere et aperte confiteri secundum monumenta, quae adhuc publici iuris facta sint, de persona auctoris nihil certi statui posse.

[1] Cf. Eichhorn l. c. p. 207, Knust, de fontibus etc. p. 13, Wasserschleben, Beiträge p. 69. 54, Schulte l. c. T. I. p. 291. — [2] Blasco l. c. p. 35, Theiner l. c. p. 16, Eichhorn l. c. p. 207, Knust l. c. p. 13 not. 1. — [3] *Mercator* exhibetur in XV codd. classis A1: Mutin. Ord. I. no. 4 saec. IX., Paris. 3839 A saec. IX., Paris. Sangerm. 366 saec. IX. exeunt., Andeg. 354 saec. XI., Vindocin. 91 saec. XI., Paris. 3852 saec. XI., Vatic. reg. 1054 saec. XI., Abrincens. 109 saec. XII., Londin. Mus. Brit. Cotton. Claud. E. V. saec. XII ex., Cantabrig. Dd. I. 10. 11 saec. XIII. ineunt., Par. Notre Dame 105 saec. XIII., S. Marci Veneti IV. 47 XCIV. 3 saec. XV., Casanat. D. III. 16 saec. XV., Paris. 3855 saec. XV., Lond. Mus. Brit. King's library 11 D. IV. saec. XV.; in III codd. class. A2 Bamberg. C. 47 (P. I. 8) saec. X—XI., Epored. 83 saec. X. ex. aut saec. XI., Valicell. D. 38 saec. XI.; in codd. class. A/B: Vatic. 630 saec. XI/XII. et Audomar. 189 saec. XII.; in omnibus V codd. class. B.; in IV codd. class. C: Montep. H. 3 saec. XII. ex. aut XIII. ineunt., Vatic. 1340 saec. XIV., Montep. H. 13 saec. XIV., S. Marci Venet. Zanetti 168 (XCIV. 3) saec. XV. Quibus codicibus adnumerandus est cod. Par. Sorbonne 729 saec. XV., in quo librarius erronee *Marcator* pro *Mercator* scripsit. Itaque 30 codices et quidem optimi et vetustissimi *Mercator* habent. — [4] Qui sint codices meliores, de quibus Blasco divit: „et licet vulgo legatur *mercator*, id amanuensium errori tribuendum est, cum potius scribere debuissent: peccatorem, ut habetur in plerisque codicibus melioris notae," equidem nescio. — [5] Unus tantum cod. et quidem Paris. (Corps législ. B. 19 saec. XIII.) classis C omittit cognomen, ponens: Isidorus servus Christi etc. Deest praefatio in 30 codicibus: cod. Par. int. suppl. lat. 840 saec. X., Par. 4280 A saec. X., Carnot. 67 (bis) saec. X., Carnot. 140 saec. XI, Rotomag. 15/9 E. saec. XI., Vatic. Ottobon. 93 saec. XI. exeunt. aut XII. ineunt., Vat. 3791 saec. XII., Vindobon. 2133 saec. XII. exeunt., Vatic. 1344 saec. XIII. ineunt., Florent. Laur. Pl. XVI. cod. 18 saec. XV. (class. A1), Sangallensi 670 saec. X., Darmst. 114 saec. XI., Vatic. 3788 saec. XII., Paris. 3854 saec. XII., Vatic. 4873 saec. XVI., Matrit. Ff. 8 saec. XVI. aut XVII. (class. A2), Lipsiens. no. CCXLI. saec. XI., Lips. no. CCXL. saec. XII., Montec. no. I. saec. XI. (class. A/B), in XI codd. in §. 9 enumeratis.

Superest igitur tantum, ut de sententiis eorum, qui certum auctorem collectionis Pseudo-Isidorianae designaverunt, disseram.

Sunt quidam, velut Blondellus l. c. p. 33 sqq., Planck (Geschichte der Entstehung und Ausbildung der christlich-kirchl. Gesellschaftsverfassung T. I. p. 812), Knust (l. c. p. 13 sqq. et Leg. 2, app. p. 35), Walter (Kirchenrecht §. 95) qui asserunt, auctorem fuisse Benedictum Levitam [1]. Attamen rationes illius sententiae, quas Walter enumerat, probare non possum. Dicit enim, Benedictum de iisdem rebus ac Pseudo-Isidorum latius fusiusque agere neque alterum opus fontem alterius esse, sed utrumque eodem tempore ab eodem auctore compilatum fuisse. Quae omnia iis quae supra (§§. 17. 24) adtuli refelluntur, cum tamquam fonte Benedicti capitularium collectione Pseudo-Isidorus usus sit et ea quae Benedictus de quibusdam rebus statuit et finxit, amplificata protulerit. Itaque neque verba praefationis Benedicti in quibus de libello tertio, quem omnium maxime cum decretalibus convenire Walter dicit, agit [2] neque versus 38—50 praefationis metricae [3] quidquam pro Benedicto auctore collectionis Pseudo-Isidorianae faciunt, nam ex eo quod quaedam similia in duobus operibus leguntur colligi non potest auctorem eundem esse [4]. Immo pro certo habendum est, Benedictum Levitam collectionem Pseudo-Isidorianam non confecisse. Pseudo-Isidorus capitularibus falsis ut fonte usus est, at si idem auctor ambas compilationes et decretalium et capitularium fecisset, explicari non posset, quid sit quod Benedictus aliis modis et aliis nominibus appositis quam Pseudo-Isidorus suis figmentis auctoritatem addiderit, cur — ut unum exemplum proferam — Benedictus Leoni III. statutum de prohibitione chorepiscoporum adfinxerit, si eodem tempore aut conscripsit aut in animo ei fuit compilare decretales Pseudo-Damasi, Pseudo-Leonis, Pseudo-Ioannis; cur numquam pontifices, sub quorum nominibus apud Pseudo-Isidorum decretales falsae proferuntur, allegaverit?

Deinde Wasserschleben (Beiträge p. 64 sqq. et apud Herzog l. c. p. 351), quem Goecke l. c. p. 57 secutus est, probasse sibi videtur decretales ab Otgario episcopo Moguntino conscriptas esse. Quae sententia non minus iis refutatur quae supra de nexu collectionum Benedictinae et Pseudo-Isidorianae et de aetate qua perfectae sunt adtuli. Nihil aliud certi nobis traditum est quam quod in versibus Benedicti praefationis legimus:

[1] De sententiis quas statuunt Blascus (l. c. p. 148), qui Ioannem Anglum aut Iohannam papissam, Petrus de Marca (de concord. sacerd. et imper. lib. III. c. 5 n. 3), qui Riculfum archiepiscopum Moguntinum, Camus (notices et extraits l. c. T. VII. p. 294), qui Angilramnum episcopum Mettensem auctorem esse volunt, amplius agi opus non est. Prima enim sententia ridicula est, aliae refutantur iis quae de aetate qua Pseudo-Isidorus collectionem suam perfecerit dixi. — [2] „Tertio si quidem in libello post eiusdem libelli capitulorum numerum quaedam ex canonibus a Paulino episcopo et Albino magistro reliquisque iussione Karoli invictissimi principis magistris sparsim collecta sunt inserta capitula."

[3] „Nos quibus illa, tenent terni quae iura libelli,
Obtulimus scripta, semper habenda sibi.
Quorum norma docet iugiter nos vivere recte
Et studiis domino rite placere piis.
Haec resecant pravos aequo moderamine mores,
Vivendi normam contribuendo piis.
Namque patrant multi funestas sepe rapinas,
Nonnulli violant templa dicata deo.
Sunt alii scelerum fedati labe suorum,
Fistula quos omnes commemorare nequit.
Sed cohibet tales legum censura sacrarum,
Decretisque vetat ista patrare piis."

[4] Neque maiore iure a Ferdinando Walter c. ult. libri III. allegari potest: „Maxime trium ultimorum capitula istorum librorum apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his condendis maxime apostolica interfuit legatio. Nam eorum nomina praeter trium, i. e. Leonis, Sergii, Georgii, hic non inseruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenissemus, vitantes legentium atque scribentium fastidia."

„Autcario demum quem tunc Mogontia summum
Pontificem tenuit, praecipiente pio,
Post Benedictus ego ternos levita libellos
Adnexi, legis quis recitatur opus".

Benedictus igitur instigante Otgario opus suum ingressum esse et secundum aliam praefationem adhibuisse in illo compilando capitula „maxime in sanctae Mogontiacensis metropolis ecclesiae scrinio a Riculfo eiusdem sanctae sedis metropolitano recondita et demum ab Autgario secundo eius successore atque consanguineo inventa" dicit. Quibus omnibus etiamsi fidem adhibemus, tamen hac ex re non apparet, utrum Otgarius tantum collectionis perficiendae consilium Benedicto dederit, an etiam ei de rebus et imprimis de figmentis quibusdam in ipsam recipiendis quidquam praeceperit. Non immerito poterit dici, Otgarium, quippe qui partem Lotharianam secutus pro unitate regni Francorum conservanda, pro ecclesiae auctoritate augenda conditioni ecclesiasticae eiusdem regni reformandae operam dedisset, Benedicto quaedam figmenta quae potentiae ecclesiastici ordinis prospicerent praebuisse[1]. Amplius autem de eo suspicari non licet, cum Benedictus post eius mortem collectionem suam perfecerit atque verisimile sit, illam ab eo in Francia occidentali, non Moguntiae editam esse (cf. §. 17). Otgarium autem sub persona Pseudo-Isidori latere nullo modo probari potest. Wasserschleben sententiam suam eo confirmare sibi videtur, quod ad tuendam factionem Lotharianam et ad dignitatem primatis sedi Moguntinae vindicandam decretales confictae sunt. At cum post mortem Otgarii eas Pseudo-Isidorus ediderit neque consilium quod ei Wasserschleben supponit habuerit (cf. §. 24), Otgarius fraudis auctor habendus non est[2].

Aliam viam ingressus est Carolus a Noorden, qui eo commotus quod Remensis provincia pro patria decretalium habenda est et quod Pseudo-Isidorus saepius causam Ebonianam respexisse videtur, ipsum Ebonem usum adiutoribus Rothado episcopo Suessoniensi et Wulfado canonico postea archiepiscopo Bituricensi decretales fecisse affirmat[3]. Quae sententia levibus tantum argumentis sustinetur. — Si Ebo auctor decretalium fuisset, cur numquam ipse eas neque a. 835 neque postea, cum adhuc sperare potuisset, fore ut restitueretur pro se protulit? Et ipse suam opinionem refutavit Carolus a Noorden deinde exponens, post a. 843 decretales Eboni prodesse non potuisse[4]. Asserit quidem, eas annis 840—841 perfectas esse, attamen omnium argumentorum ratio ita comparata est, ut ex eo quod Ebo auctor decretalium dicitur, eas annis laudatis perfectas, et ex eo quod illo tempore editae sunt, auctorem Ebonem esse probetur. Cum autem aliis argumentis decretales post a. 847 divulgatas esse supra demonstraverim, neque illo tempore, ut recte Carolus a Noorden ait, pro Ebone nulla causa earum conficiendarum esset, Ebonem earum auctorem non fuisse persuasum habeo. Pro Rothado nihil aliud affertur quam quod Hincmaro inimicus et adversarius fuit ipseque decretales ad se contra eum tuendum allegavit et restitutionem Ebonis a. 840 factam validam fuisse adhuc in synodo apud Trecas a. 867 congregata affirmavit. Quibus additur, quod Rothadus fuit homo rerum novarum cupidus et quod ideo iam a. 849 Hincmarus Gothescalcum damnatum eius custodiae non tradidit[5]. Quam-

[1] Dümmler l. c. p. 296, Car. a Noorden l. c. p. 317. — [2] Cf. quoque Hefele, theologische Quartalschrift, Jahrgang 1847, p. 628 sqq. — [3] l. c. p. 318 sqq. 322. 323. — [4] l. c. p. 327. — [5] „Sollen wir unter den Bischöfen der Rheimser Provinz auf einen Mitarbeiter Pseudo-Isidor's schliessen, so denken wir natürlich zunächst an Rothad von Soissons, den bei der Wiedereinsetzung Ebo's besonders Bethätigten, den principiellen Widersacher Hinkmar's, den ersten fränkischen Bischof, der die falschen Dekretalen zu eigenem Vortheil anwendet. Schon im Jahre 849 ist er mit Erzbischof Hinkmar zerfallen. Dieser übergiebt ihm den von der Synode zu Chiersey verurtheilten Häretiker Gottschalk desshalb nicht in Gewahrsam, weil ihm Rothad's Vorliebe für Neuerungen [Novitates in Hinkmar's Schreiben an Papst Nikolaus op. II. 262] bedenklich schien. Nach aller Kenntniss, die wir von Rothad besitzen, werden wir hier nicht sowol an eine Vorliebe des Soissoner Bischofs für dogmatische Spitzfindigkeiten

quam ego cum Ernesto Dümmler Nicolaum papam a Rothado decretales accepisse puto (cf. p. CCVII), apparet, his omnibus rebus tantum probari, Rothadum decretales cognovisse, non in eis compilandis opem praebuisse [1].

Neque firmioribus argumentis nititur sententia Caroli a Noorden dicentis, Wulfadum ab Ebone socium adhibitum fuisse. Illum ab Ebone a. 840 restituto ordinatum ait, inter clericos fuisse qui primi anno a. 853 in synodo Suessionensi, cum de validitate ordinationum eorum ante Hincmarum ageretur, decretales falsas allegassent. Ab illo modum defensionis quem clerici falsis documentis proferendis ingressi essent, institutum fuisse [2]. Hominem literatum, eruditum, ambitiosum, callidum fallaciarum componendarum Wulfadum fuisse, ex eo apparere, quod praeceptor filiorum Caroli Calvi fuisset et potitus sedi episcopali Lingonensi post multos annos indefessus maximis laboribus perficeret, ut archiepiscopatus Bituricensis ei conferretur et ad hanc rem assequendam ad decretales Pseudo-Isidori recurrisset, ut restitutio Ebonis valida et ipsius ab illo facta ordinatio rata haberetur. Denique Wulfadum socium fraudis Pseudo-Isidorianae fuisse ex eo apparere, quod Wulfadum, qui certe scire debuisset, utrum iuste an iniuste Ebo restitutus esset, tantum singulari causa ad ordinationem ab Ebone accipiendam commotum fuisse posset [3], et quod Pseudo-Isidorus quibusdam in locis vitam communem canonicorum, quo officio Wulfadus tempore synodi Suessionensis functus fuisset, commendasset [4].

At quamquam negare nolo, Wulfadum virum litteratum postea cum archiepiscopatum Bituricensem adsectaret ad decretales recurrisse, tamen alia quae Carolus a Noorden affert, approbare non possum. Unde coniici licet, singulari tantum causa (quia fortasse socius Ebonis in falsis decretalibus consarcinandis fuerat) commotum Wulfadum ordinationem ab illo accepisse? Quo iure deinde contendere possumus Wulfadum quasi ducem et primum inter clericos a. 853 depositos („geistiges Haupt jener Genossenschaft") fuisse, cum nobis nomina ceterorum clericorum tradita sint [5] et ex actibus synodi Suessionensis appareat, Wulfadum tunc temporis infirmum in monasterio quodam iacuisse [6]? Denique ridiculum mihi videtur ex eo, quod Pseudo-Isidorus duobus in locis (Clem. 82, Urban. 9) de communi vita agit, colligere eum fuisse canonicum: eodem iure contenderetur, fuisse episcopum et monachum ordinis Benedictini, cum saepius de episcopis agat et ex regula Benedictina multa capitula excerpserit. Etiam si gesta concilii Suessoniensis inspexeris, nulla ratio invenitur, qua certe probaretur, eosdem clericos aut quendam eorum decretales compilasse.

zu denken haben, wie an eine Neigung unbegründete Ansprüche und Gerechtsame geltend zu machen" (p. 322).

[1] Qualem opem Rothadum adhibuerit, non aperte ex verbis apparet: „als *wissenschaftlicher* Mitarbeiter kann Rothad, so sehr Papst Nikolaus uns den hohen Grad seiner geistigen Fähigkeiten betheuern möchte, kaum brauchbar gewesen sein. Aber wohl dürfte er auf die Richtung eingewirkt haben, welche Pseudo-Isidor eingeschlagen hatte, um am entschiedensten die Souveränität des bischöflichen Standes zu fördern." — [2] l. c. p. 323: „Er ist das geistige Haupt jener Genossenschaft, die auf der Soissoner Synode im Jahre 853 so trefflichen Bescheid in gefälschten Urkunden zu Gunsten Ebo's und zu eigenem Vortheil weiss, die sich, während Wulfad selbst das Bett hütet, zuerst im fränkischen Reich auf pseudoisidorische Verfügungen als kanonisch gültige vor der Synode bezieht." — [3] l. c. p. 324: „Mochten seine Genossen, deren Persönlichkeit in der ganzen Folge der Ereignisse völlig zurücktritt, in gutem Glauben die Ebo'sche Ordination empfangen haben, Wulfad's Scharfblick musste über Rechtmässigkeit oder Unrechtmässigkeit von Ebo's Restitution unterrichtet sein. Nur ein besonderes Verhältniss zu Ebo konnte ihn geneigt machen, die Weihe von seiner Hand zu empfangen." — [4] Ibid.: „Weiter erinnern wir uns, dass Wulfad mit dem Titel eines Kanonikus auf der Synode genannt wird, und wir betonen diesen Umstand, weil sich in den falschen Dekretalen einige Stellen finden, in welchen das gemeinschaftliche Leben der Kanoniker besonders gerühmt und der Bischof angewiesen wird, das Eigenthum des Kanonikats sorgfältig zu schützen." — [5] „Et recitavit idem Sigloardus servans locum archidiaconi Rhemensis haec nomina: Rodoldus, Gislaldus, Vulfadus, Fredebertus ex canonicis ipsius sanctae matris ecclesiae, Sigismundus ex monasterio sancti Theodorici; ex monachis autem de monasterio sancti Remigii Nortuinus, Heinradus, Mauringus, Anteus, Teutlandus, Haroaldus, Rodulphus et Vvicpertus." (Mansi 14, 983.) Cf. Flodoard. hist. Rem. III. 11. — [6] Mansi l. c.

Tradita nobis est epistola Gregorio IV. adscripta de Ebone restituendo[1] et eam sine dubio iidem clerici respexerunt in narratione sua: „Postea vero accipiens auxilium et legationem iam saepe fati Lotharii imperatoris ad limina beatorum perrexit apostolorum non satis habens in restitutione sua sine apostolica sedis auctoritate consensum tantorum episcoporum et aliorum bonorum hominum: ubi a piissimo ac spiritali *patre Gregorio*, domno videlicet apostolico, benignissime est receptus et apostolica auctoritate plenissime restitutus, sicuti penes nos habemus" (Bouquet 7, 279). Quam epistolam, quamquam quidam[2] eam genuinam esse putant, tamen falsam esse persuasum habeo[3]. Proferuntur enim in ea quaedam de exceptione spolii: „saepe comperimus, quod nec canonice vocatus sed violenter ab ecclesia raptus diversaque exilia passus, arcta quoque sub custodia trusus, nullo certo crimine convictus nec sponte confessus, quia absente ecclesia sua alterius sub potestate erat constrictus et sic a mundana potentia vobis adductus est discutiendus vel deponendus", quae quod volumus satis ostendunt.

In posterioribus documentis eiusdem aetatis litterarum Gregorii IV. de restitutione Ebonis prolatarum mentio fit. In epistola enim synodica concilii Tricassini ad Nicolaum a. 867 (Mansi 15, 794) hac de re habetur: „Hludovici largitione regis Germaniae .... episcopium Hildenesheim vacans obtinuit, ubi etiam auctoritate cuiusdam privilegii nobis ostensi a *b. Gregorio papa sibi collati, connivente supra memorata restitutione* ministerium pontificale fine tenus exercuit. Huius quippe exemplar vobis in alia schedula mittimus, quo continetur, in transmigratione alterius parochiae ut episcopali et praedicationis licenter fungeretur officio". Et Carolus Calvus in epistola sua ad eundem Nicolaum a. 867 (Mansi 15, 799) hac de re dicit: „domnus imperator .... litteras praedecessori vestro domno Gregorio venerando papae dirigit eius assensum, si fieri posset, in depositione ipsius Ebonis expostulans. Ipse vero per praefatum abbatem suae auctoritatis literas ei remisit, sed quid in eis insertum fuerit, omnibus episcopis et cunctis regni nostri ordinibus habetur incognitum. Sed sanctitatis vestrae sollertia per scrinia dignitatis vestrae investigare poterit, quid isdem praedecessor vester senserit inde. Credimus tamen quia, si in abiectionem praedicti Ebonis domnus imperator ipsum praedecessorem vestrum fautorem habuisset, continuo vacanti ecclesiae illi alium pontificem subrogasset".

Quibus ex rebus apparet, duas epistolas Gregorii IV. in causa Ebonis circumlatas fuisse, alteram ad Ludovicum Pium, alteram quae est de translatione Ebonis ad Ludovicum aut ipsum Ebonem. In altera depositionem Ebonis a. 835 factam comprobatam non fuisse, pro certo habendum est. Ex altera, si genuina esset, quod non est[4], id tantum colligitur, a Gregorio transmigrationem Eboni concessam fuisse neque eum quicquam de restitutione Ebonis a. 840 facta statuere voluisse („connivente supra restitutione memorata"); Gregorium autem hac in re caute egisse neque certam sententiam pronunciasse verisimile est, cum, quamvis Lothario et Eboni faveret, tamen eventus rerum a. 833 in Francia gestarum ratione habita Carolo Calvo et episcopis regni occidentalis aperte obsistere non auderet.

Deinde secundum epistolam Gregorii Ebo illo adhuc vivo Romam adiit[5]; sed ex aliis documentis iam Sergio pontifice Romano facto Romam illum petiisse apparet. A Sergio autem non restitutus, sed ne dignus quidem „communionem inter clerum esse suscipere"[6] declaratus est. Etiam Nicolaus in epistola ad episcopos synodi Suessionensis (Mansi 15, 744) refert: „Porro si quispiam sedem apostolicam per Sergium sanctae memoriae papam Ebonem quondam archiepiscopum indignum

[1] Mansi 14, 518. — [2] Velut Wenck l. c. p. 109; Rückert, de Ebonis archiepiscopi Remensis vita (Berolini 1844) p. 30, fragmenta cuiusdam genuinae epistolae in illa inveniri putat. — [3] Quae eadem sentit Dümmler l. c. p. 242. — [4] Cf. Dümmler l. c. p. 247 not. 58. — [5] Epistola Gregorii cit.: „multis laboribus fessus ad sedem apostolicam tendens promissa fideliter implevit. ... Quapropter et nos haec omnia diligenter considerata, ipsam confessionem quam secrete vobiscum egit, nobiscum et per omnia contulit." — [6] Cf. Mansi 14, 803.

clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebonem, donec synodali eius examine causa discuteretur, habere qualem ab aliis habitum non ignorabat.... Praecipue cum praedictus Ebo non quasi pro depositione queritans et legitime restitui volens examine sedem apostolicam appellaverit, sed ut codex episcopalis iudicat, a contumacibus suasus et his iunctus, repente et reconciliari ab ea et pallio decorari quaerens et quasi episcopus inter episcopos nulla causae discussione praeveniente communicari poscens ad eamdem summam sedem accesserit". Certe Sergius id de Ebone non statuisset, si ille a Gregorio iam restitutus fuisset, cum opus fuisset, ut restitutio a Gregorio facta invalida iudicaretur: certe Nicolaus, si illam epistolam genuinam putasset, ad eam in retractanda causa Ebonis respexisset, id quod numquam fecit.

Cum etiam inscriptio epistolae: „sanctissimis fratribus coepiscopis cunctis quoque principibus orthodoxis et universis catholicae ecclesiae fidelibus" suspectae fidei sit, non dubito, quin epistolam falsam esse dicam. Quam compilatam a clericis Remensibus esse verisimile videtur, nam ii primi eam allegant et eorum maxime intererat probare, restitutionem Ebonis iustam fuisse. Quamquam enim primi quoque decretales proferunt, hac ex causa colligi non potest, etiam illas ab eis confictas esse. Immo cum epistola Gregorii Pseudo-Isidorum redoleat, maiore iure dici potest, illam epistolam ratione habita decretalium ab iisdem fabricatam fuisse, praesertim cum etiam in eodem concilio convicti sint litteras subditicias plurimorum episcoporum Remensis provinciae de restitutione Ebonis protulisse[1]. Quod utrumque scriptum, si genuinum a iudicibus synodi habitum fuisset, iam suffecisset ad demonstrandum, iniustam clericorum fuisse suspensionem ab Hincmaro factam; itaque his omnibus rebus consideratis opus non est dicamus, etiam decretales ab illis aut a Wulfado compilatas fuisse.

Id solum Carolus a Noorden recte contendit, verisimile esse, etiam decretales, ubi primum prodierint, confictas esse. Quis autem earum auctor fuerit, de hac re nihil certi asserere licet. Inter illos enim episcopos aut clericos qui conventui Meldensi et Parisiensi (845/846) interfuerant, secundum ea quae de consilio Pseudo-Isidori dixi, fuisse auctorem decretalium opinari quidem licet, sed nulla vestigia sunt, quibus ducti quemdam eorum auctorem designemus. De Rothado iam supra egi. Hincmarum non fuisse auctorem ex eo apparet, quod non figmenta, secundum quae Ebonis depositio non iure facta videretur, in collectionem recepisset. Neque pro Venilone Senonensi archiepiscopo quidquam afferri potest. Inter ceteros, quorum nomina in praefatione conventus in villa Sparnaco habiti (Leg. 1, 388) et in subscriptionibus privilegii monasterio Corbeiensi in synodo Parisiensi dati (Mansi 14, 843) proferuntur, solum de Aldrico quaeri potest, cum de aliis nulla indicia existant. Aldricus enim secundum vitam eius nobis traditam fontibus iuris ecclesiastici colligendis operam dabat, de eiusdem restitutione epistola falsa similes res ut a Pseudo-Isidoro in suis figmentis statutas profert, adscripta eidem papae Gregorio IV., cui etiam litterae apocryphae de Ebonis restitutione adfictae sunt. Quamquam verisimile est, duas illas epistolas et inter se et cum decretalibus cohaerere, tamen cum alia indicia desint, quomodo cohaereant, non licet definire et secundum quae supra (§. 21) de epistola quae causam Aldrici spectat adtuli, illam post mortem Aldrici, id est nonnullis annis post decretales editas compilatam fuisse statuendum est. Quare cum collectio canonum ab Aldrico facta collectio Pseudo-Isidoriana non esse possit[2], ne Aldricum quidem auctorem fuisse opinari licet.

[1] „Et ostenderunt literas quasi ex nomine Theodorici episcopi, Rothadi episcopi, Lupi episcopi, Immonis episcopi, Simeonis episcopi, Fulcoini episcopi, Ragnarii episcopi, Hildemanni episcopi, Erquini episcopi manibus confirmatas quae manifeste falsissimae sunt comprobatae." — [2] Vita Aldrici c. 17 (Baluze, Miscell. T. III. p. 44): „Praedictus quoque Aldricus saepedictae urbis episcopus collegit quaedam capitula canonum valde utilia et necessaria quae a suis consacerdotibus saepissime legenda sive memoriae commendanda tribuit. Ex quibus enim canonibus atque edictis patrum praefata capitula strictim colligere curavit, in suo prooemio continetur insertum. Primo vero collegit capitula nonnulla ex duodecim conciliis sive ex decretis

Neque illud praetereundum est, quod quamquam clericum Pseudo-Isidorum fuisse dubium non est, tamen nihil nos cogit ut statuamus, eum fuisse episcopum, cum etiam alio officio in ecclesia functus esse possit.

Quae cum ita sint, melius mihi videtur, nullam certam personam fraudis Pseudo-Isidorianae accusare, quam de auctore leves coniecturas in medium proferre.

Quibus omnibus quaestionibus absolutis superesset ut diceremus, quomodo collectio diffusa sit et quae figmenta in vigentem ecclesiae disciplinam transierint. Qua de re quamquam diversae sententiae a viris doctis prolatae sunt, tamen hoc loco quaerere mihi propositum non est. Nam in commentatione editioni decretalium praemissa de codicibus, fontibus, tempore, patria, auctore collectionis egisse satis mihi videor, neque haec quaestio absolvi potest, nisi simul historia iuris ecclesiastici et vigentis ecclesiae disciplinae a medio saeculo nono ex omnibus monumentis nobis traditis conscribatur, quam hoc loco inserere longum est.

DE MODO ET RATIONE HUIUS EDITIONIS.

Quae in parte prima de codicibus Pseudo-Isidorianis exposui si consideraveris, dubium esse non potest, quin decretales ex codicibus classis A edendae fuerint; et quidem secundum ea quae in §. 4 attuli, textus desumendus erat ex codicibus A1. Quamquam codex Mutinensis (cf. p. XIX) antiquissimus est, secundum illum totum textum typis exprimere nolui, cum non satis accurate exaratus sit et, ut ex comparatis variis lectionibus eius et ceterorum codicum in editione mea exhibitis apparet, plura quae in ceteris leguntur omittat et lectiones quae a ceteris abhorrent proferat: ex quibus omnibus colligi potest, quaedam, quae ipsi Pseudo-Isidoro aliena sunt, in hunc codicem illata esse.

Aptius igitur mihi visum est, textum secundum codicem Parisiensem inter supplementa Latina 840 saec. X. (p. XX) proferre, qui maiore diligentia scriptus est et cuius textum fere in omnibus cum locis in operibus utriusque Hincmari allegatis conspirare intellexi. Sed tamen cum priora eius folia desint et superiores partes eorum foliorum quae nunc prima sunt, humore consumtae sint, in praefatione, ordine de concilio celebrando, epistolis Clementis, Anacleti, Evaristi ad codicem Mutinensem recucurri et textum earum rerum secundum illum exprimendum curavi. Id saltem enim propter antiquitatem suam meritus esse videtur codex, praesertim cum si eo non usus essem, codicis saec. XI. ratio habenda fuisset. Mutinensem signavi in editione *Mut.*, Parisiensem citatum *Par. suppl. lat.* 840 aut *Par.* 840.

In praefatione edenda e re duxi praeterea alios duos codices A1, Parisiensem Sangerman. (signatum: *Sgrm.*) et Parisiensem 3839 A saec. IX. (cf. p. XXXII) adhibere, ut lector videat, qualis praefatio, ad quam in controversiis de collectione Pseudo-Isidoriana dirimendis saepius recurrendum est, in antiquissimis codicibus exhibeatur. Textum ordinis de concilio celebrando desumsi e codice Paris. 3839 A cit., quia et in Mutinensi et in Parisiensi int. suppl. lat. 840 deest. Breviarium canonum apostolorum (p. 25 editionis), quod Pseudo-Isidoro vindicavi (cf. p. LXXIX),

Romanae sedis episcoporum, quorum praefationem in prima fronte praedicti operis valde utilem posuit. Demum quoque quae sequuntur ex aliis collegit canonibus atque dictis patrum diversarum provinciarum atque nonnulla ex his quae cum aliis sanctissimis et doctissimis episcopis in synodis pariter sanxit, sive ex capitulis christianissimorum imperatorum in synodis episcoporum decretis tam tempore Pipini quam et Karoli sive Hludovici sicut in praefationibus ipsius libelli a diligenter investigantibus inveniri potest."

edidi ex codice Parisiensi 3852 saec. XI. (cf. p. XXI) adhibito codice Andegavensi 354 (cf. p. XX), quia in nullo antiquiore codice nobis traditum est.

Eundem codicem Parisiensem in epistolis Clementis, Anacleti, Evaristi adhibui, ut lectori etiam variae lectiones alius codicis classis A1 quam solius Mutin. praesto essent. Item eodem codice in decretalibus posterioribus inde ab epistola Damasi de chorepiscopis, quae in nullis aliis codicibus a me adhibitis leguntur, ad textum corrigendum usus sum.

Cum etiam origo codicum classis A2 (cf. §. 4) usque ad saeculum nonum referri possit, etiam ex illis varias lectiones adnotare e re esse duxi. Usus autem sum ex iis Sangallensi 670 saec. X. (sign. *Sg.*), Bambergensi C. 47 (P. I. 8) saec. X/XI. (sign. *Bb.*), Darmstadtensi 114 saec. XI. (sign. *Dst.*). Hi enim codices aetate Pistoriensem et Lucensem (cf. §. 4) superant et Parisiensis 4280 AA saec. X. negligenter scriptus est. Praemisi editioni titulos capitulorum decretalium ex Bambergensi (p. 1), ad quem corrigendum Parisiensem modo citatum adhibui. Eosdem titulos textui decretalium in margine apposui, ut appareret, quo modo capita in codicibus classis A2 divisa sint: sed ne quem fugeret, titulos non in codicibus, secundum quos textum exprimere curavi, exhiberi, eos uncinis inclusi. In iisdem titulis proferendis opus erat recurrerem ad Parisiensem 4280 AA; Sangallensis enim nullos titulos exhibet, Bambergensis non omnes et quidem saepius rubricas quae in tabula titulorum in eodem praemissa non extant, Darmstadtensis plurimos proferens tamen quosdam omisit.

Itaque 1) in edenda tabula titulorum (p. 1) usus sum Bambergensi adhibito Paris. 4280 AA; 2) in praefatione (p. 17) epistola Aurelii, rescripto Damasi (p. 20. 21) Mutinensi adhibito Sangerman. 366, Paris. 3839 A, Bambergensi[1]; 3) in ordine de celebrando concilio (p. 22) Parisiensi 3839 A adhibitis Sangerm., Bambergensi; 4) in breviario (p. 25) Parisiensi 3852 et Andegavensi; 5) in epistolis Clementis, Anacleti et Evaristi (p. 30 sqq.) Mutinensi, adhibitis Parisiensi 3852, Bambergensi et a prima ep. Clementis Darmstadtensi, a secunda quoque Sangallensi, 6) in epistolis Alexandri usque ad exemplar constituti domni Constantini (p. 94 — p. 254) Parisiensi inter supplem. latin. 840 adhibitis Mutinensi, Sangallensi, Bambergensi, Darmstadtensi. 7) In praefatione concilii Nicaeni et in tractatu: quo tempore etc. (p. 254) edendis usus sum codice Sangerman. et adhibui codicem Paris. suppl. lat. 840, quia ille hoc antiquior et praestantior est. 8) In decretalibus a Silvestro usque ad Damasum usus sum codice Parisiensi int. suppl. latina 840. adhibitis Sangallensi, Bambergensi, Darmstadtensi. 9) In decretalibus a Damasi epistola de chorepiscopis ceterisque falsis quae et eam excipiunt et quae inter epistolas genuinas insertae sunt, codice Parisiensi cit. adhibito Paris. 3852.

Quamquam ita saepius codices variavi, tamen cum antiquiores mutili essent neque totam collectionem continerent id aliter fieri non poterat.

In textu edendo orthographiam illius codicis quem exprimendum curavi secutus sum. Varias lectiones codicum adhibitorum adnotavi, iis tantum exceptis, quae ad aliam verborum scripturam aut ad ordinem verborum paullulum tantum mutatum referendae erant: ceteras indicari opus esse censui, quo facilius ex fontibus cum figmentis Pseudo-Isidorianis comparatis intelligeretur, quibusnam fontibus et quo modo eis Pseudo-Isidorus usus sit.

In textu corrigendo codicum caute agendum esse existimavi. Neque enim aut purus sermo latinus ac emendatus aut genus dicendi Pseudo-Isidoro proprium hac in re respici poterat, cum nono saeculo satis incompte auctores scripsisse inter omnes constet neque genus dicendi singulare Pseudo-Isidori, qui fontium ab ipso adhibitorum orationem secutus est, cognosci possit. Neque ad ipsos fontes hac in

[1] Praefatio, ordo de celebrando concilio, breviarium, epistola prima Clementis desunt in Sangallensi (cf. §. 4).

re recurrere licuit, quum diiudicari non possit, num, ubi textus Pseudo-Isidori ab eis abhorret, consulto verba ab eo sint mutata. Itaque tantum varias lectiones ex codicibus adhibitis in textum inserui, ubi error ab amanuensibus factus esse videbatur aut ubi latinitas ita corrupta erat, ut difficillime locus intelligi possit[1].

Concilia et genuinas decretales in collectionem receptas cur non secundum codices ediderim iam in praefatione dixi.

Ex editione Merlini has res non repetii, quia textus eius mendosissimus est. Melius igitur visum est eas ex collectionibus ex quibus Pseudo-Isidorus ipsas hauserit, excipere et suis locis editiones, quibus hac in re usus sum, indicare.

In conciliis edendis id tantum quaeri poterat, num textum eorum ex collectionibus conciliorum Labbei, Harduini, Mansii, in quibus textus plurimorum conciliorum secundum „versionem Isidori Mercatoris" exhibetur, desumerem. Attamen non feci, quia non omnia concilia secundum hanc versionem apud eos exhibentur, neque satis dilucide apparet, quibusnam codicibus ipsi usi sint (cf. p. LXXII). Quare textum exprimere malui secundum editionem collectionis Hispanae Matriti 1808 vulgatam. Textum eiusdem et editionem Merlini antequam iter aggressus sum, contuli, ut facilius inquirere possem, num Pseudo-Isidorus etiam concilia falsasset. Postea locos quorum sensum in editione Merlini ab editione Hispanae discrepare intellexi in omnibus codicibus concilia exhibentibus contuli et hac in re animadverti textum antiquiorum codicum Pseudo-Isidori magis cum textu editionis Matrit. quam cum textu editionis Merlini convenire. Itaque illa usus sum et adnotavi in locis ubi editio Merlini alium sensum atque Hispana exhibet, quomodo codices Pseudo-Isidoriani hunc locum proferant. Qua in re imprimis codices Andegavensem 354 (*Andeg.* aut *And.*) saec. XI., Carnotensem 67bis saec. X. (*Carn.* 67bis), Carnotensem 140 saec. XI. (*Carn.* 140), Vaticanum reginae 1054 saec. XI. (*Vat. reg.*), Vaticanum Ottobonianum 93 saec. XI. exeunt. aut saec. XII. ineunt. (*Ottob.*)[2] adhibui. Inscriptiones conciliorum, ut exterior forma huius partis collectionis Pseudo-Isidorianae repraesentaretur, ex codice Andegavensi, non ex editione Hispanae desumsi.

In decretalibus genuinis inserendis usus sum collectionis Hispanae editione (Matriti 1821), editione collectionis Quesnellianae a Balleriniis facta et ceteris quas in ipsa editione indicavi. Inscriptiones singularum decretalium repetii ex codice Parisiensi inter suppl. lat. 840 adhibitis imprimis Carnotensi 67bis citato, Parisiensi 3852 citato, Rotomagensi 15/9. E. saec. XI. (*Rotom.* 15/9. *E.*), ut lector intelligeret, quomodo numeri in tabula tertiae parti collectionis praemissa numeris singulis decretalibus appositis responderent. —

Collectioni Pseudo-Isidorianae addidi capitula Angilramni, quum ea cum fraude Pseudo-Isidoriana cohaerere inter omnes constet. De codicibus, quibus hac in re usus sim, lector ad ea quae in §. 18 commentationis et in ipsa editione capitulorum dixi remitti potest.

[1] Quos locos ita signavi: 16) *Sic Par.* 3852; *Mut.* cognoscunt (cf. p. 69), quod est: Mutinensis legit: „cognoscunt", in textum „cognoscuntur" ex Paris. 3852 inserui; aut 29) *Sic* ut *corr. sec. Mut. Sg. Bb.*, quod est: correxi „ut", quod exhibet Par. int. suppl. lat. 840, in „et", quod habent Mut. Sangall. Bamb. (cf. p. 185). — [2] De quibus codicibus cf. §. 3.

COLLECTIO ISIDORI MERCATORIS.

INCIPIUNT[1] DECRETA PONTIFICUM A SANCTO CLEMENTE USQUE AD DAMASUM XXXTA SEX.

Capitula praefationis Ysidori.

I. Quod compellatur a multis episcopis et reliquis servis dei canonum sententias in unum colligere.

II. Quod concilia Greco edita stilo amplius quam tripliciter aut quadrupliciter interpretata sint.

III. Quid canon, regula et synodus: quid concilium, caetus atque conventus interpretentur.

IV. Quod in principio qualiter concilium celebretur compositum sit, et quod ceteris conciliis praepositi sint canones apostolorum et deinde intermixta decreta epistolarum apostolorum et reliqua.

V. Quod multi pravitate et cupiditate depressi sacerdotum accusatores extiterint et oppresserint et quod iudicibus non credenda sunt nisi quae certis indiciis demonstrantur.

VI. Quod nullus possit iuxta canonicam institutionem accusari, vocari, iudicari aut damnari, donec suis est rebus expoliatus aut a sede propria pulsus vi aut terrore.

VII. De accusatoribus seculi quos leges prohibent.

VIII. Quod auctoritas congregandarum synodorum apostolicae sedi commissa sit privata potestate.

IX. Quod plura quam illa XX capitula quae apud nos habentur Nicenae synodi reperiantur.

X. Quod ad similitudinem Niceni concilii Calcedonense magnum concilium conscriptum sit et de hereticis Origene, Didimo et Evagrio.

XI. De quattuor principalibus conciliis ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent ecclesiae.

XII. Epistola Aurelii Cartaginensis archiepiscopi ad Damasum papam de canonibus apostolorum quod omni veneratione sint colendi.

XIII. Rescriptum[2] beati papae Damasi Aurelio archiepiscopo directum in quo et monet ut norma sanctorum canonum qui sunt spiritu dei conditi ab omnibus sacerdotibus sciatur et diligenter tractetur.

Ordo de celebrando concilio et de orationibus primi diei et secundi ac tertii.

Incipiunt tituli decretorum Clementis papae.

I. Epistola Clementis ad Iacobum fratrem domini, quod Symon Petrus vere fidei merito primus fuerit primitiae electionis domini apostolorum et quod Rome pro pietate patiendo volens praesentem vitam finivit.

II. Quod Petrus Clementem episcopum Romanis ordinaverit et ei cathedram tradiderit.

III. Quod Clemens procidens ad pedes beati Petri rogaverit excusans se et declinaverit honorem cathedrae vel potestatem. Item exoratio Petri ad Clementem pro suscipiendo officio episcopatus.

IV. Quod sacerdotes inreprehensibiliter oporteat vivere et omnes vitae huius occupationes abicere et non fide-

[1] *Edit. ex cod. Bambergens. C.* 47. (*P. T.* 8.). Descriptum.

[2] *Sic corr. sec. Paris.* 4280 *AA. Cod.:*

iussores existere neque advocatos litum fieri.
V. Quod ad presbiteros ista sunt ut ante omnia pudicitiam studeant, adulescentes nuptiis iungant, sed ne in provectioribus quidem curam habere huiusmodi neglegant, quoniam adulterium secundum in poenis obtinet locum.
VI. Quod plures sint species fornicationis et de prima specie adulterii.
VII. De casto et amore fraterno et caritate.
VIII. Ut negotia clericorum ecclesiastico iudicio terminentur.
IX. De fugienda avaritia et de ponderibus atque mensuris constituendis.
X. Quod futurum dei iudicium semper in corde et ante oculos ponendum sit.
XI. Ut aecclesiastici viri discordias et simultates caveant.
XII. De ministerio diaconorum.
XIII. Quod oporteat eum qui docet animas rudes adprime debere esse eruditum.
XIV. Quod omnis aecclesiae status similis sit navi magnae portanti viros diversis e locis et regionibus per undosum pelagus ad unam potentis regni urbem properare cupientes.
XV. Quod episcopus super omnes laboret.
XVI. Allocutio ad Clementem apostoli Petri.
XVII. Precipit ac monet.
XVIII. Non loquendum his quibus Clemens non loquitur neque amicum esse debere quibus ipse non loquitur.
XIX. Commonitorium postulationis ut post obitum suum Iacobo fratri domini descripta breviter omniaque quam poterit compendio comprehensa Clementem destinare non pigeat.
XX. Expositio fidei trinitatis.
XXI. De symbolo et quid symbolum dicitur.
XXII. Quid sit deus.
XXIII. De duobus mandatis ex quibus per unum malitia compescitur et per alterum benignitas propagatur.
XXIV. Quod dei dilectio morti comparetur.
XXV. De docibilibus quos oportet ut et ipsi docti sint.
XXVI. De sacerdotibus quos doctiores caeteris populis esse oportet.
XXVII. De episcopis missis ad Clementem per singulas civitates et gentes quos apostolus Petrus non miserat. Monet et Iacobum hoc agere per suas dioceses.
XXVIII. De patriarchis et primatibus.
XXIX. De archiepiscopis atque episcopis.
XXX. Quod episcopi vicem apostolorum et presbiteri reliquorum discipulorum teneant vicem.
XXXI. Homicidas et cunctos criminalibus nexibus alligatos, omnes infames et quos leges seculi damnant sed et laicos non posse admitti ad accusationem sanctorum et maiorum.
XXXII. De vita sacerdotum.
XXXIII. Maiores a minoribus nec accusandos nec iudicandos et omnes legum divinarum libenter violatores sancta communione privandos.
XXXIV. Carnales spiritalibus non posse resistere et de his qui cervices suas contra magistros suos et seniores erigebant.
XXXV. De ebrietate.
XXXVI. Quod nullus presbiter aliquid agere debeat in alicuius episcopi parrochia absque eius permissu et quod cuncti presbiteri sint obedientes suis episcopis sine mora.
XXXVII. Quod episcopi claves sint ecclesiae et habeant potestatem claudere caelum et aperire portas eius.
XXXVIII. [3]
XXXIX. Quod episcopos dominus ad se glorificandum elegerit et quod omnes principes terrae eis obedire oporteat et capita sua submittere.
XL. De tribus generibus homicidiorum.
XLI. De vera dilectione et pluribus documentis spiritalibus apostoli Petri.
XLII. Quod sacerdotes et reliqui ecclesiae ministri omnisque plebs episcopos suos tota animi virtute diligere

[3] *Numerus solus in codice, in Par. cit. rubrica ponitur*: XXXVIII. Quod episcopi a solo deo sint iudicandi vel removendi et non ab aliis.

[4] *Par. cit. addit antea:* Item epistola sancti Clementis papae scripta discipulis suis qui maiorum hominum persuasionibus aliquatenus deviarant et his atque gentibus inter quas habitabant directa.

II. Tituli decretorum Anacleti papae.

rem patre, quia propheta dixit: verbum faciet dominus breviatum universo orbi.

XXVIII. De epistola missa omnibus episcopis et reliquis sacerdotibus, in qua bipertitus instruitur ordo sacerdotum et quod episcopi apostolorum, presbiteri quoque teneant locum septuaginta discipulorum et de ordinatione episcoporum et presbiterorum.

XXIX. Quod unus sit ordo episcoporum. Item de primatibus et patriarchis, de archiepiscopis et metropolitanis.

XXX. Quod Romana ecclesia ab ipso domino salvatore nostro primatum obtinuerit et quod eam beatissimi Petrus et Paulus suo martirio consecrarunt ideoque et prima sedes dicenda.

XXXI. De secunda sede Alexandrinae aecclesiae.

XXXII. De tertia sede Antiochiae ecclesiae.

XXXIII. Ut episcopi singularum gentium sciant quis inter eos sit primus.

XXXIV. Ut difficiliores causae ad apicem Romanae sedis referantur, ut apostolico terminentur iudicio cuius sedis auctoritate omnes ecclesiae reguntur.

XXXV. De accusatoribus et testibus.

XXXVI. Ut episcopi a subditis timeantur et ab ipsis corrigantur.

XXXVII. Quod pro meritis plebis saepe pastores aecclesiae depraventur.

XXXVIII. Quod sententia Cham dampnentur qui produnt culpas suorum doctorum vel praepositorum.

XXXIX. De doctoribus vel pastoribus aecclesiae si a fide exorbitaverint et ut plebes adversus pastorem suum non tumescant aut clerus detractionibus non vacet.

XL. Quod qui non observat praecepta canonica excommunicatus habeatur, et unusquisque parcat a laceratione vel detractione linguae suae.

XLI. Sic omnes corrigendi sunt, ut nemini aliquis noceat.

III. Capitula decretorum Evaristi papae.

I. De ordine diaconorum.

II. De legitimo coniugio.

III. De hereticis qui arbitrantur de patre solum dictum esse, quia ipse solus habet inmortalitatem et lucem habitat inaccessibilem.

IV. Quod Christus sit caput et sponsus aecclesiae et sacerdotes qui eius vice legatione funguntur similiter aecclesiis suis.

V. Episcopum oportere sine intermissione ecclesiam suam docere.

VI. Nimis timendum et providendum ne offendantur episcopi.

VII. De infamatis episcopis et a civitatibus propriis pulsis.

VIII. De caritate et odio.

IX. Quod non sit episcopus a plebe arguendus vel accusandus.

X. De accusatoribus episcoporum sive sacerdotum.

XI. Ut non quisquam praesumat aliquot credere mala quam probare, et ne praecipites simus umquam ad proferendam sententiam aut temere indiscussa quequam iudicemus ante veram iustamque probationem.

IV. Capitula decretorum Alexandri papae.

I. Quid sit reicere mandatum dei et transgredi terminos antiquos patrum.

II. De sacerdotibus non vexandis.

III. De scriptis non exigendis a sacerdotibus per metum aut aliquam fraudem.

IV. Non licere insidiatoribus aecclesiae sanctae Christi accusare sacerdotes ad iudices publicos.

V. Quod dominus per Oseae prophetam dicat de clericis vel laicis qui episcopos prius vel reliquos sacerdotes accusant ad primates et ad reliquos iudices quam auribus eorum inculcent, a quibus se laesos putant et recipiant iustam excusationem apologam.

VI. Quod omnes sanctorum patrum per-

secutores vel dilaceratores infames sint et alieni fieri debeant a limitatibus aecclesiae usque ad satisfactionem et quod non sit favendum eis nec loquendum quos episcopus ab aecclesia separat.

VII. Quod scripturae extortae quoquo modo per metum aut fraudem vel per vim fuerint scriptae vel roboratae quocumque ingenio non habeant praeiudicium vel calumniam aut sequestrationem.

VIII. De accusatoribus episcoporum.

IX. De passione domini in consecratione corporis eius miscenda et aqua cum sale populis benedicenda.

X. De fide sanctae trinitatis.

XI. De causis et gravationibus sacerdotum et quod boni a malis semper persequantur.

XII. Qui sint familiares salvatoris.

XIII. Quod a multis sit arguendus et a liminibus aecclesiae arcendus qui legationem episcoporum inpedit.

XIV. De episcopis qui sunt inter se discordes et canino dente se derodere conantur et de his qui se a collegio episcoporum et ab auxilio subtraunt.

XV. De cohibendis dissensionibus et altercationibus et de opprimendis qui in fratres seditiones excitant.

XVI. Quid gratia dei conferat: item de odio et dilectione.

XVII. Ut vitentur detractiones et iniustae pulsationes.

XVIII. Quod facile sit hominem verbo fallere. Item de malo et pravo ingenio et de cruciatu.

V. Tituli decretorum Sixti papae.

I. Exortatio boni operis.

II. De fide.

III. Quod enucleatim sit perscrutandum in accusatione domini ministrorum.

IV. Quod in sancta apostolica sede definitum sit ut sacra vasa non ab aliis hominibus contrectentur quam a sacratis domino.

V. Ut si quis episcopus pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter appellet apostolicam sedem et si necesse non fuerit ei ad eam venire neque appellare, vocatus tamen venire non rennuat.

VI. Ut nemo pontificum aliquem suis rebus expoliatum episcopum aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat.

VI. Tituli decretorum Thelesfori papae.

I. De ieiunio septem ebdomadarum ante pascha.

II. De missarum celebratione in nocte sancta natalis domini et quo tempore aliis diebus missae celebrandae sunt.

III. De angelico ymno: gloria in excelsis deo, et de ipsis non arguendis a populo.

IV. De accusatoribus et accusationibus.

V. Ut sine strepitu concertationum caritas custodiatur et veritas defendatur.

VII. Tituli decretorum Vigini papae.

I. De fide quod filius non secundum deitatem solam sit missus a patre sed secundum carnem et quod idem filius se quoque miserit.

II. Ut nullus metropolitanus absque omnium provincialium episcoporum praesentia aliquorum audiat causas eorum.

III. De criminationibus maiorum natu.

IV. De peregrinis negotiis et iudiciis.

V. Ut qui innocentem vel fratrem persequitur, ipse sibi iugulum mortis inpingat.

VI. Epistola eiusdem Atheniensibus directa in qua ortatur eos ne ducant iugum cum infidelibus.

VIII. Tituli decretorum Pii papae.

I. Ut in die dominico pascha celebretur.

II. Quod apostolica sedes caput sit omnium ecclesiarum.

III. Quod nichil prosit alicui suo errore non pollui, si consensum praestat erranti.

IV. De pastore non repraehendendo ab ovibus.
V. Qui sint reprobandi quivo recipiendi in accusatione.
VI. Quod nichil prosit aliquod bonum agere, nisi mens ab iniquitate revocetur et lingua a detractione cohibeatur, et quod fidelis homo non debeat venire in suspicionem.
VII. Qua monet eos cavere a contentione et emulatione, et ne praedia divinis usibus tradita aplicent suis usibus.
VIII. Ut sacrilegi habeantur qui praedia aecclesiastica sibi usurpant, ipsosque clericos et domini sacerdotes persecuntur.
IX. Quod gravius peccatum sit sacrilegium quam fornicatio.
X. Ut nullus sacerdos vel clericus inobaediens existat suo episcopo neque ei insidias paret.

IX. Tituli decretorum Annicii papae.

I. De ordinationibus archiepiscoporum et reliquorum episcoporum.
II. Ut archiepiscopus ab omnibus suffraganeis ordinetur, aliter irrita erit eius acta ordinatio.
III. Qui sint primates vocandi, quique metropolitani.
IV. De inflatione metropolitanorum et fastu et de episcopis qui laeduntur a metropolitano.
V. Ut clerici comam non nutriant sed super caput in modum sperae radant.

X. Tituli decretorum Soteri papae.

I. De fide incarnationis Christi.
II. Quod filius secundum carnem dicitur factus, secundum divinitatem vero non factus sed genitus.
III. Ut sacratae feminae vel monachae non contingant sacra vasa vel sacratas pallas neque deferant incensum circa altare.

XI. Tituli decretorum Eleutherii papae.

I. De escis communibus non respuendis quas deus ad cibos tribuit fidelibus suis.
II. De accusationibus clericorum et ut diffinitiva[5] episcoporum tantum iudicia ad sedem apostolicam deferantur et ut in aecclesiis eorum non alii aut praeponantur aut ordinentur antequam illic eorum iusta terminentur negotia.
III. Ut iudex non prius obviet sua sententia litigantibus quamdiu ipsi habent aliquid quod proponant in questione.
IV. De accusationibus comprovincialium.
V. Ut iudices aecclesiae absentem personam non iudicent.
VI. Quod fratrum accusatores non eos diligant, sed magis neglegant et peccent.

XII. Tituli decretorum Victoris papae.

I. De sancto pascha die dominico celebrando et quot diebus celebrandum sit.
II. Quo tempore baptisma celebrandum sit et ut qui baptizantur non infideles sed fideles inveniantur.
III. De statutis nulla inprobitate et novitate violandis.
IV. Ut incerta nullatenus iudicentur, quia licet vera sint, non sunt tamen credenda.
V. Ut accusatus vel iudicatus ab episcopis comprovincialibus licenter appellet et adeat Romanum pontificem.
VI. De eo qui laeditur a metropolitano.
VII. Quod oporteat episcopos unianimes esse et in recta fide et in sacramentis divinis non discrepare neque fratribus velle nocere et ut cadant minime decertare.

[5] *Sic corr. sec. Par. cit. Cod.:* infinitiva.

XIII. Tituli decretorum Zeppherini papae.

I. Quod episcoporum sit inlicita prohibere et sequenda docere.

II. Qualiter accusatus episcopus discutiendus sit apud patriarchas vel primates et quot testibus convinci debeat.

III. Qui sint submovendi ab accusatione vel testimonio episcoporum.

IV. Ut in re dubia certa non iudicetur[6] sententia neque absens aliquis iudicetur.

V. De accusatoribus episcoporum et ut sententia non suo iudice dicta nullum eorum constringat.[7]

VI. Ut post examinationem accusati episcopi legitimam finis eius causae ad sedem apostolicam deferatur.

VII. Quod peccatum sit occulta alieni cordis temere iudicare.

VIII. Quod episcopi a plebibus et clero et domini a servis perferendi sint.

IX. Ut episcopi satagant succurrere opressis et liberare eos de manu prosequentium.

X. De privilegio Romanae ecclesiae.

XI. Nunciatum esse apostolicae sedi quosdam episcoporum per Egyptum ab aecclesiis et sedibus suis pelli et sic expoliatos ad iudicia vocari.

XII. Ut episcopi eiecti et suis rebus expoliati aecclesias proprias recipiant primo ut eis sua omnia reddantur ante accusationem.

XIII. Ut episcopi oppressis fratribus vicissim succurrant in recta fide et bona voluntate.

XIV. De ordinationibus presbiterorum et laevitarum.

XIV. Tituli decretorum Calisti papae.

I. De ieiunio quattuor temporum.

II. Quod apostolica aecclesia mater sit omnium aecclesiarum.

III. Ut nullus criminationes suscipiat contra doctorem, nisi in recta fide erraverit, nec ullus doctor accusetur per scripta neque respondeat nisi fideli et legitimo accusatori qui inreprehensibilem vitam ducit.

IV. De fideli homine.

V. Quod sicut doctorem catholicum non oporteat ullo errori inplicari, ita nulla machinatione aut cupiditate violari.

VI. Ut nulli imperatori vel cuiquam custodienti pietatem liceat aliquid praesumere contra divina mandata. Item de iniusto iudicio.

VII. Non esse agendum contra statuta apostolica.

VIII. De conspirationibus.

IX. Ut conspiratores in accusationem non recipiantur.

X. De excommunicatis.

XI. De infidelibus.

XII. Ut nullus alterius terminos usurpet nec parrochiam iudicet aut excommunicet.

XIII. Ut nullus primas vel metropolitanus aliquid agat de aecclesiis vel parrochiis comprovincialium episcoporum et de eorum causis sine ipsorum consilio omnium et nec ipsi aliquid agant sine eius consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parrochias.

XIV. Episcopus ubi ordinare non potest, nec poterit iudicare. Item de uxore episcopi id est aecclesia.

XV. Si episcopus persecutus fuerit in sua aecclesia, fugiendum illi ad alteram.

XVI. De consanguineorum coniunctione incesta et de raptoribus.

XVII. De accusatoribus et testibus.

XVIII. De amore carnali et timore et avaritia atque dolo.

XIX. De sancto David qui post crimina egit paenitentiam et in honore permansit.

XX. Quod sacerdotes domini et reliqui fideles per lapsum si dignam egerint paenitentiam redeant ad pristinos honores.

[6] *Sic corr.*; dubitetur *sec. Par. cit.* [7] *In margine:*
.. iudices episcopum iudi
.. e debeant.
Initium glossae abscisum est. Videtur mihi esse legendum: XII iudices episcopum iudicare debeant.

XV. Tituli decretorum Urbani papae.

I. De communi vita.
II. De his qui praedia et agros coeperunt matricibus aecclesiis tradere et ex eorum sumptibus vivere quos prius vendere solebant ad communem utilitatem.
III. Ut episcopi dispensandi res aecclesiasticas habeant potestatem et nemo egens inveniatur.
IV. De oblationibus fidelium.
V. Ut praedia usibus secretorum caelestium dicata non vexentur ab aliquibus inruentibus.
VI. De augmentationibus rerum aecclesiasticarum, ut nullus debeat esse indigens in aecclesiis quibus episcopi president.
VII. Quod doceant sedes in episcoporum aecclesiis excelsae constitutae et praeparatae in throno.
VIII. De sententia episcopi valde timenda.
IX. De suscepta communi vita et voto.
X. De sapientia huius seculi et cupiditate.
XI. De spiritu sancto quid accipiamus.

XVI. Tituli decretorum Pontiani papae.

I. Gratiarum actio super aecclesiastico bono studio.
II. De sacerdotibus domini non infestandis sed honorandis.
III. De accusatoribus.
IV. Quid sit peregrinatio.
V. Exortatio ad perficiendas virtutes.
VI. De angelico hymno et fraterna dilectione.
VII. Unde discernantur filii dei a filiis diaboli.
VIII. Ut unusquisque praevideat, ne hoc agat in fratrem quod ipse pati non vult.
IX. Qui removeantur ab accusatione et de amico et inimico exemplisque eorum.
X. Ut oppressi releventur.

XVII. Tituli decretorum Anterii papae.

I. De antiquo hoste.
II. De mutatione episcoporum.
III. Ut ignorantia quorumdam meliora et utiliora non vitentur et inutiliora solvantur.
IV. De his qui contradicunt sacrae scripturae et negant episcoporum mutationem.
V. Quod ex merito plebis depraventur episcopi. Item de his qui vitam moresque bonorum corrumpunt.
VI. Ut singuli servent non solum castos oculos sed et linguam.
VII. Quod nichil sinistrum sit loquendum de his qui apostolico gradui succedunt.
VIII. Quod absque ullo inpedimento seculi deo serviendum sit.

XVIII. Tituli decretorum Fabiani papae.

I. Quod comministri catholicae aecclesiae nosse debeant quae aguntur in sacro ritu aput Romanam aecclesiam.
II. De officiis et ministeriis septem diaconorum cum subdiaconibus et sequentium ordinum ministris observandis.
III. De septem subdiaconibus qui septem notariis imminentes gesta martyrum colligerant.
IV. De Novato heretico et Novaciano[8].
V. Quod accusare non possint qui non docent rectam doctrinam et quod amovendi sint omnes suspecti et non recipiendi: similiter et illi cum quibus apostolus prohibet cibum sumere.
VI. De excommunicatis.
VII. De nocentibus ab accusatione pellendis.
VIII. De institutis et ordinatis ab apostolis eorumque successoribus minime violandis.
IX. De episcoporum errore qui dicunt, non per singulos annos in cena domini chrisma conficiendum.
X. Novum chrisma annue invocandum et vetus in sanctas aecclesias cremandum.

[8] *Sic corr.*; Novatione *sec. Par. cit.*

XI. Ne non otioso contemplentur intuitu quae circa divina misteria et erga baptizandos in universo mundo sancta aecclesia uniformiter agit.
XII. De interrogatione super accusatione sacerdotum facta et de his qui adtendunt multos non congruenter in ipsis honoribus aecclesiasticis vivere a sermonibus et sacramentis quae per eos populis ministrantur.
XIII. De accusatoribus.
XIV. De contentione vitanda et fratribus in omnibus solacio praestando.
XV. De proprio ordine servando.
XVI. Ut omnes qui summo sacerdotio funguntur iniustitias removeant et in sacerdotio laborantibus succurrant et calumniam facientem abscidant.
XVII. De sacerdotibus et laevitis.
XVIII. Quod criminosi cavendi sunt et ad emendationem compellendi si voluntarie noluerint.
XIX. Cur sancti apostoli eorumque successores voluerint difficilem esse accusationem sacerdotum.
XX. Quod episcopi loco et rebus suis expoliati accusari non possint.
XXI. De clericis insidiantibus episcopis suis.
XXII. Quod nullus simul esse possit accusator iudex et testis et quod in omni iudicio necesse sit quattuor adesse personas, et quod oves pastorem suum repraehendere non audeant.
XXIII. De episcopo qui a fide deviat.
XXIV. De sacerdotibus honorandis.
XXV. De sacerdotibus non vexandis et qui non possint esse sacerdotum accusatores.
XXVI. De peregrinis iudiciis prohibendis.
XXVII. Ut si quis iudicem adversum sibi senserit vocem appellationis exibeat.
XXVIII. De eo qui pulsatur ante iudicem et de eo qui iratus obiecerit crimen.
XXIX. De episcopo accusato qui appellat apostolicam sedem.
XXX. De praecipitio detractionis, irae et accusationis fugiendo.

XIX. Tituli decretorum Cornelii papae.

I. De translatione corporum apostolorum Petri et Pauli facta rogatu nobilissimae matronae Lucinae.
II. De Novato et Novatiano atque Nicostrato hereticis et de his qui cum Maximo presbitero post heresim ad catholicam fidem sunt reversi.
III. Ut sacerdotes domini sicut vulgus facere solet, iurare non praesumant vel compellantur.
IV. Quod accusationes subditorum nullam vim habeant.
V. De iudicio sacerdotum et aecclesiasticis iudicibus.
VI. Quod absens nemo possit iudicari neque addici.

XX. Tituli decretorum Lucii papae.

I. Ut episcopi propter pravorum infamiam semper secum et ubique habeant testes et presbiteros et diacones.
II. De episcopis non leviter accusandis et a quibus criminationes maiorum natu fieri debeant et de iudicibus aecclesiasticis.
III. Quod metropolitanus gradus sui periculo subiaceat si aliquis extra agere temptaverit sine consilio omnium comprovincialium episcoporum, nisi quod ad suam pertinet parrochiam: similiter et ipsi omnia cum eius consilio agere debeant.
IV. Ut nullus metropolitanus causas aliquorum episcoporum comprovincialium audiat absque omnium praesentia.
V. Ut episcopi posteriores se prioribus suis non praeferant, nec eis inconsultis aliquid agant de communibus causis eorum.
VI. De germine alicuius mali aut infestationis aecclesiastico abscidendo mucrone.
VII. De invasoribus rerum aecclesiarum et oblationum fidelium.
VIII. Quod Romana aecclesia numquam erraverit nec hereticis novitatibus succubuerit.

XXI. Tituli decretorum Stephani papae.

I. Quod cum bonis hominibus sit assidue conversandum et a perversis ac fratrum insidiatoribus separandum.
II. Quae personae sint infames aut qui non sint ad gradus ecclesiasticos admittendi.
III. Quod aecclesiastica vestimenta sacrata debent esse et honesta et a sacratis contingi et fieri hominibus.
IV. Ut oppressis subveniatur et ut ecclesiastici ordines non confundantur.
V. Ut quae totiens usurpantur saepius replicentur et prohibeantur.
VI. Ut nullus episcopus possit accusari, dum suis est rebus expoliatus aut a propria sede pulsus.
VII. De accusatoribus.
VIII. Ut per scripta nullius accusatio suscipiatur, sed propria voce, quia nullus absens iudicari potest.
IX. Qui primates appellentur et qui archiepiscopi metropolitani.
X. De accusatoribus episcoporum et qualiter audiri vel iudicari debeant.
XI. Quod neganda sit accusatis licentia criminandi prius quam se crimine exuerint et familiaribus atque sponte confessis et his qui hesterno aut perhendie aut ante fuerunt inimici.
XII. Clericis non licere accusare episcopum et episcopi throni dei vocentur.
XIII. Qualiter sint personae accusatorum inquirendae et ea quae obiciuntur.

XXII. Tituli decretorum Sixti papae.

I. De errore hereticorum execrando et quod filius dei non sit natus ex tempore neque post tempora, sed ante omnia tempora de paterno utero generatus inenarrabiliter.
II. De sede apostolica appellanda.
III. De eo qui a proprio metropolitano gravatur.
IV. Ut a tramite apostolicae institutionis non recedatur.
V. Ut si quis contra episcopum vel auctores ecclesiae habuerit negotium, non prius adeat iudices quam ad eos recurrat caritatis studio.
VI. De episcopo rebus suis expoliato aut a propria sede depulso et quod nullus nisi sui iudicis sententia teneatur.
VII. De restitutis episcopis per Romanum pontificem.
VIII. De accusatione episcoporum non facile recipienda et presbiterorum et de privilegio apostolicae sedis.

XXIII. Tituli decretorum Dionisii papae.

I. De summo bono dilectionis et summo malo invidiae atque sapientia diligenda.
II. De auctoritate sedis apostolicae et reverentia minorum ad maiores et dilectione maiorum in minores.
III. De aecclesiis parrocchianis.
IV. A quibus debeant inpingi episcopis crimina.
V. Qualis esse debeat lingua pastoris.

XXIV. Tituli decretorum Felicis papae.

I. Quantum sit heresis impia et inimica evvangelicae veritatis.
II. Ut detractores et fautores inimicorum ab accusatione removeantur et in re dubia certa non detur sententia.
III. De clero pulsato super criminibus.
IV. Ut primates de accusato episcopo non ante sententiam proferant damnationis quam aut reum se ipsum confiteatur aut canonice per innocentes testes convincatur.
V. Cavendum iudicibus ecclesiae, ne absente eo cui causa ventilatur sententiam proferant.
VI. Quod non sit paena criminis sed virtutis examen, quicquid adversitatum vel malorum iustis irrogatur.
VII. De malis hominibus portandis et sanctorum decretis non violandis.
VIII. De episcopis vocatis ad synodum pro afflictione et contrictione episcoporum per Galliam constitutorum.
IX. De episcopo accusato ab accusatoribus recipiendis.

X. De episcopo rebus suae ecclesiae expoliato aut a propria sede eiecto.
XI. Ut egrotans episcopus aut aliqua gravi necessitate detentus legatum pro se ad synodum mittat.
XII. De accusato et vocato ad synodum.
XIII. De personis accusatorum culpabilibus et de persona absente et qui affinis testis non admittatur.
XIV. Quod non sit vox neganda appellationis ei qui sibi sentit iudicem adversum.
XV. De peregrinis iudiciis prohibendis.
XVI. Sinodaliter constitutum ut super memorias martyrum missae celebrentur.
XVII. Ut dubia et maiora negotia terminum accipiant a Romana sede.
XVIII. De hereticis qui dicunt filium non posse proprie videre patrem et dicunt filium minorem patre.

XXV. Tituli decretorum Euticiani papae.

I. Documenta de incarnatione salvatoris nostri.
II. Quod vera fides Christum Iesum et confiteatur deum et hominem, verbum et carnem.
III. Quod monendi sint heretici ut convertantur ad deum.
IV. De commissis animabus episcopis sollerter invigilandum et de rebus ecclesiasticis disponendis diligenter.
V. Exortatio ut simus filii misericordiae et iustitiae secundum apostolum.
VI. Quod non ita in aecclesiasticis agendum sit negotiis sicut in secularibus.
VII. Qualiter debeat esse accusatio et qualis ordo accusationis.
VIII. Qui ab accusatione sint prohibendi.
IX. Ut nullae causae a iudicibus aecclesiasticis audiantur quae legibus non continentur vel quae prohibitae esse noscuntur et ut sacerdotum accusatio passim vageque fieri non debeat.

XXVI. Tituli decretorum Gagi papae.

I. Paganos et hereticos non posse accusare christianos.
II. Episcopum non accusandum apud iudices seculares.
III. De episcopo, presbitero aut diacono vel reliquis clericis apud episcopos accusatis[9].
IV. De his qui negant verbi dei incarnationem.
V. Quod ad spem vitae aeternae pervenire non possit nisi per mediatorem dei et hominem Christum Iesum.
VI. De ordinibus aecclesiasticis.

XXVII. Tituli decretorum Marcellini papae.

I. De hereticis qui dicunt patrem maiorem filio esse.
II. De gratulatione caritatis et quod abstinendum sit a persecutione fratrum et ab omni litigio.
III. Ubi terminari debeant contentiones ortae inter christianos.
IV. Quod non liceat imperatori aliquid contra mandata divina praesumere et quod iniustum iudicium et diffinitio iniusta metu vel iussu a iudicibus ordinata non valeat.

XXVIII. Tituli decretorum Marcelli papae.

I. Admonitio ut quae male pullulant abscidantur et non aliud docendum quam quod a beato Petro apostolo et reliquis apostolis et patribus est traditum.
II. De excellentia Romanae sedis.
III. De lingua bona et mala.
IV. De sapientia terrena et sapientia caelesti.
V. De caritate.
VI. De his qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.
VII. De Maxentio qui suadebat cultum dimittere divinum.
VIII. De sacerdotibus domini a propria sede pulsis et rebus suis expoliatis.
IX. Quod non oporteat quemquam iudicare vel dampnare priusquam accusatus habeat legitimos praesentes accusatores.
X. De synodo episcoporum non facienda absque auctoritate Romanae sedis.
XI. De accusatoribus.

9 *Sic corr.*; accusatos *scc. Par. cit.*

XXIX. Tituli decretorum Eusebii papae.

I. Quid fieri debeat de hereticis conversis.
II. De accusationibus clericorum.
III. De accusationibus episcoporum et servorum dei atque de eorum accusatoribus.
IV. Ut primum convertantur ora ad leges publicas, deinde ad iudices iuste loquentes.
V. Quid sint infames.
VI. De dilectione.
VII. Exempla virtutum et promissiones supernae.
VIII. De errore corrigendo.
IX. A quibus non sunt accusandi episcopi.
X. Quod inimicum sit et incongruum eos misceri nominibus catholicorum sine discretione qui episcopos vel reliquos sacerdotes vexant.
XI. Quod oves suo pastori commissae non possint eum accusare.
XII. Quod expoliatus vel expulsus non possit convocari ad causam nec diiudicari.
XIII. Quod in antiquis ecclesiae statutis decretum sit ut qui aliena invadit omnia restituat cum multiplicatione.
XIV. Quod in legibus saeculi cautum sit ut qui rem subripit alienam in undecuplum restituat.
XV. De excellentia Romanae sedis.
XVI. De pleno affectu circa deum monstrando.
XVII. De criminationibus adversus doctores non suscipiendis et de peregrinis iudiciis et de sacerdotibus qui sunt vicarii Christi.
XVIII. Qui non sunt suscipiendi in accusationem.
XIX. Quae sit prima salus et quod sedes apostolica semper servavit catholicam religionem extra maculam.
XX. De inventione sanctae crucis et eius festo celebrando.
XXI. Quo modo heretici qui convertuntur ad fidem debeant reconciliari.

XXX. Tituli decretorum Melciadis papae.

I. Quod sine offensione esse debeamus apud iudeos atque gentiles et ut nullus infestus aut nocens alteri existat.
II. Ut nullus dampnetur ante verum et iustum iudicium neque iudicetur suspicionis arbitrio.
III. De privilegio beato Petro domini vice solummodo commisso et de discretione potestatis quae inter apostolos fuit.
IV. Ut qui se viderit praegravari Romanam sedem appellet atque ad eam recurret.
V. Qui non sunt suscipiendi in accusationem et quod sapiens non est qui nocet.
VI. De duobus sacramentis id est baptismo et manus episcoporum impositione.
VII. Quod profuerit apostolis adventus spiritus sancti post passionem et resurrectionem Christi.
VIII. De ieiunio dominici diei et quintae feriae non caelebrando.
IX. De primitiva aecclesia.
X. De Constantino imperatore qui primus licentiam dedit per universum orbem non solum fieri christianos, sed etiam constituit fabricare ecclesias et praedia tribuere et de honore quem contulit beato Petro.
XI. Qualiter Constantinus in Nicena synodo sit allocutus episcopos.
XII. Quo tempore viri religiosi, reges et praesides ac magistratus se ipsos domino consecrarunt et sua aedificantes basilicas in suis fundis.
XIII. De saecularibus negotiis inhibendis secundum canones.
XIV. Qualiter Nicena synodus decernat nullum clericum aut possessiones ducere aut negotiis secularibus se miscere.
XV. De Moyse qui crebro in tabernaculum intrabat et exiebat, de Iacob qui vidit ascendentes et descendentes angelos.

XXXI. Tituli exemplar constituti domini Constantini imperatoris.

I. De fide Constantini quam suscepit docente Silvestro universali papa.
II. De confessione sanctae trinitatis Constantini imperatoris.

III. Exortatio Constantini ut omnes nationes hanc fidem teneant quam ipse suscepit.
IV. Qualiter Constantinus sit a lepra mundatus.
V. De consignatione septiformis spiritus sancti adhibita Constantino per Silvestrum papam.

XXXII. Tituli exerta quaedam ex synodalibus gestis sancti Silvestri papae.

I. De magno concilio Niceno et de Arriano et Fotino Sabellioque atque sequacibus eorum damnatis et de synodo Romae habita, ubi damnati sunt Calistus, Arrius et Fotinus atque Sabellius.
II. Ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre et ut minores nullam dent accusationem adversus maiores.
III. Quot testibus dampnari possint singuli ordines ecclesiastici.
IV. Quales esse debeant testes et accusatores.
V. Ut nullus clericus examinetur in publico neque intret in curiam quae a cruore dicitur.
VI. Ut sacrificium altaris non in serico panno aut tincto celebretur.
VII. De promotione singulorum ordinum ecclesiasticorum.
VIII. Quod episcopi non sint lacerandi sed venerandi.
IX. Ut nullus presbiter missas celebret nisi in sacratis ab episcopo locis.
X. De revocatione excommunicatorum ad communionem et restaurationem eorum in ecclesiis suis et qualiter transmarinus homo debeat suscipi in clericatus gradu.

I. Epistola Athanasii et universorum Egyptiorum episcoporum ad Marcum sanctae Romanae sedis papam qua postulant ab eo sibi mitti plenaria Niceni concilii exemplaria sub tuta stipulatione et quod LXX sint capitula Niceni concilii.

I. Epistola Marci papae successoris Silvestri rescripta de missione Niceni concilii capitulorum Anathasio et omnibus Egyptiorum episcopis.
II. Quod Romana et apostolica sedes numquam erraverit.
III. Quantum discrimen inmineat pastoribus qui veritatem Christi praedicare neglegunt.

XXXIII. Tituli decretorum Iulii papae.

I. De fide in sancto Romano tractata concilio a beatissimo Iulio papa et reliquis verae fidei episcopis.
II. Epistola Iulii papae omnibus Orientalibus episcopis qua monet eos esse unianimes et non reddere malum pro malo.
III. Testimonium Iob contra eos qui fratres persequi non cessant.
IV. Quare sancta synodus sit congregata in Nicea et quid statuat.
V. Qualiter episcopus in crimine pulsatus audiatur vel damnetur et quod maior a minori iudicari non possit.
VI. Quod Romana praelata sit omnibus aecclesiis.
VII. De statuto Niceni synodi, ut accusatores et accusationes quas saeculi leges non amittunt removeantur a sacerdotali nocumento.
VIII. De dampnatione episcoporum accusantium episcopum absque auctoritate apostolicae sedis.
IX. Ut statuta apostolorum inviolata permaneant et quod inter apostolos fuit quaedam discretio potestatis.
X. Epistola Orientalium Arrianorum episcoporum ad Iulium papam.
XI. Epistola sanctissimi Iulii Romani archiepiscopi rescripta Eusebio, Theognio, Theodoro, Berinto et reliquis Orientalibus episcopis culpans eos quod Athanasium et Paulum caeterosque sequaces eorum absque sedis apostolicae consultu damnare et a propriis sedibus pellere contra canonicam praesumpsere auctoritatem.
XII. Capitula Niceni concilii quaedam.
XIII. Cur plura Niceni concilii hic in-

serta non sunt, et de Athanasii defensione quam Iulius papa rescripsit contra Arrianos episcopos et quod episcoporum concilia fieri non debeant sine auctoritate Romanae sedis.

XIV. De fuga Athanasii non calumnianda.

XV. De privilegiis specialiter concessis apostolicae sedi et de reprehensione multimoda in Arrianos episcopos.

XVI. Quod non sint dampnandi episcopi nisi a sede apostolica.

XVII. Qualiter iudicandi sint episcopi et ubi secundum Nicenam synodum.

XVIII. De accusatoribus et iudicibus episcoporum.

XIX. De improbatione et repraehensione contra Arrianos episcopos propter expulsationem et expoliationem Athanasii episcopi.

I. Epistola synodica Athanasii Alexandrini archiepiscopi et omnium Egyptiorum pontificum de verae fidei regula pro qua persequebatur, Liberio papae directa.

XXXIV. Tituli decretorum Liberii papae.

I. Epistola Liberii papae Athanasio et universis Egyptiorum episcopis directa ut in recta fide contrá omnes persistant ereticos.

II. Epistola eiusdem ad omnes generaliter episcopos ut nullus pro quibuslibet dum durare poterit perturbationibus[10] suam relinquat ecclesiam ut quietem magis eligat quam pro populo sibi commisso laborem intendat.

III. Quod qui invident fratribus et damnant sua dogmata destruant.

I. Epistola Athanasii Alexandrinorum episcopi et omnium Aegyptiorum episcoporum Felici papae secundo directa qua suam suorumque sequacium intimant pro fidei obpressionem postulantes eius summum ut decet suffragium.

II. Non debere concilia celebrari nec episcopos dampnari absque sententia Romani pontificis secundum Niceni concilii statutum.

III. De episcopis non passim vageque lacerandis aut accusandis et quod convocari non possint nec distringi canonicae prius quam restituantur ad proprias sedes et eis omnia ablata reddantur: sic Nicena synodus definit.

IV. In Nicena synodo definitum est, ut qui suspectos habet iudices Romanam interpellet sedem.

V. In Nicena synodo dinumeratos esse primates qui debeant suscipere causas episcoporum et summorum aecclesiasticorum negotiorum.

VI. De peculiari reverentia Romanae sedis pro inquirendis rebus atque determinandis et de postulatione Athanasii episcopi et omnium episcoporum Aegyptiorum ad Felicem papam ut eis in pressuris subveniat.

VII. De separanda lege quae promulgata est in Nicena synodo.

VIII. De die et indictione accepta consecrationis pontificalis honoris.

IX. De missis Athanasii episcopi et reliquorum episcoporum.

X. Ut Felix papa succurrat oppressis et opprimat eos qui sedictiones excicitant in fratres et quod nominatim in Nicena synodo sint expressi primates qui reliquos episcopos audire et iudicare debeant.

XI. Epistola sanctissimi archiepiscopi Felicis et eius sancti concilii Athanasio et universis Aegytiorum Thebaidorum et Libiorum episcopis rescripta in qua consultationibus eorum quas super episcoporum persecutionibus direxerunt canonice respondetur.

XII. Quod a Petro caeperit exordium et apostolatus et episcopatus in Christo. Item de capitulis XX positis Niceni concilii et Romanae sedis super defensione episcoporum.

XIII. Confirmatio superioris capituli id est vigesimi exemplo Iulii papae qui secundum Nicenum constitutum synodale Athanasio et reliquis epi-

[10] *Sic. corr.*; pertribationibus *sec. Par. cit.*

scopis orthodoxis suas unde expulsi fuerant reddidit aecclesias et eos in communionem suscepit.
XIV. Quod nullus episcopus debeat dampnari aut rebus suis expoliari qui Romanam sedem appellat, donec iudicium de eo apostolicae auctoritatis agnoscat.
XV. De iudiciis episcoporum accusatorum secundum diversas regulas a patribus institutas et de iudicibus atque accusatoribus episcoporum.
XVI. Quod magis ab omnibus sit laborandum ad aedificationem fratrum quam ad dampnationem.
XVII. De oratione quae claudit epistolam.
XVIII. Item epistola eiusdem papae Felicis universis praefatis episcopis reliquis domini sacerdotibus qua ortatur ut patienter portent persecutiones et tribulationes.
XIX. Ut unusquisque fidelium pura voluntate et bona succurrat nec assupplemento fratris se subtrahat manum.
XX. Quod non sit bonum detrahere detrahentibus.
XXI. Quod episcopos dederit deus speculum populo suo.

XXXV. Tituli decretorum Damasi papae.

I. Epistola papae Damasi ad Paulinum Antiochenum episcopum.
II. Quod integrum hominem susceperit Christus sine peccato.
III. Quod unus sit Christus ante saecula ex patre natus et in tempore ex virgine editus.
IV. Epistola Damasi papae ad Ieronimum presbiterum.
V. Rescriptum Ieronimi ad Damasum papam.
VI. Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum de dampnatione quorumdam hereticorum.
VII. Epistola Stephani archiepiscopi et trium conciliorum ad Damasum papam quod episcoporum et summorum negotiorum aecclesiasticorum causae semper ad sedem apostolicam sint referendae.
VIII. Item epistola Damasi ad eundem Stephanum et ad concilia Africae quod episcoporum iudicia et maiores causae non aliter quam auctoritate sedis apostolicae sint terminandae.
IX. Quod omnes possint appellare Romanam sedem et de synodo atque conciliis et quo tempore vel qualiter dampnandi sint episcopi.
X. De accusationibus et testibus episcoporum.
XI. De vocatione ad synodum.
XII. De episcopis deiectis atque rebus suis expoliatis.
XIII. De iudicibus episcoporum.
XIV. De accusatoribus et accusationibus episcoporum removendis.
XV. Ut apostolorum et patrum instituta semper teneantur.
XVI. Item de tempore congruo praevidendo quo sit causa accusatae personae producenda in medio.
XVII. De discretione accusatorum et iudicum[11] ac testium atque accusati et quod nemo debeat iudicari vel dampnari ante inscriptionem.
XVIII. Quod pessimum malum sit, cives civibus invidere et episcopis vel sacerdotibus insidiari.
XIX. Monentur accusatores fratrum ut se subtrahant a laesione fratrum et ut illicita corrigant.
XX. De indutiis accusatorum episcoporum super crimine et qualiter iudicandi sint vel ubi.
XXI. De admonitione apostoli qui docet non temere neque leviter praesumendum iudicium de episcopis et quid sit temere iudicare.
XXII. Quod non debeat damnari episcopus donec de eo cognoscat iudicium apostolicae auctoritatis.
XXIII. Ut constituta apostolica et patrum traditiones teneantur inrefragabili auctoritate sub metu.
XXIV. Quid sit facere iniquitatem in iudicio et quid sit non obviare et perturbare perversos.

[11] *Sic legendum pro:* iudicium.

INCIPIT[1] PRAEFATIO SANCTI ISIDORI LIBRI HUIUS.

(*Text. sec. cod. Mutin.*)

I. ISIDORUS MERCATOR servus Christi lectori conservo suo et parens[3] in domino fidaei salutem.

[I. Quod compellatur a multis episcopis et reliquis servis dei canonum sententias in unum colligere.][2]

Compellor a multis tam episcopis quam reliquis servis dei canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et de multis unum facere. Sed[4] hoc me oppido conturbat, quod diversae interpretationes varias sententias faciunt, et licet unus sit sensus, diversae tamen sunt sententiae, et aliae longiores, aliae breviores. II. Ea vero concilia quae Graeco sunt edita stylo, amplius quam tripliciter aut quadrupliciter interpretata atque conscripta reperimus. Quod si veritas est quaerenda e pluribus, Graecorum sequamur stilum eorumque imitemur dictiones atque exemplaria; sin minus, ipsi dicant atque exponant quibus tot sunt exemplaria quot codices. Nobis tamen videtur, cum in nostro discrepaverint sermone, ut unitas et veritas ab ipsis quaerenda sit, quorum lingua edita esse noscuntur. Quod et nos fecimus, et sicut a veris eorum repperimus magistris, in volumine cui haec praeponitur praefatiuncula inserere curavimus. III. Canon[7] autem graece, latine regula nuncupatur. Regula autem dicta quod recto[8] ducit, ne quando[9] aliorsum trahit. Alii dixerunt regulam dictam vel quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat, sive quod distortum pravumque quid corrigit[10]. Sinodum autem ex graeco interpretari comitatum vel coetum. Concilium vero nomen tractum ex communi intentione, eo quod in unum omnes redigant[11] mentis obtutum. Cilia[12] enim oculorum sunt. Unde et qui sibimet dissentiunt, non agunt concilium, quia non sentiunt unum. Coetus vero conventus est vel congregatio a coeundo, id est conveniendo in unum, unde et conventus est nuncupatus, quod ibi omnes conveniunt, sicut conventus[13] coetus vel concilium a[14] societate[15] multorum in unum.

[II. Quod concilia Greco edita stilo amplius quam tripliciter aut quadrupliciter interpretata sint.][5]

[III. Quid canon, regula et sinodus, quid concilium, caetus adque conventus interpretentur.][6]

IV. In principio vero voluminis huius qualiter concilium apud nos celebratur posuimus, ut qui nostrum ordinem sequi voluerint, sciant qualiter hoc agere debeant. Qui autem hoc agere melius elegerint, faciant quod iusto canonicoque atque sapientissimo consilio iudicaverint. Denique propter eorum auctoritatem ceteris conciliis praeposuimus canones qui dicuntur apostolorum, licet a quibusdam apocrifi dicantur, quoniam plures eos recipiunt et sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt et inter canonicas posuerunt constitutiones. Deinde quarumdam epistolarum decreta[17] virorum[18] apostolicorum intersedavimus, id est Clementis, Anacleti, Evaristi et ceterorum apostolicorum, quas hactenus repperiri[19] potuimus epistolas usque ad Silvestrum papam: postmodum vero Nicenam[20] synodum constituimus propter auctoritatem eiusdem magni concilii: deinceps diversorum conciliorum Graecorum ac Latinorum, sive quae antea, seu quae postmodum facta sunt,

[IV. Quod in principio qualiter concilium celebretur positum sit et quod caeteris conciliis propositi sint canones apostolorum et de intermixta decreta epistola apostolicorum et reliquorum.][16]

c. *III. Canon autem — in unum*, praef. coll. Hisp. i. f.

c. *IV. In principio — imbuantur exemplis* sec. praef. cit., multis a Pseudo-Isidoro interpolatis.

[1] *Par.* 3839 *A:* In nomine domini nostri Iesu Christi incipit praefatio libri huius sancti Isidori. *Sgrm.* 366: I. n. d. n. I. Chr. incip. praef. sancti Isidori episcopi libri huius. *Bb.* I. n. d. n. I. Chr. inc. praef. sancti Isidori libri huius. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* [3] *Bb.* parenti, *ut nunc al. manu correctum est. Sgrm.* parenti. [4] *Par.* 3839 *A:* Ad. [5] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* [6] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* [7] *Sgrm. in marg.:* quid canon et quid regula. [8] *Par.* 3839 *A:* recte. [9] *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* nec aliquando. [10] *Codd. cit.* corrigat. [11] *Par.* 3839 *A. Bb.* dirigant omnes. *Sgrm.* dirigant omnem. [12] *Sgrm.* supercilia. [13] *Deest in Par.* 3839 *A.* [14] *Deest l. c.* [15] *Par.* 3839 *A:* societas est. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* [17] *Deest in Par.* 3839 *A.* [18] *Deest in Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* [19] *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* repperire. [20] *Par. cit.* Niceam.

sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta[1] sub huius voluminis aspectu locavimus, subicientes[2] aetiam reliqua decreta praesulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium et quasdam epistolas ipsius, in quibus pro culmine sedis apostolice non inpar conciliorum exstat auctoritas, quatenus aecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta[3] atque digesta et sancti praesides[4] paternis instituantur regulis, et obedientes ecclesiae ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis et non malorum hominum pravitatibus decipiantur.

[V. Quod multi pravitate et cupiditate depressi sacerdotum accusatores extiterint et oppresserint et quod iudicibus non credenda sunt, nisi quae certis indiciis demonstrantur.][5]

V. Multi enim pravitate et cupiditate depressi, accusantes sacerdotes oppresserunt. Ideo sancti patres leges composuerunt quas sanctos canones appellaverunt. Multi ergo idcirco alios accusant, ut se per illos excusent aut eorum bonis ditentur. Plerique vero christiani boni propterea tacent, et portant aliorum peccata quae noverunt, quia documentis sepae deseruntur quibus ea quae ipsi sciunt iudicibus ecclesiasticis probare possint[6], quoniam licet vera sint quaedam, non tamen iudicibus credenda sunt, nisi quae certis indiciis demonstrantur, nisi quae manifesto iudicio convincuntur, nisi quae iudiciario ordine publicantur.

[VI. Quod nullus possit iusta canonicam institutionem accusari, vocari, iudicari aut dampnari donec suis est rebus expoliatus aud a sede propria pulsus vi aut terrore.][7]

VI. Nullus[8] enim qui suis est rebus spoliatus[9], aut[10] sede propia[11] vi aut terrore pulsus[12], antequam omnia sibi ablata ei legibus restituantur, et ipse pacifice diu suis fruatur honoribus, sedique propiae[13] regulariter restitutus eius[14] multo tempore libere potiatur honore, iuxta canonicam accusari, vocari, iudicari aut dampnari institutionem potest. Unde et historia aecclesiastica, ab Eusebio Cesariensi episcopo confecta, de muliere quadam quae pro castitate a marito accusabatur ait: Praeceptum vel inditum[15] est ab imperatore lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem libere diutius ordinare, tum deinde responderet obiectis. Hoc[16] omnes leges tam aecclesiasticae quam et vulgares publiceque[17] praecipiunt. Horum vero concinnantia[18] si omnia ponerentur, ante deficeret dies quam[19] horum similia et nimis prolixa fieret epistola. Ex pluribus tamen aliqua hic ad provocationem aliorum inserere iudicavimus. Ait namque sanctus Leo Romanae aecclesie antistes in epistola Calcedoniensi[20] concilio missa, cuius initium est: Leo episcopus synodo Calcidonensi. Optaveram quidem, dilectissimi, et reliqua: in qua inter cetera sic testatur dicens: quia vero non ignoramus per pravas aemulationes multarum aecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque fratres iniuste sedibus suis pulsos et in exsilia deportatos atque in locum superstitum alios substitutos; his primitus vulneribus adhibeatur medicina iustitiae: ne[21] quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis. Quem ita errorem omnes relinquant, ut nemini quidem perire honor debeat, sed prioribus episcopis cum omni privilegio suo ius proprium reformetur. Eadem et antiqui apostolici qui fuerunt ante synodum Nicenam sanxerunt[22]. Eadem sinodus quae habita est in Lamsa[23] sub Valentiniano loquitur. Eadem plurimae Romanae synodi[24], testantur, eadem papa Symachus et ceteri sancti patres sanxerunt. Quorum statutorum[25] prolixitatem vitantes hic inserere distulimus. Si quis autem hoc[26] plenius scire et legere voluerit, suis in

c. V. Ideo sancti — appellaverunt, Cassiod. hist. trip. II, 14. Cf. Iul. 4, 11.
Multi ergo — demonstrantur, August. serm. 351 de util. agend. poen. I. no. 10. (ed. Ben. V. p. 1359).
nisi quae — publicantur, Ben. III. 259 (Isid. syn. lib. II. no. 86). Cf. Vict. 4, Sixt. II. pp. 7, Iul. 12.

c. VI. Nullus enim qui — potest, Ben. III. 153. Cf. Steph. 6, Fel. II. pp. 12. IV. (Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12).
Unde et ecclesiastica — praecipiunt, Euseb. hist. eccl. IV, 17.
Ait namque etc. Leon. M. ep. 93. (1, 1067).
quia vero — reformetur, l. c. c. 3. (1, 1071). Cf. Ben. II. 337, Evarist. 7.

1 *Par. cit. Sgrm. Bb.* distincte. 2 *Sec. codd. cit. sic correxi. Mut.* subiciens. 3 *Sgrm.* facta. 4 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* praesules. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 6 *Par.* 3839 *A. Sgrm.* possunt. *Bb. in marg.:* de accusatoribus. 7 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 8 *Sgrm. in marg.:* nemo suis rebus expoliatus legibus dampnari potest. 9 *Sgrm.* expoliatus. 10 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb. addunt:* a. 11 *Codd. cit.* propria. 12 *Bb. in marg.:* de expoliatis. 13 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* propriae. 14 *Bb.* ei. 15 *Sgrm.* indictum. 16 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* haec. 17 *Par.* 3839 *A:* publicae. 18 *Sgrm.* canonicam. 19 *Bb.* quarum. 20 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* Calcidonensi. 21 *Par. cit. Sgrm.* nec. 22 *Sgrm. Bb.* sanciverunt. 23 *Bb.* Lamsa, *quod m. s. XI correctum in*: Lasaco. 24 *Par.* 3839 *A:* synodus. 25 *Deest in Par.* 3839 *A; Sgrm. Bb.* statuta. 26 *Codd. cit.* haec.

auctoribus[1] invenire et legere pleniter poterit. Nobis vero hac in praefatiuncula ista sufficiant. Et sicut militi ex multis armis illa sufficiunt quae ferre congruenter super se praegerit[2], sic nobis de multis sententiis una aut duae vel quantum tunc temporis necesse fuerit, sufficiunt, quoniam sicut cum uno telo aut duobus inimicum vincimus, sic cum una aut duabus sententiis auctoritate plenis emulum superamus. Si enim de mulieribus et saecularibus hominibus haec constituta sunt, multo magis aecclesiasticis viris et sacerdotibus sunt concessa. Haec eadem vero et aecclesiastica iura iubent et saeculi leges praecipiunt. VII. Similiter[4] accusatores et accusationes, quas saeculi leges prohibent, canonica funditus repellit auctoritas. VIII. Synodorum vero congregandarum auctoritas apostolice sedi privata commissa[6] est potestate, nec ullam synodum ratam esse legimus, quae eius non fuerit auctoritate congregata vel fulta. Haec canonica testatur auctoritas, haec hystoria aecclesiastica roborat, haec sancti patres confirmant.

[VII. De accusatoribus, saeculi quos leges prohibent.][3]

[VIII. Quod auctoritas congregandarum sinodorum apostolicae sedis commissa sit privata potestate.][5]

IX. Scire autem vos, octoginta[8] episcopos, qui hoc opus me incipere et perficere coegistis et cunctos reliquos domini sacerdotes oportet, quod plura quam illa viginti capitula quae apud nos habentur Niceni synodi[9] repperimus, et in decretis Iulii papae septuaginta[10] capitula eiusdem synodi esse debere legimus[11]. Quam epistolam in suo ordine inter caetera decreta apostolicorum posuimus, haec scrutantibus et cunctis nosse volentibus rimandam[12]. Nam quod plura quam viginti[13] capitula sint Niceni concilii, in multis invenitur locis. Legitur enim in Constantinopolitano concilio ita: Manifestum est quod illa quae sunt per unamquamque provintiam ipsius provintiae synodus dispenset, sicut Niceno constat decretum esse concilio. Legitur et in aepistola Innocentii papae Victricio Rotomacensi episcopo directa, ita: Si quae causae vel contentiones inter clericos et laicos vel inter clericos tam maioris ordinis quam aetiam inferioris fuerint exortae, placuit ut secundum synodum Nicenam[14] congregatis omnibus eiusdem provintiae episcopis iudicium terminetur, et reliqua. Sanctae etiam memoriae[15] Theophilus Alexandrinus episcopus suis in epistolis[16] meminit in concilio Niceno statutum esse, ut ab VIII Idus Martii usque in diem Nonas Aprilis, diebus scilicet XXVIII[17], qualiscunque luna nata fuerit in quolibet medio spatio, perhibet facere initium primi mensis, XIV[18] vero a XII Kalend. Aprilis usque in[19] XIV Kalend. Maii solerter inquiri, aetiam si die sabbatorum inciderit, consequenti die dominico, id est XV luna, pascha celebrare conscripsit[20], et si die dominico luna XIV eiusdem mensis, id est primi mensis, evenerit ipsa ebdomada transmissa ad alterum diem dominicum, pascha sine dubio celebrare conscripsit. His et aliis quamplurimis exemplis patet plura esse quam viginti Niceni concilii capitula et veram esse praedicti[21] Iulii papae aepistolam. Nobis autem quidam e consortio fratrum nostrorum Orientales testati sunt se vidisse concilium Nicenum habens[22] quatuor evangeliorum magnitudinem, continens in se sessiones episcoporum et introductiones iudiciaque quaerimoniarum atque defini-

[IX. Quod plura quam illa XX capitula quae apud nos habentur, Nicenae sinodi repperiantur.][7]

c. *VII. Similiter accusatores — repellit auctoritas*, Ben. II. 381. (c. 96. conc. Afric.) cf. Ben. III. 108, 307. et c. 9. Angilr., Telesf. 4, Calist. 16, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12 xv., Dam. 14.

c. *VIII. Synodorum vero congregandarum — congregata vel fulta* sec. c. 2. Angilr. (Ben. II. 381 aut Cass. hist. trip. IV, 9.) cf. Iul. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.

c. *IX. in concilio Constantinop.* c. 2. conc. Const. I. (D.) cf. Ben. II. 381, III. 81, c. 8. Angilr.

in epistola Innoc. papae, c. 3. ep. a Ps.-Is. cit.

Theophilus Alexandrinus, cf. vita Victoris pp. in libro pontificali et infra eiusd. pp. decret. 1. (in cod. Quesnell. a Ballerin. Tom. III. op. Leon. M. ed. p. 206.) cf. Ben. II. 381, III. 109.

1 *Par.* 3839 *A*: auctoritatibus. 2 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* poterit. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 4 *Bb. addit:* et. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 6 *Om. Sgrm.* 7 *Sec. Par.* 4280. *Num. in Bb. et in marg.:* De capitulis Niceni concilii. 8 *Om. Sgrm.* 9 *Sgrm.* capitula eiusdem synodi. 10 *Par.* 3839 *A. Sgrm.* viginti. 11 *Om. Sgrm.* „capitula—legimus“. 12 *Par.* 3839 *A in marg.:* quod plura sint Niceni concilii capitula quam haec quae apud nos habentur. 13 *Sic Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb; Mut.* XXX. 14 *Par.* 3839 *A:* Niceam. 15 *Bb.* sancta enim memoria. 16 *Om. Sgrm.* „suis in epistolis“. 17 *Bb.* XCVIII. 18 *Sgrm. Bb.* XIVmas. 19 *Deest in Bb.* 20 *Add. Sgrm. Bb. al. m.* inscriptum. 21 *Par.* 3839 *A. Sgrm. Bb.* praedictam. *Par. in marg.:* veram esse Iulii epistolam Niceni concilii capit. LXX. 22 *Codd. cit. addunt:* potiorem.

[X. Quod ad similitudinem Niceni concilii Calcedonense concilium conscriptum sit et de hereticis Origene, Didimo et Evagrio aliisque.][1]

tiones et constitutiones necnon et subscriptiones eorum. X. Ad cuius similitudinem magnum Calcedonense concilium conscriptum esse confirmaverunt, et demum alia Constantinopolim[2] condita, unum videlicet sub Iustiniano imperatore, contra dei impugnatores Origenem, Didimum et Evagrium, et aliud temporibus Agathonis papae et Constantini imperatoris contra Macharium episcopum et Stephanum eius discipulum ac reliquos episcopos, qui pro frumento zizaniam[3] aecclesiis seminaverunt, vinum miscuerunt aque et proximo potum dederunt eversionem turbidam[4] et tanquam lupi agni simulabant mendatium, et veritas ut mendatium refutabatur.

[XI. De IV principalibus conciliis ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent ecclesiae.][5]

XI. Nosse[6] etiam oportet licet cetera non infirmentur[7], quatuor esse principalia concilia ex quibus plenissimam fidaei doctrinam tenent aecclesiae, tam de patris et filii et spiritus sancti divinitate, quam de praedicti filii et salvatoris nostri incarnatione. Prior harum Nicena synodus est trecentorum decem et octo episcoporum sub Constantino Augusto peracta, in qua Arrianae perfidiae blasphemia condempnata[8], qua[9] inaequalitatem sanctae trinitatis idem Arrius asserebat, consubstantialem deo patri dei filium[10] idem[11] sancta synodus per symbolum definivit. Secunda synodus[12] centum quinquaginta patrum sub Teodosio seniore Constantinopolim[13] congregata, quae[14] Macedonium, sanctum spiritum deum esse negantem, condempnans, consubstantialem patri et filio eundem paraclitum demonstravit, dans latius symboli formam, quam tota Grecia et Latinitas in aecclesiis praedicat. Tertia synodus est Ephesiana prima ducentorum episcoporum, sub iuniore Theodosio Augusto aedita, quae Nestorium duas personas in Christo asserentem iusto anathemate condempnavit, ostendens manere in duabus naturis unam domini nostri Iesu Christi personam. Quarta est synodus Calcidonensis sexcentorum triginta sacerdotum, sub Martiano principe habita, in qua Euticen, Constantinopolitanum abbatem verbi dei et carnis unam naturam pronuntiantem, et eius defensorem Dioscorum quondam Alexandrinum episcopum, et ipsum rursum Nestorium cum reliquis hereticis una patrum sententia praedampnavit[15], praedicans eadem synodus Christum deum sic natum de virgine, ut[16] in una substantia[17] et divinae et humanae confiteantur[18] naturae. Hae[19] sunt, ut praediximus, quatuor principales et venerabiles synodi, fidem catholicam complentes. Sed si[20] qua sint concilia[21] quae sancti patres spiritu dei pleni sanxerunt, post ipsorum[22] quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore. Primo quidem ordo, ut praedictum est, de celebrando concilio insertus habetur[23], et postmodum canonum apostolorum ac primorum apostolicorum, id est a sancto Clemente usque ad sanctum Silvestrum decretorum atque diversorum conciliorum breviarium interpolatur sequens ordinem suum[24].

INCIPIT EPISTOLA AURELII CARTHAGINENSIS ARCHIEPISCOPI AD DAMASUM PAPAM DE CANONIBUS APOSTOLORUM QUOD OMNI VENERATIONE SINT COLENDI.[25]

*Beatissimo[26] Damaso Aurelius Carthaginensis episcopus.

Gloriam apostolicae sedis et vestrae sublimitatis gratiam nostra humilitas exorat[27] ut statuta quae repperire poteritis post finem beati principis apostolorum Petri

c. XI. *quatuor esse principalia concilia — omni manent stabilita vigore*, praef. coll. Hisp.

Incipit epistola etc. Tota epistola a Ps.-Is. conficta (fortasse sec. ep. Hieron. p. 27).

1 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 2 *Par.* 3839 *A. Bb.* Constantinopoli. 3 *Par. cit.* zizaniis, *Bb.* zizania. 4 *Par. cit.* eversione turbidum. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.* 6 *Sgrm. in marg.:* IV sunt principalia concilia. 7 *Sic corr. sec. Par.* 3839 *A. Bb.; Mut.* infirment. 8 *Par. cit. Bb. addunt:* est. 9 *Sic corr. sec. Codd. cit. Sgrm.; Mut.* quae. 10 *Par.* 3839 *A add.* negans. 11 *Bb.* eadem. 12 *Bb. addit:* est. 13 *Par.* 3839 *A. Bb.* Constantinopoli. *Sgrm. in marg.:* IV sunt concilia principalia, i. e. Nicenum Constantinopolitanum Ephesianum Calcidonense. 14 *Par. cit.* qua. 15 *Par. cit.* damnavit. 16 *Sgrm. Bb.* et. 17 *Par.* 3839 *A:* subsistentia. 18 *Sic codd. cit.; Mut.* confiteatur. 19 *Par.* 3839 *A. Bb.* Haec. 20 *Codd. cit.* etsi. 21 *Deest in Par.* 3839 *A, Sgrm.* 22 *Codd. cit.* istorum. 23 *Sic codd. cit.; Mut.* habere. 24 *Sgrm. Bb. add.* Explicit praefacio. 25 *Inscriptioni Par.* 4280 *AA. Bb. num.* I. *apponunt. Inscriptio desumta ex Sangerm.* 366; *deest in Mut.* * *Textus sec. Mutin.* 26 *Sgrm. add.* papae. 27 *Bb.* exoret.

usque ad vestrae sanctitatis principium iuxta apostolicae sedis auctoritatem quam cognovimus per vestrae sapientiae sanctitatem gubernare [1], nobis scripta mittere dignemini: quatenus per vestrae sanctitatis nobilitatem atque prudentiam nosse valeamus quae in praefata sancta sede supradictis temporibus sunt decreta et qui adversus [2] canonum apostolorum instituta gesserunt cognoscatur. Bene valete [3], sanctissime pater, et orate [4] pro nobis, amantissime pater. Data VIII Kal. Martii et lecta Romae V Non. Maii.

*RESCRIPTUM BEATI PAPAE DAMASI AURELIO ARCHIEPISCOPO DIRECTUM. [5]

Reverentissimo fratri et coepiscopo Aurelio Damasus.

Scripta sanctitatis tuae debita veneratione suscepimus, in quibus sitire venerationem ac prudentiam tuam apostolica instituta, ut dignum erat, cognovimus. Qua de re quaedam ex his quae petisti misimus et quaedam adhuc cum iterum miseris mittere cupimus. Nullum tamen a beati Petri principis apostolorum fine praedecessorum nostrorum [6] praetermisimus, de quorum statutis aliquid tibi per Amonium [7] presbiterum et Felicem diaconum sub certis signaculis non mitteremus. Quae te et custodire optamus et aliis praedicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolatae debita [8] serventur atque ab omnibus futuris temporibus diligenter venerentur, quia violatores voluntariae canonum graviter a sanctis patribus iudicantur et a sancto spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sanctos canones non necessitate compulsi, sed libenter ut praefixum est, aliquid [9] proterve agunt aut loqui praesumunt aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste unum genus est blasphemantium spiritum sanctum, quoniam ut iam praelibatum est, contra eum agit cuius nisu et [10] gratia iidem sancti aediti sunt canones. Diabolica vero nequitia plerosque subtiliter falli [11] solet, et ita quorumdam inprudentiam per similitudinem piaetatis sepissime inludit, ut pro salutaribus [12] nocitura persuadeat. Idcirco norma sanctorum canonum qui sunt spiritu dei conditi et totius mundi reverentia consecrati, fideliter a nobis est scienda et diligenter tractanda, ne quoquo modo [13] sanctorum patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur, sed fidelissime per ea gradientes, cum eis qui eos instinctu condiderunt divino, mercedis gloriam et laboris cumulum eorum meritis auxiliante domino habere mereamur. His itaque rite deliberatis et ad aecclesiarum vestrarum notitiam nostra [14] deliberatione perlatis, parere vos eorumdem sanctorum canonum regulis summopere convenit, ne in aliquo eis obviare quorumdam ignavia faciat, sed vestra sapiens et sana doctrina quae cupit vos per omnia placere deo illis coheredes et conparticipes caelestis regni in sedibus fideles cooperatores ostendat. Data XVI Kal. Iunii, Gratiano et Siricio, vv. cc. conss. [15]

Scripta sanctitatis — suscepimus, init. rescr. Honorii aug. ad Bonif. I. (H. no. 31).
quia violatores voluntariae canonum, cf. Clem. 33.
Diabolica vero nequitia — nocitura persuadeat, Leon. M. ep. 44. c. 2. (1, 913).
Idcirco norma sanctorum — transgrediamur sec. eiusd. ep. 14. c. 2. (1, 687).
His itaque rite — regulis summopere convenit, Fel. III. ep. ad ep. Sicil. c. 6. (H. no. 79).
Nota cons. fictitia.

[1] *Sgrm.* gubernari. [2] *Sgrm.* adversa, *Bb.* adversum. [3] *Codd. cit.* vale. [4] *Codd. cit.* ora.
* *Textus sec. Mut.* [5] *Sic Sgrm. Bb.; Mut.* directa. *Par.* 4280*AA. Bb. num.* II. *apponunt inscriptioni.*
[6] *Bb.* praedecessorem nostrum. [7] *Sgrm. Bb.* Amomum. [8] *Sgrm. add.* veneratione custodiantur et inviolatae. *In textu Bb. deest* „debita"; *additur in marg. m. s. XI:* debita veneratione custodiantur. [9] *Bb. add.* aut. [10] *Deest in Sgrm.* [11] *In Bb. m. s. XI corrigitur* fallere *in:* falli. [12] *Sgrm. Bb.* salubribus. [13] *Bb.* quomodo. [14] *Sic Sgrm. Bb.; Mut.* nostram. [15] *Bb. addit:* explicit.

INCIPIT ORDO DE CELEBRANDO CONCILIO.

(*Deest in Mut. — Text. sec. Par.* 3839 *A.*)

Hora diei prima ante solis ortum eiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis ad unam ianuam per quam sacerdotes ingredi oportet, hostiarii stabunt. Et convenientes omnes episcopi pariter introibunt et secundum ordinationis suae tempus residebunt. Post ingressum omnium episcoporum atque consessum vocentur deinde presbiteri, quos causa probaverit introire, nullusque se inter eos ingerat diaconorum. Post hos ingrediantur diaconi[1] probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Et corona facta de sedibus episcoporum presbiteri a tergo eorum residebunt[2], quos tamen sessuros secum metropolitanus elegerit, qui utique et cum eo iudicare aliquid et definire possint. Diaconi[3] in conspectu episcoporum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electione coniugali interesse meruerunt. Ingrediantur quoque notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit. Obseratisque ianuis et sedentes[4] in diuturno silentio sacerdotes atque cor totum habentes[5] ad deum, dicturus est archidiaconus: Orate, statimque omnes in terram prostrabuntur, tam episcopi quam presbiteri, et orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus, unus ex episcopis senioribus surgens orationem palam fundat[6] ad deum, cunctis adhuc in terra iacentibus, dicens hanc orationem:

Adsumus[7], domine sancte spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati; veni ad nos et esto nobiscum et dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus et suggestor et effector iuditiorum nostrorum, qui solus cum deo patre et eius filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summam diligis aequitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat; sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum et in nullo deviemur[8] a vero, qualiter in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine[9] pietatis iustitiam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

In qua oratio paterna non dicatur nec benedictio, sed ipsa solummodo oratio confirmetur[10]. Finita autem oratione et responso ab omnibus: Amen, rursum dicat archidiaconus: Erigite vos. Confestim omnes surgant et cum omni timore dei et disciplina tam episcopi quam presbiteri sedeant; sicque omnibus in suis locis, in silentio consedentibus, diaconus alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet, id est de concilio Toletano IV. cap.[11] XVIII[12], aera XVIII: item ex concilio Toletano IV, aera III: item ex capitulis Orientalium patrum, quae Martinus episcopus de Greco in Latinum vertit cap.[13] XIX[14], aera XVIII de synodo facienda: item ex concilio Calcidonense cap.[15] XIX[16], aera XIX: item ex concilio Agathense aera XXXV[17] vel aliud de canonibus, quod metropolitano aptius visum fuerit, ut legatur: finitisque titulis metro-

Hora diei prima — adhuc in terra iacentibus, c. 4. conc. IV. Tolet. aut ordo posterior Hispan., sicut ordo in cod. Vigilano Escorialensi exhibit. (Mansi 1, 10). Cf. quoque quae de fonte huius rei dixi in commentat. §. 11.

[*Adsumus domine — consequamur praemia sempiterna*, Ordo Romanus, qualiter agatur concilium provinciale, ordo primae diei (De divinis cathol. eccles. officiis ... libri Paris. 1624. p. 171.) aut ordo Hispanus (l. c. 1, 10. 11).]

[*Finita autem oratione — de conciliis agendis pronuntiet*, c. 4. cit. aut ordo Hispan. (l. c. 1, 11).]

[*finitisque titulis — sollicitudo tepescat. Post hanc exortationem*, Ordo roman. cit. (p. 172.) aut ordo Hispan. (l. c. 1, 11. 12).]

1 *Sgrm.* 366. *Bb.* diacones. 2 *Codd. cit.* resideant. 3 *Codd. cit.* diacones. 4 *In Bb. corrig. m. s. XI in:* sedentibus. 5 *In Bb. corrig. m. s. XI in:* habentibus. 6 *Bb.* fundet. 7 *Sgrm. in marg.:* oratio initio sinodi dicenda. 8 *Bb.* deviemus. 9 *Sgrm.* moderatione. 10 *Bb.* confimetur. 11 et 12 *Deest in Sgrm. Bb.* 13 et 14 *Deest in codd. cit.; in marg. Bb. m. s. XI additur:* quod est capitulum sive numerus. 15 et 16 *Deest in codd. cit.* 17 *Bb.* XXV.

politanus episcopus concilium alloquatur exhortatione, ita dicens: Ecce, sanctissimi sacerdotes, praemissis deo precibus, fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio et per divinum nomen obtestor ut ea, quae a nobis de deo et de sacris ordinibus vel sanctis moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis et cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis nostrum aliter quam dicta fuerint senserit, sine aliquo scrupulo contentionis in nostrorum omnium copulatione, ea ipsa, de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter deo auxiliante aut doceri possit aut doceat. Deinde simili vos obtestatione coniuro vel obsecro, ut nullus vestrum in iudicando aut personam accipiat aut quolibet favore vel munere pulsatus a iusto iuditio scienter avertatur aut discedat; sed cum tota pietate, quicquid coetui nostro se iudicandum intulerit, retractate, ut nec discordans contentio ad subversionem iustitiae inter nos locum inveniat, nec idem in perquirenda aequitate vigor nostri[1] ordinis vel sollicitudo tepescat.

Post hanc exortationem introibunt omnes, quicumque fuerint[2] presbiteri, diacones vel religiosi universi ad audiendam doctrinam. Sicque archidiaconus lecturus est canonem Toletani concilii undecimi, aera prima, ne tumultu concilium agitetur. Quo canone perlecto concilium Ephesinum ex ordine perlegatur; deinde collatio pariter et instructio de mysterio[3] sanctae trinitatis habeatur simulque et de officiorum ordinibus, si in omnium sedibus eiusdem celebritatis unitas teneatur. Pro his quoque causis, prout spatium diei permiserit, et epistolae papae Leonis ad Flavianum episcopum de erroribus Euticetis et mysterio sanctae trinitatis legendae sunt. Canones quoque de unitate officiorum, nec ad[4] aliud aliquid antea[5] transeatur, quam ista omnia explicentur, ita tamen ut in totos tres dies letaniarum nichil aliud agatur nec retractentur[6], nisi sola collatio de mysterio sanctae trinitatis et de ordinibus sacris vel officiorum institutis, ita ut haec tota partiantur per totos illos tres dies, ut nichil aliud sit ut dictum est, nisi sola quaestio de his quae praedicta sunt, habeatur, ita ut lectio semper congruens[7] ordinis et causae quae quaerenda est, antecedat. Post haec in quarto die reliquae per ordinem admittendae sunt, sicque omnes qui de religiosis in retroactis diebus pro spiritali instructione interfuerant in concilio, foras egrediantur, residentibus aliquibus presbiteris in concilio, quos metropolitanus probaverit honorandos. Per singulos tamen illos tres dies rogationum letaniarum, episcopi vel presbiteri cum admonitore primum orationibus se prosternant. Sicque collecta a metropolitano oratione consurgant et de divinis tantum, ut dictum est, rebus consultationem[8] habeant, in reliquis autem diebus, cunctis adstantibus oratio colligenda est et sic consedentes causarum negotia iuste et religiose cogitent. Nullus tamen tumultus[9] inter adstantes habeatur. Eodem tamen modo eodemque ordine ad concilium omnes per singulos dies ingrediantur, quo superius iam praemissum est. Nam etsi presbiteri reliqui aut diacones, clerici sive laici de his qui foris steterint, concilium pro qualibet re crediderint appellandum, ecclesiae metropolitanae archidiacono causam suam intiment, et ille concilio denuntiet. Tunc illis et introeundi singillatim et proponendi licentia concedatur. Nullus autem episcoporum a coetu communi secedat, antequam hora generalis secessionis adveniat. Concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita ut quaecumque deliberatione[10] communi finiuntur episcopo-

[*Post hanc exortationem — querenda est, antecedat*, ordo Hispan. (l. c. 1, 12. 13).]
[*deinde collatio — sanctae trinitatis habeatur* sec. praef. et c. 1. conc. IV. Tolet.]
[*simulque et de officiorum ordine* sec. praef. et c. 2. conc. cit.]
[*Post haec in quarto die — pace conventus concilii absolvatur*, ordo Hispan. (l. c. 1, 13. 14).]
[*Nullus tamen tumultus — habeatur* sec. c. 1. conc. XI. Tolet.]
[*Nam etsi presbiteri — singulorum manibus subscribantur*, c. 4. conc. IV. Tolet.]

1 *Bb.* vestri. 2 *Bb.* fuerit. 3 *Bb.* ministerio. 4 *Deest in Sgrm.* 5 *Sgrm. Bb.* ante. 6 *Sgrm. Bb.* retractetur. 7 *In Bb. corrigitur m. s. XI in:* congruentis. 8 *Sgrm. Bb.* consolationem. 9 *Codd. cit. add.* aut inter considentes aut. 10 *Codd. cit.* liberatione.

rum singulorum manibus subscribantur, ita tamen ut ante duos aut tres dies quam solvatur concilium omnes constitutiones a se editas diligenti consideratione retractent, ne in aliquo offendissent. Item in die quo concilium absolvendum est, canones qui in sancta synodo constituti sunt, coram ecclesia in publico relegantur. Quibus expletis [1] respondeatur in choro: Amen. Deinde ad locum redeuntes, ubi in concilio resederunt, canones ipsos subscribant. Admonendi quoque a metropolitano sunt de pascha venturo, quo veniat die. Admonendi etiam sunt quo tempore supervenienti anno ad faciendum concilium veniant, eligendi etiam de episcopis, qui cum metropolitano dies festos natalis domini et sanctum pascha debeant celebrare. Post haec dicente archidiacono: Orate, omnes simul in terra pariter se prosternant, ubi diutissime orantes, hanc unus ex maioribus orationem dicat: [2]

Nulla est, domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia expedire, et ideo quia inperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa, quaesumus, quae perfecto aequitatis fine concludere peroptamus [3]. Te in nostris principiis occursorem poposcimus, te quoque in hoc fine iuditiorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet ut ignorantiae parcas, ut errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficatiam largiaris. Et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps [4] forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare, ob hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac concilii celebritate attraximus, condonare ac remissibile facere digneris, ut in eo quod soluturi sumus adgregatum concilium, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum, qualiter et transgressores venia et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna.

Huic orationi oratio paterna adiungatur et cunctis adhuc iacentibus haec benedictio explicetur: [5]

Christus dei filius, qui est initium et finis, complementum vobis tribuat caritatis. Amen. Et qui vos ad expletionem huius fecit pervenire concilii absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen. Et [6] ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum spiritus sancti, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illesi: [7] quod ipse praestare dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit. [8]

Quibus expletis, cum [9] dictum [10] fuerit ab archidiacono: In nomine Domini nostri Iesu Christi eamus cum pace, omnes ilico pariter exurgentes, residente metropolitano ab ipso primum incipiente [11], osculum sibi invicem omnes pariter dabunt. Sicque data sibi invicem pace conventus [12] concilii absolvatur.

[13] Nostrorum tibi, domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum quod nobis a te requiritur exequamur scilicet, ut [14] prompta tecum sollicitudine gradientes discretionis arduae subtile iuditium faciamus ac misericordiam diligentes clareamus studiis tibi placitae actionis.

[15] Ad te, domine, interni clamoris vocibus proclamantes unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati praecones virtutis [16] efficiamur intrepidi tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. [17]

[*ita tamen ut — offendissent* sec. c. 18. collect. Martini Brac.]

[*Admonendi quoque a metropolitano — venturo* sec. c. 5. conc. IV. Tolet.]

[*Admonendi etiam sunt — concilium veniant* sec. c. 18. conc. III. Tolet.]

[*Nulla est domine — subsequatur remuneratio sempiterna*, ordo Roman. cit. ordo tertiae diei (l. c. p. 176).]

[*Christus dei filius — concilii absolvatur*, ordo rom. l. c.]

[*Nostrorum tibi usque ad finem*, ordo Hispan. (l. c. 1, 13).]

[*Nostrorum domine — placitae actionis*, ordo Rom., ordo alterius diei (l. c. p. 174).]

1 *Codd. cit.* explicitis. 2 *Bb. rubricam ponit:* oratio. 3 *Codd. cit.* praeoptamus. 4 *Bb.* praeces. 5 *Bb. rubricam pon.* Benedictio. 6 *Bb.* ut. 7 *Bb. Sgrm. add.* Amen. 8 *Pro* „qui eum — vivit" *Sgrm.* cuius regnum et imperium permanet in saecula saeculorum. Amen. *Bb.* et reliqua. 9 *Codd. cit.* cum. 10 *Sgrm.* dictus. 11 *Sgrm.* incipere. 12 *Deest in Sgrm.* 13 *Sgrm. Bb. rubr. ponunt:* oratio diei secundi. 14 *Deest in Sgrm.* 15 *Sgrm. Bb. rubr. pon.* Oratio diei tertii. 16 *Bb.* virtutes. 17 *Bb. add.* explicit.

INCIPIT BREVIARIUM CANONUM APOSTOLORUM ET PRIMORUM A SANCTA CLEMENTE USQUE AD SANCTUM SILVESTRUM ADQUE DIVERSORUM CONCILIORUM SEQUENS ORDINEM SUUM QUORUM ETIAM GESTA IN HOC OPERE CONDITA CONTINENTUR SUBIECTIS CAPITULIS SUIS.

(*Ex codice Paris.* 3852 *adhibito cod. Andegav.*)

I. Canones apostolorum.
II. Decreta Clementis papae.
III. Decretorum Anacleti pape epistole III.
IV. Decretorum Evaristi pape epistole II.
V. Decretorum Alexandri pape epistole III.
VI. Decretorum Sixti pape epistole II.
VII. Decretorum Telesfori pape epistola I.
VIII. Decretorum Vigini pape epistole II.
IX. Decretorum Pii pape epistole II.
X. Decretorum Anacii pape epistola I.
XI. Decretorum Sotheris pape epistole II.
XII. Decretorum Eleutherii pape epistola I.
XIII. Decretorum Victoris pape epistole II.
XIV. Decretorum Zepherini pape epistole II.
XV. Decretorum Calixti pape epistole II.
XVI. Decretum Urbani pape: epistola I.
XVII. Decretorum Pontiani pape epistole II.
XVIII. Decretum Anteri pape: epistola I.
XIX. Decretorum Fabiani pape epistole III.
XX. Decretorum Cornelii pape epistole II.
XXI. Decretum Lucii pape I.[1]
XXII. Decretorum Stephani pape epistole II.
XXIII. Decretorum secundi Syxti pape epistole II.
XXIV. Decretorum Dionisii pape epistole II.
XXV. Decretorum Felicis pape epistole III.
XXVI. Decretorum Euticiani pape epistole II.
XXVII. 'Decretum Gagi pape I.[2]
XXVIII. Decretorum Marcellini pape epistole II.
XXIX. Decretorum Marcelli pape epistole II.
XXX. Decretorum Eusebii pape epistole II.
XXXI. Decretum Melciadis pape I.[3]
XXXII. Epistola vel praefacio Niceni concilii beatissimo Silvestro papae directa.
XXXIII. Canones Niceni concilii CCCXVIII episcoporum.
XXXIV.[4] Canones Anchiritani concilii XII episcoporum.
XXXV. Canones Neocesariensis concilii XIX episcoporum.
XXXVI. Canones Gangrensis concilii XV episcoporum.
XXXVII. Canones Sardicensis concilii.
XXXVIII. Canones Antioceni concilii XXX^{ta} unius episcoporum.
XXXIX. Canones Laodiciae Frigiae.
XL. Canones Constantinopolitani concilii CL episcoporum.
XLI. Synodus Ephesina I^{a} CC episcoporum.
XLII. Synodus Calcidonensis concilii DCXXX episcoporum.
XLIII. Epistola formata Attici Constantinopolitani episcopi.

Concilia Grecie.

XLIV. Synodus Carthaginis Africe I^{a}.
XLV. Synodus Carthaginis Africe II^{a}.
XLVI. Synodus Carthaginis Africe III^{a} XLIX episcoporum.
XLVII. Synodus Carthaginis Africe IV^{a} CCX episcoporum.
XLVIII. Synodus Carthaginis Africe V^{a} XXX trium episcoporum.
XLIX. Synodus Carthaginis Africe VI^{a} CCXVII episcoporum cui subiuncta est epistola synodica ad Bonifacium papam directa et exemplaria Niceni concilii.
L. Synodus Carthaginis Africe VII^{a} XVIII episcoporum.[5]
LI.[6] Synodus Africe in Melevitana urbe habita CCXIV episcoporum.

Concilia Gallie.

LI.[7] Concilium Arelatense I.
LII. Concilium Arelatense II. CXIII episcoporum.

[1] *Om. And.* [2] *Om. And.* [3] *Om. And.* [4] *And.* XXX. [5] *Om. numerum et titulum And.* [6] *And.* L. [7] *Sic Par. et And.*

LIII. Concilium Arelatense III. XIV[1] episcoporum.
LIV. Concilium Valentinum XX episcoporum.
LV. Concilium Taurinantium.
LVI. Concilium Regiense XIII episcoporum.
LVII. Concilium Arausicum XVI episcoporum.
LVIII. Concilium Vasense.
LIX. Concilium Agatense XXV episcoporum.
LX. Concilium Aurelianense XX[2] episcoporum.

Concilia Ispaniae.

LXI. Concilium Elibertinum XVIII episcoporum.
LXII. Concilium Tarraconense X episcoporum.
LXIII. Concilium Gerundense VII episcoporum.
LXIV. Concilium Cesaraugustanum[3] XII episcoporum.
LXV. Concilium Hilerdense IX episcoporum.
LXVI. Concilium Valentinum VI episcoporum.
LXVII. Sinodus I. Toletani concilii XIX episcoporum.
LXVIII. Sinodus II. Toletani concilii IX episcoporum.
LXIX. Sinodus III. Toletani concilii LXII episcoporum.
LXX. Sinodus IV. Toletani concilii XLVI episcoporum.
LXXI. Sinodus Bracharensis I. VIII[4] episcoporum.
LXXII. Sinodus Bracharensis II. XII episcoporum.
LXXIII. Capitula ex Orientalium patrum synodis `a Martino episcopo Gallitie ordinata atque collecta.
LXXIV. Synodus Spalensis I. VIII episcoporum.
LXXV. Synodus Spalensis II. VIII episcoporum.
LXXVI. Sententie que[5] in veteribus exemplaribus conciliorum non habentur sed a quibusdam in se ipsis inserta sunt.
LXXVII. Decreta quorundam praesulum Romanorum ad fidei regulam et disciplinam ecclesiasticam constituta.
LXXVIII. Synodus Toletana LXVIII episcoporum.

Deinde sequuntur reliquorum decreta apostolicorum sicut in subsequentibus continetur.

Incipiunt tituli canonum apostolorum numero L.

[6] I. De ordinatione episcopi.
II. De ordinatione presbyterorum, diaconorum et caeterorum.
III. Nihil aliud in sacrificio praeter quod dominus statuit offerendum.
IV. Quae species ad altare non ad sacrificium, sed ad benedictionem simplicem debeant exhiberi.
V. Quod ea quae in ecclesiis offerri non possunt ad domos sacerdotum a fidelibus deferantur.
VI. Ut episcopus aut presbyter uxorem suam, quam debet caste regere, non relinquat.
VII. Ut sacerdotes et ministri altaris saecularibus curis abstineant.
VIII. Quo tempore pascha celebretur.
IX. Quod ministri altaris oblatione celebrata debeant communicare.
X. Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicare debeant.
XI. Quod cum excommunicatis non sit orandum.
XII. Quod cum damnatis clericis non sit orandum.
XIII. Ut nullus fidelium praeter commendatitias suscipiatur epistolas.
XIV. Ut ab episcopis aliena parochia minime pervadatur.
XV. Ut clerici proprias ecclesias non relinquant.
XVI. Ut episcopus qui clericos alterius susceperit, communione privetur.
XVII. Quod bigami non admittantur ad clerum.
XVIII. Quod is qui viduam vel eiectam aut meretricem acceperit, non admittatur ad clerum.
XIX. Qui duas sorores habuerit non admittatur ad clerum.
XX. Clericum fideiussorem esse non posse.
XXI. Quod hi qui non sponte eunuchizati sunt suscipiantur ad clerum.
XXII. Ut is qui se eunuchizavit clericus non fiat.
XXIII. Ut clericus qui se eunuchizavit abiiciatur a clero.
XXIV. Ut laicus qui se eunuchizavit tribus annis communione privetur.

[1] *And.* CXIV. [2] *And.* XXII. [3] *And.* Cesaraugustarum. [4] *Num. insert. ex And. Deest in Par.*
[5] *Sic And.; Par.* qua. [6] *Desumti ex Dionysianae collectionis editione Lutetiae Paris.* 1609 *vulgatae.*

XXV. Quod episcopus aut presbyter aut diaconus si pro criminibus damnati fuerint minime communione priventur.
XXVI. Similiter et reliqui ministri ecclesiae.
XXVII. Qui clerici debeant coniugibus copulari.
XXVIII. Quod episcopus, presbyter et diaconus fideles peccantes verberare non debeant.
XXIX. Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant.
XXX. Quod non debeant officia ecclesiastica pecuniis obtineri.
XXXI. Ut ecclesia saeculari potentia minime pervadatur.
XXXII. De presbytero qui contempto episcopo seorsum conventus congregare temptaverit.
XXXIII. Quod clerici damnati non debeant ab aliis recipi.
XXXIV. Ut nullus episcopus, presbyter aut diaconus sine commendatiis suscipiatur epistolis.
XXXV. De primatu episcoporum.
XXXVI. Quod non liceat episcopum in aliena provincia clericos ordinare.
XXXVII. De ordinatis episcopis nec receptis.
XXXVIII. Ut bis in anno concilia celebrentur.
XXXIX. Ut tantum curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat.
XL. De dignitate pontificis et quod rerum suarum habeat potestatem.
XLI. Quod episcopus ecclesiasticarum rerum pro dispensatione pauperum habeat potestatem.
XLII. Quod episcopus, presbyter et diaconus aleator et ebriosus esse non debeat.
XLIII. Similiter clerici et laici, si permanserint in alea, communione priventur.
XLIV. Quod episcopus, presbyter et diaconus non debeat usuras accipere.
XLV. Quod non debeat episcopus, presbyter aut diaconus cum haereticis orare.
XLVI. Quod non debeant haereticorum baptismata comprobari.
XLVII. Quod ecclesiae baptismate baptizatus denuo baptizari non debeat, et non ita baptizatus debeat baptizari.
XLVIII. Laicum pellentem suam coniugem communione privandum.
XLIX. Quod in nomine trinitatis debeat baptizari.
L. Quod non debeat una mersio in baptismate quasi in morte domini provenire.

[1] Plura capitula ab apostolis constituta in decretis apostolicorum, ut superius continetur, legimus, sed adhuc ea minime reperire quivimus et ideo illa hic non inseruimus, sed fidelibus investigatoribus hec inserenda conservantes committimus.

De canonibus apostolorum qui non sint respuenda ut quidam garriunt, sed omni veneratione habendi, sicut haec beati Ieronimi et aliorum multorum sanctorum patrum scriptura testator.

Beatissimo papae Damaso Ieronimus.

Gloriam sanctitatis tuae nostra humilitas deprecatur, ut secundum apostolicae sedis quam cognovimus gubernari per tuam sanctitatem actus gestorum a beati Petri apostoli principatu usque ad vestra tempora quae gesta sunt in sede tua nobis per ordinem paucis enarrare digneris: quatinus nostra humilitas sentire[2] cognoscat qui meruit de apostolicorum[3] supradicte tuae[4] sedis martyrio coronari vel qui contra canones apostolorum excessisse cognoscitur. Ora pro nobis, beatissime papa. Data V. Kal. Mai. Accepta Romae.

Incipiunt ecclesiastice regule sanctorum apostolorum prolate per Clementem ecclesiae Romanae pontificem: quae ex Grecis exemplaribus in ordine primo ponuntur. Quibus quam plurimi consensum non praebuere facile[5], attamen postea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videntur.

[6] I. De ordinatione episcopi. Episcopus a duobus aut tribus episcopis ordinetur.
II. De ordinatione presbyterorum et diaconorum vel caeterorum. Presbyter ab uno episcopo ordinetur et diaconus et reliqui clerici.
III. Nihil aliud in sacrificio praeter quod dominus statuit offerendum. Si quis episcopus aut presbyter praeter ordinationem domini alia quaedam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel aut lac aut pro vino siceram, et confecta quaedam aut volatilia aut animalia aliqua aut legumina, contra constitutionem domini faciens congruo tempore deponatur.
IV. Quae species ad altare non ad sacrificium, sed ad benedictionem simplicem debeant exhiberi. Offerri non liceat aliquid ad altare praeter novas spicas et uvas et oleum ad luminaria et thymiama, id est incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

[1] *Quae sequuntur, sec. codd. Par. et Andeg. cit.* [2] *Om. And.* [3] *And.* apostolorum. [4] *And.* sancte. [5] *Sic cum And. legendum pro:* facere, *quod est in Par.* [6] *Desumti ex ed. coll. Dionys. citat.*

V. Quod ea quae in ecclesiis offerri non possunt ad domus sacerdotum a fidelibus deferantur. Reliqua poma omnia ad domum primitiae episcopo et presbyteris dirigantur, nec offerantur in altari. Certum est autem quod episcopus et presbyteri dividant diaconis et reliquis clericis.

VI. Ut episcopus aut presbyter uxorem suam quam debet caste regere non relinquat. Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat; si vero reiecerit, excommunicetur, sed si perseveraverit, deiiciatur.

VII. Ut sacerdotes et ministri altaris saecularibus curis abstineant. Episcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam saeculares curas adsumat; sin aliter, deiiciatur.

VIII. Quo tempore pascha celebretur. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus sanctum paschae diem ante vernale aequinoxium cum Iudaeis celebraverit, abiiciatur.

IX. Quod ministri altaris oblatione celebrata debeant communicare. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus vel quilibet ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo causa laesionis extiterit, dans suspicionem de eo qui sacrificavit, quod recte non obtulerit.

X. Quod fideles laici ingredientes ecclesiam communicare debeant. Omnes fideles qui ingrediuntur ecclesiam et scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiae commoventes convenit communione privari.

XI. Quod cum excommunicatis non sit orandum. Si quis cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur.

XII. Quod cum damnatis clericis non sit orandum. Si quis cum damnato clerico veluti cum clerico simul oraverit, iste damnetur.

XIII. Ut nullus fidelium praeter commendatitias suscipiatur epistolas. Si quis clericus aut laicus a communione suspensus seu communicans ad aliam properet civitatem et suscipiatur propter commendatitias literas, et qui susceperunt et qui susceptus communione priventur. Excommunicato vero proteletur ipsa correptio, tanquam qui mentitus sit, ecclesiam dei seduxerit.

XIV. Ut ab episcopis aliena parochia minime pervadatur. Episcopo non licere alienam parochiam propria relicta pervadere, licet cogatur a plurimis, nisi forte quis cum rationabili causa compellat, tanquam qui possit ibidem constitutis plus lucri conferre et in causa religionis aliquid profecto prospicere. Et hoc non a semetipso pertentet, sed multorum episcoporum iudicio et maxima supplicatione perficiat.

XV. Ut clerici proprias ecclesias non relinquant. Si quis presbyter aut diaconus aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad alienam et omnino demigrans praeter episcopi sui conscientiam in aliena parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur, praecipue si vocatus ab episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans, veruntamen tanquam laicus ibi communicet.

XVI. Ut episcopus qui clericos alterius susceperit, communione privetur. Episcopus vero apud quem commoratos esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans tanquam clericos forte susceperit, velut magister inquietudinis communione privetur.

XVII. Ut bigami non admittantur ad clerum. Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non presbyter aut diaconus aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deserviunt.

XVIII. Quod is qui viduam vel eiectam aut meretricem acceperit, non admittatur ad clerum. Si quis viduam aut eiectam acceperit aut meretricem aut ancillam vel aliquam de his quae publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus aut presbyter aut diaconus aut ex eo numero qui ministerio sacro deserviunt.

XIX. Qui duas sorores habuerit, non admittatur ad clerum. Qui duas in coniugium sorores acceperit vel filiam fratris, clericus esse non poterit.

XX. Clericum fideiussorem esse non posse. Clericus fideiussionibus inserviens abiiciatur.

XXI. Quod ii qui non sponte eunuchizati sunt suscipiantur ad clerum. Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persequutione eius sunt amputata virilia vel si ita natus est et est dignus, efficiatur episcopus.

XXII. Ut is qui se eunuchizavit, clericus non fiat. Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat clericus, quia suus homicida est et dei conditionis inimicus.

XXIII. Ut clericus qui se eunuchizavit, abiiciatur a clero. Si quis, cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.

XXIV. Ut laicus qui se eunuchizavit, tribus annis communione privetur. Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione privetur, quia suae vitae insidiator extitit.

XXV. Quod episcopus aut presbyter aut diaconus, si pro criminibus damnati fuerint, minime communione priventur. Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto captus est, deponatur, non tamen communione privetur, dicit enim scriptura: non vindicabit dominus bis in idipsum.

XXVI. Similiter et reliqui ministri. Similiter et reliqui clerici huic conditioni subiaceant.

XXVII. Qui clerici debeant coniugibus copulari. In nuptiis autem qui ad clerum provecti sunt, praecipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores cantoresque tantummodo.

XXVIII. Quod episcopus, presbyter et diaconus peccantes fideles verberare non debeant. Episcopum aut presbyterum aut diaconum percutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes, et per huiusmodi volentem timeri, deiici ab officio suo praecipimus, quia nusquam nos hoc dominus docuit. Econtrario vero ipse cum percuteretur, non repercutiebat, cum malediceretur, non remaledicebat, cum pateretur, non comminabatur.

XXIX. Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus depositus iuste super certis criminibus ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab ecclesia penitus abscindatur.

XXX. Quod non debeant officia ecclesiastica pecuniis obtineri. Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur et ipse et ordinator eius, et a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a Petro.

XXXI. Ut ecclesia saeculari potentia minime pervadatur. Si quis episcopus saecularibus potestatibus usus, ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur et segregentur omnes quicunque illi communicant.

XXXII. De presbytero qui contra episcopum seorsum conventus congregare tentaverit. Si quis presbyter contemnens episcopum suum, seorsum collegerit et altare aliud erexerit nihil habens quo repraehendat episcopum in causa pietatis et iustitiae, deponatur, quasi principatus amator existens. Est enim tyrannus et caeteri clerici quicunque tali consentiunt, deponantur, laici vero segregentur. Haec autem post unam et secundam et tertiam episcopi obsecrationem fieri conveniat.

XXXIII. Quod clerici damnati non debeant ab aliis recipi. Si quis presbyter aut diaconus ab episcopo suo segregetur, hunc non licere ab alio recipi, sed ab ipso qui eum sequestraverat, nisi forsitan obierit episcopus ipse qui eum segregasse cognoscitur.

XXXIV. Ut nullus episcopus, presbyter aut diaconus sine commendatiis suscipiatur epistolis. Nullus episcoporum peregrinorum aut presbyterorum aut diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis. Et cum scripta detulerint, discutiantur attentius et ita suscipiantur, et si praedicatores pietatis extiterint minus, nec quae sunt necessaria subministrentur eis et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.

XXXV. De primatu episcoporum. Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, et nihil amplius praeter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli quae parochiae propriae et villis quae sub ea sunt, competunt. Sed nec ille praeter omnium conscientiam faciat aliquid, sic enim unanimitas erit et glorificabitur deus per Christum in spiritu sancto.

XXXVI. Quod non liceat episcopum in aliena provincia clericos ordinare. Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus et villis quae illi nullo iure subiectae sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse praeter eorum conscientiam qui civitates ipsas et villas detinent, et ipse deponatur et qui ab illo sunt ordinati.

XXXVII. De ordinatis episcopis nec receptis. Si quis episcopus non susceperit officium et curam populi sui commissam, hic communione privetur, quoadusque consentiat oboedientiam commodans; similiter et presbyter et diaconus. Si vero perrexerit nec receptus fuerit, non pro sua sententia, sed pro malitia populi, ipse quidem maneat episcopus: clerici vero civitatis communione priventur, eo quod eruditores inoboedientis populi non fuerunt.

XXXVIII. Ut bis in anno concilia celebrentur. Bis in anno episcoporum concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent et emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant, semel quidem quarta septimana Pentecostes secundo die; duodecimo die mensis Hyperberetaei, id est iuxta Romanos quarto Idus Octobris.

XXXIX. Ut tantum curam rerum ecclesiasticarum episcopus habeat. Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat et ea velut deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex his omnibus aliquid omnino contingere aut parentibus propriis quae dei sunt condonare. Quod si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, nec eorum occasione ecclesiae negotia depraedetur.

XL. De dignitate pontificis et quod rerum suarum habeat potestatem. Presbyteri et diaconi praeter episcopum nihil agere pertentent. Nam domini populus ipsi commissus est et pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Sint autem manifestae res propriae episcopi (si tamen habet proprias) et manifestae dominicae, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus, sicut voluerit et quibus voluerit, derelinquere. Nec sub occasione ecclesiasticarum rerum quae episcopi esse probantur, intercidant. Fortassis enim aut uxorem habet aut filios aut propinquos aut servos, et iustum est hoc apud deum et homines, ut nec ecclesia detrimentum patiatur ignoratione rerum pontificis, nec episcopus nec eius propinqui sub obtentu ecclesiae proscribantur et in causas inci-

dant quae ad eum pertinent, morsque eius iniuriis malae famae subiiciatur.

XLI. Quod episcopus ecclesiasticarum rerum pro dispensatione pauperum habeat potestatem. Praecipimus ut in potestate sua episcopus ecclesiae res habeat; si enim animae hominum praeciosae illi sunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex iis autem quae indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates et ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, ut nihil eis possit omnino deesse. Lex enim dei praecipit ut qui altari deserviunt, de altari pascantur, quia nec miles stipendiis propriis contra hostes arma sustulit.

XLII. Quod episcopus, presbyter et diaconus aleator et ebriosus esse non debeat. Episcopus aut presbyter aut diaconus aleae aut ebrietati deserviens, aut desinat aut certe damnetur.

XLIII. Similiter clerici et laici si permanserint in alea, communione priventur. Subdiaconus aut lector aut cantor similia faciens aut desinat aut communione privetur, similiter etiam laicus.

XLIV. Quod episcopus, presbyter aut diaconus non debeat usuras accipere. Episcopus aut presbyter aut diaconus usuras a debitoribus exigens aut desinat aut certe damnetur.

XLV. Quod non debeat episcopus, presbyter aut diaconus cum haereticis orare. Episcopus, presbyter et diaconus qui cum haereticis oraverit, tantummodo communione privetur; si vero tanquam clericos hortatus eos fuerit agere vel orare, damnetur.

XLVI. Quod non debeant haereticorum baptismata comprobari. Episcopum aut presbyterum haereticorum suscipientem baptisma damnari praecipimus. Quae enim conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli?

XLVII. Quod ecclesiae baptismate baptizatus denuo baptizari non debeat et non ita baptizatus debeat baptizari. Episcopus aut presbyter, si eum qui secundum veritatem habuerit baptisma, denuo baptizaverit aut si pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens crucem et mortem domini nec sacerdotes a falsis sacerdotibus iure discernens.

XLVIII. Laicum pellentem suam coniugem communione privandum. Si quis laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.

XLIX. Quod in nomine trinitatis debeat baptizari. Si quis episcopus aut presbyter iuxta praeceptum domini non baptizaverit in nomine patris et filii et spiritus sancti, sed in tribus sine initio principiis aut in tribus filiis aut in tribus paracletis, abiiciatur.

L. Quod non debeat una mersio in baptismate, quasi in morte domini provenire. Si quis episcopus aut presbyter non in trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis dominus: in morte mea baptizate, sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.

EPISTOLA CLEMENTIS AD IACOBUM FRATREM DOMINI.[1]

(*Textus omnium epistolarum quae sequuntur usque ad Alexandri primam desumtus ex cod. Mutin.*)

[I. Quod Simon Petrus vere fidei merito primus fuit primicie electionis domini apostolorum et quod Romae pro pietate paciendo volens praesentem vitam finivit.][2]

I. Clemens Iacobo domino[3] episcopo episcoporum, regenti Hebreorum sanctam ecclesiam Hierosolimis[3a], sicut et[4] omnes aecclesias, quae ubique dei providentia fundante[5] sunt, cum presbiteris et diaconibus et caeteris omnibus fratribus, pax tibi sit semper.

Notum tibi facio, domine, quia Symon[6], qui vere fidei merito et integre praedicationis obtentu fundamentum aecclesiae diffinitus est, qua de causa aetiam domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiae electionis domini apostolorum primus, cui et primo deus pater filium revelavit, cui et Christus competenter beatitudinem contulit, quia et vocatus est et electus, et conviva domini et comes effectus, tamquam bonus et probatissimus discipulus, qui occidentis[7] obscuriorem mundi plagam velut omnium potentior illuminare praeceptus est, quique et integre potuit

Clemens — domino opem ferente (c. 20.), Cod. Quesnell. c. 64. (Op. Leon. M. ed. Ball. 3,455).

[1] *Sic quoque Par.* 4280 *AA*; *Par.* 3852: Incipit etc.; *Bb.* Incipit epist. s. Cl. ad Iacob. fr. d. De obitu sancti Petri et ordinatione sua. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA*. *Deest in codd. Bb. Dst.* [3] *Par.* 3852. *Dst. Bb. addunt:* et. [3a] *Dst.* Hierosolimam. [4] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* sed et. [5] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* fundate. [6] *Par.* 3852. *Dst. Bb. addunt:* Petrus. [7] *Bb.* occidentem.

implere praeceptum. Sed quousque sermonem[1] refugiens[2] indicare quod triste est, quod quidem necesse est, licet tarde, proferre. Hic denique ipse Petrus qui[3] immensa caritate, quam erga omnes homines gerebat, palam cum[4] omni fiducia adversante etiam tirranno, totius mundi bonum praedicare non destitit et regem omnium saeculorum per omnem terram et[5] usque ad ipsius Romane urbis huius notitiam ut aetiam ipsa salvaretur invexit, hic, inquam pro pietate pati[6] volens praesentem vitam finivit. In ipsis autem diaebus quibus finem sibi invenire[7] praesensit in conventu fratrum positus apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius aecclesiae haec protulit verba: Audite me, fratres et conservi mei, quoniam ut edoctus sum ab eo qui misit me domino et magistro Iesu Christo[8], dies mortis meae instat. II. Clementem hunc episcopum vobis ordino, cui soli meae praedicationis et doctrinae cathedram trado, quoniam[10] ab initio usque ad[11] finem comes in omnibus fuit, et per hoc veritatem totius meae praedicationis agnovit, qui in omnibus temptationibus meis socius extitit fideliter perseverans, quem prae caeteris expertus sum deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem, scientem ferre nonnullorum aetiam ex his qui in verbo dei instituuntur, iniurias. Propter quod ipsi trado a domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris hoc decretum sit et in caelis. Ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod expedit solvi, tanquam[12] ad liquidum aecclesiae regulam noverit. Ipsum ergo auditae, scientes, quia quicunque contristaverit doctorem veritatis peccat in Christum, et patrem omnium exacerbat deum, propter quod et vita carebit. Ipsum autem qui praeest ceteris oportet medici vicem agere et non ferae bestiae furore commoveri.

[II. Quod Petrus Clementem episcopum Romanis ordinaverit et ei chatedram tradiderit.][9]

III. Haec eo dicente ego procidens ad pedes eius rogabam excusans me et declinans honorem cathedrae vel potestatem. At ille respondens: pro hoc, inquit, ne me rogaveris, hoc enim fieri statutum est mihi, et[14] quo te[15] excusas, quia haec cathedra eum, qui cupit eam et audacter expetit, non requirit, sed ornatum moribus et in verbis[16] eruditum. Quod si esset alius melior[17], si quis mihi alius adiutor tam sedulus astitisset, si quis tam plenae doctrinae meae rationem[18] cepisset, sed et in[19] aecclesiasticas dispositiones a me[20] tam plane[21] didicisset, habens alium talem, non te cogerem bonum opus suscipere nolentem. Superfluum est ergo alium quererere, cum primitias eorum qui ex gentibus per me salvantur, et praecipue huius urbis te primum obtulerim deo. Sed et illud[22] intuere[23], quia si[24] periculum peccati times[25] suscipere refugiens aecclesiae gubernacula, certus esto quia amplius peccas, qui populum dei velut in fluctibus positum et periclitantem, cum possis iuvare, subterfugis, tui tantummodo habens considerationem, et non quod in commune omnibus expedit providens. Sed certus esto quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium obsecrando cessabo. Quanto ergo mihi citius acquieveris, tanto me citius laboris et tristitiae meae merore relevabis. Novi aetiam hoc, o Clemens, quod tibi tedia et molestias, pericula aetiam et obprobria ineruditi vulgi indocilisque conciliem, quae tu tamen, scio quam[26] constanter et fortiter feres, respiciens ad illam spem, quae tibi apud deum patientiae praeparat coronam. Sed et illud cupio te mecum iusta ratione[27] perspicere, quando maxima opera tua indiget Christus nunc, cum inimicus adversus sponsam eius commovet bellum, an in futuro tempore quando iam Christus post victoriam triumphabit, nec ultra ullius opera indigebit? Quis non etiam parvi sensus intelligat quod istud est

[III. Quod Clemens procidens ad pedes beati Petri rogaverit excusans se et declinaverit honorem chatedrae vel potestatem. Item exortacio Petri ad Clementem pro suscipiendo officio episcopatus.][13]

[1] *Bb. addit:* protraham. [2] *Par.* 3852: refugiam. [3] *Par.* 3852. *Dst. Bb. addunt:* pro. [4] *Sic codd. cit.; Mut.* eum. [5] *Codd. cit.* per orbem terrae et. [6] *Dst. Bb.* patiendo. [7] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* imminere. [8] *Dst. omisit* ab eo etc. *usque* Iesu Christo. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [10] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* qui mihi. [11] *Codd. cit.* in. [12] *Codd. cit. addunt:* qui. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [14] *Par.* 3852. *Dst. addunt:* eo magis. [15] *Bb.* eo magis quod. [16] *Bb.* verbo dei. [17] *Bb. addit:* aut. [18] *Bb.* orationem. [19] *Par.* 3852. *Dst. Bb. omittunt* in. [20] *Dst. omisit* a me. [21] *Dst.* plene. [22] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* aliud. [23] *Dst.* intulit. [24] *Dst. Bb.* quasi *pro* quia si. *Par.* 3852: qui. [25] *Par.* 3852: timens. *Dst.* time. [26] *Dst. Bb.* quod. [27] *Dst.* iuxta rationem.

temporis in quo operam tuam Christus requirit? Tota igitur mente in praesenti necessitate praebe operam tuam, et auxilium in preliis exhibe regi obtimae[1] remunerationes magnificas post victoriam reddituro. Libenter ergo suscipe aepiscopatus officium, eo maximae quo aecclesiasticas dispositiones a me probabiliter didicisti, ut salus eorum qui per nos confugerunt ad deum nequaquam vacillet, verumtamen et breviter te de ipsius dispensationis ordine coram omnibus commonere necessarium duxi[2].

[IV. Quod sacerdotes inreprehensibiliter oporteat vivere et omnes vitae huius occupationes abicere et non fideiussores exsistere neque advocatos litium fieri.][3]

IV. Te quidem oportet inreprehensibiliter vivere, et summo studio niti, ut omnes vitae huius occupationes abicias, ne fideiussor existas, ne advocatus litium fias, ne[4] in ulla aliqua occupatione prorsus inveniaris mundialis negoti occasione perplexus. Neque enim iudicem aut cognitorem saecularium negotiorum hodiae te ordinare vult Christus, ne praefocatus praesentibus hominum curis, non possis verbo dei vacare et secundum veritatis regulam secernere bonos a malis. Haec tantaque[5] opera, quae tibi minus congruere superius exposuimus, exhibeant sibi invicem dicentes[6], id est laici, et te nemo occupet ab his studiis per que salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est, neglectis verbi dei studiis, sollicitudines suscipere saeculares, ita unicuique laicorum peccatum est, nisi invicem sibi, etiam in his quae ad communis vitae usum pertinent, operam fideliter dederint. Te vero securum facere et[7] his quibus debes vacare[8], omnes communiter elaborent. Quod si forte a semetipsis hoc laici non intelligunt, per diacones edocendi sunt, ut tibi solius aecclesiae sollicitudines derelinquant; quod ipsam, ut dignum est, dispensare sufficias, et veritatis verbo habundantius et studiosius deservire. Si enim mundialibus curis fueris occupatus et teipsum decipias[9] et eos qui te audiunt, non enim poteris quae ad salutem pertinent plenius singulis quibusque distinguere; et ex eo fiet ut et tu tanquam qui non docueris quae ad salutem hominum pertinent deponaris[10] et disciipuli per ignorantiam pereant. Idcirco tu quidem ad hoc solum vacato, ut opportune et sine intermissione doceas verbum dei, per quod salutem consequi possint. Illi vero cum tanta reverentia tua verba suscipiant, ut[11] sciant legatum te et praeconem esse veritatis, et quodcumque ligaveris super terram, esset[12] ligatum et in caelo, et quodcumque solveris, etiam ibi esset[13] solvendum. Quoniam quidem et tu, ut dixi, quae oportet ligabis, et quae expedit solves, et ad te quidem[14] qui praees ista sint monita, et his similia.

[V. Quod ad presbiteros ista sunt ut ante omnia pudiciciam studentes adulescentes nuptiis iungant, sed nec in provectioribus quidem curam habere huiusmodi neglegant, quoniam adulterium secundum in poenis obtinet locum.][15]

V. Ad presbiteros vero sint ista. Ante omnia ut pudicitiam studentes adolescentes nuptiis iungant, quo calorem ferventis aetatis coniugali lege praeveniant, sed ne in provectoribus[16] quidem curam habere huiusmodi negligant, quia in multis, etiam cum senuerit corpus concupiscentia viget: ne forte ergo fornicationis labes occasione accepta tamquam venenum pessimum serpat in vobis, cavere et antevenire[17] necessarium est, ne quod in vobis adulterii occultum calescat incendium. Et quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Secundum namque in paenis obtinet locum, quoniam quidem primum illi habent qui aberrant a deo, aetiam si sobrie vixerint. Propter quod vos, o presbiteri, aecclesiam excolite et adornate sponsam Christi ad pudicitiam, sponsam autem dico omnem aecclesiae congregationem. Quae si pudica fuerit inventa ab sponso suo[18], ingentibus ab eo donis et muneribus honorabiliter[19] et vos velut ministri sponsae et amici sponsi ingenti gaudio et laetitia perfruemini. Si vero sponsa haec reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tamquam indigna[20] tradetur regalibus thoris, vos autem debitis[21], si forte per vestram negligentiam vel desidiam obrepserit contagio seva peccati. Idcirco igitur ante omnia sobrietatis et pudicitiae sollicitudinem gerite.

[VI. Quod plures sint species fornicationis et de prima specie adulterii.][22]

VI. Valde enim apud deum grave crimen

[1] *Par.* 3852. *Dst.* optimo. *Bb.* optime. [2] *Bb.* duco. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb.* IV. Qualis episcopus esse debeat. [4] *Dst. Bb.* neve. [5] *Par.* 3852: Ista namque. *Bb.* hista tantaque. [6] *Par.* 3852. *Dst.* discentes. [7] *Dst. Bb.* ex. [8] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* vacantem. [9] *Codd. cit.* decipies. [10] *Bb.* puniaris. [11] *Dst.* tam qui. [12] et [13] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* esse. [14] *Deest in Dst.* [15] *Sec. Par.* 3852. *Deest in Dst. Bb.* De presbiterorum industria (*in margine:* lex sacerdotum). [16] *Codd. cit.* provectioribus. [17] *Sic codd. cit.; Mut.* tantevenire. [18] *Bb.* sponsa sua. [19] *Codd. tres cit.* honorabitur. [20] *Par.* 3852. *Dst. addunt:* non. [21] *Codd. tres cit.* poenas dabitis *pro* debitis. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.*

dicitur[1] fornicatio, cuius species quidem sunt plures, sicut vobis et ipse Clemens diligenter exponit[2]: verumtamen prima species adulterii est virum propria uxore solummodo non esse contemptum, et mulierem non proprio tantum servare se viro[3].

[VII. De casto et amore fraterno et charitate.][4]

VII. Si ergo castus fuerit quis, potest et humanus et misericors fieri, per quod et ipse aeternam a deo misericordiam consequatur, sane sicut adulterii venenum cunctis malis pernitiosius est, ita amor fraternus et caritas totius boni fatigium[5] tenet. Et ideo diligite omnes fratres vestros et cum religione ac misericordia respicite ad omnes[6], orfanis exhibete vosmetipsos parentes, viduis victorum[7] curam impendite[8], cum omnia[9] castitate quae necessaria sunt praebentes, iuniores tamen viduas nuptiis copulatae. His qui ignorant artificia, exquirite honestas aliquas occasiones, quibus victum necessarium querant. Artificibus vero opera providete[10], debilibus misericordiam facite. Scio autem haec omnia facturos vos, si caritatem prae caeteris et ante omnia in vestro corde fatigatis[11]. Cuius caritatis et recipiendae et habendae maximum erit fomentum, si frequenter inter vosmetipsos communem cibum vestrum mensamque faciatis, et in quantum unusquisque praevalet, crebrius panes ac sales suos cum suis fratribus sumat: per haec enim praecipue caritas comparatur et causa totius boni in huiuscemodi communione consistit; ubi autem pax et bonitas, ibi est[12] salus; propter quod commune[13] facite cibos vestros cum his qui secundum deum fratres sunt, quia per haec temporalia officia pacis et caritatis fructibus gaudia aeterna merebimini. Multo autem sollicitius esurientes reficite et sitientibus potum date, nudis vestimentum, aegros visitate et eos qui in carcere sunt, prout possibile est, iuvate, peregrinos satis prompte in domibus vestris suscipite, et ne omnia nunc singillatim dicam, omne bonum ipsa per se, in vobis si fuerit caritas, facere vos docebit, sicut et e contrario eos qui a salute alieni sunt omne malum facere odium docet.

[VIII. Ut negocia clericorum aecclesiastico iuditio terminentur.][14]

VIII. Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores saeculi non iudicentur, sed apud presbiteros ecclesiae quidquid illud est, dirimatur et omni modo obediant statutis eorum[15].

[IX. De fugienda avaritiam.][16]

IX. Super omnia autem avaritiam fugite, quae homines occasione praesentis lucri ab aeternis separat bonis. Pondera, mensuras, stateras pro locis quibusque aequissima custodite; deposita fideliter restituite.

[X. Quod futurum dei iuditium semper in corde et ante oculos ponendum sit.][17]

X. Quae omnia et si qua sunt his similia, ita demum sollicite et diligenter implebitis, si futurum dei iudicium sine intermissione in vestro corde volvatis. Quis enim peccare poterit, si semper ante oculos suos dei iudicium ponat? quid in fine mundi certum est agitandum, ut tandem qui bene in hac vita egerunt consequantur reposita bona, peccatores autem ut consequantur praeparatas paenas, de quibus ita futurum dubitare omnino non possumus? Si quidem haec omnia ita esse ventura verus nobis propheta dixit[18].

[XI. Ut ecclesiastici viri discordias et simultates caveant.][19]

XI. Unde et vos, qui estis[20] veri prophetae discipuli, abicite a cordibus vestris ante omnia discordias et animorum dissensiones ex quibus omne opus malum procedit, benignitatem et simplicitatem tota mente servate. Quod si forte alicuius cor vel livor vel infidelitas[21] ex his quae superius memoravimus latenter inrepserit, non erubescat qui[22] animae suae curam gerit confiteri haec huic qui potest[23], ut ab ipso per verbum dei et consilium salubre curetur, qui[24] possit fide integra et operibus bonis paenas aeterni ignis effugere et ad[25] perpetua vitae praemia pervenire.

1 *Bb.* ducitur. 2 *Dst. Bb.* exponet. 3 *Par.* 3852: proprio servare tantum viro. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 5 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* fastigium. 6 *Bb.* nos. 7 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* virorum. 8 *Sic codd. cit.; Mut.* impedite. 9 *Codd. cit.* omni. 10 *Dst. Bb.* praevidete. 11 *Ceteri codd.* figatis. 12 *Dst. Bb.* et. 13 *Cet. codd.* communes. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Bb. Deest in Dst.* 15 Et omni — statutis eorum *desunt in Dst.* 16 *Sec. Par.* 4280 *AA. Omisit rubricam Dst. Numerus solus in Bb.* 17 *Rubrica restituta ex tabulis capitulorum Parisiensi 4280 AA et Bb. praefixis, quam et Dst. omisit et cuius tantum numerum duo alii codd. exhibent.* 18 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* praedixit. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Bb. In priore codice ponitur rubrica ante verba capitis decimi:* Si quidem haec omnia. 20 *Verba:* Si quidem *etc. usque* nos qui es *in Bb. alia manu addita.* 21 *Par.* 3852 *addit:* vel aliquod malum. 22 *Sic corr. sec. Dst. Par.* 3852; *Mut.* quae. *Bb.* quia. 23 *Par.* 3852. *Bb.* praeest. 24 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* quo. 25 *Sic codd. cit.; Mut.* a.

[XII. De ministerio diachonorum.][1]

XII. Diaconi vero ecclesiae tanquam oculi sint episcopi, oberrantes et circumlustrantes cum verecundia actus totius ecclesiae et perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri praecipitio et proximum esse peccato, ut referant haec ad episcopum et commoneri ab eo possit is qui in praecipitium lapsurus est, uti revocetur et non corruat in peccatum. Neglegentiores quoque et eos qui rarius ad audiendum verbum dei accedunt nec sollicite ad episcopi tractatum conveniunt, ipsi commoneant et hortentur. Si enim assidui sunt ad audiendum, non solum vitae aeternae ex salubri commonitione capiunt[2] lucra, verum et quaecunque illae sunt tristitiae vel merores quae ex praesentis vitae necessitatibus et cladibus temporum veniunt, quaecunque sermonibus suis in corde, velut iacula defixa circumferunt[3], abiciuntur omnia praedicatione veritatis et vitae aeternae[4], doctrina et eruditione purgata[5]. Alioquin si multo tempore auditum subtrahant a verbo dei et remaneant in cultu vitiorum, sine dubio spinis erunt ac sentibus occupati. Et quid aliud nisi ad ignem, talis haec terra praeparabitur? De his ergo, ut diximus, diaconi[6] cura sit. Sed et[7] eos qui secundum carnem egrotant, sollicite perquirant et plebi, si forte[8] ignorant[9], indicent de his ut et ipsi visitent eos et quae necessaria sunt praebeant eis cum conscientia eius qui praeest. Quod tamen aetiam si clam fecerint, non peccabunt. Sed et de peregrinis similiter episcopo suggerant refovendis et cetera his similia quae ad cultum aecclesiae et disciplinam eius pertinent diaconis cura sit. Qui catecizant, id est, qui verbo instruunt[10] incipientes, primo oportet quod[11] ipsi instructi sint, de anima enim agitur hominum.

[XIII. Quod oporteat eum qui docet animas rudes adprimae debere esse eruditum.][12]

XIII. Et oportet eum qui docet et instruit animas rudes, esse talem ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare et verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo ipse praecipue[13] adprime esse eruditus et doctus, inreprehensibilis, maturus, pavidus[14], sicut ipsi probabitis[15] fore Clementem hunc esse[16] post me. Multum est autem[17] si ego[18] nunc de singulis quae unusquisque habere debeat, persequar, verumtamen illud est, quod prae ceteris ab omnibus vobis cupio in[19] commune servari, ut concordiam teneatis: per quam solum potestis portum quietis intrare et civitatem regis summi[20], quae pax nominatur[21].

[XIV. Quod omnis ecclesiae status similis sit navi magnae portanti viros diversis e locis et regionibus per undosum pelagus ad unam potentis regni urbem properare cupientes.][22]

XIV. Similis namque est omnis aecclesiae status navi magnae quae per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis huius dominus ipse omnipotens deus, gubernator vero sit Christus: tum deinde prorete officium episcopus impleat: presbiteri nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant: hi qui catecizant nautologis[23] conferantur: epibatis[24] autem totius fraternitatis multitudo sit similis: ipsum quoque mare hic mundus habeatur: ventorum vero varietates[25] et turbinum[26] diversis temptationibus conferantur: persecutiones, tribulationes sive pericula fluctibus exequentur: terreni verum spiritus qui vel de torrentibus vel de convallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum seu pravae doctrinae verba docentur[27], promuntoria vero et loca confragosa hi qui in potestatibus saeculi sunt iudices et pericula minantur ac mortes: bithalassa vero loca, quae duplicibus unde fallacis aestibus verberantur, dubiis mente et repromissionum veritate nutantibus conferantur atque his qui inrationabili fidem nostram ratione discutiuntur[28]: ypocritae vero et dolosi piratis similes habeantur: iam vero

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Bb. Omisit rubr. Dst.* [2] *Bb.* capient. [3] *Sic Par.* 3852. *Dst.*; *Mut.* circumfert. [4] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.*; *Mut.* aeternitate. [5] *Dst.* purgationis. [6] *Par.* 3852. *Dst.* diaconis. [7] *Omiserunt Dst. Bb.* [8] *Addit Dst.* plebi. [9] *Par.* 3852. *Bb.* ignorat. [10] *Bb.* instruant. [11] *Bb.* ut. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA. ubi rubrica posita est ante verba:* de anima enim. *Bb. qui numerum tantum exhibet, eum ponit eodem quo nos loco. Rubricam et numerum omisit Dst.* [13] *Deest in Dst. et Bb.* [14] *Bb.* inpavidus. *Par.* 3852: providus. [15] *Par.* 3852 *et Dst.* probastis. [16] *Deest in Par.* 3852 *et Bb.* [17] *Verba* fore — multum autem *omisit Dst.* [18] *Dst.* ergo. [19] *Omisit Dst.* [20] *Par.* 3852 *addit:* Ierusalem. [21] *Par.* 3852. *Dst. Bb. addunt:* habitare. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [23] *Dst. Bb.* naustologis. [24] *In Bb. super lineam alia manu additur:* id est laicis. [25] *Dst.* varietas. [26] *Dst.* turbines mundi. [27] *Dst.* dicantur. *Par.* 3852: ducentur. [28] *Bb.* rationem discutiunt. *Par.* 3852. *Dst.* ratione discutiunt.

rapidus vertex et tartarea Caribdis et saxis illisa naufragia ac mortifere subversiones[1] quid aliud aestimanda sunt, quam peccata? Restat igitur ut haec navis cursu prospero tuta possit portum desideratae urbis intrare, ita deo precem fundere convenit[2], ut navigantes mereantur audiri. Audiri autem a deo ita demum merebitur quis, si orationes ipse bonis moribus et bonis operibus adiuventur. Sed ante omnia cum quiete et silentio epibatae, id est, laici in suis unusquisque resideant locis, ne forte per inquietudinem et inconditos inutilesque discursus, si passim vagari caeperint vel ab officio suo nautas impediant vel in alterum latus per inquietudinem[3] eorum navis pressa demergatur. Naustologi de mercedibus commoneant et nihil omnino quod ad diligentiam vel ad disciplinam pertinet diaconi neglegant, presbiteri velut nautae aptent singula ad instructionem navis diligenter et instruant quae in suo tempore requirenda sunt. Episcopus, tanquam proreta, vigilanter et sollicite gubernatoris verba custodiat Christi. Salvator dominus, gubernator aecclesiae sue, diligatur ab omnibus et ipsius solius praeceptis ac iussis credat et obaediat omnis aecclesia. Deo quoque indesinenter supplicetur a cunctis de prosperitate ventorum, ut navigantes omnem tribulationem et omne periculum superent, tanquam in mare profundum mundi istius et vitae humanae pelagus navigantes[4], in quo esuriendum sit et sitiendum, nuditatem quoque ferendam, morbos etiam corporis et egritudines tolerandas[5]: insuper et hominum insidiis[6] ac dolo[7] saepe laborandum, quippe qui dispergendos se nonnunquam noverunt, sed aliquando aetiam congregandos, vomitus quoque et sugillationes ferendas, cum ex confusione peccatorum et reiectione[8] criminum, velut male congregati in visceribus fellis iactura[9] facienda est, et abicienda prorsus e corde omnis intrinsecus quae latet amaritudo peccati, si qua forte ex desideriis iniquis velut ex cibis noxiis congregata est: quam utique cum evomuerit quis et abiecerit, ingentis aegritudinis liberabitur morbo, si tamen post vomitum quae ad sanitatem pertinent, sumat.

XV. Verumtamen scitote cuncti quod supra omnes vos laboret episcopus quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero et suum et singulorum. [XV. Quo episcopus super omnes laboret.][10]
XVI. Propter quod, o Clemens, tanquam[12] omnibus prodesse[13] te noveris, singulos prout potueris, iuva et singulos releva, qui et singulorum onus et[14] sollicitudinem portas. [XVI. Allocutio ad Clementem apostoli Petri.][11] Unde et ego nunc hanc tibi iniungens dispensationem, et scio quia accipio gratiam, magis quam praesto. Sed esto confidens et fortiter ferens, certus quia laboris tui meritum recipies, cum ad portum quietis incolumem hanc provexeris navem, ubi mercedes et praemia pro omnium salute suscipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris. Itaque si te multi e fratribus propter rigorem iustitiae odio habuerint, ex hoc quidem non lederis, sed ex huiuscemodi odiis amor tibi conciliabitur dei. Et ideo satage magis et refuge ne lauderis ab iniquis et ne a pessime diligaris agentibus, sed potius propter iustitiae dispensationem et nequissimam[15] regulam disciplinae a Christo collaudari merearis. XVII. Haec cum dixisset et his similia quamplurima, rursum respiciens ad populum dixit: [XVII. Adlocutio ad populum.][16]

Sed et vos, charissimi fratres et conservi mei, huic qui praesidet vobis ad veritatem docendam in omnibus obaedite: scientes quod si quis hunc contristaverit, Christum, qui ei docendi[17] credidit cathedram, non recipit, et qui Christum non susceperit, nec deum patrem suscepisse iudicabitur. Et ideo nec ipse suscipietur in regno caelorum. Propter quod satis agite[18], ad omnem collectam congregationem semper convenire[19], ut non velut neglegentes et desides a iudice Christo condempnemini. Convenientes vero saepe[20] ad Clementem, date omnes operam pro

1 *Dst. Bb.* submersiones. 2 *Omittunt Par.* 3852. *Dst. Bb.* 3 *Verba* et inconditos — latus per inquietudinem *omisit Dst.* 4 *Par.* 3852. laborantes. 5 *Cod. cit.* tolerandum. 6 *Dst. Bb.* insidias. 7 *Sic Par.* 3852. *Dst.; Mut. Bb.* dolos. 8 *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* redectione. 9 *Sic codd. cit.; Mut.* iacturum. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA; Bb.* Ubi ad episcoporum se vertit sententiam. *Deest in Dst.* 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerum tantum exhibet Bb.* 12 *Par.* 3852. *Bb. addunt:* qui. 13 *Dst. Bb.* praeesse. 14 *Om. Dst.* 15 *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* nequissimam. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb.* Ubi subditorum oboedientiam incitat. 17 *Omiserunt Dst. et Bb.* 18 *Dst. Bb.* satagite. 19 *Dst.* convenite. 20 *Dst. Bb.* semper.

ipso sentire et summo studio favorem verum erga ipsum dependere, scientes quia propter singulos vos[1] ipsi magis soli infestat inimicus et in ipso maiora suscitat bella. Oportet ergo vos summo studio niti, ut omni erga illum vinculo amoris innexi, plenissimo erga eum inhereatis affectum[2]. Sed vos quoque ipsi unanimes in omni concordia perdurate, quo facilius etiam illi obaedire omni[3] pariter consensu et unanimitate possitis. Propter[4] quod et vos salutem consequi et illi possit obtemperantibus sibi vobis promptius[5] inpositi honoris pondus evehere[6]. Quaedam aetiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sint, quae ipse propter insidias hominum malorum non potest evidentius et manifestius proloqui: verbi gratia, si inimicus est alicui, pro actibus suis vos nolite exspectare, ut ipse vobis dicat: cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis et voluntati eius absque communicatione[7] obsecundare et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum[8].

[XVIII. Praecipit ac monet non loquendum his quibus Clemens non loquitur neque amicum esse debere quibus ipse non loquitur.][9]

XVIII. Sed nec loqui his quibus ipse non loquitur et[10] unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus praeest, et per hoc redeat ad salutem et sanitatem[11] cum obaedire coeperit monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his[12] quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei aecclesiam voluit[13] et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est, et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt et evidenter inimici sunt: hic enim per amicitiarum speciem quae inimica sunt gerit et aecclesiam dispergit ac vastat.

Et cum hoc dixissit, in medio coram omnibus manus mihi imposuit et in cathedra sua ingenti verecundia fatigatum sedere me compulit. Cumque sedissem, haec ad me rursum locutus est:

[XIX. Commonitorium postulationis, ut post obitum suum Iacobo fratri domini descripta breviter omnia quequam poterit compendio comprehensa Clementem destinare non pigeat.][14]

XIX. Deprecor te, Clemens, coram omnibus qui praesentes sunt, ut posteaquam, sicut naturale debitum est, vitae praesentis finem fecero, Iacobo fratri domini descripta breviter vel quae ad inicium fidei tuae expectant, vel aetiam quos ante fidem animos gesseris, sed qualiter mihi ab initio usque ad finem comes itineris[15] et actuum fueris[16], quaeque per singulas civitates me disputante sollicitus auditor exceperis, quique in praedicationibus meis vel verborum fuerit ordo vel actuum, sed et qui me finis in hac urbe reppererit sicut dixi omnia quam potes breviter comprehensa ad ipsum te destinare non pigeat. Nec verearis ne forte multum de meo exitu contristandus sit, cum me id pro pietate sustinere non ambigat. Erit autem ei grande solatium[17], quod post me non imperitus[18] aliquis aut indoctus atque ignorans divini verbi ministerium[19], aecclesiastici ordinis disciplinam vel doctrinae regulam nesciens ceperit[20] cathedram meam. Scit enim quia, si indoctus istius[21] officium doctoris accipiat, sine dubio discipuli et auditores ignorantiae tenebris[22] involuti in interitum dimergentur[23]. Unde et ego, mi domine Iacobe, cum haec ab eo praecepta susceperim, necesse habui implere quod iusserat indicans tibi et de ipsis simul et de illis breviter comprehendens, quae per singulas quasque urbes digrediens aut in praedicationis sermone protulerit aut in gestorum virtute perfecerit, quamvis tibi de his plurima iam et plenius ante descripta ipso iubente transmiserim sub eo ipso titulo quem ipse praecipit adfigi[24].

[XX. Expositio fidei sanctae trinitatis.][25]

XX. Sed et nunc exponere iam, quia[26] praecepit, domino opem ferente incipiam. Paenitemini, inquit, et veram agite paenitentiam. Omnes ergo homines, qui christiano censen-

[1] *Dst.* suos. [2] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* affectu. [3] *Codd. cit.* omnes. [4] *Omisit Bb.* [5] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.:* pro romcius. [6] *Bb. hic ponit rubricam:* Quod non sit cum excommunicatis communicandum. [7] *Bb.* commonitione. [8] *Dst. Par.* 3852: aversum. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [10] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* ut. [11] et sanitatem *omittunt codd. cit.* [12] *Codd. cit. addunt:* quibus ipse amicus non est et locutus fuerit cum his. [13] *Par.* 3852. *Dst.* volunt. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb.* Supplicatio beati Petri ad Clementem. [15] Sed qualiter — itineris *desunt in Dst.* [16] *Dst.* et actitaveris. [17] *Par.* 3852. *Dst. Bb. addunt:* si didicerit. [18] *Bb. addit:* vir. [19] *Par.* 3852. *Bb. addunt:* et. [20] *Dst. Bb.* susceperit. *Par.* 3852: susciperet. [21] *Bb.* inscius. [22] *Dst.* tempestatibus. [23] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* demergentur. *Bb. post* demergentur *hanc rubricam addit:* Haec narratio Clementis est ad Iacobum fratrem domini. De instructione fidei. [24] *Bb. et Par.* 3852 (*hic in margine*) *addunt:* id est Clementis itinerarium praedicationis Petri. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [26] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* quae.

tur vocabulo, patrem et filium et spiritum sanctum, unum deum et dominum veraciter credere et confiteri, eumque toto corde et tota mente et tota virtute diligere et proximos suos tanquam semetipsos docibilesque usque ad perfectam doctrinam ad haec proficienda sumere oportet [1]. Fides enim et dilectio totius bonitatis est fundamentum: sine fide autem placere deo nemo poterit.

XXI. Christo itaque resurgente et ascendente in caelum misso sancto spiritu, collata apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi symbolum quod fidelis nunc tenet aecclesia, unusquisque quod sensit, dicendo condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes praedicarent. Summam ergo tocius fidei catholicae recensentes, in qua et integritas credulitatis ostenditur et unius dei omnipotentis, id est sanctae trinitatis aequalitas declaratur et mysterium incarnationis filii dei, qui pro salute humani generis a patre de caelo descendens de virgine nasci dignatus est, quoque ordine vel quando protulerit, quomodo sepultus surrexerit et in carne ipsa coelos ascenderit ad dexteramque patris consederit et iudex venturus sit, ac qualiter remissionem peccatorum sacro baptismate renatis contulerit, et resurrectionem humani generis in eadem carne in vita aeterna futura sit [3] docuerunt [4]. Symbolum enim graecae latine collatio [5] dicitur, quia hoc praedicti sancti apostoli inter se per spiritum sanctum salubriter, ut dictum est, condiderunt. Dicitur et indicium, quod per hoc qui recte crediderit indicatur. Ergo cunctis credentibus quae continentur in praefato symbolo, salus animarum et vita perpetua bonis actibus praeparatur. Ergo quod in primordio eiusdem symboli praeponitur: Credo in deum patrem omnipotentem, praeclarum fide testimonium et fundamentum in prima [6] fronte monstratur, quia [7] salvus esse poterit qui recte crediderit. Credere enim oportet accedentem ad deum, quoniam corde creditur ad iustitiam et ore confessio fit ad salutem. Unde ait propheta: Credidi propter quod locutus sum; et illud: Iustus ex fide vivit; et: Nisi credideritis, non intelligetis. Ergo in rebus humanis nullum opus incipitur nisi labor omnis ad effectum venire credatur, unde credendum est in deum, a quo tam praesens vita quam futura tribuatur. [XXI. De simbolo et quid simbolum dicatur.] [2]

XXII. Deus autem appellatio est substantiae sempiternae sive timoris divini, igitur deus sine principio, sine fine, simplex, incorporeus et inconprehensibilis: patrem autem cum audis, ignosce [9] quod habeat filium veraciter genitum, sicut possessor dicitur qui aliquid possidet et dominus qui dominatur [10] cui dominetur. Deus greco [11] pater secreti sacramenti vocabulum est, cuius vero [12] filius verbum et speculum et characteres [13] et imago vivens patris viventis, in omnibus [14] coaequalis. Nec quaeratur quomodo genuit filium, quod et angeli nesciunt, prophetis incognitum est. Unde illud dictum est: Generationem eius quis narrabit? Quam secretam originem cum proprio filio novit ipse solus qui genuit, nec a nobis deus discutiendus est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus, quod sapimus, quomodo sapientia, ingenium aut intellectus, consilium aut mens nostra generat verbum. Sed sufficit nosse quia lux genuit splendorem, sicut ait propheta: In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te, et illud: Hic deus noster et non reputabitur alterum deum [15], et postea [16]: In terra visus est et inter homines conversatus est. [XXII. Quod sit deus.] [8]

[17] Diligere ergo deum unumquemque ex toto corde et ex tota anima, ut prae-

Fides enim — fundamentum sec. c. 1. conc. Mogunt. a. 813. (Mansi 14, 65.)
sine fide autem — poterit, Hebr. XI. 6.
c. *XXI. Christo itaque resurgente — inter homines conversatus est* (c. *XXII.*), Venant. Fortunati expos. symb. apost.
c. *XXII. Diligere ergo — tanquam semetipsum*, Marc. XII. 33.

[1] *Dst.* perficienda summopere festinare oportet. *Bb.* perficieuda summopere oportet. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. exhibet rubricam:* de simbolo apostolorum. [3] *Dst.* sic. [4] *Bb.* docuerit. [5] *Bb.* consolatio. [6] *In Dst. post verba* „iu prima“ *lacuna comprehendens sequentia usque ad finem cap. XXVI* („qui est in caelis“). [7] *Bb.* qua. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [9] *Par.* 3852: *Bb.* agnosce. [10] *Codd. cit.* habet. [11] *Bb.* grecum. *Par.* 3852: ergo. [12] *Bb.* vere. [13] *Bb. Par.* 3852: caracter. [14] *Par.* 3852 *addit:* patri similis eiusdem naturae in divinitate genitus genitori per omnia. [15] *Par.* 3852. *Bb.* alter ad eum. [16] *Codd. cit.* post. [17] *Bb. addit rubricam hanc:* De dilectione dei ac proximi.

fixum est, et ex tota fortitudine oportet et proximum tanquam semetipsum, respondente domino cuidam scribarum ac dicente: Primum omnium mandatum est: Audi, Israel, dominus deus tuus deus[1] unus est, et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua[2] et ex tota mente tua et ex tota virtute tua, hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi[3]: Diliges proximum tuum tanquam teipsum[4]. Maius horum aliud mandatum non est. Quod magis est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis, unde et in veteri testamento scriptum habetur: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

[XXIII. De duobus mandatis ex quibus milicie (*pro* malitia) compescitur et per alterum benignitas propagatur.][5]

XXIII. Et dominus ait: Omnia quaecunque vultis ut vos[6] faciant homines, et vos facite illis similiter. Quibus utrisque mandatis, per unum malitia compescitur et per aliud benignitas propagatur, ut ne malum quis inferat, sed bonum impendat. Primum, ut caveat ledere: secundum, praestare; si enim fratrem quem vides non diligis, deum quem non vides quomodo potes diligere? Sic ergo docet[7] nos exercere curam nostram, ut non amittamus[8] curam vestram et sic diligere nos, ne neglegatur dilectio proximi.

[XXIV. Quod dei dilectio mori (*pro* morti) comparetur.][9]

XXIV. Quia dei dilectio morte[10] comparatur, dicente sapientia: Valida est dilectio ut mors, idcirco, quia sicut mors violenter separat animam a corpore, ita dilectio dei violenter separat animam a mundano et carnali amore. Qui enim, dominus inquit, diligit me, mandata mea servabit. Nam qui dei praecepta contemnit, deum non diligit, unde scriptum est: Nolite vos putare ut maneatis in dilectione mea, si non servaveritis praecepta mea. Neque enim regem diligimus, si odio leges eius habemus. Neque ex toto corde poterit ille deum diligere qui noscitur in proximi corruere dilectionem; quia per dilectionem proximi pervenitur ad caritatem Christi: quoniam, ut praelibatum est[11], his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae.

[XXV. De docibilibus quos oportet ut ipsi docti sint.][12]

XXV. Docibiles ergo qui perfectae docti non sunt ad haec peragenda oportet omnes esse, et ut ipsi docti sint, et alios prudenter instruere et perfecte possint docere, iuxta Danielem prophetam, qui ait: Populus[13] sciens deum suum obtinebit et faciet, et docti in populo docebunt plurimos. Omnes enim docibiles, ut iam dictum est, qui docti non sunt, esse oportet.

[XXVI. De sacerdotibus quos doctiores caeteris populis esse oportet.][14]

XXVI. Sed sacerdotes doctiores caeteris populis necesse fore docebat, quia si caecus caeco ducatum praebet, ambo in foveam cadunt, sacerdotes vero sal terrae et mundi lumen docens praecepti[15] in splendore operum patrem glorificare deum, de quibus et dominus ait: Beati estis cum maledixerint vobis[16] et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete

Audi Israel — aliud mandatum non est, Marc. XII. 29—31.
quod magis est — et sacrificiis, Marc. XII. 33.
Quod tibi fieri — ne feceris, Tob. IV. 16.
c. XXIII. Omnia quaecunque — illis similiter, Matth. VII. 12.
Quibus utrisque mandatis — benignitas propagatur, Greg. M. moral. X. 6. no. 8 (1, 340).
ut ne malum — praestare, Isid. sent. III. 28. no. 1.
si enim fratrem — potes diligere, I Ioh. IV. 20.
Sic ergo docet — neglegatur dilectio proximi, Greg. M. homil. in evang. I. 17. no. 18 (1, 1505).
c. XXIV. Quia dei dilectio — carnali amore, Isid. sent. II. 3. no. 4.
Qui enim — mea servabit, Ioh. XIV. 21.
Nam qui praecepta — diligit, Isid. sent. II. 3. no. 5.
Nolite vos — praecepta mea, Ioh. XV. 9. 10.
Neque enim — leges eius habemus, Isid. sent. II. 3. no. 5.
Neque ex toto — corruere dilectionem, l. c. no. 7.
quia per dilectionem — caritatem Christi, Isid. de different. II. 37. no. 143.
his duobus — prophetae, Matth. XXII. 40.
c. XXV. Docibiles — docere sec. Ambros. de dignit. sacerd. c. 4. (2 append., 361).
Populus sciens — docebunt plurimos, Dan. XI. 32. 33.
c. XXVI. Sed sacerdotes — glorificare deum sec. Matth. V. 13. 14. 16. XV. 14.
Beati estis — qui est in caelis, Matth. V. 11—16.

1 *Omiserunt Par.* 3852 *et Bb.* 2 et ex tota anima tua *omisit Par.* 3852. 3 *Par.* 3852: huic. 4 *Bb.* temetipsum. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb.* 6 *Bb. et Par.* 3852: vobis. 7 *Par.* 3852: decet. 8 *Par. cit.* dimittamus. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA; Bb. numerum tantum exhibet.* 10 *Par.* 3852. *Bb.* morti. 11 *Bb. addit:* in, *scriptum alia manu supra lineam.* 12 *Sec. Par.* 4280 *AA; Bb. exhibet rubricam;* de scientia et locatione doctorum. 13 *Par.* 3852. *Bb. addunt:* autem. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb.* 15 *Bb.* praeceptis. *Par.* 3852: praecepit. 16 *Bb. addit:* homines.

et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra et glorificent patrem vestrum qui est in caelis.

[XXVII. De episcopis missis a Clemente per singulas civitates et gentes quos apostolus Petrus non miserat: monet Iacobum hoc agere per suas dioceses.][1]

XXVII. Episcopos autem per singulas civitates quibus ille non miserat, per doctos et prudentes ut serpentes, simplicesque sicut columbas iuxta domini praeceptionem nobis mittere praecepit. Quod etiam facere inchoavimus et domino opem ferente facturi sumus, vos autem per vestras dioceses episcopos sacrate et mittite, quia nos ad alias partes, quod isdem iussit agere curabimus. Aliquos vero ad Gallias Spaniasque mittimus, et quosdam ad Germaniam et Italiam atque ad reliquas gentes dirigere cupimus, ubi in[2] ferociores et rebelliores gentes fore cognoverimus, illuc dirigere sapientiores et austeriores necesse habemus. Qui cotidie non cessent divina seminare semina et multos Christo lucrare[3] et ad rectam fidem et viam veritatis perducere, ut plures manipulos domino valeant praesentare.

[XXVIII. De patriarchis et prophetis.][4]

XXVIII. In illis vero civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates poni vel patriarchas qui reliquorum episcoporum iudicia et maiora quotiens necesse foret negotia in fide agitarent, et secundum domini voluntatem, sicut sancti constituerunt apostoli, ita ut ne quis iniuste periclitaretur, definirent.

[XXIX. De archiepiscopis atque episcopis.][5]

XXIX. In illis autem civitatibus, in quibus dudum apud praedictos erant ethnicos eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos institui[6] praecaepit, qui non tamen primatum, sed archiepiscoporum fruerentur nomine. Episcoporum quoque iudicia, ut superius memoratum est, et maiora aecclesiarum negotia, si ipsi reclamaverint, aut aliquem timorem aut istos vel alios suspectos[7] habuerint, ad iam dictos primates vel patriarchas, ne aliquis nocenter[8] periret, transferri docuit[9], in singulis vero reliquis civitatibus singulos et non binos vel ternos aut plures episcopos constitui praecepit, qui non primatum aut archiepiscoporum aut metropolitanorum nomine, quia matres civitatum non tenent, sed episcoporum tantum vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipsos apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus praefuit. Hoc tamen providendum instituit, ne in villis aut in castellis vel modicis civitatibus instituerentur episcopi, ne vile eorum nomen fieret.

[XXX. Quod episcopi vicem apostolorum et presbiteri reliquorum discipulorum teneant vicem.][10]

XXX. Episcopos ergo vicem apostolorum gerere dominum docuisse dicebat, et reliquorum discipulorum vicem tenere presbiteros debere insinuabat. Et si quis aliquem ex his scandalizaret, gravissimam sibi paenam inferre[11] debere praedicabat. Cunctos se invicem diligere et adiuvare debere et neminem ab adiutorio fratris se subtrahere instruebat.

c. *XXVII. Episcopos autem — nobis mittere praecepit* sec. Cap. Vern. a. 755. c. 1.

Aliquos vero — reliquas gentes sec. Innoc. I. ep. ad Decent. Eugub. pr. (H. no. 6).

divina seminare — valeant praesentare sec. Greg. M. hom. in evang. I. 17. no. 16 (1, 1504). Cf. Anacl. 35, Soth. 1, Fel. I. pp. 7, Lib. 2, Dam. de corep.

c. *XXVIII. XXIX. In illis vero civitatibus — fruerentur nomine* sec. c. 6. conc. Afric. (D.) et c. 12. conc. Chalc. (D.). Cf. Anacl. 26. 28, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII. (Annic. 3, Steph. 9).

si ipsi reclamaverint — transferri docuit sec. c. 9. 17. conc. Chal. (D.).

quoniam nec inter ipsos — unus omnibus praefuit sec. Leon. M. ep. 14. c. 11. in f. (1, 691). Cf. Anacl. 33, Melch. 3, Iul. 9, Vigil. 7.

ne in villulas — nomen fieret, Zachar. pp. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 52. p. 112). Cf. Anacl. 28, Dam. de corep.

c. *XXX. Et si quis aliquem — debere praedicabat* sec. Matth. XVIII. 6.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [2] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* autem. [3] *Codd. cit.* lucrari. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [5] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [6] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* instatui. [7] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* pectos. [8] *Dst.* innocenter. [9] *Dst.* iubebat. [10] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [11] *Par.* 3852. *Dst.* inferri.

[XXXI. Homicidas et adulteros et cunctos criminalibus nexibus adligatos omnesque infames et quos leges saeculi damnant, sed et laycos non posse admitti ad causationem sanctorum et maiorum.][1]

[XXXII. De vita sacerdotum.][5]

[XXXIII. Maiores a minoribus nec accusandos nec iudicandos et omnes legum divinarum libenter violatores sancta communione privandos.][7]

XXXI. Homicidas vero et adulteros ac cunctos criminalibus nexibus alligatos, et qui eis coaequales non erant, ab eorum vexatione et accusatione dicente[2] domino prohibebat, et non nisi ab coaequalibus aliquid sibi[3] inferre debere docebat, quia discipulum supra magistrum esse aut ullam ei iniuriam inferre nullatenus debere oportet. Infames namque omnes et quos primates leges saeculi non recipiunt[4] sed et laicos ab eorum accusatione et vexatione semper repellere debere rogabat, et cunctos sibi subditos esse praecipiebat. XXXII. Cunctorum sacerdotum vitam superiorem sanctioremque ac discretam a saecularibus et laicis hominibus esse et spirituales atque sacerdotes super carnales ac laicos semper constituere et fore debere docebat, quoniam pro minimo nobis esse debet, ut a[6] talibus arguamur et iudicemur vel ab humano diae. XXXIII. Maiores vero a minoribus nec accusari nec iudicari ullatenus posse dicebat, quoniam non solum hoc divinas, sed et leges saeculi inhibere dicebat[8]. Omnes ergo legum divinarum libenter violatores et sacrarum institutionum voluntariae perturbatores aecclesiastica indignos regula et sancta communione iudicabat. Operatores vero earumdem eisque obedientes utrarumque ac ceterarum bonarum dignos esse dicebat[9], unde et prophetas in testimonium sumebat. Audite, caeli, et auribus percipe, terra, quoniam dominus locutus est: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me, cognovit bos possessorem suum et asinus praesepae domini sui, Israel non cognovit me, populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra addentes praevaricationem. Omne caput languidum et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo. Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igne, regionem vestram coram vobis alieni devorant et desolabitur, sicut in vastitate ostili, et derelinquetur. Vae, inquid, qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum[10]. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino et descendunt fortes eius et populus eius et sublimes gloriosique eius ad eum. Et incurvabitur homo et humiliabitur vir et oculi sublimium deprimitur[11]. Et exaltabitur dominus in iudicio et deus sanctus sanctificabitur in iustitia.

c. *XXXI. Homicidas vero — docebat*, Ben. II. 397. text. et tit. (cf. III. 369. c. 10 [bis] Angilr. l. Visig. II. 4. 1.). Cf. Eutic. 8, Euseb. 18, Fel. II. pp. 12. XVI.

quia discipulus supra magistrum esse, Matth. X. 24.

Infames — non recipiunt, c. 96. conc. Afric. aut Ben. III. 99, 437.

sed et laicos — debere rogabat sec. vit. Silvestr. c. 6. in libr. pontif. Cf. Marcelli 11, Euseb. 3.

c. *XXXII. quoniam pro minimo — humano diae*, I Cor. IV. 3.

c. *XXXIII. Maiores vero a — posse dicebat*, Ben. I. 397. II. 381. Cf. infr. c. *XLII*, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19. (c. 18. Angilr.).

Omnes ergo legum — communione iudicabat, cf. rescriptum Dam. ad Aurel.

Audite, caeli — et derelinquetur, Ies. I. 2—8.

Vae, inquid, quid dicitis — in amarum, Ies. V. 20.

Propterea captivus — sanctificabitur in iustitia, Ies. V. 13—16.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. ponit rubricam:* Quod criminibus inlecti sunt, ad accusationem episcoporum non admittantur. [2] *Dst. Bb.* docente. [3] *Sic codd. cit. Par.* 3852; *Mut.* sancti. [4] *Dst. Bb.* suscipiunt. [5] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [6] *Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* ad. [7] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. exhibet rubricam:* Ne maioribus a minoribus iudicentur. [8] *Par.* 3852. *et Bb.* docebat. *Bb. post hoc verbum ponit hanc rubricam:* Qui sacrae legis et sanctarum aecclesiarum sunt perturbatores a communione sunt pellendi. [9] *Bb. addit alia manu saec. XI. in margine scriptum:* ponentes amarum in dulce et dulce in amarum. [10] *Bb. omisit hic:* ponentes amarum — in amarum. [11] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* deprimentur.

XXXIV. Carnales spiritualibus resistere prohibebat, et de his qui cervices suas contra magistros et seniores suos erigebant in[2] exemplum dicebat: Detracta est ad inferos superbia tua, cecidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt[3] vermes. Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris, corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In caelum ascendam supra astra dei et[4] exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur teque prospicient: Nunquid[5] iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum et urbes[6] destruxit, vinctos[7] eius non aperuit carcerem?

[XXXIV. Carnalibus spiritalibus non posse resistere et de his qui cervices suas contra magistros et seniores suos erigebant.][1]

XXXV. Aebrietatem oppido prohibebat et ebriosos corpore et animo mortuos esse praedicabat, de quibus et in exemplum aiebat: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potendum usque ad vesperam, ut vino aestuaetis. Cythara et lira et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris, et opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Et iterum: Vae qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendum[9] aebrietatem. Qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti auferetis[10] ab eo. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis et calor flammae exurit, sic radix eorum[11] quasi favilla erit et germen eorum ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem domini exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt. Ideo iratus est furore[12] domini in populo suo, et extendit manum suam super eum et percussit eum, et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In omnibus his non est aversus[13] populus meus[14], sed adhuc manus eius extenta.

[XXXV. De ebrietate.][8]

XXXVI. Nullum enim presbiterum in alicuius episcopi parochia aliquid agere debere absque eius permissu docebat, cunctos presbiteros propriis episcopis in omnibus absque mora obaedientes instituente domino esse debere docebat. Nullum aliena concupiscere aut praesumere eorum, sed unumquemque suis sibique commissis contentos esse docebat. Neminem aetiam alicui aliquid facere, nisi quod sibi vult fieri instruebat. XXXVII. Sanctam ergo[17] ecclesiam immaculatam omnes servare debere evangelizabat, cuius claves episcopos esse dicebat. Ipsi enim habent potestatem claudere caelum et aperire portas eius, quia claves coeli facti sunt. Amovere autem eos neminem debere docebat, quia oculi domini sunt, et qui eos tangit, tangit pupillam oculi eius. Et quantae paenae[18] dignus sit, qui eos scandalizat, ipsum dominum docuisse dicebat, ubi ait: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et dimergatur[19] in pro-

[XXXVI. Quod nullus presbiter aliquid agere debeat in alicuius parroechiam absque eius permissu et quod cuncti presbiteri sint obaedientes suis episcopis sine mora.][15]

[XXXVII. Quod episcopi claves sint aecclesiae et habeant potestatem claudere caelum et apperire portas eius.][16]

c. *XXXIV.* *qui cervices — suos erigebant*, c. 42. conc. III. Carth. Cf. Bonif. II. exempl. prec.

Detracta est — non aperuit carcerem, Ies. XIV. 11—17.

c. *XXXV.* *Vae qui consurgitis — consideratis*, Ies. V. 11. 12.

Et iterum: Vae qui — manus eius extenta, Ies. V. 22—25.

c. *XXXVI.* *Nullum enim — esse debere*, Epit. Hadr. can. apost. 40. (cf. Ben. I. 23. II. 311. III. 182). Cf. infr. c. 70.

Neminem aetiam — vult fieri, Tob. IV. 16.

c. *XXXVII.* *Ipsi enim habent — coeli facti sunt*, Apocal. XI. 6.

Amovere autem — pupillam oculi eius, Zach. II. 8.

Qui scandalizaverit — contempnatis unum ex his pusillis, Matth. XVIII. 6—10.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. hancce ponit rubricam:* Quod carnales et superbi omnino a spiritalibus resistendi sunt. [2] *Addit Dst.* diaboli. [3] *Omiserunt Par.* 3852 *et Bb.* [4] *Omis. codd. cit. et Dst.* [5] *Dst. add.* non. [6] *Par.* 3852. *Bb. Dst. addunt:* eius. [7] *Par.* 3852 *et Dst.* vinctis. *Bb.* vintis. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. tantum numerum exhibet.* [9] *Par.* 3852. *Bb.* miscendam. [10] *Par.* 3852. *Bb. Dst.* aufertis. [11] *In Dst. lacuna post* „radix eorum" *comprehendens sequentia usque ad verba* mutent fortitudinem *cap. XXXVIII.* [12] *Sic Par.* 3852. *Bb. Dst.; Mut.* furore. [13] *Bb.* adversus. [14] *Par.* 3852. *Bb. Dst.* furor eius. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. ponit rubricam:* Quod presbiteri sine sui episcopi assensu in aliena parrochia non ministrent et quod sanctam ecclesiam et episcopos omni devotione a populo custodiantur. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. tantum numerum exhibet.* [17] *Par.* 3852: vero. [18] *Bb.* quanta poena. [19] *Par.* 3852. *Bb.* demergatur.

fundum maris. Vae mundo ab scandalis, necesse est enim ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et proice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proice abs te. Bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne[1] contempnatis unum ex his pusillis. Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo[2]. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quecunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et iterum propheta[3] loquitur dicens: Expavit, inquid, caelum super hoc et hoc corruit[4] amplius vehementer, dicit dominus: O intolerabilem malignitatem, o linguam loquentem iniquitatem contra deum et mentem in altitudinem cornu extollentem. Et iterum: Impone, homo, tuae linguae hostium et seram, cessa cornu in altitudinem extollens et loquens iniquitatem adversus deum et proximum tuum, quousque insultas patienti Christo et fratribus? Sic autem peccantes in fratres et percutientes eorum infirmam[5] conscientiam in Christum graviter peccatis et rei iudicio effecti infames efficiamini[6] et iuste repellimini. Et iterum per prophetam loquitur dicens: Vos autem, sacerdotes domini, vocabimini ministri dei nostri, dicente[7] vobis: Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt partem eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis. Quia ego dominus diligens iudicium et odio habens rapinam in olocaustum[8], et dabo opus eorum in veritate et foedus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorum et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent eos, quia isti sunt semen cui benedixit dominus: Gaudens gaudebo in domino meo[9] et exsultabit anima mea in deo meo, quia induit me vestimentum salutis et indumentum laetitiae[10] circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert semen suum et sicut ortus semen suum germinat, sic dominus deus germinet[11] iustitiam et laudem coram universis gentibus.

[XXXVIII. Quod episcopi a solo domino sint iudicandi vel removendi et non ab aliis.][12]

XXXVIII. Eos autem a solo domino iudicandos aut removendos, et non ab aliis[13] esse dicebat, quia sui sunt et non alterius. Et quis est qui alterius iudicet servum? Nam et[14] si ista non patiuntur homines, nec deus deorum et dominus dominantium haec ullatenus patitur, unde et prophetas sibi testes esse dicebat, per quos dominus loquitur dicens: Ecce excoxi te, sed non quasi argumentum elegi te in camino paupertatis, propter me faciam, ut plasphemetur[15], et gloriam meam alteri non dabo. Audi me, Iacob et Israel, quem ego voco. Ego ipse, ego primus et[16] ego novissimus, manus quoque mea fundavit terram et dextera mea mensa est caelos. Ego vocabo eos, et stabunt simul; me insule exspectabunt et brachium meum sustine-

Amen dico vobis — sum in medio eorum, Matth. XVIII. 18—20.
Expavit, inquid — extollentem, collat. V. conc. II. Constant. (Mansi 9, 332). Cf. infr. c. 51.
Impone homo — seram, Ecclesiastic. XXVIII. 28.
cessa cornu — iniquitatem, Ps. LXXIV. 6.
Sic autem peccantes — graviter peccatis, I Cor. VIII. 12.
Vos autem sacerdotes — universis gentibus, Ies. LXI. 6—11.
c. XXXVIII. Eos autem a solo — iudicet servum sec. Ben. III. 441. tit. Cf. Telesf. 3.
Ecce excoxi te — stabunt simul, Ies. XLVIII. 10—13.
me insule exspectabunt — non deficiet, Ies. LI. 5. 6.

1 *Sic Par.* 3852 *et Bb.; Mut.* nec. 2 *Omisit Par.* 3852: et quaecunque solveritis — et in caelo. 3 *Par.* 3852. *Bb.* per prophetam. 4 *Par.* 3852: horruit. *Bb.* obhorruit. 5 *Sic codd. cit.; Mut.* infirma. 6 *Codd. cit.* efficimini. 7 *Codd. cit.* dicetur. 8 *Par.* 3852: holocausto. 9 *Omiserunt Par.* 3852 *et Bb.* 10 *Codd. cit.* vestimento salutis et indumento iustitiae. 11 *Codd. cit.* germinabit. 12 *Sec. Par.* 3852. *Numerus solus in Bb.* 13 *Bb.* alienis. 14 *Bb. omisit.* 15 *Par.* 3852. *Bb.* ut non blasphemer. 16 *Omisit Bb.*

bunt. Salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis iustum populum, lex mea in corde eorum. Nolite timere obprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea in generatione generationum. Et iterum: Abscondita est via mea a domino, et a deo meo iudicium meum transivit. Numquid nescis aut non audisti? Deus sempiternus, dominus, qui creavit terminos terrae, non deficiet neque laborabit, nec[1] est investigatio sapientiae eius. Qui dicit[2], dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat. Deficient pueri et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. Taceant ad me insulae, et gentes mutent fortitudinem, accedant[3] et tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. Hos autem qui eos vetant[4] aut movere[5] vel damnare nituntur, ipsum dominum per prophetam damnare et usque ad satisfactionem eorum et aecclesiae damnatos esse docebat, ubi ait: Talia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est, et[6] inde[7] et ego eligam inlusiones eorum, et dampnationem adducam eis, quia locutus sum eis et non audierunt feceruntque malum et[8] oculis meis, et quem[9] nolui elegerunt. Audite verbum domini, qui tremetis ad verbum eius. Dixerunt fratres vestri odientes vos et abiicientes propter nomen meum: Glorificetur dominus, et videbimus in letitia vestra, ipsi autem confundentur: non enim laborabunt frustra in conturbatione praesules mei, quia semen benedictionum domini est, antequam clament ego exaudiam, et adhuc illis loquentibus ego exaudiam[10].

[XXXIX. Quod episcopos dominus ad se glorificandum elegerit et quod omnes principes terrae eis obaedire oporteat et capita sua summittere.][11]

XXXIX. Ad glorificandum se et divina mandata seminanda et evangelizanda eos dominus elegit, et non ut prohibeantur aut perturbentur agebat[12], quoniam qui eos laedit, eum laedit cuius legatione[13] funguntur. Praedicare eos assiduae et mandata domini sine intermissione annuntiare rogabat. Opera eorum bona coram hominibus monstrare et conscientiam bonam coram deo habere insinuabat. Omnes principes terrae et cunctos homines eis obaedire et capita sua[14] submittere eorumque adiutores existere praecipiebat, ut omnes pariter fideles et cooperatores legis dei monstrarentur, ne de eis dicatur: Confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te, et erunt quasi non sint et peribunt viri qui contradicunt tibi. Queres eos et non invenies viros rebelles tuos: erunt quasi non sint et veluti consumptio hominis bellantis adversum te. Omnis ergo, qui eis contradicent[15], ita damnatos et infames usque ad satisfactionem monstrabat, et nisi converterentur a liminibus ecclesiae alienos esse praecipiebat.

[XL. De tribus generibus homicidiorum.][16]

XL. Homicidiorum vero tria genera esse dicebat et paenam eorum parilem fore docebat. Sicut enim homicidas, interfectores fratrum[17], ita et detractores eorum

Audite me — generatione generationum, Ies. LI. 7. 8.
Abscondita est — et non deficient, Ies. XL. 27—31.
Taceant — propinquemus, Ies. XLI. 1.
Talia elegerunt — confundentur, Ies. LXVI. 3—5.
non enim laborabunt — exaudiam, Ies. LXV. 23. 24.
c. *XXXIX. quoniam qui eos — cuius legatione funguntur* sec. Ben. I. 322. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20).
Omnes principes — praecipiebat, sec. Ben. l. c.
Confundentur et erubescent — bellantis adversum te, Ies. XLI. 11. 12.
c. *XL. Sicut enim — esse monstrantur* sec. Ben. I. 40, 322 et I Ioh. III. 15. Cf. Anacl. 14.

1 *Sic Par.* 3852. *Bb.; Mut.* ne. 2 *Deest in Par.* 3852 *et Bb.* 3 *Bb.* accendant. 4 *Bb. et Dst.* vexant. 5 *Par.* 3852. *Bb. Dst.* amovere. 6 *Deest in codd. cit.* 7 *Codd. cit.* unde. 8 *Codd. cit.* in. 9 *Par.* 3852. *Dst.* que. 10 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* audiam. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. tantum numerum exhibet.* 12 *Par. cit.* aiebat. 13 *Bb.* legationem. 14 *Ultima verba fol.* 8. *cod. Dst. sequentia:* „submittere *etc.*" *non in fol.* 9, *sed in fol.* 10 *inveniuntur.* 15 *Par.* 3852: contraeunt. *Dst.* contravenit. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA; Dst. eandem rubricam omisso numero in margine exhibet; Bb.* abhinc: de tribus generibus homicidiorum et de custodiis plurimis. XL. 17 *Dst.* fore hominum.

eosque odientes homicidas esse manifestabat, quia et qui occidit fratrem suum et qui odit et qui detrahit, pariter homicida[1] esse monstrantur. Omnes enim a carnalibus desideriis quae militant adversus animam abstinere et bonam eorum conversationem ac innocentem omnibus monstrare rogabat. XLI. Ex corde enim cunctos attentius invicem diligere insinuabat[3] et veram fraternitatem inter se habere docebat. Cotidiana enim illius praedicatio inter cetera divina haec erat mandata, quam in eius exemplum etiam tibi, frater karissimae, significare curavi. Bonorum, inquid, operum inter caetera semina ac negotia sunt quantum unusquisque sapit, et potest totis[4] intimi cordis, ut praelibatum est, visceribus[5] deum diligere et proximum velut seipsum. Abnegare seipsum sibi, ut Iesum Christum dominum nostrum sequatur, et nihil eius amori praeponere, veritatem corde et ore proferre debere et totam spem suam deo semper committere instruebat, actus vitae suae omni[6] hora custodire et omni loco deum se respicere firmiter scire. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere et sacerdotibus domini manifestare. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire et verba vana aut mendacia non loqui, quia os quod mentitur occidit animam: verba divina libenter audire et sacerdotibus suis libenter obtemperare atque obaedientes esse docebat. Praedicationi et orationi ac lectioni frequenter incumbere et elaemosinas veras perficere. Desideria carnis non perficere, sed propria[7] frangere voluntatem: boni aliquid in se cum viderit deo applicet, non sibi, et malum a se factum cognoscat et sibi reputet. Multum loqui non amare, sed custodire labia sua, ne dolum aut malum loquantur, diem iudicii timere, gehennam expavescere et vitam aeternam omni concupiscentia desiderare, non occidere, non adulterare, non furtum facere, non rem proximi concupiscere, non falsum testimonium dicere, sed omnes homines honorare, corpus custodire, vanas et caducas non amplecti delicias, ieiunium et vigilias sanctas amare, pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, mortuos sepelire et diligenter eorum exsequias peragere, pro eisque orare et elimosynas dare, dolentes consolari et suis bonis refovere et a malis actibus se alienum facere; non esse superbum, non vinolentum nec multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmuratorem nec detractorem, quia qui detrahit, non solum se, sed multos alios occidit: iram non perficere nec iracundiae tempus reservare: dolum in corde non tenere nec pacem falsam dare, caritatem non derelinquere, nec iurare, ne forte periurus[8], eosque odientes homicidas esse manifestabat, quia et qui occidit fratrem suum et quod absit, fiat. Malum pro malo non reddere, nec iniuriam facere, sed factam patienter sufferre, inimicos diligere, maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere et persecutionem pro iustitia sustinere. Castitatem amare, et nullum odio habere, quia qui odit fratrem suum, homicida est: elationem fugere, zelum malum non habere: invidiam non exercere, nec contentionem amare: cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, et de dei misericordia nunquam desperare: seniores venerari[9], iuniores diligere: episcopos, sacerdotes suos ac cunctos reliquos aecclesiae ministros atque omnem plebem sibi commissam verba divina et mandata instruere et amare. XLII. Hosque omnes eorum episcopos tota animi virtute diligere ut oculos suos, quia oculi sunt illorum: eorum praeceptis in omnibus obedire, aetiamsi ipsi aliter, quod absit, agant, memores scilicet illius dominici praecepti: Quae dicunt

[XLI. De vera dilectione et pluribus documentis spiritalibus apostoli Petri.][2]

[XLII. Quod sacerdotes et reliqui ecclesiae ministri omnisque plebs episcopos suos tota animi virtute diligere debeant et eorum praeceptis oboedire, etiamsi ipsi aliter, quod absit, agant.][10]

Omnes enim — monstrare rogabat, I Petr. II. 11. 12.

c. *XLI. Ex corde enim — se habere docebat*, I Petr. I. 22.

Bonorum inquid — iuniores diligere, S. Bened. regulae c. 4. no. 1. 2. 10. 21. 28. 41. 48. 49. 50. 51. 55. 60. 58. 59. 42. 52. 44. 45. 46. 3—8. 11—20. 34—40. 22—27. 29—33. 63. 67. 65. 66. 71. 72. 68. 69.

c. *XLII. eorum praeceptis in omnibus obedire*, l. c. no. 60.

Quae dicunt — facere nolite, Matth. XXIII. 3.

1 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* homicidae. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 3 *Omisit Dst. sequentia:* „et veram etc.“ *usque ad verba in fine huius capitis posita:* „seniores venerari.“ 4 *Par.* 3852 *et Bb.* toti. 5 *Sic codd. cit.; Mut.* in sceleribus. 6 *Bb.* omnia. 7 *Par.* 3852 *et Bb.* propriam. 8 *Codd. cit.* periurium. 9 *Codd. cit. et Dst. addunt:* et. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. numerum tantum exhibet.*

facite, quae autem faciunt facere nolite. [1] Ipsi autem episcopi si exorbitaverint ab istis, non sunt repraehendendi vel[2] arguendi, sed[3] portandi, nisi in fide erraverint. Hi ergo[4] super hos sunt, non illi super istos, quoniam maior a minore nec argui nec iudicari[5] potest. Nullus se extollat erga doctores ac magistros suos, quia discipulus[6] super magistrum nec esse debet nec potest. Nullus velit dici sanctus, antequam sit, sed prius sit, quod[7] ut verius dicatur. Praecepta domini doctorumque ac magistrorum factis cotidie adimplere et in Christi nomine pro inimicis orare oportet[8]. Obedientia enim et humiliatio, quae a[9] magistris agitur, domino exhibetur. Timor domini[10] delectabitur[11] et dabit letitiam et gaudium in longitudinem dierum. Timenti domino[12] bene erit in extremis et in diae defunctionis suae benedicetur. Vae dissolutis corde, qui non crediderunt[13] deo et resistunt mandatis eius et inobedientes ac contumaces sunt his qui eius legatione funguntur et ideo non protegentur ab eo. Vae his qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt vias rectas et[14] diverterunt in vias pravas[15]: et quid facient, cum inspicere caeperit dominus? Qui timent dominum, non erunt incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent dominum, inquirent quae beneplacita sunt illi, et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. [16] Qui timent dominum, praeparabunt corda sua et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent dominum, custodiunt mandata illius et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius dicentis[17]: Si paenitentiam non egerimus, incidemus in manus domini[18] et non in manus hominum, secundum enim magnitudinem illius, sic et misericordia ipsius cum ipso est. Venite filii, inquit, audite me, timorem domini docebo vos. Curritae dum lumen vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant. Omnis qui vult vitam et cupit videre dies bonos, prohibeat linguam eius[19] a malo, et labia eius[20] ne loquantur dolum, divertet a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam, quia oculi domini super iustos et aures eius in praeces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Propterea nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus. Sed[21] laetamini in domino et exsultate, iusti, et gloriamini, omnes recti corde. Quia multi inveniunt[22] dicente domino ab oriente et occidente ac a septentrione et meridie, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob.

XLIII. Propter quod deprecor te, frater karissimae, ut doceas attentius hunc praedicationis ordinem et absolutionis[24] dies, ut salventur animae hominum quae occulta dei virtute quem debeant diligere priusquam doceatur[25], agnoscant. [26] Operum vero ratio potestati et arbitrio uniuscuiusque permittitur, et hoc ipsorum est proprium: desiderium vero habere erga doctores veritatis, hoc a patre coelesti donatum est,

[XLIII. Apostolus precaturClementem ut doceat ordinem praedicationis sue et absolucionum dies.] [23]

Ipsi autem episcopi — nisi in fide erraverint, Isid. sent. III. 39. no. 6. 5. aut conc. Aquisgr. 816. lib. I. c. 31. Cf. Anacl. 39, Calist. 3, Fab. 23.
quoniam maior — argui nec indicari, Ben. I. 397. II. 381. Cf. supr. c. 33, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19. c. 18. Angilr.
quia discipulus — magistrum, Matth. X. 24.
Nullus velit — cotidie adimplere, S. Bened. regula c. 4. no. 61. 62.
Timor domini — benedicetur, Ecclesiastic. I. 12. 13.
Vae dissolutis — misericordia ipsius cum ipso est, l. c. II. 15—23.
Venite filii — docebo vos, Ps. XXXII. 12.
Curritae dum lumen — comprehendant, Ioh. XII. 35.
Omnis qui vult — memoriam eorum, Ps. XXXIII. 13—17.
Propterea nolite — omnes recti corde, Ps. XXXI. 9. 11.
Quia multi — doceatur agnoscant (c. *XLIII.*), Clem. recogn. IV. 4.
c. XLIII. Operum vero ratio — est proprium, l. c. c. 5.
desiderium vero habere — caelesti donatum est, l. c. c. 4. Cf. infr. c. 61.

[1] *Dst. in margine:* Non arguendos episcopos. [2] *Bb.* sed. [3] *Bb.* vel. [4] *Par.* 3852: enim. [5] *Bb.* iudicare. [6] *Bb.* discipulum. [7] *Dst.* quo. [8] *Dst. in margine:* quanta virtus sit oboedientia. [9] *Par.* 3852. *Dst. Bb. omittunt.* [10] *Omittit Bb.* [11] *Par.* 3852: delectabit cor. [12] *Par.* 3852 *et Dst.* dominum. [13] *Dst. et Bb.* credunt. [14] *Dst.* ut. [15] *Dst. in margine:* De his qui in partibus peccant. [16] *Cetera usque ad verba* „pervenire aeternam“ (*in fine cap. XLIII.*) *omisit Dst.* [17] *Bb.* dicentes. [18] *Par.* 3852 *et Bb.* dei. [19] *Bb.* suam. [20] *Par.* 3852 *et Bb.* sua. [21] *Omisit Bb.* [22] *Bb.* veniunt. *Par.* 3852: venient. [23] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. ponit tantum numerum.* [24] *Par.* 3852. *Bb.* absolutionum. [25] *Bb.* doceantur. [26] *Bb. hic rubricam ponit:* De arbitrio iudicum.

sed salus in eo est ut voluntatem eius cuius amorem et[1] desiderium deo largiente conceperis, facias, ne dicatur ille sermo eius ad nos, quem[2] dixit: Quid autem dicitis me: domine, domine, et non facitis quae dico? Est ergo proprii muneris[3], ut sit unusquisque prout dominus noster dederit perfectos[4] in aecclesia, mittensque semina divina, ut de nobis non praedictus sermo, sed ille dicatur quem alibi dominus noster dixit: Ideo[5] omnis scriba doctus in regno caelorum similis est hominis[6] patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Nullus ergo, inquid, impediat ordinem aut locum occupet inrationabiliter, vel temporum mittat voces[7], sed primo quae sit iustitia eius, que voluntas requiramus, ut bonis operibus ac dei gratia repleamur. Deus enim his qui rectae sentiunt et bona agunt praesto est, quoniam his manifestatur seipsam[8]. Nam si quis velit, antequam actus suos emendet, de his requirere quae non potest invenire, stulta et inefficax erit huiuscemodi inquisitio. Tempus enim breve est, et iudicium dei gestorum causa agitur, non questionum. Ideoque ante omnia hoc queramus, quod nos aut qualiter agere oportet, ut aeternam vitam consequi mereamur. Nam si exiguum hoc vitae tempus per inanes occupemus et inutiles quaestiones, inanes sine dubio et vacui ab operibus bonis pergemus ad deum, ubi iudicium operum nostrorum fiet, unaque[9] etenim res suum tempus habet et locum. Operum hic locus, hoc tempus est meritorum saeculum[10] futurum. Curatur[11] igitur per viam mandatorum domini, et ab eorum praeceptorum institutis et spiritus sancti doctrina non recedatur. Quapropter praeparanda sunt corda nostra ac corpora et sanctae mandatorum eius suorumque episcoporum ac praedictorum obaedientiae militatura, ut suae gratiae iubeat nobis auxilium ministrare, et fugientes gehennae paenam ad vitam valeant omnes pervenire aeternam. — Haec itaque, frater karissimae Iacobae, ab ore sancti Petri iubentis accepi, tibique ut obtabas insinuare studui, ut servare omnia immaculata praecipias, quia aecclesiastica non oportet neglegenter, sed diligenter expleri negotia. XLIV. Haec ergo praecepta nemo credat absque sui periculo neglere[13] vel dissimulare, quia iudicio dei ignis aeterni tormenta sustinebit qui aecclesiastica decreta neglexerit. Qui vero te audierit, ut iusserat[14] minister Christi Iesu, gloriam accipiet[15]. Currendum ergo et attendendum est[16] nobis omnibus quod in perpetuum expedit[17], ut Christi passionibus per patientiam participemus[18] atque regni eius mereamur esse consortes. Amen.

[XLIV. Quod nemo praecepta apostoli Petri possit absque sui periculo negligere vel dissimulare.][12]

ITEM EPISTOLA PRECEPTORUM SANCTI CLEMENTIS PAPAE MISSA IACOBO FRATRI DOMINI.[19]

[XLV. Quod tribus gradibus commissa sint sacramenta divinorum sacratorum et quod presbiteri, diaconi atque ministri sacramenta ecclesiastica sollicitae absque neglegentia peragant.][20]

XLV. Clemens Romanae ecclesiae praesul Iacobo karissimo et[21] Hierosolimorum[22] episcopo.

Quoniam sicut a beato Petro apostolo accepimus omnium apostolorum patre,

sed salus in eo — nova et vetera, l. c. c. 5.

Nullus ergo inquit — manifestatur se ipsam, l. c. lib. II. 21. Cf. infr. c. 71.

Nam si quis velit — saeculum futurum, l. c. c. 21.

Quapropter praeparanda — pervenire aeternam, Praef. regul. S. Bened.

c. XLIV. Haec itaque frater — accipiet ex ep. II. Clement. (cf. infr. c. *LV. LVI.*).

Currendum ergo — in perpetuum expedit, Praef. regul. S. Bened.

c. XLV — c. XLVII. Sec. epistola Clem. (Op. Leon. M. ed. Baller. 3, 674).

1 *Pro* „amorem et" *Bb.* amore. 2 *Par.* 3852 *addit*: idem. 3 *Bb.* muneribus. 4 *Par.* 3852 *et Bb.* perfectus. 5 *Par.* 3852 *addit:* inquit. 6 *Bb. et Par.* 3852: homini. 7 *Bb.* permittat vices. *Par.* 3852: permutet vices. 8 *Par.* 3852: manifestat se ipsum. 9 *Par.* 3852 *et Bb.* unaquaeque. 10 *Bb.* secundum. 11 *Pro* Curratur, *ut legunt Bb. et Par.* 3852. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 13 *Pro* neglegere, *ut habent Bb. et Par.* 3852. 14 *Bb. et Dst.* iusserit. *Par.* 3852: iusseris. 15 *Par.* 3852 *et Bb. addunt:* Qui autem te non audierit, immo loquentem dominum per te, ipse sibi damnationem accipiet. 16 *Dst.* agendum. 17 *Dst.* expediat. 18 *Dst.* participemur. 19 *Sec. Bb. et Par.* 3852; *Sg.* Incipit epistola sancti Clementis papae de reverentia sacramentorum vasorumque vel pallarum sacrarum seu caeteris observationibus ecclesiasticis. *Omiserunt Mutinensis et Dst., cuius in fol.* 9 *epistola invenitur.* 20 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 21 *Omiserunt Sg. Dst. Bb.* 22 et Hierosolimorum *deest in Par.* 3852.

qui claves regni caelestis accepit, qualiter[1] tenere[2] debemus, de sacramentis quae geruntur in sanctis te ex ordine nos decet instruere. Tribus enim gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum, id est presbiter, diaconus et minister[3], qui[4] cum timore et tremore clericorum[5] reliquias corporis dominici debent custodire fragmentorum[6] ne qua putredo in sacrario inveniatur, et si[7] neglenter[8] agendo[9] portionem[10] corporis et sanguinis domini[11] gravis inferatur iniuria. Communio[12] enim corporis[13] domini nostri Iesu Christi[14] minora non curat admonere[15] officia, gravi anathematae percussus[16] digna humiliationis plaga feriatur. Certe tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in crastino[17] non reserventur, sed cum timore et tremore clericorum et diligentia consumantur. Qui autem residua corporis domini quae in sacrario relicta sunt consumunt, non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne[18] putent sanctae portioni commisceri[19] cibum qui per qualiculos degestus[20] in secessum funditur. Si igitur mane dominica portio aeditur[21], usque ad sextam ieiunent ministri qui eam consumpserint. Et si tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent usque ad vesperum. Sic secreta sanctificatione aeterna custodienda sunt sacramenta.

De vasis sane[22] sacris ita gerendum est: altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quoniam non licet[23] ea quae in sanctuario fuerint, male tractari, sed incendio universa tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterio inferantur[24], ubi nullus transitum habeat[25], aut in pariete aut in fossis pavimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obvolvendum, aut diaconus scapulas operire velo[26], quae fuit in altari[27] aut certe quae data est in mensam domini. Qui haec fecerit vel leviter quasi nihil et negligenter[28] habuerit divina[29] ministerio[30] diaconus triennio sexque[31] mensibus a dominico alienus[32] erit altari, gravi percussus anathemate[33]. Quod si clericum[34] presbiter non ammonuerit, decem annis et quinque mensibus excommunicatus sit, propter quod de dominicis sacramentis subiectiora[35] sibi non ammonuerit ministeria, et postea cum grandi humilitate matri reconcilietur ecclesiae. Pallas vero et vela quae in sanctuarii[36] sordidata[37] fuerint ministerio, diaconi cum humilibus ministris intra sacrarii[38] velamina[39] dominicae mensae[40], ne forte pulvis dominici corporis male decidat, sindone foris abluant[41], et erit hoc operanti peccatum, idcirco intra sacrarium[42] ministris praecipimus[43] [44]cum diligentia custodire. Sane pelvis nova comparetur, et praeter haec[45] nihil aliud tangat[46]. Sed non ipsa pelvis velis apponatur lavandis, [47]quae ad dominici altaris cultum pertinent, pallea[48] in alia pelve laventur et in alia vela ianuarum.

[1] *Sg. Bb. Dst.* aequaliter. [2] *Dst.* vivere. *Supra lineam alia manu, ut videtur saeculi XI., scriptum est:* in aliis tenere. [3] *Sg. Dst. Bb. Par.* 3852: presbitero, diacono et ministro. [4] *Sg. Dst.* hi. *Deest in Bb.* [5] *Omis. Sg. Dst.; Bb.* clerici. [6] *Dst.* sacramentorum. [7] *Omis. Sg. Dst.; Par.* 3852: ne. [8] *Codd. cit. Bb.* neglegenter. [9] *Codd. cit.* agatur. [10] *Codd. cit.* nec portioni. [11] *In Bb. alia manu s. XI. additur:* nostri Iesu Christi. [12] *Sg. Dst. Bb.* Comminutio. [13] *Deest in Dst. et Bb.* [14] *Sg.* si negligenter agatur et (*correctum al. man. in* qui) non curat admonere *etc. Par.* 3852: si negligentur erogetur et presbiter. *Bb.* si neglegenter agatur et presbiter. [15] *Dst.* si neglegenter agatur et non curat presbiter admonere. [16] *Bb. Dst.* perculsus iudicio. *Sg.* perculsus pro iudicio. [17] *Bb.* crastina. *Sg. Dst.* crastinum. [18] *Sg. Dst.* nec. [19] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* commiscere. [20] *Codd. cit.* aqualiculos digestus. [21] *Sg. Dst.* porrigitur. [22] *Corrigitur in Bb. alia manu in:* sine. [23] *Dst.* decet. [24] *Dst.* conferantur. [25] *Sg. Dst. Bb.* transitus habeatur. [26] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* velit. [27] *Bb.* altare. [28] *Dst.* nihil. [29] *Deest in Sg. Dst. Bb.* [30] *Par.* 3852: ministeria. *Sg.* mysterii. *Dst.* misterii. [31] *Sg.* et sex. [32] *Sg. omis.* [33] *Sg. add.* removendus. [34] *Sg. Bb.* clericos. [35] *Sg.* subiecta; *in marg. legitur script. manu al. rec.:* vel subiectiores. [36] *Dst. Bb.* sanctuario. [37] *Dst.* sordida. [38] *Par.* 3852 *addit:* lavent. *Bb. Dst. addunt:* lavent non eicientes foras a sacrario. *Sg.* intra sacracrium lavent non eiicientes foras a sacrario. [39] *Bb.* velamine. [40] *Par.* 3852 *omisit:* velamina dom. mensae. [41] *Par.* 3852: abluta. *Sg. Bb. Dst.* delata. [42] *Sg. Bb. Dst.* in sacrario. [43] *Dst.* et praecipiamus. [44] *Par.* 3852 *addit:* haec sancta. [45] *Bb.* hoc. *Sg. Dst. pro* praeter haec *leg.* praeparetur ad hoc. [46] *Par.* 3852: contingat. [47] *Par.* 3852. *Dst. addunt:* nisi. [48] *Par. cit. Sg.* pallae.

Etiam cura sit ostiariis ex ammonitione maiorum[1], ne quis neglegens aut ignarus ad velum ianuae domus domini manus incondite[2] tergat, sed statim coercitus[3] discat omnis homo quia velum atrii domus domini[4] est. Praecipimus etiam, ne cum[5] extero ecclesiae sive[6] laico de fragmentis oblationum domini[7] ponatur ad mensam. Unde scis tu qui passim sacrarii panes indignis inpendis, unde nosti si a mulieribus mundi sunt? Hinc et David ab Abimelech sacerdote interrogatus cum panes sibi ad comedendum posceret, si mundus esset a muliere; cum se mundum ante triduum profiteretur, panes propositionis manducavit.

[XLVI.[8] Qui sint intelligendi[9] ad dominica ministeria et quibus non sit accedentum[10] ad[11] tabernaculum feminae nec ei fabulandum. Item de mundicia calicis.]

XLVI.[12] Ad dominica[13] mysteria[14] tales eligantur[15], qui ante ordinationem coniuges suas noverint[16]. Quod[17] si post ordinationem ministro contigerit proprium[18] invadere cubile uxoris, sacrarii non intret limina, nec sacrificii portio[19] fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat, sed[20] aquam sacerdotum porrigat manibus, ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, urceum sanae ad altare[21] suggerat.

[22] Si forte quispiam presbiter sive diaconus sacrarii sindone[23] vel velum subtracta vendiderit, Iudae similis aestimabitur Scariothis[24]: qui propter cupiditatem fecerit hoc opus, noverit se supradicti Iudae susceptorum poenam.

[25] Clericus vero solus ad feminae tabernaculum non accedat, nec properet[26] sine maioris natu principis iussione. Nec presbiter solus cum sola femina fabulas misceat, nec archidiaconus aut diaconus sub praetextu humilitatis officii frequentet[27] domicilia matronarum aut forte per clericos aut domesticos eius[28] matronae mandent secretim[29] aliquid. Si cognitum[30] fuerit, et illae deponatur et illa a liminibus arceatur aecclesiae. Sed si forte aliqua intercessio fuerit, episcopo suggeratur. Et si talis est[31] ad quam debeat ire pio[32] interventu ipse pergat: sin autem de latere suo dirigat, cum duobus aut tribus qui hoc debeat sanare. Sane ad visitandam mulierem infirmam nullus clericus ingrediatur, nisi cum duobus aut tribus. Nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi soror aut proxima fuerit, et hoc cum magna sollicitudine fiat. Non ignoramus malitiae[33] satanae. Universa haec cum mansuetudine aecclesiastica complenda sunt ministeria. Negotium enim dei non decet neglegenter expleri.

Iterum atque iterum de fragmentis dominici corporis demandamus, calicem vero ad proferendum[34] sanguinem domini praeparatum cum tota[35] ministerii munditia minister praeparet[36], ne non bene lotus[37] calix diacono[38] peccatum fiat[39] offerenti, ita cum omni honestate cuncta, quae supra exposuimus, oportet impleri[40].

[XLVII. Quales clerici ad ministerium eligantur.][41]

XLVII. Tales ad ministerium eligantur clerici, qui digne possint dominica sacramenta

c. XLVI. nec presbiter — duobus aut tribus sec. c. 5. conc. Afric. (cf. Ben. III. 28).

c. XLVII. A principio epistolae — per negligentiam clericorum, epistol. Clem. II. (l. c.).

[1] *Par.* 3852: maioris. [2] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* incognite. [3] *Bb.* coertius. [4] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. addunt*: sanctum. [5] *Dst.* umquam. [6] *Dst.* sue. [7] *Sg. omis.* [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui exhibet rubricam in margine omisso numero. Solus numerus in Bb.* [9] *Dst.* eligendi. [10] *Dst.* et qui sit accedendum. [11] *Dst. omisit* ad. [12] *Sg. Bb. Dst. in principio capitis addunt:* Ministri altaris, presbiteri sive diaconi. [13] *Par.* 3852 *addit*: autem. [14] *Sg. Dst. Bb. omittunt* ministeria. [15] *Codd. cit. addunt:* officia. [16] *Codd. cit.* reliquerunt. [17] *Dst. in margine:* Qui post ordinatur antea cubile. [18] *Sg. Dst. Bb.* propriae. [19] *Codd. cit.* sacrarii portitor. [20] *Deest in codd. cit.* [21] *Sg. Dst. add.* vel calicem non. *Bb. antea legebat*: sane ad salutarem calicem non, *correctum est in:* altare calicem non. [22] *Dst. in margine:* Qui sindones vendit aliis. [23] *Par.* 3852: sindonem. *Sg. Dst. Bb.* sindones. [24] *Bb.* Scariothi. [25] *Dst. in margine*: A conloquio feminarum abstinendum. [26] *Sg. add.* neque. [27] *Sg. Dst. et Bb.* frequentent. [28] *Deest in Sg. Dst.; alia manu s. XI. supra lineam additur in Bb.* [29] *Par.* 3852: secreti. *Bb.* secretum. [30] *Sg. Dst. Bb.* agnitum. [31] *Omisit Dst.; in Sg. add. alia manu supra lineam.* [32] *Sg.* pro. [33] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* malitias. [34] *Sg.* perferendum. [35] *Sic codd. cit.; Mut.* tot. [36] *Sic Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.; Mut.* praeparent. [37] *Sg. Bb. Dst. addunt:* dei. [38] *Omis. Sg. Dst.; alia manu s. XI. in Bb. supra lineam additur.* [39] *Sg.* faciat. [40] *Sg.* implere. [41] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. In Bb. solus numerus, et in margine:* ... clericis nota.

tractare. Melius est enim domini sacerdotes[1] paucos habere ministros qui possint[2] digne opus dei exercere, quam multos inutiles qui onus grave ordinatori adducant. A principio aepistolae[3] usque ad hunc locum de sacramentis delegavit[4] bene intuenti[5], ubi non murium stercora inter fragmenta dominicae portionis appareant, neque putrida per neglegentiam remaneant clericorum, et convenientes qui accipere sibi medicinam desiderant, putrida cum viderint, magis cum ridiculo et fastidio videantur accipere et in peccatum magis decidant per negligentiam clericorum. XLVIII. Quapropter nemo clericorum ultra haec dissimulet aut neglegere[7] ullatenus audeat, sed libenter quae iussa sunt expleat, et sacrata[8] divina nequaquam negligenter contractet. Ideoque tam iuvenes quam senes de his, et de omni conversatione sua ac conversione et[9] paenitentia[10] valde esse sollicitos[11] satisque agere[12], ut[13] haec condignae agant, et de reliquo ornent tam clerici quam saeculares animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pudicitiae, splendore iustitiae, candore pietatis, aliisque omnibus quibus compositam[14] decet esse rationabilem mentem[15]. Tum praeterea declinare a consortiis inhonestis et infidelibus et societates habere fidelium, atque illos frequentare conventus in quibus de pudicitia, de iustitia, de pietate tractatur[16]. Orare semper deum ex toto corde et ab ipso petere quae decet, ipsi gratias agere, veram penitudinem gerere praeteritorum gestorum[17], aliquantum aetiam, si possibile est, per misericordias pauperum iuvare poenitentiam. Per haec enim facilior venia dabitur et indulgenti citius[18] indulgebitur. Quod si provectioris aetatis sit is qui ad paenitentiam venit, eo magis gratias agere debet deo, quod postquam fractus[19] est omnis impetus concupiscentiae carnalis, scientia veritatis accepta, nulla ei imminet pugna certaminis per quam insurgentes adversus animam reprimat corporis voluptates. Superest ergo ei in agnitione veritatis et[20] misericordiae operibus exerceri, ut afferat fructus dignos paenitentiae. Nec putet quia in temporis longitudine documentum conversionis ostenditur et non in devotionis ac propositi[21] firmitate, deo enim manifestae sunt mentes, quia non temporum rationem colligit, sed animorum[22]; ipse enim probat si quis[23] agnita veritatis praedicatione non distulit neque tempus neglegendo consumpsit, sed statim et, si dici potest, eodem momento praeterita perhorrescens futurorum desiderium caepit[24] et in amorem regni caelestis exarsit. Propter quod nemo vestrum ultra dissimulet, nec retro respiciat, sed ad aevangelium regni dei libenter accedat. XLIX. Non dicat pauper: quia, cum dives factus fuero, tunc convertar. Non requirit a te deus pecuniam, sed animum misericordem et piam mentem. Neque dives conversionem suam differat pro sollicitudine saeculari, dum cogitat quomodo dispenset habundantiam frugum. Neque dicat intra[26] semetipsum: Quid faciam? ubi recondam fructus meos? Neque dicat animae suae: Habes multa bona reposita in annos multos, epulare[27] et laetare. Nam dicitur ei: Stultae, ac[28] nocte auferetur[29] anima tua abs te, et quae parasti, cuius erunt? Itaque festinet ad paenitentiam omnis aetas, omnis sexus omnisque conditio, ut vitam consequatur[30] aeternam. Iuvenes quidem in eo grati sint[31], quod in ipso impetu desideriorum cervices suas iugo subiiciunt disciplinae. Senes et ipsi laudabiles quia multi temporis consuetudinem in qua male praeventi sunt pro dei amore commutant. Nemo

[XLVIII. Ut nemo clericorum quae de sacramentis delegata sunt neglegere audeat et sacramenta divina nequaquam neglegenter contrectet.][6]

[XLIX. Ut non pauper causa paupertatis, non dives pro sollicitudine saeculari, non senex qui in multi temporis consuetudine male praeventi sunt differant converti.][25]

c. XLVIII. Ideoque tam iuvenes — est ad bene agendum (*c. XLIX.*). Clem. recogn. X. 43—46. Cf. infr. c. LXXXV.

[1] *Sg. Dst. Bb.* sacerdoti. [2] *Sg.* possunt. [3] *Sg. Dst.* aecclesiae. [4] *Dst.* delegavi. [5] *Sg. Bb. Dst.* tuendis. [6] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerum tantum exhibet Bb.* [7] *Bb.* neglegenter. [8] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* sacramenta. [9] *Deest in Dst.* [10] *Dst.* poenitentiae. [11] *Par.* 3852 *addit:* oportet. [12] *Dst. addit:* oportet. *In Sg. supra lineam alia manu add.* decet. [13] *Bb.* et. [14] *Sg. Bb. Dst.* comptam. [15] *Par.* 3852: esse animam rationabilem. [16] *Dst.* quibus sit — tractatus *pro:* in quibus — tractatur. [17] *Dst.* criminum. [18] *Dst.* indulgentius *pro:* indulgenti citius. [19] *Dst.* finis. [20] *Omis. Sg.* [21] *Dst.* prepositi. [22] *Dst.* animarum. [23] *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut. Par.* 3852: quae. [24] *Sg. Dst.* capit. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [26] *Bb.* infra. [27] *Bb. legebat:* aepule, *correctum est manu s. XI. in:* aepulare. [28] *Sic pro:* hac *quod est in ceter. codd.* [29] *Par.* 3852: aufertur. [30] *Sg.* consequantur. [31] *Bb. Dst.* sunt.

ergo differat, nemo cunctetur. Quae enim causa cunctandi est ad bene agendum? Animus male sibi conscius dum videtur sibi [1] nullam poenam pati, credit quia non iudicet deus, cum abuti [2] patiencia dei et non intelligere parcentis [3] benignitatem iam sit [4] magna damnatio. Unde scriptum est: Maledictus omnis qui opus domini negligenter agit. Quapropter pastoralis ordinis est infatigabiliter revocare quidquid ad correctionem populorum, imo magis filiorum spiritualium, quantum est fas intelligere, cognoverit pertinere, et non, quod absit, cum suo periculo aliene spei per solam negligentiam facere detrimentum, sed quod ad generalis salutis spectat [5] compendium, salubri necesse est providere tractatu.

[L. Quod parum sit homini religioso non exercere inimicitias aliorum male loquendo, nisi eas studeat extinguere bene loquendo.] [6]

L. Homini religioso [7] parum esse debet inimicitias aliorum non exercere vel augere [8] male loquendo, nisi eas aetiam exstinguere bene loquendo studuerit [9]. Ecce oris nostri bucina ad aures omnium personamus, neque se [10] deinceps excusabit non monitum, qui quidquid [11] sequi debeat tam verbis quam litteris edocetur.

[LI. Qualis maledictio immineat eis qui in patres peccant.] [12]

LI. Qualis autem condemnatio et qualis imminet [13] maledictio eis qui in patres peccant, divina nos docet scriptura. Si enim Cham filius Noae, cum vidisset nudum suum patrem, quoniam non cooperuit [14] patris corporalem [15] nuditatem, sed egressus nuntiavit eam fratribus, et illi vestimento eam [16] cooperuerunt, ipse quidem [17] et illi qui ex eo nati sunt sub maledictione facti sunt, qui autem cooperuerunt magnam benedictionem meruerunt: multo magis isti maiore et ampliore [18] condemnatione digni sunt, qui patribus obviare aut contra eos insurgere nituntur aut [19] iniuriam vel contumeliam eis inferre moliuntur, quoniam qui his resistit deo resistit, et qui eis iniuriam vel contumeliam facit [20], deo cuius legatione funguntur facit. Expavit caelum super hoc et horruit amplius vehementer, dicit dominus. O intolerabilem malignitatem, o linguam [21] loquentem iniquitatem contra deum et mentem in altitudinem cornu extollentem! Et iterum: Inpone, homo, tuae linguae hostium et seram. Cessa, cornu in altitudinem extollens [22] et loquens adversus deum iniquitatem et proximum suum [23], quousque insultas patienti Christo et fratribus?

[LII. Insinuacio eorum quae princebs apostolorum familiarius docuit et quae publiciter.] [24]

LII. Haec nos familiarius docebat et haec publiciter nobis [25] praedictus magister et instructor atque ordinator noster princeps apostolorum Petrus in aecclesia praedicabat, exemplum dans ut et nos similiter faciamus. Humiliamini, inquit, in conspectu domini, et exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum quoniam qui detrahit

c. XLIX. *Animus male sibi — sit magna damnatio*, Prosp. Aquit. sent. 138.

Maledictus est—negligenter agit, Ier. XLVIII. 10.

Quapropter pastoralis — est providere tractatu, Turon. provinc. episc. ep. ad pleb. missa post syn. II. Turon. a. 567. (Mansi 9, 808).

c. L. *Homini religioso — loquendo studuerit*, Prosp. Aquit. sent. 179. Cf. Calist. 6.

Ecce oris nostri — litteris edocetur, Turon. episc. ep. cit.

c. LI. *Qualis autem condempnatio — condemnatione digni sunt*, Confess. rect. fid. Iustin. adv. III cap. (Mansi 9, 570).

qui patribus — legatione funguntur facit sec. Ben. II. 99. III. 390. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20).

Expavit caelum — cornu extollentem, collat. V. conc. II. Constant. (Mansi 9, 332). Cf. supr. 37.

Et iterum: *Inpone — seram*, Ecclesiastic. XXVIII. 28.

Cessa cornu — iniquitatem, Ps. LXXIV. 6.

c. LII. *exemplum dans — exaltabit vos*, Ioh. XIII. 15.

Nolite detrahere—iudicas proximum, Iac. IV. 11—14.

1 *Sg. Dst.* videt se. *Bb.* videtur si. 2 *Sg. Dst.* abutitur. 3 *Sg. Dst.* intelligit patientis. 4 *Sg. Dst.* nam fit. 5 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* expectat. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.* 7 *Sg.* regioso, *al. m. correct. in:* religioso. 8 *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* angere. 9 *Verba:* Ecce oris — crediderint iusta invenient (*c. LII.*) *etiam in fol.* 10. *cod. Dst. repetuntur.* 10 *Dst. hic:* nec quisque; *sed in fol.* 10. *ut ceteri codd.* 11 *Sg.* quid. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. qui in margine addit*: De patrum iniuria. *Bb. ponit numerum et rubricam*: de his qui in patrem peccant. 13 *Dst. fol.* 10. immineat. 14 *Sg.* cooperueris. 15 *Dst.* corporalis. 16 *Dst.* eum, *sed in fol.* 10. *ut ceteri codd.* 17 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. addunt:* Cham. 18 *Sg. Dst.* maiori et ampliori, *sed fol.* 10. *Dst. ut ceteri codd.* 19 *Sg. Dst. add.* qui. 20 *Sg. Dst. om.* eis inferre — contumeliam facit, *sed fol.* 10. *Dst. haec inveniuntur.* 21 *Bb.* lingua. 22 *Dst.* in altum extolli; *fol.* 10. *ut ceteri codd.* 23 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* tuum. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 25 *Sg.* publice nobis. *Par.* 3852. *Dst.* nobis publicitus.

fratri aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem. Qui autem iudicat legem non est factor legis, sed iudex, unus est enim legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem qui[1] es qui iudicas proximum? Non oportet, praecepit[2] nos iudicare invicem, sed magis auxilium ferre. Vae erit, inquit, his qui fratres tribulant, et[3] eis qui eos persequuntur, vos autem quanto amplius tribulamini, tanto purgatiores atque beatiores efficiemini, si tamen ipsa tribulatio patienter fuerit supportata. Quod aetiam ipse nos dominus docuit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Et idem: Beati eritis cum vos oderint homines et persecuti vos fuerint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum. Gaudete in illa diae et exsultate, quoniam merces vestra multa est in coelo; unde et ipse ait: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex totis viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum. Non enim, inquid, diligit recte deum qui fratrem insequitur, nec diligit proximum qui ei detrahit, vel qui illum accusat, quia quod sibi quis fieri non vult, hoc alteri nullatenus facere debet. Discite, filii mei, inquit, sapientiam et tenete totam[4] rectam fidem et amplectimini caritatem, ut non excidatis: data est enim vobis a domino potestas et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur vestras[5]. Qui autem custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur et qui crediderint, iusta invenient quid respondeant[6]. Semper cavetote praecepit[7], ne aliquando peccata[8] consentiamus et praetermittamus praecepta dei nostri.

[LIII. Aecclesias per congrua loca et utilia faciendas, in quibus sacerdotes deo dicati divinis orationibus ponendi sunt.][9]

LIII.[10] Ecclesias per congrua et utilia facite loca, quae[11] divinis precibus sacrare[12] oportet et in singulis sacerdotes divinis orationibus deo dicatos poni[13]. Quos ab omnibus venerari oportet et non a quoquam gravari.

[LIV. Praecepta apostolica.][14]

LIV. Semper vitate mala, et pro animabus vestris ne confundamini dicere verum. Mendacia fugite et veritatem corde proferte[15], quoniam multos iam supplantavit suspicio. Caritatem semper diligite et fratres adiuvate. Erunt enim quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis; unde[16] et dominus ait: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum qui me misit. Et idem: Qui enim non est adversum vos pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aque in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et qui scandalizaverit unum de[17] pusillis credentibus in me, bonum est enim[18] magis si circumdaretur mola asinaria collo eius et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi introire debilem in vita[19], quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur[20], et ignis non exstinguitur[21]. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est[22] claudum introire in regnum dei[23], quam duos pedes[24] habentem mitti in gehennam

Vae erit inquit — multa est in coelo, cf. Alex. 10, Fel. I. pp. 6.
Beati qui — iustitiam, Matth. V. 10.
Et idem: Beati eritis—multa est in coelo, Luc. VI. 22. 23.
Diliges dominum deum — sicut te ipsum, Marc. XII. 30. 31.
quia quod sibi — facere debet, Ben. III. 198. (Tob. IV. 16.) Cf. Fab. 12, Dam. 14.
Discite inquit — invenient, quid respondeant, sec. Sap. VI. 3. 4. 11.
c. *LIV. Semper vitate mala — fratres adiuvate* sec. Ecclesiastic. IV. 23. 24. III. 26.
Erunt quasi—contradicunt vobis, Ies. XLI. 11.
Qui vos audit — me misit, Luc. X. 16.
Qui enim non est — habete in vobis, Marc. IX. 39—49.

[1] *Sg. Dst. Bb.* quis. [2] *Par.* 3852. *Sg. Dst. omittunt. Dst. fol.* 10. *ut Bb. et Mut.* [3] *Sg. omis.* his qui fratres tribulant et. [4] *Omisit Dst. fol.* 10. *Par.* 3852: tenetote fidem rectam. [5] *Dst. in margine:* non detrahendum. [6] *Sg. omitt.* respondeant; *legit* qui *pro* quid; *alia manu post. post* qui *additur:* ab eo. [7] *Dst.* Qui praecepit semper cavetote. *Sg. Par.* 3852: Semper cavere praecepit. [8] *Par.* 3852. *Sg. Dst.* peccato. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [10] *Eadem usque ad verba* qui contradicunt vobis (*c. LIV.*) *etiam fol.* 11. *cod. Dst. repetuntur cum rubrica:* Ecclesias dicandas et singulis presbiteros ordinandos. [11] *Dst.* quas; *fol.* 11. *ut ceteri codd.* [12] *Sg.* sacrari. [13] *Dst. in margine:* De faciendis ecclesiis et sacerdotum reverentia. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. Bb.* [15] *Sg.* perferte. [16] *Om. Sg. Dst.* [17] *Par.* 3852. *Dst.* ex. [18] *In Sg. al. manu rec. correct. in:* ei. [19] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* vitam. [20] *Sg. Bb. Dst.* morietur. [21] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* extinguetur. [22] *Par.* 3852. *Sg. Dst. addunt:* tibi. [23] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* vitam aeternam *pro:* regnum dei. [24] *Sic codd. cit.; Mut.:* oculos.

qui est[1] ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non moritur[2], ut supra[3]. Quod si oculus tuus scandalizat te, eice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur[4], ut supra. Omnis enim ignis[5] salietur et omnis victima salietur, bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, in quo illut salietis? habete in vobis sal et pacem habete in vobis[6], quia quisquis vestrum recte docuerit et iuste vixerit, habebit gloriam[7]. Qui autem secus egerit indubitanter paenam sustinebit, ideo bona agere vos semper oportet, ut bravium vitae aeternae percipiatis. His[8] ergo bene parete sententiis, ne quis haec praecepta minime credat implenda et iuditio dei ignis aeterni tormenta[9] sustineat, qui ecclesiastici operis sacra neglexerit[10]. Haec igitur,

[LV. Quod si quis principis apostolorum Petri praecepta non custodierit integra, anathema sit.][11]

frater Iacobe, de ore sancti Petri iubentis audivi. LV. Si quis haec praecepta non integra custodierit, sit anathema usque ad[12] adventum domini nostri Iesu Christi. Haec praecepta a sancto Petro apostolo accepi et tibi, karissime frater, insinuare curavi, ut servare[13] omnia praecipias sine macula. Si quis vero[14] audierit te, utilis erit minister Christi Iesu; qui autem non audierit te, immo loquentem dominum[15] per te, ipse sibi dampnationem adcipiet[16]. Omnipotens deus, karissime, sua te protectione custodiat, atque ad celestis remunerationem patriae[17] multiplici animarum fructu perducat. Deus te iterum iterumque incolumem custodiat, reverentissime frater. Amen.[18]

[19]ITEM INCIPIT EPISTOLA GENERALIS[20] CLEMENTIS PAPAE OMNIBUS TAM MAIORIS[21] QUAM INFERIORIBUS ORDINIS CLERICIS AC CUNCTIS FIDELIBUS SCRIPTA[22].

[LVI. Quod qui sacerdotio domini fruuntur plus scire oporteat, ut sibi subditos pleniter docere possint.][23]

LVI. CLEMENS urbis Romae episcopus omnibus coepiscopis, presbiteris, diaconibus ac reliquis clericis, et cunctis principibus, maioribus minoribusvae[24] omnibusque generaliter fidelibus benedictio claritatis[25] et gloria, in gratia dei quae data est nobis in Iesu Christo domino nostro.

Urget[26] nos, fratres, multus amor vester[27] et religiosae vitae[28] devotio, quia debitores sumus, ut quaedam vobis scribamus; vobis ergo, qui sacerdotio domini fruimini et in specula[29] estis positi, plus scire oportet, ut subditos vobis populos pleniter docere possitis[30] eisque ad regna caelorum ducatum praebere domino annuente valeatis. Unde et ipsa per se veritas ait: Vobis datum est nosse misterium regni dei, ceteris autem in parabolis et reliqua. Propter quod consilium do

His ergo bene — iubentis audivi, Clem. ep. II. *c. LV. Haec praecepta a sancto — adcipiat*, fin. epist. cit.

Omnipotens deus — fructu perducat, Greg. M. ep. IX. 121. (2, 1028). Cf. Dam. ad Ital. Bonif. II. exempl. prec.

Deus te iterum — reverentissime frater, Greg. III. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 25. p. 68). Cf. Telesf. 5, Bonif. II. exemp. prec.

c. LVI. Clemens urbis — Christo domino nostro sec. Greg. II. ep. ad univ. p. (Mansi 12, 238).

Urget nos — vobis scribamus sec. Clem. recogn. IV, 6.

et in specula estis positi, Coelest. I. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34). Cf. Alex. 15, Zeph. 9, Ant. 8, Fab. 11, Fel. II. pp. 10.

eisque ad regna — annuente valeatis sec. conc. Paris. a. 829. c. 12.

Vobis datum est — in parabolis, Luc. VIII. 10.

Propter quod consilium — aurem verbo dei, Clem. recogn. V. 8. Cf. infr. c. 68.

1 *Deest* qui est *in ceteris codd.* 2 *Sg. Bb. Dst.* morietur. 3 *Par.* 3852: et ignis eorum non exstinguitur *pro:* ut supra. 4 *Sg. Dst. Bb.* morietur. 5 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* igne. 6 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* inter vos. 7 *Sg. Dst.* gratiam. 8 *Dst.* hic. 9 *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* tormenti. 10 *Dst.* neglexit. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 12 *Omis. Sg.* 13 *Par.* 3852. *Sg.* servari. 14 *Omis. Sg. Dst.* 15 *Sg. Dst. Bb.* deum. 16 *Codd. cit.* adquiret. 17 *Sg. addit:* cum. 18 *Par.* 3852. *Bb. addunt:* explicit. 19 *Deest inscr. in Mut.; desumpta ex Par.* 4280 *AA et* 3852. *Bb. Dst.* 20 *Par.* 4280 *AA et Bb. addunt:* sancti. 21 *Sic Par.* 3852; *Bb. Dst.* maioribus. 22 *Dst. addit:* feliciter. *In Sg. inscriptio epistolae:* Epistola sancti Clementis de reverentia sacerdotum ex libro ipsius compilata. 23 *Sec. Paris.* 4280 *AA et Dst.; deest in Bb.* 24 *Sg. Dst.* minoribus. 25 *Sg.* claritas. 26 *Dst. Bb.* Urguet. *Sg. antea legebat:* Urguet, *sed* u *deletum est postea.* 27 *Dst.* vestri. 28 *Sg. Dst. Bb. Par.* 3852: religiosa invitat *pro:* religiosae vitae. 29 *Sg. Dst. Bb.* speculo. 30 *Cet. codd.* possitis.

unicuique vestrum constanter docere verba divina, et discentibus consilium do[1] libenter accommodare aurem verbo dei. [LVII. Qualiter episcopi docere debent et subditi audire.][2] LVII. Vestrum enim, qui legatione Christi fungimini, est docere populos, eorum vero est vobis obedire ut deo. [3] Si autem vobis episcopis non obedierint omnes presbiteri, diaconi ac subdiaconi et reliqui clerici cuncti[4] omnesque principes tam maioris ordinis quam et inferioris, atque reliqui populi, tribus et lingue non obtemperaverint, non solum infames, sed et[5] extorres a regno dei et consortio fidelium, a[6] liminibus sanctae dei ecclesiae alieni erunt. Nam vestrum est eos instruere, eorum vero est vobis obedire, ut deo cuius legatione fungimini, dicente domino: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit: [7] nihil enim iniustius vel inhonestius est quam filios patribus rebelles aut clericos vel laicos doctoribus seu discipulos magistris inobedientes vel protervos existere. Novimus enim primum hominem per inoboedientiam cecidisse, idcirco omnes hoc vitium summopere cavere monemus. Et quia dominus superbis restit[8], humilibus autem dat gratiam, dominus noster mittens nos vice sua in[9] loco apostolorum ad praedicandum, praecepit nobis docere omnes, omnesque nobis fideliter oboedientes ut ipso[10] existere, quoniam nec aliter terra pariet fructus suos, nisi culta receperit semen et irrigata germinaverit et pariet[11] quae est paritura. Sic et omnis homo qui libenter non receperit verbum dei, illutque in corde suo germinare non siverit ac minime crediderit doctoribusque[12] et episcopis suis non benevolus sed rebellis atque inobaediens exstiterit[13], fructum non germinabitur[14] nec pariet, sed similis est arbori illi[15] de qua dominus ait: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. [LVIII. De Aaron primo pontifice et de unguento quo perunctus est.][16] LVIII. Primus enim pontifex Aaron crismate compositionis perunctus, princeps populi fuit et tamquam rex primitias et tributum per capita accepit a populo, et iudicandi plebem sorte suscepta de mundis immundisque iudicabat. Sed et si alius ex ipso unguento perunctus est[17], virtute inde concepta, etiam ipse rex aut propheta aut pontifex fiebat. Quod si temporalis gratia ab hominibus composita tantum potuit[18], intelligite iam quantum sit illut unguentum quod a deo de virgulto vitae probatum[19] est, cum hoc quod ab hominibus factum est tam eximias inter homines conferat dignitates. Quid enim in praesenti saeculo propheta gloriosius, pontifice clarius, rege sublimius? [LIX. De pontifice sacro crismate peruncto et in civitate constituto, scripturis sacris erudito.][20] LIX. Omnis enim pontifex sacro crismate perunctus et in civitate constitutus, scripturis sacris eruditus, carus et pretiosus hominibus oppido esse debet. Quem quasi Christi locum tenentem honorare omnes debent eique servire et obedientes ad salutem suam fideliter existere, scientes[21], quod sive honor sive iniuria quae ei defertur, in Christo[22] redundat et a Christo in deum; audire ergo eum attentius oportet et ab

c. *LVII. Vestrum enim — obedire*, l. c. VI. 2.
reliqui populi — lingue, Dan. III. 4.
Qui vos audit — me audit, Luc. X. 16.
qui vos spernit — me misit, Matth. X. 14.
nihil enim — existere sec. Clem. recogn. II. 18.
Novimus enim — cecidisse, reg. canon. ab anonymo consarc. c. 81. (Mansi 14, 343) aut Ben. III. 155.
Et quia dominus — gratiam, Iac. IV. 16.
dominus noster — ipso existere sec. Clem. recogn. II. 33.
quoniam nec — nec pariet, l. c. VI. 2. Cf. infr. c. 74.
Omnis arbor — ignem mittetur, Matth. VII. 19.
c. *LVIII. Primus enim — rege sublimius*, Clem. recogn. I. 46.
c. *LIX—LXI. Quem quasi Christi — replete karitatem*, l. c. III. 66.

1 consilium do *omiserunt Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* 2 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA*, *qui ponit rubricam ante verba prioris capitis:* Propter quod consilium. *Numerus solus eodem loco, ubi nos rubricam posuimus, in Bb. invenitur.* 3 *Dst. in margine:* de obedientia exhibenda episcopis. 4 *Omis. Sg. Dst.* 5 *Om. Sg.* 6 *Dst. Bb.* ac. 7 *Bb. hic ponit rubricam:* De filiis circa patrem rebellibus et qualiter circa singulorum se curam exercent. 8 *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* resistit. 9 *Omis. Sg.* 10 *Omis. Dst.* ut ipso. *Par.* 3852. *Sg. Bb.* ut ipsi. 11 *Sg. Dst. Par.* 3852: pariat. 12 *Omitt.* que *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* 13 *Bb.* restiterit. 14 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* germinabit. 15 *Sg. Dst.* arbori illi erit *pro:* est arbori illi. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus numerus.* 17 *Dst.* esset. 18 *Par.* 3852: valuit. 19 *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* prolatum. 20 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 21 *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* sientes. 22 *Sg. Dst.* Christum.

[LX. Quod pontifex monita vitae a presbiteris debeat inquirere, a diaconibus vero ordinem disciplinae.][1]

[LXI. Commonitorium plenum documentis.][1]

ipso suscipere doctrinam fidei. LX. Monita autem vitae a presbiteris inquirere, a diaconibus vero ordinem discipline, propter quod deprecor vos conservos et adiutores meos, ut discatis adtentius animarum curam gerere et pro omnibus stare, maxime tamen pro his qui in cultu divino laborant. LXI. Ecclesiarum omnium curam habetote, servorumque[2] eorum adiutorium praebete, viduarum religiosam curam gerite, pupillos enixius liberate, pauperibus misericordiam facite, iuvenes pudiciciam docete et, ut breviter totum dicam, alterutrum vos, in quibus res poposcerit, sustentate. Deum colite qui creavit caelum et terram, et Christo credite; invicem vos diligite et misericordes estote in omnes. Non verbo solo, sed opere et rebus replete karitatem. Agitote[3] pro viribus, conservi dilectissimi, quia bonum est ut unusquisque vestrum secundum quod potest prosit accedentibus[4] ad fidem religionis nostrae[5]. Et ideo non vos pigeat secundum sapientiam quae nobis et vobis[6] per dei providentiam conlocata[7] est instruere ignaros et docere[8] condecet, hoc enim a patre caelesti donatum est, sed[9] salus in eo est ut voluntatem eius cuius amorem et desiderium deo largiente conceperint, faciant. LXII. Si quis ergo fidelis voluerit existere et desiderat baptizari, exutus prioribus[11] malis de reliquo pro bonis actibus heres bonorum coelestium ex gestis propriis fiet[12]. Accedat autem qui vult ad sacerdotem suum, et ipsi det nomen suum atque ab eo audiat misteria regni caelorum, ieiuniis[13] frequentibus operam inpendat ac semetipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus iam consummando in die festo possit baptizari. Baptizato[14] autem unusquisque in aquis perennibus, nomine trine beatitudinis invocato super se[15], perunctus primo[16] oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per hoc[17] consecratus possit percipere locum cum sanctis. LXIII. Nullus enim propter obprobrium senectutis vel nobilitatem generis aut iuventutis a parvulis et minus eruditis, si quit forte est utilitatis aut salutis, inquirere negglegat. Qui enim rebelliter vivit et discere atque agere bona recusat, magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, et potius infidelis quam fidelis monstratur. Quomodo ergo non omnibus hoc amabile est cunctisque exoptatum, aut[19] que ignorat[20] discat, et que didicerit doceat[21]? Certissimum namque est quod neque amicitia neque propinquitas generis neque regni sublimitas homini debet esse pretiosior veritate, quia nihil est pretiosius anima. LXIV. Dominus autem creator omnium ex initio ad imaginem suam hominem fecit, eique[23] dominatorem[24] terrae marisque et aeris ipsius dedit, veritatemque inquirere praecepit, sicut et[25] verus propheta nobis enarravit et ipsa rerum ratio docet. Solus enim homo est rationabilis[26], et consequens est, ut ratio[27] inrationabilibus dominetur. Hinc enim ab initio cum adhuc iustus esset, cunctis viris[28] et[29] omnes fragilitates[30] superior erat, ubi autem peccavit et

[LXII. Qualiter ei qui fidelis existere noluerit, baptismum sit tribuendum.][10]

[LXIII. Ut nullus causa obprobrii senectutis vel nobilitate generis aut iuventutis neglegat inquirere a parvulis et minus eruditis, si quid forte est utilitatis aut salutis.][18]

[LXIV. De Adam et quod solus homo est rationabilis.][22]

Agitote — ignaros et docere, l. c. VIII. 37. *Desiderium ergo* (*cf. no.* 8 *lect. var. infra*) — *faciant*, l. c. IV. 4. Cf. supr. XLIII. c. *LXXII. Si quis ergo — locum cum sanctis*, l. c. III. 67. c. *LXIII. Nullus enim — pretiosior veritate*, l. c. I. 67. c. *LXIV—LXIX. Dominus autem — et ipsi soli servies*, l. c. V. 2—13.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [2] *Par.* 3852: servisque. [3] *Par.* 3852: Agite. *Bb.* Agetote. [4] *Bb.* accedentis. [5] *Sg. Bb. Dst.* vestrae. [6] *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* vobis *pro:* nobis et vobis. [7] *Codd. cit.* collata. [8] *Par.* 3852. *Bb. addunt:* Desiderium ergo habere omnes erga doctorem veritatis eumque ut oculos suos amare oportet, quia et ipsum populum sibi commissum ceu proprios filios amare et docere; *eadem, sed omissis verbis* „et ipsum populum sibi commissum ceu proprios filios amare“ *Sg. et Dst.* [9] *Sg. Dst. addit:* et. [10] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. Bb.; cod. Bb. ante verba* Qualiter etc. *ponit:* De his qui christiana baptizari nituntur, qualiter se habeant, et de ceteris fidelibus. [11] *Initium capitis usque ad haec verba alia manu s. XI. scriptum est in Bb.* [12] *Sg. Bb. Dst.* fiat. [13] *Dst.* in bonis. [14] *Par.* 3852: baptizatur. *Sg. Dst.* baptizetur. *Bb.* baptizator. [15] *Verba:* unusquisque in aquis — super se *in Bb. alia manu s. XI. addita sunt.* [16] *Dst.* primum. [17] *Sg. Bb. Dst.* haec. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [19] *Sg. Dst. Bb.* ut. [20] *Par.* 3852: ignorant discat. [21] *Par.* 3852: didicerint doceant. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [23] *In Bb. alia manu s. XI. additur:* esse. *Sg.* eumque. [24] *Par.* 3852: dominationem. [25] *Deest in Bb. et Dst.* [26] *Dst. et Par.* 3852: rationalis. [27] *Sg. Par.* 3852: rationalis. [28] *Dst.* vitiis. *Sg. Par.* 3852: viribus. [29] *Omisit Par.* 3852. [30] *Sg. Dst. Par.* 3852. *Bb.* omni fragilitate.

factus est servus peccati, simul et fragilitati efficitur debitor[1] obnoxius. LXV. Quod idcirco scriptum est, ut sciant homines quia sicut ex impietate passibiles facti sunt, ita per pietatem possunt esse inpassibiles, et non solum inpassibiles, verum et parva in deum fide aliorum[3] passiones curantes, ita enim verus ipse propheta promisit dicens: Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit[4], huius vocis etiam vos ipsi documenta cepistis, etiam facta quaedam per magistros nostros, ipsos videlicet apostolos, non ignoratis, quia astantibus nobis eorum meritis demones cum passionibus quas hominibus invexerant transierunt, et fugati sunt. Quia ergo alii quidem homines patiuntur, alii patientes sanant[5], causa sine dubio vel paciendi vel curandi[6] noscenda est. Que non alia esse quam pacientibus quidem infidelitatis[7], curantibus vero fidei[8] demonstratur; infidelitas enim, dum non credit futurum dei iudicium, peccandi licentiam praebet, peccatum vero hominem passionibus obnoxium facit. Fides autem futurum esse dei iudicium credens continet homines a peccato. Non peccantes vero non solum liberi sunt a demonibus et passionibus, verum et aliorum demones et passiones fugare possunt. LXVI. Ex his ergo omnibus colligitur quod origo totius mali ab ignorantia descendat, et ipsa sit malorum omnium mater, quae incuria quidem et ignavia gignitur[10]. Negligentia vero alitur et augetur atque in sensibus hominum radicatur, dum amatur: quam si quis forte doceat effugandam[11], velut[12] antiquis et hereditariis sedibus moleste et indignanter avellitur. Et ideo paululum nobis laborandum est, ut indignantes ignorantiae praesumptiones[13] scientiae ratione resecemus, in his praecipue qui in aliquibus minus rectis opinionibus praeventi sunt, per quas quasi sub spetiae alicuius scientie ignorantia in eis[14] vehementius radicata est. Nihil enim gravius quam si id quod ignorat quis, scire se credat et defendat verum esse quod falsum est, quod tale est, quale si quis[15] ebrius sobrium se putet et agat quidem cuncta ut ebrius, sobrium se tamen et ipse putet et dici a ceteris velit: ita sunt ergo et hii qui ignorantes quod verum est, spetiem tamen alicuius scientiae tenent et mala quasi bona gerunt atque ad perniciem quasi ad salutem festinant, propter quod ante omnia properandum est ad agnitionem veritatis, ut possimus quasi lumine nobis inde succenso errorum tenebras depellere. Grande enim malum est, ut diximus, ignorantia, sed quia substantiam non habet facile ab his qui studiosi sunt effugatur. Non enim aliud est ignorantia, nisi non agnovisse quod expedit, ubi autem agnoveris perit ignorantia[16]. XLVII. Queri ergo magnopere debet veritatis agnitio, quam nemo alius assignare potest nisi verus propheta, haec enim porta est vitae[18] volentibus ingredi[19]. Si quis sane audiens sermonem veri prophetae velit recipere aut nolit et amplecti onus eius, id est mandata vitae, habet in sua potestate, liberi enim sumus arbitrii. Nam si hoc esset[20] ut audientes eum, iam[21] non haberent in potestate aliut facere quam audierant; vis erat quaedam naturae per quam liberum[22] non esset ad aliam migrare sententiam, aut si rursus ex audientibus nullo omnino reciperet, et hoc nature vis erat, que unum aliquid cogeret fieri et alteri parti non daret locum; nunc autem quia liberum est animo in quam velit partem declinare iudicium suum, et quam probaverit eligere viam, constat evidenter inesse hominibus arbitrii libertatem; igitur priusquam audiat quis quod ei expedit, certum est quia ignoret, et ignorans vult et desiderat quod non expedit agere, propter quod pro hoc non iudicatur. Cum vero audierit causas

[LXV. De pietate et impietate et de fide et infidelitate.][2]

[LXVI. De ignorantia et neglegentia et quod ignorantia substantiam non habet.][9]

[LXVII. De veritatis agnitione et libero arbitrio atque ignorantia.][17]

[1] *Omisit Bb.* [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [3] *Sg.* fideliorum. *Dst.* infideliorum. [4] *Sg. Dst.* transiet. [5] *Sg. Dst.* curant. [6] *Par.* 3852: sanandi. [7] *Sg.* que non alia esse inpatientibus quam quidem infidelitatis. *Dst.* que non alia esse quia pacientibus quam quedam infidelitas. [8] *Dst.* fides. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerum tantum exhibet Bb.* [10] *Dst.* gignit. [11] *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* effugendam. [12] *In Sg. al. m. rec. additur:* ab. [13] *Sg.* praesumptioni. *Bb.* praesumptionis. *Dst.* praesumptione. [14] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* his. [15] *In Sg. al. m. additum.* [16] *Sg. Dst.* ignorantiam *pro:* perit ignorantia. [17] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [18] *Par.* 3852: via. [19] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. addunt:* et sunt (*Dst.* semita) operum bonorum pergentibus ad civitatem salutis. [20] *Bb.* est. *In Sg.* est *al. m. correctum in* esset. [21] *Dst. omisit.* [22] *Bb.* liberus.

erroris sui et rationem veritatis acceperit, tunc si permanserit in his erroribus quibus dudum fuerat praeventus, recte iam vocabitur ad iuditium daturus poenis[1], quia vite huius spatium quod ad bene vivendum accepit, in ludibriis consumpsit errorum. Qui vero audiens haec libenter accepit[2] et gratulatur bonorum sibi doctrinam fuisse delatam, requirat intentius et discere non desinat usquequo cognoscat, si est vere aliud saeculum[3] in quo bonis praemia praeparata sunt, et cum certus de hoc fuerit, gratias agat deo: quod si[4] veritatis lumen ostenderit, de cetero dirigat actus suos in omnibus operibus bonis, quorum sibi in futuro mercedem certus est praeparatam demirans[5] per omnia et stupens caeterorum hominum errores, et quod ante oculos positam veritatem nemo videbat. Ipse tamen gaudens super divitiis sapientiae quas invenit insatiabiliter his perfruatur et exercitio bonorum operum delectetur, festinans[6] ad saeculum futurum mundo corde et pura conscientia pervenire, et[7] etiam videre deum regem omnium possit. His autem omnibus carere nos et fraudari sola facit ignorantia. Dum enim ignorant homines quantum boni habeat scientia, ignorantiae malum de se non patiuntur excludi.
[LXVIII. De optimo consilio.][8] Nesciunt enim quanta sit in horum permutatione diversitas. LXVIII. Propter quod consilium do unicuique discentium, libenter praebere aurem verbo dei et cum amore veritatis audire quae dicimus, ut mens optimo semine suscepto per bonos actus letos afferat fructus. Nam si me docente ea quae ad salutem pertinent, recipere quis abnuit et animo pravis oppinionibus occupato obsistere nititur, non ex vobis[9], sed ex semetipso habebit pereundi causam. Debet enim iusto iuditio examinare que dicimus, et intellegere quia verba loquimur veritatis, ut cognitis his que sunt ut sunt[10], in bonis actibus dirigens viam suam regni caelorum possit particeps inveniri, subiciens sibi carnis desideria, et dominus eorum factus, ut ita demum etiam ipse fiat dominatoris omnium iocunda possessio. Nam qui permanet in malo et servus est mali, non potest effici portio[11] boni, donec permanet in malo, quia ab initio, ut ante iam diximus, duo regna statuit deus et potestatem dedit unicuique hominum[12], illius regni fiat portio cui se ad oboediendum ipse[13] subicerit[14]. Et quia definitum est apud deum non posse unum hominem utriusque regni esse servum,
[LXIX. De vero propheta i. e. de Christo et quid sit mammona.][8] omni studio date operam in boni regis aulam ac iura[15] concurrere. LXIX. Propter hoc denique verus propheta, cum esset praesens nobiscum et quosdam ex divitibus neglegentes erga dei cultum videret, huius rei ita aperuit veritatem: Nemo potest, inquid, duobus dominis servire, et non potestis deo servire et mammone, mammona[16] patria eorum voce divitias vocans. Hic ergo verus propheta est quia[17] in Iudea nobis apparuit, ut audistis, qui stans publice sola iussione faciebat cecos videre, surdos audire, fugabat demones, aegris sanitatem reddebat et mortuis vitam: cumque nihil ei esset impossibile etiam cogitationes hominum praevidebat, quod nulli est possibile nisi soli deo: hic adnuntiabat[18] regnum dei, cui nos de omnibus que dicebat tanquam vero prophetae credimus, firmitatem[19] fidei nostrae non solum enim[20] ex verbis eius, sed[21] ex operibus assumentes, quia[22] dicta legis quem ante multas generationes de praesentia[23] eius exposuerant in ipso consignantur, et immaginem[24] gestorum Moysei[25] et ante ipsum patriarchae Iacob ipsius per omnia tipum ferebant. Tempus quoque adventus eius, hoc est ipsum in quo venerat praedictum ab his constat, et super omnia quod esset a gentibus exspectandus sacris litteris

c. LXVIII. Propter quod consilium etc. Cf. supr. c. 56.

1 *Par.* 3852. *Dst.* poenas. 2 *Sg. Dst.* accipit. 3 *Sg.* secum. 4 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* sibi. 5 *Sg. Dst.* admirans. 6 *Sg. Dst.* aestimans. 7 *Sg. Bb.* ubi. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 9 *Sg.* nobis. 10 *Bb.* sunt et. *Sg. Dst.* sint et. 11 *Dst.* particeps. 12 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. addunt:* ut. 13 *Sg.* se. *Bb.* spe. 14 *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* subiecerit. 15 *Bb.* iure. *Sg. Dst.:* operam ut in boni regis aulam valeatis iure *pro:* operam — iura. 16 *Sg. Dst.* mammonam. 17 *Sg.* qui *pro:* est quia. 18 *Sg. Dst.* adnuntiavit. 19 *Sg.* firmitate. 20 *Omiserunt Dst. et Par.* 3852. 21 *Par.* 3852 *addit:* etiam. 22 *Sic Sg. Dst.; cet. codd.* qui. 23 *Dst.* poenitentia. 24 *Par.* 3852: imagines, *sic quoque Bb., qui hoc loco manu s. XI. correctus est.* 25 *Sg. Dst.* Moyses.

comprehensum est. Que in eo[1] universa completa sunt. Quod autem iudeorum propheta praedixit eum a gentibus exspectandum, supra modum in eo fidem veram firmat[2]. Si enim dixisset a iudeis exspectandum, non aliquid eximium prophetasse[3] videretur, quod a tribuli[4] populo et a propria gente[5] speraretur[6] is[7] cuius adventus ad salutem mundi fuerat repromissus; videtur[8] enim magis consequens ratio esse ut hoc fieret quam magnificentia prophetalis. Nunc autem cum prophete dicant omnem illam spem que de salute mundi repromittitur, et novitatem regni quae instruenda per Christum est, adque omnia que de eo iudicant[9] ad gentes esse transferenda, iam non secundum consequentiam rerum, sed incredibili quodam vaticinatos[10] eventu, magnificentia prophetica confirmatur. Iudei namque ex initio adfore aliquando hunc virum, per quem cuncta reparentur[11] verissima traditione susceperant, et cotidie[12] eum viderunt et signa ac prodigia sicut de eo adscriptum[13] fuerat adinplentem, invidia excecati agnoscere nequiverunt praesentem, in cuius spem[14] laetabantur absentes. Intellexerunt tantum[15] sancti apostoli qui a deo electi sunt, et nos qui post ab eis electi sumus. Hoc autem providentia dei factum est, ut agnitio boni[16] huius etiam[17] gentibus traderetur, et hii, qui nunquam de eo audierant nec a prophetis didicerant, agnoscerent eum: illi vero qui cotidianis meditationibus evanuerant ignorarent. Ecce enim per vos nunc qui praesentes estis, et desideratis audire doctrinam fidei eius, et agnoscere, quis et quomodo et qualis sit eius adventus, prophetica veritas adimpletur: hoc est enim quod praedixerant prophetae quia a vobis querendus esset qui de eo nunquam audistis. Et ideo videntes in vobis ipsis prophetica dicta compleri, huic uni recte credentes[18], hunc recte exspectatis, de hoc recte inquiritis, ut non solum exspectetis eum, sed et hereditatem regni eius credentes consequamini, secundum quod ipse dixit, quia unusquisque illius sit servus cui se ipse subiecerit. Propterea ergo vigilate in domino[19], deumque nostrum vobis conscribite dominum, qui et caeli ac terrae dominus est, et ad ipsius vos imaginem ac similitudinem reformate, sicut ipse verus propheta docet dicens: Estote boni et misericordes sicut et pater vester caelestis misericors est, qui oriri facit solem suum super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos. Hunc ergo imitamini et hunc timete, et sicut mandatum datur hominibus, dominum deum tuum[20] timebis et ipsi[21] soli servies. [22]Infidelibus quidem dormit dominus et absens habetur his[23] a quibus esse non creditur, et mandatis eius non oboediunt, atque ob id[24] videtur quasi dormire dominus, quia pro peccatis suis non exaudiuntur.

[LXX. Ut presbiteri et diaconi ac reliqui clerici nihil absque episcopi proprii licentia agant in sua parroechia. Similiter et reliqui populi maiores et minores non sine eius permissu ad suam parroechiam accedant.][25]

LXX. Quapropter cunctis fidelibus et summopere omnibus presbiteris et diaconibus ac reliquis clericis adtendendum est, ut nihil absque episcopi proprii licentia agant. Non utique missas sine eius iussu quisque[26] presbiterorum in sua parroecia agat, non baptizet nec quidquam absque eius permissu faciat. Similiter et reliqui

Infidelibus quidem — non exaudiuntur sec. Clem. recogn. VIII. 62.

c. LXX. ut nihil — agant, epit. Hadr. can. ap. 36. (cf. Ben. I. 23. II. 31. III. 182). Cf. supra c. XXXVI.

Non utique missas — eius permissu faciat, Lulli ep. ad pontif. max. (int. ep. S. Bonif. no. 112. p. 290).

[1] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. addunt:* pariter. [2] *Sg. Dst.* firmavit. [3] *Sg. Dst.* prophetae. [4] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* contribuli. [5] *Sic codd. cit. et sic legendum pro:* a pro gentes, *quod Mut. habet.* [6] *Sic Sg. Dst. Par.* 3852; *Mut.* spectaretur. *Bb.* separetur, *in margine alia manu saec. XI. additur:* alii sperareturr. [7] *Omis. Sg. Dst.* [8] *Sg.* videretur. [9] *Par.* 3852: iudicantur. *Sg.* indicant. [10] *Dst.* vaticinantis. *Par.* 3852: vaticinationis. *Sg.* vaticinatus. [11] *In Sg. Bb. correctum alia manu in:* repararentur. *Dst.* reparantur. [12] *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst. addunt:* meditantes ac prospicientes quando eius fieret adventus ubi adesse. [13] *Sg. Dst.* scriptum. [14] *Bb. Par.* 3852: spe. [15] *Sg. Bb. Dst.* tamen. [16] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *pro:* bone, *quod legitur in Mut.* [17] *Sic Codd. cit. pro:* eiam, *quod est in Mut.* [18] *Par.* 3852: creditis. [19] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* et dominum *pro:* in domino. [20] *Par.* 3852 *addit:* adorabis. [21] *Sg. Bb. Dst.* illi. [22] *Dst. hic ponit rubricam:* Nihil absque episcopi licentia agendi. [23] *Sg.* eis. [24] *Pro:* ob id *Sg.* odibilis, *quod correctum est alia manu in:* odibilibus. *Dst.* odibilibus. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus numerus. Initium capitis a:* Quapropter cunctis — reprobi existunt *cum rubrica:* neque presbiteri neque diaconi sine permissu episcopi aliquid facere presumant *repetitur etiam fol.* 11. *Dst.* [26] *Sg. Dst.* quisquam.

populi maiores scilicet et minores per eius licentiam quidquid agendum est, agant, nec sine eius permissu a sua parrochia abscedant[1], vel in ea[2] adventantes morari praesumant[3]. Anime vero eorum ei credite sunt: ideo omnia eius consilio agere debent, et eo inconsulto nihil. Quicunque enim obediunt episcopis suis, videntur quidem aliquid gratiae conferre deo; qui autem eis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt. Porro ipsi a deo donum summi muneris consequuntur, qui iustitiae[4] et praecepti[5] eius semitas incedentes doctoribus suis qui recte episcopi intelleguntur, libenter obediunt. De quibus et beatus Petrus, instructor et ordinator noster et princeps apostolorum, manifeste cunctos audientes instruebat dicens: Videntur mihi qui loquuntur verba[6] veritatis et qui illuminant animas hominum similes esse radiis solis: qui ut praecesserint[7] et apparuerint mundo, celari ultra aut occultari nullatenus possunt, dum non tam videntur ab hominibus quam videre omnibus praestant. Unde et bene ipsa per se veritas ad veritatis praecones ait: Vos[8] estis lux mundi, et non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Si quis ergo his obedierit, deo, ut dictum est, magnum munus offert. Qui autem his resisterit[9] aut inobediens exstiterit, non his, sed domino salvatori nostro cuius legatione funguntur, resistit. Propter quod primum est omnium iustitiam dei regnumque eius inquirere et suis iussionibus obtemperare: iustitiam quidem, ut recte agere doceamus[10], regnum vero, ut que sit merces posita laboris et pacientiae noverimus, in quo est bonis quidem eternorum bonorum remuneratio, his autem qui contra voluntatem eius egerunt pro uniuscuiusque gestis[11] penarum digna restitutio. Hic[12] ergo, hoc est in praesenti vita positos[13], oportet nos agnoscere voluntatem[14] dei, ubi et agendi et sacrificandi est locus: quoniam in aliis locis sacrificare[15] et missas caelebrare[16] non licet, nisi in his in quibus episcopus proprius iusserit aut ab episcopo regulariter ordinato[17] tenente[18] videlicet civitatem[19] consecratus fuerit. Aliter enim non sunt hec agenda nec rite celebranda, docente nos novo et veteri testamento. Haec apostoli a domino acceperunt et nobis tradiderunt, haec nos docemus vobisque et[20] omnibus absque reprehensione tenere et docere quibus agendum est mandamus. LXXI. Unaqueque etenim res suum tempus habet et locum. Operum hic locus est, tempus vero est meritorum saeculum futurum. Ne ergo inpediamur ordinem locorum ac temporum permutantes; primo que sit dei iustitia requiramus, per quam iter[22] acturi abundanti[23] viatico[24] bonis operibus repleamur[25], quo possimus ad regnum dei tanquam ad urbem maximam pervenire. Deus enim his qui recte sentiunt per ipsa opera mundi que fecit[26] manifestus est, ipsius creature sue utens testimonio, et ideo cum de deo dubitatio esse[27] non debeat, de sola nunc eius iustitia requiramus et regno[28]. Ideo

[LXXI. Quod unaquaeque res suum tempus habeat et locum.][21]

Anime vero eorum ei credite sunt, can. 40. apost.

Quicunque enim obediunt — semitas incedentes, Clem. recogn. II. 20.

Videntur mihi — supra candelabrum, l. c. VIII. 4.

Propter quod primum — est locus, l. c. II. 20.

quoniam in aliis — veteri testamento sec. Ben. III. 431. (conc. Paris. a. 829. lib. III. 6). Cf. Fel. IV. pp. ep. 1.

Haec apostoli — mandamus sec. c. 2. i. f. 3. i. f. conc. Carth. (D.). Cf. Anacl. 26.

c. LXXI. Unaqueque — ad vitam perducat aeternam, Clem. recogn. II. 21. 22. Cf. Clem. 43.

1 *Dst. fol.* 11. et minores permissu eius a sua parrocchia non abscedant *pro:* et minores — parrochia abscedant. 2 *Sg.* eam. 3 *Dst. l. c.* morari non praesumant. 4 *Bb.* iustae. 5 *Dst.* praeceptorum. 6 *Sg. Dst.* verbum. 7 *Sg.* processerint. 8 *Par.* 3852: Vox. 9 *Par.* 3852. *Dst. Bb.* restiterit. 10 *Sg. Bb.* doceamur. *Dst.* doceantur. 11 *Sg.* agentis, *quod alia manu correctum est in*: actibus. 2 *Verba:* hic ergo — meritorum saeculum futurum *etiam fol.* 11. *Dst. cum rubrica*: Non alibi caelebranda sacra nisi in consecratis ab episcopis locis, *inveniuntur.* 13 *Dst.* positi (*fol.* 11: positos). 14 *Dst. in margine*: quo loco celebranda sit missa. 15 *Par.* 3852: sacrificari. 16 *Par.* 3852: celebrari. 17 *Dst. fol.* 11: ordinatio. 18 *Par.* 3852. *Dst.* (*etiam fol.* 11.) *Bb.* tenentem. 19 *Sg. add.* ubi. 20 *Sg. Dst.* hec; *fol.* 11: et. 21 *Sec. Par.* 3852. *Dst. Numerus solus in Bb.* 22 *Pro:* per quam iter acturi *Par.* 3852: et tanquam iter acturi; *Sg. Dst.* vitam quam interim acturi sumus; *Bb.* viamque iter acturi, *qui alia manu s. XI. correctus est.* 23 *Sg. Dst.* abundantibus. 24 *Sg. Dst.* ac. 25 *Sg. Dst.* repleamus. 26 *Dst.* facit. 27 *Pro:* esse — verum prophetam *Dst.* est requirentes, *Sg.* est si requirentes. 28 *Bb.* regnum.

persuadeo primum iustitiam eius esse[1] requirendam[2], ut per haec iter agentes et in via positi veritatis verum prophetam invenire possimus, non velocitate pedum, sed bonorum operum velocitate currentes[3], ut ipso duce usi[4] nullum viae[5] eius[6] paciamur errorem. Si enim ipsum sequentes ingredi meruerimus[7], illam quo[8] pervenire cupimus civitatem, omnia iam, de quibus queritur oculis videbimus tamquam haeredes omnium facti. Intelligite itaque viam[9] esse hunc vitae nostrae cursum, viatores eos qui nos instruunt vel qui bona opera gerunt, portam[10] vero prophetam, de quo dicimus, urbem regnum esse in quo residet omnipotens pater, quem soli videre possunt hi qui mundo sunt corde. Non ergo vobis difficilis videatur huius itineris labor, quia in fine eius requies erit. Nam et ipse verus propheta ab initio mundi per saeculum currens festinat ad requiem. Adest enim nobis omnibus diebus[11], et si quando necesse est apparet et corrigit nos, ut obtemperantes sibi ad vitam perducat aeternam. De his autem qui neglegunt viam suae salutis et adhuc non bene fideles, et praeceptis eius suorumque pontificum iussionibus inobedientes vel contumaces eis existunt, dominus noster Iesus Christus mittens discipulos suos praecepit nobis dicens:[12] In quamcunque civitatem aut domum introieritis, dicamus[13]: Pax huic domui. Et si quidem fuerit, inquid, ibi filius pacis, veniet super eum pax vestra; si vero non fuerit, pax vestra ad vos revertetur. Exeuntes autem de domo vel de civitate illa, etiam pulverem qui adhesit[14] pedibus vestris excutiamus[15] super eos. Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrorum in die iudicii, quam illi civitati vel domui. Quod utique ita demum fieri praecepit, si prius in civitate vel domo veritatis sermo praedicetur, ex quo vel recipientes veritatis fidem filii pacis et filii dei fiant, vel non recipientes arguant[16] quasi[17] inimici pacis et dei. LXXII. Ita ergo et nos magistri instituta sectantes pacem[19] proponamus[20] auditoribus, ut absque ulla perturbatione possit via salutis agnosci. Quod si quis pacis verba non suscipit neque acquiescit veritati, scimus adversus eum[21] pugnam verbi movere, et urgere acrius confutando ignorantiam et redarguendo peccata. Necessario igitur pacem proponimus, ut si quis est filius pacis, pax nostra veniat super eum, ab eo autem qui se alienum pacis[22] effecerit, regredietur ad nos pax nostra. Et si iterum in mandatis habemus, ut[23] venientes ad civitatem discamus prius quis in ea dignus sit, ut[24] aput eum cybum sumamus: quanto magis convenit noscere quis qualisve sit[25] is cui mortalitatis[26] verba credenda sunt. Solliciti enim et valde solliciti esse debemus, ne margaritas nostras mittamus ante porcos. Sed et alias ob causas utile est viri huius me habere notitiam. Si enim sciam, quia in his de quibus non[27] potest dubitari quod bona sint[28], emendatus est et inculpabilis, hoc est si sobrius, si misericors est[29], si iustus, si mitis et humanus est, que utique bona esse nullus ambigit, tunc consequens videbitur ut ei qui obtinet bona virtutum etiam quod deest fidei et scientiae conferatur et in quibus maculari videtur eius vita, quae est in reliquis probabilis, emendetur. Si vero in his que palam sunt peccatis involutus permanet et inquinatus, non me oportet aliquid de secretioribus et remotis divine scientiae proloqui, sed magis protestari et convenire eum, ut peccare desinat et actus suos a vitiis emendet. Quod si ingesserit se et provocavit[30] nos

[LXXII. Quod a praedicatoribus pax primo proponenda sit auditoribus.][18]

De his autem—ad nos pax nostra (*c.LXXII.*), Clem. recogn. II. 30. 31. *c. LXXII. Et si iterum in—intelligentia propositi nostri*, l. c. II. 3. 4.

[1] *Bb. omisit. Verba:* debeat — primum iustitiam eius *addita sunt alia manu s. XI.* [2] *Bb.* requirenda. [3] *Dst.* curramus. *Sic quoque* currentes *in Sg. alia manu correctum.* [4] *Deest in Sg.* [5] *Sg. Dst.* vitae. [6] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* huius. [7] *Bb.* meruimus. *Sg. Dst.* merebimur. [8] *Bb.* quam. [9] *Bb.* vita. [10] *Bb.* porta. [11] *Sg. Dst.* omni die. [12] *Dst. addit:* ut. [13] *Sg. Dst. Bb.* dicite. [14] *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* adhaeserit. [15] *Dst.* excutiatis. [16] *Sg. Bb. Dst.* arguantur. [17] *Par.* 3852: velut. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [19] *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst. add.* primo. [20] *Sg.* proponimus. [21] *Sg. Dst.* eos. [22] *Dst.* paci. [23] *Bb.* et. [24] *Sg. Dst.* et. [25] *Bb.* fit. [26] *Sg. Dst. Par.* 3852: immortalitatis. [27] *Sic Sg. Dst. Bb. Par.* 3852; *Mut. om.* et alias ob causas utile est viri huius me habere notitiam. Si enim sciam, quia in his de quibus non. [28] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb. Sg.; Mut.* sit. [29] *Omiserunt Codd. cit.* [30] *Sg. Dst. Par.* 3852: provocaverit.

dicere que eum minus agentem recte non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere[1]. Nam nihil omnino respondere, auditorum cause utile non videtur, ne forte existimet[2] nos responsionis penuria declinare certamen, et fides eorum ledatur, non intelligentia propositi nostri.

[LXXIII. De his qui idola colunt et videntur sectari virtutes et a criminibus abstinere.][3]

LXXIII. Magna contumelia et grave nobis erit peccatum, si ita desipiamus et[4] videamus eum qui idola colit esse sobrium, nos qui deo[5] colimus sobrii esse recusemus. Non hoc sit inter nos, sed magnum habeamus studium, ut si illi qui errant homicidium non faciunt, nos ne[6] irascamur quidem. Et si illi adulterium non committunt, nos nec concupiscamus quidem alienam mulierem. Si illi amant proximos suos, nos diligamus etiam inimicos nostros. Si illi mutuo dant his qui habent unde reddant, nos etiam his demus a quibus recipere[7] non speramus. Et per omnia nos qui eterni saeculi hereditatem speramus, debemus praecellere eos qui praesens tantum[8] saeculum noverunt[9], scientes quia si opera illorum nostris operibus conlata in die iudicii similia inveniantur ac paria, confusio nobis erit quod aequales invenimur in operibus his, qui propter ignorantiam condempnantur et nullam spem futuri saeculi habuerunt[10]. Et vere digna confusio[11] est, ubi nihil amplius gessimus ab his quibus amplius intelleximus. Quod si confusio nobis erit, aequales his inveniri in operibus bonis, quid erit nobis si inferiores nos ac deteriores examinatio futura repperiat? Audite ergo quomodo de his nos ipse verus propheta docuerit. Ad eos autem qui neglegunt audire[12] verba sapientiae ita ait: Regina austri surget in iuditio cum generatione hac et condemnabit eam, quia venit a finibus terre audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic, et non audiunt. Ad eos vero qui de malis actibus[13] gerere sapientiam[14] detractabant[15], ita[16]: Viri Ninivite surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt[17] eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionee, et ecce plusquam Iona hic. Videtis ergo quomodo eos qui erudiebantur ex lege, adductis ad exemplum illis qui ex gentili ignorantia veniebant, et ostendens eos nec illis equales esse qui in errore positi videbantur, ex ipsa tantum[18] comparatione condemnatos[19]. Ex quibus omnibus sermo quem proposuimus adprobatur, ut castimonia que aliquatenus etiam ab his qui in errore sunt positi custoditur, multo plurius[20] et adtentius et per singulas quasque, sicut supra ostendimus, species a nobis qui veritatem sequimur teneatur, eo magis quo apud nos observantiae eius praemia eterna sunt posita. Aliter enim nemo salvus esse poterit, nisi his[21] observationibus pro viribus operam dederit. Deus vos in sua voluntate unumquemque in suo ordine semper custodiat, fratres, et sibi placere in omnibus concedat. Amen.

ITEM EPISTOLA SANCTI CLEMENTIS PAPAE

SCRIPTA DISCIPULIS SUIS, QUI MALORUM HOMINUM PERSUASIONIBUS ALIQUATENUS DEVIARUNT, ET HIS ATQUE GENTIBUS INTER QUAS HABITABANT DIRECTA.[22]

[LXXIV. Admonitio sancti Clementis qua monet discipulos suos sollicitudinem pro cunctis gerere et quia in modico eos errasse contigit, praecipit redire ad viam veritatis et secum eos qui ipsos errare fecerunt adsumere et ad viam rectam reducere.][23]

LXXIV. Clemens, Romanae urbis episcopus, karissimis fratribus Iulio et Iuliano ac reliquis consodalibus nostris gentibusque que circa vos sunt. Oportet, fratres, omnes doctores qui ad salutem animarum instituti[24] et ad lucrandas animas episcopi

c. LXXIII. *Magna contumelia — aeterna sunt posita*, l. c. VI. 13. 14. *Aliter enim nemo salvus esse poterit*, Conc. Par. a. 829. lib. I. c. 1.

1 *Par.* 3852: erudire. 2 *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* aestimet. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* certari *pro:* sectari. 4 *Sg. Dst.* ut. 5 *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* deum. 6 *Sg. Dst.* nec. 7 *Sg. Dst.* accipere. 8 *Dst.* tempus et. 9 *Sg.* norunt. 10 *Par.* 3852. *Bb.* habuerint. 11 *Sic Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.; Mut.* confussione. 12 *Sg. Dst.* neglegenter audiunt. 13 *Omisit Dst.* 14 *Sg. Bb. Par.* 3852: paenitentiam. *Dst.* potentiam. 15 *Par.* 3852: detractant. 16 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* ait. 17 *Sic codd. cit.; Mut.* condemnabit. 18 *Dst.* tamen. 19 *Sg. Dst.* condemnat. 20 *Dst.* plus. *Par.* 3852: purius. 21 *Omiserunt Sg. Dst. Bb.* 22 *Deest inscr. in Mutin. Desumpta ex Bb. Dst. Par.* 3852 *et* 4280 *AA. Sg.* Item epistola sancti Clementis excerpta de volumine quod dicitur itinerarium sancti Petri de cathecizandis rudibus. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 24 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* sunt.

sunt consecrati, pro cunctis sollicitudinem gerere et errantes ad viam veritatis et ad portum salutis adducere[1]. Et licet propter gentes quae circa vos sunt in medio[2] vos errasse contigerit[3], melius tamen est redire ad veritatis viam quam diutius in ipso errore perdurare. Quoscunque enim de his qui vos errare fecerunt vel de his qui adhuc verbum praedicationis[4] non audierunt[5] potestis[6], vobiscum assumite et ad veritatis viam reducite, ne infructuosi, sed fructuosi domino inveniamini. Et quoniam quidem sicut a cultore neglecta terra[7] spinas et tribulos necessario producit, ita sensus vester longi temporis incuria multas et noxias opiniones rerum et intellegentias false scientiae germinavit, opus est nunc multa diligentia ad excolendum rus[8] mentis vestrae, ut hic[9] sermo veritatisque verus[10] et diligens cordis colonus assiduis excolat disciplinis. Vestrum ergo est praebere obedientiam et occupationes ac sollicitudines superfluas amputare, ne bonum verbi semen enecet nocivum[11] germen: potest enim fieri ut multi temporis neglegentiam brevis et assidua reparet diligentia. Incertum namque est uniuscuiusque vitae tempus, et ideo festinandum est ad salutem, ne forte cunctantem[12] mors repentina praeveniat; et ob[13] hoc acrius innitendum est, ut[14] dum[14] est[14] temporis spatium[15], collecta male consuetudinis vitia resecentur[16]. Quod non aliter facere poteritis, nisi ut irascamini quodammodo adversum vosmetipsos pro his quae inutiliter gessistis ac turpiter.

LXXV. Haec enim est iusta et necessaria iracundia, ut unusquisque in[18] quibus erravit et perperam gessit, indignetur et semetipsum accuset. Ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro sterili inmissus, consumptis et excoctis radicibus pessime voluntatis[19], bono semini verbi[20] dei fecundiorem cordis praeparet[21] glebam. Puto autem quod satis dignas habeatis causas iracundie ex quibus iustissimus ignis iste coalescat[22], si consideretis in quantos vos errores deduxerit ignorantiae malum, quantosque lapsus et quanta praecipitia ad peccandum dedit, a[23] quantis vos bonis abstraxit, et in que praecipitavit mala, et quod est super omnia gravius, quod[24] vos in futuro saeculo eternis poenis obnoxios fecit. Nonne pro his omnibus ubi vobis veritatis lumen effulsit, ignis iustissime indignationis accenditur et iracundie deo placite intra vos consurgit incendium, quo consumatur et radicitus intereat omne germen sicut[25] forte intra vos[26] male concupiscentie pullulavit? Unde et ipse qui misit nos cum venisset et omnem mundum vidisset ad malitiam declinasse, non continuo ei pacem in erroribus posito dedit, ne eum confirmaret in malis, sed ignorantie eius ruinis scientiam veritatis opposuit[27], ut, si qui forte resipiscerent[28] et lumen veritatis aspicerent, deceptos se et in praecipitia erroris abstractos merito dolerent et iracundiae salutaris ignem adversum deceptricem suam conciperent ignorantiam. Ob hoc itaque dicebat: Ignem veni mittere in terram, quem volo ut accendatur.

[LXXV. De iusta et necessaria iracundia.][17]

Est ergo pugna quedam que gerenda nobis est in hac vita. Sermo enim veritatis et scientie[29] necessario separat homines ab errore et ignorantia, sicut sepe videmus putrefactas et mortuas corporis carnes a connexione viventium membrorum ferro secantes[30] separari. Tale ergo aliquid est quod ait[31] veritatis agnitio. Ne-

c. LXXIV. Et quoniam quibus — deum colentibus observetur (c. LXXXI. i. f.), Clem. recogn. VI. c. 2—12. Cf. supra 57.

1 *Codd. cit.* reducere. 2 *Codd. cit.* modico. 3 *Bb.* contingerit. 4 *Dst.* praevaricationis. 5 *Sg. add.* si. 6 *Omisit Dst.* 7 *Sg. Bb. Dst.* sicut terra cultore neglecta. 8 *Bb.* ius. 9 *Sg. Dst.* et hunc *pro:* et hic. 10 *Cet. codd.:* veritatis qui. 11 *Sic Sg. Dst. Par.* 3852; *Mut.* nocet nocium; *Bb.* semine necet noxium. 12 *Sg.* cumtantae, *quod alia manu correctum est in* cunctantem. 13 *Omis. Sg. Dst.* 14 *Omiserunt Sg. Dst. Par.* 3852. 15 *Sg. Dst.* spacio ut dum est temporis spatium. 16 *Dst.* intereat *pro:* vitia resecentur. *Sg. om. verba:* vitio resecentur, *manu posteriore pro his verbis additur supra lineam:* deleatis. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA. et Dst.* 18 *Sg. add.* his. 19 *Par.* 3852 *et Bb.* voluptatis. 20 *Dst.* verbo. 21 *Par.* 3852. *Bb.* praeparat. 22 *Bb.* calescat. *Sg. Dst.* concalescat. 23 *Bb.* ad. 24 *Sg.* quos, *manu post. correctum in* quod. 25 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* si quod. 26 *Dst.* in terra *pro:* intra vos. 27 *Sg.* apposuit. 28 *Bb.* respiscerent. 29 *Sg. Dst.* scientia. 30 *Sg. Dst.* secante. 31 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* agit.

cesse est enim, ut salutis causa filius, verbi gratia, qui sermonem receperit veritatis a parentibus separetur incredulis aut rursum pater separetur a filio[1] aut filia a matre. Et hoc modo inter propinquos et consanguineos credentes atque incredulos

[LXXVI. Expositio sermonis dicentis: non veni pacem mittere in terram, sed gladium.][3]

scientiae atque ignorantie veritatisque et erroris pugna consurgit[2]. LXXVI. Et ob hoc iterum dicebat qui nos misit: Non veni[4] pacem mittere in terram sed gladium. Quod[5] si[6] dicit aliquis: Et quomodo iustum videtur separari filios a parentibus? Audi quomodo: quia si cum ipsis in errore permaneant, neque illis proderunt et ipsi cum illis pariter interibunt, iustum igitur et valde iustum est separari eum qui salvari[7] vult ab eo qui non vult. Sed et illut averte, quia non ex illis qui rectius intelligunt, venit ista separatio, illi[8] enim volunt[9] esse[10] pariter et prodesse his et docere meliora. Sed est istud proprium ignorantiae vitium, ut confutantem se veritatis lucem non ferat habere de proximo, et ideo ex illis ista nascitur separatio. Nam qui scientiam veritatis accipiunt, quia bonitatis plena est, tanquam a bono deo datum[11] cupiunt eam si fieri potest cum omnibus habere communem, etiam cum his qui oderunt[12] eos et persecuntur. Sciunt enim quia[13] peccatum ipsorum causa[14] ignorantiae est[15]. Propterea quot[16] ipse magister cum ab his qui ignorabant eum duceretur ad crucem, orabat patrem pro interfectoribus suis et dicebat: Pater, dimitte his[17] peccatum, nesciunt enim[18] quid faciunt. Imitantes quoque discipuli magistrum, etiam ipsi cum paterentur, similiter pro interfectoribus suis orabant[19]. Quod si disciplina nobis est orare etiam pro interfectoribus et persecutoribus nostris, quomodo non etiam parentum et propinquorum persecutiones ferre et pro[20] conversione eorum orare credimur?

[LXXVII. Quod parentes non auctores vitae nostrae sed ministri sint.][21]

LXXVII. Tunc deinde etiam illud diligentius consideremus que sit nobis causa parentes diligendi, pro eo, inquit, quia[22] vite nostrae videntur auctores. Auctores quidem vite nostrae parentes non sunt, sed ministri. Non enim vitam praebent, sed ingrediendi nobis ad hanc vitam exhibent ministerium, auctor autem vitae unus et solus est deus. Si autem[23] auctorem vite diligere volumus, illum[24] nobis esse diligendum sciamus, sed illut[25], inquid[26], cognoscere non potuimus, istos autem et novimus et in affectu[27] habemus. Esto, non potuistis cognoscere quid sit deus, quid[28] tamen[29] non sit deus, perfacile scire potuistis. Nam quomodo latere potuit hominem, quod lignum aut lapis aut aes vel alia huiusmodi materia non sit[30]? Quod si in his quae facile[31] deprehendere potuistis animum ad discutiendum voluistis[32] intendere, certum est quia et in agnitione[33] dei inpediti estis, non inposi-

[LXXVIII. De intelligendo deo.][35]

bilitatis sed ignavi[34] vitio. LXXVIII. Nam si voluisetis ex his[36] ipsis inutilibus simulacris profecto accepissetis intellegentiae viam. Certum est, quia per ferrum facta sunt simulacra, ferrum vero per ignem confectum est. Qui ignis aqua exstinguitur, aqua autem per spiritum movetur, spiritus autem a deo initium habet. Sic enim dixit[37] Moyses propheta: In principio fecit deus coelum et terram. Terra autem erat invisibilis et incomposita[38], et tenebrae erant super faciem abyssi, et spiritus dei erat super aquas[39]. Qui[40] spiritus iussu dei quasi ipsa conditoris manus lucem separavit a tenebris, et post illut invisibilem[41] caelum istum[42] visibile[43] produxit, ut superiora quidem habitaculum faceret angelis, inferiora vero hominibus.

[1] *Sg.* filiis. [2] *Dst.* consistit. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [4] *Bb.* venit. [5] *Dst.* Sed; *sic quoque*: quod, *quod est in Sg. alia manu posteriore correctum.* [6] *Om. Sg.* [7] *Par.* 3852 *et Bb.* sedari. *Sg.* faeda. *Dst.* foeda. [8] *Sg. Dst. Bb.* ille. [9] *Bb.* velint. *Sg. Dst.* vult. [10] *Sg. Dst.* interesse. [11] *Par.* 3852: data. *Sg. Dst. Bb.* datam. [12] *Dst.* oderant. [13] *Omisit Sg. Dst.* [14] *Sg. Dst.* causam. [15] *Sg. Dst.* esse. [16] *Par.* 3852: denique. *Sg. Bb. Dst.* idemque. [17] *Sg. Dst.* eis. [18] *Dst.* quia nesciunt. [19] *Sic Sg. Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* orabat. [20] *Sic codd. cit. Deest* pro *in Mutin.* [21] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [22] *Sg. Par.* 3852. *Dst. Bb.* quod. [23] *Dst.* igitur. [24] *Bb.* illud. [25] *Sg. Bb.* illum. [26] *Sg. Dst.* inquiunt. [27] *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* effectu. [28] *Dst. Bb.* qui. [29] *Sg.* quid. [30] *Par.* 3852. *Sg. add.* deus. [31] *Bb.* facere. [32] *Sg. Bb.* noluistis. [33] *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb. pro* agnitio, *quod est in Mutin.* [34] *Sg. Dst.* ignaviae. [35] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [36] *Omis. Sg. Dst.* [37] *Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.* dicit. [38] *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut. Par.* 3852: composita. [39] *Sg. Dst.* eam. [40] *Om. Sg. Dst.* [41] *Par.* 3852. *Sg. Dst.* invisibile. [42] *Par.* 3852. *Dst. Bb.* istud. [43] *Sg. om. verba:* caelum istum visibile.

Propter vos ergo iussu dei aqua quae erat super faciem terrae secessit, ut terra vobis produceret fructus. Cui etiam humorum venas latenter inseruit ut vobis ex ea profluerent fontes et flumina. Propter vos producere iussa est animantia et omnia quae vestro usui voluntatique servirent[1]. An[2] non propter vos venti spirant, ut ex ipsis concipiens fructus vobis terra parturiat? Nonne propter vos imbres profluunt et tempora vicissitudines mutant? Num propter vos sol oritur et occidit, et mutationes luna[3] perpetitur[4]? Propter vos mare exhibet famulatum suum, ut vobis ingratis cuncta subiaceant. Nonne pro his omnibus iusta erit ultionis pena, quia horum omnium largitorem quem ante omnia et agnoscere et venerari debuistis, solum prae[5] ceteris ignoratis? Sed et nunc hisdem[6] vos adhuc intellegentiam eius duco. Videtis etenim quod omnia gignuntur ex aquis, aqua vero per unigenitum ex initio facta est, unigeniti vero omnipotens deus caput est, per quem tali ordine, ut supra diximus, pervenitur ad patrem. Cum autem perveneritis, agnoscite hanc esse voluntatem eius, ut per aquas, que prime create[7] sunt, denuo renascamini. Qui enim regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus repletus haeres efficitur eius a quo in[8] incorruptione generatus[9] est. Propter quod, paratos animos[10] accedite, quasi filii ad patrem, ut peccata vestra diluantur et causa eorum[11] sola ignorantia fuisse probetur aput deum: nam si post agnitionem horum permanetis in incredulitate, vobis iam perditionis vestre causa et non ignorantie reputabitur.

[LXXIX. Neminem posse habere spem apud deum absque baptismo. Item quae conferat aque baptismum et confirmatio episcopi.][12]

LXXIX. Nec putetis quod etiam si omnem pietatem colatis omnemque iustitiam[13], baptismum vero non accepistis[14], spem possitis habere aput deum, imo maiore[15] pena digni eritis qui bona opera non bene operati estis. Confertur enim meritum homini[16] ex bonis gestis, sed si ita gerantur[17] sicut deus iubet: deus autem iussit omnem colentem se baptismo consignari. Quod si vos renueritis et vestrae voluntati magis quam dei obtemperetis, contrarii sine dubio et inimici estis voluntati eius. Sed dicetis[18] fortasse: Quid confert aquae baptismus ad dei cultum? Primo quidem, quia quod deo placuit impletur: secundo, quia regenerato[19] ex aquis et deo[20] fragilitas prioris nativitatis que vobis per hominem facta est amputatur, et ita demum pervenire poteritis ad salutem, aliter inpossibile est. Sic enim[21] verus propheta testatus est, dicens: Amen dico vobis, nisi quis denuo renatus fuerit ex aqua viva, non introibit in regnum caelorum. Et ideo accelerate; est enim in aquis istis misericordia eius quedam que ex initio ferebatur super eas et agnoscit eos qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, et eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum[22] quoddam offerens deo animas per baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas, solae sunt enim quae possunt vim futuri ignis exstinguere. Ad quas qui[23] moratur accedere, constat in eo infidelitatis adhuc idolum permanere et ab ipso prohiberi ad aquas que salutem conferunt[24] properare. Sive enim iustus, sive sit iniustus, baptismum per omnia necessarium est, iusto quidem ut adimpleatur in eo perfectio et regeneretur[25], iniusto vero ut peccatorum que gessit remissio concedatur. Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci deo et demum consignari ab episcopo, id est septiformem gratiam spiritus sancti percipere, quia incertus est uniuscuiusque exitus vitae. Cum autem regeneratus fuerit per aquam et postmodum septiformis[26] spiritus gratia ab episcopo, ut memoratum est, confirmatus[27], quia aliter perfectus esse christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos si non necessitate, sed incuria aut voluntate re-

1 *Bb. correxit in:* deservirent. 2 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: Aut. 3 *Sic codd. cit.; Mut.* lune. 4 *Sic codd. cit.; Mut.* perpeditur. 5 *Sic codd. cit.; Mut.* pro. 6 *Om. Sg.; Bb. Dst.* per idem. 7 *Dst.* creature. 8 *Om. Dst.* 9 *Dst.* regeneratus. 10 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: paratis animis. 11 *Dst. add.* ab. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 13 *Sg.* omnem substantiam. 14 *Bb. Par.* 3852: accipitis. *Sg. Dst.* accipiatis. 15 *Sg.* maiori. 16 *Sg. Dst.* boni hominis. 17 *Sg.* generantur. 18 *Sg. Bb. Dst.* dicitis. 19 *Sg.* regenerata. *Dst.* regeneratus. 20 *Bb. Par.* 3852 *addunt:* renato. *Sg.* renovata. *Dst.* renovato. 21 *Codd. cit. addunt:* nobis cum sacramento. 22 *Sg.* domum. 23 *Sg. Dst.* quisquis. 24 *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut. Par.* 3852: confertur. 25 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* deo. 26 *Sg. Bb. Dst.* septiformi. 27 *Dst. in margine:* baptizatos consignare debere.

manserit, ut[1] a beato[2] Petro apostolo[3] accepimus ut[4] ceteri sancti apostoli praecipiente domino docuerunt, et demum ex operibus bonis ostendat[5] in se similitudinem eius, qui eum genuit patris. LXXX. Post haec vero agnoscat deum honorare, honor autem eius est, ut ita vivat sicut ipse vult; vult enim[7] unumquemque ita vivere, ut homicidium et adulterium nesciat, hodium et avaritiam fugiat, iram, superbiam, iactantiam respuat ut et secretum[8]. Invidiam quoque et cetera his similia penitus a se ducat aliena. LXXXI. Est sane propria quedam nostre religionis observantia, que non tam inponitur hominibus quam proprie ab unoquoque deum colente causa puritatis expetitur, de castimonie dico cautela cuius speties multe sunt. Sed primo ut observet unusquisque, ne menstruatae mulieri misceatur, hoc enim exsecrabile ducit[10] lex dei. Quod[11] si lex de his non admonisset[12], nos ut cantari[13] libenter volveremur[14] in stercore. Debemus[15] aliquid amplius habere[16] animalibus, utpote rationabiles homines et celestium sensuum capaces, quibus summi studii esse debet[17] ab omni inquinamento cordis conscientiam custodire. Bonum est autem et puritati conveniens etiam corpus aqua diluere. Bonum vero dico non quasi principale illut in quo mens purificatur, sed quod[18] sequela sit illius boni[19] hoc[20], in quo caro diluitur: sic enim et magister noster quosdam phariseorum et scribarum, qui videbantur[21] esse ceteris meliores et a vulgo separati, increpabat, dicens eos hipocritas, quia eo[22] solummodo que hominibus videbantur, purificabant, corda vero, que solus deus aspicit, inquinata relinquebant et sordida. Ad quosdam ergo ex ipsis, non ad omnes dicebat: Vae vobis, scribae et pharisei hipocritae, quia mundatis calicis et parapsidis quod deforis est, intus autem plena sunt sordibus. Pharisee caece, munda prius quod intus est, et quod deforis est erit mundum. Vere enim si mens mundetur luce scientiae, cum ipsa fuerit munda ac splendida, tunc etiam eius qui deforis est hominis ipsa necessario curam gerit, id est carnis suae, ut et[23] ipsa purificetur[24]; ubi autem ista que deforis[25] est purificatio carnis neglegitur, certum est ibi[26] neque de puritate mentis ac munditia cordis curam geri. Ita ergo fit ut is qui intrinsecus mundus est mundetur[27] sine dubio et extrinsecus; non semper autem is qui mundatur extrinsecus, etiam intrinsecus mundus est, videlicet cum agit[28] haec ut hominibus placeat, sed et illa species castimoniae observanda est, uti ne passim et libidinis solius causa[29] feminis coeatur[30], sed posteritatis reparanda[31] gratia, que observantia cum etiam in nonnullis pecudibus inveniatur, pudori[32] est si non ab omnibus[33] rationabilibus et deum colentibus observetur. Ergo omnes peccaverunt et egent auxilio dei. Propter quod, carissimi, sectamini semper caritatem et emulamini meliora et spiritualia, et adiuvate vos invicem, ut deo semper in omnibus placere valeatis. Amen.

[LXXX. Quod post baptismum agnosci debeat honor dei. Item et quid sit honor dei.][6]

[LXXXI. De propria nostrae religionis observantia et quod castimoniae multae sint species.][9]

Ergo omnes peccaverunt — auxilio dei, Rom. III. 23.

Propter quod carissimi — spiritualia, I Cor. XIV. 1.

Propter — valeatis, cf. Evar. 11.

[1] *Sg. add.* habeat quod. *Dst. add.* habeant quod. [2] *Om. Sg.* [3] *Om. Sg. Dst.* [4] *Sg. Bb. Dst.* et. [5] *Sg. Dst.* ostendit. [6] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [7] *Sg. Bb. Dst.* autem. [8] *Sg. Bb. Par.* 3852: respuat et exercetur. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [10] *Sg. Bb. Dst.* dicit. [11] *Codd. cit. addunt:* et. [12] *Sg. Dst.* admonuisset. [13] *Sg.* cathari non. *Dst.* catharoe. [14] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* volverimus. [15] *Sg. supra lin. add.* enim. [16] *Sg. Dst. add.* ab. [17] *Sg. Dst.* debeat. [18] *Sic Par.* 3852. *Sg. Bb.; Mut. om.* quod; *Dst. om.* sed. [19] *Sic codd. cit.; Mut.* bono. [20] *Omisit Dst.* [21] *Par.* 3852. *Bb.* videntur. [22] *Sg.* ea. [23] *Om. Dst.* [24] *Sg. Dst.* purificet. [25] *Sg. Bb. Dst.* foris. [26] *Omisit Dst.* [27] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* mundet. [28] *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst.; Bb. antea legebat* ait, *ut Mut., quod a manu s. XI in* agit *correctum est.* [29] *Bb.* causae. [30] *Bb.* coheatur. *Par.* 3852: coeat; *Sg. Dst.* coeat quis. [31] *Sg. Dst. Bb. Par.* 3852: reparandae. [32] *Dst.* pudoris. [33] *Par.* 3852. *Sg. Bb.* hominibus.

ITEM EPISTOLA SANCTI CLEMENTIS PAPE.
DE COMMUNI VITA ET RELIQUIS CAUSIS SUIS DISCIPULIS SCRIPTA HIEROSOLIMISQUE DIRECTA.[1]

LXXXII. Dilectissimis fratribus et condiscipulis Hierosolimis cum karissimo fratre Iacobo coepiscopo habitantibus CLEMENS episcopus. [LXXXII. De communi vita.][2]

Communis vita, fratres, omnibus est necessaria et maxime his qui deo inreprehensibiliter militare cupiunt et vitam apostolorum eorumque discipulorum immitari volunt. Communis enim usus omnium quae sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit[3], sed per iniquitatem alius[4] suum dixit esse[5], et alius illut, et sic inter mortales facta divisio est. Denique Grecorum quidem sapientissimus, hec ita sciens esse, ait communia debere esse amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio et coniuges[6]. Et sicut non potest, inquid, dividi aer neque splendor solis, ita nec reliqua quae communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum dividi debere, sed habenda esse communia. Unde et dominus per prophetam loquitur, dicens: Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum, et reliqua. Istius enim consuetudinis more retento etiam apostoli eorumque discipuli, ut praedictum est, una nobiscum et vobiscum communem vitam duxere, unde[7], bene nostis, erat multitudinis eorum cor unum et anima una, nec quisquam eorum aut nostrum de his quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis et nobis erant communia, nec quisquam egens erat inter nos. Omnes vero qui domos vel agros possidebant vendebant eos, et precia eorum et reliquas res quas habebant, afferebant ponentes ante pedes apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrum cognoverunt et viderunt; et dividebant[8] singulis, prout cuique opus erat. Ananias autem vir austerus, et Saphira uxor eius, qui mentiti sunt apostolis de pretio agrorum suorum quos vendiderant, nobis presentibus in conspectu omnium circumstantium a conspectu apostolorum propter peccatum eorum et mendatium quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Cetera[9] que talia[10] cognovimus et vidimus, nec recordatione nec demonstratione digna sunt. LXXXIII. Quapropter hec vobis[12] cavenda[13] mandamus, et doctrinis et exemplis apostolorum oboedire praecipimus, quia hi qui eorum mandata postponunt, non solum rei, sed extorres fiunt. Quae non solum vobis cavenda[14], sed omnibus praedicanda sunt. [LXXXIII. Oboediendum esse doctrinis et exemplis apostolorum.][11]

[15]Relatum est etiam nobis[16] quod quidam in vestris partibus commorantes adversantur sanis doctrinis, et prout eis videtur, non secundum traditionem patris[17], sed iusta[18] suum sensum docere videntur. Multas enim quidam, ut audivimus, vestrarum partium ingenio[19] hominum ex his que legunt, verisimilitudines capiunt. LXXXIV. Et ideo diligenter observandum est, ut lex dei cum legitur, non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis que possunt trai[21] ad eum sensum quem[22] sibi unusquisque sponte [LXXXIV. Observandum ut lex dei cum legitur non secundum propriam ingenii intelligentiam legatur vel doceatur.][20]

c. LXXXII. *Communis vita — habenda esse communia*, Clem. recogn. X. 5.
Ecce quam bonum — in unum, Ps. CXXXII. 1.
erat multitudinis — cui opus erat, Act. ap. IV. 32. 34. 35.
Ananias vir — sunt ambo, Act. ap. V. 1.
Multas enim quidam — esse rationabilem mentem (c. LXXXV.), Clem. recogn. X. 42. 43.

1 *Deest in Mut.; restitutum sec. Par.* 3852. *Bb. Dst.; Sg.* Epistola sancti Clementis de vita et conversatione ecclesiae primitivae et fraudolentorum damnatione. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit numerum LXXXI. Deest in Dst. Numerum solum LXXXII. ponit Bb.* 3 *Sic Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.; Mut.* debunt. 4 *Sg. Bb. Dst. add.* hoc. 5 *Par.* 3852. *Sg. Bb. Dst.* dicit. 6 *Omitt.* in omnibus autem — coniuges *Bb. Sg. Dst. In Par.* 3852 *deletum est.* 7 *Par.* 3852 *et Dst. add.* ut. *Sg.* bene ut. 8 *Dst.* dividibantur. *Sg. Bb.* dividebantur. 9 *In Sg. supra lineam manu posteriore additur:* vero. 10 *Sg. Dst. Bb. Par.* 3852: de talibus *pro* talia. 11 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit numerum LXXXII. In Bb. solus numerus LXXXIII.* 12 *Sg.* nobis. 13 *Dst. add.* esse. 14 *Par.* 3852: agenda. *Sg. omisit verba:* mandamus et doctrinis — solum vobis cavenda. 15 *Dst. in margine ponit:* Non secundum proprium libitum exponendam esse scripturam. 16 *Omisit Dst.* 17 *Sg.* patrum. 18 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* iuxta. 19 *Bb.* ingenium. *Sg. Dst.* secundum ingenium. 20 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit numerum LXXXIII. Solus numerus LXXXIV in Bb.* 21 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* trahi. 22 *Om. Sg.*

praesumpsit, sed[1] fieri non oportet: non enim sensum quem extrinsecus attuleris[2], alienum et extraneum debetis querere, aut quomodo ipsum scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intellegentiam discere scripturarum qui etiam[3] a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat[4], ut[5] et ipse possit ea que recte suscepit competenter asserere. Cum enim ex divinis scripturis integram quis et firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus studiis que forte[6] in pueritia adtigit, ad assertionem veri dogmatis conferat, ita tamen ut ubi vera didicit, falsa et simulata[7] declinet. Incertum est enim etiam iuvenibus vite tempus, senibus autem iam[8] nec incertum est, non enim dubitatur quid[9] quantumcunque est quod putatur superesse breve sit.

[LXXXV. Ut tam iuvenes quam senes sint valde solliciti de conversione et paenitentia.][10]

LXXXV. Et ideo tam iuvenes quam senes oportet de conversione et penitentia valde esse sollicitos et satis agere, ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est dogmatibus veritatis, decore pudicitie, splendore iustitiae, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem[11] mentem. Unde consilium dantes vestram prudentiam hortamur, ut ab apotolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes et scripturas sacras intellegentes, quae domino placere[12] novistis[13], adimplere satagatis, et[14] oratione assidua cum dei gratiam merueritis, tunc sine suspicione mali interitus[15] vota possint[16] celebrari festiva. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

INCIPIT EPISTOLA ANACLETI PAPAE

DE OPPRESSIONE ET LACERATIONE CHRISTIANORUM ET QUOD ECCLESIA NAVI COMPARETUR ATQUE DE CETERIS IBI INSERTIS NEGOTIIS OMNIBUS EPISCOPIS SCRIPTA.[17]

[I. Exortatio patientiae inter adversa.][18]

I. Anacletus servus Christi Iesu in sede apostolica domino serviens, episcopis omnibus et ceteris cunctis fidelibus qui coequalem nobiscum sortiti sunt fidem, gratia vobis et pax atque consolatio multiplicetur[19] a domino in saecula.

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in celis, in vobis qui in virtute dei custodimini per fidem in[20] salutem paratam revelari in tempore novissimo, in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis temptationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro, quando[21] per ignem probatur, si tamen in tribulationibus experti probati inveniamini. Pacientes estote, dilectissimi, quia patientia probationem operatur, probatio vero spem, spes autem non confundit. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum[22] et serotinum. Si

c. LXXXV. *Et ideo etc.*, cf. supr. c. XLVIII. *Unde consilium dantes — celebrari fectiva*, Turon. prov. episc. ep. ad pleb. (Mansi 9, 808). *Deus autem pacis etc.*, II Cor. XIII. 11. c. I. *Anacletus — a domino in saecula*, II Petr. I. 1. 2. *Benedictus deus — probati inveniamini*, I Petr. I. 3—7. *Pacientes estote*, Iac. V. 7. *quia patientia — confundit*, Rom. V. 4. 5. *Ecce agricola — miserator est dominus*, Iac. V. 7—11.

[1] *Dst. addit:* sic. [2] *Sic corr.; Mut.* ab duteris. *Sg.* ab alteris. *Par.* 3852: adulteris, *quod in Bb. correctum est alia manu s. XI. in:* adulteratis. *Dst.* ab alteris; *supra lineam additur:* in aliis adulteratis. [3] *Bb.* eam. *Sg. Dst.* et eam. [4] *Sg.* servavit. [5] *Om. Sg.* [6] *Omisit Dst.* [7] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* false et simulate. [8] *Om. Sg.* [9] *Sg.* quod. [10] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit numerum LXXXIV. In Bb. solus numerus LXXXV.* [11] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* rationabiliter. [12] *Omisit Bb.* [13] *Correctum alia manu in Bb. in:* vovistis. *Sg. Dst. pro:* placere novistis *leg.* sunt placita vos ea salubre. [14] *Sg. Dst.* ut. [15] *Sg. Dst.* interius. [16] *Dst.* possunt. [17] *Deest in Mut. Desumpt.* e *Bb. Dst. Par.* 3852, *qui legit:* anaclaeti. *Sg.* Epistola sancti Anacleti papae quod non sint vituperandi sacerdotes et de unitate trinitatis ex novo et veteri testamento vel traditione patrum compilata. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit numerum. Numerus solus in Bb.* [19] *Sg. Dst.* multiplicentur. [20] *Dst.* et. [21] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: quod. [22] *Sg.* temporivum.

agricole hec patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro aeternis pacientes esse debetis? Estote ergo patientes et confirmate corda vestra, ut adveniente iudice Christo leti et probati esse valeatis. Nolite ingemiscere in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce[1] iudex ante ianuam assistit. Exemplum capite[2], karissimi, laboris et patientie prophetes[3], qui locuti sunt in nomine domini. Et[4] beatificamus eos[5] qui[6] sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis et fidem[7] domini vidistis, quoniam misericors et miserator est dominus[8]. Tribulationes vestras audivimus, fratres, tam per vestros quam et per aliorum apocrisiarios, super quibus valde dolemus, vobisque compatimur et auxilium ferre, prout ipse largitus fuerit qui pro nobis non solum tribulatus, sed etiam passus est, parati sumus. Nolite mirari, karissimi, qui persecutiones patimini, quasi novi vobis aliquid contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione glorie eius gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, glorie et virtutis dei et qui est eius[9] spiritus, suoper[10] vos requiescet. Nemo autem vestrum paciatur quasi[11] homicida aut fur aut maleficus[12] aut alienorum appetitor: si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem deum in isto nomine, quoniam tempus est ut incipiat iuditium de domo dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt dei evangelio? Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque et hi qui patiuntur[13], fideli creatori commendant animas suas in benefactis. II. Nam, [15]ait beatus Clemens praedictus[16] antecessor noster, similis est omnis[17] ecclesiae status navi magne, que per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis auctor huius dominus ipse omnipotens deus, gubernator vero sit Christus, tum[18] deinde proretae officium episcopus impleat, presbiter[19] nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, hi qui catezizant nautologis conferuntur[20]. [21]Epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus habeatur. Ventorum[22] vero varietates et turbinum diversis temptationibus conferantur; persecutiones, tribulationes sive pericula fluctibus exequentur. Terreni vero spiritus qui de torrentibus vel convallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum seu prave doctrine verba docentur[23]; promuntoria vero et loca confragosa hi qui in potestatibus saeculi sunt iudices et pericula minantur ac mortes; bethalassa[24] vero loca[25] que duplicibus unde fallacis[26] estibus verberantur dubiis mente et repromissionum veritate nutantibus conferantur atque his qui irrationabili fidem nostram ratione[27] discutiunt. Ypocritae vero et dolosi piratis similes habeantur. Iam vero rapidus vertex[28] et tartarea caripdis et saxis inlisa naufragia ac mortifere submersiones, quid aliut aestimanda sunt quam peccata? Restat igitur ut hec navis cursu prospero[29] tuta possit portum desiderate urbis intrare et ita deo precem fundere, ut navigantes mereantur audiri. III. Audimus[31], fratres, quod quidam[32] detrahunt et accusant sacerdotes dei cupientes eos

[II. Quod ecclesia navi comparetur.][14]

[III. De his qui detrahunt et accusant sacerdotes dei.][30]

Tribulationes — parati sumus sec. Cuthberti ep. ad Lullum (int. ep. S. Bonif. no. 114. p. 293).
Nolite mirari — peccator ubi parebunt, I Petr. IV. 12—18.

c. II. Nam ait — mereantur audiri, Clem. ep. I. c. 14.
c. III. Audimus fratres — sacerdotes dei sec. c. 7. C. III. conc. Aquisgr. a. 836.

1 *Sg. add.* enim. 2 *Sg. Par.* 3852: accipite. 3 *Sg. Par.* 3852: prophetas; *sic et antea Bb., qui alia manu s. XI. in* prophetis *correctus est.* 4 *Sg.* Etenim. *Dst. Par.* 3852: En. 5 *Deest in Bb.* 6 *Deest in Dst.* 7 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: finem. 8 *Dst.* deus. *Deest in Bb.* 9 *Deest in Sg. Dst.* 10 *pro* super, *ut celeri habent.* 11 *Dst.* patitur qualis. *Sg.* patitur quasi. 12 *Sg.* maledicus. 13 *Sg. Bb. Par.* 3852 *addunt:* secundum voluntatem dei. 14 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui legit:* novi *pro* nave. 15 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* ut. 16 *Om. codd. cit.* 17 *Om. Sg.* 18 *Dst.* tamen. 19 *Sg. Dst. Par.* 3852: presbiteri. *Bb. antea ut Mutin., sed correctum est* presbiter *in* presbiteri *alia manu s. XI.* 20 *Codd. cit.* conferantur. 21 *Dst. in margine:* naustolongis epibatis. 22 *Bb.* venturum. 23 *Sg. Dst.* docentes. *Dst. in margine:* promunctoria et loca confragosa. 24 *Sg. Bb. Dst.* bithalassa. *Dst. in margine:* bithalassa. 25 *Om. Sg. Dst.* 26 *Bb.* fallatis. 27 *Bb.* rationem. 28 *Sg. Dst.* vortex. 29 *Dst.* prospera. 30 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* 3852 *in margine:* De accusationibus episcoporum. 31 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: Audivimus. 32 *Sg. Dst. add.* et.

praesumpsit, sed[1] fieri non oportet: non enim sensum quem extrinsecus attuleris[2], alienum et extraneum debetis querere, aut quomodo ipsum scripturarum auctoritate confirmetis, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intellegentiam discere scripturarum qui etiam[3] a maioribus secundum veritatem sibi traditam servat[4], ut[5] et ipse possit ea que recte suscepit competenter asserere. Cum enim ex divinis scripturis integram quis et firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus studiis que forte[6] in pueritia adtigit, ad assertionem veri dogmatis conferat, ita tamen ut ubi vera didicit, falsa et simulata[7] declinet. Incertum est enim etiam iuvenibus vite tempus, senibus autem iam[8] nec incertum est, non enim dubitatur quid[9] quantumcunque est quod putatur superesse breve sit.

[LXXXV. Ut tam iuvenes quam senes sint valde solliciti de conversione et paenitentia.][10]

LXXXV. Et ideo tam iuvenes quam senes oportet de conversione et penitentia valde esse sollicitos et satis agere, ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est dogmatibus veritatis, decore pudicitie, splendore iustitiae, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem[11] mentem. Unde consilium dantes vestram prudentiam hortamur, ut ab apotolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes et scripturas sacras intellegentes, quae domino placere[12] novistis[13], adimplere satagatis, et[14] oratione assidua cum dei gratiam merueritis, tunc sine suspicione mali interitus[15] vota possint[16] celebrari festiva. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

INCIPIT EPISTOLA ANACLETI PAPAE

DE OPPRESSIONE ET LACERATIONE CHRISTIANORUM ET QUOD ECCLESIA NAVI COMPARETUR ATQUE DE CETERIS IBI INSERTIS NEGOTIIS OMNIBUS EPISCOPIS SCRIPTA.[17]

[I. Exortatio patientiae inter adversa.][18]

I. ANACLETUS servus Christi Iesu in sede apostolica domino serviens, episcopis omnibus et ceteris cunctis fidelibus qui coequalem nobiscum sortiti sunt fidem, gratia vobis et pax atque consolatio multiplicetur[19] a domino in saecula.

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in celis, in vobis qui in virtute dei custodimini per fidem in[20] salutem paratam revelari in tempore novissimo, in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis temptationibus, ut probatio vestrae fidei multo pretiosior sit auro, quando[21] per ignem probatur, si tamen in tribulationibus experti probati inveniamini. Pacientes estote, dilectissimi, quia patientia probationem operatur, probatio vero spem, spes autem non confundit. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum[22] et serotinum. Si

c. *LXXXV. Et ideo etc.*, cf. supr. *c. XLVIII.*
Unde consilium dantes — celebrari fectiva, Turon. prov. episc. ep. ad pleb. (Mansi 9, 808).
Deus autem pacis etc., II Cor. XIII. 11.
c. I. Anacletus — a domino in saecula, II Petr. I. 1. 2.
Benedictus deus — probati inveniamini, I Petr. I. 3—7.
Pacientes estote, Iac. V. 7.
quia patientia — confundit, Rom. V. 4. 5.
Ecce agricola — miserator est dominus, Iac. V. 7—11.

[1] *Dst. addit:* sic. [2] *Sic corr.; Mut.* ab duteris. *Sg.* ab alteris. *Par.* 3852: adulteris, *quod in Bb. correctum est alia manu s. XI. in:* adulteratis. *Dst.* ab alteris; *supra lineam additur:* in aliis adulteratis. [3] *Bb.* eam. *Sg. Dst.* et eam. [4] *Sg.* servavit. [5] *Om. Sg.* [6] *Omisit Dst.* [7] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* false et simulate. [8] *Om. Sg.* [9] *Sg.* quod. [10] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit numerum LXXXIV. In Bb. solus numerus LXXXV.* [11] *Sic Par.* 3852. *Dst. Bb.; Mut.* rationabiliter. [12] *Omisit Bb.* [13] *Correctum alia manu in Bb. in:* vovistis. *Sg. Dst. pro:* placere novistis *leg.* sunt placita vos ea salubre. [14] *Sg. Dst.* ut. [15] *Sg. Dst.* interius. [16] *Dst.* possunt. [17] *Deest in Mut. Desumpt.* e *Bb. Dst. Par.* 3852, *qui legit:* anaclaeti. *Sg.* Epistola sancti Anacleti papae quod non sint vituperandi sacerdotes et de unitate trinitatis ex novo et veteri testamento vel traditione patrum compilata. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit numerum. Numerus solus in Bb.* [19] *Sg. Dst.* multiplicentur. [20] *Dst.* et. [21] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: quod. [22] *Sg.* temporivum.

agricole hec patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro aeternis pacientes esse debetis? Estote ergo patientes et confirmate corda vestra, ut adveniente iudice Christo leti et probati esse valeatis. Nolite ingemiscere in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce[1] iudex ante ianuam assistit. Exemplum capite[2], karissimi, laboris et patientie prophetes[3], qui locuti sunt in nomine domini. Et[4] beatificamus eos[5] qui[6] sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis et fidem[7] domini vidistis, quoniam misericors et miserator est dominus[8]. Tribulationes vestras audivimus, fratres, tam per vestros quam et per aliorum apocrisiarios, super quibus valde dolemus, vobisque compatimur et auxilium ferre, prout ipse largitus fuerit qui pro nobis non solum tribulatus, sed etiam passus est, parati sumus. Nolite mirari, karissimi, qui persecutiones patimini, quasi novi vobis aliquid contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione glorie eius gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, glorie et virtutis dei et qui est eius[9] spiritus, suoper[10] vos requiescet. Nemo autem vestrum paciatur quasi[11] homicida aut fur aut maleficus[12] aut alienorum appetitor: si autem ut christianus, non erubescat, glorificet autem deum in isto nomine, quoniam tempus est ut incipiat iuditium de domo dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt dei evangelio? Et si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque et hi qui patiuntur[13], fideli creatori commendant animas suas in benefactis. II. Nam, [15]ait beatus Clemens praedictus[16] antecessor noster, similis est omnis[17] ecclesiae status navi magne, que per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis auctor huius dominus ipse omnipotens deus, gubernator vero sit Christus, tum[18] deinde proretae officium episcopus impleat, presbiter[19] nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, hi qui catezizant nautologis conferuntur[20]. [21]Epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus habeatur. Ventorum[22] vero varietates et turbinum diversis temptationibus conferantur; persecutiones, tribulationes sive pericula fluctibus exequentur. Terreni vero spiritus qui de torrentibus vel convallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum seu prave doctrine verba docentur[23]; promuntoria vero et loca confragosa hi qui in potestatibus saeculi sunt iudices et pericula minantur ac mortes; bethalassa[24] vero loca[25] que duplicibus unde fallacis[26] estibus verberantur dubiis mente et repromissionum veritate nutantibus conferantur atque his qui irrationabili fidem nostram ratione[27] discutiunt. Ypocritae vero et dolosi piratis similes habeantur. Iam vero rapidus vertex[28] et tartarea caripdis et saxis inlisa naufragia ac mortifere submersiones, quid aliut aestimanda sunt quam peccata? Restat igitur ut hec navis cursu prospero[29] tuta possit portum desiderate urbis intrare et ita deo precem fundere, ut navigantes mereantur audiri. III. Audimus[31], fratres, quod quidam[32] detrahunt et accusant sacerdotes dei cupientes eos

[II. Quod ecclesia navi comparetur.][14]

[III. De his qui detrahunt et accusant sacerdotes dei.][30]

Tribulationes — parati sumus sec. Cuthberti ep. ad Lullum (int. ep. S. Bonif. no. 114. p. 293).
Nolite mirari — peccator ubi parebunt, I Petr. IV. 12—18.
c. II. Nam ait — mereantur audiri, Clem. ep. I. c. 14.
c. III. Audimus fratres — sacerdotes dei sec. c. 7. C. III. conc. Aquisgr. a. 836.

1 *Sg. add.* enim. 2 *Sg. Par.* 3852: accipite. 3 *Sg. Par.* 3852: prophetas; *sic et antea Bb., qui alia manu s. XI. in* prophetis *correctus est.* 4 *Sg.* Etenim. *Dst. Par.* 3852: En. 5 *Deest in Bb.* 6 *Deest in Dst.* 7 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: finem. 8 *Dst.* deus. *Deest in Bb.* 9 *Deest in Sg. Dst.* 10 *pro* super, *ut ceteri habent.* 11 *Dst.* patitur qualis. *Sg.* patitur quasi. 12 *Sg.* maledicus. 13 *Sg. Bb. Par.* 3852 *addunt:* secundum voluntatem dei. 14 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui legit:* novi *pro* nave. 15 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* ut. 16 *Om. codd. cit.* 17 *Om. Sg.* 18 *Dst.* tamen. 19 *Sg. Dst. Par.* 3852: presbiteri. *Bb. antea ut Mutin., sed correctum est* presbiter *in* presbiteri *alia manu s. XI.* 20 *Codd. cit.* conferantur. 21 *Dst. in margine:* naustolongis epibatis. 22 *Bb.* venturum. 23 *Sg. Dst.* docentes. *Dst. in margine:* promunctoria et loca confragosa. 24 *Sg. Bb. Dst.* bithalassa. *Dst. in margine:* bithalassa. 25 *Om. Sg. Dst.* 26 *Bb.* fallatis. 27 *Bb.* rationem. 28 *Sg. Dst.* vortex. 29 *Dst.* prospera. 30 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* 3852 *in margine:* De accusationibus episcoporum. 31 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: Audivimus. 32 *Sg. Dst. add.* et.

dampnari, non intellegentes forsitan quod iniuria sacerdotum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur. Nec hoc aspitiunt quod beatus princeps apostolorum instructor noster ait: Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem; et dominus per prophetam inquid: Qui vult vitam diligere et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia eius ne loquantur dolum[1], et cetera. Qui autem ista transgrediuntur, profecto transgressores legis dei et contemptores atque inobedientes eius praeceptis existunt. Unde et beatus Iacobus[2] apostolus ait: Si diligitis proximos sicut vosmetipsos, bene facitis, si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores, et cetera. Et beati apostoli ac praedecessor[3] noster Clemens, vir apostolicus et spiritu domini[4] plenus, una cum reliquis sanctis collegis[5] suis statuit, dicens: [6]Accusandi vel testificandi licentia denegetur[7] omnibus[8] qui christiane religionis et nominis dignitatem et sue legis vel sui propositi normam aut regularum[9] probibita neglexerunt[10]. IV. Transgressores enim sponte legis sue, eiusque violatores apostatae nominantur[12]. Omnis enim apostata refutandus est[13] ante reversionem suam, nec[14] in accusatione rectae agentium aut testimonio suscipiendus, quia vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. V. Quicunque autem, ut ait apostolus Iacobus, totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mechaberis, dixit et: non occides. Quod si non mechaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iuditium enim sine misericordia est[16] illi qui non fecit misericordiam, superexaltat[17] autem misericordia iuditium[18], et dominus ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et multa talia horumque[19] similia. Nemo enim, inquid apostolus, nostrum[20] quis[21] sibi vivit, et sibi nemo moritur; sive ergo vivimus sive morimur, domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est et revixit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus[22] ante tribunal dei[23]; scriptum est enim: Vivo ego, dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur domino[24]. Itaque unusquisque nostrum per se rationem reddet deo[25]. Non ergo amplius invicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. VI. Scimus enim quia multum derogatio praevalet, quando derogator creditur fide dignus; ideo, fratres, variis detractionibus[27] non oportet labefactari iudices

[IV. Qui nominentur apostate et quod omnis apostata non possit recipi in accusatione aut testimonio.][11]

[V. Ut qui offendit in uno, factus sit omnium reus.][15]

[VI. Quod multum praevalet derogatio, quando derogator creditur fide dignus.][26]

quod iniuria — cuius vice funguntur, Ben. III. 462. (c. 7. l. III. conc. Aquisgr. a. 836. et II Cor. V. 20). Cf. infr. 21, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, Excerpt. Silv. 8, Dam. 19. (Greg. M. ad Fel.).

Deponentes igitur — in salutem, I Petr. II. 1. 2.

Qui vult vitam — loquantur dolum, I Petr. III. 10.

Si diligitis proximos — transgressores, Iac. II. 8. 9.

Accusandi vel testificandi — dignitatem neglexerunt, Ben. III. 188. Addit. III. 12. (epit. Aegid. ad l. Rom. Vig. c. 1. C. Th. XVI. 2). Cf. Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. x.

c. IV. quia vir duplex — viis suis, Iac. I. 8.

c. V. Quicunque autem — misericordia iudicium, Iac. II. 10—13.

Nolo mortem — et vivat, Ezech. XXXIII. 11.

Nemo enim — fratri vel scandalum, Rom. XIV. 7—13.

c. VI. Scimus enim — fide dignus, Cass. hist. trip. III. 8. (cf. Ben. II. 381). Cf. Fel. II. pp. 12. xi.

ideo fratres — nec fratres infestare, Cass. hist. trip. V. 29. et Ben. II. 381. Cf. Telesf. 3, Fel. II. pp. 12. xi.

1 *Dst.* malum. 2 *Om. Sg. Dst.* 3 *Sg. Dst.* praecessor. 4 *Sg. Bb. Dst.* dei. 5 *Dst.* collectis; *sic antea quoque Sg., quod correctum est in* collegis. 6 *Dst. in margine:* de sacerdotum detractione. 7 *Dst.* denegatur his. 8 *Om. Sg. Dst.* 9 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: regulariter. 10 *Sg.* neglexerint. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus numerus.* 12 *Dst. et Par.* 3852: nominentur. 13 *Sg. Dst. add.* et. 14 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: non. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 16 *Omis. Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. 17 *Sg. Bb. Par.* 3852: superexaltet. 18 *Bb. Dst. Par.* 3852: iudicio. *Sg.* misericordiam iudicio. 19 *Bb.* eorumque. 20 *Dst.* vestrum. 21 *Omiserunt Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. 22 *Dst.* stabunt. 23 *Sg.* Christi. 24 *Sg. Bb.* deo. 25 *Verba:* Itaque unusquisque — reddat deo *desunt in Sg. Dst.* 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 27 *Par.* 3852 *addit:* et accusationibus.

et primates ecclesie, sed magis apostolorum et doctorum regulis informari et roborari, unde iustum est omnes[1] universo Romanorum orbe doctores legis, ea que legis sunt recta sapere et operari, et non regulas nascentis ecclesiae confundi[2], aut fidem ac doctrinam apostolorum variis maculare doctrinis, nec fratres infestare. Si autem omnia in hoc saeculo vindicanda[3] essent, locum divina iudicia non haberent, supervacuis enim ad[4] beneficia laborat inpendiis, qui solem certat facibus adiuvare; ideo si aliquis putat[5] deo in hoc placere quod servos suos[6] accusat et ut meliores fiant dicit se hoc agere, in vanum laborat et plus invidiae stimulis agitatur quam caritatis, quoniam gratie plenitudo adiectione non indiget, nec ulle[7] requirit commendationis aucmenta. Erigit ergo doctores conscientia sua, et si quando incertis temporum flatibus opponuntur, sustinent mala quae sanctis[8] magis sunt ascribenda quam meritis. VII. Datam enim scimus satane potestatem, ut servos Christi cribraret, ut quod de tritico inveniri posset, horreis iungetur[10], et quod de paleis, ad ignium alimenta transsiret[11]. Ad vos specialiter dictum est: Nolite timere pusillus grex[12], conplacuit patri vestro dare vobis regnum, venit inter vos gladius perfidorum, ut marcida ecclesiae membra resecaret et ad celestem gloriam sana[13] perduceret. Quos[14] habet[15] Christus milites, certamen ostendit, qui triumphum mereantur per bella cognoscuntur[16]. Scimus autem multos ob id infestare doctores, ut eos perdant et propriae voluntatis placita adimpleant. Non propterea tamen doctores inquantum vires[17] suppetunt a recta emulatione et bona intentione recedere debent, scientes quia beati qui persecutionem paciuntur propter iustitiam. VIII. Nihil autem illo est[19] pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur. Quibus si placere voluerit atque ab his amari delegerit, erit hinc[20] ovibus magna pernities. Nullus ergo pastorum[21] placere lupis et gregibus ovium potest, perdidit[22] enim laboris memoriam mens terrenis obligata[23] carceribus. Sicut artium[24] in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis est neglegentia. Nullus ergo praeiuditium alteri faciat, neque quod sibi fieri non vult exerceat. Nemo dictum de aliquo inveniet[25], quod in eius actibus non agnoscat. Ego autem labefacta tamen[26] non solum quietem meam, sed et salutem inimicorum[27] valetudine et rumorum procellis agnosco. Potest[28] divinitas immense tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Et quid aliud si[29] Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamur[30] vestigia eius, et apostoli passi sunt, sequentes eius vestigia[31], et reliqui patres, nisi ut sequamur tam doctrinam eorum quam et[32]

[VII. De data satane potestate, ut servos Christi cribet.][9]

[VIII. Nihil esse illo pastore miserius qui luporum laudibus gloriatur.][18]

Si autem omnia — iudicia non haberent, Ennod. ep. II. 19. (p. 65). Cf. Alex. 7.
supervacuis enim — facibus adiuvare, eiusd. ep. II. 22. (p. 69).
gratie plenitudo — commendationis aucmenta, l. c.
Erigit ergo — quam meritis, eiusd. dict. 9. (p. 495).
c. *VII. Datam enim — per bella cognoscuntur*, eiusd. ep. II. 14. (*p.* 58).
beati qui persecutionem — propter iustitiam, Matth. V. 10.
c. *VIII. perdidit enim — obligata carceribus*, Ennod. petit, quo absolutus est Gerontius (p. 452).
Sicut artium — est neglegentia, Ennod. dict. 11. (p. 502).
Nullus ergo — non vult exerceat sec. Tob. IV. 16. aut Ben. III. 198.
Nemo dictum — non agnoscat, eiusd. ep. IV. 9 (p. 114).
Ego autem — serenitatis amovere, eiusd. ep. IV. 24. (p. 126). Cf. Amator. ep. ad Silv.
Christus passus — eius vestigia, I Petr. II. 21.

1 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* in. 2 *Sg.* confundere. *In Bb. alia manu s. XI. correctum est in* confundere. 3 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: vindicata. 4 *Bb.* a. 5 *In Sg. al. m. supra lin. additur:* se. 6 *In Sg. al. m. supra lin. correct. in* eius. 7 *Bb.* ultra. *Sg. Dst. Par.* 3852: ulla. 8 *Par.* 3852: saeculis. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 10 *Sg. Dst.* ingereretur. 11 *Dst.* transirent. 12 *In Sg. et in Bb. manu s. XI. supra lineam add.* quia. 13 *Omisit Dst.* 14 *Dst.* Quod. 15 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: habeat. 16 *Sic Par.* 3852; *Mut.* cognoscunt. *Deest in Sg. Dst.* 17 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: vires. *Mut.* vilens. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 19 *Deest* illo est *in Sg. Dst.* 20 *Bb.* in. 21 *Sg. Bb. Dst.* pastor. 22 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: perdit. 23 *Par.* 3852: alligata. 24 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: artium; *Mut.* argentum. 25 *Sg. Dst.* inveniat. 26 *Sg. Bb. Dst.* labefactatam *pro* labefacta tamen. 27 *Sg. Dst.* iniquorum. 28 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: potens est. 29 *Om. Sg.* 30 *Sg. Dst.* sequamini. 31 *Codd. cit.* exemplum. 32 *Deest in Dst.*

exemplum, et paciamur adversa pro Christo, et cum patribus atque cum fratribus crucem portemus eorumque[1] tribulationibus compatiamur, ut Christi veri discipuli inveniamur, qui dixit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me, et reliqua? Praesumptio est si dominorum beneficia famuli non sequantur. Obsequium ergo estimandum puto, quod pariturus inpendo. Quid est enim[2], quod plus creditur filii vocabulum valere quam obsequium, et non queritur quid in amoris lance promoveas, sed quale ad praeiuditium estimanti[3] nomen opponas[4], cum apud prudentes frustra sobolem[5] dicimus, nisi exhibeat quid[6] vocatur. Ego vero nolo[7] errore meo alienas culpas asserere, ut factum quod doleam[8] ammisisse convincar[9]. Odisti, inquid dominus per prophetam, omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendatium. Virum sanguinum et dolosum abhominabitur dominus; ego autem in multitudine misericordiae tue introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum[10] in timore tuo. Domine, deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige ante faciem meam[11] viam tuam[12], non est in ore eorum veritas[13], interiora eorum insidiae. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguam suam lenificant. Condempna eos, deus, decidant a consiliis suis; iuxta multitudinem scelerum eorum[14] expelle eos, quoniam provocaverunt te. Et laetentur omnes qui sperant in te, in saeculum laudabunt[15]. Et proteges eos, et laetabuntur in te qui diligunt nomen tuum, quoniam[16] tu benedices iusto. Domine, ut hasta placabilitatis coronabis eum.

[IX. Ut perfecte sacrificantes deo non vexentur nec ipsi soli hoc agant dum sacrificant.][17]

IX. Deo enim perfecte sacrificantes non debent vexari, sed portari, consolari atque ab hominibus[18] venerari. [19]Ipsi autem quando domino sacrificant non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut domino perfecte in sacratis deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas legis divine: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegit dominus deus tuus.

[X. Ut episcopus sacrificans plures testes habeat secum quam alius sacerdos.][20]

X. Episcopus[21] deo sacrificans testes, ut praefixum est, secum habeat et plures quam alius sacerdos. Sicut enim maiori honoris gradu fruitur[22], sic maioris testimonii[23] incrementatione indiget. [24]In sollemnioribus quippe diebus aut septem aut quinque aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, et subdiaconos ac reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte et a tergo, et presbiteri e regione dextra levaque, contrito corde et humiliato spiritu ac prono stent vultu, custodientes eum a malivolis hominibus, et consensum eius praebeant sacrificio.

[XI. Quod omnes ministri altaris communicare debeant, si noluerint ecclesiasticis carere liminibus.][25]

XI. Peracta autem consecratione omnes communicent qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et apostoli statuerunt et sancta Romana tenet ecclesia. Servite, inquid dominus per prophetam[26] David, in timore et exsultate ei cum[27] tremore, adorate pure, ne forte ira-

Qui vult venire—sequatur me, Matth. XVI. 24.
Praesumptio est — non sequantur, Ennod. ep. IV. 8. (p. 112).
Quid est enim quod — quid vocatur, eiusd. IV. 4. (p. 108).
Ego vero nolo — ammisisse convincat, eiusd. IV. 19. (p. 122).
Odisti, inquid — coronabis eum, Ps. V. 7—13.
c. IX. Ipsi autem quando — locis probentur sec. vit. Lucii pp. in libr. pontif. c. 3. Cf. Luc. 1.
Vide ne offeras — dominus deus tuus, Deuter. XII. 13. 14.
c. X. Episcopus deo etc. sec. vit. Lucii cit.
contrito corde et humiliato spiritu ac prono stent vultu sec. conc. Par. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315.
c. XI. Servite inquid — pereatis de via, Ps. II. 11. 12.

[1] *Dst.* atque. [2] *Sg. Dst.* hoc. [3] *Bb.* estimandi. [4] *Par.* 3852: apponas. [5] *Dst.* solem. [6] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: quod. [7] *Sg. Dst.* volo. [8] *Sg. Dst.* doleo. [9] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* coniungar. [10] *Codd. cit.* adoraboque in templo sancto tuo. [11] *Par.* 3852: tuam. [12] *Par.* 3852: meam. [13] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: rectum. [14] *Sg. Dst. add.* et. [15] *Bb.* (*alia manu s. XI.*) *Sg. Dst. addunt:* te. [16] *Sg.* quia. [17] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [18] *Sg. Bb. Par.* 3852: omnibus. [19] *Dst. in margine:* Non ubique aut solo sacrificandum. [20] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [21] *Sic Sg. Bb. Dst.* (*Par.* 3852: episcopus autem); *Mut.* et spiritus. [22] *Sg.* maioribus honoris gradibus fungitur. *Dst.* maioribus honoris gradibus augitur. [23] *Sg. Dst.* maiori testimonio. [24] *Dst. in margine:* diaconus oculi episcopi dicuntur. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [26] *Sg.* domino propheta. [27] *Par.* 3852: in.

scatur et pereatis de via. Ille enim non perit de via qui recte graditur et praecepta custodit maiorum. XII. Doceri ergo omnes oportet qui domini sacerdotio funguntur, ut[2] caeteros instruant[3] et sibi proficiant, scriptum est autem: [4]Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates; et alibi: Populus autem sciens deum suum obtinebit et faciet, et docti in populo docebunt multos[5]. Ipsa enim per se veritas infert et dicit: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me; ille procul dubio scandalizatus est[6] in deum qui recte[7] non docet, et qui eius scandalizat episcopum vel sacerdotem. Impie namque agentes sunt impii, neque intellegunt[8] omnes impii, porro docti intellegent, omnes enim invicem humilitatem insinuate, quia deus superbis resistit, humilibus[9] dat gratiam. Nolite, inquit Ioannes apostolus, omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex deo sunt. Quoniam seudoprophetae[10] exierunt in mundum. Et idem ipse alibi ait: Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat; si in vobis permanserit quod ab initio audistis, et vos in filio et patre manebitis. Et haec est repromissio quam ipse pollicitus est nobis vite aeterne[11]. Haec scripsi vobis de his qui seducunt vos. Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendatium, et sicut docuit vos, manete in eo. Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habemus[12] fiduciam, et[13] non confundamur ab eo in adventu eius. Scitis quoniam iustus est, scitote quoniam et omnis qui facit iustitiam, ex ipso natus est. Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii dei nominemur et scimus[14], propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Karissimi, nunc filii dei sumus et nondum apparuit quod[15] erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet spem hanc in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum et iniquitatem facit et peccatum est iniquitas. Et scitis quia ille apparuit ut peccata tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat, et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam iustus est, sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius dei ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex deo natus est. In hoc manifesti sunt filii dei et filii diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex[16] deo, et qui non diligit fratrem suum, quoniam hec est adnuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum, non sicut Cain qui ex maligno erat et occidit fratrem suum, et propter hoc occidit eum, quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in[17] vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte; omnis qui odit fratrem

[XII. Quod omnes sacerdotes domini oporteat doceri ut ceteros instruant et sibi proficiant.][1]

c. XII. Doceri ergo — sibi proficiant, S. Bonifac. ep. no. 73. (p. 197).

Qui docti fuerint — in perpetuas aeternitates, Dan. XII. 3.

Populus autem — docebunt multos, Dan. XI. 32. 33.

Beatus qui non — scandalizatus in me, Matth. XI. 6.

ille procul dubio — vel sacerdotem, cf. Dam. 17.

Impie namque — intelligent, Dan. XII. 10.

quia deus superbis — gratiam, I Petr. V. 5. i. f.

Nolite, inquit — in mundum, I Ioann. IV. 1.

Vos quod audistis — ex ipso natus est, I Ioann. II. 24—29.

Videte qualem — dedit nobis, I Ioann. III. tot. cap.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus deest in Bb.* 2 *Sg. Bb. Dst. addunt:* et. 3 *Sg.* instruunt. 4 *Dst. addit in margine:* ut non scandalizetur episcopus. 5 *Par.* 3852: plurimos. 6 *Sg. Dst.* scandalizatur *pro* scandalizatus est. 7 *Sg.* recta. 8 *Sg. Dst. Bb.* intellegent. *In Bb. correctum est alia manu s. XI. in* intellegentes. 9 *Bb. et Dst. addunt:* autem. 10 *Pro* pseudoprophetae, *ut habent Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. 11 *Bb. Dst.* vita aeterna. *Par.* 3852: vitam aeternam. 12 *Alii codd.* habeamus. 13 *Correctum in Bb. alia m. s. XI in:* ut. 14 *Sg. Dst. Par.* 3852: simus. 15 *Sg. Dst.* quid. 16 *Par.* 3852: de. 17 *Bb. et Dst.* ad; *sic in Bb.* in, *quod antea habebat, correctum est.*

suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso[1] manentem[2]. In hoc cognovimus karitatem dei, quoniam[3] ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius[4] mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas dei manet in eo? Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. In hoc cognovimus[5] quoniam ex veritate sumus, et in conspectu eius suademus[6] corda nostra, quoniam si reprehenderit nos cor[7], maior est deus corde nostro, et novit omnia. Karissimi, si cor nostrum non[8] reprehenderit[9] nos, fiduciam habemus ad deum, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, et ea, que sunt placita coram eo, facimus. Et hoc est mandatum eius[10], ut credamus in nomine filii eius Iesu Christi et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis[11]. Et qui servat mandata eius, in illo manet, et ipse in eo, et in hoc[12] quoniam manet in nobis de spiritu quem[13] dedit nobis. XIII. Et sicut deus creator qui hominem ad[15] similitudinem suam creavit, est[16] caritas, est bonus, iustus, paciens atque mitis, mundus[17] et misericors, et cetera insignia sanctarum virtutum, que de eo leguntur, ita homo creatus est, ut caritatem haberet, ut bonus esset[18] et iustus, ut paciens atque mitis, mundus et misericors foret. Has[19] virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propior[20] est deo et maior est, atque sui conditoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum et divortia criminum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine[21] degeneranter[22] oberrat, tunc fiet de eo quod scriptum est: Et homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Quis maior honor potuit homini esse, quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et conditor? De quo legitur: Dominus regnavit, decore indutus est, id est, omnium virtutum splendore et totius bonitatis decore ornatus, vel quod maius homini[23] potest esse dedecus aut infelicior[24] miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui conditoris ammissa, ad informem et inrationabilem brutorum animalium[25] delabitur[26] similitudinem? Quapropter quisque diligentius adtendat prime conditionis suae excellentiam et venerandam sancte trinitatis in seipso imaginem agnoscat, honoremque similitudinis divine ad quem[27] creatus est, nobilitatem morum, executionem[28] virtutum, dignitatem[29] meritorum habere contendat, ut quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareat qui se mirabiliter ad similitudinem suam in primo Adam condidit, mirabiliusque in secundo reformavit. Omnis igitur homo qui ad immaginem dei factus est, illum debet immitari, cuius ad immaginem conditus est, illius debet sequi vestigia, qui eum ad immaginem sui[30] condidit. Consiliarium vero ac protectorem melius[31] repperire non poterit, quam illum qui eum ad immaginem sui condidit, qui eum pretioso sanguine suo redemit, et propter eum homo fieri non est dedignatus: quem procul dubio inveniet si in eum totam spem[32] iuxta psalmistae vocem proiecerit; ait namque: Proice super dominum caritatem[33]

[XIII. Quod sicut deus creator hominis est, caritas est, bonus et iustus, ita homo creatus est ad similitudinem suam, ut caritatem haberet, ut bonus esset et iustus et quod illum debet imitari ad cuius imaginem conditus est.][14]

c. XIII. Et sicut deus creator — in secundo reformavit, lib. de dign. cond. hum. Ambros. adscript. c. 3.

super dominum caritatem — fluctuationem iusto, Ps. LIV. 23.

[1] *Sg. Bb. Dst.* se. [2] *Sic reliqui codd.; Mut.* manente. [3] *Sg. Dst. add.* ut. [4] *Om. codd. cit.* [5] *Bb. et Par.* 3852: cognoscimus. [6] *Dst.* suadebimus. [7] *Sg. Dst. add.* nostrum. [8] *Deest in Bb.* [9] *Bb.* reprehendit. [10] *Deest in Sg. Dst.* [11] *Bb.* vobis. [12] *In Sg. Dst. Par.* 3852. *Bb.* (*hic alia manu s. XI.*) *additur:* scimus. [13] *Dst.* quoniam de spiritu suo *pro* de spiritu quem. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [15] *In Bb. additur alia manu s. XI:* imaginem et. [16] *Deest in Sg.* [17] *Deest in Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. [18] *Deest in Sg. Dst.* [19] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: quas. [20] *Sg.* propius. *Bb. Dst.* proprius. [21] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* similitudinem. [22] *Bb.* degener. *Par.* 3852: degenter. *Sg. Dst.* devius. [23] *Sg.* hominis. [24] *Sg.* inferior. [25] *Bb.* iumentorum. *Dst. Par.* 3852: iumentorumque. [26] *Codd. cit.* delabatur. [27] *Sic Sg. Bb.; Mut.* atque. *Dst. et Par.* 3852: ad quam. [28] *Sic corr.* exsecratione; *Par.* 3852: exercitione. *Sg. Dst.* et sacrationem. [29] *Bb.* dignitate. [30] *Sg. Bb.* suam. [31] *Sg. Dst. Par.* 3852: meliorem. [32] *Sg. Bb. et Dst. add.* suam. [33] *Bb.* curam. *Sic alia manu posteriore* caritatem *in Sg. correctum est.*

tuam et ipse te enutriet nec dabit in eternum fluctuationem iusto. Omnis enim homo sua causa deficiens et in suis hesitans[1] consiliis querit sibi amicum fidelem, in cuius consiliis[2] confidat, qui in suis[3] diffidebat, et talem fiduciam habet in illo, ut omne secretum sui pectoris expandat[4] et aperiat. Quid dulcius est quam ut habeas[5] illum cum quo omnia possis loqui ut tecum? Si ista cum hominibus fiunt, quanto magis cum deo hoc est agendum, qui omnes[6] vult salvos fieri et neminem perire? Nam si veraciter deum credimus eumque diligimus ut debemus, et proximos sicut nosmetipsos, in eum quoque[7] totam spem proiecerimus nostram, ipse nos eripiet et consolabitur. Et, sicut per angelum suum Abacuc prophetam cum prandiis in lacum leonum ad Danihelem vatem misit, et Philippum, unum de septem diaconibus, ad Eunuchum, ita dabit nobis liberationem et consolationem. Haec sectamini, karissimi, et nulli unquam nocete. [8] Fratres estis, invicem vos diligite ut veri domini discipuli dici et effici mereamini. XIV. Nam qui rancida corda virorum[10] inficit, malitiam inter homines spargit, et qui detrahit fratrem suum[11], homicida est. Et qui abstulerit aliquid patri vel matri, dicitque hoc peccatum non esse[12], homicide particeps est. Pater noster sine dubio deus est, qui nos creavit; mater vero nostra ecclesia, que nos in baptismo spiritaliter regeneravit. [13] Ergo qui Christi[14] pecunias et ecclesie rapit, aufert vel fraudat, homicida est, atque homicida ante conspectum iusti[15] iudicis esse deputabitur; qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur, qui autem pecuniam[16] vel res ecclesie abstulerit, sacrilegium facit. XV. Privilegia enim ecclesiarum vel[18] sacerdotum sancti apostoli iussu salvatoris intemerata et inviolata eius decreverunt manere temporibus. Leges ecclesie apostolica firmamus auctoritate et peregrina iuditia submovemus, unde et dominus[19] mentionem faciens Loth per Moysen loquitur, dicens: Ingressus es, quidam inquiunt[20], ut advena, nunquid ut iudices[21]? Unaquaeque[22] provintia tam iuxta eclesiasticas quam iuxta saeculi leges suos debet iustos et non iniquos habere iudices, et non externos, nisi apostolicae sedis huius decreverit auctoritas, quatenus quicunque causam habuerit apud suos iudices iudicetur, et non ad alienos causa vagandi stimulante protervia[23] suam despiciens patriam transeat: sed ad duodecim eiusdem provintiae iudices, ad quorum iuditium omnes cause civitatum referuntur, deferatur negotium. XVI. Si autem fuerit ecclesiasticum apud episcopos, interveniente primate, siquidem[25] maior causa fuerit; si vero minor, metropolitano;

[XIV. De detractoribus et raptoribus et quod pater noster deus sit, mater vero ecclesia.][9]

[XV. De privilegiis ecclesiarum et sacerdotum et de legibus ecclesiae firmandis et peregrinis iudiciis submovendis et ut una quaeque provincia suos iustos habeat iudices et non externos.][17]

[XVI. De iuditio ecclesiastico et de seculari, et ut oppressus libere appellet sacerdotum iuditium.][24]

Omnis enim homo — loqui ut tecum, Cangyth abbatissae ep. ad S. Bonif. (int. eiusd. ep. 30. p. 74).
Et sicut per angelum — liberationem et consolationem, ep. cit. (l. c. p. 75).
c. XIV. Nam qui rancida corda — homines sparsit, ep. cit.
et qui detrahit — homicida est, Ben. I. 40. (I Ioann. III. 15). Cf. Clem. 40, Alex. 17.
Et qui abstulerit aliquid — sacrilegium facit, S. Bonif. ep. no. 72. (p. 193.) aut Ben. II. 426. Cf. Luc. 7.
c. XV. Privilegia enim — manere temporibus, c. 38. C. Th. XVI. 2. (cf. Ben. II. 112. 421).
et peregrina iuditia — submovemus, Ben. III. 309, c. 16. Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1). Cf. Vig. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III.
Ingressus es — ut iudices, Gen. XIX. 9.
Unaquaeque provintia — patriam transeat, Ben. add. III. 111. (cf. Innoc. I. ep. ad Vict. Rotom. c. 3. H. no. 7). [Cf. quoque Pelag. II. pp. ep. 1.]
sed ad duodecim iudices sec. c. 12. conc. Carth. (D.) aut Ben. II. 307. Cf. Zeph. 5.
c. XVI. Si autem — minor metropolitano sec. c. 9. conc. Chalc.

[1] *Bb. qui correctus est alia manu s. XI. pro* in suis hesitans *legit:* suis excidens, alias hesitans. [2] *Dst.* fide. [3] *Dst.* sui. [4] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ei pandat. [5] *Sg. Bb. Dst.* habere *pro:* ut habeas. [6] *Bb. addit:* homines. [7] *Deest in Dst.; Sg. Bb.* eumque *pro* eum quoque. [8] *Par.* 3852 *in margine:* de detractoribus et raptoribus. *Dst.* nota susurrones. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [10] *Sg. Dst.* vivorum. [11] *Sg. Bb. Dst.* fratri suo. [12] *Sg. Dst.* est. [13] *Dst. in margine:* nota, non tollendas res aecclesie. [14] *Dst.* Christo. [15] *Deest in Sg. Dst.* [16] *Bb.* pecumia. [17] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit in margine:* de iudicibus aecclesiae. *Numerus solus in Bb.* [18] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: et. [19] *Deest in Sg.* [20] *Bb.* inquit. *Sg. Dst. om.* quidam. [21] *Sg. add.* nos. [22] *Sg. add.* enim. [23] *Sic legendum sec. Sg. Bb. pro* propter via, *quod est in Mut.; Dst.* proterva; *Par.* 3852: propterviam. [24] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui in margine anteponit:* Quod aliud est primas, aliud metropolita. *Numerus solus in Bb.* [25] *Sg. Bb. Dst.* si.

si vero fuerit seculare, apud eiusdem ordinis viros iudicio tamen episcoporum, cum apostolus[1] privatorum christianorum causas magis ad ecclesias deferri et ibidem sacerdotali iuditio terminari voluit. Omnis enim oppressus libere sacerdotum, si voluerit, appellet iuditium et a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur et liberetur.

[XVII. De difficilibus causis aut maioribus ortis negotiis.][2] XVII. Si autem difficiles causae aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur, et si illic facile discerni non potuerint aut iuste terminari, ubi fuerit summorum congregatio congregata, quod per singulos annos bis autem[3] fieri solet et debet, iuste et deo placite coram patriarcha aut primate eclesiastico[4] et coram patricio seculari[5] iudicentur negotia in commune. Quod si difficiliores orte fuerint questiones aut episcoporum[6] vel maiorum iudicia aut maiores cause fuerint, ad sedem apostolicam, si appellatum fuerit, referantur[7], quoniam hoc apostoli statuerunt iussione salvatoris, ut maiores et difficiles[8] questiones semper ad sedem defferantur[9] apostolicam, super quam Christus universam construxit eclesiam, dicente ipso ad beatum principem apostolorum Petrum: Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram aedificabo eclesiam meam, et reliqua. Sit ergo, fratres, constantia vestra adversus contentiones eorum qui adversa sapiunt et non que dei sunt, et erit fortior petra constantia[10], sicut scriptum est, ne timueris[11] ab eis, neque terreamini a facie eorum qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Quod autem iam[12] in aure auditis, praedicate in lumine, illum timentes qui potest animam et corpus occidere et mittere in gehennam. Fratres mei, in carne[13] ambulantes, non secundum carnem militamus. Arma enim militie nostrae non carnalia, sed potentia[14] deo ad destructionem munitionum consilia destruentes et omnem exaltationem extollentem se adversus scientiam dei, et in captivitatem redigentes omnem cogitationem, in obsequium Christo perducentes[15]. De cetero, fratres, confortamini in domino et in potentia fortitudinis eius, ut[16] pax vobis multa et gratia a deo et domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur[17] et osculamur ac si praesentes caritatem vestram in unitate spiritus, in[18] vinculo pacis et caritatis Christi. Propter quod, carissimi, exspectantes, satagite inmaculati et inviolati inveniri in pace, et domini nostri longanimitatem salutem arbitramini. Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quedam difficilia intellectu, que indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras[19], ad suam perditionem. Vos autem[20] igitur, fratres, praescientes custodite ne insipientium errore traducti[21] excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et cognitione domini nostri Iesu Christi et salvatoris. Vos autem, karissimi, memores estote verborum, que praedicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum sua desideria ambulantes in impietatem[22]. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes,

cum apostolus — terminari voluit. Ben. III. 145. (c. 9. i. f. conc. III. Carth.). Cf. Alex. 4, Marcellini 3.

c. XVII. Si autem difficiles — sedem referantur sec. Innoc. I. ep. cit. c. 3. Ben. II. 381. III. 109. Cf. infra c. 34, Zeph. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.

Quodsi difficiliores — si appellatum fuerit, referantur sec. loc. cit.

Tu es, inquit — ecclesiam meam, Matth. XVI. 18.

Sit ergo fratres — vinculo pacis et caritatis Christi, Zachar. ep. ad variar. prov. episc. (int. S. Bonif. ep. no. 78. p. 220).

Propter quod carissimi — Christi et salvatoris, II Petr. III. 14—18.

Vos autem karissimi — saecula saeculorum, Iud. v. 17—25.

[1] *Sic Sg. Dst. alii:* apostolis. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [3] *Deest in Par.* 3852; *Sg. Bb. Dst.* aut ter; *in Bb. alia manu s. XI. deletum est.* [4] *Sg. Dst. Par.* 3852: ecclesiastica. [5] *Sg. Bb. Dst.* saecularia. [6] *Sg. Dst.* temporum. [7] *Dst.* deferantur. [8] *Sg. Bb. Par.* 3852: difficiliores. [9] *Sg. Dst.* referantur. [10] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. *add.* vestra. [11] *Codd. cit.* timueritis. [12] *Deest in codd. cit.* [13] *Sg. Bb. Dst. add.* enim. [14] *Dst.* potentialia. [15] *Sg.* perducente. *Dst.* producente. [16] *Sg. Dst.* et. [17] *Bb.* Amplectimus. [18] *Sg. Dst.* et. [19] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* scripturas. [20] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [21] *Sg. Dst.* transducti. [22] *Bb. Par.* 3852: impietatum. *Dst.* impietate. *Sg.* impietatum, *quod posteriore manu in* inpietate *correctum est.*

vos autem, karissimi, superedificantes vosmetipsos sanctissime vestre fidei in spiritu sancto orantes. Ipsos vos in dilectione dei servate, exspectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos quidem arguite iudicatos, illos vero salvate de igne rapientes, aliis autem misereminі in timore, odientes eam quae carnalis est maculatam tunicam. Ei autem qui potens est vos conservare sine peccato et constituere ante conspectum gloriae suae inmaculatos in exsultatione, soli deo salvatori nostro per Iesum[1] dominum nostrum gloria, magnificentia et imperium et potestas ante omnia saecula[2] saeculorum. Amen.

[3][CUIUS SUPRA[4] AD EPISCOPOS ITALIAE DIRECTA. DE ORDINATIONE EPISCOPORUM[5] ATQUE SACERDOTUM ET DE FIDE CAETERISQUE CAUSIS.]

XVIII. ANACLETUS episcopus universis episcopis in Italia constitutis. [XVIII. De ordinatione episcoporum atque sacerdotum.][6]

Quoniam apostolice sedis[7] debitam[8] reverentiam[9] erga me caritas vestra distribuit, quia plurimum[10], karissimi filii, praebuistis (nam licet eclesie in qua sanctus apostolus residens docuit quodammodo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore et sanctitate minores esse et propterea omnino festinamus, ut ad gloriam eius beatitudinis pervenire possimus[11]), igitur consultationibus vestris plenius responderemus si licuisset, sed infirmitatis ac reliquarum oppressionum honere pressi, breviter, prout dominus tribuit, et ut a[12] beato Petro principe apostolorum sumus instructi, a quo et presbiter sum ordinatus, scribere vobis, sicut petistis, non denegavimus. [13]Ordinationes episcoporum auctoritate apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint provincia episcopi[14], sunt celebrande[15]. Qui simul convenientes scrutinium diligenter agant ieiuniumque cum omnibus[16] precibus celebrent, et manus cum sanctis evangeliis, quae[17] praedicaturi sunt, inponentes, dominica die ora tertia orantes sacraque unctione exemplo prophetarum et regum capita eorum more apostolorum et Moysi ungentes, quia omnis sanctificatio constat in spiritu sancto, cuius virtus invisibilis sancto est crismati[18] permixta[19], et hoc rite[20] solemnem celebrent ordinationem. Quod si omnes simul convenire minime potuerint, asensum tamen suis precibus[21] praebeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint[22]. Porro et Hierosolimitarum primus archiepiscopus beatus Iacobus qui iustus dicebatur, et secundum carnem domini nuncupatus est frater, a Petro, Iacobo et Ioanne apostolis est ordinatus, successoribus videlicet dantes formam eorum, ut minus quam a tribus episcopis reliquisque omnibus assensum praebentibus nullatenus episcopus ordinetur et communi voto ordinatio celebretur. Reliqui vero sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes asensum

c. *XVIII. Quoniam apostolice — pervenire possimus*, Cass. hist. trip. IX. 15.
a quo et presbiter sum ordinatus, Vita Anacl. in libr. pontific. c. 2.
Ordinationes episcoporum — celebrande sec. c. 4. conc. Nic. Cf. Ioann. III.
Porro et Hierosolimitarum — iustus dicebatur, conc. Nic. praefat. in cod. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Baller. 3, 24). Cf. Annic. 1.
ut minus quam — ordinatio celebretur sec. c. 4. conc. Nic. Cf. Annic. 1, Ioann. III. pp. ep.
Reliqui vero — diaconi ordinentur sec. c. 22. conc. IV. Carth.

1 *Codd. cit. addunt:* Christum. 2 *Codd. cit. addunt:* et nunc et in omnia saecula. 3 *Sec. Bb. Dst. Par.* 4280 *AA. Par.* 3852. *Deest in Mut. Initium huius epistolae usque ad verba* fidelibus portandi (*c. XIX.*) *invenitur etiam in fol.* 12. *Cod. Dst. Sg.* Epistola sancti Anacleti papae de primordio vel ordinatione pontificum. 4 *Dst. addit:* epistola II. 5 *Par.* 3852: archiepiscoporum et reliquorum episcoporum. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb. et Dst.* 7 *Dst.* sedi. 8 *Dst.* debitum. *Idem cod. fol.* 12 *ut ceteri.* 9 *Dst.* reverentiamque. *Idem cod. fol.* 12 *ut ceteri.* 10 *Sg.* quam plurimam. 11 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* posscimus. 12 *Deest in Dst.* 13 *Dst. in margine:* de ordinatione episcoporum auctoritate apostolica celebrande (*deest fol.* 12). *Par.* 3852 *in margine:* de ordinatione episcoporum. 14 *Sg. om.; Bb. Dst. Par.* 3852: episcopis. 15 *Sic codd. cit.; Mut.* celebranda. 16 *Dst. super lineam addit:* vel alias convenientibus. 17 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* qua. 18 *Bb. Dst.* chrismate. 19 *Sg.* promulgata. *Dst.* provulgata (*idem cod. fol.* 12 *ut ceteri*). 20 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ritu. 21 *Dst. addit:* et scriptis (*fol.* 12. *deest*). 22 *Dst. fol.* 12: differant.

praebeant et ieiunantes ordinationem celebrent; similiter et diaconi ordinentur[1].

[XIX. De accusatione episcoporum.][2]

XIX. Accusatio quoque eorum super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et suspicionibus et sceleribus careant, fieri debet, quia dominus sacri sui corporis tractatores[3] a vilibus et reprobis et[4] non idoneis personis infammari noluit nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes a templo eiecit, unde reliquit[5] quod summi sacerdotes, id est episcopi, a deo sunt iudicandi, non ab humanis aut pravae vitae hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus[6] fidelibus portandi, exemplo ipso domino[7] dante, quando per seipsam et non per[8] alium vendentes et ementes eiecit de templo et mensas numulariorum et[9] cathedras[10] vendentium proprio evertit flagello et eiecit de templo. Et sicut alibi ait: Deus stetit in sinagoga deorum, in medio autem deos[11] decernit[12]; et alibi: Ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes; nullus enim, ut reor, invenitur inter nos qui velit suum servum ab alio quam a se iudicari. Quod si praesumptum fuerit, aut multa ipse indignatione irascitur aut potius ultionem querit super eo[13]. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet deus deorum et dominus dominantium, qui[14] ultionem suorum promisit non differre servorum? Unde et ipse per prophetam loquitur, dicens[15]: Deus ultionum dominus, deus ultionum libere egit, et reliqua. Et Apostolus inquid: Tu quis es qui iudicas servum alienum? suo enim domino stat[16] aut cadit[17], et ipse: Nolite iudicare in invicem, sed hoc[18] iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Et dominus per prophetam inquid: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Nam si aliquis nunc in malum oculos alicuius principis incipit tractare, manifeste reus magestatis iudicatur et infamis efficitur aut potius capitali sententie subiacet. Haec[19], fratres, valde cavenda sunt, et quod homines nolunt sibi fieri deo deorum non debent inferre, ne forte irascatur dominus et faciat[20] vindictam eorum, etiam in eos qui non peccaverunt[21], quia perit saepissime iustus pro impio. Immitandus est etiam propheta, per quem dominus ait: Perambulo[22] in simplicitate cordis mei, in medio domus meae, non proponebam ante[23] oculis meis verbum os Belial, detrahentem[24] in abscondito sodalem suum, hunc interficiebam. Et hi[25] cavendi sunt, e[26] quibus Salomon ait: Sicut noxius est qui mittit lanceas et sagittas vel[27] mortem, sic vir qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus, dicit[28]: Ludens feci. Sicut carbones ad prunas et[29] ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas, verba susurronis quasi simplitia, et ipsa perveniunt ad intima

c. XIX. ab idoneis, int. c. 13. C. Th. XI. 39. Cf. Telesf. 4, Iul. 12.
et probatissimis viris — decernit, Ben. II. 381 (viri probatissimi). 362, c. 13. Angilr., Ben. III. 441. (cap. ecclés. a. 789. c. 45, Isid. sent. III. 39. no. 5). Cf. Pii 4, Iul. 16, Euseb. 9.
Ego dixi, dii — excelsi omnes, Ps. LXXXI. 6.
deus ultionum — libere agit, Ps. XCIII. 1.
Tu quis es — cadit, Rom. XIV. 4.
Nolite iudicare — vel scandalum, l. c. v. 13.
Qui vos tangit — pupillam oculi mei, Zach. II. 8.
Nam si aliquis nunc — sententie subiacet, cf. Alex. 5.
quia perit — pro impio, Ben. II. 370. (I Petr. III. 18). Sixt. I. pp. 4, Greg. M. ad Fel.
Perambulo — interficiebam sec. Ps. C. 2. 3. 5.
Sicut noxius — ad intima ventris, Prov. XXVI. 18. 19. 21. 22.

1 *Dst. addit:* Caeterorum autem graduum distributio trium veracium testium cum probatione fieri potest. *Idem codex fol.* 12: Caeterorum *etc. ut antea, sed:* testium episcopi probatione sufficere potest. *Par.* 3852: Caeterorum *etc., ut antea, sed:* testium cum episcopi scilicet probatione sufficere potest. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. numerus solus. Par.* 3852 *in margine:* Quod episcopi a deo sint iudicandi, non ab hominibus. 3 *Dst. fol.* 12: trectatores. 4 *Sg. Dst.* ac. 5 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: liquet. 6 *Par.* 3852: hominibus. 7 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* ipso domino exemplum. 8 *Deest in Sg.* 9 *Omis. Sg. Dst.* 10 *Sg. Dst.* cathedrasque. 11 *Bb. Dst.* deus. 12 *Codd. cit.* discernit. 13 *Sg.* eos. 14 *Bb.* per. 15 *Dst. in margine:* de accusatione episcoporum. 16 *Sg. Bb. Dst.* stabit. 17 *Sg. Dst.* cadet. *Bb. antea legebat:* cadet, *sed correctum est alia manu s. XI. in* cadit. 18 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 19 *Verba:* Haec *etc. usque ad:* et hi cavendi sunt *inveniuntur etiam fol.* 12 *cod. Dst.* 20 *Bb.* vindictam. 21 *Bb. add.* ut. *Sg. Dst. add.* et. *Dst. fol.* 12 *ut Mut. et Par.* 3852. 22 *Sic Bb. Par.* 3852. *Dst. fol.* 12; *Sg.* Perambulabo; *Dst.* perambulabam; *Mut.* perambo. 23 *Codd. cit.* coram. 24 *Bb.* detrahentes. 25 *Deest in Sg. Dst.* 26 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* de. 27 *Sg. Bb.* et. *Dst. Par.* 3852: in. 28 *Bb.* dicens. *Dst.* dicet. 29 *Sg. Dst.* ac.

ventris. Et si detractores quorumque graviter iudicantur[1] et in perditionis laqueum cadunt, multo magis laceratores et detractores atque accusatores memoratorum eius[2] famulorum atque persecutores damnantur, et in baratrum, nisi se correxerint et per eorum satisfactionem condignam egerint[3] poenitentiam, indubitanter vadunt et vindicibus flammis exuruntur[4]. Quapropter oportet omnes ab his cavere et non solum[5] facere, sed nec facientibus consentire[6], quia non solum qui faciunt dampnantur, sed qui consentiunt facientibus; de talibus et his similibus ipsa veritas ait: Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, id est, in talibus non habitat dominus, nec ipsi manent in eo; et Salomon loquitur dicens: Qui fodit foveam, incidet[7] in eam, et qui volvit lapidem revertetur[8] ad eum. Lingua fallax non habet[9] veritatem, et os lubricum operatur ruinas. Grave est saxum et honerosa arena, sed ira stulti utroque gravior, hominem qui calumniatur anime sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet[10]; qui se iactat et dilatat, iurgia concitat; qui sperat in domino, sanabitur; qui confidit in corde suo stultus est, qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur; qui fortiter premit ubera ad eiciendum[11] lac, exprimit butirum; qui vehementer emulgitur[12], eicit[13] sanguinem, et qui provocat iras, producit discordias.

[XX. Ut facile non commoveantur vel lacerentur vel accusentur episcopi.][14]

XX. Haec et alia perpericulosa considerantes apostoli statuerunt, ne facile commoverentur aut lacerarentur vel accusentur[15] columne sancte dei eclesiae, que apostoli et successores eorum non inmerito dicuntur. [16]Sed si quis adversus eos vel eclesias eorum commotus fuerit aut causas habuerit, prius ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio commoniti[17] ea sanent quae sananda sunt, et caritati[18] emendent que iuste emendanda agnoverint.

[XXI. De accusatoribus episcoporum.][19]

XXI. Si autem aliqui eos, priusquam haec egerint, lacerare, accusare aut infestare praesumpserint, excommunicentur et minime absolvantur antequam per satisfactionem, ut iam dictum est, condignam egerint penitentiam, quoniam iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur, nec hoc mirum, quia si quisquam nostrum cuidam suorum legationem iniungeret, et a quoquam impediretur aut subditorum suorum[20] dispiceretur[21], mox indignatus irasceretur, aut talia, prout potuerit[22], vindicaret, et ad iniuriam, ad[23] contumeliam sui hoc factum reputaret, et[24] talionem, si in praesenti non posset, futuris temporibus redderet. Nam, si in hominum[25] causa hec fiunt, quid putatis deus faciet de suis qui nec capillum capitis eorum perire dixerit[26]? unde et dominus per Naum prophetam loquitur dicens: Deus emulator et ulciscens dominus, ulciscens dominus[27] et habens furorem; ulciscens dominus in hostes suos et irascens ipse

quia non solum — consentiunt facientibus, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32). Cf. Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

Vulpes foveas — caput reclinet, Matth. VIII. 20. Luc. IX. 58.

Qui fodit — producit discordias, Prov. XXVI. 27. 28. XXVII. 3. XXVIII. 17. 25. 26. XXX. 33.

c. XX. columne sancte dei eclesie, conc. Par. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315. Cf. Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3.

Sed si quis — excommunicentur, Ben. II. 381. c. 1. Angilr. (c. 17. conc. V. Aurel.). Cf. Sixt. II. pp. 5, Iul. 12.

c. XXI. quoniam iniuria eorum — legatione funguntur, Ben. III. 462. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20). Cf. supr. 3, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8, Dam. 19. (Greg. M. ep. ad Fel.).

qui nec capillum — perire dixerit, Act. XXVII. 34.

Deus emulator et — sperantes in se, Nah. I. 2. 6. 7.

1 *Sg. Bb. Dst.* vindicantur. 2 *Dst.* dei. 3 *Bb.* egerit. 4 *Dst.* exurentur. 5 *Par.* 3852 *addit:* non. 6 *Bb.* assentire. *Sg. Dst.* assentiri. 7 *Sg. Bb. Dst.* incidit. 8 *Sg. Dst.* revertitur. 9 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: amat. 10 *Sg.* suscitet. 11 *Sg.* deliciendum. *Bb.* eliciendum. 12 *Sg. Dst.* emulget. 13 *Sg. Bb. Dst.* elicit. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 15 *Sg. Dst. Par.* 3852: accusarentur. 16 *Dst. in margine:* de querimonia contra sacerdotes. 17 *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut.* comminiti. *Deest in Par.* 3852. 18 *Sg. Dst.* caritate. *Dst. supra lineam addit:* in aliis caritative. *Par.* 3852: caritative. 19 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb.* 20 *Bb.* subiectorum suorum. *Sg. Dst.* a subiectis suis. 21 *Codd. cit.* despiceretur. 22 *Sg. Bb.* poterat. *Dst.* posset. 23 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ac. 24 *Deest in Sg.* 25 *Dst.* hominis. 26 *Par.* 3852. *Sg. Dst.* dixit. 27 *Deest in Sg. Dst.* ulsciscens dominus et habens furorem.

inimicis suis; ante faciem indignationis eius quis stabit, et quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est sicut ignis et petre dissolute sunt ab eo. Bonus est dominus et confortans in die tribulationis et scient[1] sperantes in se, et reliqua. Quedam autem ex his iam aliis fratribus scripsimus, que totiens sunt replicanda quotiens fuerint necessaria. Eiectionem[2] quoque, et[3] supra memoratum est, summorum sacerdotum sibi dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus et spiritalibus populis[4] concessisset. [5]Electionem enim illorum taliter apostolus fieri iubet: Si quis sine crimine est, unius uxoris virum filios habentem fideles, non[6] accusatione[7] luxuriae, aut non subditos, et reliqua. XXII. Si enim sine crimine sacerdos elegi[9] praecipitur, nullatenus ab hominibus[10] criminibus irretitis accusari aut calumniari permittitur[11], nec ab aliis quam ab his qui sine crimine sunt, et iuste[12] electione[13], si necessitas fuerit, aut ipsi volendo[14] domino servire elegerint, sacerdotesque[15] sine crimine fieri et ordinari possint, et tales per omnia fuerint quales eligi sacerdotes iubentur. Porro et Moysi praecipitur ut eligat presbiteros, unde et in proverbiis dicitur: Gloria senum canities. Haec vero canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est, cumque nongentos et amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixissent[16] homines leximus[17], nullus alius primus appellatus est presbiter, id est senior, nisi Abraham qui multo paucioribus vixisse annis convincitur: non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbiteri nominantur. [18]Initium enim sacerdotii Aaron fuit, licet Melchisedech prior obtulerit sacrificium[19], et post hunc Abraham, Isaac et Iacob. Sed hi[20] spontanea voluntate non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. XXIII. Ceterum Aaron primus in lege sacerdotale nomen accepit primusque pontificali stola indutus victimas obtulit, iubente domino ac loquente ad Moysen: Accipe, inquit, Aaron et filios eius, et applicabis[22] ad hostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis[23], id est, lineam[24] et tunicam[25] et[26] superhumerale[27] et rationale[28] quod constringes baltheo, et pones tiaram in capite eius et laminam sanctam super tiaram, et oleum unctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur domino. Filios quoque illius applicabis et indues tunicis lineis, cinges[29] baltheo Aaron scilicet et liberos eius et impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi[30] religione perpetua. Quo loco contemplari oportet Aaron summum sacerdotem, id est episcopum fuisse, porro filios eius presbiterorum demonstrasse figuram. Hoc enim fuit inter Aaron summum sacerdotem et filios eius qui[31] sacerdotes erant, quod Aaron super tunicam accipiebat poderem[32], stolam sanctam et coronam auream, mitram et zona aurea[33] et superumerale et reliqua que praefixa sunt: filii autem Aaron super tunicas lineas

[XXII. Quales esse debeant sacerdotum accusatores et quod Abraham primus sit appellatus presbiter et quare presbiteri nominentur.][8]

[XXIII. Quod primus Aaron sacerdotale nomen accepit in lege et summi sacerdotis i. e. episcopi demonstravit figuram, filii vero eius presbiterorum.][21]

Si quis sine crimine—non subditos, et reliqua, Tit. I. 6.

c. XXII. nullatenus ab hominibus—permittitur, c. 8. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 85. Cf. Fab. 13, Euseb. 3. (Pont. 3, Fab. 26, Steph. 2, 11, Fel. II. pp. 12. xv., Sixt. III. pp.).

Porro et Moysi praecipitur — presbiteri nominantur, Isid. de off. II. 7. no. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 8.

Initium enim sacerdotii — in loco eorum successerunt episcopi (c. XXIV.), l. c. no. 1—3. 5. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 9.

1 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: sciens. 2 *Dst.* electionem. *In margine:* ne eitiantur. 3 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ut. 4 *Sg.* bonis; *m. post. supra lin. correctum in* hominibus. 5 *Dst. in marg.:* qui vel qualiter eligantur. 6 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* in. 7 *Bb.* accusationem. 8 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit numerum* XXIII. *Solus numerus* XXII. *in Bb.* 9 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: eligi. 10 *Sg. Dst. add.* etiam. 11 *Dst. in margine:* a quibus etiam criminosi accusentur. 12 *Sg. Dst. Par.* 3852: iusta. *Bb.* iuxta. 13 *Bb.* electionem. 14 *Dst.* volente. 15 *Sg. Dst.* sacerdotes. 16 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: vixisse. 17 *Codd. cit.* legerimus. 18 *Dst. in margine:* Sacerdotum initium et quod inter episcopos et presbiteros. 19 *In Bb. alia manu s. XI. additur:* deo. 20 *Om. Sg.* 21 *Sec. Par.* 4280 *AA, qui numerum* XXIV. *erronee ponit, et Dst.* 22 *Bb.* applicabitis. 23 *Deest in Sg. Dst.* 24 *Sg. Bb.* linea. 25 *Codd. cit.* tunica. 26 *Om. Sg.* 27 *Codd. cit.* superhumerali. 28 *Codd. cit.* rationali. 29 *Codd. cit. Par.* 3852: cingesque. 30 *Sg. Bb. Dst.* mei. 31 *Sg. add.* et ipsi. 32 *Sic Sg. Dst. Par.* 3852; *Bb.* podere; *Mut.* pondere. 33 *Codd. cit.* zonam auream.

cincti tantummodo et tyarati assistebant sacrificio domini. XXIV. In novo autem testamento post Christum dominum nostrum a Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo pontificatus in eclesia Christi datus est, dicente domino ad eum: Tu es, inquid, Petrus et super hanc petram aedificabo eclesiam meam, et porte inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum. Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit a domino, primusque ad fidem populum gratia dei[2], virtute suae praedicationis adduxit. Ceteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt. Qui etiam[3] iubente domino in toto orbe dispersi[4] evangelium praedicaverunt, ipsis quoque decedentibus in loco eorum successerunt[5] episcopi, quorum ordinatio praetexato[6] fieri debet ordine et modo: quos qui recipit et verba eorum, deum recipit. Qui autem eos spernit, eum a quo missi sunt et cuius funguntur legatione[7] spernit et ipse indubitanter spernetur a domino. Videntes autem ipsi apostoli messem esse multam et operarios paucos, rogaverunt dominum messis ut mitteret operarios in messem suam. Unde electi sunt ab eis[8] septuaginta discipuli, quorum tipum gerunt presbiteri atque in eorum loco sunt constituti in eclesia, de[9] quorum ordinatione et reliquorum ministrorum dixisse supra[10] sufficiat. XXV. Porro quod episcopus non ab uno, sed a cunctis, consensu aut praesentia comprovincialium[12] est ordinandus, et nullatenus minus quam a tribus ceteris consentientibus cunctis, idcirco instituente domino fieri iubetur, ne aliquid contra fidem eclesiae molietur[13] et regula vel fides confunderetur credentium. XXVI. Provintiae autem multo ante Christi adventum tempore divise sunt maxima ex parte, et postea ab apostolis et beato Clemente praedecessore[15] nostro, ipsa divisio est renovata, et in capite provintiarum, ubi dudum primates leges[16] erant saeculi ac prima iuditiaria potestas, ad quos qui per reliquas civitates commorabantur, quando eis necesse erat qui ad aulam imperatorum vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel iniustitiis suis ipsosque apellabant, quotiens opus erat, sicut in lege eorum praeceptum erat, ipsis[17] quoque in civitatibus vel locis nostris[18] patriarchas[19] vel primates qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divine et[20] eclesiastice poni et esse iussae sunt[21], ad quos episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eos[22] apellarent, et ipsi nomine primatum reverentur[23] et non[24] alii[25]. Relique vero metropolitane civitates, que minores iudices habebant, licet maiores comitibus essent, haberent metropolitanos suos, qui praedictis iuste oboedirent primatibus, sicut[26] in legibus saeculi olim ordinatum erat, qui non primatum, set aut metropolitanorum aut[27] archiepiscoporum nomine fruerentur; et licet singule metropolites[28] civitates suas provintias habeant, et suos me-

[XXIV. Quod in novo testamento post Christum dominum nostrum a Petro sacerdotalis cepit ordo.][1]

[XXV. A quot sit ordinandus episcopus et quare.][11]

[XXVI. De episcopis, primatibus et patriarchis eorumque ministerio.][14]

c. XXIV. Qui autem eos — spernit sec. Luc. X. 16.
Videntes autem — messem suam, ibid. v. 2.
Unde electi — in ecclesia, sec. c. 13. conc. Neocaes. Cf. infr. c. 28, Dam. de corep.

c. XXV. Porro quod episcopus — molietur, Isid. de off. II. 7. no. 5. 11. i. f. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 9.
c. XXVI. Relique vero — nomine fruerentur sec. c. 12. conc. Chalc. 12.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA*, *qui numerum* XXV, *et Dst.*, *qui numerum* XXIII. *erronee ponit. Solus numerus* XXIV. *in Bb.* 2 *Dst. addit:* et. 3 *Sg. Dst.* erant. 4 *Dst. addit:* cum. 5 *Sg.* successorum, *quod correctum m. poster. in* successerunt. 6 *Bb. Dst. Par.* 3852: praetaxato. 7 *Sic codd. cit.; Mut.* legationes. 8 *Sg. Dst.* electi ab eo sunt. 9 *Verba:* de quorum ordinatione *usque ad:* auctoritate iustissime terminentur (*c. XXVI.*) *etiam fol.* 12 *cod. Dst. inveniuntur.* 10 *Deest in Dst.* 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus* XXV. *in Bb.* 12 *Dst.* comprovintialibus (*fol.* 12 *ut ceteri*). 13 *Sg. Bb. Par.* 3852. *Dst. fol.* 12: unius (*Sg.* unus) tyrannica auctoritas moliretur. *Sic quoque hoc loco Dst., qui tamen legit:* auctoritate. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit:* de divisione provinciarum. *Par. erronee numerum* XXVII. *ponit. Solus numerus* XXVI. *in Bb.* 15 *Sg. Dst.* praecessore. 16 *Par.* 3852. *Dst. fol.* 12: legis. *Sg. delevit* s *in fine.* 17 *Sg.* ipsi, *alia manu post. additur:* scilicet apostoli. 18 *Sic in Sg. correctum alia manu post.* nostri. 19 *Sic in Sg.* patriachae *al. m. post. corr.* 20 *Omis. Sg. Bb.* 21 *Bb. et Par.* 3852: iusserunt. *Sg. Dst.* divine ecclesie praeesse potentes iusserunt. *In margine additur:* in aliis leges divine *etc.*, *ut in Bb. et Par.* 3852. 22 *Sg. Dst.* eosque. 23 *Codd. cit.* fruerentur. 24 *Sg. omis.* non. 25 *Dst. in margine:* aliud esse patriarchas, aliud primates. 26 *Sg. Bb. Dst. add.* et. 27 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *pro:* ab, *quod est in Mut.* 28 *Codd. cit.* metropoles.

tropolitanos habere debeant episcopos, sicut prius metropolitanos iudices habebant[1] seculares, primates tamen, ut praefixum est et tunc et nunc habere iussa[2] sunt, ad quos post sedem apostolicam summa negotia conveniant, ut ibidem quibus necesse fuerit, releventur[3] et iuste restituantur, et hi qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur atque fulciantur, episcoporum causae et summorum negotiorum iuditia salva apostolice sedis auctoritate iustissime terminentur. Haec ab antiquis, hec ab apostolis, hec a sanctis patribus accepimus, vobisque, ut postulastis, rimanda et futuris tenenda temporibus mittimus, et reliquis fratribus praedicanda ac cunctis fidelibus tradenda mandamus, ne pastorum imperitia qui sequuntur deteriores fiant, dicente domino per prophetam: Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, quos rursus dominus detestatur, dicens: Et tenentes legem nescierunt me. Nesciri ergo veritas se ab eis conqueritur[4], et nescire se principatum nescientium[5] protestatur, quia profecto hi qui ea quae sunt domini nesciunt[6], a domino nesciuntur, Paulo atestante, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur: hinc et psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio[7] denuntiat, dicens: Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva: obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quoniam cum lumen scientiae perdunt qui praeeunt, sine dubio ad portanda peccatorum honera inclinantur sequentes. Hic ergo inter manus latronum et dentes furentium[8] luporum utcunque versamur. Ideo et docere alios et nosipsos, prout dominus dederit, providere debemus. Sane[9] percussor ille dicitur doctor, qui sermone inutili conscientiam percutit infirmorum. Ideo tenere vos et omnes fideles oportet eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit consolari in doctrina sancta et contradicentes redarguere, et recte viventes atque rectam fidem tenentes consolidare. XXVII. Illis ergo qui dicunt quod filius in eo minor est, quia propheta inquid: Verbum faciet dominus breviatum universo orbi, ita respondendum divinis est testimoniis:

[XXVII. De his qui dicunt filium minorem patre quia propheta dixit: verbum faciet dominus breviatum universo orbi.][10]

Verbum breviatum quod dominus faciet super terram non inminutionem deitatis in filio dei significat, sed dispensationem suscepte carnis adnuntiat; in quali dispensationem[11] non solum[12] patre hominis filium, sed etiam[13] angelis legimus minoratum, Paulo apostolo adtestante. Eum autem, inquid, modice minus quam[14] angelis minoratum vidimus Iesum, propter passionem mortis gloria et honore coronatum. Et infra: Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Adnuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio eclesie laudabo te, et propheta inquid: Minorasti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et ut verbum dei patris breviatum non esse in filio doceamus, hanc[15] Isaie prophete volumine sententiam[16] adprobamus: Nunquid adbreviatus factus est sermo meus aut parvus, ut non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum, dicit dominus omnipotens[17], nunquid adbreviata est manus mea, ut salvare non possit? aut non potest vivificare cor humilium et spiritum contritorum? Et ut brachium

Haec ab antiquis — tradenda mandamus sec. c. 2. i. f., c. 3. i. f. conc. Carth. (D.) Cf. Clem. 70.
ne pastorum imperitia — honera inclinantur sequentes, Greg. M. reg. past. I. 1. i. f. (2, 3.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 14.
Hic ergo inter — utcunque versamur, Aug. serm. 46. de past. no. 14. (5, 232) aut conc. cit. lib. I. c. 12. Cf. Fab. 11.
Sane percussor — tenentes consolidare sec. Hieron. comm. ad Tit. c. 1. (9, 431.) aut conc. cit. lib. I. c. 10.
c. XXVII. Illis ergo qui dicunt — sed quia novissimum eius annuntiaret adventum, Idacii Clari contra Varimad. lib. (p. 736).

[1] *Om. Sg. verba:* et suos metropolitanos—iudices habebant. [2] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: iussae. [3] *Sic Par.* 3852. *Sg. Dst. Bb.; Mut.* revelentur. [4] *Sg.* queritur. *Dst.* atestatur. [5] *Sg.* nesciuntur. [6] *Dst. addit:* se. [7] *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut.* misteria; *Par.* 3852. *Bb.* misterio. [8] *Sic reliqui codd.; Mut.* fuerentium. [9] *Sic reliqui codd. exc. Sg., qui habet:* si, *et m. post. add.* quidem. *Mut.* sine. [10] *Sec. Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit numerum* XXVIII. *Numerus* XXVII. *solus in Bb. et Dst.* [11] *Sg. Bb. Dst.* qua dispensatione. *Par.* 3852: quali dispensatione. [12] *Dst. addit:* a. [13] *Dst. addit:* ab. [14] *Dst. addit:* ab. [15] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* ex. [16] *Sic codd. cit.; Mut.* sententie. [17] *Codd. cit. addunt:* et iterum: haec dicit dominus omnipotens.

patris que manus est filium esse doceret[1], intulit[2], dicens: Paravit dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium et videbunt omnes fines terrae salutare eius. Nam et in novissimo temporum[3] hic sensus non inaniter poterit coaptari, in co[4] tempore dominus pro redemptionem nostram[5] carnem[6] suscipiendo[7] advenit, ut et illum qui habebat mortis imperium sua morte destrueret, et eos quos in tenebris et umbra mortis captivos subegerat, virtutis sue potentia in ipso parvo et exiguo temporis spatio liberaret. De hoc etiam exiguo tempore discipulos instruebat, dum eos in lucem, cum adhuc tempus haberet[8], incedere praemonebat. Pueri, inquid, novissima hora est, dum lucem habetis, ambulate in lucem, ne vos tenebrae comprehendant. Et in canonicis apostolorum legitur epistolis: Filioli, novissima hora est, quia multi pseudoprophetae exierunt in hoc[9] mundum. Et Paulus apostolus: Tempus enim[10] breve est. Et iterum: Praeterit enim figura huius mundi. Et iterum: Omnia haec ad correptionem nostram facta sunt, in quos finis saeculorum obvenit. Nam dominus in ipsa oratione dominica[11] breviavit nobis sermonem, dum nos a multiloquio prohibens, pauca docuerit que pertineant ad salutem. Cum oratis, inquid, nolite multum loqui. Et infra: Vos autem cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in celis, et cetera. Non enim propheta filium dei in hoc capitulo minoratum designavit in verbo, quoniam ipse in prophetis retro tempore loquebatur, qui etiam nunc per apostolos et apostolicos viros novissimo tempore loquitur. Ego, inquid, qui loquebar in servos meos prophetas[12], ecce adsum. Et alius propheta: Sicuti est ab initio usque in saeculum, neque adiectum est ei neque minuetur, quoniam in se[13] est dominus creature suae. Ecce quale verbum breviatum fecit dominus in orbe[14] terrarum, non quia ut illi putant, inferiorem patri intimaret hominibus filium, sed quia novissimum eius annuntiaret adventum. Si[15] ergo, ut praedictum est, Aaron[16] summi sacerdotis[17], id est episcopi, Moyses indubitanter Christi tendebat[18] formam, quoniam fuit similitudo mediatoris dei, qui est inter deum et hominem Iesus Christus, qui est verus dux populi[19] et verus princeps sacerdotum et dominus pontificum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

[CUIUS SUPRA: DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS AC RELIQUIS EPISCOPIS ET QUOD ECCLESIA ROMANA CARDO ET CAPUT OMNIUM SIT ECCLESIARUM.][20]

[XXVIII. De epistola missa omnibus episcopis ac reliquis sacerdotibus, in qua bipertitus instruitur ordo sacerdotum et quod episcopi apostolorum, presbiteri quoque locum teneant LXX discipulorum, et de ordinatione episcoporum et presbiterorum.][21]

XXVIII. Anacletus servus Christi Iesu, in apostolica sede a domino constitutus et a sancto Petro apostolorum principe presbiter ordinatus, omnibus episcopis ac reliquis Christi sacerdotibus salutem.

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in[22] omni benedictione spiritali in celestibus in Christo, sicut elegit nos[23] ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et inmaculati in conspectu eius in caritate, predestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in spiritu[24] secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nobis in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissio-

Si ergo, ut praedictum est — et dominus pontificum, Isid. de off. II. 5. no. 4. aut conc. Aquisgr. 816. lib. I. c. 9.

c. *XXVIII. Benedictus deus et pater — speravimus in Christo*, Ephes. I. 3—12.

[1] *Bb.* docere. [2] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* intuit. [3] *Bb. Par.* 3852: tempore. *Sg. Dst.* tempori. [4] *Bb. Dst. Sg. Par. cit.* quo. [5] *Bb. Dst. Par.* 3852: redemptione nostra. [6] *Bb.* carne. [7] *Bb.* suscipienda. *Dst.* suscipiens. [8] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: haberent. [9] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: hunc. [10] *Sg. Dst. add.* inquit. [11] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [12] *Sg.* servis meis prophetis. [13] *Bb. Dst. Sg. Par.* 3852: ipse *pro:* in se. [14] *Bb.* orbem. [15] *Bb. Dst.* sic. [16] *Par.* 3852 *addit:* filii presbiterorum figuram gestabant et Aaron. [17] *Bb.* sacerdotes. [18] *Sg. Bb. Par.* 3852: tenebat. [19] *Codd. cit.* populorum. [20] *Deest inser. in Mut. Desumpta ex Bb. Par,* 3852. *Dst., qui habet:* epistola III cuius supra etc. *ut alii. Sg.* Epistola Anacleti de presbiteris, episcopis, metropolitanis vel patriarchis. [21] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit numerum* XXIX. *Solus numerus* XXVIII *in Bb.* [22] *Deest in Bb.* [23] *Par.* 3852 *addit:* in ipso. [24] *Sg.* idipsum. *Bb. Dst. Par.* 3852: ipsum.

nem peccatorum secundum divitias gratie eius, quae[1] habundavit in nobis in omni sapientia et prudentia, ut[2] notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue secundum bonuplacitum[3] eius, quod proposuit in eo, in dispensatione[4] plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, que in celis et que in terra sunt in ipso. In quo[5] etiam sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum voluntatis[6] eius quod proposuit in eo[6], qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae, ut scimus[7] in laudem gloriae eius, qui ante speravimus in Christo. De primatibus, karissimi, super quibus me quidam vestrum consuluerunt, utrum[8] si esse deberent aut[9] non, quantum hactenus de his a beato Petro apostolo et reliquis apostolis et a beato Clemente[10] et martyre novimus statutum, denegare vobis minime possumus. Et[11] qui querentibus fratribus denegare[12] possit[13] dubitationes vel[14] necessitates eorum?

[15]Sacerdotum, fratres, ordo bipertitus est, et sicut dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem a domino apostolos esse electos et constitutos, et postea per diversas provintias ad praedicandum dispersos. Cum vero messis cepit[16] crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta[17] elegi[18] praecepit discipulos. Episcopi vero domini[19] apostolorum, presbiteri quoque septuaginta[17] discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis aut modicis civitatibus debent constitui, sed presbiteri per castella et modicas civitates atque villas debent ab episcopis ordinari et poni, singuli tamen per singulos titulos suos. Et episcopus non ab uno, sed a pluribus debet episcopis ordinari, et, ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen episcopi, aut alicubi[20], sed in[21] honorabilem urbem[22] titulandus[23] et denominandus est[24]. [25]Presbiter vero ad qualemcunque locum vel ecclesiam quae[26] in[27] eo[28] constituta est praeficiendus[29], atque in ea diebus vitae suae durandus; amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a deo collati sunt nec apostoli docuerunt.

[XXIX. De ordinatione episcoporum. Quod unus sit ordo episcoporum. Item de primatibus et patriarchis, de archiepiscopis et metropolitanis.][30]

XXIX. Et apostolorum[31] vero ordo unus est, licet sint primates illi, qui primas civitates tenent, qui et in quibusdam locis patriarchae a nonnullis vocantur. [32]Illi autem qui in[33] metropoli a beato Petro ordinante domino et a praedecessore nostro praedicto[34] Clemente servante[35], a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarchae esse possunt, sed ille urbes, quae praefatis et priscis temporibus primatem tenuere, episcoporum[36], patriarcharum aut primatum nomine fruantur, relique vero metropoles archiepiscoporum aut metropolitanorum, et non patriarcharum aut

Cum vero messis — operarios, Luc. X. 2.
Episcopi vero — locum tenent, c. 13. conc. Neoces. Cf. supr. c. 24, Dam. de corep.
Episcopi autem — ordinari et poni, Zachar. pp. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 52. p. 112). Cf. Clem. 29, Dam. de corep.
Et episcopus — ordinari, c. 1. apost.
non ad modicam civitatem — et denominandus est, Zachar. pp. ep. cit.
c. *XXIX. licet sint — vocantur* sec. c. 6. conc. Afric. (D.).
Illi autem — utantur nominibus sec. c. 12. conc. Chalc. (D.) Cf. Clem. 28. 29, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII. (Annic. 3, Steph. 9).

1 *Dst.* qui. 2 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* et. 3 *Bb.* bonum placitum. *Sg. Dst.* beneplacitum. 4 *Dst.* dispensationem. 5 *Par.* 3852: qua. 6 vol. *et* quod prop. in eo *desunt in Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. 7 *Sg. Dst. Par.* 3852: simus. 8 *Bb.* an. *Deest in Sg. Dst. Par.* 3852. 9 *Codd. cit.* an. 10 *Codd. cit. addunt:* nostro sancto praedecessore. 11 *Codd. cit. addunt:* quis est. 12 *Sic Sg. Dst. Bb.; Mut.* dignare. 13 *Par.* 3852: negare possit de. 14 *Sg. Bb.* et. 15 *Bb. hoc loco rubricam (sine numero) ponit:* De bipertito ordine sacerdotum, *quae etiam in margine Dst. invenitur.* 16 *Dst. Par.* 3852: coepisset. 17 *Dst. antea legebat:* LXX, *alia manu additum est:* II. 18 *Cet. codd.* eligi. 19 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 20 *Bb. Par.* 3852: aliubi. *Sg. Dst.* alibi. 21 *Par.* 3852: ad. *Deest in Sg. Bb. Dst.* 22 *Sg. Bb. Dst.* honorabili urbi. 23 *In Sg. m. post. additur:* est. 24 *Deest in Sg.* 25 *Bb. hic ponit rubricam (sine numero):* De presbiteris ut in ecclesiis in quibus ordinantur diebus vitae suae perdurent. 26 *Deest in Bb.* 27 *Par.* 3852: ab. 28 *Dst.* episcopio. 29 *Dst. addit:* est. 30 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit prima verba:* de ordinatione episcoporum. *Par. cit. erronee num.* XXX *ponit. Solus numerus* XXIX *in Bb.; Par.* 3852 *in margine:* de ordinatione episcoporum. 31 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: Episcoporum *pro:* Et apostolorum. 32 *Dst. in margine:* Quod alius sit patriarcha vel primas, aliud metropolita. 33 *Deest in Bb.* 34 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* sancto. 35 *Codd. cit.* seu. 36 *Sg.* episcopi eorum. *Bb. Dst.* episcopi earum.

primatum utantur nominibus, quia hec eadem e legibus[1] saeculi in suis continent principibus, alie autem prime[2] civitates quas vobis conscriptas in quodam thomo mittimus, a sanctis apostolis et a beato Clemente sive a nobis primates praedicatores acceperunt. XXX. Haec vero sacrosancta[4] Romana[5] apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso domino salvatore nostro primatum optinuit, sicut ipse beato Petro apostolo dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum. Et quecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis[6], et quecunque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Adhibita est etiam sotietas in eadem Romana urbe beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui uno die unoque tempore gloriosam mortem[7] cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est, et ambo sanctam Romanam ecclesiam consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo eam sua praesentia atque[8] venerando triumpho praetulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud deum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus apostolus Romanis proprio cirographo pollicetur dicens: Testis enim[9] mihi deus, cui[10] servio in spiritu meo in evangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.

[XXX. Quod Romana ecclesia ab ipso domino salvatore nostro primatum obtinuerit et quod eam beatissimus Petrus et Paulus suo martirio consecrarint, ideoque et prima sedes dicenda.][3]

[11] Prima ergo sedes est celesti beneficio Romana aecclesia[12], quam, ut memoratum est, beatissimi Petrus et Paulus suo martyrio consecrarunt.

XXXI. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a[14] Marco eius discipulo atque evangelista consecrata est, quia ipse et in Aegypto primum verbum veritatis directus a Petro praedicavit et gloriosum suscepit martyrium: cui venerabilis successit Abillius.

[XXXI. De secunda sede Alexandrine ecclesiae.][13]

XXXII. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem[16], id est[17] beati Petri apostoli[18] habetur honorabilis, quia illic, priusquam Romam[19] veniret, habitavit et Ignatium episcopum constituit, et illic nomen primum christianorum novellae gentis exortum est. Reliquas vero, ut praediximus[20], quodammodo[21] prolixitatem vitantes apostolice[22] vobis conscriptas[23] direximus. XXXIII. Inde namque[25] beati apostoli inter se statuerunt, ut episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset: quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam et inter beatos apostolos quaedam fuit discretio. Et licet omnes essent apostoli, Petro tamen a domino est concessum, et ipsi inter se idipsum voluerunt, ut reliquis omnibus praeesset apostolis, et Cephas, id est caput, et principium teneret apostolatus. Qui et eamdem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in novo testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit. Unde

[XXXII. De tertia sede Antiochene ecclesiae.][15]

[XXXIII. Ut episcopi singularum gentium sciant, quis inter eos sit primus.][24]

c. XXX — c. XXXII. *Haec vero sacrosancta — novellae gentis exortum est*, conc. Nicen. praef. in cod. Quesnell. (Leon. M. ep. ed. Ballerin. 3, 23). Cf. Marcelli 1, Iul. 6.

c. XXXIII. *ut episcopi singularum—eos primus esset*, c. 35. apost.
Nam et inter beatos — praeesset apostolis, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 691). Cf. Clem. 29, Melch. 8, Iul. 9, Vigil. 7.

1 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: et leges. 2 *Sg. Dst.* primates. 3 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit numerum* XXXI. *Solus numerus* XXX *in Bb. Par.* 3852 *in margine:* Quod romana ecclesia ab ipso domino optinuerit principatum, non ab apostolis sicut cetere civitates, *Dst. in margine:* de primatu romane ecclesiae. 4 *Par.* 3852: sancta. 5 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* et. 6 *Par.* 3852: caelo. 7 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: gloriosa morte. 8 *Bb.* aut. 9 *Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* est. *Sg.* est *pro:* enim. 10 *Sg. Bb. Dst. add.* ego. 11 *Bb. hic rubricam (sine numero) ponit:* de romana et alexandrina atque antiochena. *Dst. in margine:* de ordine sedium. *Par.* 3852 *in margine:* de sede romana et alexandrina et antiochena. 12 *Bb. Par.* 3852: romane ecclesie. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Par. erronee ponit num.* XXXII. *Solus numerus* XXXI *in Bb.* 14 *Sg.* et, *quod manu post. corr. in:* a. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Par. ponit num.* XXXIII. *Solus numerus* XXXII *in Bb.* 16 *Deest in Bb.* 17 *Sg. om.* eiusdem id est. 18 *Dst. addit:* nomine. 19 *Bb.* romanam. 20 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* in. 21 *Sg. Bb. Dst.* tomo. 22 *Codd. cit. et Par.* 3852: epistolae. 23 *Sg.* epistolis vobis conscriptis. 24 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit num.* XXXIV. *Solus numerus* XXXIII *in Bb.* 25 *Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* et.

scriptum est: Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, id est primi inter eos fuerunt. Et quamvis ita sit ordinatum, nemo tamen quod suum est, querat, sed quod alterius, unde ait[1] beatus apostolus Paulus[2]: Unusquisque placeat proximo suo in bonum ad aedificationem, et sicut ipse salvator suis ait discipulis: Qui maior est vestrum, erit minister vester, et reliqua. Et licet super his aliqua dicta sint, repetentes tamen sepius ammonemus, ut semper in omnibus[3] vitentur elationes mentis et corporis. Et quantum[4] maior unusquisque videtur esse, tanto[5] sit humilior, sicut dominus salvator noster non venit ministrari, sed ministrare. Et si frater aliquis praeoccupatus fuerit in quodam delicto, vos qui spiritales estis, instruite eum in spiritu lenitatis.

[XXXIV. Ut difficiliores causae ad apicem Romanae sedis referantur, ut apostolico terminentur iudicio. Cuius sedis auctoritate omnes ecclesiae reguntur.][6]

XXXIV. Si quae vero cause difficiliores inter vos orte fuerint, ad huius sancte sedis apicem eas quasi ad caput referte, ut apostolico terminentur[7] iuditio, quia sic domino velle[8] ab eoque[9] ita constitutum esse antedictis testimoniis declaratur. [10]Haec vero apostolica sedes cardo et caput ut factum[11] est a domino, et non ab alio constituta, et sicut cardine hostium regitur, sic huius sanctae sedis auctoritate omnes eclesiae, domino disponente, reguntur.

[XXXV. De accusatoribus et testibus.][12]

XXXV. Accusatores autem et testes esse non possunt, qui aut hesterno et nudiustertius die[13] inimici fuerint, ne irati nocere cupiant vel lesi ulcisci velint. Inoffensus igitur accusatorum et testium affectus querendus est, et non suspectus. Causam enim vestram alieno nolite committere iuditio, valde enim iniquum est ut omissis suis alius quislibet[14] aliorum[15] se causis immisceant, quoniam nullis[16] in locis spiritalis cura defecit[17], sed[18] per omnia, qua nomen dei praedicatur, extendit[19]. Studendum est omnibus, ut non[20] emulationes male, sed pie sint[21] inter vos dilectiones, quia in hoc vos omnes domini discipulos esse[22] noverint, si dilectionem habueritis adinvicem. Ex omni ergo genere plurimos deus dignatur atquirere[23], quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii karitatis sue, et[24] vasis ire faciat vasa misericordiae. Unde nobis summopere studendum est, ut cooperatores simus gratie dei, quia ad hoc vocati sumus eiusque familiari colloquio[25] sotiati et sacerdotes sacrati, et[26] fructuosos illi manipulos reportemus cooperante gratia eius.

Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, Ps. XCVIII. 6.
nemo tamen quod — sed quod alterius, I Cor. X. 24.
Unusquisque placeat — ad aedificationem, Rom. XV. 2.
Qui maior erit — minister vester, Matth. XXIII. 11.
sicut dominus salvator — ministrare, Matth. XX. 28.
Et si frater — spiritus lenitatis, Galat. VI. 1.
c. XXXIV. Si quae — iudicio sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7). Ben. II. 381. III. 109. Cf. supra c. 17, Zeph. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.
ad huius sancte — quasi ad caput sec. eiusd. ep. ad Felic. Nucer. pr. (H. no. 9). Cf. Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
c. XXXV. Accusatores autem et testes — et non suspectus, Ambros. ep. 5. no. 2. (2, 765). Cf. Fab. 13, Steph. 11. (ad verba: *ne irati etc.*) Symm. syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1.
Causam enim — committere iuditio, Ambros. ep. 40. (2, 955). Cf. Corn. 5.
quoniam nullis in — praedicatur extendit, Coelest. ep. ad episcop. per Vienn. pr. (H. 34).
quia in hoc vos — habueritis ad invicem, Ioann. XIII. 35.
Ex omni ergo genere — vasa misericordiae, Coelest. ep. ad Vener. c. 11. (H. no. 33).
ut cooperatores simus gratiae, l. c. c. 12.
et fructuosos — reportemus sec. Greg. M. hom. I. 17. no. 16. Cf. Clem. 27, Sot. 1, Fel. I. pp. 7, Lib. 2, Dam. de corep.

[1] *Sg. Dst.* et. [2] *Sg. add.* suis ait discipulis. [3] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *add.* et ab omnibus. [4] *Par.* 3852: quanto. [5] *Sg. Bb. Dst.* tantum. [6] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA*, *qui erronee ponit num.* XXXV. *Solus numerus* XXXIV *in Bb.* [7] *Par.* 3852: conterminentur. [8] *Dst. addit:* est. [9] *Sg.* deum velle habeo quod. [10] *Dst. in margine:* Ut sedes apostolica caput sit et ipsa omnes regat ecclesias. *Par.* 3852 *in margine:* Quod romana ecclesia cardo est omnium ecclesiarum. [11] *Sg.* fatum. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Par. erronee ponit num.* XXXVI. *Solus numerus* XXXV. *in Bb. Par.* 3852 *in margine:* De accusatoribus. [13] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ante hesternum aut nudiustertius diem. [14] *Sg.* aliqui quibuslibet. *Bb.* alio quilibet. *Dst.* alieni quibuslibet. *Par.* 3852: alii quilibet. [15] *Par.* 3852: illorum. [16] *Bb. Dst.* nullus. [17] *Bb. Dst. Sg. Par.* 3852: deficit. [18] *Dst. Par.* 3852 *addunt:* se. [19] *Sg. Dst.* extenditur. [20] *Dst.* ne *pro:* ut non. [21] *Dst.* praesint *pro:* pie sint. [22] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* veros. [23] *Codd. cit.* attrahere. [24] *Sg. Bb. Dst. addunt:* ex. *Par.* 3852: de. [25] *Sic codd. cit.; Mut.* colloquii. [26] *Codd. cit.* ut.

XXXVI. Necesse est enim ut rectores a subditis timeantur ab ipsisque corrigantur, ut humana formidine peccare metuant, qui divina iuditia non formidant: deteriores quippe sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt, his[2] qui substantias aliorum praediaque diripiunt, ipsi autem[3] ea quae extra nos, licet nostra sint, auferunt, nostri[4] quoque detractores et morum corruptores nostrorum sive qui adversus nos armantur, proprie nosipsos decipiunt, et ideo iuste infames sunt et merito ab eclesia extorres fiunt.

[XXXVI. Ut episcopi a subditis timeantur et ab ipsis corrigantur.][1]

XXXVII. Pro meritis ergo plebis sepe pastores deviantur[6] ecclesiae, ut proclivius corruant qui secuntur. Capite videlicet languescente, facilius reliqua corporis membra inficiuntur, sicut scriptum est: Omne caput languidum et omne cor merens, a planta pedis usque ad verticem[7], non est in eo sanitas. Quapropter manifestum est, diabolum[8], qui sicut leo rugiens circuit, querens quem possit devorare, cordibus[9] plebium suadere[10], ut doctores atque pastores suos detractionibus[11] derogent[12] vel accusent ut plebibus languescentibus vel languentibus[13], non detinentibus[14] pastoribus frena[15] earum[16] lasciviant atque in ima ruant[17]. Multum vero distant damna morum a damnis rerum temporalium, cum ista extra nos sint, alia[18] vero in nobis. XXXVIII. Sententia quoque Cam filii Noe damnantur, qui suorum doctorum vel praepositorum culpas produnt, seu[20] Cham qui patris pudenda non-operuit, sed deridenda[21] monstravit. XXXIX. Doctor autem vel pastor ecclesiae, si a fide exorbitaverint[23], erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis[24] magis est tollerandus quam distringendus, quia rectores ecclesiae a deo sunt iudicandi, sicut ait propheta: Deus stetit in sinagoga deorum, in medio autem deus[25] diiudicat[26], unde oportet unumquemque fidelem, si viderit aut cognoverit plebes suas adversus pastorem suum tumescere aut clerum detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare prudenterque colligere[27] satagat, nec eis in quibuscunque negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint, antequam suo reconcilientur doctori, praesumat, quoniam tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes[28] summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur.

[XXXVII. Quod pro meritis plebis sepe pastores ecclesiae depraventur.][5]

[XXXVIII. Quod sententia Cham damnentur, qui produnt culpas suorum doctorum vel praepositorum.][19]

[XXXIX. De doctoribus vel pastoribus ecclesiae si a fide exorbitaverint et ut plebes adversus pastorem suum non tumescant aut clerus detractionibus non vacet.][22]

[29] Ait ergo beatus apostolorum princeps Petrus de sancto praedecessore nostro

c. XXXVI. *Necesse est enim — divina iuditia non formidant*, Greg. M. reg. part. II. 6. (2, 20.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 13.
deteriores quippe — decipiunt, Isid. sent. III. 38. no. 5. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 30. Cf. Ant. 5.
c. XXXVII. *Pro meritis ergo — atque in ima ruant* sec. Isid. l. c. no. 3. 4. aut c. cit. conc. Aquisgr. Cf. Ant. 5.
Multum vero — alia vero in nobis, Isid. l. c. no. 5. aut conc. Aquisgr. l. c.

c. XXXVIII. *Sententia quoque Cham — deridenda monstravit*, Isid. l. c. 39. no. 4. aut conc. cit. c. 31. Cf. Fab. 22.
c. XXXIX. *Doctor autem — diiudicat*, l. c. no. 6. 5. aut conc. cit. l. c. Cf. Clem. 42, Calist. 3, Fab. 23.
quoniam tam sacerdotes — ab ecclesia separentur, l. c. 46. no. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 36. Cf. Greg. M. ep. ad Fel.

[1] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit num.* XXXVII. *Solus num.* XXXVI *in Bb. Par.* 3852 *in margine:* ut episcopi eo subditis timeantur. [2] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* ne. [3] *Par.* 3852: enim. [4] *Par.* 3852 *addit:* autem. [5] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit num.* XXXVIII. *Solus num.* XXXVII *in Bb.* [6] *Sg.* deviant. *Dst. Par.* 3852: depravantur. [7] *Dst. addit:* capitis. [8] *Dst.* quod diabolus. [9] *Bb.* cordis. [10] *Dst.* suadet. [11] *Par.* 3852: detractoribus. [12] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3842: irrogent. [13] *Deest in Dst. Sg. add.* vel. [14] *Sg. Bb. Dst.* tenentibus. [15] *Sg. Dst.* frameam. [16] *Deest in Dst.* [17] *Sg. add.* ad salute ea periclitare possint, *quod al. m. post. corr. in:* et a salute eo periclitari possint. *Bb. Par.* 3852: ut salutem earum [*Par. add.* sic eas] periclitare possint. *Dst.* ac salutem hereditare non possint. [18] *Sg. Dst. Par.* 3852: illa. [19] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [20] *Sg. Dst.* sicut. [21] *Sg.* ridenda. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* 3852 *in margine:* de doctoribus et pastoribus ecclesiae. [23] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: exorbitaverit. [24] *Codd. cit. add.* moribus. [25] *Sg. Dst. Par.* 3852: deos. [26] *Codd. cit. et Bb.* discernit. [27] *Codd. cit.* corrigere. [28] *Bb. et Dst.* omnem. [29] *Bb. hic rubricam ponit (sine numero):* cui episcopus inimicus est, pro actibus suis nullus ei amicus esse debet et nec loqui cui non loquitur, donec satisfaciat: quod si quis fecerit excommunicatus esse atque ab aecclesia pelli debet. *Par.* 3852 *in margine:* monitio epistolae Clementis.

Clemente plebibus praedicando, quando[1] docebat[2] eas qualiter ei obedire deberent, eumque observare inter cetera, ita[3]: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite exspectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis, et voluntati eius absque communicatione obsecundare, et avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur: ut unusquisque qui[4] in culpa est, dum cupit omnium vestrum amititias[5] ferre, festinet cicius reconciliare[6] ei qui omnibus praeest, et per[7] hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei ecclesiam volunt, et reliqua. His aliisque quamplurimis documentis facile unusquisque advertere[8] potest, qualiter oboedire et obtemperare debet[9] praepositis suis, et qualiter circa eos agendum sit, quibus ipsi aut amici sunt aut inimici.

[XL. Quod qui non observat praecepta canonica excommunicatus habeatur et unusquisque parcat a laceratione vel detractione lingue suae.][10]

XL. Si quis enim hec praecepta non obserbit[11], hostis est anime sue, et non tantum infammis, sed et excommunicatus atque alienus ab ecclesia efficitur[12], quoniam nequitia[13] est[14], vitia non[15] ferro abscindere[16] que aliis medicaminibus non sanantur. Parcat unusquisque a laceratione vel detractione lingue sue, caveatque ne aut linguam[17] aut aures habeat prurientes, id est[18], ne aut aliis deroget aut detrahat[19] quoscunque[20] aut alios[21] audiat derogantes vel detrahentes, custodiat quisque sermones suos et sciat, quia quecunque[22] de aliis loquitur, sua sententia iudicabitur. Caveat etiam omnis fidelis, ne derogando quid[23] in domo cuiusquam[24] alia domus per eum cognoscat, sed omnium christianorum domus[25] quasi proprias amet. Nemo enim invito auditori libenter refert, sitque uniuscuiusque studium, non solum oculos castos servare, sed et linguam. Vos autem, karissimi, qui estis sub domini disciplina constituti, sic vos exhibete, ut veri ministri[26] dei et dispensatores ministeriorum[27] eius, ut non vituperetur ministerium nostrum[28], ne fiat in vobis sicut scriptum est: Erit sicut populus sic sacerdos.

[XLI. Sic omnes corrigendi sunt, ut nemini aliquis noceat.][29]

XLI. Sic enim vos vestrosque et cunctos corrigite, ut nemini noceatis, quatenus et[30] ab hominibus[31] bonam adquiratis famam et a deo mercedis praemium in eterna beatitudine percipere mereamini. Et si quid adversi de unitate eclesie acciderit, radicitus amputetur, ut dei eclesia fructusque servorum eius maneant inconcussa. Propter quod[32], karissimi, exspectantes satagite inmaculati, eius invenire[33] in pace et domini nostri[34] longanimitate[35] salutem arbitremini[36]. Estote ergo prudentes atque vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum, hospitales invicem sine mur-

Si inimicus — dei ecclesiam volunt et reliqua, Clem. ep. I. (c. 17. i. f., 18). Cf. Alex. 6, Fab. 6.

c. XL. Si quis enim hec praecepta — hostis est anime sue, Hieron. ep. ad Oceanum de vita cleric. (11, 371.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 98. Cf. Corn. 3.

quoniam nequitia est — non sanantur, Siric. ep. ad Eum. c. 7. i. f. (H. no. 3). Cf. Fab. 11, damn. Vigilii, Symm. syn. VI., Pelag. II. pp. ep. 1.

Parcat unusquisque — servare, sed et linguam sec. Hieron. ep. ad Nepotian. no. 14. 15. (1, 268.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 94. Cf. Ant. 5, 6.

Vos autem karissimi — eius maneant inconcussa (c. XL), Zachar. ep. ad Franc. (int. ep. S. Bonif. no. 50. p. 105), Ben. I. 1.

c. XLI. Propter quod karissimi — arbitremini, II Petr. III. 14. 15.

Estote ergo prudentes — saecula saeculorum, Amen, I Petr. IV. 7—11.

1 *Deest in Sg. Bb.* 2 *Sg. Dst.* docens *pro:* quando docebat. 3 *Dst.* ait. 4 hac *add. Sg.; Bb. Par.* 3852: hic. 5 *Bb.* amititia. 6 *Sg. Dst. Par.* 3852: reconciliari. 7 *Sg.* pro. 8 *Sic Sg. Dst. Par.* 3852. *Bb.; Mut.* avertere. 9 *Sg. Dst.* debeat. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: observaverit. 12 *Sg. Bb. Dst.* efficiatur. 13 *Codd. cit. Par.* 3852: necesse. 14 *Codd. cit. add.* ea. 15 *Deest in codd. cit.* 16 *Sg.* abscidere. 17 *Sg. Dst.* linguas. 18 *Dst. omis.* id est. 19 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: detrahatque *pro:* aut detrahat. 20 *Sg. Dst.* quibuscumque. 21 *Deest in Dst.* 22 *Sg. Dst.* quicumque. 23 *Bb. Dst. Par.* 3852: quod. 24 *Add. Sg. Bb. Dst.* iterum, *Par.* 3852: agitur. 25 *Codd. cit.* domos. 26 *Sg. Dst.* discipuli. 27 *Sg. Dst.* misteriorum. 28 *Bb. Par.* 3852: vestrum. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 30 *Bb. Dst.* ut. 31 *Sg. Bb.* omnibus. 32 *Sg. Bb. Dst.* propterea. 33 *Codd. cit. et Par.* 3852: ei inveniri. 34 *Bb. et Dst. addunt:* Iesu Christi. 35 *Ceteri:* longanimitatem. 36 *Sg. Dst.* arbitramini.

muratione, unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae dei; si quis loquitur quasi sermones dei, si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat deus, ut in omnibus honorificetur deus[1] per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

[INCIPIUNT STATUTA DECRETALIA EPISTOLARUM EVARISTI PAPE.

DE ORDINE DIACONORUM ET LEGITIMO AC REGULARI CONIUGIO ATQUE DE FIDE.][2]

I. Dilectissimis fratribus universis Africe regionis episcopis Evaristus[4]. [I. De ordinatione diachonorum.][3]

Consulentibus vobis, fratres karissimi, quid super[5] his, que in vestris continebantur scriptis visum nobis vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid a beatis apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, operantes[6], ut[7] retulistis, nostris instrui documentis, si quidem dilectio vestra normam secuta prudentium ad sedem apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire potius quam usurpatione praesumere.

[8]Diaconi, qui quasi oculi videntur episcopi esse, in unaquaque civitate iusta[9] apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant episcopum[10], ne ipsi[11] aut ab insidiatoribus quoquo modo infestetur[12], aut ledatur a suis[13] aut verba divina detrahendo aut insidiando polluantur vel despitiantur, si[14] veritas spiritali redoleat fervore, pax praedicata labiis cum voluntate animi concordet.

II. Similiter custoditum et traditum habemus, et uxores[16] legitime viro iungantur[17]. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a[18] sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, petita enim nisi[19] a parentibus propinquioribusque non[20] sponsetur et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, [21]et a paranimphis, ut consuetudo docet, custodita et sotiata a proximis tempore congruo petita legibus detur et solemniter[22] accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino[23] placebunt et filios non spurios, sed legitimos, [II. De legitimo coniugio.][15]

c. I. *Consulentibus vobis fratres — usurpatione praesumere,* Innoc. I. ep. ad Exup. Tolos. pr. (H. no. 8).

quasi ad caput, eiusd. ep. ad Felic. Nucer. pr. (H. no. 9). Cf. Anacl. 34, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.

Diaconi, qui quasi oculi videntur episcopi esse sec. Clem. ep. I. (c. 12).

in unaquaque civitate — cum voluntate animi concordet sec. vit. Evar. c. 2. in libr. pontif.

c. II. *Similiter custoditum et traditum — scitote esse coniugia,* Ben. III. 463. (ut mihi videtur a Benedicto desumtum ex concilio quodam deperdito aut conflatum ex iisdem fontibus quibus c. 179. lib. III., scil. c. 37 Poen. Marten., c. 13. conc. IV. Carth. adhibitis verbis Ionae Aurel. de instit. laic. II. 2: „nam et filii, qui ex tali concubitu generati sunt, licet uterque parens liberae conditionis, in hereditate tamen cum fratribus ex legitimo matrimonio natis quod dolendum est, minime iuxta mundanae legis censuram, succedere valent").

1 *Sg. Dst.* honorificetis deum. 2 *Deest inscr. in Mut. Desumpta ex codd. Dst. Par.* 3852. *Bb.; Bb. legit:* eucharisti. *Sg.* Epistola Evaristi de ratione diaconorum et coargutione hereticorum. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 4 *Bb.* eucharistus. 5 *Deest in Par.* 3852. *Idem cod., sicut Sg. Bb. Dst. addit:* esset. 6 *Par. cit.* optatis, *ceteri* optantes. 7 *Deest in Dst.* 8 *Dst. in margine:* de diaconorum numero. *Par.* 3852 *in margine:* de ordinatione VII diaconorum. 9 *Codd. cit. Sg. Bb.* iuxta. 10 *Sg. Bb. Dst. addunt:* praedicantem. 11 *Dst. Par.* 3852: ipse. 12 *Sg. Bb. Dst.* infestentur. 13 *Bb.* aut laedantur a suis. *Sg. Dst. omis.* aut ledatur a. *Par.* 3852: ledatur is. 14 *Codd. cit.* sed. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Par.* 3852 *in margine:* de coniugio legitimo. 16 *Bb.* uxor *pro:* et uxores. *Sg. Dst. Par.* 3852: ut uxor. 17 *Bb.* coniungatur. *Sg. Dst. Par.* 3852: iungatur. 18 *Deest in Bb. Sg.* 19 *Pro* petita enim nisi *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: et a quibus custoditur uxor petatur et. 20 *Codd. cit. om.* que non. 21 *Par.* 3852 *in margine:* de sponsi et sponse benedictione. 22 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* solempnitas. 23 *Deest* et domino *in Sg., al. m. posteriore additur:* ei.

Clemente plebibus praedicando, quando[1] docebat[2] eas qualiter ei obedire deberent, eumque observare inter cetera, ita[3]: Si inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite exspectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis, et voluntati eius absque communicatione obsecundare, et avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur: ut unusquisque qui[4] in culpa est, dum cupit omnium vestrum amititias[5] ferre, festinet cicius reconciliare[6] ei qui omnibus praeest, et per[7] hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse amicus non est, et locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei ecclesiam volunt, et reliqua. His aliisque quamplurimis documentis facile unusquisque advertere[8] potest, qualiter oboedire et obtemperare debet[9] praepositis suis, et qualiter circa eos agendum sit, quibus ipsi aut amici sunt aut inimici. XL. Si quis enim hec praecepta non obserbit[11], hostis est anime sue, et non tantum infammis, sed et excommunicatus atque alienus ab ecclesia efficitur[12], quoniam nequitia[13] est[14], vitia non[15] ferro abscindere[16] que aliis medicaminibus non sanantur. Parcat unusquisque a laceratione vel detractione lingue sue, caveatque ne aut linguam[17] aut aures habeat prurientes, id est[18], ne aut aliis deroget aut detrahat[19] quoscunque[20] aut alios[21] audiat derogantes vel detrahentes, custodiat quisque sermones suos et sciat, quia quecunque[22] de aliis loquitur, sua sententia iudicabitur. Caveat etiam omnis fidelis, ne derogando quid[23] in domo cuiusquam[24] alia domus per eum cognoscat, sed omnium christianorum domus[25] quasi proprias amet. Nemo enim invito auditori libenter refert, sitque uniuscuiusque studium, non solum oculos castos servare, sed et linguam. Vos autem, karissimi, qui estis sub domini disciplina constituti, sic vos exhibete, ut veri ministri[26] dei et dispensatores ministeriorum[27] eius, ut non vituperetur ministerium nostrum[28], ne fiat in vobis sicut scriptum est: Erit sicut populus sic sacerdos. XLI. Sic enim vos vestrosque et cunctos corrigite, ut nemini noceatis, quatenus et[30] ab hominibus[31] bonam adquiratis famam et a deo mercedis praemium in eterna beatitudine percipere mereamini. Et si quid adversi de unitate eclesie acciderit, radicitus amputetur, ut dei eclesia fructusque servorum eius maneant inconcussa. Propter quod[32], karissimi, exspectantes satagite inmaculati, eius invenire[33] in pace et domini nostri[34] longanimitate[35] salutem arbitremini[36]. Estote ergo prudentes atque vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum, hospitales invicem sine mur-

[XL. Quod qui non observat praecepta canonica excommunicatus habeatur et unusquisque parcat a laceratione vel detractione lingue suae.][10]

[XLI. Sic omnes corrigendi sunt, ut nemini aliquis noceat.][29]

Si inimicus — dei ecclesiam volunt et reliqua, Clem. ep. I. (c. 17. i. f., 18). Cf. Alex. 6, Fab. 6.
c. XL. Si quis enim hec praecepta — hostis est anime sue, Hieron. ep. ad Oceanum de vita cleric. (11, 371.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 98. Cf. Corn. 3.
quoniam nequitia est — non sanantur, Siric. ep. ad Eum. c. 7. i. f. (H. no. 3). Cf. Fab. 11, damn. Vigilii, Symm. syn. VI., Pelag. II. pp. ep. 1.
Parcat unusquisque — servare, sed et linguam sec. Hieron. ep. ad Nepotian. no. 14. 15. (1, 268.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 94. Cf. Ant. 5, 6.
Vos autem karissimi — eius maneant inconcussa (c. XL), Zachar. ep. ad Franc. (int. ep. S. Bonif. no. 50. p. 105), Ben. I. 1.
c. XLI. Propter quod karissimi — arbitremini, II Petr. III. 14. 15.
Estote ergo prudentes — saecula saeculorum, Amen, I Petr. IV. 7—11.

1 *Deest in Sg. Bb.* 2 *Sg. Dst.* docens *pro:* quando docebat. 3 *Dst.* ait. 4 hac *add. Sg.; Bb. Par.* 3852: hic. 5 *Bb.* amititia. 6 *Sg. Dst. Par.* 3852: reconciliari. 7 *Sg.* pro. 8 *Sic Sg. Dst. Par.* 3852. *Bb.; Mut.* avertere. 9 *Sg. Dst.* debeat. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: observaverit. 12 *Sg. Bb. Dst.* efficiatur. 13 *Codd. cit. Par.* 3852: necesse. 14 *Codd. cit. add.* ea. 15 *Deest in codd. cit.* 16 *Sg.* abscidere. 17 *Sg. Dst.* linguas. 18 *Dst. omis.* id est. 19 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: detrahatque *pro:* aut detrahat. 20 *Sg. Dst.* quibuscumque. 21 *Deest in Dst.* 22 *Sg. Dst.* quicumque. 23 *Bb. Dst. Par.* 3852: quod. 24 *Add. Sg. Bb. Dst.* iterum, *Par.* 3852: agitur. 25 *Codd. cit.* domos. 26 *Sg. Dst.* disciupli. 27 *Sg. Dst.* misteriorum. 28 *Bb. Par.* 3852: vestrum. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 30 *Bb. Dst.* ut. 31 *Sg. Bb.* omnibus. 32 *Sg. Bb. Dst.* propterea. 33 *Codd. cit. et Par.* 3852: ei inveniri. 34 *Bb. et Dst. addunt:* Iesu Christi. 35 *Ceteri:* longanimitatem. 36 *Sg. Dst.* arbitramini.

muratione, unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae dei; si quis loquitur quasi sermones dei, si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat deus, ut in omnibus honorificetur deus[1] per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

[INCIPIUNT STATUTA DECRETALIA EPISTOLARUM EVARISTI PAPE.

DE ORDINE DIACONORUM ET LEGITIMO AC REGULARI CONIUGIO ATQUE DE FIDE.][2]

I. Dilectissimis fratribus universis Africe regionis episcopis EVARISTUS[4]. [I. De ordinatione diaconorum.][3]

Consulentibus vobis, fratres karissimi, quid super[5] his, que in vestris continebantur scriptis visum nobis vel quid docilis ratio persuaderet, aut quid a beatis apostolis nobis traditum aut custoditum remaneret, operantes[6], ut[7] retulistis, nostris instrui documentis, si quidem dilectio vestra normam secuta prudentium ad sedem apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de rebus dubiis custodire potius quam usurpatione praesumere.

[8]Diaconi, qui quasi oculi videntur episcopi esse, in unaquaque civitate iusta[9] apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant episcopum[10], ne ipsi[11] aut ab insidiatoribus quoquo modo infestetur[12], aut ledatur a suis[13] aut verba divina detrahendo aut insidiando polluantur vel despitiantur, si[14] veritas spiritali redoleat fervore, pax praedicata labiis cum voluntate animi concordet.

II. Similiter custoditum et traditum habemus, et uxores[16] legitime viro iungantur[17]. [II. De legitimo coniugio.][15] Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus et a[18] sanctis apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, petita enim nisi[19] a parentibus propinquioribusque non[20] sponsetur et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, [21]et a paranimphis, ut consuetudo docet, custodita et sotiata a proximis tempore congruo petita legibus detur et solemniter[22] accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant, ut bonae soboles generentur et domino suis in actibus placeant. Taliter enim et domino[23] placebunt et filios non spurios, sed legitimos,

c. I. Consulentibus vobis fratres — usurpatione praesumere, Innoc. I. ep. ad Exup. Tolos. pr. (H. no. 8).
quasi ad caput, eiusd. ep. ad Felic. Nucer. pr. (H. no. 9). Cf. Anacl. 34, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
Diaconi, qui quasi oculi videntur episcopi esse sec. Clem. ep. I. (c. 12).
in unaquaque civitate — cum voluntate animi concordet sec. vit. Evar. c. 2. in libr. pontif.
c. II. Similiter custoditum et traditum — scitote esse coniugia, Ben. III. 463. (ut mihi videtur a Benedicto desumtum ex concilio quodam deperdito aut conflatum ex iisdem fontibus quibus c. 179. lib. III., scil. c. 37 Poen. Marten., c. 13. conc. IV. Carth. adhibitis verbis Ionae Aurel. de instit. laic. II. 2: „nam et filii, qui ex tali concubitu generati sunt, licet uterque parens liberae conditionis, in hereditate tamen cum fratribus ex legitimo matrimonio natis quod dolendum est, minime iuxta mundanae legis censuram, succedere valent").

[1] *Sg. Dst.* honorificetis deum. [2] *Deest inscr. in Mut. Desumpta ex codd. Dst. Par.* 3852. *Bb.; Bb. legit:* eucharisti. *Sg.* Epistola Evaristi de ratione diaconorum et coargutione hereticorum. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* [4] *Bb.* eucharistus. [5] *Deest in Par.* 3852. *Idem cod., sicut Sg. Bb. Dst. addit:* esset. [6] *Par. cit.* optatis, *ceteri* optantes. [7] *Deest in Dst.* [8] *Dst. in margine:* de diaconorum numero. *Par.* 3852 *in margine:* de ordinatione VII diaconorum. [9] *Codd. cit. Sg. Bb.* iuxta. [10] *Sg. Bb. Dst. addunt:* praedicantem. [11] *Dst. Par.* 3852: ipse. [12] *Sg. Bb. Dst.* infestentur. [13] *Bb.* aut laedantur a suis. *Sg. Dst. omis.* aut ledatur a. *Par.* 3852: ledatur is. [14] *Codd. cit.* sed. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Par.* 3852 *in margine:* de coniugio legitimo. [16] *Bb.* uxor *pro:* et uxores. *Sg. Dst. Par.* 3852: ut uxor. [17] *Bb.* coniungatur. *Sg. Dst. Par.* 3852: iungatur. [18] *Deest in Bb. Sg.* [19] *Pro* petita enim nisi *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: et a quibus custoditur uxor petatur et. [20] *Codd. cit. om.* que non. [21] *Par.* 3852 *in margine:* de sponsi et sponse benedictione. [22] *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* solempnitas. [23] *Deest* et domino *in Sg., al. m. posteriore additur:* ei.

atque hereditabiles generantur[1]. Quapropter, filii karissimi, et merito inlustres fide catholica suffragante, ita peracta legitima scitote esse coniugia: aliter vero praesumpta non coniugia, sed aut adulteria aut contubernia aut stupra vel fornicationes potius quam[2] legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas propria subfragerit[3] et vota succurrerint legitima. Nam fructus divinus est praecepta divina custodire. Ea quoque deserere[4] praesumptionem fieri nulli dubium est. Cur ergo indignum est praecepta[5] ecclesie custodiri[6]? Idemque[7] omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus. Si aliter enim praesumpta fuerint, perdunt profecto[8] transgressores seipsos[9] quia[10] semetipsos decipiunt. Haec cuncta recitanda per omnes Africanas eclesias scripta dirigite et istis connectite, quas adiunximus litteras profectorum, unde[11] his quae inique laudantur, si quid tale probari[12] poterit, iuditium fiat, et inhibita[13] coerceantur[14], et praeterita mala et inlicita coniugia, si doceantur[15] admissa, digna severitate corripiantur. De cetero vero caveantur talia[16] per omnes eclesias, ne eclesia sancta[17] per nostram fatigata neglegentiam perdat privilegia que est per viros venerabiles consecuta.

[III. De hereticis qui arbitrantur de patre solo dictum esse, quia ipse solus habet inmortalitatem et lucem habet inaccessibilem.][18]

III. De his vero quibus ab insidiatoribus fatigamini, unde et nos consulere inter cetera voluistis, eo quod sint quidam qui arbitrantur de patre solo dictum esse, quia ipse solus habet inmortalitatem et luce habitat inaccessibili[19], ita eos apostolicis repercutite ferulis et divinis redarguite praeceptis. [20]Non enim solus pater in[21] filio lucem inaccessibilem habitat, quia ubi pater est, ibi etiam filium esse indubitabili[22] fide credendum est; nam si solus pater sine filio, quod dicere nefas est, lucem habitat inaccessibilem, necesse est ut sequestratam pater a filio habeat mansionem; quod si ita est, quonam[23] modo idem filius ad dexteram patris adstans[24] a beato martire Stephano dicitur conspici, si pater secundum eos[25] solus dicitur sedibus lucis[26] contineri? Absit[27] a sensu fidelium Christo in unitate fidei adhaerentium, quoniam sicut non obest filio cum solus pater dicitur lucem inaccessibilem habitare, ita non obest patri, cum sapientia, que est filius, gyrum caeli sola dicitur circuire; pater itaque, cum sit invisibilis et ingenitus[28], in filio visus[29] apostoli testimonio comprobatur, et[30] filio a se inenarrabiliter genito mansisse ac requievisse monstratur, ipso filio in propheta loquente: Qui genuit me, requievit in tabernaculo meo; et in evangelio: Pater in me manens facit opera haec, et: Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus filius qui est in sinu patris; si in sinu patris erat filius ab initio et ex corde patris verbum bonum eructuatum est, quomodo non[31] in corde paterno consistens lucem cum eodem inaccessibilem habitasse credendum[32] est? Nunquit pater absque ulla luce[33] in filio potuit commanere aut in tabernaculo filii sine eodem[34] potuit requiescere, cum idem filius candor sit eternae lucis et[35] speculum sine macula deitatis, quam Salomon super salutem suam dilexisse se

Nam fructus divinus — divina custodire, Innoc. I. ep. ad Ruf. et Geront. (H. no. 12).
Haec cuncta recitanda — venerabiles consecuta, Innoc. I. ep. ad Aurel. Carth. (no. 17).
c. III. De his vero quibus ab — non fieri alienum, Idacii Clari contra Varimad. lib. (p. 740).

[1] *Cet. codd.:* generabunt. [2] *Sg.* iudicate *pro:* potius quam. [3] *Sg. Bb. Dst.* suffragaverit. *Par.* 3852: suffragata fuerit. [4] *Sg.* discindere. [5] *Sg.* unitae. *Bb. Par.* 3852: unitatem. *Dst.* vanitati. [6] *Dst. Sg. add.* statuta. *Bb. add.* scripta. [7] *Sg. Dst.* eademque. [8] *Sg. Bb. Par.* 3852 *add.* ipsi. *Dst.* ipsa. [9] *Dst.* et ipsos. [10] *Sg.* qui. [11] *Sg. Dst.* prophetarum unde. *Par.* 3852: praefectorum ut de. [12] *Bb.* probare. [13] *Bb.* inhabita. [14] *Dst.* coherceantur. [15] *Sg. Dst.* coerceantur et *pro:* si doceantur. [16] *Dst.* alia. [17] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: ecclesiae sanctitas. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [19] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: lucem habitat inaccessibilem. [20] *Hic Bb. rubricam ponit:* De eo quod de patre dicitur apostolis, ipse solus lucem habitat inaccessibilem. *Par.* 3852 *in margine:* de fide. [21] *Bb.* (*qui antea legebat:* in) *Sg. Dst. Par.* 3852: sine. [22] *Sg.* indubitali. [23] *Sic Sg. Dst. Par.* 3852; *Mut.* quodam; *Bb.* quod nam. [24] *Sg. Dst.* stans. [25] *Bb.* ut. *Dst.* quod erit. *Deest in Par.* 3852. *Sg.* sed nec pater solus suis *pro:* si pater secundum eos solus. [26] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [27] *Codd. cit. et Par.* 3852 *addunt:* hoc. [28] *Dst. et Par.* 3852 *addunt:* in se. [29] *Bb.* visum. [30] *Sg. Dst. Par.* 3852 *addunt:* in. [31] *Deest in Sg. Dst.* [32] *Sg. Bb. Dst.* credendus. [33] *Sic cet. codd.; Mut.* ullam lucem. [34] *Sg.* eadem. [35] *Bb. addit:* in.

dicit, in cuius speciem[1] semper delectare[2] gestivit: super salutem et spetiem, inquid, dilexi illam, et pro luce proposui habere eam, quoniam inexstinguibile est lumen eius. Hanc igitur lucem David propheta desiderans anxius proclamat, dicens: Emitte lucem tuam et veritatem tuam, et iterum: In lumine tuo videbimus lumen. In[3] huius[4] igitur luminis claritate filius seipsum in monte tribus disciplulis praeostendit, qui metu mortis perterriti prostratique in faciem, sibi vitae finem adesse senserunt: hanc, inquam, lucem in se fuisse demonstrans filius proclamabat, et ut in eadem incederent, discipulos praemonebat: Dum lucem habetis, inquid, ambulate[5] in lucem[6], et iterum: Ego sum lux[7] mundi. Qui sequitur me non ambulat[8] in tenebris, sed habebit lumen vite aeterne. Et evangelista: Erat lux vera, que inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si hec lux, que credentibus committitur[9], in filio esse probatur et cum eterno eterna esse dicitur, quomodo a vobis inaccessibili luce patris[10] separatur? Si enim filius dei[11] deus verus et vita aeterna est, sine dubio in hac luce simul cum patre habitare credendum[12] est, quam nullus modo nostro[13] hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri. Sed dum[14] apparuerit, [15]illum videbit sicuti est, qui eius conspectibus dignus fuerit coaptari, et non sicut Moyses ceterique prophete per enigmata et figuram[16], sed ipsam veraciter in filium[17] secundum apostolum, contuebitur deitatis immaginem. Nam si uno[18] eundemque prophetae testimonio subsequentem[19] sereno mentis intuitu investigare[20], invenies filium non posse[21] ab hac luce patris penitus separari, quoniam cum solum filium dixerit in terra cum hominibus conversatum, patrem ab illo non[22] fieri alienum. Si testimonium enim hominum accipimus, testimonium dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei quod maius est, qui[23] testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium dei in se; qui non credit filio, mendacem facit eum, quia[24] non credit in testimonio[25] quod testificatus est deus[26] de filio suo[27]. Et hoc testimonium est, [28]vitam aeternam dedit nobis deus, et hec vita in filio eius[29]: qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium dei, non habet vitam. Haec scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam eternam habebitis, qui creditis in nomine filii dei. Et haec est fidutia quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius audit nos, et scimus quia audit nos quidquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita[30] peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem. Scimus quia omnis qui natus est ex deo non peccat, sed generatio dei conservat eum et malignus non tangit eum. Scimus quoniam[31] ex deo sumus et mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum deum et scimus[32] in vero filio eius. Hic est verus deus et vita aeterna. Haec, fratres, praedicate, haec omnibus nuntiate; vos vero invicem exhortamini, perfecti estote, semperque gaudete, pacem autem sectamini in[33] omnes, et deus pacis et dilectionis erit vobiscum; deo autem et patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen. Data IX[34] Kal. April. Valerio et Vetere vv. cc. conss.

Si testimonium enim — et vita aeterna, I Ioh. V. 9—20. *exhortamini—erit vobiscum*, II Cor. XIII. 11. *deo autem—saecula saeculorum*, Phil. IV. 20. *Nota consul.* desumta ex c. 1. vitae Evar. in libr. pontif.

1 *Sg. Dst.* specie. 2 *Sg. Dst. Par.* 3852: delectari. 3 *Deest in Sg.* 4 *Sg.* cuius. 5 *Dst.* ambulante. 6 *Sg.* luce. 7 *Sg. Par.* 3852 *add.* huius. 8 *Sg.* ambulabit. 9 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: promittitur. 10 *Dst. Par.* 3852 *add.* filius. 11 *Deest in Bb. Dst. Par.* 3852. 12 *Sg. Dst. Par.* 3852: credendus. 13 *Bb.* nostrum. *Sg. Dst. Par.* 3852: nostrum in. 14 *Sg. Dst.* cum. 15 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* tunc vere. 16 *Sg.* figuras. 17 *Sg. Bb. Dst. Par. cit.* filio. 18 *Codd. cit.* hunc. 19 *Sg.* subsequenter. *Par.* 3852. *Dst.* subsequente. 20 *Codd. cit. Bb. add.* volueris. 21 *Sg.* per se. 22 *Dst. addit:* ait. *Sg. add. al. m.* dixit. 23 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: quia. 24 *Bb.* qui. *Dst.* quoniam. 25 *Sg. om. verba:* dei in se qui — credit in testimonio. 26 *Om. Sg.* 27 *Om. Sg.* 28 *Sg. add.* et. *Dst. Par. cit. add.* quoniam. 29 *Sg. Dst. add.* est. 30 *Bb.* vitam. 31 *Sg. Bb. Dst.* quia. 32 *Codd. cit. et Par.* 3852: simus. 33 *Deest in Sg. Dst.* 34 *Bb.* VIII.

[CUIUS SUPRA: QUOD CHRISTUS SIT CAPUT ET SPONSUS ECCLESIE, ET SACERDOTES QUI EIUS VICE LEGATIONIS FUNGUNTUR SIMILITER SINT ECCLESIIS SUIS, ET QUALITER SACERDOTES SUAS ECCLESIAS ET ECCLESIAE EORUM EOS DEBEANT DILIGERE.][1]

[IV. Quod Christus sit caput et sponsus ecclesiae et sacerdotes qui eius vice legatione funguntur similiter sint aecclesiis suis.][2]

IV. EVARISTUS[3] urbis Rome episcopus omnibus per Aegyptum domino[4] conglutinatis fratribus in domino salutem.

Unum nos, fratres, sentire oportet et agere, ut sicut legimus in nobis unum cor et[5] anima esse probetur. Scimus namque, sicut et[6] a patribus accepimus, Christum esse caput, cuius in[7] membra sumus[8]. Ipse enim[9] sponsus, et eclesia sponsa, cuius filii nos sumus. Et ideo unum patrem habemus dominum in caelis. Sacerdotes vero vice Christi legatione funguntur in eclesia. Et sicut ei sua est coniuncta[10] eclesia, sic episcopis iunguntur ecclesiae, unusquisque[11] pro portione sua. Et sicut vir non debet neglegere uxorem suam, sed diligere et caste custodire et amare atque prudenter regere, sic episcopus[12] debet ecclesiam suam[13], quia illut fit carnaliter, istut spiritaliter; et sicut vir non debet adulterare[14], ita nec[15] episcopus eclesiam suam, id est, ut illam dimittat ad quam sacratus est, absque inevitabili necessitate aut apostolica vel regulari mutatione, et alteri[16] ambitus causa[17] coniungat. Ut uxor viro suo reconciliet[18], et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente eo matrimonio sotiet aut[19] eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius, sed iuxta apostolum aut viro suo debet reconciliari aut manere innupta: [20]ita eclesia non licet dimittere aut ab ea se[21] segregare episcopum suum, ut alterum vivente eo accipiat, sed aut ipsum habeat aut innupta maneat, id est, ne alterum episcopum vivente suo accipiat, vel fornicationis aut adulteri[22] crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se altero[23] episcopo coniunxerit[24] aut super se altero episcopo[25] adduxerit, aut esse fecerit vel desideraverit, per acerrimam penitentiam aut suo reconcilietur episcopo aut innupta permaneat. [26]Unde et dominus in evangelio loquitur dicens: Si quis viderit mulierem ad concupiscentiam[27], iam mechatus est eam in corde

c. IV. *Unum nos fratres — anima esse probatur*, Leon. M. ep. 9. pr. (1, 628).
Et ideo unum — in caelis, Matth. XXIII. 9.
id est ut illam dimittat — causa coniungat, sec. Ben. I. 329. aut conc. Par. a. 829. lib. I. c. 21. (= conc. Aquisgr. a. 836. C. I. c. 12).
Unde et dominus — in corde suo, Matth. V. 28.

[1] *Sec. Bb. Dst. Par.* 3852. *Deest inscr. in Mut. Sg.* epistola Evaristi papae ne episcopi de aliis ad alia loca transmigrent vel absque auctoritate apostolica degradentur sive depellantur. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA. In Dst. et Bb. rubrica capitis cum inscriptione epistolae coniuncta est. Numerum* IV. *Bb. in margine ponit, in Dst. deest.* [3] *Bb. antea legebat:* eucharistus; *quod alia manu s. XI. in* euaristus *correctum est.* [4] *Deest in Dst.* [5] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* una. [6] *Deest in Dst.* [7] *Bb. Dst. Par.* 3852: et. [8] *Sg. om. verba:* Christum — membra sumus. [9] *Dst. Par.* 3852 *addunt:* est. [10] *Codd. cit. Sg. Bb. addunt:* sponsa i. e. [11] *Codd. cit.* unicuique. [12] *Sg.* ita et episcopus debet *pro:* sic episcopus debet. [13] *Pro:* uxorem suam — ecclesiam suam *legit Bb.* uxorem suam, sed diligere et caste custodire et amare atque prudenter regere: ita et sacerdotes, *quae duo posteriora verba deleta et pro quibus manu alia s. XI. addita sunt:* [episcopus diligere et caste custodire et amare atque prudenter regere] aecclesiam suam: et velut uxor quae sub manu est viri, oboedire debet viro suo eumque amare et diligere, potius etiam aecclesiam episcopo suo in omnibus oboedire eumque amare et diligere ut animam suam debet. *Dst.* uxorem suam, sed diligere et caste custodire et amare, [*addita alia manu s. XII:*] sic episcopus diligere et caste custodire ecclesiam suam etc., *ut Bb. Par.* 3852: uxorem suam, sed diligere et caste custodire, sic episcopus et multo diligentius custodire et amare atque prudenter regere debet ecclesiam et velut etc., *ut Dst. et Bb. In margine:* ut sacerdos propriam ecclesiam relinquat. *Sg. post* ecclesiam suam *add.:* et velut uxor quae sub manu est viri oboedire debet viro suo eumque amare et diligere: potius etiam ecclesia episcopo suo in omnibus oboedire eumque amare et diligere ut animam suam debet. [14] *Codd. cit. addunt:* uxorem suam. [15] *Dst. in margine:* ne episcopus absque regulari mutatione ecclesiam dimittat aut dimittatur. [16] *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852 *addunt:* se. [17] *Sg.* habitum *pro:* ambitus causa. [18] Ut uxor — reconciliet *deest in Sg. Dst. In Par.* 3852, *ubi supra lineam additur* capitulum, *deletum est.* [19] *Dst.* ut. [20] *Dst. in margine:* de amore episcopis exhibendo. [21] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [22] *Codd. cit. et Par.* 3852: adulterii. [23] *Sg. Dst. Par.* alteri. [24] *Codd. cit. et Bb.* iunxerit. [25] *Codd. cit.* alterum episcopum. [26] *Haec omnia in Mut. desunt; textus desumtus ex Bb.* [27] *Par.* 3852: concupiscendum. *Dst.* concupiscendum eam.

suo. V. Episcopum vero oportet oportune et[2] importune[2] atque sine intermissione aecclesiam suam docere eamque prudenter regere et amare, ut a vitiis se abstineat et salutem consequi possit aeternam. Et illa cum tanta reverentia eius doctrinam debet suscipere eumque amare et diligere ut legatum dei et praeconem veritatis, quia testante[3] veritate: Quodcunque ligaverit super terram, erit ligatum et in caelo, et quodcunque solverit super terram, erit solutum et in caelis. VI. Nimis timenda est, fratres, haec sententia, et praevidendum vobis ne offendatis eos qui tantam a domino habent potestatem. Et ideo potius obaediendi, diligendi et summopere sunt venerandi, non detrahendi vel lacerandi aut eitiendi, sed portandi et[5] amandi, ipso dicente domino: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Ideo[6] haec[7] vobis et omnibus fidelibus scribimus, fratres, ut ab his vos caveatis et posteris vestris non malum, sed bonum exemplum relinquatis, quoniam iniuria episcoporum ad Christum pertinet, cuius vice funguntur[8]. VII. Audivimus et[10] quosdam a vobis infamatos et dilaceratos episcopos, a civitatibus propriis pulsos[11], quia alibi episcopi constitui non possunt, nisi in civitatibus non minimis, et alios in eis ipsis viventibus constitutos. Ideo haec vobis scribimus, ut sciatis hoc fieri non licere, sed proprios revocari et integerrime restitui debere, illos vero qui adulterina feditate sua[12] sponsas — quasi[13] uxores eorum praefixo tenore esse intellegimus — tenent, eici et[14] adulteros[15] atque infames fieri, eosque ab eclesiasticis honoribus arceri iubemus. [16]Si autem adversus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit et auctoritate huius sanctae sedis terminandum. VIII. Et, ne omnia nunc singillatim dicam[18], omne bonum, si ipsa per se in vobis fuerit caritas facere vos docebit, sicut econtrario eos qui a salute alieni sunt, omne malum facere, odium docet. Unde et vos autem[19] qui veri dei estis discipuli, abicite a cordibus vestris[20] discordias et aliorum[21] dissensiones, assumite autem[22] benignitatem, ac simplicitatem tota mente servate[23]. Scitote cuncti quod[24] supra omnes vos laborat[25] episcopus[26], ideo sicut ille pro vobis omnibus, ita et vos omnes pro eo summopere laborare debetis, [27]intantum ut si etiam necesse fuerit, animas vestras pro eo ponatis, sicut et ipse animam suam pro vobis, si necesse fuerit, ponere debet[28] ipso dicente salvatore: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; vos vero obaedite eis et vigilate pro eis, quia ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes.

[V. Episcopum oportere sine intermissione ecclesiam suam amare et docere.][1] [VI. Nimis timendum et praevidendum ne offendantur episcopi.][4] [VII. De infamatis episcopis et a civitatibus propriis pulsis.][9] [VIII. De caritate et odio.][17]

IX. Non est itaque a plebe aut vulgaribus hominibus arguendus vel accusandus episcopus, licet sit inordinatus, quia pro meritis subditorum disponitur a deo vita rectorum[30], exemplo David peccantis[31] ad comparationem principum qui ex merito

[IX. Quod non sit episcopus a plebe arguendus vel accusandus.][29]

c. V—VI. Episcopum vero oportet — cuius vice funguntur, Ben. III. 462. (Clement. ep. I. c. 4, Isid. sent. III. 39. no. 5. 6, Luc. X. 16, conc. Aquisgr. a. 836. c. III. c. 7, II Cor. V. 20). *quoniam iniuria etc.* Cf. Anacl. 3, 21, Luc. 2, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8, Dam. 19. (Greg. M. ep. ad Fel.). *c. VII. Audivimus et quosdam — constitutos* sec. Leon. M. ep. 93. c. 3. (1, 1071). Cf. Ben. II. 337, praef. 6. *sed proprios — restitui debere* sec. Syn. III. Symm. Cf. Sixt. II. pp., Euseb. 11, Syn. V. Symm., Ioh. I. pp. ep. 1.

Si autem adversus — sedis terminandum sec. Innoc. I. ep. ad Aurel. Carth. et conc. Carth. c. 1. (Op. Leon. M. ed. Ballerin. 3, 134). *c. VIII. Et ne omnia — odium docet*, Clem. ep. I. (c. 7. i. f.). *Unde et vos — et non gementes*, Ben. III. 462. (Clem. ep. I. c. 11. 15, Ioh. X. 11. Hebr. XIII. 17.) *c. IX. Non est itaque a plebe — praevaricantur*, Isid. sent. III. 39. no. 3. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 2 *Desunt in Par.* 3852. 3 *Sg. Dst.* attestante. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 5 *Deest* portandi et *in Sg. Dst.* 6 *Sg. Dst. addit:* et. 7 *Om. Sg.* 8 *Deest in Dst.* quoniam — funguntur. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit:* Non infamandum vel eitiendum episcopum aut alterum constituendum loco eius. *Numerus solus in Bb.* 10 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: enim. 11 *Sg.* propulsos *pro* propriis pulsos. 12 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: suas. 13 *Bb.* quasi et. *Sg. Dst. Par.* 3852: quas et. 14 *Sg. Dst.* ut. 15 *Dst.* adulterinos. 16 *Omnia haec in Mut. desunt; textus desumtus ex Bb.* 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 18 *Sg.* dicamus. 19 *Deest in Sg. Bb. Dst. Par.* 3852. 20 *Codd. cit. add.* ante omnia. 21 *Codd. cit.* animorum. 22 *Codd. cit. pro* assumite autem *leg.* ex quibus omne opus malum procedit et. 23 *Codd. cit. addunt:* veruntamen. 24 *Sg. Dst.* quia. 25 *Sg. Bb. Dst.* laboret. 26 *Codd. cit. et Par.* 3852 *addunt:* quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero et suum et singulorum et. 27 *Omnia haec in Mut. desunt. Textus desumtus ex Bb.* 28 *Sg.* ponere debeat animam suam *pro verbis:* animas vestras — ponere debet. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.; Bb.* IX. Quod episcopus non est accusandus a vulgo. 30 *Sg.* doctorum. 31 *Sic Sg. Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* peccanti.

plebis praevaricantur. Sacerdotes enim exquirere debent peccata populorum, et sagaci sollicitudine unumquemque probare, iuxta[1] testimonium domini ad Hieremiam dicentis: Probatorem, inquid, dedi te populo meo robustum, ut scies[2] et probabis viam eorum. Ideo ista dico, quia insidiator sepissime solet convertere in malum et in electis ponit maculam.

[X. De accusatoribus episcoporum sive sacerdotum.][3]

X. Unde si qui sunt vituperatores aut accusatores episcoporum vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos a iudicibus aeclesiae audiri, antequam eorum discutiatur aestimationis suspicio vel oppinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita[4], qua conscientia quove merito, si pro deo aut pro vana gloria aut inimicitia vel odio aut cupiditate ista sumpserint[5] necne. Haec omnia fideliter sunt perscrutanda et diligenter pertractanda. Nam sunt nonnulli qui praepositos suos perverse reprehendunt, si vel parum ipsi[6] molesti exstiterint. Idcirco recto oculo primates aecclesiarum utiliter providendum est[7], ne quisquam eorum innocens vexetur aut scandalizetur, intendentes sententiae domini quae ait: Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris, et reliqua.

[XI. Ut non quisquam praesumat aliquorum credere mala quam probare et ne praecipites simus umquam ad proferendam sententiam aut temere indiscussa queque iudicemus ante veram iustamque probationem.][8]

XI. Deus autem omnipotens, ut nos a praecipitante[9] sententiae prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomae noluit audita iudicare priusquam manifeste agnosceret quae dicebantur, unde ipse ait: Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere[10] compleverint, an non est ita ut sciam. Deus omnipotens, cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt, aetiam antequam fiant, non ob aliud haec et alia multa, quae hic prolixitatem vitantes non inseruimus, per se inquirere dignatus est, nisi ut nobis exemplum daret ne praecipites in discutiendis et iudicandis negotiis essemus, et ne mala quorumquam prius quisquam[11] praesumat[12] credere quam probare. Cuius exemplo monemur[13], ne ad proferendam sententiam umquam praecipites simus, aut temere indiligenterque indiscussa quaeque quoquomodo iudicemus, dicente veritatis voce: Nolite iudicare ut non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaveritis iudicabimini, et reliqua. Nam mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisquam unquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, ne praecipitando quiddam aliquis agat. Si enim dominus omnium Sodomorum mala, quorum[14] clamor ad caelum usque pervenerat, omnia sciens, prius[15] credere nec iudicare voluit quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans, quae audierat et[16] opere veraciter cognosceret: multo magis nos, humani et peccatores homines, quibus incognita sunt occulta iudicia dei, haec praecavere et nullum ante veram iustamque probationem iudicare aut damnare debemus, manifeste apostolo dicente Paulo qui ait: Tu quis es qui iudicas alienum servum? suo enim domino stabit aut cadit[17]; unde et per[18] prophetam[19] David dominus[20] loquitur dicens: Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum, loquentes in cervice veteri, quia neque

Sacerdotes enim — probabis viam eorum, Isid. l. c. III. 46. no. 2. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 36.
Ideo ista dico quia — ponit maculam, sec. Ecclesiastic. XI. 33.
c. X. Unde si qui sunt — sumpserint necne sec. Ben. III. 84. (III. 156. conc. Chalc. c. 21.) Cf. Steph. 13.
Si quis scandalizatur — profundum maris, Matth. XVIII. 6.
c. XI. Deus autem omnipotens — quoquomodo iudicemus, Greg. M. moral. in Iob. XIX. 25. no. 45. (I. 628.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 37.
Nolite iudicare — iudicabimini, Matth. VII. 1.
Nam mala audita — iudicare aut damnare debemus, Greg. l. c. aut conc. Aquisgr. l. c.
Tu quis es — aut cadit, Rom. XIV. 4.
Nolite exaltare — deo Iacob, Ps. LXXIV. 6—10.

1 *Bb.* iusta. 2 *Sg. Bb. Dst.* scias. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* de accusatoribus inquirendis. *Par.* 3852 *in margine:* quales sint accusatores episcoporum vel presbiterorum. *Dst.* vituperatores non audiendos. 4 *Deest* qua vita *in Sg. Dst.* 5 *Par.* 3852: praesumpserint. 6 *Sg.* illis. *Par.* 3852. *Dst.* ipsis. 7 *Sg. Bb.* praevideant. *Dst.* praevidendum est. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 9 *Sg. Dst.* praecipitantis. 10 *Deest in Sg.* 11 *Deest in Sg. Dst.* 12 *Dst. Sg.* praesumamus. 13 *Sic ceteri; Mut.* monemus. 14 *Om. Sg.* mala quorum. 15 *Sg. Dst. addit:* nec. 16 *Om. Sg. Dst.* 17 *Sg. Bb. Dst.* cadet. 18 *Dst.* ad *pro* et per. *Sg. om.* per. 19 *Sg.* propheta. 20 *Om. Sg.*

ab oriente, neque ab occidente, neque a solitudine montium, sed deus iudex hunc humiliabit et hunc exaltabit, quia calix in manu domini ex[1] vino meraco ad plenum mixtus[2] et propinabit ex eo, verumtamen feces eius potabunt viventes[3] omnes impii terrae. Ego autem annuntiabo in saeculum[4], psallam deo Iacob. Et alibi idem propheta ait: Ab increpatione tua, deus Iacob[5], consopitus est et currus et aequus. Tu terribilis es, et quis stabit adversum te? Ex tunc ira tua, de caelo auditum fecisti iudicium, terra timens et tacebit, cum surrexerit ad iudicandum deus, ut salvos faceret omnes mites terre. Et apostolus ait: Mihi vindictam, ego retribuam; et alibi idem inquid apostolus: Sufficit unicuique obiurgatio quae fit a plurimis, ita ut magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori[6] tristitia absorbeatur qui in angustia est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illo caritatem. Et dominus in evangelio ait: Diliges[7] dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et proximum tuum sicut teipsum. Dilectio enim proximi malum non operatur. Propter quod iuxta apostolum inexcusabilis es[8] homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum teipsum condempnas, eadem enim[9] agens[10] quae iudicas. Scimus enim quoniam iudicium dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies iudicium dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignorans[11] quoniam benignitas dei ad poenitentiam te adducit. Secundum duritiam autem tuam et inpenitens cor thesaurizas tibi iram in diae irae et revelationis iusti iudicii dei qui reddet unicuique secundum opera eius: his quidem[12] secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus, vitam aeternam; his autem qui ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, iudaei primum et Greci; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum. Et alibi idem apostolus[13]: Causati enim sumus omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Sepulchrum vero[14] patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum: quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio et infelicitas in viis eorum; in[15] viam pacis non cognoverunt[16], non est timor dei ante oculos eorum. Scimus autem[17] quoniam quaecunque lex loquitur his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata[18] est, testificata a lege et prophetis. Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi super omnes qui credunt. Non enim[19] est distinctio. Omnes enim peccaverunt et egent gloriam[20] dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem que est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum, in sustentatione dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus et iustificans eum qui ex

Ab increpatione — mites terre, Ps. LXXV. 7—10.
Mihi vindictam, ego retribuam, Rom. XII. 19.
Sufficit unicuique — in illo caritatem, II Cor. II. 6—8.
Diliges dominum — tuum sicut te ipsum, Luc. X. 27.
Dilectio enim — non operatur, Rom. XIII. 10.
Propter quod — iudaei primum et Greci, Rom. II. 1—10.
Causati enim sumus — qui ex fide est Iesu Christi, Rom. III. 9—26.

1 *Bb. et Dst.* et. 2 *Codd. cit. et Sg.* mixtum. 3 *Sg.* bibentes. 4 *Ceteri:* sempiternum. 5 *Deest in Bb. et Par.* 3852. 6 *Bb.* habundantiori. *Par.* 3852: abundatior de. 7 *Sg. Dst.* dilige. 8 *Sic Bb. Dst. Par.* 3852; *Mut.* es. 9 *Deest in Dst.* 10 *Sg. Bb.* agis. 11 *Dst. Bb.* ignoras. 12 *Sg. Dst. Par.* 3852 *addunt:* qui. 13 *Sg. Bb. Dst. addunt:* ait. 14 *Omittunt codd. cit. et Par.* 3852. 15 *Codd. cit.* et. 16 *Om. Sg. verba:* in viam — cognoverunt. 17 *Om. Sg.* 18 *Bb.* manifesta. 19 *Deest in Bb.* 20 *Ceteri:* gloria.

fide est Iesu Christi. Item idem: Quis accusabit adversus electos dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condempnet? Christus Iesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia[1] poterit nos separare a caritate dei quae est in Christo Iesu domino nostro. Debemus autem nos, ut idem ait apostolus firmiores et[2] imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere, unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum[3] ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit, set sicut scriptum est: Improperia[4] improperantium tibi ceciderunt super me. Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exortationem qua exortamur[5] ipsi a deo, quoniam, sicut habundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum habundat[6] consolatio nostra[7], sive autem tribulamur pro vestra exortatione et salute, sive exortamur pro vestra exhortatione quae[8] operatur[9] in[10] vobis[11] tolerantiam[12] earumdem passionum quas et nos patimur: et spes nostra firma est pro vobis, scientes quoniam, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Fidelis autem deus qui non patietur vos temptari super id quod potestis, sed faciat[13] cum temptatione etiam proventum ut possitis sustinere. Propter quod, karissimi, sectamini[14] caritatem et aemulamini meliora et spiritualia, et adiuvate vos invicem, ut deo semper in omnibus placere valeatis. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen. Data kal. Nov. Gallo et Bradua vv. cc. conss.[15]

[16]DECRETA ALEXANDRI[17]. INCIPIT[18] EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE AD UNIVERSOS ORTODOXOS UBIQUE CONSTITUTOS DIRECTA.[19]

DE SACERDOTIBUS NON VEXANDIS, NEC[20] SCRIPTIS AB EIS PER METUM AUT ALIQUAM FRAUDEM EXIGENDIS ET DE PASSIONE DOMINI IN CONSECRATIONE CORPORIS EIUS MISCENDA ET AQUA[21] CUM SALE POPULIS BENEDICENDI ET DE FIDE SANCTAE TRINITATIS.[22]

[I. Quid sit reicere mandatum dei et transgredi terminos antiquos patrum.][23]

I. Alexander episcopus omnibus orthodoxis per diversas provincias Christo domino famulantibus.

Cogitantibus nobis metum divini iudicii, fratres karissimi, et post vitam hanc

Quis accusabit adversus — in Christo Iesu domino nostro, Rom. VIII. 33—39.

Debemus autem nos — ceciderunt super me, Rom. XV. 1—3.

Benedictus deus et pater — sic eritis et consolationis, II Cor. I. 3—7.

Fidelis autem deus — spiritalia, I Cor. XIV. 1.

Propter quod — omnibus placere valeatis, cf. Clem. 31.

Deus autem — omnibus vobis, II Cor. XIII. 11.

Nota consularis sec. vit. Evar. c. 1. in libr. pontif.

c. I. Alexander episcopus — constituendis liberius delectari, Siric. ep. per divers. episc. dir. pr. (H. no. 5).

1 *Sg.* aliqua. 2 *Deest in Sg. Dst.* 3 *Sg. Bb. Dst.* bono. 4 *Dst.* in propria. 5 *Sg. add.* et. 6 *Sg. Bb. Dst.* habundant. 7 *Codd. cit.* consolationes *pro:* consolatio nostra. 8 *Sic codd. cit. et Par.* 3852; *Mut.* quas. 9 *Bb.* operantur. 10 *Deest in Bb.* 11 *Deest in Sg. Bb.* 12 *Sg.* tolerantia. 13 *Sg. Bb. Dst. Par.* 3852: faciet. 14 *Sg. add.* semper. 15 *Bb. et Par.* 3852 *addunt:* explicit. 16 *Omnia quae sequuntur ex Cod. Paris. Supplem. lat.* 840. *s. X. sumpsi, non, ut antea, ex Mutinensi.* 17 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 18 *Deest in Mut.* 19 ad universos — directa *deest in Mut.* 20 *Bb.* haec. 21 *Bb.* aquam. 22 *In Sg. haec inscriptio:* epistola sancti Alexandri papae quod non sint infames et criminosi ad accusationem sacrorum ordinum admittendi, et quae debeant super altare offerri et de virtute consecrati salis et aquae et de trinitatis unitate, exhortatioque de sacra scriptura valde necessaria. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.*

unumquemque prout gesserit recepturum, quid veniat in[1] querelam, tacere non licuit, sed nobis vobis[2] loqui necessitas imperavit, dicente propheta: Exalta ut[3] tuba vocem tuam[4], et cui omnium ecclesiarum cura commissa[5] est, si dissimulem, audiam, domino dicente, reiecistis mandatum dei, ut traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est reicere mandatum dei, quam privato consilio, iuditio humano novis rebus constituendis liberius delectari? Unde et alibi scriptum est: Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Terminos indubitanter transgreditur qui statuta patrum post [6][ponit atque confundit. II. Pervenit namque ad conscientiam apostolicae sedis, quod nonnulli[8] sunt[9] tam stolidi qui dominica praecepta et apostolorum eorumque successorum statuta minime observent, et eos de quibus dominus ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, non solum tangere minime dubitant, sed etiam persequi non formidant. Et licet nos persequantur, quia nec nos sine illis, nec illos sine nobis persequi possunt, quoniam illius sumus discipuli qui animas[10] pro fratribus praecepit ponere, tamen eis pericula et perditiones eorum non sumus ausi caelare, ne prophetica, quod absit, dampnemur sententia, quae ait:] Si adnuntiaveris iniquo iniquitatem suam, animam tuam liberabis[11]. Si autem non adnuntiaveris ei, sanguinem eius de manu tua requiram. III. Est etiam et hoc ad hanc sanctam perlatum sedem, quod pudet dicere, et non solum sacerdotali, sed etiam omni christiano nomini est inimicum, id est, quod nonnullos episcopos vel sacerdotes aut metu compellunt aut vi extorquent aut fraude decipiunt, aliquas confessionis[13] suae in alteram[14] partem[15] quam debeant, aut pro suarum non requisitione rerum, aut, quod deterius est, pro[16] alieni erroris secta[17] scripturas facere et propriis manibus roborare et coram populis recitare atque confiteri. Aliquos dicunt carceribus et ergastulis recludi, ut saltem his territi insidiis, devient sacerdotes domini et suis faveant voluptatibus. IV. Relatum insuper est ad huius sanctae et[19] apostolicae sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum et omnium negotia ecclesiarum ab ipso domino tradita sunt quasi ad caput, ipsoque[20] dicente principi apostolorum Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, quod quidam emuli Christi eiusque[21] sanctae ecclesiae insidiatores[22], sacerdotes dei ad iudices publicos accusare praesumant, cum magis apostolus christianorum causas ad ecclesias deferri et ibidem terminari praecipiat. Taliter praevaricantes praevaricaverunt[23] in dominum[24] suum, et non obediunt praeceptis eius, de quibus dominus per prophetam Osaee loquitur dicens: Quasi vaccae lascivientes declinaverunt et dilexerunt afferre ignominiam protectoribus[25] suis. Et idem: Vae eis quoniam recesserunt a me, vastabuntur[26] quia praevaricati sunt in me et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia et non

[II. De sacerdotibus non vexandis.][7]

[III. De scriptis non exigendis a sacerdotibus per metum aut aliquam fraudem.][12]

[IV. Non licere insidiatoribus ecclesiae sanctae Christi accusare sacerdotes ad iudices publicos.][18]

Ne transgrediaris — patres tui, Prov. XXII. 28.

c. II. Qui vos tangit — pupillam oculi mei, Zach. II. 8.

Et licet nos — persequi possunt, cf. Fel. II. pp. 18.

qui animas pro fratribus praecepit ponere, I Ioh. III. 16.

Si adnuntiaveris iniquo — de manu tua requiram, Ezech. III. 19. 18.

c. IV. sedis apicem, cui — tradita sunt quasi ad caput sec. Innoc. I. ep. ad Fel. Nucer. pr. (H. no. 9.) et ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7). Cf. Iul. 11.

cum magis apostolus — terminari praecipiat, Ben. III. 145. (c. 9. i. f. conc. III. Carth.). Cf. Anacl. 16, Marcellini 3.

Taliter praevaricantes — dominum suum, Ies. XXIV. 16.

Quasi vaccae — protectoribus suis, Os. IV. 16.

Vae eis quoniam — arcus dolosus, Os. VII. 13—16.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst.* ad. 2 *Mut.* nobis. *Om. Sg.* 3 *Mut. Bb.* exaltavit. 4 *Mut. Bb.* suam. 5 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 6 *Verba quae uncinis inclusi:* ponit — quae ait *desumsi ex Mutin.; pars enim folii cod. Par. Suppl. lat.* 840, *ubi erant, humore consumta est.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 8 *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut.* nullo. 9 *Codd. cit.* sint. 10 *Bb. addit:* nostras. 11 *Mut.* liberas. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* III. De violentia. 13 *Sg.* consensionis. 14 *Sg.* altera. 15 *Mut. Sg. Bb. Dst. om.* 16 *Deest in Sg. Dst.* 17 *Bb.* sectas. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 19 *Deest in Sg. Dst.* 20 *Mut.* ipso. *Bb.* ipso quoque. 21 *Dst.* et qui. 22 *Dst. addit:* sunt. 23 *Sg. Bb. Dst.* praevaricati sunt. 24 *Codd. cit.* deum. 25 *Sg. Dst.* protectionibus. 26 *Bb. et Mut.* vastabunt.

declinaverunt[1] ad[2] me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis, super triticum et vinum ruminabant et recesserunt a me. Ego erudivi et confortavi brachia eorum et in me cogitaverunt malitiam. Reversi sunt ut essent absque iugo, facti sunt quasi arcus dolosus. Abiciet[3] dominus, ait idem propheta, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus. V. De his enim clericis vel laicis qui episcopos vel reliquos sacerdotes prius tam ad primates eorum quam ad reliquos accusant iudices, quam auribus eorum[5] a quibus se lesos aestimant[6] inculcent, ut ab eis aut ius suum aut iustam recipiant[7] apologiam, item per eundem ait dominus prophetam: Audi, domus Israel, ausculta, domus regis, et adtendite, sacerdotes, quia vobiscum iudicium est, quoniam laqueus facti[8] estis speculationi[9] et rete expansum[10] super Thabor, victimasque declinastis in profundum. Et ego eruditor omnium vestrum. Et alibi: Omnes calefacti estis quasi clibanus[11], quia devoratis[12] iudices vestros. Ipsi enim[13] declinant victimas domini in profundum, qui eos devorant vel iniuste lacerant, quia[14] oculi domini dicuntur. [15]Nam si modo quisquam principis saecularis oculos laceraret aut amoveret, esset reus criminis maiestatis an non? Profecto aut morti[16] traderetur aut perpetua notaretur infamia. Si pro saeculi potestatibus talia ab[17] hominibus fiunt, quid pro his fieri putatis, de quibus dominus ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. [18]Procul dubio hii qui eos[19] persequuntur et admovere[20] nituntur iniuste contra apostolicam auctoritatem si a morte prohibentur, dicente domino: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; perpetua tamen notantur infamia et exilio digni[21] iudicantur[22] finitimo, de quibus a temporibus apostolorum et infra ista tenemus atque decreta habemus: eorum accusandi episcopos vel testificandi in eos vocem obstruimus, quos non humanis, sed divinis actibus mortuos esse scimus; de quibus dominus loquitur per eundem prophetam: Calumniam[23] patiens fractus[24] est iudicio, quoniam cepit ambire[25] post sordem, et ego quasi tinea Ephraim[26] languorem[27], et abiit Ephraim ad Asur et misit ad regem ultorem, et ipse non poterit sanare vos nec solvere[28] a vobis vinculum. Qui enim sacrilega persuasione persecuntur et lacerare nituntur episcopos vel eos qui recte domino sacrificant, indubitanter eum persecuntur et dilaniant cuius vice funguntur, unde ait dominus per Iohel prophetam: Numquid ultionem redditis mihi? Et si ulciscimini vos contra me, cito, velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. [29][Et per Amos prophetam dominus inquid: Quis sapiens, et intelleget ista, intellegens, et sciet[30] haec? Quia rectae viae domini, et iusti ambulabunt in eis, praevaricatores vero[31] corruent in eis. Et ipsa

[V. Quod dominus per Oseae prophetam dicat de clericis vel laicis qui episcopos prius vel reliquos sacerdotes accusant ad primates et ad reliquos iudices quam auribus eorum inculcent a quibus se lesos putant et recipiant iustam apologiam.][4]

Abiciet dominus — in nationibus, Os. IX. 17.
c. V. *Audi domus Israel — in profundum*, Os. V. 1. 2.
Omnes calefacti — iudices vestros, Os. VII. 7.
Nam si modo quisquam — notaretur infamia, cf. Anacl. 19.
Qui vos tangit — pupillam oculi mei, Zach. II. 8.
Nolo mortem — convertatur et vivat, Ezech. XXXIII. 11.
eorum accusandi — mortuos scimus, Ben. III. 322. aut c. 28. Angilr. (l. Visig. II. 4. 7.; cf. quoque Ben. III. 440). Cf. Steph. 13, Melc. 5, Pelag. II. pp. ep. 3.
Calumniam patiens — a vobis vinculum, Os. V. 11—13.
Numquid ultionem — caput vestrum, Iocl. III. 4.
Quis sapiens — corruent in eis, Os. XIV. 10.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst.* clamaverunt. 2 *Dst.* adversum. 3 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* eos. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 5 *Mut.* ad ipsos *pro:* auribus eorum. 6 *Mut. addit:* se ferant vel. 7 *Mut. add.* in defensionem. *Sg. Dst.* accipiant. 8 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 9 *Codd. cit.* speculationis. 10 *Mut. et Bb.* spansum. 11 *Sic sec. ceter. corr.* sidibanus. 12 *Sg. Bb. Dst.* devorastis. 13 *Deest in Bb.* 14 *Sg. Bb. Dst.* qui. 15 *Bb. ponit rubricam (sine numero)*: Qui iniuste lacerant sacerdotes. 16 *Mut. Bb.* merito. 17 *Deest in Bb. Sg.* 18 *In margine:* non accusandos episcopos. *Dst. in margine:* nota, infames persecutores episcoporum. 19 *Mut.* vos. 20 *Mut. Sg. Bb. Dst.* amovere. 21 *Deest in Sg.* 22 *Sg.* notantur; *alia m. post. additur:* non. 23 *Bb. Dst.* calumnia. 24 *Dst.* fructus. 25 *Mut. Sg. Dst.* abire. *Bb.* ibire. 26 *Codd. cit. add.* et quasi putredo domui Iuda, et vidit Ephraim. 27 *Codd. cit. add.* suum et Iudas vinculum suum. 28 *Dst. add.* vos. 29 *Pars folii codicis, ubi verba a me uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum ex Mut. restitui.* 30 *Bb.* sciat *pro:* et sciet. 31 *Bb. Dst. om.*

per se veritas ait: Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. His et aliis fulti quamplurimis dominicis praeceptis, vitantes hominum perditiones cum omnibus huius sanctae sedis, quam dominus caput totius aecclesiae constituit, membris talia fieri prohibemus, ne confundatur corpus[1] domini in aeternum. Nam et a praedecessoribus nostris inhibitum legimus, ut nemo contristet[2] doctores neque accusationem adversus eos suscipiat. Ipse namque apostolorum princeps in ordinatione beati Clementis populum instruens, ait:] Quicunque contristaverit doctorem veritatis peccat in Christum, et patrem omnium exacerbat deum, propter quod et vita carebit; et doctor gentium inquit: Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, sustentate illum in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tempteris, alter alterius honera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

[VI. Quod omnes sanctorum patrum persecutores vel dilaceratores infames sint et alieni fieri debeant a liminibus ecclesiae usque ad satisfactionem et quod non sit favendum eis nec loquendum quos episcopus ab ecclesia separat.][3]

VI. Has considerantes pietates et pericula vitantes animarum una cum omnibus domini sacerdotibus qui nobiscum in hanc sacram convenerunt urbem, et cum omnibus huius capitis membris, sicut a beatis apostolis et a reliquis sanctis patribus et a[4] successoribus eorum accepimus, statuentes decernimus, omnes qui sanctos patres persecuntur aut amovere vel dilacerare manifeste nituntur, infames esse et alienos a liminibus[5] ecclesiae usque ad satisfactionem fieri[6], quia sic odit eos deus qui adversus patres armantur ut patrum[7] invasores vel destructores; qui ideo infames efficiuntur, quia patres persequuntur. Quoniam si nec loqui eis licet, quibus doctores summi, quos episcopos vocamus, propter eorum scelera adversantur, quanto magis eis qui eos infestantur[8], nec consentiendum est nec loquendum, ne participes eorum inveniantur sceleribus; quia non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus rei sunt. [9]Unde et beatus princeps apostolorum Petrus in ordinatione sancti praedecessoris nostri Clementis instruens clerum et[10] populum ait: [11]Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare ut ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis et voluntati eius absque communicatione obsecundare[12], et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis aversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus praeest, et per hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei ecclesiam volunt; et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est, [13]et est multo nequior hostis hic, quam illi qui foris sunt et evidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum spetiem quae inimica sunt gerit, et ecclesiam dispergit ac vastat. VII. Similiter si huiusmodi personis quaedam scripturae quoquomodo per metum aut fraudem aut per vim extortae

[VII. Quod scripture extorte quoquo modo per metum aut fraudem vel per vim si fuerint scripte vel roborate quocumque ingenio non habeant praeiuditium vel calumpniam aut sequestrationem.][14]

Qui vos audit — me spernit, Luc. X. 16.

neque accusationem — suscipiat, Ben. III. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250). Cf. quoque Ben. II. 357.

Quicunque contristaverit — in Christum, Clement. ep. I. (c. 17.)

Si praeoccupatus — legem Christi, Gal. VI. 1. 2.

c. VI. quia sic odit — persequuntur, Procli ep. ad Domn. Antioch. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Steph. 13, Euseb. 5, Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. ep. 1.

quia non solum — facientibus rei sunt, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32). Cf. Anacl. 19, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

Si inimicus — dispergit ac vastat, Clement. ep. I. (c. 17. i. f. 18). Cf. Anacl. 39, Fab. 6.

c. VII. quaedam scripturae — pervenire censemus sec. I. Visig. II. 5. 9 tit.

[1] *Bb. Dst. Sg.* populus. [2] *Sg.* constringat. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [4] *Sg. Bb. Dst.* ac *pro:* et a. [5] *Mut. et Bb.* limitibus. [6] *Sg.* factionem, *quod correctum est al. manu in:* factionum *pro:* a liminibus — satisfactionem. [7] *Deest in Sg. Dst.* [8] *Mut. Sg. Dst.* infestant. [9] *Bb. hic rubricam (sine numero) ponit:* De non favendis ab episcopo reiectis. [10] *Mut.* iterum ad. [11] *Dst. in margine:* Quibus episcopus inimicus est communicet cum eis nec in locutione debemus. [12] *Sg. om. verba:* et voluntati — obsecundare. [13] *Bb. hic rubricam (sine numero) ponit:* De scriptis violenter extortis. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.; Dst. addit in margine:* de scriptis vi extortis; *eadem leguntur in marg. cod. Par. Supp. lat.* 840.

fuerint, vel ut se liberare possint[1], quocumque[2] ab eis conscriptae vel roboratae fuerint inienio, ad nullum eis praeiudicium[3] aut nocumentum pervenire[4] censemus, neque ullam eis infamiam vel calumniam aut a suis sequestrationem bonis unquam auctore domino et sanctis apostolis eorumque successoribus sustinere permittimus. Confessio vero in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante, qui ait: Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemia[5] et caetera quae sunt ad haec pertinentia. Nec tantum adtendenda sunt quae fiunt quantum quo animo fiant: quorum exempla, si omnia scribere coeperimus, ante dies quam exempla deficient. Unde et illud est quod dominus ad munera Abel respexit et non ad Cain, quia magis intendit ad offerentis animum quam ad ea quae offeruntur. Inde et dominus per prophetam inquit: Dominus scit cogitationes hominum. Et per[6] Oseae vatem[7] ait: In gutture tuo sit tuba quasi[8] aquila super domum domini, et reliqua. Et dominus in evangelio inquid: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum et clauso hostio ora patrem tuum. Omnis enim confessio quae fit ex necessitate fides[9] non est. Et apostolus ait: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit in[10] salutem. Amplius autem respicit deus ad cogitationes et spontaneas voluntates, quam ad actus qui per simplicitatem aut per necessitatem fiunt. Confessio vero[11] non extorqueri debet in talibus, sed potius sponte profiteri[12], pessimum est enim de suspitione aut extorta confessione quemquam iudicare, cum magis inspector cordis sit dominus quam operis, et potius requirit[13] cogitationes puras et voluntates bonas, quam labia mendacia. Unde et dominus per prophetam loquens ait: Populus iste[14] labiis me honorat, cor autem eorum [15][longe est a me. Peius malum ferre[16] non aestimo, quam christianos suis invidere sacerdotibus. Novit enim dominus qui sunt eius. Non potest autem humano condempnari examine, quem deus suo reservavit[17] iudicio. Si omnia namque in hoc saeculo vindicata essent, locum divina non haberent iudicia. VIII. Quod autem ad alios iudices prius non debeant, quam ad[19] sacerdotes vel actores[20] aecclesiae accusari[21], ita ut[22] a tempore apostolorum et infra observatum et definitum invenimus: si quis[23] erga aepiscopum vel actores[24] aecclesiae quamlibet querelam iustam habere crediderit, non prius primates superiores[25] aut alios adeat iudices quam ipsos a quibus se laesum aestimat, conveniat familiariter, non semel, sed saepissimae, ut ab eis aut suam iustitiam aut iustam[26] accipiat excusationem.] Si autem secus egerit, ab ipsis et ab aliis communione privetur tanquam apostolorum patrumque aliorum contemptores[27]; de quibus ait propheta: Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis.

[VIII. De accusatoribus episcoporum.] [18]

Ex corde enim — blasphemia, Matth. XV. 19. *Dominus scit — hominum*, Ps. XCIII. 11. *In gutture tuo — domum domini*, Os. VIII. 1. *Tu autem cum — patrem tuum*, Matth. VI. 6. *Corde enim — fit in salutem*, Rom. X. 10. *pessimum est — quemquam iudicare* sec. Ben. III. 259. 464. (Isid. syn. lib. II. no. 85). *Populus iste — longe est a me*, Ies. XXIX. 13. *Non potest autem — reservavit iudicio*, Isid. syn. lib. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (c. 51. ibid.). Cf. Eleuth. 5, Vict. 6, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 19.
Si omnia namque — non haberent iuditia, Ennod. ep. II. 19. (p. 65). Cf. Anacl. 6.
c. VIII. Quod autem ad alios — viri qui contradicunt vobis, Ben. add. III. 22. (c. 17. conc. V. Aurel.). Cf. Steph. 6, Fel. II. pp. 3.

1 *Bb. Dst.* possent. 2 *Mut. Dst. addunt:* modo. 3 *Mut. addit:* in damnationem. 4 *Bb. Dst.* provenire. 5 *Sg. Dst.* blasphemiae. 6 *Deest in Mut. Sg.* 7 *Deest in Bb. Sg.* 8 *Sic sec. Mut. Bb. Dst. corr.* quali. 9 *In Sg. al. manu post. correct. in:* fidelis. 10 *Sg. Dst.* ad. 11 *Mut. Dst.* enim. 12 *Sg. Bb.* proferri. 13 *Sg. Dst.* requirat. 14 *Sg. Bb.* hic. 15 *Pars folii, ubi verba a me uncinis inclusa erant scripta, humore consumta est. Textus restitutus ex Mutin.* 16 *Sg. Bb. Dst.* fore. 17 *Sg. Dst.* reservabit. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Bb. hic numerum, rubricam paullo antea ante verba ponit:* Non potest etc. *Par. suppl. lat.* 480. *Dst. in margine:* Querelam contra episcopum vel actorem [*et additur in Dst.*] aecclesiae. 19 *Sg. Bb. Dst. add.* se. 20 *Dst.* auctores. 21 *Dst.* accusare; *al. m. post. corr. in Sg. in* accusari. 22 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 23 *In Sg. m. post. additur:* se. 24 *Dst.* auctores. 25 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 26 *Sic corr.* iusta *sec. Bb. Dst.* iuste. *Om. Sg.* 27 *Mut. Sg. Bb.* contemptor.

[IX. De passione domini in consecratione corporis eius miscenda et aqua cum sale populis benedicenda.][1]

IX. In sacramentorum quoque oblationibus, quae inter missarum solemnia domino offeruntur, passio domini miscenda est, ut eius, cuius corpus et sanguis conficitur, passio celebretur[2], ita ut repulsis opinionibus superstitionum panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim, ut a patribus accepimus et ipsa ratio docet, in calice[3] domini aut vinum solum aut aqua sola offerri[4], sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere eius in sua[5] passione profluxisse legitur; ipsa vero veritas nos instruit calicem et panem in sacramento offerre, quando ait: Accepit Iesus panem et benedixit deditque discipulis suis dicens: Accepite[6] et manducate, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur[7]. Similiter postquam cenavit, accepit calicem, dedit discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes, quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. [8]Crimina enim atque peccata oblatis his domino sacrifitiis delentur, idcirco et passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, et saepius recitanda, atque haec domino offerenda, talibus hostiis delectabitur et placabitur dominus, et peccata dimittit[9] ingentia. Nihil enim in sacrifitiis maius esse potest quam corpus et sanguis Christi. Nec ulla oblatio hanc[10] potior est, sed haec omnes praecellit. Quae pura conscientia domino offerenda est et pura mente sumenda[11] atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est caeteris, ita potius excoli et venerari debet. [12]Aquam enim sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur ac purificentur[13], quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis[14] vitule aspersus[15] populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua[16] sale aspersa divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et, si sale asperso per Heliseum prophetam sterilitas aquae sanata est, quanto magis divinis precibus sacrata[17] sterilitatem rerum aufert humanarum et quoinquinatos sanctificat et purgat, et cetera[18] bona multiplicat, et insidias diaboli avertit, et a fantasmatis[19] versutiis hominem defendit! Nam si tactione[20] fimbriae vestimenti salvatoris salvatos infirmos non dubitamus, quanto magis virtute sacrorum eius verborum divinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis et anime humana percipit fragilitas! His ergo et aliis instructi documentis vota singulorum domini[21] sacerdotes repicite et virtutes[22] spiritus sancti divinis precibus per ministerium vobis divinitus conlatum[23] perficere certate. Elementa quoque, tam ea quae praediximus quam cetera divinis apta usibus et humanis necessaria infirmitatibus sacrate, infirmos curate[24], et cetera quae vobis pertinent diligenter perficite[25]; ipse enim salvator tribuendo nobis exemplum discipulis ait suis: In nomine meo demonia eicite, infirmos curate, aegros sanate, leprosos mundate, et cetera. Super infirmos etiam manus inponite, et bene habebunt.

[X. De fide sanctae trinitatis.][26]

X. Fidem quoque sanctae trinitatis sic docendam a patribus accepimus, vobis-

c. *IX*. *In sacramentorum — offerantur* sec. vit. Alex. c. 2. in libr. pontif.

Accepit Iesus — remissionem peccatorum, Matth. XXVI. 26—28.

Crimina enim — delentur, c. 1. conc. III. Bracar.

atque haec domino — hostiis delectabitur, Hebr. XIII. 16.

In nomine meo demonia — et bene habebunt, Marc. XVI. 17. 18.

c. *X*. *Fidem quoque sanctae — domino adiuvante pleniter potestis*, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 726).

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 2 *In margine cod.* nihil praeter panem et vinum, aquam mixtam ad altare offerendum; *quae etiam in Dst. inveniuntur, qui legit:* aqua mixtum *pro:* aquam mixtam. 3 *Dst.* calicem. 4 *Mut.* offerre. 5 *Deest in Mut.* 6 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Accipite. 7 *Deest in Sg. Dst.* quod pro vobis tradetur. 8 *In margine:* crimina oblatione delenda. *In marg. Dst.* crimina oblatione fundetur. 9 *Mut. Dst.* dimittet. 10 *Codd. cit. Sg. Bb.* hac. 11 *Sg.* consummanda. 12 *In margine:* aqua sancta spergenda. *Dst. in margine:* aqua spargendi. 13 *Om. Sg.* et purificentur. 14 *Mut. Sg. Bb. Dst.* fimus. 15 *Dst. addit:* sanguine. 16 *Dst.* ea que. *Sg. add.* quae. 17 *Sic corr.* secreta; *Mut. Bb.* sacratus. *Sg.* sacrata aqua sancta. *Dst.* sacrata aqua. 18 *Bb. addit:* multa. 19 *Bb.* fantasmatum. 20 *Bb.* actione. *Mut. Dst.* tactu. 21 *In Sg. al. manu post. additur:* vos. 22 *Sg.* virtute. *Dst.* in virtute. 23 *Dst.* collocatum. 24 *Sg. Dst.* sacrata et infirmos curant. 25 *Sg. Dst.* perficiunt. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit:* quod deus unus sit et trinus. *Bb.* X. de trinitate. *Par. Supp. lat.* 840 *in margine:* quod deus unus sit et trinitas.

que tradendam subditis destinamus. Isaias namque propheta ait: Vidi dominum Sabahot sedentem super thronum excelsum, et seraphin stabant in circuitu eius, sex ale uni et sex ale alteri, duabus velabant[1] faciem, duabus autem velabant pedes et duabus[2] volabant, et clamabant ad alterutrum dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabahot. Si trinitas non est, quare tertio sanctus dixerunt? aut si unitas non est, quare sub trina repetitione unum deum ac dominum intimarunt? Si trinitas non est, cur in Geneseos[3] dicitur: Dixit deus, fecit deus et benedixit deus? Si unitas[4] non est[5], quare tertio dixit: deus, et deos plurali numero non[6] commendavit? Si trinitas non est, quare in Exodo dictum est tertio: domine, domine, domine miserator et misericors? Si unitas non est, quare dum tertio: domino[7], diceret; [8][postea miserator[9] singulariter dicit, et non miseratores, ut plures ostenderet, intimavit? Si trinitas non est, cur Abraham ad ilicem Mambrae sedensque[10] occurrens, uno[11] Domine dixit, et non ut viderat tribus salutationis obsequium reddidit? Si trinitas non est, quia[12] cum Moysi deus Abraham et[13] deus Isaac et deus Iacob, tertio diceretur[14] unitatem ostendens: hoc mihi nomen est, dixit, et non[15], haec sunt nostra nomina, designavit? Si trinitas non est, quare David tertio dixit: Benedicat nos deus, deus noster, benedicat nos deus? Si unitas non est, quare cum deum tertio nominasset, benedicat dixit, et non benedicant adiunxit? Si trinitas non est, cur Esaias denuo dicit:] Dominus deus Sabaoth, deus Israel qui sedes super cherubim? Si unitas non est, cur[16] qui sedes dixit et non qui sedetis adstruxit[17]? Si trinitas non est, cur in Regnorum libro dicitur: Domine[18], deus omnipotens[19], deus Israel, sermones tui fideles sint[20]? Si unitas non est, quare tui dicitur et non vestri potius intimatur? Si trinitas non est, cur in psalmo quinquagesimo octavo[21] cantatur: Domine deus virtutum, deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes? Si unitas non est, quare intende posuit et non intendite, ut[22] praedicatus[22] est[22] intimavit? Si trinitas non est, quare[23] in Apocalipsi tertio dixit: Sanctus dominus deus omnipotens, qui est et qui erat? Si unitas non est, quare non qui sunt et qui erant pluraliter designatur? Si trinitas non est, quare in Deuteronomio dictum est[24]: Dominus deus tuus misericors est et audiet vocem tuam? Si unitas non est, quare audiet posuit, et non audient intimavit? Si trinitas non est, quare in Iesu Nave[25] dicitur libro: Dominus deus deorum[26]? Si unitas non est, quare est dixit, et non sunt, more locutionis, induxit? Si trinitas non est, quare Aelias orando[27]: Domine, domine deus Israel ostende, quia tu es deus meus dixit? Si unitas non est, quare ostende et non ostendite posuit[28]? Si trinitas non est, cur Mardocheus orando: Domine, domine, deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt dixit? Si unitas non est, quare in tua posuit et non in vestra signaverit[29]? Si trinitas non est, cur etiam Iudit[30] orando dixit[31]: Domine, domine, deus[32] omnium virtutum, respice in orationem meam? Si unitas non est, quare respice et non respicite designavit? Si trinitas non est, quare in Hieremia dicitur: Dominus deus vester, deus verax est[33]? Si unitas non est, quare verax est dixit

Vidi dominum Sabahot — communicatio sancti spiritus, cf. Bened. I. pp. ep.

[1] *Sic sec. Mut. Bb. Dst. corr.* valebant. *Om. Sg. verba:* duabus velabant faciem. [2] *Deest in Mut.* autem — duabus. [3] *Bb. Dst.* Genesi. [4] *Dst.* trinitas. [5] *Sg. om. verba:* cur in geneseos — benedixit deus? Si unitas non est. [6] *Addidi sec. Bb. Sg. Dst.* [7] *Codd. cit. et Mut.* domine. [8] *Quae uncinis inclusi verba in parte folii cod. humore consumta legebantur. Textum ex Mut. restitui.* [9] *Sg. Dst. add.* et misericors. [10] *Bb. Sg. Dst.* sedens vel. [11] *Codd. cit.* uni. [12] *Sg.* cum. *Dst.* cur. [13] *Sg. Dst. om.* [14] *Sg. Dst.* diceret cur. [15] *Bb.* dixi non. *Dst.* dixit non. [16] *Bb. Mut. Sg. Dst.* quare. [17] *Bb.* adiunxit. [18] *Sg. Dst.* dominus. [19] *Sg. add.* dominus. *Dst. add.* domine. [20] *Dst.* sunt. [21] *Sg. Bb.* LIX. no. [22] *Om. Sg. Dst.* [23] *Mut.* cur. [24] *Sg. om.* quare in Deuteronomio dictum est. [25] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [26] *Sg. Dst.* eorum est. [27] *Mut.* loquendo oratione. *Sg. Dst.* adorando. [28] Si unitas — non ostendite posuit *deest in Mut.* [29] *Sg.* significavit. *Dst.* significaverit. [30] *Sic corr. sec. Mut. Sg. Dst.* Iuda. [31] *Verba:* Domine, domine, deus omnipotens omnia in potestate — Iudit orando dixit *omisit Bb.* [32] *Sg. Dst. addit:* omnipotens. [33] *Deest in Mut. et Bb.; Sg. om. verba:* Si unitas non est, quare respice — deus verax est.

et non veraces potius intimavit? Si trinitas non est, quare in Apocalipsi scriptum est: Domine[1] deus et spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis quae oportet fieri cito? Si unitas non est, quare[2] cum patrem et filium et spiritum sanctum nominasset, misit dixit et non miserunt sub praetaxato trium personarum et nominum introduxit? Si trinitas non est, quare in Deuteronomio dicit[3]: Dominus deus vester hic[4] est[5]. Si unitas non est, quare hic est dixit, et non hii sunt plurali numero designavit? Si trinitas non est, quare in eodem dicitur libro: Dominus deus tuus, deus magnus et potens est? Si unitas non est, quare magnus et potens pluraliter non[6] nominatur[7]? Si trinitas non est, cur Tobi cum filium suum in Rages civitatem cum Raphael angelo mitteret, benedicens eos, ita dixisse docetur: Deus Abraham et deus Isaac et deus Iacob ipse impleat benedictionem suam in vobis? Si unitas non est, quare ipse impleat dixit, et non ipsi impleant intimavit? Postremo si trinitas non est, quare dominus discipulos suos in nomine patris et filii et spiritus sancti universos[8] gentes posuit[9] baptizare? Si unitas non est, quare in nomine dixit, et non in nominibus percipiendo[10] perdocuit? Si trinitas non est, quare Paulus apostolus ait: Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia? Si unitas non est, quare ex ipso posuit et non ex ipsis adstruxit[11]? Si enim certo certius volueritis unitatem trinitatis[12] agnoscere, a sepe dicto doctore gentium apostolo potestis[13] universa condiscere et sequi catholicam fidem, et horum respuere pravitatem. Gratia domini nostri Iesu Christi, inquit, et caritas dei et communicatio sancti spiritus ipsa[14] patris et filii et spiritus[15] gratia, et sic fidem sanctae trinitatis et intelligere et docere[16] domino adiuvante pleniter potestis.

Idcirco ergo, karissimi, fidei regulas iuxta huius epistolae finem posuimus, ut in eius confessione fideliter perseveremus et domino auxiliante bonam fidem[17] habere mereamur. Quicunque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus dei constituitur. Aut putatis quia inaniter scriptura dicit: Ad invidiam concupiscit spiritus qui abitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam, propter quod dicitur[18]: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi igitur estote deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Adpropinquate domino, et adpropinquabit vobis. Emundate[19] vobis manus, peccatores[20], et purificate corda, duplices[21] animo. Miseri estote et lugete et plorate, risus vester in luctum convertetur[22] et gaudium in merorem, humiliamini in conspectu domini, et exaltabit vos. Nolite detrahere [23][alterutrum, fratres mei, quia qui detrait fratri aut qui iudicat fratrem suum, detrait legi et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es[24] factor legis, sed iudex, unus enim est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum eruginavit, et erugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Tesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, qui fraudatus[25] est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures domini Sabaoth introivit. Epulati[26] estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra] in die occi-

Quicunque ergo voluerit — iudicas proximum, Iac. IV. 4—13.

Agite nunc divites — et non resistit vobis, Iac. V. 1—6.

[1] *Codd. cit. et Dst.* dominus. [2] *Mut.* cur. [3] *Bb. Dst.* dicitur. [4] *Sic sec. codd. cit. Sg. corr.* hoc. [5] *Codd. cit. addunt:* deus. [6] *Addidi* non. [7] *Mut.* pluraliter non nominatur. *Bb.* singulariter et non pluraliter nominantur. *Sg. Dst.* singulariter nominantur. [8] *Sg. Bb. Dst.* universas. [9] *Codd. cit.* disposuit. [10] *Pro* praecipiendo, *ut ceteri codd. legunt.* [11] *Bb.* astruxi. [12] *Mut.* unitatem, trinitatem. *Bb.* unitatis trinitatem. *Sg. Dst.* unitatem et trinitatem. [13] *Sg. Dst.* poteritis. [14] *Mut.* ipse et. *Sg.* ipsa est. *Bb.* ipse est. *Dst.* ipsa et. [15] *Codd. cit. addunt:* sancti. [16] *Mut. Bb.* dicere. *Sg. Dst.* discere. [17] *Sg. Bb. Dst.* bonum finem. [18] *Sg. Bb. Mut.* dicit. [19] *Mut. Sg.* Et mundate. [20] *Sg.* peccatoris. [21] *Sg.* vobis duplici. *Dst.* duplici. [22] *Mut. Bb. Dst.* convertatur. [23] *Pars folii cod., ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum ex Mut. restitui.* [24] *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* est. [25] *Dst.* quae fraudata. [26] *Sic sec. Sg. Bb. Dst.* Apusillati *corr.*

sionis. Adduxistis, [1] occidistis iustum, et non restitit vobis. Vae, fratres, his qui vos tribulant, vos vero quantum amplius tribulamini, tantum purgatiores atque beatiores effitiamini [2], si tamen ipsa tribulatio patienter fuerit supportata. Unde [3] ipsa veritas per se dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, et alibi: Beati eritis cum vos oderint homines et persecuti fuerint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum. Gaudete in illa die et exultate, quoniam merces vestra multa est [4] in celo. Data IX Kalend. Augusti, Traiano et Eliano vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA. DE CAUSIS ET GRAVATIONIBUS SACERDOTUM.[5]

[XI. De causis et gravationibus sacerdotum et quod boni a malis semper persequantur.] [6]

XI. Dilectissimis fratribus omnibus episcopis per diversas constitutis regiones Alexander episcopus.

Nulli, fratres, dubium est, quia boni a malis semper persecuntur [7] et tribulantur. Propter quod oportet nos humiliari sub potenti manu dei, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nam, sicut leo rugiens circuit quaerens quem devoret, sic diabolus non cessat circuire et querere quos ex fidelibus perdat, et maxime illos quos ardentiores in servitio salvatoris eique familiares [8] invenerit.

[XII. Qui sunt familiares salvatoris.] [9]

XII. Familiares [10] dico eos quos sibi sacrari et in ordine apostolatus constitui voluit. Ipsi enim pro populo interpellant et peccata populi comedunt [11], quia suis precibus et oblationibus ea delent atque consumunt. Qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus quibus clamant exaudiuntur. Multum enim, ut ait beatus apostolus Iacobus, valet deprecatio iusti assidua. Qui enim vos persequitur, ipsum cuius vice legatione fungimini persequitur quia sicut ipse filius dei mediator fuit dei et hominum, ita et vos eius vice in ecclesia estis constituti, ut inter deum et homines legatione fungamini [12].

[XIII. Quod a multis sit arguendus et a liminibus ecclesiae arcendus qui legationem episcoporum impedit.] [13]

XIII. Si quis autem legationem vestram impedit, non unius sed multorum profectum avertit. Et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est et bonorum societate arcendus [14]. Et quia dei causam impedit et statum conturbat ecclesiae, ideoque [15] ab eius liminibus [16] arceatur. Ab hominibus [17] quoque [18] talis est cavendus et non in communione fidelium usque ad satisfactionem recipiendus. Est enim statutum olim, ut qui statum conturbat ecclesiae, ab eius liminibus arceatur, ne [19] cum fidelibus communicet qui eorum bona avertit. Vos ergo, si dilectionem habueritis adinvicem et unanimes fueritis, facile tales superare poteritis.

[XIV. De episcopis qui sunt inter se discordes et canino dente se derodere conantur et de his qui se a collegio episcoporum et ab auxilio subtrahant.] [20]

XIV. Si vero, quod absit, discordes fueritis et canino dente vos derodere coeperitis, non solum eos non superabitis, sed et vobis ipsis nocebitis atque ab eis superabimini, et innocenter [21] forte peribitis. [22] Qui autem ex vestro collegio fuerit et ab auxilio

Vae fratres his qui vos usque ad finem. Cf. Clem. 52, Fel. I. pp. 6.

Beati qui persecutionem — propter iustitiam, Matth. V. 10.

Beati eritis — est in celo, Luc. VI. 22. 23.

Nota consul. des. ex c. 1. vit. Alex. in libr. pont.

c. XI. Propter quod oportet — eique familiares invenerit, I Petr. V. 6. 8.

c. XII. et peccata populi comedunt, Os. IV. 8.

Multum enim ut ait — assidua, Iac. V. 16.

c. XIII. Vos ergo si dilectionem — superare poteritis, cf. Vict. 7, Fel. II. pp. 11.

1 *Dst. Sg. (hic m. post.) add.* et. 2 *Sg. Bb. Dst.* efficiemini. 3 *Sg. Dst. add.* et. 4 *Mut. addit:* est; *quod manu alia s. XI. additur etiam in Bb.* 5 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Item epistola sancti Alexandri papae de persecutionibus aequanimiter tolerandis. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA, in quo invenitur haec epistolae inscriptio:* secunda epistola Alexandri papae. *Bb. et Dst. inscriptionem et capitis XI. rubricam coniungunt ita:* XI. Cuius supra de causis et gravationibus sacerdotum. 7 *Sg. Bb. Dst.* persecutionem patiuntur. 8 *Sg.* familiariores. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus in Bb. et in margine:* familiares domini. 10 *Sg.* Familiariores. 11 *Mut. Sg. Bb.* commendant. 12 *Mut.* fungimini. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* XIII. Quod ab aecclesia proitiendi sunt qui sacerdotibus non obtemperant. *Par.* 840 *et Dst. in margine:* (Nota *in Dst.*) excommunicandum qui perturbat (*D.* perturbant) sacerdotes. 14 *Mut. Bb. Dst.* carendus. *Sic quoque Sg., quod manu post. corr. in:* caritionis. 15 *Dst.* ideo. 16 *Mut. et Dst. addunt:* ecclesiae. 17 *Sg. Bb. Dst.* omnibus. 18 *Deest in Sg. Dst.* 19 *Sg.* nec. 20 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 21 *Sg. Dst.* innocentes. 22 *Par.* 840 *et Dst. in margine:* scismaticos appellat qui consacerdotibus non auxiliantur. *Bb. rubricam (sine numero) ponit:* Ut sacerdotes unanimes sint contra rebelles aecclesiae.

vestro se subtraxerit, magis scismaticus quam sacerdos esse probabitur. Ecce, inquit propheta, quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum solatio se subtrahunt, aut[1] quod deterius est, fratribus insidias praeparant aut laqueos ponunt. De his enim et eorum similibus dominus per Osee prophetam loquitur dicens: Propter vos lugebit terra et infirmabitur omnis qui habitat in ea[2] in bestia[3] agri et in volucre[4] caeli, sed et pisces maris congregabuntur; verumtamen unusquisque non iudicet, et[5] non arguatur vir, populus enim[6] tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti; et corrues hodie et corruet etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam; conticuit populus meus eo quod non habuerit scientiam; quia tu scientiam reppulisti, repellam te[7], ne sacerdotio fungaris mihi. Et[8] oblita es[9] legis dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego[10]. Secundum multitudinem eorum sic[11] peccaverunt mihi, gloriam eorum et[12] ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum. [13][Et erit sicut populus sic sacerdos, et visitabo super eum vias eius, et cogitationes eius reddam eis[14]. Et comedent et non saturabuntur. Fornicati sunt et non cessaverunt, quoniam dominum dereliquerunt in non custodiendo. Haec[15] cavete, fratres, et bona semper agere festinate, quia in hoc cognoscent omnes, dicit dominus, quoniam mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem. XV. Bonum est namque procul dubio et omnibus timentibus deum desiderabile, cohibere dissensiones et altercationes[17] fratribusque subvenire, et invicem non invidere, sed adiuvare. Nos ergo qui discipuli domini et dici et esse cupimus, portare crucem Christi et compati fratribus debemus, et non quascunque eis insidias aut foveas praeparare,] quia talionem meretur qui foveam fratribus[18] parat. Nolite ergo[19] errare, fratres, quia deus non irridetur. Huius rei gratia vobis dominus commisit ecclesiam suam, ut pro omnibus laboretis et cunctis oppressis opem ferre non neglegatis; unde[20] dominus per prophetam loquitur dicens: Haec dicit dominus: Iudicate mane iuditium et eruite vi oppressos de manu calumniantis, ne forte egrediatur quasi ignis indignatio mea, et succendatur et non sit qui exstinguat. Vos ergo[21] qui in summo speculo a domino constituti estis, adtendere eos et opprimere[22] oportet qui in fratres seditiones et scandala excitant, ne simul cum eis pereatis. Salutate omnes qui recte laborant in evangelio Christi et iuste gubernant navem eius ne cohabitantes in ea mergantur aut suffocentur. Salutat vos omnis apostolica ecclesia in domino. Amen. Data XVII[23] Kalend. Novembris Traiano et Heliano, vv. cc. conss.

[XV. De cohibendis dissensionibus et altercationibus et de opprimendis qui in fratres seditiones excitant.][16]

c. *XIV. Ecce inquit propheta — fratres in unum*, Ps. CXXXII. 1.
Propter vos lugebit — in non custodiendo, Os. IV. 3—10.
quoniam mei estis discipuli — habueritis adinvicem, Ioann. XIII. 35.
c. *XV. Bonum est namque — sed adiuvare* sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1031). Cf. Iul. 4.
Nos ergo qui — foveam fratribus parat, cf. Iul. 7.
Nolite ergo errare — non irridetur, Gal. VI. 7.
Huius rei gratia — ferre non neglegatis, cf. Eleuth. 6, ep. Athan. ad Lib., Ioh. I. pp. ep. 1.
Iudicate mane iuditium — qui exstinguat, Ier. XXI. 12.
Vos ergo qui — constituti estis, Coelest. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34). Cf. Clem. 56, Zeph. 9, Ant. 8, Fab. 11, Fel. II. pp. 10.
Salutate omnes — in domino Amen sec. Phil. IV. 21. 22.
Nota cons. des. ex c. 1. vit. Alex. in libr. pontif.

1 *Mut.* at. *Sg. Dst.* et. 2 *Sg. add.* in qua. *Dst. add.* ea. 3 *Sic corr. sec. Bb. Mut.* bestie, *quod est in cod. Par.* 840. *Dst. Sg.* 4 *Sg. Dst.* volucres. 5 *Sg. om.* 6 *Deest in Dst.* 7 *Sg. add.* et ego. 8 *Sg. Dst. add.* quia. 9 *Sic corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* est. 10 et ego *deest in Sg. Bb. Dst.* 11 *Sg.* qui. 12 *Mut.* ad. *Sg. Dst.* in. 13 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 14 *Bb. Sg. Dst.* ei. 15 *Deest in Bb.* 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus sol. in Bb.* 17 *Deest in Dst.* et altercationes. 18 *Dst.* patribus. 19 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 20 *Sg. Bb. Dst. add.* et. 21 *Deest in Dst.* 22 *Bb.* opprimeret. 23 *Mut.* XVIII. *Bb.* IX. *Dst.* XIX.

CUIUS SUPRA. UT VITENTUR DETRACTIONES ET INIUSTE PULSATIONES.[1]

[XVI. Quid gratia dei conferat: item de odio et dilectione.][2]

XVI. ALEXANDER episcopus omnibus divino sacerdotio fungentibus pax et misericordia multiplicetur et sapientia atque bona voluntas in omnibus augeatur et fructificetur in domino.

Gratia dei sumus, fratres karissimi, id quod sumus. Idcirco nobis providendum[3] est et oppido decertandum ne in ea vacui inveniamur, sed eadem nobis cooperante gratia fructum domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non potest, nisi sapientiam scrutando eiusque praecepta lectionibus et hymnis meditando, atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando, et voluntatem eius, in quantum ipse largitus fuerit, perficere studeamus. Nec eandem neglegendam[4] gratiam[5] nobis dominus dedit, sed fideliter exercendam tribuit. Dilectio enim sine simulatione in nobis esse et apparere debet, quia omnis qui odit fratrem suum homicida est. Qui vero diligit eum, in deo manet et deus in eo, unde et apostolus ait: Nolite iudicare, fratres, in invicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri[6] vel scandalum; et dominus inquit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne[7] facias; et alibi: In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem; et Salomon ait: Sacrificium salutare est adtendere mandatis et discedere ab omni iniquitate.

[XVII. Ut vitentur detracciones et iniustae pulsaciones.][8]

XVII. Summa enim iniquitas est fratres detrahere et accusare, unde scriptum est: Omnes qui detrahit fratrem suum[9] homicida est. Et omnis homicida non habet partem aut hereditatem in regno dei, et alibi: Cavete vos, fratres karissimi, ne participes efficiamini, quod absit, malis eorum, et non solum vos cavete a talibus, sed et alios cavere ab eis et avertere[10] docete, de his enim dominus ait per prophetam Micheam: Vae qui cogitatis[11] inutile et operamini malum: ecce ego cogito super familiam istam malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud, quoniam contra deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt, et calumniabantur virum et domum eius, virum et hereditatem eius. Idcirco haec dicit dominus[12]: Ecce ego cogito super familiam istam malum, unde non auferetis colla vestra, et non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. In die illa sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me cum revertatur, qui regiones vestras dividat? Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis[13] in cetu domini. Ne loquamini loquentes: Non[14] stillabit super istos[15], non comprehendet[16] confusio. Dicit dominus Iacob: Numquid adbreviatus est spiritus domini, aut tales sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui recte graditur? Et econtrario populus meus in adversarium consurrexit, de-

c. XVI. Alexander — fructificetur in domino sec. I Petr. I. 2.

Gratia dei — quod sumus, I Cor. XV. 10.

Nec eandem neglegendam — fideliter exercendam tribuit, I Timoth. IV. 14.

Dilectio enim sine simulatione, Rom. XII. 9.

quia omnis qui — homicida est, I Ioann. III. 15.

Quod tibi — ne facias, Tob. IV. 16.

In hoc cognoscent — adinvicem, Ioann. XIII. 35.

Sacrificium salutare — iniquitate sec. Ecclesiastic. XXXV. 5.

c. XVII. Omnis qui detrahit — homicida est, Ben. I. 40. (I Ioann. III. 15). Cf. Clem. 40, Anacl. 14.

non habet — in regno dei, Ephes. V. 5.

Vae qui cogitatis — convertistis in bellum, Mich. II. 1—8.

[1] *Deest in Mut. Sg.* Item epistola sancti Alexandri papae auctoritate prophetica detractiones et obloquia prohibens. *Dst.* Incipit decretalis epistola pape Alexandri ad universos divino sacerdotio fungentes episcopos, ne in gratia dei vacui inveniantur et quod detrahere summa sit iniquitas et quod sapiens non sit qui nocet. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui numerum omisit. Solus numerus in Bb.* [3] *Bb.* praevidendum. [4] *Dst.* neglegendo. [5] *Dst. add.* quam. [6] *Sg. Bb. Dst.* fratribus. [7] *Bb.* nec. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb. Desunt et rubrica et numerus in Dst.* [9] *Sg. Dst.* fratri suo. *Bb.* fratri. [10] *Deest in Mut.* et avertere. [11] *Dst.* cogitastis. [12] *Mut. Dst. add.* deus. [13] *Mut.* fortis. [14] *Dst.* Mons. [15] *Sg.* nos. *Bb. Dst.* iustos. [16] *Sg. add.* nos.

super tunicam pallium sustulistis[1] eos qui transiebant simpliciter, convertistis in bellum. Et econtra[2]: De his qui accusantur vel tribulantur per Naum prophetam confortans eos sic loquitur dominus: [3][Et confortans in die tribulationis et sciens sperantes in[4] se. Et in[5] diluvio praetereunte consummationem faciet loci eius et inimicos eius persequentur tenebrae. Quid cogitatis contra dominum? Confirmationem[6] ipse[7] faciet. Non consurget duplex tribulatio, quia sicut spinae se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium[8], consumentur[9] quasi stipula ariditate plena. Ex te exibit[10] cogitans contra dominum malitiam, mente pertractans praevaricationem. Haec dicit dominus: Si perfecti[11] fuerint et ita plures, sic quoque adtondentur et pertransibit. Afflixi te et non affligam te ultra. XVIII. Facile est, fratres, verbo fallere hominem, sed non deum. Sapiens non est qui nocet, nec vir linguosus in malum se diriget in terra], nihil vero mali vult, qui fidelis est. Malo enim et pravo ingenio fides aliena est, ait autem apostolus de infidelium ignorantia: Si enim cognovissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent. Crucifigunt enim dominum qui eum in sacerdotibus suis persecuntur: quia crux a cruciatu dicitur. Magnum vero cruciatum[13] sustinet qui compatitur[14]: sed tamen beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Ecce ait Iudas apostolus: Veniet dominus in millibus[15] suis facere iudicium et perdere omnes impios et arguere omnem carnem, de omnibus operibus impietatis[16] eorum. Haec, fratres, valde timenda sunt et perpendenda, ne veniens unusquisque ad iuditium poenam cum impiis recipiat, sed cum iustis gloriam. Quod pius dominus prestare dignetur, qui vivit et regnat per saecula cuncta. Data Kalend. Maii, Heliano et Vetere vv. cc. conss. [17]Expliciunt decreta Alexandri papae.

[XVIII. Quod facile sit hominem verbo fallere: item de pravo et malo ingenio et de cruciatu.][12]

DECRETA XISTI[18]. — INCIPIT EPISTOLA PRIMA SIXTI ROMANAE URBIS APOSTOLICI.[19]

I. Omnibus in deo patre et domino nostro Iesu Christo dilectis[21] fratribus in caritate domini nostri Iesu Christi Sixtus[22] Romanae urbis archiepiscopus salutem.

[I. Exortacio boni operis.][20]

Karissimi, fideliter agite in omnibus, ut fideles et non infideles inveniamini. Nolite imitari malum, sed quod bonum est agite, quia qui bene facit ex deo est, qui autem male, non ex deo, sed ex diabolo est. II. Fidem enim rectam vos tenere oportet, ut dissentientes ab apostolica non sitis doctrina. Unum enim verum deum

[II. De fide.][23]

Et confortans in — affligam te ultra, Nah. I. 7—12.
c. *XVIII. Facile est fratres — sed non deum*, Xysti Pyth. s. 176. Cf. Zeph. 9, Ant. 8, Corn. 6, Melc. 5.
Sapiens non est qui nocet, eiusd. s. 292. Cf. Corn. 6, Luc. 6, Melc. 5.
nec vir linguosus — diriget in terra, Ps. CXXXIX. 12.
nihil vero mali — fidelis est, Xysti Pyth. s. 203. Cf. Calist. 3, Pont. 6, Corn. 6, Melc. 5.
Malo enim et — aliena est, eiusd. s. 160.
ait autem apostolus — crucifixissent, c. 13. conc. II. Hisp. Cf. Fel. I. pp. 15.
tamen beati — propter iustitiam, Matth. V. 10.
Veniet dominus — inpietatis eorum, Iud. 15.
Quod pius dominus — per saecula cuncta, phrasis Augustini, cf. serm. 75. verb. evang. Matth. 22. no. 74. i. f. (5. app. p. 136).
Nota cons. desumt. ex c. 1. vit. Alex. in libr. pontif.
c. *I. Karissimi fideliter — inveniamini*, III Ioann. 5.
Nolite imitari — ex diabolo est, III Ioann. 11.
c. *II. Unum enim verum — filio a se genito visus esse monstratur*, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 728). Cf. Pelag. I. pp. ep.

1 *Sg. Dst. add.* et. 2 *Sg.* Et contra. *Dst.* e contra. 3 *Verba uncinis inclusa in parte folii humore consumta legebantur. Textum restitui ex Mut.* 4 *Om. Sg.* 5 *Om. Dst.* 6 *Sg. Bb. Dst.* consummationem. 7 *In Sg. manu post. add.* non. 8 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* potentium. 9 *Codd. cit.* consumetur. 10 *Dst.* ibit. 11 *Sg. Bb. Dst.* reperti. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 13 *Dst.* sacrum. 14 *Mut. Bb.* vim patitur. 15 *Sg.* nubibus. 16 *Dst.* de omnibus impietatibus. *Om. Sg.* impietatis. 17 *Desunt in Mut. Sg. Dst.* 18 *Desunt in reliq. Bb. addit in margine:* decreta Sixti papae quinta. 19 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola sancti Syxti papae de fidei veritate et accusationum prohibitione. *Dst.* Incipiunt decretalia pape Sixti de fide recta tenenda et quod infideles accusare non possint neque suspecti. 20 *Sec. Par.* 4280 *AA. Numerus solus in Bb. Dst. omisit et rubricam et numerum.* 21 *Dst. addit:* in Christo. 22 *Mut. Bb.* Syxtus. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus numerus in Bb.*

et[1] patrem et filium a[2] prophetis et[3] apostolis ostendimus praedicatum, a quibus etiam spiritum sanctum credimus non esse discretum, Isaia propheta[4] dicente: Ego sum deus et non[5] alius praeter me. Et per meipsum iuro, quia exivit[6] ex ore meo veritas; et sermo meus non avertitur[7], quia mihi inclinabitur omne genu[8] et omnis lingua vir autem[9] per dominum dicens: Iustitia et gloria ad eum veniet. Et ut[10] in hoc testimonio patrem simul et filium fuisse cognoscatis Paulum apostolum[11] audite dicentem: Ut in nomine[12], inquit, omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quoniam[13] dominus Iesus Christus in gloria est dei patris omnipotentis. Quod si secundum aliquos filius est[14] minorem[15] patre suo, ergo minorata est et gloria patris in filio. Et ubi est quod in Salomone scriptura loquitur dicens: Sicut etiam[16] in conspectu eorum, inquit, magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus, quoniam non est deus praeter te, domine? Diligenter adtende et agnosce filium esse qui magnificabitur in iudicio, dum venerit vivos et mortuos iudicare. Item Isaias: Audite domus Iacob, et residui domus Israel, qui egredimini ex utero et erudimini a puero usque ad senectutem. Ab initio ego sum et quousque senescamus[17] ego sum. Ego vos feci et ego sustineo, ego remittam, ego suscipiam, dicit dominus. Et iterum: Ego sum dominus[18] deus, praeter me non est alius deus[19], adnuntians novissima priusquam fiant, et statim consummata sunt[20]. Item alibi: Audi me, Iacob et Israel, quoniam[21] ego feci. Ego sum dominus deus tuus, et non est alius praeter me. Item alibi[22]: Ego sum dominus deus tuus[23] primus et ego novissimus et in ea quae superventura sunt in novissimo[24] ego sum. Item alibi[25]: Ego sum deus qui te creavi, qui te adiuvavi[26], et communivi dextera mea. Et unitatem patris et filii adsignans loquitur dicens: Ego testis vester[27], dicit dominus deus et puer meus tu[28] quem ego elegi, ut sciatis et credatis, quia ego sum et ante me non fuit alius deus et post me non erit. Unum hi qui non sane sapiunt, eligant e duobus aut[29] fateantur patrem et filium unum deum, aut si solum patrem deum esse contendunt, ergo illis[30] dominus Iesus Christus dei[31] filius non erit deus, quia scriptum est: Ante me non fuit[32] alius deus et post me non erit. Si secundum tales ita est, cur apostolus talia praedicat et eundem filium deum super omnes[33] benedictum insinuat. Quorum patres, inquit, ex quibus Christus secundum carnem qui est super omnia deus benedictus in saecula. [34][Item Isaias[35] ait[36]: Dominus deus Israhel qui liberavit eum de Aegypto. Ego sum primus et ego post haec et praeter me non est[37] deus, sicut ego sum qui stet et vocet et praeparet mihi, ex quo hominem feci in hoc saeculo. Item ibi: In te est deus et nesciebamus[38] et deus aeternus[39] non est alius deus[40] praeter te. Tu es enim deus et nesciebamus deus Israhel salvator. Unus deus nisi[41] sunt pater et filius, quis[42] est hic[43] deus, in quo esse[44] dicitur[45] quem alium deum non esse propheta saepenumero protestatur? Et Hieremias: Hic deus noster[46], ait, et non adplicabitur alter ad eum qui invenit omnem viam scientiam[47] et dedit eam Iacob puero suo et Israhel dilecto[48] suo. Post haec in terris visus est et inter homines conversatus est. Et in Salomone habetur:] Miserere nobis deus omnium et ostende

1 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 2 *Bb.* et. *Sg. Dst.* et ex. 3 *Sg. Dst. addit:* ex. 4 *Mut.* Isaiae prophetae. 5 *Bb. Dst. addunt:* est. 6 *Bb.* exibit. 7 *Sg.* revertetur. *Bb. Dst.* revertitur. 8 *Bb.* genus. 9 *Sg. Bb.* iurabit, *Dst.* confitebitur *pro:* vir autem. 10 *Deest in Mut.* 11 *Deest in Dst.* 12 *Sg. Bb. Dst. add.* Iesu. 13 *Sg. Bb. Mut. Dst.* quia. 14 *Deest in Mut. Sg.* 15 *Bb.* minor. *Sg.* minor est. *Dst.* maior. 16 *Mut. Dst. Bb.* enim. 17 *Mut. Sg. Bb. Dst.* senescatis. 18 *Deest in Sg. Dst.* 19 *Deest in Bb.* 20 *Mut.* e statim consumatis. 21 *Sg. Bb.* quem. 22 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* ibi. 23 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 24 *Mut.* novissimis. 25 *Sg. Bb. Dst.* ibi. 26 *Mut. Bb.* adiuvi. *Sg. Dst.* audivi. 27 *Sg.* verus. 28 *Deest in Mut. et Dst.* 29 *Mut.* ut. 30 *Dst.* illi. *Bb.* illis unus. 31 *Mut. Dst.* deus. 32 *Sg. Dst.* est. 33 *Sg. Bb. Dst.* omnia. 34 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 35 *Sg.* Esaias. 36 *Sg. Bb. Dst.* dicit. 37 *In Sg. manu post. additur:* alius. 38 *Bb. addit:* deus. 39 *Deest in Sg. Bb. Dst.* deus aeternus. 40 *Om. Sg. Dst.* 41 *Bb. Dst.* non. *Sg.* Si unus deus non *pro:* Unus deus nisi. 42 *Codd. cit.* qui. 43 *Deest in codd. cit.* 44 *Bb.* est. *Dst.* es. 45 *Codd. cit. Sg. addunt:* deus pater. 46 *Sg. add.* est. 47 *Sg. Dst. Bb.* scientiae. 48 *Sg. Dst.* electo.

nobis lumen miserationis, et inmitte timorem tuum super gentes, que non exquisierunt te, et cognoscant quia[1] non est alius deus nisi tu. Item alibi[2]: Domine deus Israel, non est tibi similis in caelo sursum, neque in terra deorsum. Et in psalmo septimo decimo: Quoniam quis deus praeter dominum aut quis deus praeter deum nostrum. Et in Geneseos[3]: Et pluit dominus a domino ignem et[4] sulphur super Sodomam et Gomorram et evertit civitates illas. Si solus pater deus est, quis pluit ignem et sulphur a[5] domino[5] supra praedictas civitates vel eas everteret[6]? Quaeso, responde. Et in Deuteronomio: Dominus solus deducebat eos et non fuit cum illis deus alienus. Et Paulus apostolus: Unus deus qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem; et ad Chorinthios: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; et iterum: Non est deus nisi unus; et ad Galathas: Mediator autem unius non est, deus autem unus est; et unitatem patris et filii et spiritus sancti demonstrans, Ephesiis scribens ita confirmat: Sufferentes invicem in[7] caritate, solliciti servare[8] unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus. Si enim non sane sapientes unitatem fidei voluerint[9] simplici corde recipere[10], ex hoc itaque testimonio in uno spiritu poterunt[11] simul patris et filii unitatem condiscere. Patrem igitur, ut superius conprehensum est, in divinis litteris genitum propriae positum nec[12] legere[12] possunt poenitus nec probare. Sed quia id ipsum fides exigit christiana absque ulla dubitatione ingenitus creditur, qui tamen secundum seriem scripturarum in filio a se genito visus[13] esse monstratur.

III. De cetero placuit propter malorum hominum infestationes, ut in accusatione domini ministrorum primo persona, fides, vita et conversatio[15] blasphemantium enucleatim[16] perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis precedere debet, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant, nec recte conversationis vitam ducunt: quoniam tales facile[17] indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes, ideo suspicio eorum discutienda est primum et corrigenda. Neque accusatoribus suspectis vel de inimicorum domo prodeuntibus est credendum. Erant enim quidam qui prius videbantur esse ex nobis, sed non erant ex nobis. Si vero[18] essent ex nobis, mansissent utique nobiscum et non conturbassent fratres. Exacuerunt enim, ut ait propheta, linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Quapropter hi respuendi sunt si incorrigibiles apparuerint, et vitandi ne domino decipiant famulantes. State ergo, dilectissimi, super vias aspitientes et interrogantes de semitis domini antiquis: et videte quae est via[19] bona et recta, et ambulate in eam[20] et invenietis requiem animabus vestris. Data XVI.[21] Kal. Maii sub Adriano et Vero.

[III. Quod enucleatim sit perscrutandum in accusatione domini ministrorum.][14]

c. III. De cetero — corrigenda, c. 3. Angilr. (Ben. I. 393, Xysti Pyth. s. 156. 5, Ben. I. 335). Cf. Iul. 12.
Neque accusatoribus — prodeuntibus est credendum, Ennod. apol. (p. 327.) aut Ben. add. III. 15. Cf. Marcelli 11, Iul. 12. (Symm. syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1).
Erant enim quidam — sub labiis eorum, Flaviani episc. Constant. ep. 1. ad Leon. M. c. 2. vers. recentioris (Leon. M. op. ed. Ballerin. 1, 752). Cf. Lib. 2, Anast. I. pp. ep. 1.
State ergo dilectissimi — requiem animabus vestris, Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182). Cf. Ant. 4, Lib. 2.
Nota consul. desumt. ex c. 1. vita Xysti in libr. pontif.

1 *Sg. Bb. Dst.* quoniam. 2 *Codd. cit.* ibi. 3 *Codd. cit.* Genesi. 4 *Deest in Bb.* 5 *Deest* a domino *in Dst.* 6 *Sg. Bb.* avertit. *Dst.* evertit. 7 *Deest in Mut.* 8 *Dst.* servate. 9 *Bb.* voluerit. 10 *Mut.* simpliciter recipere. *Sg.* simpliciter desipere. *Bb. Dst.* simpliciter decipere. 11 *Mut.* poterint. *Bb.* poterit. 12 *Mut.* neclere. 13 *Dst.* unus. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in cuius margine legitur:* Infidelis accusare non potest neque suspectus. *Bb.* III. de accusatoribus dei ministrorum. *Par.* 840 *in margine:* de accusatoribus. 15 *Sic Mut. Sg. Bb. Dst.* conversatio. *Par.* 840: conversatione. 16 *Codd. cit.* enucleatim. *Par.* 840: enucleatum. 17 *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* et. 18 *Mut.* autem. 19 *Mut. et Dst. add.* domini. 20 *Codd. cit. et Bb.* ea. 21 *Sg. Dst.* XVII.

ITEM[1] EPISTOLA[2] SIXTI[3] PAPAE UNIVERSIS ECCLESIIS DIRECTA.[4]

[IV. Quod in sancta apostolica sede definitum sit ut sacra vasa non ab aliis hominibus contrectentur quam a sacratis dominoque dicatis.][5]

IV. SIXTUS[6] universalis apostolicae ecclesiae episcopus[7] omnibus episcopis salutem in domino.

Cognoscat vestra sapientia, karissimi fratres, quia in hac sancta apostolica sede a nobis et reliquis episcopis ceterisque domini sacerdotibus statutum[8] est, ut sacra vasa non ab aliis quam a sacratis dominoque dicatis contrectentur hominibus. [9]Indignum enim[10] valde est ut sacra domini vasa, quaecunque sint[11], humanis usibus serviant, aut ab aliis quam a domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus praesumptionibus iratus dominus plagam imponat populo suo, et hi qui etiam non peccaverunt mala patiantur aut pereant, quia perit iustus sepissime pro impio. Adtendite, fratres, ne talia viris in ecclesiis permittatis deinceps fieri, ne grex precioso sanguine Christi redemptus in praecipitium, quod absit, ruat; propter quod adsumite armaturam dei, [12][ut possitis resistere his qui contradicunt veritati, et induite vos lorica[13] iustitiae, calciati[14] pedes in praeparatione evangelii pacis.

[V. Ut si quis episcopus pulsatus fuerit in aliqua adversitate licenter appellet apostolicam sedem et si non licuerit (*Dst.* necesse non fuerit) ei ad eam venire neque appellare, vocatus tamen venire non renuat.][15]

V. Si quis vero vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam et apostolicam appellet sedem et ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens dampnetur aut ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem necesse ei venire[16] eamque appellare minime fuerit[17], et vocatus[18] tamen ab hac sancta sede fuerit, non rennuat venire, sed confestim, ut ei nuntiatum fuerit, venire festinet, et causas pro quibus vocatus est prudenter disponat, atque si necesse[19] aliquid corrigere fuerit, cum his quos hic primos invenerit, corrigat; ad ecclesiam tamen suam non prius revertatur quam hinc litteris apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus, si[20] fuerit unde. Et[21] postquam domi reversus fuerit, cognoscant vicini sui qualiter huc[22] suam aliorumque causam finierit, quatenus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare et praedicare omnibus possit.] Ab hac enim sancta sede, a sanctis apostolis tueri, defendi et liberari episcopi iussi sunt, ut sicut eorum dispositione ordinante domino primitus sunt[23] constituti, sic huius sanctae sedis, cuius dispositioni eorum causas et iudicia servaverunt[24], protectione futuris temporibus sint ab omnibus perversitatibus semper liberi. Unde culpantur hi[25], qui aliter[26] circa fratres egerint, quam huius sedis rectoribus placere cognoverint.

[VI. Ut nemo pontificum aliquem suis rebus expoliatum episcopum aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat.][27]

VI. His taliter consideratis atque cum reliquis episcopis decretis[28] tanquam omnium

c. IV. Cognoscat — dicatis tractentur viris sec. vit. Xysti c. 2. in libr. pontif.
quia perit iustus — pro impio, Ben. II. 370. (I Petr. III. 18). Cf. Anacl. 19, Greg. M. ad Fel.
Adtendite fratres — ruat, Martin. I. pp. ep. encycl. (Mansi 10, 1178). Cf. Lib. 2.
propter quod adsumite — evangelii pacis, ep. cit. (l. c. 1182). Cf. Lib. 2.
c. V. et ad eam quasi ad caput, Innoc. I. ep. ad Fel. Nuc. pr. (H. no. 9). Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
cuius dispositioni — iudicia servaverunt sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7). Cf. Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
Unde culpantur — placere cognoverint, cf. Sixt. II. pp. 2, Vict. 6, Iul. 12.
c. VI. His taliter consideratis — curam gerentes, Cass. hist. trip. IV. 15.

1 *Bb.* Incipit. 2 *Bb. addit:* secunda. 3 *Bb.* Syxti. 4 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* epistola Syxti papae de reverentia vasorum sacri ministerii et si quis episcopus accusatus fuerit, ut sedem apostolicam appellet. *Dst.* Cuius supra de appellanda licenter sede apostolica et ad eam pulsatus quasi ad caput habeat suffugium. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus numerus in Bb.* 6 *Bb.* Syxtus. 7 *Deest in Mut.* 8 *Mut.* testatum. 9 *In margine cod.* ut sacra vasa non nisi a sacerdotibus constringantur. *Dst. hic rubricam (sine numero) ponit:* qui sacra vasa detractent. 10 *Deest in Mut.* 11 *Sg.* sunt. 12 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 13 *Sg.* loricam. 14 *Bb.* caltiate. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit numerum. Bb.* V. de appellationibus. *Par.* 840 *in margine:* privilegium sedis apostolicae. 16 *Dst.* evenerit. 17 *Sg.* minime licitum fuerit. *Dst.* voluerit *pro:* minime fuerit. 18 *Sg.* evocatus *pro:* et vocatus. 19 *Sg. Bb. addit:* ei. 20 *Deest in Dst.* 21 *Dst.* ut *pro:* unde et. *Bb.* unde ut. 22 *Sg. Dst.* hic. 23 *Deest in Mut.* 24 *Sg.* servaverint. 25 *Sg. Dst.* omnes. 26 *Bb.* qualiter *pro:* qui aliter. 27 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit in margine:* ne suis privatus iudicetur episcopus. 28 *Sg.* discretis.

curam gerentes, propter sedis propriae apicem[1] decernimus, ut nemo pontificum aliquem suis rebus exspoliatum episcopum aut a[2] sede pulsum excommunicare aut iudicare[3] praesumat, quia non est privilegium quo exspoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter agere[4] praesumpserit, sciat censuram huius sedis cum omnibus membris suis non sibi deesse venturam, et[5] sicut egerit, ita recipiet. Si bene bene, si grave grave, si pessime pessime, quoniam dignus est operarius mercede sua. Nos, fratres, nullum perdere volumus, sed ipse perdit se qui pia[6] considerata avertit et qui apostolorum et huius sanctae sedis decreta libenter violat. Sed[7] nunc, fratres, commendamus omnes vos domino et verbo gratiae eius, qui potest perficere et dare hereditatem[8] cum omnibus sanctis; ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum[9] sapere[10] in alterutrum, ut vobis invicem succurratis et non sitis divisi, ut unanimes uno ore et uno corde honorificemus eum[11] in concordiam et consolationem[12] fratrum, qui potens est[13] confirmare nos secundum evangelium eius, iuxta revelationem misterii aeterni, temporibus scilicet perpetuis[14], quibus vos[15] futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Data IX. Kal. Aprilis Adriano et Vero. cc. conss.

DECRETA[16] TELESPHORI[16]. INCIPIT EPISTOLA TELESPHORI PAPAE.

DE IEIUNIO SEPTEM EBDOMARUM[17] ANTE PASCHA ET DE MISSARUM CELEBRATIONE IN NOCTE SANCTA NATALIS DOMINI ET QUO TEMPORE ALIIS DIEBUS MISSE CAELEBRENTUR ET DE EPISCOPORUM DEFENSIONE.[18]

I. Carissimis fratribus et dilectissimis episcopis TELESFORUS[20] Romane urbis archiepiscopus[21] salutem in domino. [I. De ieiunio VII ebdomerum ante pascha.][19]

Credimus sanctam fidem vestram in apostolorum eruditione fundatam hanc tenere et hanc populis universis exponere, quia[22] videlicet a constitutis apostolorum eorumque successorum nulla ratione dissentit[23], per quos iustum est ceteros erudiri[24]. Quapropter cognoscite a nobis et a[25] cunctis episcopis in hanc sanctam et apostolicam sedem[26] congregatis statutum esse, ut septem ebdomadas plenas ante sanctum pascha omnes clerici in sorte[27] domini vocati a carne ieiunent; quia sicut discreta debet esse vita clericorum a laicorum conversatione, ita et in[28] ieiunio debet fieri

ut nemo pontificem — iudicare praesumat, Ben. III. 153. Cf. Sixt. II. pp. 6, Iul. 12. (Praef. 6, Steph. 6, Fel. II. pp. 12. IV.).
quia non est privilegium — iam nudatus, Ennod. lib. apol. (p. 337.) aut Ben. add. III. 8. Cf. Sixt. II. pp. 6, Euseb. 12, Iul. 12, Syn. V. Symm., Ioh. I. ep. 1.
Nos fratres nullum perdere volumus, Coelest. I. ep. ad Vener. pr. (H. no. 33). Cf. Melc. 1.
Sed nunc fratres commendamus — sunt munera, Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182). Cf. Lib. 2, Dam. 23.
Nota consul. desumta ex Xysti vit. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Credimus sanctam fidem — est ceteros erudiri, Cass. hist. trip. V. 29.
Quapropter cognoscite — vocati a carne ieiunent, Telesf. vit. c. 2. in libr. pontif.

1 *Sg. Bb. Dst.* pacem. 2 *Deest in Bb.* 3 *Sg. Bb. Dst.* diiudicare. 4 *Dst.* dicere; *sic quoque Sg., ubi manu post.* dicere *correct. in* facere. 5 *Sg.* ut. 6 *Sg. Dst.* pie. 7 *Bb. Mut. Sg. Dst. addunt:* et. 8 *Sg. Bb. Dst. add.* vobis. 9 *Deest in Mut. et Dst.* 10 *Deest in codd. cit. et Bb.* 11 *Sg.* deum. 12 *Mut. Sg. Dst.* concordia et consolatione. 13 *Dst.* potest. 14 *Bb.* temporis scil. perpetuus. 15 *Sg. Bb. Dst.* vobis. 16 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 17 *Bb.* ebdomadarum. 18 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Telesphori papae quod clerici VII ebdomadas ante pascha a carnibus abstinere debeant et ut in nocte natali domini missa celebretur et quando ymnus angelicus dici debeat utque hora tertia semper missae fiant et quales personae ad accusationem sunt admittendae. *Dst.* Incipit decretalis epistola Telesfori papae: de ieiunio septem ebdomadarum ante pascha et de celebratione missarum hora tertia quando dominus crucifixus est et spiritus sanctus super apostolos descendit et ut hymnus angelicus ab episcopis pro tempore et loco in missarum solemniis recitetur ac sine strepitu concertantium custodiatur et veritas defendatur et de episcoporum defensione. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 20 *Mut.* Telesforis. *Dst.* Taleforus. 21 *Dst.* episcopus. 22 *Sg.* qui. *Bb. Dst.* quae. 23 *Sg.* dissentiunt. 24 *Om. Mut.* nulla — erudiri. 25 *Om. Sg.* 26 *Dst.* in hac sancta et apostolica sede. 27 *Dst.* sortem. 28 *Deest in Bb.*

discretio, et sicut laici et seculares homines nolunt eos recipere in accusationibus et infamationibus suis, ita nec clerici debent eos recipere [1] in impulsationibus suis; quoniam in omnibus discreta debet semper esse et segregata vita et conversatio clericorum a [2] secularium laicorum. Et sicut hi amplius sunt adplicati divinis cultibus et familiares domini dicuntur salvatoris, ita moribus et conversatione atque sanctitate debent esse distincti. Has ergo septem ebdomadas omnes clerici a carne et deliciis ieiunent, et hymnis et vigiliis atque orationibus domino inherere die noctuque studeant. II. Nocte vero sancta nativitatis domini salvatoris missas celebrent et hymnum angelicum in eis solempniter decantent, quoniam et in eadem [4] nocte ab angelo pastoribus est nuntiatus, sicut ipsa veritas testatur dicens: Pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos et timuerunt timore magno, et dixit illis angelus: Nolite timere, ecce enim evangelizo vobis [5] [gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio; et subito factus [6] est cum angelo [7] multitudo militiae caelestis, laudantium dominum et dicentium: Gloria in altissimis deo, et in terra pax [8] hominibus bone voluntatis. [9] Ceterum considerat impius iustum et quaerit ut occidat eum. Dominus non derelinquet [10] eum in manus eius, et non condempnabit [11] eum cum iudicabitur illi. Exspecta dominum et custodi viam eius, et exaltabit te ut [12] possideas terram, cum interibunt impii, videbitis [13]. Vidi impium robustum et fortissimum, sicut indigenam virentem, et transivi et ecce non erat, et quaesivi eum et non est inventus. Custodi simplicitatem et vide rectum, quia erit in extremum viro pax; praevaricatores autem interibunt pariter, et novissimum impiorum peribit.] Salus autem iustorum a domino, fortitudo eorum in tempore tribulationis, et auxiliabitur eis dominus et salvabit eos, [14] eripiet eos ab impiis et salvabit eos, quia speraverunt [15] in eum; et alibi: Quid gloriaris in malitia potens? Misericordia dei tota die [16]. Insidias cogitavit lingua tua quasi novacula acuta faciens dolum. Dilexisti malitiam magis quam bonum [17], mendatium magis quam loqui iustitiam. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa, sed deus destruet te in sempiternum, terrebit et evellet te de tabernaculo et eradicabit [18] te de terra viventium, et videbunt iusti et timebunt et super eum ridebunt. Ecce vir qui non posuit deum [19] fortitudinem suam, sed speravit in multitudine divitie sue [20], confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens in domo dei, speravi in misericordia dei, in saeculum et in eternum. Confitebor tibi in saeculum, quoniam fecisti et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum [21] in conspectu misericordiarum tuarum [22]. [23] Reliquis enim [24] temporibus missarum caelebrationes ante horam

[II. De missarum celebratione in nocte sancta natalis domini et quo tempore aliis diebus missae celebrandae sunt.] [3]

et sicut et laici — impulsationibus suis, Ben. III. 211. (cf. Fab. 13, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3, Iul. 19).

c. *II. Nocte vero sancta — solempniter decantent*, Telesf. vit. l. c.

Pastores erant in regione — hominibus bone voluntatis, Luc. II. 8—14.

Caeterum considerat impius — speraverunt in eum, Ps. XXXVI. 32—40.

Quid gloriaris in malitia — misericordiarum tuarum, Ps. LI. 3—11.

Reliquis enim — et dominus crucifixus, Telesf. vit. l. c.

[1] *Verba:* in accusationibus — recipere *desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* [2] *Mut.* ac. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [4] *Bb.* et eadem. *Sg. Dst.* eadem *pro:* et in eadem. [5] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* [6] *Sg. Bb. Dst.* facta. [7] *Dst.* angelis. [8] *Dst. addit:* in. [9] *Verba:* Ceterum considerat *etc. usque ad* in conspectu misericordiarum tuarum (*in fine cap.*) *Sg. Dst. hic omiserunt posueruntque post verba:* mereamini vestro salvatori (*cap. IV.*). *Varias lectiones hic adposui.* [10] *Bb.* derelinquit. [11] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* condemnabitur. [12] *Dst. addit:* hereditate. [13] *Bb.* videbunt. *Sg. Dst.* videbis. [14] *Mut. Sg. Dst. add.* et. [15] *Mut.* separaverunt. [16] *Deest in Bb.* misericordia — die, *in Dst.* potens — dei. [17] *Sg. Bb. Dst.* super benignitatem *pro:* magis quam bonum. [18] *Mut.* radicabit. [19] *Bb.* deo. [20] *Sg. Bb. Dst.* divitiarum suarum. [21] *Mut. addit:* est. [22] *Mut. Sg.* misericordium tuorum. [23] *Par.* 840 *in margine:* item de episcopis non arguendum aut accusandum a populo et de tempore missae. *Dst. in margine:* de tempore missae et ut sacerdotes non infestentur. [24] *Sg.* autem. *Dst.* vero.

diei tertiam minime sunt caelebrandae, quia eadem hora et dominus crucifixus et super apostolos spiritus sanctus descendisse legitur. III. Ab episcopis autem idem angelicus hymnus pro tempore et loco[2] in missarum solemniis celebrandus est atque solempniter[3] recitandus. [III. De angelico imno: gloria in excelsis deo, et de episcopis non arguendis a populo.][1]

Ipsi enim qui proprio ore corpus domini conficiunt, ab omnibus sunt obediendi et timendi, et non dilacerandi aut detrahendi[4], quia a[5] quibus se domini populus benedici[6], salvari et instrui cupit, nullatenus eos debet arguere, nec vulgus in eorum accusatione suscipi. [7]Populus enim ab eis docendus est et corripiendus, non ipsi ab eo, quia non est discipulus super magistrum. [8]Nullo modo igitur domini pontifices et reliqui sacerdotes quibus domini commissa est plebs, rite populum possunt corrigere, si deceptionis se cognoverint[9] laqueo[10] infestari. Unde iustum est omnes in[11] universo orbe doctores legis ea quae legis sunt sapere, et non sacerdotes domini labiis suis aut quibuslibet machinationibus maculare[12]: dum ipsos disponunt aut cupiunt maculare, potius seipsos maculant et vulnerant. Dei ergo ordinationem accusat[13] qua constituuntur qui[14] sacerdotes accusat vel dampnari cupit[15], a quibus se omnes fideles cavere debent, quia non solum qui faciunt, sed[16] qui consentiunt facientibus rei sunt. Christus enim filius dei dominus noster, humano generi salutem condonans plenam, de nobis ait: Qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit. Si ergo dominus in eis recipitur et reicitur, procul dubio ipsius sunt qui in eis reicitur vel suscipitur. Et tu quis es, qui iudicas servum alienum? Procul dubio transgressores legis dei et apostolorum atque prophetarum, et non solum harum[17], sed etiam[18] humanarum. Omnes enim leges tam divinae quam et humanae alienum servum iudicare prohibent. Quid, putas, erit de te, cum transgressores et conculcatores legis dei dampnabuntur? Profecto et tu dampnaberis, quia postposuisti mandatum dei et tuam adimplesti voluntatem, quoniam sicut digni sunt[19] qui mandatum dei adimplent atque custodiunt, ita rei et digni sunt morte, qui ea postponunt et in vanum ducunt. Est enim[20] in apostolicis scriptum institutis, alterius vitam nemo laceret et de malo alieno os suum non quoinquinet. IV. Accusatores vero et accusationes, quas leges saeculi[22] non admittunt et nos submovemus, et[23] accusatori omnino non credi decernimus, qui absente [IV. De accusatoribus et accusationibus.][21]

c. III. Ab episcopis — solempniter recitandus, l. c.

qui proprio ore corpus domini conficiunt, Hieronym. ep. ad Heliod. no. 8. (1, 34.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 97. Cf. Pont. 2, Ant. 7, Fel. II. pp. 11, Dam. 20.

quia non est discipulus — super magistrum, Matth. X. 24.

Unde iustum est — maculant et vulnerant, Cass. hist. trip. V. 29. Cf. Anacl. 6.

Dei ergo ordinationem — damnari cupit, c. 1. Angilr. aut Ben. II. 365. III. 167. (Isid. sent. III. 39. no. 2). Cf. Euseb. 9.

quia non solum — facientibus rei sunt, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32). Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

Qui vos recipit — me spernit, Matth. X. 40. Luc. X. 16.

Et tu quis es — servum, Rom. XIV. 4.

Omnes enim — iudicare prohibent sec. Ben. III. 441. tit. Cf. Clem. 38.

alterius vitam nemo — non quoinquinet, Isid. syn. II. no. 50.

c. IV. Accusatores vero — et nos submovemus, Ben. III. 108. (c. 96. conc. Afric. D.). Cf. Ben. II. 381. III. 307. c. 9. Angilr., Praef. 7, Calist. 16, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14.

non credi — iustam discussionem, int. c. 9. C. Th. XI. 39. aut Ben. III. 238. Cf. Iul. 12.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit*: gloria in excelsis deo. 2 *Mut.* edocto, *Sg.* et in loco *pro:* et loco. 3 *Sg. om.* celebrandus — solempniter; *al. manu post. hic additur:* est. 4 *Dst. addit:* sunt. 5 *Deest in Dst.* 6 *Mut. Bb. Dst. addunt:* et. 7 *Bb. ponit rubricam (sine numero)*: de sacerdotibus a vulgo non iudicandis. 8 *Dst. in margine:* sacerdotibus deceptionem nullatenus fieri debere. 9 *Dst.* recognoverint *pro:* se cognoverint. 10 *Dst. addit:* se. 11 *Deest in Bb. Dst.* 12 *Sg. add.* quia. 13 *Bb.* accusant. 14 *Dst.* qui eos qui ab eo constituuntur *pro:* qua constituuntur qui. 15 *Dst.* accusant et dampnare cupiunt. *Sg.* qui constitutos sibi sacerdotes accusant vel damnare cupiunt *pro:* qua constituuntur — cupiunt. 16 *Sg. Dst. add.* etiam. 17 *Mut.* divinarum. 18 *Mut. addit:* legum. 19 *Dst. addit:* vita. 20 *Sg. add.* et. 21 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* IV. de absente. *Par.* 840 *in margine:* ne absens accusetur et qui acousari non possit. *Dst. in margine:* ne absens accusetur et qui accusare non possunt. 22 *Dst.* dei. 23 *Sg. om.*

adversario causam suggerit[1] ante utriusque partis iustam discussionem. Nec hi qui non sunt idonei suscipiantur ad accusationem, et omnes qui adversus patres armantur, infames esse censemus. [2] Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi aut insidiandi. [3] Hi vero qui cum inimicis morantur aut qui suspecti habentur, minime recipiantur, quia eorum emulatio lacerat etiam innocentes. Hunc murum firmissimum statuerunt patres nostri, et nos cum eis contra persecutores vestros, ut[4] hoc remedio eorum pellantur machinamenta, et[5] vos sanctiores et securiores famulari mereamini vestro salvatori. [6] [De talibus enim insidiatoribus et accusatoribus servorum suorum loquitur dominus per prophetam dicens: Os tuum misisti ad malitiam et lingua tua concinnabat dolum, sedens adversus fratrem tuum loquebaris, in filium matris tuae fabricaveris[7] obprobrium. Haec fecisti et tacui, existimasti futurum me tui similem? Arguam te et ponam ante oculos tuos. Intellegite haec qui obliviscimini deum ne forte rapiat[8] et non sit qui liberet. Languentes autem in isto conamine notandi sunt et a talibus repellendi. Tales enim membra sunt diaboli, qui sursum atque deorsum pervolans quaerit quod[9] possit occidere[10], quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est et armis celestibus sumus muniendi, ne in eius compedes[11] incidamus aut eius foveis inlaqueamur[12]. V. Decet enim in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum et caritas custodiatur et veritas defendatur, atque innocentes et domini ministri inlaesi] liberentur. De bonis ergo et legem domini custodientibus fratribusque adiuvantibus et non nocentibus[14] sed et[15] subportantibus ait per prophetam dominus: Non sedi cum viris vanitatis et cum superbis non ingrediar. Odivi ecclesiam pessimorum et cum impiis non sedebo. Lavabo in innocentia palmas meas, et circuibo[16] altare tuum, domine, ut clara voce praedicem laudem tuam[17], et narrem omnia mirabilia tua. Domine, dilexi habitaculum domus tuae, et locum tabernaculi gloriae tuae: ne apponas cum peccatoribus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus scelus et dextera eorum repleta est muneribus: ego autem in simplicitate mea gradiar, redime me et miserere mei; pes meus stetit in recto, in ecclesiis benedicam domino. Concordent igitur cum omnibus dei sacerdotibus hae caritatis sententiae[18], in quibus vos fixos et firmos exstitere[19] iudicamus. Deus vos incolumes custodiat, filii karissimi[20]. Data XV Kal. Martii, Antonio et Marto[21] vv. cc. conss.

[V. Concertationum caritas custodiatur et veritas defendatur.][13]

Nec hi qui — sunt idonei, sec. int. c. 13. eiusd. tit. Cf. Anacl. 19, Iul. 12.

et omnes qui adversus — esse censemus, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19 (bis) Angilr. Cf. Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5).

Patres enim omnes — aut insidiandi sec. Ben. I. 322.

Hi vero qui cum — minime recipiantur, Ben. III. 187. Cf. Iul. 12, Symm. syn. V, Ioh. I. pp. ep. 1.

Hunc murum — pellantur machinamenta, Cass. hist. trip. V. 29.

Os tuum misisti — et non sit qui liberet, Ps. XLIX. 19—22.

qui rursum atque deorsum — vigilandum est, Flaviani episc. Constant. ep. 1. ad Leon. M. c. 1. vers. antiqu. (Leon. M. op. ed. Ballerin. 1, 758). Cf. Lib. 2.

c. V. Decet enim in talibus — veritas defendatur, Leon. M. ep. 23. c. 2. (1, 765).

Non sedi cum — benedicam domino, Ps. XXV. 4—12.

Deus vos incolumes — karissimi, Greg. III. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 25. p. 68). Cf. Clem. 55, Bonif. II. exemp. prec.

Nota cons. fictit.

1 *Sg. Bb. Dst.* suggesserit. 2 *Bb. ponit rubricam (sine numero):* de suspectis. 3 *Dst. hic ponit rubricam:* V. ne recipiantur qui cum inimicis morantur. 4 *Sg. om.* 5 *Sg.* ut. 6 *Sg. Dst. hic verba quae in cap. II. omiserunt inserunt. Verba quae uncinis inclusi, in parte folii codicis humore consumta legebantur. Textum restitui ex Mut.* 7 *Sg.* fabricaveras. *Dst.* fabricabas. 8 *Dst.* rapiam. 9 *Sg. Dst.* quos. 10 *Bb. Dst. add.* quos possit superare. *Sg.* quos possit separare. 11 *Sg. Bb. Dst.* compedibus. 12 *Mut. Sg. Dst.* inlaqueemur. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* VI. ut sine strepitu concertationum caritas custodiatur et veritas defendatur. *Solus numerus* V. *in Bb.* 14 *Omisit Mut.* et non nocentibus. 15 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 16 *Sg. Dst.* circumdabo. 17 *Deest in Bb. Sg. Dst.* 18 *Dst.* haec caritas sententiae. 19 *Sg. Bb.* existere. 20 *Sg.* iuvat filii karissimi *pro:* iudicamus — karissimi. 21 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Martio.

INCIPIT EPISTOLA VIGINII[1] PAPAE DE FIDE ET DE[2] CAUSIS.[3]

[I. De fide quod filius non secundum deitatem solam sit missus a patre sed secundum carnem et quod idem filius se quoque miserit.][4]

I. VIGINIUS[5] in Christi nomine almae urbis Romae episcopus cunctis in[6] apostolica fide et doctrina degentibus[7] salutem.

Charissimi, deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato damnavit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur. Filius non secundum deitatem solam a patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer et pie pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum, exinanita maiestatis suae potentia, idem[8] filius miserit, apostolus protestatur[9] et dicit[10]: Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, humiliavit semetipsum, factus obaediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et[11] Isaias[12]: Non legatus neque angelus, sed ipse dominus veniet et salvabit eos[13]; item ibi: Palam apparui non quaerentibus me. Et Hieremias: Dereliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, veni et factus sum illis in obprobrium. Et in Michaea: Ecce dominus veniet et commovebuntur montes sub eo; et in Zacharia: Gaude et exsulta filia[14] Sion, quia ecce venio ego et commorabor in medio tui, dicit dominus; et apostolus ad Timotheum: Humanus sermo et omni acceptione dignus, quoniam Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere; et Malachias: Ecce subito veniet in templum suum[15] dominus quem vos quaeritis, et angelus testamenti quem vos vultis; et in evangelio: Non veni vocare iustos, sed peccatores in penitentiam. Item ibi: Quid nobis et quid[16] tibi Iesu, fili dei, venisti ante tempus perdere nos? Item ibi[17]: Venit filius hominis salvare et quaerere quod perierat. Item ibi[18]: Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant; item ibi: Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis qui est in coelo. Nunquid in his tantis ac talibus testimoniis quibus se filius dei a semetipso venisse testatus est, poterit quis dicere ab alio et non a semetipso venisse? dum manifestum est, eum[19] qui carnem nostram dignanter assumpsit, voluntariae et non ab alio missum advenisse[20]; nam qui in patre manens, ubique potentia sua consistit, ubi[21] a patre mitteretur omnino non habuit, quoniam nulla pars caelorum ac terrae a conspectu patris excipitur, ubi secundum vos a patre filius mitteretur? et Paulus: Renovamini, inquit, spiritu mentis vestrae et induite novum hominem eum qui secundum deum creatus est in iustitia et veritate sanctitatis[22]. Et ad Hebraeos: In eo enim in[23] quo passus est ille temptatus est[24], nam potens est[25] eis[26] qui temptantur[27] auxiliari. Unde sanctae vocationis semper[28] caelestis participes considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae, Iesum fidelem existentem ei[29] qui vocavit[30] eum. Et ad Colosenses: Nunc autem deponite et vos universa, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam[31], turpiaque verba[32] ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius[33] induite novum cum eo[34] qui renovatur in agnitionem[35] secundum imaginem eius qui creavit eum.

c. I. *Charissimi, deus filium — impleretur,* Rom. VIII. 3. 4.
Filius non secundum deitatem — ut deitate patris minoretur, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 728, 729). Cf. Pelag. I. pp. ep.
et Paulus: Renovamini inquit, cf. Ioh. II. pp. ep.

[1] *Bb.* Vigini. [2] *Bb. addit:* religionis. [3] *In Mut. inscriptio deest. Sg.* epistola Ygini papae de incarnatione domini et ne criminationes passim contra sacerdotes recipiantur. *Dst.* Inc. epistola decretalis Ygini papae de metropolitanis ut nullus absque conprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus numerus in Bb.* [5] *Mut. Bb.* Viginus. *Sg. Dst.* Yginus. [6] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [7] *Codd. cit.* vigentibus. [8] *Codd. cit. et Mut. addunt:* se. [9] *Codd. cit.* contestatur. [10] *Sg. Bb. Dst.* qui ait. [11] *Deest in Bb.* [12] *Sg.* Esaias. [13] *Bb.* nos. [14] *Mut.* gaudete et exultate filiae. [15] *Mut. Sg. Bb. Dst.* templo sancto suo. [16] *Om. Sg.* [17] *Mut. addit:* Quid nobis et quid tibi. [18] *Dst. omisit:* quid nobis et quid tibi, Iesu, fili dei, venisti — quod perierat. Item ibi. *Sg. om.* venit filius — perierat. Item ibi. [19] *Bb.* enim. [20] *Mut. Sg. Bb. Dst.* missus advenerit. [21] *Sg. Bb. Dst.* quo. *Mut.* ubique. [22] *Mut.* sanctitate veritatis. [23] *Deest in Sg. Dst.* [24] *Om. Sg.* [25] *Deest in Mut.* [26] *Bb.* ei. [27] *Bb. Dst.* temptatur. [28] *Sg.* super. [29] *Deest in Mut.* [30] *Mut. Sg. Bb. Dst.* creavit. [31] *Mut.* blasphemia. [32] *Mut.* vel. *Sg.* turpia quaeque. *Deest in Bb.* [33] *Mut.* suis. *Sg. Bb. Dst. addunt:* et. [34] *Sg.* eum *pro:* cum eo. [35] *Sg.* in agnitione. *Dst.* et agnitione.

Numquid is qui universam creaturam, visibilia et invisibilia[1] propria potestatis virtute procreavit ac fecit, seipsum ante[2] aut[3] postea[4], quod dicere nefas est, creavit vel facere potuit? Et dominus in evangelio ait: Ego et pater unum[5] sumus; et iterum: Qui me videt, videt et patrem; et iterum: Qui me odit, et patrem meum odit; et iterum: Ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem; et iterum: Ut sint in nobis unum, sicut et nos sumus unum, tu in me et ego in eis; et iterum: Omnia mea tua sunt[6]; et iterum: Ego in patre, et pater in me; et iterum: Pater in me manens facit opera haec. Et Ioannes evangelista ait: In principio erat verbum, et verbum erat apud deum, et deus erat verbum; et iterum ipse apostolus[7]: Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra: aqua, sanguis et caro, tres hi unum[8] sunt; et tres sunt[9] qui testimonium perhibent[10] in caelo: pater, verbum et spiritus, et hi tres unum sunt. Nos itaque in natura deitatis, quia unum sunt[11] pater et filius, nec patrem credimus aliquo tempore praecessisse, ut[12] maior sit filio, nec filium postea natum esse ut deitate patris minoretur.

[II. Ut nullus metropolitanus absque omnium provintialium episcoporum praesentia aliquorum audiat causas.] 13

II. Ceterum, fratres, salvo in omnibus Romanae ecclesiae privilegio nullus metropolitanus absque caeterorum omnium conprovintialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum[14], quia irritae erunt aliter actae[15] quam in conspectu eorum omnium ventilatae[16], et ipse, si fecerit, coerceatur a fratribus.

[III. De criminationibus maiorum natu.] 17

III. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et inreprehensibiles apparuerint et actis publicis docuerint omni se suspitione carere et inimicitia atque inreprehensibilem fidem et conversationem[18] ducere.

[IV. De peregrinis negotiis et iuditiis.] 19

IV. Nec non et peregrina negotia et iuditia prohibemus, quia indignum est ut ab externis iudicentur qui provintiales et a se electos debent[20] habere iudices. Nos quidem ex omni parte cavendo[21] occasiones abscidimus. Nos[22] supernae memores disciplinae qualemcumque[23] cadentibus dexteram porrigimus et a ruinae praecipitio quos[24] possumus relevamus et defensionis[25] adminiculum totis viribus praebere cupimus. Certe vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est qui alii[26] existit causa periculi.

[V. Ut qui innocentem vel fratrem persequitur, ipse sibi iugulum mortis inpingat.] 27

V. Qui vero innocentem vel fratrem quocunque ingenio persequitur, ipse[28] iugulum mortis inpingit, ut ait divinus et beatus praeco: Noli[29] detrahere, ne eradiceris, noli[30] accusare, ne accuseris, noli[31] iudicare, ne iudiceris, quia in quo iuditio iudicaveris, iudicabitur de te. Nemo creditur nos[32] odisse quorum relatione[33] non laeditur, dicit enim[34] dominus: Omne regnum in

c. II. Ceterum fratres — coerceatur a fratribus, c. 11. Angilr. (c. 23. 30. conc. IV. Carth. cf. quoque Ben. III. 106. II. 363. III. 219). Cf. Luc. 4, Iul. 12.

c. III. Criminationes maiorum — crimina intendunt sec. l. Visig. Rom. Pauli rec. sent. V. 4. 12. aut Ben. III. 246. Cf. Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.

et actis publicis — ducere, Ben. I. 401. (c. 13. conc. I. Arelat.). Cf. Luc. 2, Dion. 4, Iul. 12.

c. IV. Nec non et peregrina — habere iudices, Ben. III. 309. aut c. 16. Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1). Cf. Anacl. 15, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III.

Nos quidem ex omni — praebere sec. Ennod. praecept. VII. (p. 450).

Certe vel si mens — periculi l. c. (p. 451).

c. V. Qui vero innocentem — eradiceris, l. c. *noli iudicare — iudicabitur de te*, Matth. VII. 2.

Nemo creditur — non laeditur, Ennod. apol. (p. 355).

Omne regnum in se divisum — non stabit, Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1179). Cf. Cornel. 2, Lib. 3, Greg. ep. ad Felic.

1 *Deest in Dst.* et invisibilia. 2 *Mut. Dst.* antea. 3 *Bb.* ut. 4 *Mut. Sg. Dst.* postmodum. *Bb.* pro postmodum. 5 *Mut.* unus. 6 *Deest in Dst.* et iterum: Omnia mea tua sunt. 7 *Mut. Bb. Dst.* ad parthos. *Sg. legebat:* ad parthos, *quod al. manu deletum est.* 8 *Mut. Bb. Dst.* in nobis, *ut antea quoque legebat Par. suppl.* 840. 9 *Deest in Dst.* et tres sunt. 10 *Sg. om. verba:* in terra aqua — sunt, qui testimonium perhibent. 11 *Mut.* spiritus. 12 *Mut. Bb.* vel. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. In margine cod. Par.* 840: de metropolitanis. 14 *Om. Sg. Dst.* 15 *Mut.* ante. 16 *Mut. addit:* fuerint. 17 *Sec. Par.* 4280 *et Dst.; Par.* 840 *in margine:* de criminationibus. *Bb.* III. Quales esse debeant accusatores. 18 *Mut. Sg.* ac conversationem. *Dst.* a conversatione. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 20 *Bb. Dst.* debet. 21 *Mut.* carpendo. *Sg.* carpendi. *Bb. Dst.* carpiendo; *in margine Bb. legitur scriptum alia manu s. XI:* vel cavendo. 22 *Sg.* et. 23 *Mut. Dst.* quibuscumque. *Sg.* qualibuscumque, qualitercumque. 24 *Mut.* ut. 25 *Sg. Dst.* defensiones. 26 *Sg. Dst.* alii. 27 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.* 28 *Mut. addit:* in se. 29—31 *Mut.* nolite. 32 *Mut. Sg. Bb.* non. 33 *Bb.* revelatione. *Sg. Dst.* rebellatione. 34 *Deest in Bb.*

se[1] divisum non stabit, et omnis scientia et[2] regula adversum se divisa non stabit. Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis. Data XVII.[3] Kal. Octobr. Magno et Camerino conss.

CUIUS SUPRA ATHENIENSIBUS DIRECTA.[4]

VI. Viginius[5] papa Atheniensibus salutem. [VI. Epistola eiusdem Atheniensibus directa in qua ortatur eos ne ducant iugum cum infidelibus.]

Multa mihi fidutia est apud vos, fratres, et multa gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Tribulor enim quando de vobis audio quod non oportet. Consolor vero quotiens ea inter vos fieri cognovero quae bonos christianos decet implere. Nolite, fratres, iugum ducere cum infidelibus, unde doctor gentium loquitur dicens: Quae[6] participatio iustitiae cum iniquitate? quis[7] autem consensus templo dei cum idolis? vos enim estis templum dei vivi, sicut dicit dominus[8]: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo et ero illorum deus, et ipsi erunt mihi in populos[9]. Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus[10] inferni detractos in tartarum tradidit in[11] iuditio cruciandos reservari, et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe iustitiae praeconem[12] custodivit, diluvium mundo impiorum indicens et civitates Sodomorum et Gomorrhaeorum in cinerem redigens[13] eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi[14] sunt ponens, quid putatis iniquis et impiis perseverantibus in nequitia eorum erit? Iustum vero Loth oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conversatione[15] eruit[16], aspectu enim et auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Novit deus pios de temptatione eripere, iniquos vero in diem iudicii cruciandos reservare, magis autem eos qui post carnem[17] in concupiscentia immunditiae ambulant dominationemque[18] contemnunt, audaces, sibi placentes sectas non metuunt facere blasphemantes. Unde[19] alieni[20] erroris societatem vel[21] a sui propositi tramite[22] recedentem aut apostolicae sedis iussionibus inobedientem suscipere non possumus, nec impedire recte credentes vel sanctorum patrum[23] iussionibus obtemperantes permittimus, quia inter fideles et infideles magna debet esse discretio[24]. Si deus, fratres, iustis non pepercit, quid de nobis peccatoribus peccantibus[25] fieri putatis? Custodite vos ab omni inquinamento carnis et corporis[26], ut salvi sitis in die adventus domini, unum autem hoc non lateat vos[27], ut ait apostolus: Karissimi, quia unus dies apud dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non

Ideoque necesse est — constitutionibus pareatis, Leon. M. ep. 12. c. 9. (1, 666). Cf. Corn. 2, Lib. 3, Greg. M. ad Fel.

Nota consul. des. ex Vig. vit. c. 1. in libr. pontif.

c. VI. Atheniensibus sec. vit. Hyg. c. 1. in libr. pontif. („natione graecus ex philosopho de Athenis").

Multa mihi fidutia — tribulatione nostra, II Cor. VII. 4.

Nolite fratres — in populos, II Cor. VI. 14. 16.

Si enim deus angelis — metuunt facere blasphemantes, II Petr. II. 4—10.

Unde alieni erroris — suscipere non possumus. Cf. Dion. 4, Iul. 12.

Custodite vos — carnis, II Cor. VII. 1.

Karissimi quia unus — in quibus iustitia habitat, II Petr. III. 8—13.

1 *Sg. add.* ipsum. 2 *Mut.* ex. *Dst.* aut. 3 *Bb.* XIV. 4 *Deest inscr. in Mut. Sg.* Item Ygini papae. *Dst. add.* in qua hortatur eos ne ducant iugum cum infidelibus, apostolicarum epistolarum exemplis referta. *Par.* 4280 *AA*, *in quo rubrica in margine exhibita ut inscriptio profertur, eidem apponit numerum* VI., *ita et Bb. Numerus deest in Dst.* 5 *Bb. Mut.* Viginus. *Sg. Dst.* Yginus. 6 *Sg. add.* enim. 7 *Bb. Dst.* qui. 8 *Mut. Bb.* deus. 9 *Bb.* populis. 10 *Bb.* trudentibus; *in margine alia manu s. XI:* alias mentibus. 11 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 12 *Mut.* praeceptionem. 13 *Bb.* rediens. 14 *Dst.* impii ac duri. *In margine:* qui impii ac duri sunt. 15 *Mut. Bb.* iniuria conversione. *Sg.* iniuria conversatione. 16 *Dst.* eripuit. 17 *Dst. addit:* alteram. 18 *Dst.* damnationemque. 19 *Bb. addit:* enim. *Dst.* et nos. 20 *Om. Sg.* 21 *Dst.* sectantem. 22 *Dst. addit:* non. 23 *Bb. addit:* tuorum; *Sg. Dst. add.* suorum. 24 *Sg. Dst.* distinctio. 25 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 26 *Sg.* spiritus. 27 *Delevit Bb.*

tardat dominus promissis, sed patienter agit[1] propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad paenitentiam reverti. Adveniet[2] autem dies domini ut fur, in qua celi maligno[3] impetu transient, elementa vero calore solventur. Cum haec igitur omnia dissolvenda sunt[4], quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus exspectantes et properantes[5] adventum diei, per quem caeli ardentes solventur[6] et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero caelos et novam terram et promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat[7]. Deus autem omnis gratiae qui vocavit nos in aeternam suam gloriam, in Christo Iesu modicum passus[8] ipse perficiet, confirmabit, consolidabit[9]. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum, Amen. Data X. Kalend. Martii Magno et Camerino conss.

DECRETA PII PAPE[10]. INCIPIT EPISTOLA PII PAPAE ECCLESIIS OMNIBUS MISSA UT DIE DOMINICA PASCHA CELEBRETUR.[11]

[I. Ut in die dominico pascha celebratur.][12]

I. Omnibus ecclesiis in eadem qua sumus fide et doctrina manentibus Pius apostolicae sedis archiepiscopus.

Gratias agimus, fratres, deo, quoniam[13] crescit fides vestra[14] et habundat caritas uniuscuiusque omnium vestrum in invicem, ita ut nos ipsi in vobis gloriaemur in aecclesiis dei. Videte, fratres, videte ut nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum[15], quae non vidit, ambulans frustra, inflatus sensu carnis suae, et non tenens capud, ex quo totum corpus per nexum et coniunctiones[16] ministratum[17] et constructum[18] crescit in augmentum dei; sed induite vos sicut electi dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis si quis[19] habet querellam, et sicut Christus donavit vobis, ita et vos.

Caeterum nosse vos volumus quod pascha domini die dominica[20] annuis solemnitatibus[21] sit celebrandum[22]. Istis temporibus ergo Hermes doctor fidei et scripturarum effulsit[23] inter nos, et licet nos idem[24] pascha praedicta die caelebremus[25] et quidam inde dubitarent, ad corroborandas tamen animas eorum eidem Herme[26] angelus domini in habitu pastoris apparuit et precepit ei, ut pascha die dominico ab omnibus celebraretur tempore suo. Unde et vos apostolica auctoritate instruimus omnes eadem servare debere, quia et nos eadem servamus[27], nec debetis a capite quoquomodo dissidere[28]. Cavete diligenter omnes, ne quis vos decipiat

Deus autem omnis — saecula saeculorum. Amen. I Petr. V. 10. 11.

Nota consul. desumt. ex vit. Hygin. c. 1. in libr. pontif.

c. I. Gratias agimus fratres — gloriaemur in aecclesiis dei, II Thess. I. 3. 4.

ut nemo vos seducat — crescit in augmentum dei, Coloss. II. 18. 19.

sed induite vos sicut — donavit vobis ita et vos, Coloss. III. 12. 13.

Caeterum nosse vos volumus — celebraretur tempore suo sec. vit. Pii c. 2. in libr. pontif.

nec debetis a capite quoquomodo dissidere, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692). Cf. Calist. 1, Sixt. II. pp. 4, Melc. 3. ep. Aegypt. ad Marc., Iul. 9, Fel. IV. ep. 1.

Cavete diligenter omnes — principatus et potestatis, Coloss. II. 8—10.

1 *Sic ait corr. sec. Sg. Bb. Mut. Dst.* 2 *Sg.* veniet. *Bb.* et veniet. 3 *Mut. Sg. Bb. Dst.* magno. 4 *Sg. Dst.* sint. 5 *Sg. Bb. Mut. Dst. add.* in. 6 *Sg. Dst.* solvuntur. 7 *Mut. Dst.* inhabitat. 8 *Sg. Bb. Dst.* passos. 9 *Mut.* solidabit. *Sg. Bb. Dst.* solidabitque. 10 *Deest in Mut. Dst.* Decr. Pii p. *Bb. in margine:* decr. Pii pp. VIII. 11 *Sg.* epistola Pii papae quod pascha die dominica sit celebrandum et quod pastores ab ovibus non sint lacerandi vel conculcandi. *Dst.* Inc. ep. P. p. de sacerdotibus vendentibus et ementibus et quod nihil prosit ieiunare et orare nisi mens ab iniquitate revocetur et ab iniquitatibus lingua coerceatur. *Deest inscriptio in Mut.* 12 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Numerus solus in Bb.* 13 *In Sg. man. post. additur:* super. 14 *Mut. Bb.* nostra. 15 *Deest in Mut., ubi lacuna invenitur. Sg.* angelica loqui. *Bb.* angelo. *Dst.* evangelii loqui. 16 *Sg. Bb. Dst.* coniunctione. 17 *Sg. Bb. Dst.* sumministratum. 18 *Om. Sg.* et constructum. 19 *Dst. addit:* adversus aliquem. 20 *Sg.* dominico. 21 *Mut. Sg. Bb. Dst.* temporibus. 22 *Bb. Dst.* celebranda. *Bb. hic (sine numero) rubricam ponit:* de sancto Hermeto. *Dst.* quo die pascha celebretur, *quae etiam in margine Par.* 840 *inveniuntur.* 23 *Sg.* fulsit. 24 *Mut.* eundem. 25 *Sg. Bb. Dst.* celebraremus. 26 *Codd. cit.* Hermeti. 27 *Dst.* veneramur. 28 *Bb. Dst.* discedere.

per aliquam astrologiam vel philosophiam et inanem fallatiam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum et traditionem rectam: in Christo enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut sitis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis[1]. II. Qui et[3] hanc sanctam apostolicam sedem omnium aecclesiarum capud esse praecepit, ipso dicente principi apostolorum Petro: Tu es Petrus et super hanc petram[4] edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in caelo, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in caelo. III. Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum praestat erranti. Sine dubio contra mandata dimittit et qui peccat et qui consensum praestat erranti[6]. IV. Oves enim pastorem suum[8] non reprehendant, plebs vero episcopum non accuset, nec vulgus eum arguet[9], quia[10] non est discipulus super magistrum neque servus super dominum[11]. Episcopi autem a deo sunt iudicandi, qui eos sibi oculos elegit; nam[12] a subditis aut pravae vite hominibus non sunt[13] arguendi vel accusandi aut lacerandi, ipso domino exemplo[14] dante, quando per seipsum[15] et non per alium vendentes sacerdotes[16] et ementes eiecit de templo et mensas nummulariorum proprio evertit flagello et eiecit de templo; et sicut alibi per prophetam loquitur dicens: Deus stetit in sinagoga deorum, in medio autem [17][deos[18] discernunt[19]. Si quis vero a suo proposito retrorsum exorbitaverit et iussa apostolicae sedis[20] transgressus fuerit, infamis efficitur. V. Reprobari ergo oportet eorum redargutiones qui in recta fide suspecti sunt. Fides autem et conversatio primum scrutanda est, et[22] denuo[23] qui inreprehensibiles apparuerint sunt recipiendi, et non prius, quia bonus bona[24] testante veritatis voce ex bono thesauro cordis sui profert bona et malus homo ex malo thesauro cordis sui[25] profert mala. Ex abundantia enim cordis os loquitur, ideo persona et opinio ac vita uniuscuiusque in initio[26] rimanda est, quia boni semper infestantur a malis.] Boni enim cum malis, licet mixti sint in ecclesia, vix concordari[27] inveniuntur, quoniam dissimilis est eorum[28] cogitatio, voluntas et actus. VI. Nihil enim prodest homini ieiunare et orare et alia religionis[30] bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur et ab obtrectationibus lingua cohibeatur[31], unde ait propheta: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum[32], deverte

[II. Quod apostolica sedes sit caput omnium ecclesiarum.][2]

[III. Quod nichil prosit alicui suo errore non pollui, si consensum prestat erranti.][5]

[IV. De pastore non reprehendendo ab ovibus.][7]

[V. Qui sint recipiendi vel reprobandi in accusatione.][21]

[VI. Quod nichil prosit aliquid bonum agere, nisi mens ab iniquitate revocetur et lingua a detractione cohibeatur, et quod fidelis non debeat venire in suspicionem.][29]

c. II. Tu es Petrus et — solutum et in celo, Matth. XVI. 18. 19.
c. III. Quid enim prodest — et qui consensum erranti, Hormisd. ep. ad episc. per Hisp. c. 2. (H. no. 91). Cf. Ben. III. 386.
c. IV. Oves enim pastorem suum — discernunt sec. Ben. III, 167. 441. et Isidor. sent. lib. III. 39. no. 5. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Anacl. 19, Iul. 16. (Euseb. 9, Greg. ep. ad Fel.).
c. V. Reprobari ergo oportet — fide suspecti sunt, Ben. III. 427. (l. Visig. XII. 2. 10). Fab. 5 (Calist. 17, Euseb. 3).
Fides autem et conversatio — et non prius, Ben. I. 393. II. 381. aut c. 12. Angilr. (c. 21. conc. Chalc. D. et c. 8. conc. Carth. D.).
bonus bona testante — os loquitur, Luc. VI. 45.
ideo persona — rimanda est, cf. Ben. et Angilr. ll. cc.
c. VI. Nihil enim prodest — ab obtrectationibus lingua cohibeatur, Caesarii Arelatens. hom. 27. (B. PP. 5. P. 3. p. 772).
Cohibe linguam tuam — fac bonum, Ps. XXXIII. 14. 15.

1 *Bb.* potestates. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 3 *Om. Sg.* 4 *Deest in Dst.* 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 6 Sine dubio — erranti *deest in Mut.*; *Sg. Dst.* sine dubio contra mandata dimittit erranti. *Dst. in margine:* episcopum a subditis non accusandum. 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 8 *Mut.* pastores suos. 9 *Mut. Sg. Dst.* arguat. 10 *Mut.* quoniam. 11 *In Bb. alia manu s. XI. additur:* suum. *Par.* 840 *in margine:* non accusandos episcopos a plebis suis. 12 *Sg. Bb. Dst.* non. 13 *In codd. cit. deest:* non sunt. 14 *Mut. Sg. Dst.* exemplum. 15 *Sg. Dst.* semetipsum. 16 *Dst. in margine:* vendentes sacerdotes et ementes dominus eiecit de templo. 17 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 18 *Bb.* deus. 19 *Bb. Dst.* discernit. 20 *In Bb. alia manu s. XI. additur:* libenter. 21 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 22 *Om. Dst.* 23 *Sg.* dein vero *pro:* et denuo. 24 *Sg. Bb. Dst.* homo. 25 *In Sg. Bb. Dst. deest* cordis sui. 26 *Sg. Dst.* inimici *pro:* in initio. 27 *Sg.* concordare. 28 *Deest in Dst.*, *in Sg. manu post. additur.* 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 30 *Dst.* religione. 31 *Sg.* coerceatur. 32 *Dst.* malum.

a malo et fac bonum. Nemo enim bonum faciens alteri verbo aut facto nocere vult, quia nec[1] in suspitione[2] debet venire fidelis homo ut dicat aut fatiat ea quae pati non vult. Quia omnis suspicio potius repellenda est quam adprobanda vel recipienda. Caritas enim non querit quae sua sunt, sed quae aliorum: quia unius causa multorum non est preferenda. Sectamini caritatem, emulamini spiritalia. Caritas autem patiens est, benigna est. Caritas enim[3] non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit que sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem[4]; congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam excidit[5]. Semper rogo vos, ut deteriora reiciatis[6] et meliora perficiatis, quia nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui[7] ex deo est, ut sciamus quae a deo donata sunt nobis, et ea sectamini[8] indifferenter. Data VII.[9] Idus Aprilis Claro et Severo cc. conss.

CUIUS SUPRA ITALICIS DIRECTA.[10]

[VII. Epistola italicis directa qua monet eos cavere a contentione et emulatione et ne praedia divinis usibus tradita applicent suis usibus.][11]

VII. PIUS Romane urbis archiepiscopus Italicis fratribus salutem in domino. Scitis, fratres, quia dei agricultura sumus, ideo eius adiutores esse debemus, secundum gratiam quam ipse dedit nobis; si autem hoc esse neglexerimus, nulli dubium est quod dampnabimur. Si vero in eius servitio pro viribus laboraverimus verique eius adiutores fuerimus eiusque voluntatem implere studuerimus, profecto ab eo ditabitur[12], quia uniuscuiusque opus[13] quale sit, ut ait apostolus, dies domini declarabit et ignis probabit. Ad sedem autem apostolicam perlatum est quod sint inter vos[14] contentiones et emulationes, et praedia divinis usibus tradita quidam humanis adplicant usibus, et domino deo cui tradita sunt ea subtrahunt ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne predia sibi[15] secretorum caelestium dicata[16] a quibusdam irruentibus vexentur.

[VIII. Ut sacrilegi habeantur qui praedia ecclesiastica sibi usurpant ipsosque clericos et domini sacerdotes persecuntur.][17]

VIII. Quod si quis praesumpserit, sacrilegus habeatur et sicut sacrilegus iudicetur[18]. Ipsos autem qui hoc agunt clericos et domini sacerdotes persequi eosque infamari audivimus, ut malum super malum addant et deteriores fiant, non intelligentes quod aecclesia[19] dei in sacerdotibus consistit[20] et crescit in templum dei[21]; et sicut qui ecclesiam dei vastat, eius praedia et donaria[22] expoliat et invadit, fit sacrilegus, sic et ille qui eius sacerdotes insequitur sacrilegii reus existit et

Nemo enim — ea quae pati non vult, Xysti Pyth. s. 168. 169. Cf. Pont. 8, Melc. 5.
Caritas enim — quae sua sunt, I Cor. XIII. 5.
Sectamini caritatem — spiritalia, I Cor. XIV. 1.
Caritas autem patiens — numquam excidit, I Cor. XIII. 4—8.
quia nos non spiritum — a deo donata sunt nobis, I Cor. II. 12.
Nota cons. des. ex c. 1. vit. Pii in libr. pontif.
c. VII. Italicis fratribus sec. c. 1. vit. Pii in libr. pont. („natione fuit Italus").
Scitis fratribus — ignis probabit, I Cor. III. 9. 10. 13.
Quapropter ab omnibus — irruentibus vexentur, Ben. II. 117. 385. (c. 40. C. Th. XVI. 2). Cf. Urb. 5.
c. VIII. Quod si quis — sacrilegus iudicetur, ll. cc. adhibito tit. c. 117.
non intelligentes quod sancta — consistit, Ben. II. 99. (Cypr. ep. 66. c. 8.?)
et crescit in templum dei, Ephes. II. 21.
et sicut qui ecclesiam dei — fit sacrilegus sec. Ben. II. 117. tit.

1 *Mut.* quanto minus. 2 *Sg. Dst.* suspitionem. 3 *Bb.* autem. *In Sg. Dst. deest.* 4 *Mut. Dst.* iniquitate. 5 *Mut.* excedit. *Dst.* excidet. 6 *Mut.* ad deter. revocetis. *Sg. Bb. Dst.* det. non revocetis. 7 *Mut.* quae. 8 *Mut.* asectamini *pro:* ea sectamini. 9 *Mut. Sg. Bb. Dst.* VIII. 10 *Deest inscriptio in Mut. Bb.* Cuius unde supra. *Sg.* Epistola Pii papae ne episcopi passim accusentur et quod causae ibi finiri debeant ubi fuerint exortae. *Dst.* Cuius s. quod gravius sit sacrilegium agere quam fornicari. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 12 *Mut.* ab illo ditabimur. *Bb.* a deo dabimur. *Sg. Dst.* ab eo ditabimur. 13 *Deest in Mut.* 14 *In margine:* episcopos non acusandos. *Dst. in marg.* ne praedia ecclesiastica aliquis tollat et suis usibus applicet. 15 *Dst.* usui. 16 *Mut, Bb.* caelestia indicata. *Sg.* caelestium vindicata. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb. Par.* 840 *in marg.* predium ecclesia invadens et sacerdotes infamens sacrilegus est. 18 *Bb.* habeatur. 19 *Bb.* aecclesiam. 20 *Sg. Dst.* consistat. 21 *Dst. in marg.* praedia ecclesiastica ecclesiae invadens et sacerdotes infamans sacrilegus est. 22 *Mut. Bb. Dst. add.* et.

sacrilegus iudicatur. Emulamini, fratres, charismata meliora[1], et nolite talia agere, nec eis misceri aut consentire qui talia agunt[2], quoniam non solum qui talia agunt sunt huius[3] criminis rei[4], sed qui facientibus consentiunt. IX. Non ergo gravius peccatum est fornicatio quam sacrilegium, et[6] sicut maius est peccatum quod in deum committitur quam quod in hominem[7], sic gravius est sacrilegium agere, quam fornicari; de talibus enim ait apostolus: Et vos inflati estis et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum[8], qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, presens autem[9] spiritu, iam iudicavi ut presens eum qui sic operatus est in nomine domini nostri[10] Iesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu cum virtute domini Iesu Christi tradere huiusmodi satane in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini nostri Iesu Christi[11]. Non bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate, inquid apostolus, vetus fermentum ut sitis nova conspersio[12], sicut estis azimi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitie [13][et nequitiae, sed in azimis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in aepistola, ait idem ipse[14] apostolus, ne[15] commisceamini fornicariis, non utique fornicariis huius mundi aut avaris aut rapacibus aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc hoc[16] scripsi vobis: Non commisceamini[17]. Si quis[18] frater nominatus est fornicator, inmundus[19] aut avarus aut idolis serviens aut maledicus aut aebriosus aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi[20] qui foris sunt iudicare? Nonne de his qui intus sunt vos iudicastis[21]? Nam eos qui foris sunt deus iudicabit.] Auferte malum ex vobis ipsis[22]. Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti dei[23] de[24] mundo iudicabunt? Et si in vobis[25] indicabitur mundus, indigni estis quidem ut de minimis iudicetis, nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis saecularia! Saecularia igitur iuditia si habueritis, contemptibiles qui sunt in aecclesia illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico, sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre[26] iudicio contendit, et hoc apud[27] infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis[28] inter vos. Quare non magis iniuriam[29] accipitis? Quare non magis[30] fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicari[31], neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum dei possidebunt. Et hec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi et in spiritu dei nostri. De caetero salva

[IX. Quod gravius peccatum sit sacrilegium quam fornicatio.][5]

Emulamini fratres carismata meliora, I Cor. XII. 31.
quoniam non solum — qui facientibus consentiunt, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32). Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

c. IX. Et vos inflati estis — Auferte malum ex vobis ipsis, I Cor. V. 2—13.
Audet aliquis vestrum — et in spiritu dei nostri, I Cor. VI. 1—11.
De caetero salva in omnibus — audiantur, Ben. II. 113. 381. (c. 23. C. Th. XVI. 2).

1 *Mut.* maiora. 2 *Om. Sg.* nec eis misceri — talia agunt. 3 *Sg.* unius. 4 *Pro* talia agere — criminis rei *Mut. Bb. Dst.* agere, quoniam non solum qui talia agunt sunt unius (*Dst.* huius) criminis rei. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 6 *Mut.* sed. 7 *Dst. in marg.* gravius est sacrilegium agere quam fornicari. 8 *Mut. Sg. Bb. Dst. omittunt:* de medio vestrum. 9 *Deest in Sg. Dst.* 10 *Om. Sg.* 11 congregatis — salvus sit in die dn. nri I. Christi *desunt in Mut. Sg. Bb., in Dst. adduntur in marg. alia manu, ut vid., s. XII.* 12 *Mut. Bb.* consparsio. 13 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 14 *Deest in Bb. Dst., in Sg.* idem. 15 *Sg.* non. 16 *Sg. Bb. Dst.* autem. 17 *Codd. cit.* commisceri. 18 *Sg.* qui. 19 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 20 *Sg. Dst. add.* de his. 21 *Sg. Bb. Dst.* iudicatis. 22 *Deest in Mut.* 23 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 24 *Dst. addit:* hoc. 25 *Sg. Dst.* nobis. 26 *Sg. Dst. add.* in. 27 *Bb.* agunt. 28 *Deest in Bb. Dst.* sunt. *Sg.* sint. 29 *Deest in Mut. ubi lacuna invenitur.* 30 iniuriam — non magis *deest in Dst.* 31 *Sg. Dst.* fornicarii.

[X. Ut nullus sacerdos vel clericus inobediens existat suo episcopo neque ei insidias paret.][3]

in omnibus apostolica auctoritate quecumque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis et a suae dioceseos[1] synodis audiantur[2]. X. Et si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inoboediens fuerit aut ei insidias paraverit[4] aut contumeliam aut calumniam et convinci poterit[5], mox curiae tradatur. Qui autem facit iniuriam, recipiat hoc quod inique gessit. Corrumpunt enim mores bonos conloquia mala. Evigilate[6] iusti et nolite peccare. Data Idus Martii Claro et Severo vv. cc. conss.

DECRETA[7] ANNITICI[7]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ANNICII[8] PAPAE AD UNIVERSOS GALLIAE EPISCOPOS.

DE ORDINATIONE ARCHIEPISCOPORUM[9] ET RELICORUM EPISCOPORUM ET CETERIS EORUM CAUSIS.[10]

[I. De ordinatione archiepiscoporum et reliquorum episcoporum.][11]

I. Anicitus[12] universis aecclesiis per Galliae provintias constitutis in domino salutem.

Bonorum operum et spiritalium studiorum deum auctorem esse non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes et adiuvat actiones; quod[13] nobis evidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum unum corda vestra senserunt consilium, et quae desiderabatis responsa, non unius, sed plurimorum epistolae intimarunt. De ordinationibus vero[14] episcoporum super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti[15] predecessoris[16] nostri Anacleti[17] quaedam iam decreta repperimus. [18]Scimus enim beatissimum Iacobum qui dicebatur iustus, qui etiam saecundum carnem frater domini nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Ioanne apostolis[19] Hierosolimorum[20] episcopum[21] esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit episcopus[22] ordinatus, patet profecto eos formam instituente domino tradidisse, [23]non a[24] minus quam a tribus episcopis episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi necessitatis[25] intervenerit, debent etiam plures augeri. Id est si archiepiscopus diem[26] obierit et alter ordinandus est[27], archiepiscopus electus[28] fuerit, omnes eiusdem provintiae episcopi ad sedem metropolim[29] conveniant, ut ab omnibus ipse eligatur et[30] ordinetur. Oportet autem ut ipse qui illis omnibus preesse debet, [31]ab omnibus illis eligatur et ordinetur. Reliqui vero conprovintiales episcopi, si necesse fuerit, caeteris consentientibus a tribus iussu archiepiscopi consecrari possunt episcopi[32]. Sed melius est, si ipse cum omni-

c. X. *Et si quis sacerdotum — mox curiae tradatur* sec. epit. cod. Par. supp. lat. 215. ad c. 5. l. Rom. Visig. C. Th. XVI. 1. Cf. Fab. 21, Steph. 12.

Qui autem facit — inique gessit, Coloss. III. 25.

Corrumpunt enim — nolite peccare, I Cor. XV. 33. 34.

Nota cons. des. ex c. 1. vit. Pii in libr. pontif.

c. I. *Bonorum operum et — epistolae intimarunt*, Leon. M. ep. 61. c. 1. (1, 983). Cf. Fel. I. pp. 8.

Scimus enim beatissimum — ordinari debere, sec. conc. Nic. praef. in cod. Quesnell. (Leon. op. ed. Baller. 3, 24.) et c. 4. conc. Nic. Cf. Anacl. 18.

non a minus — ordinari debere sec. c. 4. conc. Nicen. Cf. Anacl. 18, Ioann. III. pp. ep.

Id est si archiepiscopus — et ordinetur sec. Leon. M. ep. 10. c. 5. (1, 638).

Reliqui vero conprovintiales — acta ordinatio (c. II.) sec. c. 19. conc. Ant. (D.).

1 *Sg. Dst. add.* in. 2 *Sic* audiatur *corr. sec. Sg. Bb. Dst.* 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 4 *Mut.* paraverat. 5 *Mut. Sg. Dst.* potuerit. 6 *Mut.* et vigilate. 7 *Desunt in Mut. Bb. Dst.* 8 *Bb.* annitii. *Dst.* anitii. 9 *Dst.* episcoporum. 10 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* epistola Aniceti papae quot episcopi in ordinatione pontificis sint adhibendi et de differentia patriarcharum vel primatum vel caeterorum episcoporum. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. numerum ponit.* 12 *Mut. Bb.* Annicius. *Dst.* Annitius. *Sg.* Anicetus. 13 *Mut.* quo. 14 *Deest in Mut. Sg. Bb.* 15 *Bb.* sanctis. 16 *Sg.* praecessoris. 17 olim — Anacleti *deest in Mut.* 18 *In marg. cod.* de ordinatione episcoporum. 19 *Dst. addit:* apud. 20 *Mut. Bb. Dst.* Hierosolimam. *Sg.* Hierosolima. 21 *Deest in Bb.* 22 *Deest in Sg. Dst.* 23 *Dst. addit:* ut. 24 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 25 *Codd. cit. Bb.* necessitas. 26 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 27 *Deest in Mut. et codd. cit.* 28 *Om. Sg.* 29 *Sg. Bb.* metropolitani. *Dst.* metropoleos. 30 *Deest* eligatur et *in Mut. et Bb.* 31 *Sg. Dst. add.* ut. 32 *Deest in Dst.*

bus, eum qui dignus est elegerit et cuncti pariter sacraverint[1] pontificem. II. Et licet istud necessitate cogente concessum sit, illud autem quod de archiepiscopi consecratione preceptum atque praedictum est, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus inmutari licet; quia qui illis[3] praeest, ab omnibus episcopis quibus praeest debet constitui. Sin aliter presumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit eius secus acta ordinatio. [4]Ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis aut de[5] aliis communibus iuxta statuta apostolorum absque cunctorum illorum agat consilio; nec illi, nisi quantum ad proprias parrochias pertinet sine suo, [6][quoniam tali gaudet concordia altissimus et gloriatur in membris suis[7].

[II. Ut archiepiscopus ab omnibus suffraganeis ordinetur: aliter irrita erit eius acta ordinatio.][2]

III. Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos[9] et successores eorum[10] regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem episcoporum primatem constitui. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur.] IV. Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit et sine omnium comprovintialium praesentia vel consilio[12] episcoporum aut eorum aut alias causas, nisi eas tantum quae ad propriam suam pertinent parrochiam, agere[13] aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps presumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnia episcoporum iuditia terminare precepta sunt, eius contumatia referatur, ut vindicta de eo fiat et ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem aut temporis incommoditatem vel itineris asperitatem grave ad hanc sedem eius causam deferre non posse[14] fuerit, tunc ad eius primatem [15]causa deferatur et penes ipsum huius sanctae sedis auctoritate iudicetur. Similiter si aliquis episcoporum proprium[16] metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem dioceseos aut apud hanc apostolicam sedem audiatur. Qui maior est vestrum, secundum dominicam iussionem sit vester minister, et quanto[17] maior es[18] in omnibus, humilia te ipsum[19]. Carissimi, nolite inter vos contendere nec querat aliquis maior[20] esse, sed iuxta apostolum diligite vos invicem, quia[21] caritas ex deo est et omnis qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum. Qui non diligit, non novit deum, quoniam[22] deus[23] caritas est. Pascite, inquit princeps apostolorum, qui in vobis est gregem dei, providentes non coactae, sed spontaneae secundum deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariae, neque ut dominantes[24] in cleris, sed forma facti gregi ex animo. Et

[III. Qui sint primates vocandi quique metropolitani.][8]

[IV. De inflacione metropolitanorum et fastu et de episcopis qui leduntur a metropolitano.][11]

c. II. Ipse autem archiepiscopus — agat consilio sec. c. 35. apost. aut Ben. III. 106.
nec illi nisi quantum — sine suo, c. 9. conc. Antioch. (D.) aut Ben. III. 358. aut c. 43. Angilr. cf. Luc. 5. (Cf. Calist. 13, Luc. 3, Iul. 12.)
c. III. Nulli archiepiscopi — metropolitani nominentur, Ben. III. 439. (III. 29). (c. 12. conc. Chalc. et c. 6. conc. Afric. D.). Cf. Steph. 9. (Clem. 28. 29, Anacl. 26. 29, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII.)
c. IV. Si autem aliquis etc. videntur excogitata a Ps.-Is.
cui omnia iudicia — precepta sunt ficta sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7). Cf. etiam Anacl. 17. et quae ibi adnotata sunt.
Similiter si aliquis — sedem audiatur, Ben. III. 314. aut c. 17. Angilr. (c. 9. 17. conc. Chalc. D.). Cf. Iul. 12. (Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12, Fel. II. pp. 4, 12. XX.)
Qui maior est — humilia te ipsum, Matth. XXIII. 11.
Carissimi nolite — deus caritas est, I Ioann. IV. 7. 8.
Pascite inquit — gloriae coronam, I Petr. V. 2—4.

[1] *Sg. Dst.* consecraverint. *In Bb.* sacraverint *alia manu in* consacraverint *corrigitur.* [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* 840 *in marg.* de consecratione archiepiscopi. [3] *Dst.* ille qui. [4] *Bb. hic sine numero rubricam ponit:* de primatibus vel patriarchis. [5] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [6] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* [7] *Dst.* eius. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [9] *Sg. Bb. Dst.* apostoli. [10] *Dst.* apostolorum. [11] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [12] *Bb.* concilio. [13] *Deest in Mut. Sg. Bb. In Bb. alia manu s. XI. additur post verba* aut alias causas. [14] non posse *deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [15] *Sg. add.* eius. [16] *Deest in Dst.* [17] *Mut. Bb.* quantum. [18] *Mut.* est. [19] *Mut.* humiliet se ipsum. *Bb. Dst. ut in text.; Par. suppl. lat.* 840: humiliat te ipsum. [20] *Bb.* maiore. [21] *Sg. Bb. Dst.* quoniam. [22] *Dst.* quia. [23] *Deest in Mut. Bb. Dst.* [24] *Mut. Sg. Bb.* dominentur. *Dst.* dominemini.

[X. Ut nullus sacerdos vel clericus inobediens existat suo episcopo neque ei insidias paret.][3]

in omnibus apostolica auctoritate quecumque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis et a suae dioceseos[1] synodis audiantur[2]. X. Et si quis sacerdotum vel reliquorum clericorum suo episcopo inoboediens fuerit aut ei insidias paraverit[4] aut contumeliam aut calumniam et convinci poterit[5], mox curiae tradatur. Qui autem facit iniuriam, recipiat hoc quod inique gessit. Corrumpunt enim mores bonos conloquia mala. Evigilate[6] iusti et nolite peccare. Data Idus Martii Claro et Severo vv. cc. conss.

DECRETA[7] ANNITICI[7]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ANNICII[8] PAPAE AD UNIVERSOS GALLIAE EPISCOPOS.

DE ORDINATIONE ARCHIEPISCOPORUM[9] ET RELICORUM EPISCOPORUM ET CETERIS EORUM CAUSIS.[10]

[I. De ordinatione archiepiscoporum et reliquorum episcoporum.][11]

I. ANICITUS[12] universis aecclesiis per Galliae provintias constitutis in domino salutem.

Bonorum operum et spiritalium studiorum deum auctorem esse non dubium est, qui bonorum hominum incitat mentes et adiuvat actiones; quod[13] nobis evidenter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum unum corda vestra senserunt consilium, et quae desiderabatis responsa, non unius, sed plurimorum epistolae intimarunt. De ordinationibus vero[14] episcoporum super quibus nos consulere voluistis, olim in sancti[15] predecessoris[16] nostri Anacleti[17] quaedam iam decreta repperimus. [18]Scimus enim beatissimum Iacobum qui dicebatur iustus, qui etiam saecundum carnem frater domini nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Ioanne apostolis[19] Hierosolimorum[20] episcopum[21] esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus apostolis tantus vir fuit episcopus[22] ordinatus, patet profecto eos formam instituente domino tradidisse, [23]non a[24] minus quam a tribus episcopis episcopum ordinari debere. Sed crescente numero episcoporum, nisi necessitatis[25] intervenerit, debent etiam plures augeri. Id est si archiepiscopus diem[26] obierit et alter ordinandus est[27], archiepiscopus electus[28] fuerit, omnes eiusdem provintiae episcopi ad sedem metropolim[29] conveniant, ut ab omnibus ipse eligatur et[30] ordinetur. Oportet autem ut ipse qui illis omnibus preesse debet, [31]ab omnibus illis eligatur et ordinetur. Reliqui vero conprovintiales episcopi, si necesse fuerit, caeteris consentientibus a tribus iussu archiepiscopi consecrari possunt episcopi[32]. Sed melius est, si ipse cum omni-

c. X. *Et si quis sacerdotum —mox curiae tradatur* sec. epit. cod. Par. supp. lat. 215. ad c. 5. l. Rom. Visig. C. Th. XVI. 1. Cf. Fab. 21, Steph. 12.

Qui autem facit—inique gessit, Coloss. III. 25.

Corrumpunt enim—nolite peccare, I Cor. XV. 33. 34.

Nota cons. des. ex c. 1. vit. Pii in libr. pontif.

c. I. *Bonorum operum et — epistolae intimarunt*, Leon. M. ep. 61. c. 1. (1, 983). Cf. Fel. I. pp. 8.

Scimus enim beatissimum — ordinari debere, sec. conc. Nic. praef. in cod. Quesnell. (Leon. op. ed. Baller. 3, 24.) et c. 4. conc. Nic. Cf. Anacl. 18.

non a minus—ordinari debere sec. c. 4. conc. Nicen. Cf. Anacl. 18, Ioann. III. pp. ep.

Id est si archiepiscopus — et ordinetur sec. Leon. M. ep. 10. c. 5. (1, 638).

Reliqui vero conprovintiales — acta ordinatio (c. II.) sec. c. 19. conc. Ant. (D.).

1 *Sg. Dst. add.* in. 2 *Sic* audiatur *corr. sec. Sg. Bb. Dst.* 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 4 *Mut.* paraverat. 5 *Mut. Sg. Dst.* potuerit. 6 *Mut.* et vigilate. 7 *Desunt in Mut. Bb. Dst.* 8 *Bb.* annitii. *Dst.* anitii. 9 *Dst.* episcoporum. 10 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* epistola Aniceti papae quot episcopi in ordinatione pontificis sint adhibendi et de differentia patriarcharum vel primatum vel caeterorum episcoporum. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Bb. numerum ponit.* 12 *Mut. Bb.* Annicius. *Dst.* Annitius. *Sg.* Anicetus. 13 *Mut.* quo. 14 *Deest in Mut. Sg. Bb.* 15 *Bb.* sanctis. 16 *Sg.* praecessoris. 17 olim — Anacleti *deest in Mut.* 18 *In marg. cod.* de ordinatione episcoporum. 19 *Dst. addit:* apud. 20 *Mut. Bb. Dst.* Hierosolimam. *Sg.* Hierosolima. 21 *Deest in Bb.* 22 *Deest in Sg. Dst.* 23 *Dst. addit:* ut. 24 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 25 *Codd. cit. Bb.* necessitas. 26 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 27 *Deest in Mut. et codd. cit.* 28 *Om. Sg.* 29 *Sg. Bb.* metropolitani. *Dst.* metropoleos. 30 *Deest* eligatur et *in Mut. et Bb.* 31 *Sg. Dst. add.* ut. 32 *Deest in Dst.*

bus, eum qui dignus est elegerit et cuncti pariter sacraverint[1] pontificem. II. Et licet istud necessitate cogente concessum sit, illud autem quod de archiepiscopi consecratione preceptum atque praedictum est, id est, ut omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus inmutari licet; quia qui illis[3] praeest, ab omnibus episcopis quibus praeest debet constitui. Sin aliter presumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit eius secus acta ordinatio. [4]Ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis aut de[5] aliis communibus iuxta statuta apostolorum absque cunctorum illorum agat consilio; nec illi, nisi quantum ad proprias parrochias pertinet sine suo, [6][quoniam tali gaudet concordia altissimus et gloriatur in membris suis[7]. III. Nulli archiepiscopi primates vocentur, nisi illi qui primas tenent civitates, quarum episcopos[9] et successores eorum[10] regulariter patriarchas vel primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui necesse sit propter multitudinem episcoporum primatem constitui. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nominentur.] IV. Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit et sine omnium comprovintialium praesentia vel consilio[12] episcoporum aut eorum aut alias causas, nisi eas tantum quae ad propriam suam pertinent parrochiam, agere[13] aut eos gravare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps presumere audeat. Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnia episcoporum iuditia terminare precepta sunt, eius contumatia referatur, ut vindicta de eo fiat et ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem aut temporis incommoditatem vel itineris asperitatem grave ad hanc sedem eius causam deferre non posse[14] fuerit, tunc ad eius primatem [15]causa deferatur et penes ipsum huius sanctae sedis auctoritate iudicetur. Similiter si aliquis episcoporum proprium[16] metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem dioceseos aut apud hanc apostolicam sedem audiatur. Qui maior est vestrum, secundum dominicam iussionem sit vester minister, et quanto[17] maior es[18] in omnibus, humilia te ipsum[19]. Carissimi, nolite inter vos contendere nec querat aliquis maior[20] esse, sed iuxta apostolum diligite vos invicem, quia[21] caritas ex deo est et omnis qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum. Qui non diligit, non novit deum, quoniam[22] deus[23] caritas est. Pascite, inquit princeps apostolorum, qui in vobis est gregem dei, providentes non coactae, sed spontaneae secundum deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariae, neque ut dominantes[24] in cleris, sed forma facti gregi ex animo. Et

[II. Ut archiepiscopus ab omnibus suffraganeis ordinetur: aliter irrita erit eius acta ordinatio.] [2]

[III. Qui sint primates vocandi quique metropolitani.] [8]

[IV. De inflacione metropolitanorum et fastu et de episcopis qui leduntur a metropolitano.] [11]

c. II. *Ipse autem archiepiscopus — agat consilio* sec. c. 35. apost. aut Ben. III. 106.
nec illi nisi quantum — sine suo, c. 9. conc. Antioch. (D.) aut Ben. III. 358. aut c. 43. Angilr. cf. Luc. 5. (Cf. Calist. 13, Luc. 3, Iul. 12.)
c. III. *Nulli archiepiscopi — metropolitani nominentur*, Ben. III. 439. (III. 29). (c. 12. conc. Chalc. et c. 6. conc. Afric. D.). Cf. Steph. 9. (Clem. 28. 29, Anacl. 26. 29, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII.)
c. IV. *Si autem aliquis etc.* videntur excogitata a Ps.-Is.
cui omnia iudicia — precepta sunt ficta sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7). Cf. etiam Anacl. 17. et quae ibi adnotata sunt.
Similiter si aliquis — sedem audiatur, Ben. III. 314. aut c. 17. Angilr. (c. 9. 17. conc. Chalc. D.). Cf. Iul. 12. (Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12, Fel. II. pp. 4, 12. XX.)
Qui maior est — humilia te ipsum, Matth. XXIII. 11.
Carissimi nolite — deus caritas est, I Ioann. IV. 7. 8.
Pascite inquit — gloriae coronam, I Petr. V. 2—4.

[1] *Sg. Dst.* consecraverint. *In Bb.* sacraverint *alia manu in* consacraverint *corrigitur.* [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb. Par.* 840 *in marg.* de consecratione archiepiscopi. [3] *Dst.* ille qui. [4] *Bb. hic sine numero rubricam ponit:* de primatibus vel patriarchis. [5] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [6] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* [7] *Dst.* eius. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* [9] *Sg. Bb. Dst.* apostoli. [10] *Dst.* apostolorum. [11] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [12] *Bb.* concilio. [13] *Deest in Mut. Sg. Bb. In Bb. alia manu s. XI. additur post verba* aut alias causas. [14] non posse *deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [15] *Sg. add.* eius. [16] *Deest in Dst.* [17] *Mut. Bb.* quantum. [18] *Mut.* est. [19] *Mut.* humiliet se ipsum. *Bb. Dst. ut in text.; Par. suppl. lat.* 840: humiliat te ipsum. [20] *Bb.* maiore. [21] *Sg. Bb. Dst.* quoniam. [22] *Dst.* quia. [23] *Deest in Mut. Bb. Dst.* [24] *Mut. Sg. Bb.* dominentur. *Dst.* dominemini.

cum apparuerit princeps pastorum, percipietis inmarcescibilem gloriae coronam. Et iuxta alium apostolum: Fratres, memores estote verborum quae praedicta sunt ab apostolis[1] Iesu Christi qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient inlusores saecundum desideria[2] ambulantes in peccatum[3]. Hi sunt qui segregant semetipsos animales, spiritum[4] non habentes. Vos autem, karissimi, superaedificantes vosmetipsos sanctissime vestre fidei, in spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione dei servate, exspectantes misaericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos[5] quidem arguite iudicantes, illos vero salvate de igne rapientes[6]. Aliis autem miseremini in timore, odientes[7] eam quae carnalis est maculatam tunicam. [V. Ut clerici comam non nutriant sed super caput in modum spere radant.][8] V. Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum aecclesias, ut clerici iuxta apostolum comam non nutriant, sed desuper capitae[9] in modum spere radant, quia sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura et[10] omni habitu discreti debent apparere. Haec vobis, fratres, ut petistis custodienda mittimus et custodire precipimus, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Data VIII. Kal. Iunii[11], Gallicano[12] et Rufino cc. conss.

DECRETA[13] SOTHERI[13]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS SOTHERI PAPAE DE FIDE.[14]

[I. De fide incarnationis Christi.][15] I. SOTHER apostolicae sedis archiepiscopus Campanis omnibus salutem in domino.

Gaudere vos oportet, fratres, quod divina largiente gratia familiares[16] domini vocamini eiusque sacerdotii dignitate fungimini. Nunc autem[17] rogo vos ut circa plebes vobis commissas laborare dignemini et fructuosos manipulos domino reportare nitamini. Paulus enim apostolus de fide loquitur ita dicens[18]: Quod ante promiserat, ait[19], per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Item ipse ad Galathas: Postquam autem[20] venit plenitudo temporis, misit deus filium suum natum[21] ex muliere[22], factum sub lege. Et ad Philippenses: In similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Et in psalmo tricesimo: Infirmata est in paupertate virtus mea, et ossa mea conturbata sunt, et super omnes inimicos meos factus sum obprobrium. Item ibi: Oblivioni traditus[23] sum tanquam mortuus a corde. [24][Factus sum tanquam[25] vas perditum. Et in septuagesimo: Tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis. Et in sexagesimo[26] secundo: Ut iumentum factus sum aput te, et ego semper tecum. Et in septuagesimo sexto[27]: Montem[28] Syon dicet: Homo et

Fratres memores estote — maculatam tunicam, Iud. 17—23.
c. V. Prohibite fratres — in modum spere radant sec. vit. Aniceti c. 2. in libr. pontif.
ut in nomine Iesu — gloria est dei patris, Philipp. II. 10. 11.
Nota cons. desumta ex vit. Aniceti c. 1. in libr. pontif.
c. I. Campanis sec. vit. Sot. c. 1. in libr. pont. („natione Campanus").
et fructuosos manipulos — reportare nitamini sec. Greg. M. hom. I. 17. no. 16. (1, 1054). Cf. Clem. 27, Anacl. 35, Fel. I. pp. 7, Lib. 2, Dam. de corep.
Quod ante promiserat — aque in caelo (*c. II.*), Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 729. 730).

1 *Sg. add.* domini. 2 *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* sua. 3 *Dst.* peccato. 4 *Mut.* spiritus. 5 *Mut. Bb.* eos. 6 *Mut.* recipientes. 7 *Sic* audientes *corr. sec. Mut. Sg. Dst.; Bb.* oboedientes. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.; Bb.* V. de corona clericorum. 9 *Dst.* capita. *Sg.* sed eam super capita *pro:* desuper capitae. 10 *Bb. addit:* in. 11 *Om. datum Sg.* 12 *Bb.* Galliano. 13 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 14 *Dst. addit:* incarnationis Christi. *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola Sotheri papae de incarnatione domini. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. qui omittit numerum, cum inscriptione rubricam coniungit. In Bb. solus numerus.* 16 *Mut.* similiares. 17 *Mut.* hoc. 18 *Mut. addit:* ita. 19 *Deest in Dst.* 20 *Mut.* enim. 21 *Deest in Dst.* 22 *Om. Sg.* natum ex muliere. 23 *Mut.* aditus. 24 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum ex Mut. restitui.* 25 *Bb.* quasi. 26 *Sg. Bb. Dst.* septuagesimo. 27 *Bb.* LXXXVIIo. *Sg.* octuagesimo sexto. *Dst.* octugesimo, *ommittens verba sequentia:* sexto — septuagesimo septimo, *quae etiam desunt in Bb.* 28 *Sg* Mater.

homo natus[1] est in ea, et ipse fundavit eam altissimus. Et in septuagesimo[2] septimo: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et in centesimo octavo[3]: Et factus sum illis obprobrium, viderunt me et moverunt capita sua.] Et in centesimo primo: Vigilavi et factus sum sicut passer singularis[4] in tecto[5]. Et in evangelio: Verbum caro factum est et habitavit in nobis. II. Filius igitur secundum carnem dicitur factus. Nam secundum divinitatem a patre nusquam legitur factus, sed genitus; dum enim pater loquitur, filius loquitur, et cum filius loquitur, pater[7] in illo loquens[8] documentis caelestibus comprobatur Paulo adtestante, qui ait: Multis partibus[9] multisque modis olim deus locutus est patribus[10] in prophetis, novissime autem[11] locutus est nobis in filio. Et ut eundem filium, excepto patris precepto, doceam fuisse locutum, ex Isaiae[12] prophetae volumine proferimus documentum. Hec dicit dominus: In illa die sciet populus meus, quoniam ego sum ipse qui loquebar in servis meis prophetis aevangelizans auditum pacis, et ecce adsum. Item alibi[13]: Ego sum dominus qui loquor iustitiam et adnuntio veritatem. Item alibi[14]: Cogitavi et locutus sum, et adduxi et creavi et feci. Et apostolus: An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Et in psalmo centesimo decimo octavo: Loquebar in[15] testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et ipse dominus in evangelio caeco a se inluminato dicit: Et vidisti eum et qui loquitur tecum ipse est. Et Samaritanae mulieri ait: Ego sum qui loquor tecum[16]. Et ad discipulos[17]: Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Et ad patrem: Ego ad te venio, et haec loquor in mundo. Et iterum iudaeis dixit[18]: Loquor vobis, et non audistis[19]. Si autem venerit alius, illum audietis. Et iterum: Haec locutus est dominus in gazofilatio docens in templo et nemo adprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. Ecce in his omnibus, que superius dicta sunt, non docetur filius precepto patris fuisse locutum[20], sed magis proprium exercuisse in loquendo sermonem. Isaias[21] quoque propheta ait: Haec dicit dominus: Ego feci terram sensu meo et hominem super eam, ego solidavi caelum manu mea, ego omnibus sideribus mandavi ut lucerent in coelo. Item alibi[22]: Omne consilium meum studui[23], et omnia quecunque cogitavi ego feci[24]. Item alibi[25]: Sic dicit dominus, qui constituit caelum et terram et fecit eam, ipse finivit[26] eam. Item alibi[27]: Ego primus et ego in aeternum, manus mea fundavit terram. Dextera mea solidavit caelum. Et in Ieremia[28]: Ego feci terram in[29] fortitudine mea magna[30] et in brachio meo[31] excelso. Item[32] in Hieremia: Dominus fecit terram in virtute sua magna et erexit orbem terrae in sapientia, et prudentia sua extendit caelum et posuit sonum aque in caelo. Defendite, karissimi, rogamus contra malivolos homines inconcussum aecclesiae statum, ut vos Christi dextera defendat in aevum. Data Nonas Maii Rustico[33] et Aquilino vv. cc. conss.

[II. Quod filius secundum carnem dicitur factus, secundum divinitatem vero non factus sed genitus.][6]

c. II. Defendite karissimi—defendat in aevum, fin. Leon. M. ep. 44. (1, 917).

Nota cons. desumta e vit. Sot. c. 1. in libro pontif.

[1] *Sg.* factus. [2] *Sg.* octuagesimo. [3] *Sg. Bb. Dst.* nono. [4] *Sg. Dst.* solitarius. [5] *In Mut. deest:* in CI — tecto. [6] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [7] *Mut. Bb.* patrem. [8] *Codd. cit.* loquentem. [9] *Corrigitur al. m. s. XI. in Bb. in:* Multifarie. [10] Multisque modis — patribus *deest in Mut.* [11] *Mut.* enim. [12] *Sg. Dst.* Esaiae. [13] *Mut. Sg. Bb. Dst.* ibi. [14] Ego sum — item alibi *deest in Sg. Bb. Dst., in Bb. manu s. XI. in margine additur.* [15] *Mut. Dst.* de. [16] Et Samaritanae — loquor tecum *om. Dst. Sg. In Sg. al. manu pro eis additur:* Item ad discipulos. [17] *Dst.* apostolos. [18] *Sg. Bb. Dst.* dicit. [19] *Mut. Bb.* auditis. [20] *Mut. Dst.* locutus; *sic quoque Sg. postea correctus.* [21] *Sg. Dst.* Esaias. [22] *Mut. Bb.* ibi: Ego. [23] *Mut.* statui. [24] Item alibi: Omne — ego feci *deest in Sg. Dst.* [25] *Mut. Sg. Bb. Dst.* ibi. [26] *Dst.* feci ea et fundavit ea. [27] *Mut. Sg. Bb. Dst.* ibi. [28] *Codd. cit.* item ibi. [29] *Deest in Dst.* [30] *Deest in Sg. Dst.* [31] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [32] *Sg.* Et. [33] *Deest in Mut. Sg. Dst.; in Mut. lacuna; in Bb. additur al. manu s. XI.*

CUIUS SUPRA AD EPISCOPOS ITALIAE.[1]

[III. Ut sacrate femine vel monache non contingant vasa sacra vel sacratas pallas neque deferant incensum circa altaria.][2]

III. Dilectissimis fratribus per Italiae provintias sanctis constitutis episcopis SOTHER[3] papa.

Divinis preceptis et apostolicis monitis informamur, ut pro omnium aecclesiarum statu inpigro vigilemus affectu[4], ac si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium, caeleri sollicitudine ab ignorantiae imperitia aut[5] praesumptionis usurpatione revocemus. [6]Sacratas deo feminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere et incensum circa altaria deferre perlatum est ad apostolicam sedem, quae omnia[7] reprehensione et vituperatione plena esse nulli recte[8] sapientium dubium est. Quapropter huius sanctae sedis auctoritate haec omnia vobis resecare funditus, quantotius[9] poteritis, censemus, et ne pestis hoc[10] latius divulgetur per omnes provintias, abstergi citissime[11] mandamus, ait enim apostolus: Despondi[12] vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Illa est enim virgo[13] aeclesia, sponsa unius viri Christi, quae[14] nullo se patitur errore[15] vel inhonesta reprehensione vitiari[16], ut per totum mundum una nobis sit unius castae[17] communionis integritas. Unde consurgite, fratres[18] karissimi, cum deo et adsistite ei induentes arma spiritus adversus malignantes contra fidem eius, et probetur[19] spiritus sapienter, id est, verba illorum si ex deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia[20]: Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies et facies[21] et probabis viam eorum. Multum namque nobis necessaria est vigilantia tanti sacramenti sapientiae[22] discretionis, quae occulta tenebrarum revelat, ad requisitionem huiusmodi [23][rei et scrutationem, quoniam latet[24] quodammodo et absconditur vixque comprehenditur dolosa existens malitia pro eo quod sibi pietatem callide blandiat[25], ut valeat scrutantium mentem latere. Quod utique sciens beatus apostolus ait: Nam huiusmodi pseudoapostoli, operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi. Sed non mirum quando ipse sathanas transfigurat se velut angelus lucis, si ministri eius transfigurantur[26] velut ministri iustitiae, quorum finis secundum opera eorum. Sed et dominus in hoc praemuniens nos, ait:] Adtendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem[27] sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quaestione depraecationem et dicentes[28] cum David: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua; lucerna pedibus meis verbum tuum, domine[29], et lumen semitis meis. Quoniam ipsius est[30], sicut ait beatus Danihel propheta, sapientia et fortitudo eius sunt, dat sapientiam sapientibus et

c. *III. Divinis praeceptis — revocemus*, init. Leon. M. ep. 16. (1, 715). Cf. Zeph. 10, Fab. 1, Iul. 11.

Sacratas deo feminas — altaria deferre sec. vit. Sot. c. 2. in libr. pontif.

et ne pestis hoc latius — abstergi citissime mandamus, Leon. M. ep. 7. c. 2. (1, 625) aut Ben. III. 54. Cf. Fab. 7, Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3, Anast. I. pp. ep. 1, Silverii ep., Bened. I. pp. ep.

ait enim apostolus — communionis integritas, eiusd. ep. 80. c. 1. (1, 1038).

Unde consurgite fratres — mihi que rogavi te sec. conc. Later. 649. secr. III. (Mansi 10, 955). Cf. Lib. ep. 1.

1 *Mut.* epistola Sotheris papae. *Sg.* epistola Sotheri papae qui ad altare non debeant accedere. *Dst.* C. s. epistola II. ad ep. It. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui numerum omisit et rubricam cum inscriptione coniungit. Solus numerus in Bb.* 3 *Mut.* Soter. 4 *Sic Sg. Bb. Dst.* pro effectu, *quod est in cod. et Mut.* 5 *Mut.* a. *Dst.* et. 6 *Cod. in marg.* monacas non turificare nec sacra vasa tangere. *Bb. hic rubricam sine numero ponit:* ut femine sacra vasa non tangant nec incensum ad altare ponant. 7 *Mut.* quoniam *pro:* quae omnia. 8 *Sg.* recta. 9 *Mut. Sg. Bb. Dst.* quanto citius. 10 *Codd. cit.* haec. 11 *Sg. Dst.* diutissime. 12 *Mut. add.* enim. 13 *Deest in Mut. Bb. Dst., in Bb. additur alia manu s. XI.* 14 *In Sg. manu post. additur:* in. 15 *Sg.* honore, *quod manu post. correct. in:* inorari. 16 *Mut.* vitari. 17 *Dst.* castitate. 18 *Deest in Mut. Dst.* 19 *Dst.* conprobet *pro:* et probetur. *Sg.* conprobetur, *quod manu post. correct. in:* conprobentur autem. 20 *Mut.* Hieremiam. 21 *Deest* et facies *in Sg. Bb. Dst.* 22 *Dst. addit:* et. 23 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 24 *Dst.* tale. 25 *Sg. Bb. Dst.* blandiatur. 26 *Codd. cit.* transfigurentur. 27 *Mut.* enim. 28 *Dst.* dicite *pro:* et dicentes. 29 *Deest in Mut.* 30 *Deest* ipsius est *in Dst.*

scientibus[1] intelligentibus et[2] disciplinam; ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, quia[3] sapientiam et fortitudinem dedisti mihi et ostendisti mihi que rogavi te. Data Kal. Iunii Cetico et Clero[4] vv. cc. consulibus.

DECRETA[5] ELEUTHERI[5]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ELEUTHERI[6] PAPAE.[7]

[I. De escis communibus non respuendis quas deus ad cibos tribuit fidelibus suis.][8]

I. ELEUTHERUS[9] episcopus universis aecclesiis per Galliae provintias domino militantibus in domino salutem.

Magno munere misericordiae dei totius aecclaesie catholicae multiplicata sunt gaudia, cum multos populos ad domini servitium festinare cognovimus. Qua de re necessarium iudicavimus vos instruere, ut escas quas vitare vos audivimus inrationabiliter non respuatis[10]. Scitis, fratres, legislatorem docuisse, omnia quae creavit deus erant valde bona, et ipsa per se veritas ait: Non quod intrat in os quoinquinat[11] hominem, sed quod exit de ore. Unde constat non debere refutare escas communes quas deus ad cybos tribuit fidelibus suis. Et in actibus apostolorum de mundis escis legitur ita: Postera autem[12] die iter illis[13] facientibus domesticis cum Petro et adpropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut horaret circa horam sextam, et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus[14] autem eis cecidit super eum mentis excessus et vidit caelum apertum et descendens vas quoddam velut linteum magnum quattuor initiis summitti[15] de coelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia caeli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide et manduca. Ait autem[16] Petrus: Absit, domine, quia numquam manducavi omne commune et inmundum. Et vox iterum secundo ad eum: Que deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter, et statim receptum est vas in caelum.

[II. De accusacionibus clericorum et ut diffinitiva episcoporum tantum iudicia ad sedem apostolicam deferantur et ut in ecclesiis eorum non alii proponantur aut ordinentur antequam illic eorum terminentur negotia.][17]

II. De accusationibus ergo clericorum, super quibus consulti[18] sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad sedem apostolicam deferre, finitiva[19] episcoporum tantum iuditia huc deferantur, ut[20] huius sanctae sedis auctoritate finiantur, sicut ab apostolis eorumque successoribus multorum consensu[21] episcoporum iam definitum est. Nec in eorum aecclesiis alii aut preponantur aut ordinentur, antequam hic eorum iuste[22] terminentur negotia, quoniam quamvis liceat apud provinciales et metropolitanos atque primates eorum ventilare accusationes vel criminationes, non tamen licet diffinire secus quam[23] praedictum est. [24]Reliquorum vero clericorum[25] apud provintiales et metropolitanos ac primates et ventilare et iuste finire licet, iudicantem tamen oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena

Nota cons. des. e vit. Sot. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Magno munere — sunt gaudia, init. Leon. M. ep. 104. (1, 1143). Cf. Sixt. II. pp. 4, Fel. IV. ep. 1.
ut escas quas — respuatis sec. vit. Eleuth. c. 2. in libr. pontif.
omnia quae creavit — valde bona, Gen. I. 31.
Non quod intrat — exit de ore, Matth. XV. 11.
Unde constat — tribuit fidelibus suis sec. libr. pontif. l. c.
Postera autem die — vas in caelum, Act. apost. X. 9—16.
c. II. De accusationibus ergo — secus quam praedictum est sec. c. 4. conc. Sard. aut Ben. II. 401. III. 103. Cf. Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
iudicantem tamen oportet — sit pleniter, Ben. I. 400. aut c. 23. Angilr. (c. 1. et interpr. C. Th. II. 18). Cf. Iul. 16.

1 *Mut. Bb. Dst.* scientiam. *Sg.* scientiam et. 2 *Deest in codd. cit.* 3 *Sg.* qui. 4 *Bb.* Claro. 5 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 6 *Dst.* Eleutherii. 7 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* epistola Eleutherii papae. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 9 *Dst.* Eleutherius. 10 *Cod. in marg.:* Nullam escam communem. 11 *Bb.* inquinat. 12 *Mut.* enim. 13 *Mut.* tribus. 14 *Bb.* Parentibus. 15 *Cod. legit:* sunt mitti. *Mut. Sg.* submitti. *Dst.* sumitti. *Bb.* submittit. 16 *Mut.* enim. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 18 *Dst. addit:* non. *Ita quoque Sg. in quo postea deletum est et verbum* clericorum *mutatum in:* clericalium prespiterorum. 19 *Mut. addit:* vero. 20 *Sg.* et. 21 *Sg. Dst.* concessu. 22 *Mut. Sg. Bb.* iusta. 23 *Sg. Dst.* eis ut *pro* secus quam. 24 *Cod. in marg.:* de discutiendis criminibus. 25 *Dst. addit:* causas.

[III. Ut iudex non prius obviet sua sententia litigantibus, quamdiu ipsi habent aliquid quod proponant in questione.][2]

[IV. De accusacionibus comprovincialium.][12]

[V. Ut iudices ecclesie absentem personam non iudicent.][17]

inquisitione discutere, interrogandi ac preponendi aditiendique prebita patientia ab eo, ut ibi actio[1] ambarum partium limitata sit pleniter. III. Nec litigantibus iudex prius sua velit sententia obviare nisi quando ipsi iam peractis omnibus nihil habeant in questione quod proponant, et tamdiu actio ventiletur, quousque rei veritas perveniatur[3]. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid pretermissum forte[4] remaneat[5] quod adnecti conveniat; [6]indutie enim non modicae ad inquirendum dande sunt, ne aliquid propere[7] agi a quacunque parte videatur, quia per subreptionem multa proveniunt[8]. Nihil tamen absque legitimo et idoneo accusatore fiat[9]. Nam et dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat, sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus[10]. Et quicquid inter apostolos egit, pro dignitate[11] ministerii ratum mansit. Nam si leges saeculi accusatores requirunt, quanto magis ecclesiasticae regulae! docent enim terrestria et humana quae sint ecclesiastica atque celestia. IV.[13][De accusationibus vero conprovincialibus ita legitur esse statutum: Si quis quemlibet clericum pulsandum crediderit in provincia in qua consistit ille qui pulsatur suas exerceat[14] actiones, nec estimet eum alibi aut longius ad iudicium protrahendum[15]. Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit[16], liceat apellare. V. Caveant etiam iudices aecclesiae ne absente eo[18] irrita erit[19], profecto[20] dabunt.

Proditoris vero nec calumnia nec vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere quam ille qui iniuriam eiusque[21] sustinuit nequitiam. Oppressis namque ab omnibus in cunctis subveniatur.] Haec omnia summopere sunt adtendenda. Nec criminatio minorum[22], quanto magis episcoporum facile est recipienda, dicente domino: Non sequeris turbas[23] ad faciendum malum. Et alibi: [24]Non suscipias vocem mendatii. Et in paralipemenon legitur: Omnia corda scrutatur dominus et omnem cogitationem novit; homo vero videt in fatiae[25], deus autem in corde. Et alibi scriptum est: Non potest humano condempnari[26] examine,

c. III. Nec litigantibus —, quod adnecti conveniat, ll. cc.
inducie enim — ad inquirendum dande sunt, Ben. III. 184. (Act. ap. XXV, 16). Cf. Marcelli 8. (Fel. II. pp. 12. IX., Dam. 19).
quia per subreptionem multa proveniunt, c. 34. apost. Cf. Fel. II. pp. 12. IX., Anast. I. pp. ep. 1.
Nihil tamen absque — ideo non est eiectus, Ben. I. 398. II. 381. (tit. c. 11. conc. VI. Tolet. et comm. ad Cor. I. 2. Ambrosio adscript. Tom. 2. app. 127). Cf. Dam. ep. ad Ital.
Et quicquid inter — ratum mansit sec. Anast. II. ep. ad Anast. imp. c. 7. (H. no. 84).
docent enim — atque celestia. Cf. Dam. 13.
c. IV. Si quis quemlibet — liceat apellare, c. 7. Angilr. (interpr. tit. I. nov. Marciani). Cf. Fel. I. pp. 3, Iul. 12.
c. V. Caveant etiam iudices — profecto dabunt, c. 30. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 219. II. 363. aut c. 49. Angilr. Cf. Fel. I. pp. 5, Iul. 12.
Proditoris vero — nec vox audiatur, int. c. 2. C. Th. X. 10. Cf. ll. cc.
Nemo enim — sustinuit nequitiam, c. 3. C. Th. X. 10. aut Ben. III. 253. i. f. Cf. ll. cc.
Oppressis namque — subveniatur causis, cf. Fel. I. pp. 4, Iul. 12.
Non sequeris — vocem mendatii, Exod. XXIII. 2. 1.
Et in Paralipemenon — deus autem in corde, Anast. II. ep. ad Anast. imp. c. 2. (H. no. 84). Cf. Iul. 19.
Non potest humano — iudicio reservavit, Isid. syn. lib. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (c. 51. ibid.). Cf. Alex. 7, Vict. 6, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 19.

1 *Sg.* obectio *pro:* ibi actio. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus numerus in Bb.* 3 *Mut.* inveniatur. *Dst.* perfiniatur. *Sg.* perveniatur, *quod post. manu correct. in:* perquiratur. 4 *Deest in Mut.* 5 *Sg. Dst.* maneat. 6 *Bb. hic rubricam ponit:* ut nihil sine accusatore fiat. 7 *Bb.* praepropere. 8 *Dst.* perveniunt. 9 Nihil tamen — accusatore fiat *deest in Mut. Par.* 840 *in marg.:* de accusationibus. 10 *In Bb. al. m. s. XI. corrigitur in:* deiectus. 11 *Bb.* divinitatem. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 13 *Verba uncinis inclusa in parte folii humore consumta legebantur. Textum restitui ex Mut.* 14 *Sg. Bb. Dst.* exerat. 15 *Codd. cit.* pertrahendum. 16 *Sg. add.* nos. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 18 *Sg. Bb. Dst. addunt:* cuius causa ventilatur sententiam (*Bb.* sententia) proferant, quia (*Bb.* quae). 19 *In Mut.* lacuna. *Bb. Dst. addunt:* quippe (*D.* immo) et causam in synodo. *Sg. add.:* quia nec causam. 20 *Dst.* pro facto. 21 *Bb.* eius qui. 22 *Bb.* maiorum, *supra lineam a m. s. XI. additur:* alias minorum. 23 *Mut.* turbam. 24 *Cod. in marg.:* accusatione non facile suscipiendam. 25 *Mut. Sg.* faciem. 26 *Mut.* dampnari.

quem deus suo iudicio reservavit[1]. VI. Igitur omne pondus et circumstantia adversariorum nocumenta per patientiam, fratres, conprimere satagite, scientes quia subversi sunt huiusmodi et delinquunt proprio ore dampnati, quia qui fratres accusant vel infestant, non eos diligunt, sed magis neglegunt et peccant, dicente apostolo: Dilectio proximi malum non operatur. Et alibi: Qui non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt quomodo potest diligere? Nos enim humiles corde, ad ea que recta sunt, adiutore domino sapienter vinculo caritatis vobiscum sumus constricti, religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes[3], improbis[4] probe resistere non negligimus[5], unde dictum est: Negligere enim, cum possis deturbare perversos, nihil[6] aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occulte, qui manifeste facinori desinit obviare. Huius rei gratia universalis vobis a Christo Iesu commissa est aecclesia, ut pro omnibus laboretis et cunctis opem ferre non negligatis; frater autem fratrem adiuvans exaltabitur, et allidens[7] dissipabitur. Quapropter relevate semper oppressos, corripite inquietos, ut[8] zizania[9] dominicam messem[10] non[11] possit[12] suffocare. Data V.[13] Idus Iulii Paterno et Bradua vv. cc. cons.

[VI. Quod fratrum accusatores non eos diligunt, sed magis neglegant aut peccent.][2]

DECRETA[14] VICTORIS[14]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS VICTORIS PAPAE.

DE PASCHA ET BABTISMO RELIQUIS CAUSIS TEOPHILO ALEXANDRINO DIRECTA.[15]

I. Victor Romanae ac universalis[17] ecclaesiae archiepiscopus Teophilo episcopo et cunctis fratribus Alexandria[18] domino famulantibus in salutem domino.

[I. De sancto pascha die dominico celebrando et quot diebus celebrandum sit.][16]

Multa[19] mihi[20] gratulatio, dilectissimi fratres, quod manifestato[21] sicut optamus per gratiam dei lumine evvangelicae claritatis et[22] ab aecclesia iam[23] magna ex parte pernitiosi[24] erroris nocte depulsa, credite nobis dispensationis fructus crescit et augmentatur in domino. Caelebritatem sancti pasche die dominica agi debere et[25] predecessores nostri iam statuerunt et vobis[26] illud eadem die celebrari[27] sollempniter mandamus, quia non decet ut membra a capite discrepent nec contraria gerant[28]. A XV.[29] vero luna primi mensis usque[30] vicesimum primum[31]

c. VI. Igitur omne pondus — conprimere satagite sec. Hebr. XII. 1.

scientes quia subversi — proprio ore dampnati, Tit. III. 11.

Dilectio proximi — non operatur, Rom. XIII. 10.

Qui non diligit — potest diligere, I Ioann. IV. 20.

Nos enim humiles corde — desinit obviare, conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 947). Cf. Fel. II. pp. 9, ep. Fel. ad Greg.

Huius rei gratia — ferre non negligatis, cf. Alex. 15, ep. Athan. ad Lib., Ioh. I. pp. ep. 1.

frater autem — dissipabitur, Prov. XVIII. 19.

quapropter revelate semper oppressos, Iob. XII. 21.

corripite inquietos, I Thess. V. 14.

ut zizania — non possit suffocare, Leon. M. ep. 4. c. 2. (1, 615.) aut Ben. III. 52. Cf. Dam. de corep.

Not. cons. desumta ex vit. Eleuth. c. 1. in libr. pontif.

c. I. Theophilo sec. c. 3. vit. Vict. in libr. pontif.

Multa mihi gratulatio — augmentatur in domino, Leon. M. ep. 106. c. 1. (1, 1157). Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.

Caelebritatem sancti pasche — celebretur festivitas sec. c. 2. 3. vit. Vict.

1 *Sg. Dst.* reservabit. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 3 *Dst.* defendentes. 4 *Dst.* in proverbiis. 5 *Mut. Sg. Dst.* neglegamus. 6 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* est. 7 *Sic* callidens *corr. sec. Sg.; Bb. Dst.* allidens, *Mut.* alidens. 8 *Mut.* ne. 9 *Sic* zezaniam *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 10 *Dst.* segetem. 11 *Deest in Mut.* 12 *Sg. Bb.* possint. 13 *Sg. Dst.* VI. 14 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 15 *Incriptio deest in Mut.; Sg.* Epistola Victoris papae. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* 17 *Mut.* universe. 18 *Sg. Bb. Dst.* Alexandriae. 19 *Sg. Dst.* Magna. 20 *In Sg. post. manu additur:* est. 21 *Mut. Sg. Bb.* manifesto. 22 *Om. Sg.* 23 *Deest in Sg. Dst.* 24 *Sg.* perviciosi. 25 *Bb.* est. *Deest in Dst.* 26 *Mut. Bb.* vos. *Dst.* nos. 27 *Sg.* celebrare. 28 *Corrigitur man. s. XI. in Bb. in:* generant. 29 *Sic* XIV. *corrigitur in cod.; Bb. Mut. Sg. Dst.* XIV. 30 *Sg. Dst. add.:* ad. 31 *Mut.* a vicesimo primo.

[II. Quo tempore babtisma celebrandum sit et ut qui babtizantur non infideles sed fideles inveniantur.][1]

eiusdem mensis diem eadem celebretur festivitas. II. Eodem vero tempore baptismus celebrandus est[2] catholicus[3], sed tamen si necesse fuerit aut mortis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes quocunque loco vel momento, ubicumque evenerit[4], sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum christiana confessione credulitatis[5] clarificata, baptizentur. Ipsis quoque quod in baptismo polliciti sunt summopere est adtendendum, ne infideles, sed fideles inveniantur. Ipsi vero qui infidelitatis nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles minime reputantur.

[III. De statutis nulla inprobitate et novitate violandis.][6]

III. Haec vero statuta nulla debent inprobitate convelli, nulla novitate mutari, quia alia ratio est saecularium, alia est divinarum[7].

[IV. Ut incerta nullatenus iudicentur, quia licet vera sint, non sunt tamen credenda.][8]

IV. Audivimus namque apud vos vestrosque diversa iuditia fieri et incerta iudicari[9]. Incerta, karissimi, nullatenus iudicemus, quoadusque veniet[10] dominus, qui latentia producet in lucem et inluminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi que manifestis inditiis conprobantur, nisi que manifesto iuditio[11] convincuntur, nisi que iuditiario ordine publicantur[12]. Similiter ea vos iudicare ad apostolicam delatum est sedem, que praeter nostram vobis definire non licet auctoritatem, id est, episcoporum[13] causas, unde ita constitutum liquet a tempore apostolorum et deinceps.

[V. Ut accusatus vel iudicatus ab episcopis comprovincialibus licenter appellet et adeat romanum pontificem.][14]

V. Placuit, ut accusatus vel iudicatus a conprovintialibus in aliqua causa[15] episcopus licenter appellet et adeat apostolicae sedis pontificem, qui aut per se aut per vicharios suos eius retractari[16] negotium procuret; [17][et dum iterato iudicio pontifex causam suam agat[18], nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam, quamquam comprovincialibus episcopis acusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire[19] inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit a[20] domino: Quecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo[21], et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in caelis[22].

[VI. De eo qui leditur a metropolitano.][23]

VI. Et alibi in statutis[24] ita legitur apostolicis:] Si quis[25] putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud patriarcham vel primatem dioceseos aut poenes universalis apostolicae aecclesiae iudicetur sedem. Nihil aliud est, frater[26], talis praesumptio, nisi apostolorum suorumque[27] successorum terminos transgredi eorumque decreta violare[28]. Culpantur enim, ut scriptum est, fratres, quia aliter[29] circa episcopos iudicare praesumunt quam apostolicae sedis

c. II. Eodem vero tempore — fideles inveniantur sec. c. 2. vit. Vict.
c. III. Haec vero statuta — nulla novitate mutari, Leon. M. ep. 104. c. 3. (1, 1149).
quia alia est — divinarum ep. cit. c. 3. (paullo antea). Cf. Eutic. 6, Fel. II. pp. 12. XVII.
c. IV. Incerta karissimi — ordine publicantur, Ben. III. 259. (Isid. syn. lib. II. no. 86). Cf. Praef. 5, Sixt. II. pp. 7, Iul. 12.
c. V. Placuit ut accusatus — retractari negotium procuret sec. tit. c. 7. conc. Sard. (D.). Cf. Sixt. II. pp. 2, Iul. 12. (Marcelli 2).
et dum iterato — permissum est sec. c. 4. conc. Sard. aut Ben. II. 401. III. 163. Cf. Eleuth. 2, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.
Quecumque ligaveris — et in caelis, Matth. XVI. 19.
c. VI. Si quis putaverit — iudicetur sedem, c. 5. Angilr. (c. 17. conc. Chalc. H.). Cf. Sixt. II. pp. 3, Iul. 12. (Ann. 4, Iul. 12, Fel. II. pp. 4, 12. XX.).
Culpantur enim — fieri placuerit, cf. Sixt. I. pp. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Rubr. et num. desunt in Bb.* 2 *Mut. addit:* a. 3 *Mut. Sg. Dst.* catholicis. 4 *Sg.* evenient. 5 *Dst.* confessionis credulitate. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. numerum tantum et erronee num.* II. *ponit.* 7 *Sg.* ratio saecularium, alia divinarum. *Dst.* ratio rerum saecularium, alia divinarum. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. solum numerum* III. *ponit. Par.* 840 *in marg.:* incerta non iudicanda. *Dst. in marg.:* de incertis iudiciis. 9 *Mut.* iudicare. 10 *Mut. Sg. Bb. Dst.* veniat. 11 *In Sg. manu post. additur.* 12 *In Mut. deest:* nisi quae iud. ord. publ. 13 *Sg.* temporum, *quod post. manu corr. in:* episcoporum. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. ponit solum num.* IV. 15 *Mut.* aliquam causam. 16 *Bb.* detractari. 17 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est; textum restitui ex Mut.* 18 *Sg. Bb. Dst.* agit. 19 *Bb.* definiri. 20 *Deest in Sg. Dst.* 21 *Sg. Bb. Dst.* caelis. 22 *Om. Sg.* et quaecunque solveris — et in caelis. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. ponit solum numerum* V. 24 *Sg. Dst.* institutis. *In Sg. manu post. additur:* in. 25 *Bb.* quid. 26 *Mut. Sg. Dst.* fratres. 27 *Codd. cit. et Bb.* eorumque. 28 *Codd. cit.* violari. 29 *Bb.* qualiter. *Sg. Dst.* qui aliter.

papae fieri placuerit. Et quis est qui iudicat eum quem dominus sibi et huic sanctae sedi reservari[1] voluit iudicandum? Ait namque dominus per Isaiam[2] prophetam: Domine deus[3] auxiliator meus[4], ideo non sum confusus, ideo posui fatiem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar, iuxta[5] est qui iustificat me. Quis contradicit[6] mihi? stemus simul. Quis est adversarius meus? accedat[7] ad me, ecce dominus deus meus, auxiliator meus. Qui[8] est qui condempnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens dominum, audiens[9] vocem servi sui? Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine domini, et innitatur super deum suum. Haecce[10] vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri et flammis quas succendistis[11]. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis[12]. Audite me qui sequimini quod iustum est et queritis dominum, adtendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua precisi estis. Adtendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Sarram quae peperit vos, quia unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum. Consolabitur ergo dominus Sion et consolabitur omnes ruinas eius, et ponet desertum eius quasi dęlicias, et solitudinem eius quasi ortum domini: gaudium et laetitia[13] invenietur[14] in ea, gratiarum actio et vox laudis. Adtendite ad me, populus meus et tribus mea, me[15] audite[16], quia lex a me exiet et iudicium meum in lucem populorum requiescet; prope est iustus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos iudicabunt[17]; me insule exspectabunt et brachium meum sustinebit[18]. Levate in caelum oculos vestros et videte sub[19] terra deorsum, quia caeli sicut fumus liquescent et[20] sicut vestimentum adteretur, et habitatores eius sicut hec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet. Audite me qui scitis[21] iustum, populus, lex mea[22] in corde eorum. Nolite timere obprobrium hominum et blasphemias eorum; sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, et sicut lanam[23], sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea in generatione et generationem[24]. Multis mundi huius inlecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut vere caritatis et continentiae obtineatur integritas. Dominus enim nullum vult perire, sed omnes salvos fieri. Certus autem sum vos[25] ad hec emendanda vel defendenda domino auxiliante proficere. Data XIII.[26] Kal. Augusti Comodo et Graviano[27] vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA AFRIS[28] DIRECTA DE CAUSIS INFRA NOTATIS.[29]

VII. VICTOR Romanae aecclesiae[31] urbis archiepiscopus universis episcopis per Africam constitutis in domino salutem. [VII. Quod oporteat episcopos unanimes esse et in recta fide et in sacramentis divinis non discrepare neque a (deest in Dst.) fratribus velle (deest in Dst.) nocere et ut cadant minime decertare.][30]

Et quis est qui — reservari voluit iudicandum, Isid. syn. libr. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (c. 51). Cf. Alex. 7, Eleuth. 5, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 19.

Domine deus — in doloribus dormietis, Ies. L. 7—11.

Audite me qui sequimini — et generationem, Ies. LI. 1—8.

Multis mundi huius — obtineatur integritas, Leon. M. ep. 106. c. 1. (1, 1159). Cf. Calist. 5.

Dominus enim — omnes salvos fieri, II Petr. III. 9. I Timoth. II. 4.

Certus autem sum — auxiliante proficere, Leon. M. ep. 115. c. 2. (1, 1205).

Nota cons. des. ex c. 1. vit. Vict. in libr. pontif.

c. VII. per Africam sec. c. 1. vit. Vict. in libr. pontif. („Victor natione Afer").

[1] *Sg. Dst.* reservare. [2] *Sg.* Esaiam. [3] *Sg.* domine. [4] *Sg. Dst. add.:* et. [5] *Mut.* iusta. [6] *Dst.* contradicet. [7] *Sg.* accedet, *quod manu post. corr. in:* accedat. [8] *Mut. Sg. Bb. Dst.* Quis. [9] *Bb. Dst.* deum audiet. *Sg.* deum audiens, *quod m. p. corr. in:* deum audiat. [10] *Ceteri:* Ecce. [11] *Dst.* accendistis. [12] *Sg.* dormientis, *quod postea corr. in:* dormietis. [13] *Mut. Bb. Dst.* laetitiam. [14] *Dst.* inveniet. [15] *Deest in Dst.* [16] *Dst. addit:* legem. [17] *Dst.* populus iudicabit. [18] *Mut. Sg. Bb.* sustinebunt. [19] *Sg. Bb.* in. [20] *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* terra. [21] *Dst.* scit. [22] *Deest in Dst.* [23] *Mut. Bb. Dst.* lana. [24] *Sg. Bb. Dst.* generationes (*Bb.* generatione) generationum. [25] *Sg.* de vobis. [26] *Dst.* XVIII. [27] *Sg.* gravia. nonn., *quod manu post. correct. in:* bradua. [28] *Dst.* fratribus. [29] *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Victoris papae de concordio et unanimitate servanda. [30] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* I. *Solus num.* VII. *in Bb.* [31] *Sg. Dst. add.:* et.

Semper enim in aeterno consilio dei mansit humani generis incommutabiliter praeordinati[1] reparatio, sed ordo rerum per dominum nostrum[2] Iesum Christum temporaliter gerendarum dispositione verbi divini sumpsit exordium. Quapropter oportet vos, fratres, unanimes esse et[3] adminiculum vicissim ferre: in recta ergo[4] fide et in sacramentis divinis non discrepare, sed concordes esse, quia licet pauci sitis[5] malorum comparatione, si tamen concordes fueritis, facile auxiliante domino vestros insidiatores superabitis. Si vero discordes, quod absit, fueritis, non superabitis[6], sed superabimini. Perlatum est enim ad sedem apostolicam aliquos vestrum nocere fratres velle, et ut cadant decertare, similiter in sacramentis discrepare[7], et ob id contentiones et[8] aemulationes inter vos fieri: [9][a quibus dissensionibus vos avertere et in his omnibus concordare et opem ferre vicissim mandamus. Nam si hoc agere cito neglexeritis[10], ab apostolice sedis et totius eclesiae communione vos pellere[11] non dubitetis, nec attenditis, karissimi, qualiter dominus tales[12] per Isaiam prophetam[13] comminatus est, dicens: Dominus enim locutus[14] est verbum hoc, luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est[15] altitudo populi terrae, et terra interfecta est ab abitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum.] Propter hoc maledictio vorabit terram et peccabunt habitatores eius, ideoque insanient cultores eius et relinquentur homines[16] pauci. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes[17] qui letabantur corde, cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus letantium, conticuit dulcedo cythare, cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam, adtrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis letitia[18], translatum est gaudium terrae[19], relicta est in urbe solitudo et calamitas opprimet portas. Quia hec erunt in medio terrae, in medio populorum, quomodo si paucae olivae quae remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi, cum fuerit finita[20] vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt: cum glorificatus fuerit dominus, hinnient de mari. Propter hoc[21] in doctrinis glorificate dominum et in insulis maris nomen domini dei Israel. Et dominus in oratione quam discipulos suos docuit orare, ait: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. In bonis et iustis hominibus sanctificatur nomen domini et in malis blasphematur, et ipsa per se veritas ait: Si offers munus tuum ad altare et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et postea offeres munus tuum. Nulli vero liceat doctrinam evangelicam deserere et sacerdotali honore gaudere. Data Kal. Septembris Laterano et Rufino vv. cc. conss.

Semper enim in — divini sumpsit exordium, Leon. M. ep. 16. c. 2. (1, 717).
sed concordes esse — insidiatores superabitis, cf. Alex. 13, Fel. II. pp. 11.
Dominus enim locutus — nomen domini dei Israel, Ies. XXIV. 3—15.
Pater noster qui es — nomen tuum, Matth. VI. 9.
Si offers munus — offeres munus tuum, Matth. V. 23. 24.
Nulli vero liceat — honore gaudere, Leon. M. ep. 83. c. 2. (1, 1047). Cf. Ioann. III. pp. ep.
Not. cons. des. ex c. 1. vit. Vict. in libr. pontif.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst.* praeordinata. 2 *Deest in Sg. Dst.* 3 *Deest in Bb.* 4 *Deest in Dst.* 5 *Mut.* scitis. 6 *Mut.* superatis. 7 *Bb.* discrepari. 8 *Om. Sg.* 9 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 10 *Sg. Bb. Dst. addunt:* et vicissim reconciliari non studueritis. 11 *Bb.* pelli. *Dst.* separari. 12 *Sg.* talibus. 13 *Sg.* Esaiam. 14 *Bb.* locutum. 15 *Om. Sg.* defluxit orbis infirmata est. 16 *Mut. Bb.* omnes. 17 *Deest in Dst.* 18 Clamor — deserta est omnis letitia, *quae in Bb. deerant, a m. s. XI. adduntur. Deest* Clamor — est omnis *in Sg. Dst. Post* laetitiam *codd. cit. addunt:* et. 19 *Mut.* translata est de terra. 20 *Sic Sg. Bb. Dst.; Par.* 840 *et Mut.* finitima. 21 *Sg. Bb. Dst.* haec.

DECRETA ZEPPHERINI[1]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ZEPHERINI PAPAE.[2]

DE CAUSIS INFRA INSERTIS.[3]

[I. Quod episcoporum sit, inlicita prohibere et sequenda docere.][4]

I. ZEPPHERINUS[5] Romane urbis archiepiscopus[6] omnibus per Siciliam[7] constitutis episcopis[8] in domino salutem.

Divinae circa nos gratiae memores esse debemus quae nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inherentes et in quadam sacerdotum eius speculatione constituti prohibeamus inlicita et sequenda doceamus. Sicut stellas caeli non exstinguit nox, sic mentes fidelium inhaerentes firmamento sanctae scripturae non obscurat mundana iniquitas. Idcirco meditari vos[9] oportet scripturas[10] et praecepta divina, que in scripturis continentur, diligenter adtendere, ne transgressores legis dei, sed impletores appareatis.

[II. Qualiter accusatus episcopus discutiendus sit apud patriarchas aut primates et quot testibus convinci debeat.][11]

II. Patriarche vero vel primates accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam[12], quam apostolica fulti[13] auctoritate, ac[14] reum se ipsum[15] confiteatur aut per innocentes et regulariter examinatos[16] convincatur testes: qui minori[17] non sint numero quam illi[18] discipuli fuerunt, quos dominus ad adiumentum apostolorum eligere praecepit, id est septuaginta duo.

[III. Qui sint submovendi ab accusatione vel testimonio episcoporum.][19]

III. Detractores quoque qui divina auctoritate eradicandi sunt et auctores inimicorum ab episcopali submovemus[20] accusatione vel testimonio, nec summorum quispiam[21] minorum accusationibus inpetatur aut dispereat[22].

[IV. Ut in re dubia vel incerta non iudicetur sententia neque absens aliquis iudicetur.][23]

IV. Neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iuditium, nisi ordinabiliter[24] habitum teneatur. [25]Absens vero nemo iudicetur, quia et divinae et humane hoc prohibent leges.

[V. De accusatoribus episcoporum et ut sententia non suo iudice dicta nullum eorum constringat.][26]

V. Accusatores[27] autem eorum omni careant[28] suspitione, quia columnas suas dominus firmiter stare voluit[29], non a quibuslibet agitari[30]. Nullum namque eorum sententia a[31] non suo

c. I. Divinae circa nos gratiae — et sequenda doceamus, init. ep. Hilar. ep. ad Acacium (H. no. 76). Cf. Fab. 25, Marcelli 1, Pelag. II. pp. ep. 3.

Sicut stellas caeli—mundana iniquitas, Prosp. Aquit. s. 120.

c. II. Patriarchae vero — convincatur testes, c. 1. (bis) Angilr. aut Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1. C. Th. IX. 40). Fel. I. pp. 4, Iul. 12.

qui minori — id est septuaginta duo, conc. II. Rom. sub Silv. c. 3. (Mansi 2, 623). Cf. excerpt. Silv. 2.

c. III. Detractores quoque — accusatione vel testimonio. Cf. Fel. I. pp. 2, Iul. 12.

nec summorum — aut dispereat, Ben. I. 397. II. 381. Cf. ll. cc. (Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19).

c. IV. Neque in re dubia—iudicetur sententia, (Greg. M. ep. X, 29. (2, 1060). Cf. Fel. I. pp. 2, Iul. 12.

nec ullum iuditium—habitum teneatur, eiusd. ep. XIII, 45. (2, 1251). Cf. ll. cc.

Absens vero nemo iudicetur, Ben. I. 311. 391. II. 360. 399. (l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 5. 9).

c. V. Accusatores — careant suspitione, Ben. I. 401. tit. Cf. Fel. I. pp. 12, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. XII. 15.

quia columnas suas — agitari sec. conc. Par. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315. Cf. Anacl. 20, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3.

Nullum namque eorum — dicta constringat, Ben. III. 347. aut c. 37. Angilr. (c. 2. C. Th. IV. 16). Cf. Fab. 29, Euseb. 17, Iul. 18, Sixt. III. pp. ep.

1 *Deest in Bb. Sg. Dst. Mut.* Incipiunt decreta Zepherini papae. 2 *Dst.* pape Zephyrini. 3 *Dst.* notatis. *Inscript. deest in Mut. Sg.* Epistola Zephyrini papae, ut oppressi ad sedem apostolicam appellent. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numer. solus in Bb.* 5 *Sg.* Zephyrinus. 6 *Mut.* Rom. urb. archiep. Zepherinus. 7 *Sg.* Siliciam. 8 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 9 *In Sg. manu post. additum.* 10 *Sg. Bb. Dst.* scripturam. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* 12 *Dst. in marg.:* nullum episcopum leviter dampnandum. 13 *Dst. addit:* fuerint. 14 *Mut. Sg. Bb. Dst.* aut. 15 *Sg. Dst.* se ipse. 16 *Dst. addit:* testes. 17 *Dst.* convincatur qui nimirum testes minore. *Sg.* minores *pro:* minore. *Cod. Par.* 840 *in marg.:* episcopos nonnisi ab apostolica sede damnandos. 18 *Bb. addit:* septuaginta duo. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* de detractionibus episcoporum et quod detractor episcopum accusare non potest. *Par.* 840 *in marg.:* detractores episcoporum. 20 *Mut.* submoventur. 21 *Sg. add.:* nec. 22 *Sic Sg. Dst.; Par.* 840: desperet, *Mut.* disperat, *Bb.* disperdat. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. qui legit:* dubia certa sententia *etc. Sol. num. in Bb.* 24 *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* ordinabiter *corr.* 25 *Dst. in marg.:* ne absens iudicetur. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* 27 *Mut. Sg. Dst.* accusator. 28 *Codd. cit.:* careat. 29 *Sg.* voluerit, *quod post. manu corr. in:* voluerat. 30 *Cod. in marg.:* ne absens iudicetur. 31 *Deest in Mut.; Sg. Dst.* non a suo *etc.*

iudice dicta constringat, quia et leges saeculi id ipsum fieri precipiunt. [1] Duodecim [2] enim iudices quilibet episcopus accusatus, si necesse fuerit, eligat [3], a quibus eius causa iuste iudicetur, nec prius audiatur aut excommunicetur vel iudicetur [4], quam ipsi per se eligantur et regulariter vocatus ad suorum primo conventum [5] episcoporum per eos eius causa iuste audiatur et rationabiliter discernatur.

[VI. Ut post examinationem accusati episcopi legitimam finis eius cause ad sedem apostolicam deferatur.] [6]

VI. Finis vero eius cause ad sedem apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur. Nec antea finiatur, sicut ab apostolis vel successoribus eorum olim statutum est, quam eius auctoritate fulciatur; ad eam [7] quoque ab omnibus, maxime tamen ab oppressis, appellandum est et concurrendum quasi ad matrem, ut eius uberibus nutriantur, auctoritate defendantur et a suis [8] [oppressionibus releventur, quia non potest nec debet mater oblivisci filium suum. Iuditia enim episcoporum maioresque ecclesie causae a sede apostolica et non ab alia [9], sicut apostoli et sancti successores eorum cum aliis episcopis [10] statuerunt, sunt terminandae; quia licet in alios transferatur episcopos, beato tamen apostolo Petro dictum est: Quecunque ligaveris super terram erunt ligata et in caelis, et quecumque solveris super terram erunt soluta et in caelis. Et reliqua privilegia que soli huic sanctae sedi concessa sunt et in constitutis apostolorum [11] eorumque successorum aliisque [12] quamplurimis cum eis concinnantibus habentur inserta]. LXX [13] enim apostoli sententias praefixerunt cum aliis quamplurimis episcopis et servandas [14] censuerunt.

[VII. Quod peccatum sit occulta alieni cordis temere iudicare.] [15]

VII. De occultis enim cordis alieni temere iudicare peccatum est, et eum cuius non videntur opera nisi bona sint [16], iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum que hominibus sunt incognita solus deus iudex sit; ipse vero novit solus [17] abscondita cordis, et non alius; iniusta enim iuditia ab omnibus cavenda sunt, maxime tamen a servis domini. Servum autem dei non oportet litigare nec quemquam dampnare.

[VIII. Quod episcopi a plebibus et clero et servi a dominis ferendi sint [19].] [18]

VIII. Episcopi namque a plebibus et clero et domini a servis ferendi sunt [19], ut sub exercitatione tolerantiae sustineantur temporalia, sperentur aeterna. Auget enim merita virtutis quod propositum non violat religionis.

[IX. Ut episcopi satagant succurrere oppressis et liberare eos de manu persequentium.] [20]

IX. Satagendum vobis est ne aliquis fratrum vestrorum [21] graviter laceretur vel pereat. Succurrere ergo vos oportet oppressis et liberare [22] eos de manu persequentium, ut cum beato Iob dicatis [23]: Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum; iustitia indutus sum [24], et vestivi me [25] vestimento et diademate, iuditio meo; oculus fui caeco, et pes claudo; pater eram pauperum [26], et causam quam nesciebam diligentissime investigabam; conterebam molas iniqui et de [27] dentibus eorum auferebam predam, et reliqua. Vos ergo, qui in speculo a domino estis positi, comprimere et repellere eos sum-

Duodecim enim iudices, c. 12. conc. Carth. (D.) aut Ben. II. 307. Cf. Anacl. 15.

c. *VI. quia non potest — filium suum*, Ies. XLIX. 15.

Iudicia enim — terminandae sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7.) aut Ben. II. 381. III. 109. Cf. Anacl. 17, 34, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.

Quecunque ligaveris super — et in caelis, Matth. XVI. 19.

c. *VII. De occultis enim cordis — iudex sit*, Prosp. Aquit. s. 21. Cf. Sixt. II. pp. 7, Euseb. 10, Ioann. I. pp. ep. 1.

ipse vero novit — cordis, Ps. XLIII. 22.

Servum autem — oportet litigare, II Timoth. II. 24.

c. *VIII. Episcopi namque — violat religionis*, Prosp. Aquit. s. 34. Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.

c. *IX. Benedictio perituri — eorum auferebam predam*, Iob. XXIX. 13—17.

Vos ergo qui — estis positi, Coelest. I. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34). Cf. Clem. 56, Alex. 15, Ant. 8, Fab. 11, Fel. II. pp. 10.

1 *Bb. hic ponit rubricam:* VI. quot iudices episcopum iudicare debeant. 2 *Mut.* sibi. 3 *Cod. in marg.:* de iudicibus erigendis. 4 *Om. Sg.* vel iudicetur. 5 *Bb.* conventu. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus tantum* VII. *in Bb. Par.* 840 *in marg.:* de iudicibus episcoporum. 7 *Sic Mut. Sg. Bb. Dst.; Par.* 840: ea. 8 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 9 *Sg.* ad sedem apostolicam et non ab alia. *Dst.* ad sedem apostolicam et non ad aliam. 10 *Sg.* apis *pro:* aliis episcopis. 11 *Par.* 840 *et Dst. in marg.:* de canonibus apostolorum. 12 *Bb. Sg. Dst.* aliis. 13 *Sic Bb. Dst.; Par. suppl. lat.* 840, *Mut.* LX. 14 *Sg. Bb.* servanda. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num.* VIII. *in Bb.* 16 *Deest in Mut. et Dst.* 17 *Deest in Mut.* 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui legit:* feriendi non sint. *Bb. rubrica omissa ponit num.* VIII. 19 *Dst.* feriendi non sunt. 20 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.; Bb.* IX. *sine rubrica.* 21 *Sg. Bb. Dst.* nostrorum. 22 *Mut.* berare. 23 *Dst.* dicere valeatis. 24 *Deest* iustitia indutus sum *in Mut. Sg. Bb. Dst.* 25 *Sg. add.:* sicut. 26 *Mut.* orfanorum. 27 *Deest in Bb. Dst.*

mopere debetis qui fratribus insidias praeparant aut in eos seditiones et scandala excitant. Facile est enim[1] verbo fallere hominem, non tamen deum. Ideo hos[2] repellere et ab his vos cavere oportet, quatenus extincta funditus huiusmodi caligine lucifer eis resplendeat et letitia oriatur, sanctissimi fratres. Data XII.[3] Kal. Octobris Saturnino et Gallicano vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA AEGIPTIIS DIRECTA.[4]

[X. De privilegio Romanae ecclesiae.][5]

X. Carissimis fratribus per Aegyptum domino militantibus ZEPPHERINUS[6] Romanae urbis archiepiscopus.

Tantam a domino huius sanctae sedis et apostolicae ecclaesiae fundatore et beato Petro principe apostolorum accepimus fidutiam, ut pro universali Christi sanguine redempta aecclesia inpigro laboremus effectu[7] et omnibus domino famulantibus succurramus et cuntis pie viventibus apostolica auctoritate opem feramus. Omnes qui in Christo volunt pie vivere, necesse est, ut ab impiis et dissimilibus patiantur obprobria et dispiciantur tamquam stulti et insani, ut meliores et purgatiores efficiantur, qui temporalia bona[8] perdunt ut percipiant aeterna. Eorum vero dispectio[9] et inrisio in ipsos retorquebitur qui eos affligunt et contumeliis affitiunt, cum et[10] abundantia eorum in egestatem et superbia transierit in confusionem.

[XI. Nunciatum esse apostolice sedi quosdam episcoporum per Egyptum ab ecclesiis et sedibus suis pelli et sic exspoliatos ad iudicia vocari.][11]

XI. Nuntiatum est enim sedi apostolicae per apocrisiarios vestros quosdam fratrum nostrorum[12] episcoporum videlicet ab aecclaesiis et sedibus propriis pelli suaque eis auferri supellectilia, et sic nudos et expoliatos ad iudicia vocari, quod omni ratione caret, cum constituta[13] apostolorum eorumque successorum et praecepta imperatorum ac constitutiones legum idipsum prohibeant[14] et apostolicae sedis auctoritas idipsum fieri vetet. XII. Praeceptum est ergo in antiquis statutis, episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos in[16] aecclaesias proprias recipi[17] et primo sua omnia eis reddi, et[18] demum si quis eos iuste accusare voluerit aequo periculo facere. Iudices esse decernentes, episcopos recta[19] sapientes et in aecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi[20] videbantur: nec prius eos respondere debere quam omnia sua eis et aecclaesiis eorum legibus integerrime restituantur. Nec mirum, fratres, si vos persecuntur cum capud vestrum[21] Christum dominum nostrum [22][usque ad mortem sunt[23] persecuti: ita[24] tamen persecutiones pacienter portande sunt, ut eius disciputi esse cognoscamini, pro quo et patimini, unde et ipse ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. His fulti

[XII. Ut episcopi eiecti et suis rebus expoliati ecclesias proprias recipiant primo et eis sua omnia reddantur ante accusationem.][15]

Facile est enim — non tamen deum, Xysti Pyth. s. 176. Cf. Alex. 18, Ant. 8, Corn. 6, Melc. 5.

Ideo hos repellere — oriatur sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 902). Cf. Ant. 8, Fel. II. pp. 10, ep. Fel. ad Greg.

Not. cons. desumt. ex c. 1. vit. Zeph. in libr. pontif.

c. X. Tantam a domino — accepimus fidutiam, init. Leon. M. ep. 43. (1, 907). Cf. Dion. 4, Lib. 1, Bonif. II. pp. ep. 1.

ut pro universali — laboremus effectu, init. Leon. M. ep. 16. (1, 715). Cf. Sot. 3, Fab. 1, Iul. 11.

Omnes qui in Christo — transierit in confusionem, Prosp. Aquit. s. 32. Cf. Fel. I. pp. 5, Pelag. II. pp. ep. 3.

c. XII. Praeceptum est ergo — videbantur, c. 10. Angilr. (Ben. II. 381. des. ex Cass. hist. trip. VII. 12.) Cf. Dam. 12. 13, Iul. 8.

nec prius eos — integerrime restituantur, sec. Syn. III. Symm.

Nec mirum fratres — sunt persecuti, cf. Luc. 1.

Beati qui persecutionem — propter iustitiam, Matth. V. 10.

1 *Mut. addit:* a. 2 *Bb.* id est hos; *supra lineam al. m. s. XI. additur:* alii ideo hos. 3 *Deest in Dst.* 4 *Deest inscr. in Mut. Sg.* Epistola Zephyrini papae de episcopis expulsis. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. ponit tantum num.* XI. 6 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Zepherinus. 7 *Sg. Dst.* affectu. 8 *Deest in Sg. Dst.* 9 *Bb. Dst.* despectio. 10 *Sg. legebat:* quod *pro* cum et, *quod postea corr. in* quando. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. ponit tantum num.* XII. *Par.* 840 *in marg.:* episcopus suis nudatus ad iuditium nec vocetur. 12 *Mut.* vestrorum. 13 *Bb.* con statuta *pro:* cum constituta. *Sg. Dst.* cum statuta. 14 *Sg. Dst.* provideant. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb.* XIII. 16 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 17 *Codd. cit.:* recipere. 18 *Sg. add.:* ita. 19 *Mut.* recte. *Par.* 840 *in marg.:* de accusatis episcopis. 20 *Mut. addit:* esse. 21 *Mut.* verum. 22 *Verba uncinis inclusa in parte folii humore consumta legebantur. Textum restitui ex Mut.* 23 *Dst.* sint. 24 *Sg. Bb. Dst.* ipse.

suffragiis non multum timere debemus obprobriis[1] hominum neque eorum exprobrationibus vinci, quoniam hoc nobis dominus iubet per Isaiam[2] prophetam dicens: Audite me qui scitis iudicium, populus meus in quorum cordibus lex mea est. Nolite timere obprobrium hominum et blasphemias eorum ne timeatis, considerantes quod in psalmo scriptum est]: Nonne deus requiret[3] ista, ipse enim novit abscondita cordis et cogitationes talium hominum quoniam vanae sunt: vana[4] autem locutus est unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde et cordae locuti sunt mala. Sed disperdet dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt[5]: Labia[6] nostra a nobis sunt, quis noster dominus est? Nam si hec in memoria retinerent, minime ad tantam prosilirent iniquitatem. Non enim propter[7] probabili et paterna doctrina[8] hoc fatiunt, sed ut suam exerceant in servos dei vindictam. Scriptum namque est: Via stulti recta in oculis eius. Et: Sunt viae que videntur homini[9] iustae[10], novissima autem earum deducunt ad mortem. Nos enim qui hec patimur, iuditio dei[11] reservare debemus, qui reddet unicuique secundum opera eius, qui etiam per ministros suos intonuit[12] dicens: Mihi vindictam, ego retribuam. XIII. Vos enim in recta fide et opere ac bona voluntate succurrite vicissim, nec aliquis a supplemento fratris subtrahat manum, quoniam in hoc ait dominus: Cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem; unde et ipse per prophetam loquitur dicens: Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum! spiritali dico habitaculo et concordia quae in deo est et unitate fidei, huius delectabilis secundum veritatem inhabitaculi[14] que[15] videlicet in Aaron magis decorabatur, atque sacerdotalem[16] induentes[17] dignitatem sicut unguentum super capud principalem intellectum inrigans et[18] usque ad ipsam extremam scientiam deducens: in hoc enim habitaculo benedictionem et[19] aeternam vitam promisit dominus. Huius igitur propheticae vaticinationis meritum amplectentes presentem fraternam syllabam[20] exposuimus[21], nostra[22] propter caritatem minime querentes aut quaesituri. Non enim detrahentibus[23] bonum est detrahere aut palo[24] secundum vulgarem fabulam excutere palum[25]. Absit; non enim[26] sunt nostra ista. Haec enim avertat divinitas. Iusto iuditio dei datur[27] plerumque peccatoribus potestas[28], qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu[29] dei iuvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores, ipsis tamen qui eos persecuntur et exprobrant[30] atque detrahunt, erit procul dubio vae. Vae, vae illis qui detrahunt servos[31] dei, quia detractio eorum ad eum pertinet, cuius ministerium agunt et vice funguntur. Oramus autem, hostium circumstantiae, qui neminem

[XIII. Ut episcopi oppressis fratribus succurrant in recta fide et bona voluntate.][13]

non multum timere debemus — tantam prosilirent iniquitatem sec. conc. Later. a. 649. secr. III. (Mansi 10, 978. 979). Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.

non multum timere debemus — habueritis ad invicem (*c. XIII.*). Eadem leguntur in Fel. II. pp. 18. 19, Pelag. II. pp. ep. 3.

Non enim propter — deducunt ad mortem sec. conc. cit. (Mansi 10, 962. 963).

Nos enim qui haec — ego retribuam sec. Symm. syn. III. Cf. Zeph. 12, Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3. (Dam. 19).

c. XIII. Cognoscent omnes — habueritis ad invicem, Ioann. XIII. 35.

Ecce quam bonum — avertat divinitas, conc. Later. a. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1019). Cf. Fel. II. pp. 19.

Iusto iuditio dei — clariores, Prosp. Aquit. s. 23. Cf. Sixt. II. pp. 7, Pelag. II. pp. ep. 3.

quia detractio eorum — vice funguntur, Ben. I. 40. et 322. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20).

Oramus autem — aut ore proferre sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1022). Cf. Fel. II. pp. 21.

1 *Sg. Bb. Dst.* obproprium. 2 *Sg.* Esaiam. 3 *Bb.* requirat. *Dst.* requirit. 4 *Sg.* vane. 5 *In Dst. pro.* Sed disperdet — qui dixerunt *legitur:* qui dixerunt linguam nostram magnificabimus. *In Bb. alia manu adduntur:* disperdat — magniloquam. *Sg. om. verba:* Sed disperdet — magniloquam. 6 *Sg. Bb.* Lingua. 7 *Deest in Mut.* 8 *Sg. Bb. Dst.* probabilem et paternam doctrinam. 9 *Dst.* hominibus. 10 *Mut.* recte. 11 *Sg. Bb. Dst. add.:* haec. 12 *Sg.* intimavit. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. tantum habet num.* XIV. 14 *Mut. Sg.* habitaculi. 15 *Sg.* quod. 16 *Mut.* sacerdotibus. 17 *Sg. Bb.* induentibus. 18 *Deest in Mut.* 19 *Deest in Dst.* 20 *Dst.* festucam. 21 *Sg. Dst.* extrahentibus. 22 *Mut. Bb.* nostram. 23 *In Sg. Dst. deest:* nostra propter — detrahentibus. 24 *Mut. Bb. Dst.* paulo; *in Sg.* paulo *alia manu in* palo *corr.* 25 *Codd. cit.* palam, *quod in Sg. in* palum *manu post. corr.* 26 *Deest in Sg. Bb.* 27 *Om. Sg.* 28 *Sg. add.:* data est. 29 *Sic ceteri codd.; in Par.* 840: spesitore. 30 *Bb. Dst.* exprobrantur. 31 *Codd. cit. Sg. Mut.* servis.

perire aut labiis suis pollui volumus, eorum moribus[1] inponi, et verbum minime novicum concipere aut[2] ore proferre, unde et dominus per prophetam loquitur dicens: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Dominus omnipotens et huius unigenitus filius et salvator noster Iesus Christus hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus, quibuscunque tribulationum molestiis laborantibus, viribus[3] quibus potestis succurratis et eorum, ut dignum est, iniurias vestras estimetis, maximum adminiculum eis verbis et factis praebeatis, ut eius discipuli inveniamini veri, qui fratres ut se omnibus diligere precepit. XIV. Ordinationes vero presbiterorum et levitarum tempore congruo et multis coram adstantibus solempniter agite et probabiles ac doctos viros ad hoc opus provehite[5], ut de eorum[6] societate et adiumento plurimum gaudeatis. Ponite indesinenter corda vestra in virtute dei et enarrate haec et cetaera divina verba in progenies alteras, quoniam hic est deus, deus noster in aeternum, et ipse reget nos in saecula. Data VII.[7] Id. Novemb. Saturnino et Gallicano vv. cc. consulibus.

[XIV. De ordinationibus presbiterorum et levitarum.][4]

DECRETA CALIXTI[8]. INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS CALIXTI[9] PAPAE.

DE IEIUNIO QUATTUOR TEMPORUM PER ANNUM ET RELIQUIS CAUSIS.[10]

I.[12] [CALISTUS[13] archiepiscopus eclesiae catholice urbis Rome BENEDICTO fratri et coepiscopo salutem in domino.

[I. De ieiuniis quatuor temporum.][11]

Fraternitatis amore constringimur et apostolicae sedis moderamine convenimur[14], ut consultis fratrum, prout dominus dederit, respondeamus eosque apostolice sedis auctoritate instruamus[15]. Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum solemne agamus ieiunium, per quatuor anni tempora[16],] et sicut replemur[17] frumento, vino et oleo ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad alendas animas iuxta prophete Zachariae vocem, qui ait: Factum est verbum domini ad me dicens: Haec dicit dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos cum ad iracundiam provocassent me patres vestri, et non sum misertus, sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefatiam Hierusalem et domui Iuda. Nolite timere, haec sunt verba quae fatietis: loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, veritatem et iuditium pacis[18] iudicate in portis vestris, et unusquisque malum[19] contra amicum suum ne[20] cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim haec sunt quae odivi[21], dicit dominus. Et factum est verbum domini exercituum[22] ad me dicens: Haec

custodiam vias meas — in lingua mea, Ps. XXXVIII. 2.

Dominus omnipotens et — omnibus diligere precepit, Cass. hist. trip. IV. 29. Cf. Fel. I. pp. 16, Fel. II. pp. 17.

c. XIV. Ordinationes vero presbiterorum — provehite sec. vit. Zeph. c. 2. in libr. pontif.

Ponite indesinenter — reget nos in saecula, Ps. XLVII. 14. 15.

Nota cons. des. e c. 1. vit. Zeph. in libr. pontif.

c. I. Fraternitatis amore — convenimur, init. Gelas. I. ep. ad episc. per Lucan. (H. no. 82). Cf. Symm. syn. VI.

Ieiunium quod ter in — quatuor anni tempora sec. c. 2. vit. Calist. in libr. pontif.

Factum est verbum — dominus exercituum, Zach. VIII. 18—23.

1 *Bb.* oribus; *in Sg. man. post.* m *delevit.* 2 *Sg. Bb. Dst.* nec. 3 *Omittit Dst.* cunque tribulationum — laborantibus, viribus, *quae in Bb. al. manu s. XI. adduntur. Sg. om.* fratribus — laborantibus. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* XV. de ordinatione quod multis coram astantibus fieri debet. *Par.* 840 *in marg.:* de ordinationibus. 5 *Bb.* provertite. *Sg. Dst.* constituite. 6 *Mut. addit:* in. 7 *Deest in Bb.; Sg. Dst.* VIII. 8 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 9 *Bb.* calisti. 10 *Inscript. deest in Mut. Sg.* epistola Calisti papae. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Num. solus in Bb.* 12 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 13 *Dst.* Calixtus. 14 *Bb.* convenimus. 15 *Sg.* instituamus. *Dst. in marg.:* de ieiuniis IV temporum. 16 *Sg. Bb. Dst. omittunt:* sic et nos quaternum — IV anni tempora. 17 *Bb.* replebimur. 18 *Deest in Sg. Dst.* 19 *Sg. Dst.* mala. 20 *Bb.* nec. 21 *Mut. Dst.* odi. 22 *Deest in Mut.*

dicit dominus exercituum: Ieiunium quarti[1] et ieiunium quinti[2] et ieiunium septimi et ieiunium decimi erit domui Iudae in gaudium et in laetitiam et in sollempnitates praeclaras; veritatem tantum et pacem diligite, dicit dominus exercituum. In hoc ergo omnes nos unanimes oportet esse, ut secundum apostolicam doctrinam idipsum dicamus omnes, et[3] non sint in nobis[4] scismata. Simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia, in cuius[5] operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem. Non decet enim membra a capite dissidere, sed iuxta sacrae scripturae testimonium omnia membra capud sequantur.

[II. Quod apostolica ecclesia mater sit omnium ecclesiarum.][6]

II. Nulli vero dubium est, quod apostolica aecclaesia mater sit omnium[7] aecclaesiarum[8], a cuius vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut filius venit facere voluntatem patris, sic et vos[9] voluntatem vestrae impleatis matris, quae est[10] aecclaesia, cuius[11] capud, ut praedictum est, Romana existit aecclesia. Quicquid ergo sine discretione iustitiae contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi[12] ratio nulla permittit.

[III. Ut nullus criminaciones suscipiat . contra doctorem nisi in recta fide erravorit nec ullus doctor accusetur per scripta neque respondeat nisi fideli et legitimo accusanti (*Dst.* accusatori), qui inreprehensibilem vitam ducit.][13]

III. Criminationes vero contra doctorem nemo[14] suscipiat, quia non oportet filios patres reprehendere, nec servos dominos lacerare. Filii ergo sunt doctorum omnes quos instruunt, et sicut filii patres carnales, sic et hi patres debent diligere spiritales. Non enim bene vivit[15], qui non recte credit[16]· aut patres reprehendunt vel detrahunt suos[17]; doctores ergo qui et patres vocantur magis portandi quam reprehendendi sunt, nisi in recta fide erraverint[18]. Nullus ergo doctorem[19] per scripta accuset[20], nec nisi fideli et legitimo qui etiam inreprehensibilem vitam ac conversationem[21] ducat[22] accusatori respondeat, quia indignum est ut doctor stulto et[23] indocto atque reprehensibiliter viventi respondeat iuxta stultitiam suam, dicente scriptura: Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam[24]; non bene vivit qui non recte credit. Nihil mali vult qui fidelis est.

[IV. De fideli homine.][25]

IV. Si quis fidelis est, videat ne falsa loquatur aut cuiquam insidias ponat. Fidelis homo semper fideliter agit, et infidelis callide insidiatur atque fideles et pie ac iuste viventes perdere nititur, quia similis similem sibi quaerit. Infidelis[26] homo mortuus est in corpore vivente[27]. Et contra[28] sermones fidelis[29] hominis vitam custodiunt auditorum.

[V. Quod sicut doctorem catholicum non oporteat ullo errore implicari ita nulla machinatione aut cupiditate violari.][30]

V. Doctorem enim catholicum et[31] praecipue[32] domini sacerdotem, sicut nullo errore inplicari, ita nulla

In hoc ergo — consortem, I Petr. III. 8. et Leon. M. ep. 116. c. 1.

Non decet enim membra a capite dissidere, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692). Cf. Pii 1, Sixt. II. pp. 4, Melc. 3, ep. Aegypt. ad Marc., Iul. 9, Fel. IV. ep. 1.

sed iuxta — membra capud sequantur, Rom. XII. 5.

c. III. Criminationes vero — nemo suscipiat, Ben. II. 357. aut c. 12. (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250). Cf. Steph. 13, Euseb. 17, Sixt. III. pp. ep.

Non enim bene vivit — recte credit, Xysti Pyth. s. 189.

doctores ergo — recta fide erraverint, Isid. sent. III. 39. no. 6. s. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Clem. 42, Anacl. 39, Fab. 23.

nec nisi fideli — ducat accusatori sec. Ben. I. 74. III. 111. aut cap. Aquisgr. a. 789. c. 35.

Non respondeas — stultitiam suam, Prov. XXVI. 4.

non bene vivit — recte credit, Xysti Pyth. s. 189.

Nihil mali vult — fidelis est, eiusd. s. 203. Cf. Alex. 18, Pont. 6, Corn. 6, Melc. 5.

c. IV. Si quis fidelis — insidias ponat. Cf. Pont. 7, Melc. 5.

Infidelis homo — corpore vivente, eiusd. s. 6.

c. V. Doctorem enim catholicum — adhibere consensus, Leon. M. ep. 106. c. 1. (1159). Cf. Vict. 6.

[1] *Dst.* primi. *In Bb. additur ante* quarti *m. s. XI.* primi et ieiunium. [2] *Dst.* quarti. [3] *Bb. Dst.* ut. [4] *Bb.* vobis. [5] *Mut.* huius *pro:* in cuius. [6] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [7] *Ultima verba c. I.* omnia membra *usque ad priora c. II.* mater est omnium *adduntur al. m. s. XI. in Bb.* [8] *Om. Sg.* testimonium omnia — sit omnium aecclaesiarum. [9] *Deest in Dst.* et vos. [10] *Deest in Mut. Bb.* [11] *Deest in Mut.* [12] *Bb. Dst.* habere. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* III. ut nemo criminationem contra doctorem recipiat. *Par.* 840 *in marg.:* non accusandos episcopos. [14] *Mut.* nullus. [15] *Sg. Bb. Dst.* vivunt. *Bb. antea legebat:* vivit. [16] *Codd. cit.:* credunt. *Bb. antea legebat:* credit. [17] *Dst.* suis. [18] *Cod. et Dst. in marg.:* cui accusatori sit respondendum. [19] *Sg. Bb. Dst.* doctor. [20] *Codd. cit.:* accusetur. [21] *Sic Codd. cit. et Mut.; Par.* 840: conversatione. [22] *Mut.* deducat. [23] *Om. Sg.* stulto et. [24] *Deest* dicente — stultitiam suam *in Mut. Sg. Bb. Dst.* [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [26] *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* vero. [27] *Bb. Dst.* viventi. [28] *Bb.* et econtra. *Sg. Dst.* econtra. [29] *Mut.* infidelis. [30] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [31] *Dst.* ut. [32] *Mut.* praecipientem.

oportet machinatione aut cupiditate violari, dicente quippe[1] scriptura sancta: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere: multis[2] mundi huius inlecebris[3], multis vanitatibus resistendum est ut vere continentiae obtineatur integritas. Cuius prima est labes superbia, initium transgressionis et origo peccati, quoniam mens sponte[4] avida nec abstinere novit nec piaetati[5] adhibere consensus[6]. Nullus bonorum inimicum habet nisi malum, qui ideo esse permittitur, ut aut corrigatur aut per ipsum bonus exerceatur. Quicquid ergo inreprehensibile[7] est catholica defendit aecclaesia. VI. Nulli imperatori vel cuiquam pietatem custodienti licet aliquid contra mandata divina praesumere. Iniustum ergo iudicium et definitio iniusta [9][regio[10] metu aut iussu, a quibuscunque episcopis aut potestatis[11] iudicibus ordinata vel acta[12] non valeat. Homini religioso parum esse debet inimicicias aliorum non exercere[13] vel augere male loquendo, nisi etiam eos exstinguere bene loquendo[14] studuerit. Melior est in malis factis humilis confessio quam in bonis superba gloriacio. Omnes vero qui amant vitam beatam, malunt eam tranquilitatis sue et iustitiae statu currere quam nostrorum[15] peccatorum poenis ultricibus interpollari. Memor enim sum me sub illius nomine] aecclaesiae praesidere, cuius a domino Iesu Christo est glorificata confessio et cuius fides omnes semper destruit errores. Et intellego aliter mihi non licere quam ut[16] omnes conatus[17] meos ei causae[18] in qua universalis aecclaesiae[19] salus infestatur, inpendam. Spero autem[20] adfuturam misericordiam dei[21] quod[22] cooperante eius clementia[23] omnis pestifer morbus ipso pellente auferatur, et quicquid[24] ipso inspirante atque auxiliante poterit salubriter fieri, cum tuae fidei et devotionis laude peragatur, quoniam res omnes aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divini muneris[25] famulatum pertinent[26], sacerdotalis defendat auctoritas[27]. Data XI. Kal. Decemb. Antonio et Alexandro cc. conss.

[VI. Ut nulli imperatori vel cuiquam pietatem custodienti liceat aliquid praesumere contra divina mandata: item de iniusto iudicio.][8]

CUIUS SUPRA AD OMNES GALLIARUM URBIUM EPISCOPOS.

DE CONSPIRATIONIBUS ET RELIQUIS[28] INLICITIS CAUSIS NE FIANT.[29]

VII. Dilectissimis fratribus per Galliam constitutis universis episcopis CALISTUS. Plurimorum relatu comperimus, dilectionem vestram fervore spiritus sancti ita

[VII. Non esse agendum contra statuta apostolica.][30]

Nullus bonorum inimicum — bonus exerceatur, Prosp. Aquit. s. 203.
Quicquid ergo — defendit aecclaesia, c. 9. i. f. conc. Nicen. Cf. Marcellini 3, Dam. 14, Symm. syn. VI.
c. VI. Nulli imperatori — divina praesumere, Cass. hist. trip. X. 6. aut Ben. I. 402. aut c. 16. (bis) Angilr. Cf. Marcellini 4, Symm. syn. VI.
Iniustum ergo iudicium — vel acta non valeat, l. Visig. II. 1. 28. tit. aut Ben. I. 405. aut c. 18 (bis) Angilr. Cf. Marcellini 4, Symm. syn. VI.
Homini religioso — loquendo studuerit, Prosp. Aquit. s. 179. Cf. Clem. 50.
Melior est in malis — superba gloriacio, eiusd. s. 118.
Omnes vero qui amant — ultricibus interpollari sec. Ambros. ep. 34. ad Horontian. no. 10. (2, 924).
Memor enim sum — infestatur inpendam, Leon. M. ep. 61. c. 2. (1, 984). Cf. Sixt. II. pp. 1, Pelag. II. pp. ep. i. f.
Spero autem adfuturam — defendat auctoritas, eiusd. ep. 60. (1, 983).
Nota cons. des. ex vit. Calist. c. 1. in libr. pontif.
c. VII. Plurimorum relatu comperimus — auctoritate, init. Simplic. ep. ad Zenon. (II. no. 77).

1 *Deest in Dst.* 2 *Mut.* mundis. 3 *Mut. addit:* et. 4 *In Sg. manu post. additur:* sua. 5 *Dst.* pietate. 6 *Mut.* consensum. *Sic quoque Sg. manu post. corr.* 7 *Mut. Dst.* reprehensibile. *Bb.* reprehensibilis. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* VI. de iniusto iuditio. *Num. sol. in Bb.; Par.* 840 *in marg.:* regiam vim contra episcopum non valere. 9 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum ex Mut. restitui.* 10 *Sg. Dst.* regis. 11 *Sg. Bb. Dst.* aut (*Bb.* ad) cuiuscunque episcopi aut potentis a. 12 *Bb. Dst.* actum. 13 *Sg. Dst. add.:* si. 14 Nisi — loquendo *deest in Sg. Bb. Dst.* 15 *Sic Sg. Bb. Dst.; Mut.* nostro. 16 *Deest in Bb.* 17 *Mut.* cognatos. 18 *Mut.* ea causa. 19 *Bb.* aecclesia. 20 *In Bb. m. al. s. XI. additur:* mihi. 21 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 22 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 23 *Addunt Bb.* quoniam, *Sg. Dst.* quod. 24 *Mut. addit:* in. 25 *Bb.* numeris. 26 *Additur in Bb. m. al. s. XI.* nisi eos. 27 *Deest in Mut.* defendat auctoritas. 28 *Deest in Dst.* conspir. et reliq. 29 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola Calisti papae in Galliam directa. 30 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.*

aecclaesiae gubernacula firmiter contra impetus tenere et regere, ut naufragia[1], detrimenta deo auctore non sentiat. Talibus igitur gloriantes indiciis rogamus ne illis in partibus contra statuta apostolica quicquam fieri sinatis; sed nostra fulti auctoritate nociva conpescite, inlicita prohibete. [VIII. Ut conspirantes in accusationem non recipiantur.][2] VIII. Conspirationum vero crimina vestris in partibus vigere audivimus et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cuius criminis astutia non solum inter christianos abhominabilis est, sed etiam inter ethnicos et ab exteris legibus[3] prohibita. Et idcirco huius criminis reos non solum aecclesiasticae, sed etiam saeculi dampnant leges, et non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum, quicumque eorum in sacerdotali honore sunt positi aut existunt clerici, honore quo utuntur cadere praeceperunt. Caeteros vero communione privari et ab aecclaesia extorres fieri iusserunt, omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt[4], et non solum fatientes, sed et[5] eis consentientes. Iustum est enim, ut qui divina contempnunt mandata et inobedientes patrum existunt iussionibus, severioribus corrigantur vindictis, quatenus caeteri timorem habeant talia[6] committere, et deus gaudeat fraternitate ac concordia, et cuncti sumant saeveritatis[7] atque bonitatis exemplum. [8] Nam si, quod absit, aecclesiasticam sollicitudinem vigoremque neglegimus, perdit desidia disciplinam et animabus fidelium profecto nocebitur. [IX. De conspirationibus.][9] IX. Hi vero in nullius accusatione sunt recipiendi, nec eorum vel anathematum[10] vox ullum nocere aut accusare potest.

X. De excommunicatis.][11] X. Excommunicatos quoque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem iustam[12], nec cum eis in oratione aut cibo vel potu aut osculo communicet, nec ave eis dicat. Quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, iuxta apostolorum institutionem et ipsi simili excommunicatione[13] subiaceat. Ab his ergo et clerici et laici se abstineant qui eadem pati noluerint. [XI. De infidelibus.][14] XI. Infidelibus quoque vos[15] nolite coniungere[16], nec cum eis ullam participationem habere. Talia vero agentes non fideles, sed infideles iudicantur, unde ait apostolus: Quae pars fideli cum infideli[17], aut que[18] participatio iustitiae cum iniquitate? [XII. Ut nullus alterius terminos usurpet nec parrochiam iudicet aut excommunicet.][19] XII. Nemo quoque alterius terminos usurpet, nec alterius parroechianum[20]

c. VIII. Conspirationum vero — exteris legibus prohibita sec. c. 18. conc. Chalc. (D.).
Et idcirco huius criminis — dampnant leges sec. Ben. I. 189.
sed etiam consentientes — communione privari sec. Ben. I. 224. (c. 27. conc. Chalc. D.).
et ab aecclesia extorres — infames esse censuerunt sec. Ben. II. 383. i. f.
Iustum est enim — timorem habeant alia committere sec. Cap. a. 805. ap. Theod. vill. c. 24. aut Ben. I. 260. II. 290.
Nam si quod absit—profecto nocebitur, Greg. M. ep. IX, 41. (2, 957).
c. IX. Hi vero in nullius — accusare potest sec. Ben. III. 215. Cf. Fab. 5, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.
c. X. Excommunicatos quoque — nullus recipiat sec. Ben. II. 199. tit.
nec cum eis in oratione — nec ave eis dicat, Ben. II. 93. (Poenit. Theod. II. 4. §. 11).
c. XI. Infidelibus quoque vos — cum infideli, II Cor. VI. 15. 14.
c. XII. Nemo quoque alterius terminos usurpet, Ben. II. 301. III. 151. (c. 20. conc. III. Carth.).
nec alterius parrochianum — dampnabitur, c. 15. Angilr. (Ben. III. 308. conflat. ex c. 21. tit. et text. conc. III. Carth. H., c. 22. conc. Ant. D., interpr. c. 2. C. Th. IV. 16). Cf. Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.

[1] *Mut.* naufragii. *Dst.* naufragia aut naufraga. [2] *Sec. Par.* 4280. *Dst.* (*sine numero*): de conspiratione contra episcopos. *Eadem verba in marg. Par.* 840 *leguntur.* [3] *Sg. Bb. Dst.* lege. [4] *Desunt in Sg. Dst.* omnesque — eis consentientes, *quae in Bb. al. m. s. XI. adduntur.* [5] *Om. Sg.* [6] *Sic Mut. Sg. Bb. Dst.; Par.* 840: alia. [7] *Mut.* veritatis. [8] *Cod. in marg.:* de vigore disciplinae. *Dst. in marg.:* de vigore et disciplina. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* Ut conspirantes in accusatione non recipiantur. *Num. sol. in Bb.* [10] *Dst.* anathematizata. *Sg.* anathemate, *quod manu post. corr. in:* anathematis. [11] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* X. Excommunicatis non communicandum, *quae etiam* (*sine numero*) *in marg. Par.* 840 *leguntur. Sol. num. in Bb.* [12] *Mut.* examinatione iusta. *Bb.* examinationem iustum. [13] *Mut. Bb. Dst.* excommunicationi. *Sic Sg. manu post. corr.* [14] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. tantum in Bb.* [15] *Deest in Mut. Bb.* [16] *Bb.* coniungi. [17] *Sg. Bb. Dst.* infidele. [18] *Mut.* ulla *pro* cum eis ullam — infideli aut que. [19] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Par.* 840 *in marg.:* terminos non transgrediendos. [20] *Mut.* parochiam.

iudicare aut excommunicare praesumat[1], quia talis iudicatio[2] aut excommunicatio vel dampnatio nec rata erit nec vires ullas[3] habebit, quoniam nullus alterius iudicis nisi[4] sui sententia tenebitur aut dampnabitur, unde et [5]dominus[6] loquitur dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.

[XIII. Ut nullus primas vel metropolitanus aliquid agat de ecclesiis vel parrochiis comprovincialium episcoporum et de eorum causis sine consilio ipsorum omnium et nec ipsi aliquid agant sine eius consilio nisi quantum ad proprias pertinet parrochias.][7]

XIII. Nullus autem, primates[8] vel metropolitanus, diocesiani aecclaesiam [9][vel parochiam[10] aut aliquid de[11] eius parochia[12] praesumat excommunicare vel diiudicare[13] aliquid vel agere absque eius consilio vel iuditio; sed hoc servetur[14], quod ab apostolis vel[15] patribus et praedecessoribus nostris est statutum et a nobis confirmatum, id est si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam sine consilio[16] ac[17] voluntate omnium conprovincialium episcoporum extra aliquid agere[18] temptaverit, gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. Sed quidquid de provincialium[19] coepiscoporum[20]] causis eorumque aecclaesiarum et clericorum atque saecularium necessitatibus[21] agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu provintialium[22] agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare; et alibi: Qui maior est vestrum, erit minister vester, et reliqua. Similiter et ipsi conprovintiales episcopi cum eius consilio, nisi quantum ad proprias pertinent[23] parroechias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in saecula. Nullus primas, nullus metropolitanus nullusque reliquorum episcoporum alterius[24] adeat civitatem aut ad possessionem[25] accedat quae ad eum non pertinet et alterius episcopi est parroechiae super cuiusquam[26] dispositione nisi vocatus ab eo cuius iuris esse dinoscitur, ut quiddam ibi disponat vel ordinet aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter[27] praesumpserit, dampnabitur, et non solum ille, sed cooperatores[28] eique consentientes, quia sicut ordinatio, ita eis et iudicatio et aliarum rerum dispositio prohibetur.

[XIV. Episcopus ubi ordinare non potest nec poterit iudicare. Item de uxore episcopi i. e. ecclesia.][29]

XIV. Nam qui ordinare non poterit[30], qualiter iudicabit? Nullatenus procul dubio iudicabit aut iudicare poterit, quoniam sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo vel iudicari aut disponi, nisi a proprio viro eo vivente permittitur, sic nec uxor[31] episcopi quae eius aecclaesia vel parrochia indubitanter intelligitur, eo vivente absque eius iuditio et voluntate alteri iudicare vel disponere aut eius concubitu frui, id est ordinatione, ullatenus[32] conceditur[33], unde ait apostolus: Alligata est uxor legi quamdiu vir eius vivit, eo vero defuncto soluta est a lege viri. Similiter et sponsa episcopi, quia et sponsa uxor[34] eius dicitur[35] aecclaesia, illo vivente ei est alligata. Eo vero defuncto soluta est, cui voluerit nubat, tantum[36] in domino, id est regulariter. Si enim eo vivente alteri nupserit, adultera iudicabitur[37]; similiter et ille, si alteram[38] sponte duxerit, adulter aestimabitur et communione privabitur[39].

Ne transgrediaris — patres tui, Prov. XXII. 28.

c. XIII. id est si quis metropolitanus — glorificetur trinitas in secula, c. 43. Angilr. aut Ben. III. 358. (c. 9. 13. conc. Antioch., Matth. XX. 28. 26, c. 35. apost.). Cf. Luc. 3, Iul. 12.

c. XIV. Nam qui ordinare — iudicare poterit, c. 22. i. f. Antioch.

Alligata est uxor — a lege viri, I Cor. VII. 39.

Eo vero defuncto — tantum in domino, Rom. VII. 2. I Cor. l. c.

1 *Mut.* praesumpserit. 2 *Mut. Bb. Dst.* diiudicatio. 3 *Bb.* ulla. 4 *Dst.* non. 5 *Dst. in marg.:* terminos transgrediendos. 6 *Sg.* David. 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.; Par.* 840 *in marg.:* metropolitanum in coepiscopi sui parochia nihil agere. 8 *Sg. Bb. Dst.* primas. 9 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 10 *Bb. Dst.* parroechianum. 11 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 12 *Codd. cit.* parroechiae. 13 *Sg. Bb.* iudicare. 14 *Bb.* servet. *Sg. Dst.* observet. 15 *Sg. Bb. Dst.* ac. 16 *Bb.* concilio. 17 *Sg. Dst.* et. 18 *Sic in Sg.* legere *manu post. corr.* 19 *Dst.* comprovincialium. 20 *Sg. Bb. Dst.* episcoporum. 21 *Mut. Sg. Bb. Dst.* necessarium. 22 *Dst.* comprovincialium. 23 *Mut. Sg. Dst.* pertinet. 24 *Deest in Mut.* 25 *Mut.* dispositionem. 26 *In Sg. manu post. additur:* rei. 27 *Dst.* autem. 28 *Sg. Bb. Dst.* cooperantes. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* 30 *Sg. Bb. Dst.* potuerit. 31 *Dst.* uxorem. 32 *Mut. Dst.* nullatenus. 33 *Sg.* concedatur. 34 *Mut.* quia sponsa et uxor. *Sg. Bb.* quia sponsa uxorque. *Dst.* quia sponsa uxor. 35 *Deest in Sg. Dst.* 36 *Deest in Mut.* 37 *Sg.* vocabitur. 38 *Mut. Bb.* adulteram. 39 *Sg.* privetur.

[XV. Si episcopus persecutus fuerit in sua ecclesia fugiendum est illi ad alteram.][1]

XV. Si autem persecutus in sua fuerit ecclesia, fugiendum illi est ad alteram eique sociandum dicente domino: Si persecuti vos fuerint in unam civitatem[2], fugite in aliam. Si autem utilitatis causa fuerit mutandus[3] non pro[4] se[5] hoc agat, sed fratribus invitantibus et auctoritate huius sanctae sedis faciat, non ambitus causa, sed utilitatis.

[XVI. De consanguineorum coniunctione incesta et de raptoribus.][6]

XVI. Coniunctiones autem consanguineorum fieri prohibete, quando[7] has et divinae et saeculi[8] prohibent leges. Leges ergo divinae haec agentes et eos qui ex eis prodeunt, non solum eiciunt, sed et maledictos appellant. Leges ergo[9] saeculi infames tales vocant et ab hereditate repellunt. Nos vero sequentes patres nostros infamia eos notamus et infames esse censemus, quia infamiae maculis sunt aspersi. Nec eos viros[10] vel accusationes quas leges saeculi reiciunt suscipere debemus[11]. Eos autem consanguineos dicimus[12], quos divinae et imperatorum[13] Romanorum atque Grecorum leges consanguineos appellant et in[14] hereditate[15] suscipiunt nec repellere possunt. [16]Talium enim coniunctiones nec legitimae sunt nec manere possunt, sed sunt repellendae. [17]Quisquis ergo non est legitimae coniunctus vel absque dotali titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes vel legitime coniunctos criminari[18] vel in eos testificari minime potest, quoniam omnis[19] incesti macula pollutus[20] infamis est et accusare supradictos non permittitur. Non solum ergo hi reiciendi sunt et infames efficiuntur, sed etiam omnes eis consentientes. Similiter de[21] raptoribus vel eis qui seniores impetunt fieri censemus. Hos ergo[22] saeculi leges interficiunt, sed nos misericordia praeeunte sub infamiae nota ad penitentiam recipimus, ipsam quoque infamiam qua sunt aspersi, delere non possumus, sed animas eorum per poenitentiam publicam et aecclesiis[23] satisfactionem sanare cupimus, quia manifesta[24] peccata non sunt occulta correctione[25] purganda.

[XVII. De accusationibus et testibus.][26]

XVII. Omnes ergo [27][qui in recta fide suspecti sunt, in accusatione[28] sacerdotum et eorum super quorum fide[29] non hesitatur, minime recipiantur et in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum vocem de quorum fide dubitatur, nec eis omnino esse[30] credendum qui rectam fidem ignorant. Quaerendum est ergo in iuditio, cuius sit conversationis et[31] fidei is qui accusat, et

c. XV. Si persecuti vos — in aliam, Matth. X. 23.

Si autem utilitatis causa — causa sed utilitatis sec. c. 27. conc. IV. Carth.

c. XVI. Coniunctiones autem — fieri prohibete sec. Ben. II. 130. tit. (l. Visig. XII. 3. 8).

Leges ergo saeculi — infamia notamus, interpr. c. 3. C. Th. III. 12. (cf. Ben. II. 410).

Nec eos viros — suscipere debemus, Ben. II. 381. III. 108. 307. (c. 96. conc. Afric.). Cf. Angilr. c. 9, Praef. 7, Telesf. 4, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12: xv., Dam. 14.

Quisquis ergo — non permittitur fortasse conflat. ex Ben. II. 130. 133, interpr. c. 3. C. Th. III. 12.

Similiter de raptoribus, Ben. II. 97.

quia manifesta peccata — correctione purganda, Isid. sent. III. 46. no. 13. aut conc. Aquisgr. a. 816. libr. I. c. 36. Cf. Greg. ep. ad Felic.

c. XVII. Omnes — rectam fidem ignorant, Ben. I. 335. III. 176. (c. 64. conc. Tol. IV.).

qui in recta fide suspecti sunt, cf. Pii 5, Fab. 5.

nec eis omnino — fidem ignorant, cf. c. 3. Angilr., Sixt. I. pp. 3, Fab. 5, Iul. 12.

Quaerendum est ergo — is qui accusatur, c. 96. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 110, add. III. 11. (Cf. Fel. I. pp. 12.)

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* XV. de mutatione episcopi de aecclesia ad aecclesiam. *Par.* 840 *in marg.:* de mutatione sedis. 2 *Mut. Sg. Bb. Dst.* una civitate. *Dst. in margine:* de mutatione sedis. 3 *Mut.* mutandum. *Sg.* mutandi. 4 *Sg. Bb. Dst.* a. 5 *Deest in Mut.* 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit* et de rapt. *Num. solus in Bb. Par.* 840 *in marg.:* de coniunctione. 7 *Sg. Bb.* quod. 8 *Mut.* eas et sanctae et divinae. *Bb.* eas et divinae et sanctae. *Sg. Dst.* etiam divinae et sanctae. 9 *Mut. Sg. Bb.* vero. 10 *Mut.* vero. 11 *Mut.* debere censemus. 12 *Mut.* diximus. 13 *Mut. Bb. addunt:* ac. 14 *Om. Sg.* 15 *Sg. Bb. Dst.* hereditatem. 16 *Bb. hic ponit rubricam:* de non legitimis coniunctionibus. 17 *Cod. in marg.:* legitime non coniuncti infames sunt. *Dst. in marg.:* de eo qui non est legitime coniunctus. 18 *Mut.* criminare. 19 *Sg.* omni hic est; *tamen poster. manu est deletum.* 20 *Om. Sg.* 21 *Om. Sg. Dst.* 22 *Bb. Dst.* vero. *Sg.* vero quot. 23 *Mut. Sg. Bb. Dst.* ecclesiae. 24 *Bb.* manifestata. 25 *Bb.* correptione. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Num. solus in Bb. Par.* 840. *Dst. in marg.:* qui accusare nequeant. 27 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 28 *Bb. Dst.* accusationem. 29 *Bb.* fidem. 30 *Sg.* est. 31 *Sg. Dst.* ac.

is[1] qui accusatur, quoniam hi qui non sunt recte conversationis ac fidei et quorum vita est accusabilis, non permittuntur maiores natu accusare, nec quorum fides,] vita et libertas nescitur, neque viles personae in eorum recipiantur accusationem. Rimandae vero sunt accusatorum enucleatim personae, qui[2] sine scripto difficile, per scriptum autem numquam recipiantur, quia per scripturam nullus accusari potest, sed propria voce et praesente eo quem accusare voluerit[3], suam quisque agat accusationem, nec absente eo quem accusare voluerit, quicunque accusator credatur. Similiter testes per quamcumque[4] scripturam[5] testimonium non proferant, sed praesentes quam[6] viderunt et noverunt, veraciter[7] testimonium dicant[8]. Nec de aliis causis vel negotiis testimonium dicant, nisi de his que sub praesentia eorum acta esse noscuntur. [9]Accusatores vero[10] consanguinei adversus extraneos testimonium non dicant, nec[11] familiares vel[12] de domo[13] prodeuntes, sed si voluerint et invicem consenserint, inter se parentes tantummodo testificentur, et non in alios[14]. Nec accusatores vel testes suspecti recipiantur, quia propinquitatis et familiaritatis ac dominationis affectio veritatem[15] impedire solet. XVIII. Amor carnalis et timor atque avaritia plerumque sensus haebetant[17] humanos et pervertunt oppiniones, ut questum pietatem putent et pecuniam quasi mercedem prudentiae. Nemo enim in dolo loquatur ad proximum suum, fovea alta est os malivoli, innocens dum credit facile, cito labitur: sed iste lapsus[18] surgit[19], et tergiversator suis artibus[20] praecipitatur, unde numquam exiliat atque evadat[21]. Ponderet ergo unusquisque sermones suos, et quod sibi loqui non vult, alteri non loquatur[22], unde bene sacra ait scriptura: Quod tibi non vis fieri, alteri ne fatias. Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturius agamus, nec praecipitemus consilia et opera nostra, neque ordinem corrumpamus. Sed si aliquis lapsus quoque modo[23] fuerit, portemus eum, sed[24] fraterno corripiamus affectu, sicut ait beatus apostolus: Si praeoccupatus fuerit homo in alico delicto, vos, qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tempteris, alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. XIX. Porro sanctus David de criminibus[26] mortiferis egit paeniten-

[XVIII. De amore carnali et timore et avaritia atque dolo.][16]

[XIX. De sancto David qui post crimina egit penitentiam et in honore permansit.][25]

quoniam hi qui non — maiores natu accusare, Cap. ecclesiast. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Pont. 9, Fab. 13, 25, Steph. 12 (Fel. I. pp. 12.), Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3. (c. 13. Angilr.).

nec quorum fides — nescitur, Ben. II. 359. III. 112. aut c. 13. Angilr. Cf. Fab. 13, 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.

neque viles personae — accusationem, Cap. ecclest. a. 789. c. 45. aut Ben. II. 362. aut c. 13. Angilr. Cf. Anacl. 19, Fab. 25, Sixt. III. pp.

Rimandae ergo sunt — accusatorum sec. c. 17. conc. Afric. aut Ben. III. 97.

per scriptum autem — accusare voluerit. Cf. Steph. 8.

qui sine scripto — acta esse noscuntur sec. l. Visig. II. 4. 5. aut Ben. II. 147. 345. Cf. Dam. ad Ital.

Accusatores vero — non dicant sec. l. Visig. II. 4. 12. tit. aut Ben. II. 348. tit.

nec familiares — impedire solet sec. l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 17. s. 1. et interpr. s. 3. (Cf. Steph. 11.)

quia propinquitatis. Cf. Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. XI.

c. XVIII. Amor carnalis et — mercedem prudentiae, Ambros. ep. 2. ad Syagr. no. 15. (2, 758).

Nemo enim — sermones suos, l. c. no. 13. (2, 757).

Quod tibi non — ne fatias, Tob. IV. 16.

Nos enim tempore — ordinem corrumpamus, Ambros. ep. 44. ad Horont. no. 2. (2, 976).

Si praeoccupatus — legem Christi, Galat. VI. 1. 2.

c. XIX. Porro sanctus David — permansit, August. ep. 185. c. 10. no. 45. (2, 661).

[1] *Verba* qui accusat et *addita m. s. XII. in Dst. Deest:* is. [2] *Dst.* que. [3] *Bb.* voluerint. [4] *Om. Sg. verba:* quem accusare — testes per quamcumque. [5] *Bb.* scriptura. [6] *Mut.* quid. *Dst.* que. [7] *Deest in Sg. Bb.* testimonium non proferunt — noverunt veraciter. [8] *Verba* quem accusare voluerit — veraciter testimonium dicant *m. s. XII. in Dst. adduntur. Bb.* dicent *pro* dicant. [9] *Cod. in marg.:* parentes adversus extran... testimonium non proferant sed ad m... *Bb. ponit rubricam:* Ut consanguinei accusatoris adversus extraneos testimonium non dicant. [10] *Dst.* autem. [11] *Dst. addit:* eorum. [12] *Deest in Mut.* [13] *Dst. addit.:* eorum. [14] *Mut.* non alii. [15] *Sg.* veritati. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Numerus solus in Bb.* [17] *Bb.* orbitant. [18] *In Sg. manu post. additur:* non. [19] *Sg.* resurgit. [20] *In cod. supra linea additur:* vel actibus. *Sg.* actibus *pro* artibus. [21] *Mut.* vadat. [22] *Mut.* eloquatur. [23] *Mut. Sg. Dst. Bb.* quoquo modo. *Par.* 840 *in marg.:* de persona accusantium. [24] *Sg. Bb. Dst.* et. [25] *Sec. Par.* 4280 *et Dst., qui omisit numerum. Num. solus in Bb. Par.* 840 *in marg.:* de lapsu sacerdotis. [26] *Mut.* criminalibus.

tiam et tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrimas fudit, quando dominum negasse penituit, sed tamen apostolus permansit. Et dominus per prophetam peccantibus[1] pollicetur dicens: Peccator in quacumque[2] die conversus ingemuerit, omnium iniquitatum illius amplius non recordabor.

[XX. Quod sacerdotes domini et reliqui fideles post lapsum si dignam egerint paenitentiam redeant ad pristinos honores.][3]

XX. Errant enim qui putant sacerdotes post lapsum, si condignam egerint paenitentiam, domino ministrare non posse et suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint et suum sacerdotium condigne custodierint. Et ipsi qui hoc putant non solum errant, sed etiam contra[4] traditas aecclaesiae claves dissipare[5] et agere[6] videntur, de quibus dictum est: Quecunque solveritis[7] super terram[8] erunt soluta et in caelo, alioquin haec sententia aut domini non est aut vera. Nos vero indubitanter tam domini sacerdotes quam reliquos fideles post dignam satisfactionem[9] posse redire[10] ad honores credimus, testante domino per prophetam: Numquid qui cadit[11] non adiciat[12] ut resurgat, et qui aversus est, non revertetur? Et alibi: Nolo, inquid dominus, mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et propheta David paenitentiam agens dixit: Redde mihi letitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. Ipse namque post penitentiam et alios docuit et sacrifitium[13] deo obtulit, dans exemplum doctoribus sanctae aecclaesiae, si lapsi fuerint et condignam penitentiam deo gesserint, utrumque facere posse[14]. Docuit enim quando dixit: Docebo[15] iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Et sacrificium deo[16] pro se obtulit dum dicebat: Sacrificium deo spiritus contribulatus. Videns enim propheta scelera sua mundata per penitentiam, non dubitavit [17][praedicando et domino libando curare aliena. Lacrimarum ergo effusio movet animi passionem. Satisfactione autem impleta aversatur[18] animus ab ira; qui enim non ignoscit alteri, quomodo sibi putat subvenire[19]? Superhabundant ergo peccata, superabundet et misericordia. Quoniam apud dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio; poenes deum[20] enim omnium habundantia est, quia dominus virtutum ipse est rex gloriae. Ait enim apostolus: Omnes[21] peccaverunt et egent gloriam[22] dei, iustificati gratia[23] per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu,] quem proposuit deus propitiatorem[24] per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum, in sustentationem[25] dei, ad ostensionem iustitiae[26] eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus et justificans eum qui ex fide est in[27] Christo Iesu[28]. David enim dicit: Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit dominus peccatum. Mundatur ergo homo a peccato et resurgit gratia dei a lapsu, et in pristino manet offitio iuxta praedictas auctoritates, videat ne amplius peccet ut[29] sententia evangelii[30] maneat in eo, quae[31] ait: Vade et amplius noli peccare; unde ait apostolus: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali cor-

Peccator in — non recordabor, Ezech. XVIII. 22.
c. XX. Errant enim qui — soluta et in caelo sec. August. ep. cit.
post dignam satisfactionem — spiritus contribulatus, Greg. M. ep. IX, 59. (2, 969).
quoniam apud deum — redemptio, Ps. CXXIX. 7.
dominus virtutum — rex gloriae, Ps. XXIII. 10.
Omnes peccaverunt — in Christo Iesu, Rom. III. 23—26.
David enim dicit — dominus peccatum, Rom. IV. 6. 7. 8.
videat ne amplius — peccare, Ioann. VIII. 11.
Non ergo regnet — humanum dico, Rom. VI. 12—19.

1 *Mut.* peccatoribus. 2 *Dst.* quocumque. 3 *Sec. Par.* 4280 *et Dst. Bb.* XX. Quod sacerdos post lapsum ministrare possunt. 4 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 5 *Mut. Bb.* disputare. 6 *Sg. Dst.* abigere. 7 *Mut. Sg. Bb. Dst.* solveris. 8 *Codd. cit.:* in terra. 9 *Dst. addit:* provehi. 10 *Deest in Dst. Sg.* revocari. 11 *Mut.* cadet. *Sg. Dst.* dormit. 12 *Mut. Sg. Dst.* adiciet. 13 *Mut.* sacificium. 14 *Mut.* possint. 15 *Sg. Bb. Dst.* doceam. 16 *Deest in Mut.* 17 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum ex Mut. restitui.* 18 *Bb.* avertitur. *Dst.* evertitur. 19 *Sg. Bb.* subveniri. 20 *Bb. Dst.* dominum. 21 *Dst. addit:* enim. 22 *Bb. Dst.* gloria. 23 *Sg. Bb. Dst.* gratis. 24 *Sg. Dst.* propitiationem. 25 *Sg. Dst.* sustentatione. 26 *Deest in Mut.* suae propter remissionem — ostensionem iustitiae. 27 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 28 *Codd. cit.:* Iesu Christi. 29 *Sg. Bb. Dst.* et. 30 *Codd. cit. et Mut.* evangelica. 31 *Mut.* qui.

pore, ut obediatis concupiscentiis eius; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos tamquam ex mortuis viventes et membra vestra arma iustitiae deo. Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo peccavimus [1], quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiam? Absit. Nescitis quoniam cui exhibetis [2] vos servos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis [3], sive peccati ad mortem, sive obaeditionis ad iustitiam? Gratias autem deo quod fuistis servi peccati, oboedistis autem ex corde in eam formam doctrinae [4] in qua traditi estis. Liberati [5] autem a peccato servi facti estis iustitiae, humanum dico; maius enim peccatum est iudicantis quam eius qui iudicatur. Existimas [6] autem [7] hoc, inquit [8] apostolus, o homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies iuditium dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contempnis? Ignoras quoniam benignitas dei ad poenitentiam te adducit? Saecundum duritiam autem tuam et inpaenitens cor thesaurizas tibi iram in diae irae et revelationis iusti iudicii dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: his quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus vitam aeternam; his autem qui ex contentione [9] et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, iudei primum et Greci; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum. Sententiam [10], fratres, quae misericordiam vetat non solum tenere, sed et [11] audire refugite, quia potior est misaericordia omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Consultis vestris breviter respondimus, quia oppressos nimis et aliis praeoccupatos iudiciis [12] litterae nos invenere vestrae. Data VIII. Idus Octob. Antonio [13] et Alexandro cc. conss.

DECRETA [14] URBANI [14]. INCIPIUNT [15] DECRETA URBANI PAPAE.

DE COMMUNI VITA ET OBLATIONIBUS FIDELIUM. [16]

I. URBANUS episcopus omnibus christianis in sanctificationem [18] spiritus, in obedientiam [19] et aspersionem [20] sanguinis Christi salutem. [I. De communi vita.] [17]

Decet [21] omnes christianos, karissimi, ut eum [22] imitentur cuius nomen sortiti sunt. Quid prodest, fratres mei, [23][ait apostolus Iacobus, si fidem quis dicat [24] habere, opera autem non habeat? Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius [25] iudicium sumitis; in multis enim offendimus omnes. Qui [26] sapiens et disciplinatus est inter vos, ostendat ex bona conversatione opera sua [27] in mansuetudine sapientiae. Scimus vos non [28] ignorare, quia actenus vita communis inter bonos christianos viguit et adhuc gratia dei] viget, et maxime inter eos qui in sorte domini sunt electi, id est clericos sicut in actibus legitur apostolorum:

Maius enim peccatum — qui iudicatur, Xyst. Pyth. s. 174. aut Ben. III. 372. aut c. 11 (bis) Angilr.
Existimas inquit apostolus — pax omni operanti bonum, Rom. II. 3—10.
Sententiam fratres — audire refugite, Xysti Pyth. s. 328.
quia potior est — sacrificiis, Marc. XII. 33.
Not. cons. des. e vit. Calist. c. 1. in vit. pontif.
c. I. Urbanus — salutem sec. I Petr. I. 2.
Decet omnes christianos — sortiti sunt, Cyprian. de habita virg. c. 7. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. II. c. 4.
Quid prodest fratres — mansuetudine sapientiae, Iac. II. 14. III. 1. 2. 13.

1 *Sg. Dst.* peccabimus. 2 *Mut. Dst.* exhibuistis. 3 *Mut. Bb. Dst.* oboedistis. 4 *Sic Sg. Bb. Dst.; Par.* 840 *et Mut.* doctrinam. 5 *Bb.* Liberi. 6 *Mut.* Existimans. 7 *Deest in Dst.* 8 *Sg. Dst.* ait. 9 *Mut.* contemptionem. 10 *Sg. add.:* autem. 11 *Om. Sg. Dst.* 12 *Mut.* indiciis. 13 *Sg.* Antimo. 14 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 15 *Bb.* Incipit. 16 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola sancti Urbani papae de rebus et possessionibus ecclesiasticis quomodo dispensari debeant. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. numerum ponunt ad inscriptionem.* 18 *Mut. Sg. Dst. Bb.* sanctificatione. 19 *Mut. Sg.* obedientia. 20 *Mut. Sg.* aspersione. 21 *Mut.* licet. 22 *Mut.* Christum *pro:* karissimi ut eum. 23 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 24 *Sg. Bb. Dst. addunt:* se. 25 *Bb.* magis. 26 *Bb.* quis. 27 *Sg. Bb. Dst.* operam suam. 28 *Deest in Dst.*

Multitudinis autem credentium erat cor unum[1] et anima una; nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini[2]; et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos, quotquod enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant praecia eorum quae vendebant et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebantur autem singulis prout cuique opus erat. Ioseph autem qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum filius consolationis, levites Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum et adtulit pretium et posuit ante pedes apostolorum, et reliqua.

[II. De his qui predia et agros ceperunt matricibus ecclesiis tradere et ex eorum sumptibus vivere quos prius vendere solebant ad communem utilitatem.][3]

II. Videntes autem sacerdotes summi et alii atque levite et reliqui fideles plus utilitatis posse afferre, si hereditates et agros quos ante[4] vendebant, ecclesiis quibus praesidebant episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam praesentibus quam futuris temporibus plurima[5] et elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus quam ex pretio eorum[6], coeperunt predia et agros quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere et ex[7] sumptibus eorum vivere.

[III. Ut episcopus dispensandi res ecclesiasticas habeat potestatem et nemo egens inveniatur.][8]

III. Ipsae vero res in ditione singularum parrochiarum episcoporum qui locum tenent apostolorum erant, et sunt usque adhuc et futuris semper debent esse temporibus. E[9] quibus episcopi et fideles dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur.

[IV. De oblacionibus fidelium.][10]

IV. Ipse[11] enim res fidelium oblationes appellantur, quia domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus quam ecclesiasticis et predictorum christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vita sunt fidelium et pretia peccatorum[12] adque ad praedictum opus explendum domino traditae[13]. Si quis autem, quod absit, secus egerit, videat[14] ne dampnationem Ananiae et Saffirae percipiat, et[15] reus sacrilegii efficiatur sicut illi fecerunt[16] qui praetia praedictarum rerum fraudaverunt[17], de quibus legitur in praedictis apostolorum actibus[18]: Vir autem[19] quidam nomine[20] Ananias cum Saffira uxore sua vendidit agrum et fraudavit de praetio agri, conscia uxore sua, et afferens partem quandam ad pedes apostolorum posuit. Dixit autem Petrus Ananiae: Cur temptavit satanas cor tuum mentiri[21] te spiritui sancto et fraudare de praetio agri? Nonne manens tibi manebat et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem[22]? Non es hominibus mentitus, sed deo. Audiens autem Ananias hec verba cecidit et exspiravit. Et factus est timor magnus in omnes qui audierant. Surgentes autem iuvenes amoverunt eum et efferentes sepelierunt. Factum est autem[23] quasi horarum trium spatium et uxor ipsius nesciens quod factum fuerat introivit. Respondens[24] autem ei Petrus: Dic mihi si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis temptare spiritum domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad hostium, et efferent[25] te. Confestim cecidit[26] ad[27] pedes eius et expiravit. Intrantes autem iuvenes invenerunt illam mortuam et extulerunt et sepelierunt[28] ad virum suum.

Multitudinis autem credentium — ante pedes apostolorum, Act. apost. IV. c. 32—37.

c. IV. Ipse enim res — pretia peccatorum sec. conc. Paris. a. 829. lib. I. c. 15. aut Ben. I. 208, add. III. 1.

Vir autem quidam nomine — audiant haec, Act. apost. V. 1—11.

[1] *Om. Sg. Dst.* [2] *Mut. addit:* nostri. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.; Par.* 840. *Dst. in marg.:* de possessionibus ecclesiarum. [4] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [5] *Sg. Dst.* plura. [6] *Mut. Sg. Bb. Dst.* ipsorum. [7] *Deest in Dst.* [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [9] *Mut.* ac. [10] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [11] *Bb.* Ipsa. [12] *Mut. Dst. addunt:* ac patrimonia pauperum. [13] *Sg.* tradita. [14] *In Sg. pura est una columna et dimidia paginae* 160, *tamen nulla desunt, cum in principio pag.* 161 *legantur:* ne damptionem *etc.* [15] *Sg. Bb.* ut. *Dst.* et ut. [16] *Mut. Sg. Dst.* fuerunt. [17] *Mut. Sg. Bb. Dst.* fraudabant. [18] *Deest in Dst.* legitur — actibus. [19] *Dst.* praedictus. [20] *Deest in Dst.* quidam nomine. [21] *Mut.* mentire. [22] *Om. Sg. Dst.* quare posuisti — hanc rem. [23] *Deest in Dst.* [24] *Mut. Sg. Bb.* respondit. [25] *Sg. add.* et. [26] *Om. Sg., sed addit. manu post.* [27] *Mut. Sg. Bb. Dst.* ante. [28] *Deest in Sg. Bb. Dst.* et sepelierunt.

Et factus est timor magnus in universam ecclesiam[1] et in omnes qui audierant[2] haec. [3] Haec, fratres, valde cavenda sunt et timenda, quia res ecclesiae non quasi propriae, sed ut communes et domino oblatae cum summo timore non in alios quam in praefatos usus sunt fideliter dispensande, ne sacrilegii reatum incurrant qui eas inde abstrahunt ubi traditae sunt, et quod peius est, anathema maranata fiant. Et si non corpore, ut Ananias et Saffira fecerunt[4], mortui ceciderunt, anima tamen, quae potior est[5] corpore, mortua et alienata a consortio fidelium cadat et in profundum baratri labatur[6].

[V. Ut praedia usibus secretorum celestium dicata non vexentur ab aliquibus irruentibus.][7]

V. Unde adtendendum est omnibus et fideliter custodiendum et illius usurpationis contumelia depellenda, ne praedia sibi[8] secretorum caelestium dicata a quibusdam[9] inruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitae ultionis acrimoniam[10] quae erga sacrilegos iure promenda est[11], perpetua dampnetur [12][infamia et[13] carceri tradatur[14] aut exilio perpetue deportationis[15] vexetur[16], quoniam iuxta apostolum tradere oportet huiusmodi hominem sathanae, ut spiritus salvus sit in diem[17] domini.

[VI. De augmentationibus rerum ecclesiasticarum et ut nullus esse debeat indigens in ecclesiis quibus episcopi president.][18]

VI. Memoratis ergo aucmentationibus ac cultibus intantum eclesiae[19] quibus episcopi praesident domino adminiculante creverunt, et in tantis maxima pars earum habundant[20] rebus, ut nullus sit in eis communem vitam] degens[21] indigens, sed omnia necessaria ab episcopo suisque ministris percipit[22]. Ideo si aliquis extiterit modernis aut futuris temporibus qui hoc avellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur.

[VII. Quod decent (*Dst.* quid doceant) sedes in episcoporum excelsae constitutae et praeparatae inveniuntur (*deest in Dst.*) in trono.][23]

VII. Quod autem sedes in episcoporum ecclesiis excelsae constitutae et praeparatae inveniuntur ut throni[24], speculationem et potestatem iudicandi et solvendi atque ligandi a domino sibi datam materiam[25] docent, unde ipse salvator in evangelio ait: Quecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo[26]. Et alibi: Accipite spiritum sanctum! quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt[27]. [28]Ideo ista praetulimus, karissimi, ut intellegatis potestatem episcoporum vestrorum in eisque deum[29] vereremini[30] et eos ut animas vestras diligatis, et quibus illi non communicant non communicetis, et quos eiecerint non recipiatis.

[VIII. De sententia episcopi valde timenda.][31]

VIII. Valde enim timenda est sententia episcopi, licet iniuste aliquem[32] liget, quod tamen summopere praevidere debet. Vos autem hortantes monemus omnes qui christianitatem suscepistis et a Christo vocabulum christianum[33] sumpsistis, ne in aliquo christianitatem vestram irritam faciatis, sed sponsionem quam domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inveniamini.

[IX. De suscepta communi vita et voto.][34]

IX. Et quicumque

et in profundum baratri labatur, conc. Aquisgr. a. 836. lib. I. c. 1. Cf. Fab. 18.

c. V. *Unde adtendendum est — deportationis vexetur*, Ben. II. 117. 385. (c. 40. C. Th. XVI. 2). Cf. Pii 7.

quoniam iuxta apostolum tradere — in diem domini, I Cor. V. 5.

c. VII. *Quod autem sedes — praeparatae inveniuntur* sec. c. 35. conc. IV. Carth.

Quecumque ligaveritis super — in caelo, Matth. XVIII. 18.

Accipite spiritum — retenta sunt, Ioann. XX. 22. 23.

c. VIII. *Valde enim timenda — praevidere debet*, Greg. M. hom. in evang. l. 26. no. 6. (1,1556).

et a Christo — christianum sumpsistis, Isid. etymol. VII. 14. no. 1.

c. IX. *quoniam satius est — non perficere*, Ecclesiastae V. 4.

[1] *Sg. Dst.* universa ecclesia. [2] *Sg.* audiebant. [3] *Bb. hic rubricam ponit:* de invasione rerum aecclesiarum. [4] *Mut.* fuerunt et. *Bb. Dst.* fecerunt qui. [5] *Deest in Mut.* [6] *Sg.* trudatur. [7] *Sec. Par.* 4280 *AA*. *Dst.* V. Praedia dei dicata ne invadantur. *Par.* 840 *in marg.:* Praedia dicata non induntur. [8] *Dst.* usibus. [9] *Sg.* quibusquam. [10] *Bb. Dst.* sacrimoniam. [11] *Mut.* pro misericordia infertur *pro:* promenda est. [12] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* [13] *Sg. Dst. add.* infernali. [14] *Sg.* damnatur, *quod postea corr. in* damnetur. [15] *Bb.* deputationis. [16] *Sg.* uratur. *Bb.* trudatur. *Dst.* utatur. [17] *Sg. Bb. Dst.* die. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [19] *Bb.* ecclesias. [20] *Sg. Bb. Dst.* habundat. [21] *Sg. Bb. Dst.* agens. *In Bb. supra lineam m. s. XI. additur:* alii degens. [22] *Bb.* percipiat. [23] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb. Par.* 840 *in marg.:* de sede episcopi. [24] *Mut. Sg. Bb. Dst.* in throno. [25] *Sg.* materiae. [26] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* et quaecumque solveritis — caelo. [27] *Codd. cit.* erunt. [28] *Bb. rubricam ponit:* ut nullus recipiat quem episcopus eiecit. [29] *Mut. Sg. Bb. Dst.* dominum. [30] *Mut.* veneretis. [31] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [32] *Bb.* te; *supra lineam m. s. XI. additur:* aliquem. *Sg. om.* aliquem. [33] *Dst.* christiani. [34] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.*

vestram[1] communem vitam[2] susceptam habet et vovit[3] se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat, sed hoc quod domino[4] est pollicitus, fideliter custodiat ne dampnationem, sed praemium sibi adquirat, quoniam satius est non vovere quam votum, prout melius potest, non perficere. [5] Gravius enim puniuntur qui votum fecerunt aut fidem perceperunt et votum non perfecerunt aut in[6] malis[7] vitam finierunt[8], quam illi qui sine voto aut fide[9] mortui sunt et tamen bona egerunt opera. Ad hoc[10] enim sensum rationabilem naturae munere et secundam nativitatis reparationem suscepimus, ut secundum apostolum magis quae sursum sunt sapiamus, non quae super terram, quia sapientia huius mundi stultitia est apud deum. X. Quid autem suadet, karissimi, sapientia huius saeculi, nisi nocitura quaerere et amare peritura, neglegere salutaria, pro nihilo reputare perpetua? Cupiditatem commendat, de qua dicitur[12]: Radix omnium malorum est cupiditas. Quae in primis hoc malum habet, quod dum ingerit transitoria, abscondit aeterna; et dum a[13] foris posita[14] conspicit, intra se latentia non introspicit, et dum aliena quaerit, sectatori suo semetipsum reddit[15] alienum. Ecce quid suadet saeculi sapientia, vivere in deliciis, unde dicitur: Anima[16] quae in delitiis est vivens, mortua est. Suadet ergo mollissimis suavitatibus, peccatis et[17] vitiis et flammis nutrire carnem, cibi et vini intemperantia animam praemere ac vitam spiritus intercludere et contra se hosti suo de[18] se[19] gladium ministrare. Ecce quid suadet saeculi sapientia, ut qui boni facti sunt, mali esse malint et per errorem mentis fieri etiam studeant peccatores, et non cogitant illam terribilem dei vocem, cum exurentur peccatores[20] sicut fenum.

[X. De sapientia huius saeculi et cupiditate.] [11]

[21] Omnes enim[22] fideles per manus impositionem episcoporum spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plene christiani inveniantur; quia, cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur[23]. XI. De spiritu sancto accipimus, ut spiritales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus dei. [25] De spiritu sancto accipiamus[26], ut sapiamus inter bonum malumque discernere, iusta diligere, iniusta respuere, ut malitiae ac superbiae repugnemus, ut luxuriae ac diversis inlecebris et fedis indignisquae cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accipimus[27] ut[28] amore vitae[29] et gloriae ardore succensi erigere a[30] terrenis mentem ad superna et divina valeamus. Data Nonas Sept. id est[31] [32] die eiusdem mensis, Antonio et Alexandro vv. cc. conss. Explicit[33].

[XI. De spiritu sancto quid accipiamus.] [24]

Gravius enim puniuntur — egerunt opera, conc. Par. a. 829. lib. II. c. 10. tit. aut Ben. III. 387.

Ad hoc enim sensum — peccatores sicut fenum, Euseb. Gallic. hom. in pentec.

c. X. Omnes enim fideles — accipere debent, conc. Aquisgr. a. 836. C. II. c. 5. de vita et doctr. infer. ordinum.

c. XI. De spiritu sancto — et divina valeamus, Euseb. hom. cit. Cf. Melc. 7.

Not.- cons. des. e vit. Calist. c. 1. in libr. pontif.

1 *Bb.* vestrum. 2 *Sic* ita *corr. sec. Sg. Mut. Bb. Dst.* 3 *Codd. cit.* novit. 4 *Deest in Mut.* 5 *Bb. rubricam ponit:* hic dici quod gravius puniantur fideles quam increduli. 6 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 7 *Sg. Dst.* male. 8 *Sic in Sg. alia manu corr.* feriarunt. 9 *Mut.* fidem. *Dst.* sine fide. 10 *Bb.* Adhuc. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 12 *Mut.* dicit. 13 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 14 *Verba sequentia* conspicit *etc. usque ad verba initii c. IV. Pontiani:* peregrinatio quippe est vita presens *legebantur in folio Mut., quod nunc deest.* 15 *Bb.* reddet. 16 *Sg. Bb. Dst.* vidua; *in Bb. supra lineam additur m. s. XI.* alii: anima. 17 *Deest in Sg. Bb.* 18 *Delet. postea in Sg.* 19 *Om. Sg.* 20 *Om. Sg.* 21 *Cod. in marg., Dst. in marg.:* de consignatione chrismatis. *Bb. ponit rubricam:* de inpositione manus et de spiritu sancto quid accipiamus. 22 *Bb.* ergo. 23 *Deest in Bb.* quia cum spiritus — dilatatur. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 25 *Sg. Bb. Dst. addunt:* quia cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam ad (*Bb.* et) constantiam dilatatur. 26 *Bb. Dst.* accepimus. 27 *Dst.* accepimus. 28 *In Bb. m. s. XI. additur:* eius. 29 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 30 *Sg. Dst.* e. 31 *Deest in Bb.* id est. 32 *Sg. Bb. Dst. addunt:* quinto. 33 *Deest in Sg. Dst.*

DECRETA PONTIANI[1]. INCIPIT DECRETA[2] PONTIANI PAPAE.[3]

I. PONTIANUS episcopus FELICI Scriboni salutem. [I. Gratiarum accio super ecclesiastico bono studio.][4]

Oppido cor nostrum caritati vestrae congaudet, quod studium sanctae religionis summopere adimplere studetis [5][et fratres[6] merentes ac destitutos in fide et religione et confortatis. Unde redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis[7] in omnibus gratia suffragetur et effectum[8] implere[9] tribuat[10] quod velle concessit. In hoc itaque bono tantum[11] commoda retributionis accrescunt[12], quanto et studium laboris [augetur[13]. Et quia in his omnibus divinae gratiae adiutorio opus est, omnipotentis dei assiduis precibus clementiam exoramus[14], quatenus ad hec] vobis semper operanda bona et velle tribuat et posse concedat, atque in ea vos via, cum fructu boni operis quam se pastor pastorum esse testatus est dirigat, ut sine quo nihil agi[15] potest, per ipsum implere bona quae coepistis valeatis. II. De sacerdotibus autem domini quos vos audivimus contra pravorum hominum [II. De sacerdotibus domini non infestandis set honorandis.][16] insidias adiuvare eorumque causas portare, scitote vos in eo valde deo placere[17], qui sibi eos ad serviendum ascivit et familiares intantum sibi esse voluit[18], ut etiam aliorum hostias[19] per eos acceptaret atque eorum peccata donaret sibique reconciliaret; ipsi quoque proprio ore corpus domini confitiunt et populis tradunt. De illis enim dictum est: Qui vos contristavit[20] me contristavit[20], et qui vobis facit iniuriam, recipiet id quod inique gessit. Et alibi: Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Hi enim non sunt infestandi, sed honorandi. In eis[21] quoque dominus honoratur, cuius legatione funguntur. Hi ergo[22], si forte ceciderint, a fidelibus sunt sublevandi et portandi. III. Accusandi autem non sunt ab infimis[24] aut sceleratis vel inimicis [III. De accusatoribus.][23] aut alterius sectae vel religionis hominibus; [25]sed si peccaverint, a reliquis arguantur sacerdotibus et a summis pontificibus constringantur, et non a saecularibus aut malae vitae hominibus arguantur vel arceantur. Quod ergo de fratris vestri transitu vos contristari[26] audivimus, non modico conpulsi sumus merore. Unde omnipotentem deum rogamus, ut suae vos gratiae aspiratione consoletur, vosque et a malignis spiritibus et a perversis hominibus caelesti protectione custodiat. Nam et si quos post illius obitum tumultus quorundam adversantium sustinetis, nolite mirari: si vos[27] frui bonis in terra vestra, id est in terra viventium quaeritis, mala hominum in terra aliena portatis[28]. IV. Peregrinatio quippe est vita presens [30]et [IV. Quid sit peregrinatio.][29]

c. I. (*Scriboni.* Cf. Greg. M. ep. IX. 41. X. 60. XII. 14. 16.)

Oppido cor nostrum — et studium laboris augetur, Greg. M. ep. V. 46. (2, 775). Cf. Greg. M. ad Fel.

Et quia in his omnibus — quae coepistis valeatis, eiusd. ep. IX. 107. (2, 1012). Cf. Dion. 5, Symm. syn. VI.

c. II. ipsi quoque proprio — tradunt, Hieron. ep. ad Heliod. no. 8. (1, 34) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 97. Cf. Telesf. 3. Ant. 7, Fel. II. pp. 11, Dam. 20.

Qui vos contristavit, me contristavit, II Cor. II. 5.

qui vobis facit — gessit, Coloss. III. 25.

Qui vos audit — me misit, Luc. X. 16.

c. III. aut sceleratis sec. c. 8. conc. Carth. D. aut Ben. III. 85. (Cf. Anacl. 22, Fab. 13, 26, Steph. 2, 11, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xv., Sixt. III. pp.)

et a summis pontificibus constringantur sec. Ben. III. 422.

aut malae vitae hominibus — arceantur sec. Ben. III. 441. tit.

Quod ergo de fratris — excreverit studium laboris (*c. V.*), Greg. M. ep. XI. 75. (2, 1175).

[1] *Deest in Bb. Sg. Dst.* [2] *Dst.* decretalis epistola. [3] *Deest inscriptio in Sg.* [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [5] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Bb.* [6] *Dst. addit:* nostros. [7] *Sg.* nobis. [8] *Dst.* effectu. [9] *Sg.* imple, *quod manu post. corr. in* impleat et. [10] *Sg.* retribuat. [11] *Sg. Dst.* tanto. [12] *Om. Sg.* [13] *Sg.* augemus. [14] *Dst.* exoremus. [15] *Om. Sg.; post. manu additur:* fieri. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* II. sacerdotes honorandos non accusandos etiam si ceciderint. *Num. sol. in Bb.* [17] *Sic* placare *corr. sec. Sg. Bb. Dst.* [18] *Dst.* volunt. [19] *Sg.* hostes. [20] *Sg. Bb. Dst.* contristabit. [21] *Codd. cit.* his. [22] *Codd. cit.* vero. [23] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [24] *Bb.* infamis. *Dst.* infamibus. [25] *Bb. rubricam ponit:* ut sacerdotibus a saecularibus non arguantur. [26] *Sg. Bb. Dst.* tristari. [27] *Dst. addit:* qui; *quod etiam in Sg. manu post. additur.* [28] *Bb.* portabitis; *Dst.* portetis. [29] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [30] *In verbis* et qui *incipit denuo Mut.*

qui suspirat ad patriam et[1] tormentum est peregrinationis locus, etiam si blandus esse videatur[2]; vobis autem qui patriam queritis inter suspiria[3] quae habetis, etiam gemitus[4] audio humanae obpressionis exsurgere. Quod mira omnipotentis dei dispositione[5] agitur, ut dum veritas per amorem[6] vocat, mundus praesens a se ipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit repellat. Tantoque facilius ab amore huius saeculi mens exeat, quanto et interpellitur[7] dum vocatur. V. Itaque quod cepistis, hospitalitatis curam inpendite, in[9] oratione et lacrymis[10] instantissime laborate. Haelemosynas[11] quas semper amastis iam nunc largius atque uberius operam date, ut tanto post crescat vobis in retributione fructus muneris, quanto hic excreverit[12] studium laboris. Praeterea salutantes paterna dulcedine[13] bonitatem vestram petimus ut[14] in bonis quae cepistis ne[15] deficiatis. Neque ullus vos ab eis avertere possit, sed in cunctis affectum[16] vestrae karitatis clerici et servi dei ac cuncti christiani qui illis in partis commorantur, amore Christi et sancti Petri pleniter inveniant, et favoris vestri solatiis quocunque necesse fuerit potiantur, quatenus vestra cuncti[17] ope defensi adque adiuti et vos vobis gratiarum possimus existere[18] debitores, et Christus dominus noster atque beatus Petrus apostolorum princeps in quorum vos causis inpenditis, Iesus Christus aeternam gloriam conpenset[19] et beatus apostolus Petrus ipsius gloriae ianuam aperiat. Data X. Kal. Febr. Severo et Quintiano[20] vv. cc. conss.

[V. Exortacio ad perficiendas virtutes.][8]

CUIUS SUPRA DE[21] FRATERNA DILECTIONE ET VITANDIS MALIS.[22]

[VI. De angelico immo et fraterna dilectione.][23]

VI. PONTIANUS sanctae et universalis ecclesiae episcopis omnibus recte dominum colentibus et divinum cultum amantibus salutem[24].

Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bone voluntatis. Haec verba, karissimi, non hominum sunt, sed angelorum, et non humano sensu excogitata, sed ab angelis in ortu salvatoris adnuntiata, quibus indubitanter ab omnibus intellegi potest, quod non male voluntatis, sed bona[25] pax sit a domino data, unde et dominus per prophetam loquitur dicens: Quam bonus Israel deus his qui mundi[26] sunt corde[27], mei autem pene vacillavere[28] pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia aemulatus sum[29] contra iniquos pacem impiorum[30] videns. De bonis vero ipsa per se[31] [veritas ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Mundi enim non sunt corde qui mala cogitant aut nociva adversus fratres suos, quia nihil mali vult qui fidelis est. Fidelis ergo homo magis diligit[32] audire quae oportet quam dicere quae non oportet. VII. Et si quis fidelis est, videat ne mala loquatur, aut cuiquam insidias ponat.] In hoc ergo discernuntur filii dei et filii diaboli.

[VII. Unde discernantur filii dei a filiis diaboli.][33]

c. IV. *Tantoque facilius — dum vocatur.* Cf. Dion. 1, Fel. IV. pp. ep. 2.

c. V. *Praeterea salutantes — ianuam aperiat,* Greg. M. ep. IX, 22. (2, 946). Cf. Fab. 3.

Nota cons. des. e c. 2. vit. Pont. in libr. pontif.

c. VI. *Gloria in excelsis — bone voluntatis,* Luc. II. 14.

Quam bonus Israel — pacem impiorum videns, Ps. LXXII. 1. 2. vers. Hier.

Beati mundo — videbunt, Matth. V. 8.

quia nihil mali — qui fidelis est, Xysti Pyth. s. 203. Cf. Alex. 18, Calist. 3, Corn. 6, Melc. 5.

Fidelis ergo homo — non oportet, eiusd. s. 162.

c. VII. *Et si quis fidelis — insidias ponat.* Cf. Calist. 4, Melc. 5.

1 *Mut. Bb. Dst.* ei; *sic quoque* et *in Sg. postea corr.* 2 *Sg.* videbatur. 3 *Sg.* in terra suspiria. 4 *Mut.* gemitum. 5 *Dst.* dispensatione. 6 *Mut.* amarem. 7 *Dst.* repellitur. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 9 *Deest in Mut.* 10 *Mut.* orationem et lacrymas. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Elemosinis. 12 *Mut.* excrevit. 13 *Sg. Dst.* paternam dulcedinem; *in Sg. post. manu additur:* et. 14 *Deest in Mut. Bb. Dst. In Sg. manu post. additur.* 15 *Codd. cit.* non. 16 *Mut.* affectu. 17 *Om. Sg.* 18 *In Bb. additur supra lineam m. s. XI.* alii exercere. 19 *Sg. Dst.* recompenset. 20 *Dst.* Quintiniano. 21 *Dst. addit:* angelico ymno et. 22 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Pontiani papae. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus num. in Bb.* 24 *Deest in Mut.* 25 *Mut. Sg. Bb. Dst.* bone. 26 *Mut.* mundo. *Sg. Bb. Dst.* recto. 27 *In Sg. manu post. additur.* 28 *Sg. Bb. Dst.* moti sunt. 29 *Mut.* aemulati sunt. 30 *Mut.* peccatorum. 31 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 32 *Sg. Bb. Dst.* amat. 33 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.*

Filii namque dei semper cogitant et agere contendunt quae dei sunt, et fratres indesinenter adiuvant et nulli nocere volunt, et filii diaboli econtra mala et nociva semper meditantur, quia opera eorum mala sunt. De quibus loquitur dominus per Hieremiam prophetam dicens: Loquere iuditia mea cum eis super omni malitia eorum. Propterea iuditio[1] contendam[2] adhuc vobiscum, ait dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Ecce ego fingo contra vos malum et cogito contra vos cogitationem. Haec, fratres, valde sunt timenda et ab omnibus[3] cavenda, quoniam super quem iuditium dei ceciderit, non exiet inpunitus. VIII. Et ideo unusquisque praevideat ne hoc machinetur aut agat in fratrem quod ipse pati noluerit, et nec in suspitionem veniat homo fidelis, ut dicat aut fatiat ea que pati non vult. IX. Unde suspectos et[6] inimicos aut facile litigantes, et eos qui non sunt bone conversationis aut quorum vita est accusabilis et qui rectam non tenent aut[7] docent fidem, accusatores[8] et antecessores nostri apostolica repulerunt auctoritate et nos submovemus atque temporibus futuris excludimus ne libenter labi possint quos nos tenere et salvare debemus, ne, quod absit, praedictum dei iuditium notandum[9] super utrosque veniat et[10] nos eorum iuditio[11], quod deus avertat, pereamus. Scriptum est enim: Rectorem[12] te posuerunt? curam illorum habe, ut leteris propter illos et ornamentum gratiae accipias, coronam et dignationem consequaris conrogationis[13]. Verbum enim nequam immutabit[14] cor ex quo quattuor partes oriuntur: bonum et malum, vita et mors, et dominatrix eorum est assidua lingua. Pro talibus praedicti vitandi sunt admodum, et priusquam praedictae enucleatim examinentur opiniones et ab eis alieni inveniantur, non sunt suscipiendi, quoniam sacrificium salutare est attendere mandatis et discedere ab omni iniquitate. Beneplacitum est domino recedere ab[15] iniquitate et laudatio recedere ab iniustitia. Quoniam scriptum est: Dilige proximum tuum[16] et coniungere[17] fidem cum illo; quoniam si denudaberis[18] absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui, et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic qui[19] dereliquisti proximum tuum, et non eum capies. Non illum sequaris quoniam longe abest: effugit[20] enim quasi[21] caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima eius[22]: ultra eum non poteris colligare[23], et maledicta est concordatio: denudare autem[24] amici misteria, desperatio[25] est animae infidelis. Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum habiciet. In conspectu oculorum tuorum conculcabit[26] os suum et super ser-

[VIII. Ut unusquisque praevideat ne hoc agat in fratrem quod ipse pati non vult.][4]

[IX. Qui removeantur ab accusatione et de amico et inimico, exemplis eorum.][5]

et filii diaboli — mala sunt, I Ioann. III. 10.
Loquere — malitia eorum, Ier. I. 16.
Propterea iudicio — disceptabo, Ier. II. 9.
Esse ego fingo — vos cogitationem, Ier. XVIII. 11.
c. VIII. aut agat in fratrem — pati non vult, Xysti Pyth. s. 168. 169. Cf. Pii 6, Melc. 5.
c. IX. Unde suspectos, Ben. III. 107. Cf. Iul. 18, Silv. ep. ad Amat., Pelag. II. pp. ep. 1. i. f., ep. 3.
aut facile litigantes, c. 58. conc. IV. Carth. aut Ben. I. 399. aut c. 50. Angilr. Cf. Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv.
et eos qui non sunt — accusabilis, Cap. eccles. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Fab. 13, 25, Steph. 12 (Fel. I. pp. 12), Pelag. II. pp. ep. 3, Sixt. III. pp. (c. 13. Angilr.).
et qui rectam — fidem, Ben. I. 335. tit., III. 176. tit. Cf. Fab. 5.
Rectorem te posuerunt — conrogationis, Ecclesiastic. XXXII. 1—3.
Verbum enim — assidua lingua, l. c. XXXVII. 21.
quoniam sacrificium — iniustitia, l. c. XXXV. 2. 5.
Dilige proximum tuum — continens erit illorum, l. c. XXVII. 18—33.

[1] *Sg.* iudico. [2] *Deest in Mut. Sg.; in Bb. additur m. s. XI.* [3] *Mut.* hominibus. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [5] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui omittit:* eorum. *Bb.* IX. de inquirendis accusatoribus. *Par.* 840 *in marg.:* qui sunt qui accusare nequeunt. [6] *Sg. Bb. Dst.* aut. [7] *Codd. cit.* et. [8] *In Bb. al. m. s. XI. additur:* esse. [9] *Mut.* non tantum. *Sg. Dst.* non tantam. [10] *Sg. Dst.* sed. [11] *Mut. Sg. Bb. Dst.* vitio. [12] *Bb. Dst.* Redemptorem. [13] *In cod. poster. manu corrigitur in:* contrectionis. *Sg. Dst.* correctionis. [14] *Mut.* mutabit. *Bb.* immutavit. [15] *Sg. add.* omni. [16] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [17] *Codd. cit.* coniunge. [18] *Sg. Dst.* denudaveris. [19] *Deest in Sg. Bb.* [20] *Dst.* et fugit. [21] *Deest in Dst.* [22] *Mut. Sg. Bb.* illius. [23] *Codd. cit.* colligari. [24] *Mut. Dst.* enim. [25] *Sg. Dst.* dispensatio. [26] *Mut.* condulcabit. *Sg.* conculcabis. *Bb.* condulcavit. *In Dst. supra lineam additur:* condulcabit.

qui suspirat ad patriam et[1] tormentum est peregrinationis locus, etiam si blandus esse videatur[2]; vobis autem qui patriam queritis inter suspiria[3] quae habetis, etiam gemitus[4] audio humanae obpressionis exsurgere. Quod mira omnipotentis dei dispositione[5] agitur, ut dum veritas per amorem[6] vocat, mundus praesens a se ipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit repellat. Tantoque facilius ab amore huius saeculi mens exeat, quanto et interpellitur[7] dum vocatur. V. Itaque quod cepistis, hospitalitatis curam inpendite, in[9] oratione et lacrymis[10] instantissime laborate. Haelemosynas[11] quas semper amastis iam nunc largius atque uberius operam date, ut tanto post crescat vobis in retributione fructus muneris, quanto hic excreverit[12] studium laboris. Praeterea salutantes paterna dulcedine[13] bonitatem vestram petimus ut[14] in bonis quae cepistis ne[15] deficiatis. Neque ullus vos ab eis avertere possit, sed in cunctis affectum[16] vestrae karitatis clerici et servi dei ac cuncti christiani qui illis in partis commorantur, amore Christi et sancti Petri pleniter inveniant, et favoris vestri solatiis quocunque necesse fuerit potiantur, quatenus vestra cuncti[17] ope defensi adque adiuti et vos vobis gratiarum possimus existere[18] debitores, et Christus dominus noster atque beatus Petrus apostolorum princeps in quorum vos causis inpenditis, Iesus Christus aeternam gloriam conpenset[19] et beatus apostolus Petrus ipsius gloriae ianuam aperiat. Data X. Kal. Febr. Severo et Quintiano[20] vv. cc. conss.

[V. Exortacio ad perficiendas virtutes.][8]

CUIUS SUPRA DE[21] FRATERNA DILECTIONE ET VITANDIS MALIS.[22]

[VI. De angelico immo et fraterna dilectione.][23]

VI. Pontianus sanctae et universalis ecclesiae episcopis omnibus recte dominum colentibus et divinum cultum amantibus salutem[24].

Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bone voluntatis. Haec verba, karissimi, non hominum sunt, sed angelorum, et non humano sensu excogitata, sed ab angelis in ortu salvatoris adnuntiata, quibus indubitanter ab omnibus intellegi potest, quod non male voluntatis, sed bona[25] pax sit a domino data, unde et dominus per prophetam loquitur dicens: Quam bonus Israel deus his qui mundi[26] sunt corde[27], mei autem pene vacillavere[28] pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia aemulatus sum[29] contra iniquos pacem impiorum[30] videns. De bonis vero ipsa per se[31] [veritas ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt. Mundi enim non sunt corde qui mala cogitant aut nociva adversus fratres suos, quia nihil mali vult qui fidelis est. Fidelis ergo homo magis diligit[32] audire quae oportet quam dicere quae non oportet. VII. Et si quis fidelis est, videat ne mala loquatur, aut cuiquam insidias ponat.] In hoc ergo discernuntur filii dei et filii diaboli.

[VII. Unde discernantur filii dei a filiis diaboli.][33]

c. IV. *Tantoque facilius — dum vocatur.* Cf. Dion. 1, Fel. IV. pp. ep. 2.

c. V. *Praeterea salutantes — ianuam aperiat,* Greg. M. ep. IX, 22. (2, 946). Cf. Fab. 3.

Nota cons. des. e c. 2. vit. Pont. in libr. pontif.

c. VI. *Gloria in excelsis — bone voluntatis,* Luc. II. 14.

Quam bonus Israel — pacem impiorum videns, Ps. LXXII. 1. 2. vers. Hier.

Beati mundo — videbunt, Matth. V. 8.

quia nihil mali — qui fidelis est, Xysti Pyth. s. 203. Cf. Alex. 18, Calist. 3, Corn. 6, Melc. 5.

Fidelis ergo homo — non oportet, eiusd. s. 162.

c. VII. *Et si quis fidelis — insidias ponat.* Cf. Calist. 4, Melc. 5.

1 *Mut. Bb. Dst.* ei; *sic quoque* et *in Sg. postea corr.* 2 *Sg.* videbatur. 3 *Sg.* in terra suspiria. 4 *Mut.* gemitum. 5 *Dst.* dispensatione. 6 *Mut.* amarem. 7 *Dst.* repellitur. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 9 *Deest in Mut.* 10 *Mut.* orationem et lacrymas. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Elemosinis. 12 *Mut.* excrevit. 13 *Sg. Dst.* paternam dulcedinem; *in Sg. post. manu additur:* et. 14 *Deest in Mut. Bb. Dst. In Sg. manu post. additur.* 15 *Codd. cit.* non. 16 *Mut.* affectu. 17 *Om. Sg.* 18 *In Bb. additur supra lineam m. s. XI.* alii exercere. 19 *Sg. Dst.* recompenset. 20 *Dst.* Quintiniano. 21 *Dst. addit:* angelico ymno et. 22 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Pontiani papae. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus num. in Bb.* 24 *Deest in Mut.* 25 *Mut. Sg. Bb. Dst.* bone. 26 *Mut.* mundo. *Sg. Bb. Dst.* recto. 27 *In Sg. manu post. additur.* 28 *Sg. Bb. Dst.* moti sunt. 29 *Mut.* aemulati sunt. 30 *Mut.* peccatorum. 31 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* 32 *Sg. Bb. Dst.* amat. 33 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.*

Filii namque dei semper cogitant et agere contendunt quae dei sunt, et fratres indesinenter adiuvant et nulli nocere volunt, et filii diaboli econtra mala et nociva semper meditantur, quia opera eorum mala sunt. De quibus loquitur dominus per Hieremiam prophetam dicens: Loquere iuditia mea cum eis super omni malitia eorum. Propterea iuditio[1] contendam[2] adhuc vobiscum, ait dominus, et cum filiis vestris disceptabo. Ecce ego fingo contra vos malum et cogito contra vos cogitationem. Haec, fratres, valde sunt timenda et ab omnibus[3] cavenda, quoniam super quem iuditium dei ceciderit, non exiet inpunitus. VIII. Et ideo unusquisque praevideat ne hoc machinetur aut agat in fratrem quod ipse pati noluerit, et nec in suspitionem veniat homo fidelis, ut dicat aut fatiat ea que pati non vult. IX. Unde suspectos et[6] inimicos aut facile litigantes, et eos qui non sunt bone conversationis aut quorum vita est accusabilis et qui rectam non tenent aut[7] docent fidem, accusatores[8] et antecessores nostri apostolica repulerunt auctoritate et nos submovemus atque temporibus futuris excludimus ne libenter labi possint quos nos tenere et salvare debemus, ne, quod absit, praedictum dei iuditium notandum[9] super utrosque veniat et[10] nos eorum iuditio[11], quod deus avertat, pereamus. Scriptum est enim: Rectorem[12] te posuerunt? curam illorum habe, ut leteris propter illos et ornamentum gratiae accipias, coronam et dignationem consequaris conrogationis[13]. Verbum enim nequam immutabit[14] cor ex quo quattuor partes oriuntur: bonum et malum, vita et mors, et dominatrix eorum est assidua lingua. Pro talibus praedicti vitandi sunt admodum, et priusquam praedictae enucleatim examinentur opiniones et ab eis alieni inveniantur, non sunt suscipiendi, quoniam sacrificium salutare est attendere mandatis et discedere ab omni iniquitate. Beneplacitum est domino recedere ab[15] iniquitate et laudatio recedere ab iniustitia. Quoniam scriptum est: Dilige proximum tuum[16] et coniungere[17] fidem cum illo; quoniam si denudaberis[18] absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui, et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic qui[19] dereliquisti proximum tuum, et non eum capies. Non illum sequaris quoniam longe abest: effugit[20] enim quasi[21] caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima eius[22]: ultra eum non poteris colligare[23], et maledicta est concordatio: denudare autem[24] amici misteria, desperatio[25] est animae infidelis. Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum habiciet. In conspectu oculorum tuorum conculcabit[26] os suum et super ser-

[VIII. Ut unusquisque praevideat ne hoc agat in fratrem quod ipse pati non vult.][4]

[IX. Qui removeantur ab accusatione et de amico et inimico, exemplis eorum.][5]

et filii diaboli — mala sunt, I Ioann. III. 10.
Loquere — malitia eorum, Ier. I. 16.
Propterea iudicio — disceptabo, Ier. II. 9.
Esse ego fingo — vos cogitationem, Ier. XVIII. 11.
c. VIII. aut agat in fratrem — pati non vult, Xysti Pyth. s. 168. 169. Cf. Pii 6, Melc. 5.
c. IX. Unde suspectos, Ben. III. 107. Cf. Iul. 18, Silv. ep. ad Amat., Pelag. II. pp. ep. 1. i. f., ep. 3.
aut facile litigantes, c. 58. conc. IV. Carth. aut Ben. I. 399. aut c. 50. Angilr. Cf. Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv.
et eos qui non sunt — accusabilis, Cap. eccles. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Fab. 13, 25, Steph. 12 (Fel. I. pp. 12), Pelag. II. pp. ep. 3, Sixt. III. pp. (c. 13. Angilr.).
et qui rectam — fidem, Ben. I. 335. tit., III. 176. tit. Cf. Fab. 5.
Rectorem te posuerunt — conrogationis, Ecclesiastic. XXXII. 1—3.
Verbum enim — assidua lingua, l. c. XXXVII. 21.
quoniam sacrificium — iniustitia, l. c. XXXV. 2. 5.
Dilige proximum tuum — continens erit illorum, l. c. XXVII. 18—33.

[1] *Sg.* iudico. [2] *Deest in Mut. Sg.; in Bb. additur m. s. XI.* [3] *Mut.* hominibus. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [5] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui omittit:* eorum. *Bb.* IX. de inquirendis accusatoribus. *Par.* 840 *in marg.:* qui sunt qui accusare nequeunt. [6] *Sg. Bb. Dst.* aut. [7] *Codd. cit.* et. [8] *In Bb. al. m. s. XI. additur:* esse. [9] *Mut.* non tantum. *Sg. Dst.* non tantam. [10] *Sg. Dst.* sed. [11] *Mut. Sg. Bb. Dst.* vitio. [12] *Bb. Dst.* Redemptorem. [13] *In cod. poster. manu corrigitur in:* contrectionis. *Sg. Dst.* correctionis. [14] *Mut.* mutabit. *Bb.* immutavit. [15] *Sg. add.* omni. [16] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [17] *Codd. cit.* coniunge. [18] *Sg. Dst.* denudaveris. [19] *Deest in Sg. Bb.* [20] *Dst.* et fugit. [21] *Deest in Dst.* [22] *Mut. Sg. Bb.* illius. [23] *Codd. cit.* colligari. [24] *Mut. Dst.* enim. [25] *Sg. Dst.* dispensatio. [26] *Mut.* condulcabit. *Sg.* conculcabis. *Bb.* condulcavit. *In Dst. supra lineam additur:* condulcabit.

mones tuos admirabitur. Novissime autem pervertet os suum et in verbis tuis dabit scandalum. Multa odivi[1] et non coequavi, et dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidem, super capud eius cadet[2], et plaga dolosi dividet vulnera. Quoniam[3] qui fodit foveam, decidet[4] in illam, et qui statuit lapidem proximo, offendet[5] in eo, et qui laqueum alii[6] ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet[7] unde adveniet[8] illi. Inlusio et improperium superborum et vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum, dolor autem consumet illos antequam moriantur. [9]Ira et furor utraque execrabilia, et vir peccator continens erit illorum. Qui vindicari vult, a deo[10] inveniet vindictam[11], et peccata illius servans servabitur[12]. Relinque proximo tuo nocenti in[13] te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram, et a deo querit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur[14] altissimum? [15][Ipse dum caro sit, servat iram et propitiationem querit[16] a deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum et desine inimicari, tabitudo enim et mors imminent[17] mandatis. Memorare[18] testamenti altissimi et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et] in medio pacem habentium invitat[19] inimicitiam. Secundum enim ligna silvae, sic ignis exardescit[20], et secundum virtutem[21] hominis iracundia illius erit, et secundum iram[22] suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendet[23] ignem, et lis festinans effundet sanguinem et lingua festinans[24] adducet mortem. Si sufflaveris, quasi ignis ardebit[25], et si spueris super illam, extinguetur et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus; multos[26] enim[27] turbavit pacem habentes, lingua tertia multos commovit et dispersit illos a[28] gente in gentem. Civitates divitum munitas destruxit et domos magnatorum[29] effodit; virtutes populorum concidit et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres veritas[30] eiecit et privabit[31] illas de laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem nec habitabit cum requie; flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quomodo qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est a lingua nequam, et qui in iracundiam illius non transivit[32] et qui non adtraxit iugum eius et vinculis illius non est ligatus[33]. Iugum enim illius iugum ferreum est et vinculum illius vinculum aereum est. Mors illius mors nequissima, et utilis potius infernus[34] quam illa. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum[35], et flamma sua non comburet iustos. Qui derelincunt[36] deum incidant[37] in illam, et exardescet in illis et non exstinguetur, et inmittetur in illos quasi leo et quasi pardus ledet illos. Sepi aures tuas spinis et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito ostia et seras auribus tuis. Aurum tuum et argentum confla, et verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos, et adtente, ne forte labaris in lingua tua et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis

Qui vindicari vult a deo — insanabilis ad mortem, Ecclesiastic. XXVIII. 1—30.

[1] *Mut. Bb. Dst.* audivi. [2] *Sg. Bb. Dst.* cadit. [3] *Deest in Mut. et codd. cit.* [4] *Bb.* decidit. [5] *Sg. Bb.* offendit. [6] *Mut.* alio. [7] *Mut. Bb. Dst.* agnoscet. [8] *Sg. Bb. Dst.* adveniat. *Mut.* veniet. [9] *Cod. in marg.:* de iracundia. [10] *Dst. addit:* non. [11] *Sg. Dst.* vitam. [12] *Sg. Bb. Dst.* servabit. [13] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [14] *Mut.* rogat. [15] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* [16] *Sg. Bb. Dst.* petit. [17] *Bb.* inminenti. *Dst.* iminent in. [18] *Sg. Dst. addit:* timorem domini et non irascaris proximo, memorare. [19] *Bb. Mut. Sg. Dst.* inmittet. [20] *Sg. Bb. Dst.* exardescet. [21] *Sg. add.* eius. [22] *Mut. Sg. Bb. Dst.* iracundiam. [23] *Mut. Dst.* incendit. [24] *Mut. Sg. Bb. Dst.* testificans. [25] *Codd. cit.* exardebit. [26] *Om. Sg.* [27] *In Sg. post. manu corr. in:* erit. [28] *Bb. Sg. Dst.* de. [29] *Mut.* magnatum. [30] *Bb.* veritatis. *Dst.* veteranas; *supra lineam additur:* viritas. *Sg.* civitatis. [31] *Mut. Sg. Bb. Dst.* privavit. [32] *Bb.* transibit. [33] *Deest in Dst.* et vinculis illius non est ligatus. *Sg. om. verba:* eius et vinculis illius — ferreum est et. [34] *Bb. Dst.* inferus. *Sg.* inferis. [35] *Sg.* iustorum. [36] *Dst.* derelinquit. [37] *Sg. Bb.* incidunt. *Dst.* incidet.

ad[1] mortem. Ne[2] tardes converti ad dominum, et[3] differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te. Noli anxius esse in divitiis iniustis, nihil enim proderunt tibi in die obductionis et vindictae. Non ventiles te in omnem ventum[4], et non eas in omni via; sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in via domini, et in veritate sensus tui et scientia, et prosequatur te verbum pacis et iustitiae. Esto mansuetus ad audiendum verbum ut intellegas, et cum sapientia fer responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris; honor et gloria in sermone sensati, lingua inprudentis subversio ipsius. Non appelleris susurro, et[5] lingua tua[6] capiaris et confundaris. Super furem enim est[7] confusio et poenitentia, et denotatio pessima super bilinguem. Susurratori autem odium est, inimititia et contumelia. Iustifica pusillum et magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo; improperium enim et contumeliam malus hereditabit et omnis peccator invidus et bilinguis. Non te extollas in cogitatione anime tue velut taurus, ne forte elidatur virtus tua super stultitiam[8], et folia tua comedet[9] et fructus tuos perdat[10], et relinquaris[11] velut lignum aridum in heremo. Anima enim nequam disperdit qui se habet, et[12] in gaudium inimici dat illum et deducit[13] in sortem impiorum. X. Karissimi, oppressos erigere studete[15] et necesse habentes semper adiuvate, quoniam qui fratrem relictum[16] relevat[17], adprehensum eripit, merentem consolatur, ab illo sibi retribui cui totum inpendit non dubitet qui ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Taliter enim bona indesinenter agere studete, ut fructum[18] boni operis et hic consequamini[19], et in futuro gratia dei perfruamini, quatenus caelestis regni aulam introire postea mereami. Data III.[20] Kal. Maii Severo et Quintiano[21] vv. cc. conss.

[X. Ut oppressi releventur.][14]

DECRETA ANTERI.[22]

[I. De antiquo hoste.][23]

I. Karissimis atque dilectissimis fratribus per Beticae atque Toletane[24] provincias episcopis constitutis ANTERIUS[25] episcopus in domino salutem.

Optarem, fratres karissimi, semper dilectionis et pacis vestrae sinceritatis gaudia audire, ita ut vicissim discurrentibus litteris sospitatis[26] [indicia[27] iuvarentur, si quietos nos ab incursione sua vacare hostis antiquus sineret: qui ab initio mendax, inimicus veritatis, emulus hominis, quem ut deciperet se ante decepit, pudicitie adversarius, luxurie magister, crudelitatibus pascitur, abstinentia punitur,] odit ieiunia[28], ministris suis praedicantibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, apostoli[29] sententia repercussus dicentis[30]: Manducemus et bibamus, cras

Ne tardes converti — et magnum similiter, Ecclesiastic. V. 8—18.

Noli fieri pro — in sortem impiorum, l. c. VI. 1—4.

c. X. quoniam qui fratrem — postea mereamini, Greg. M. ep. IX. 119. (2, 1025).

Nota cons. des. e c. 2. vit. Pont. in libr. pontif.

c. I. Optarem fratres — labore transire, init. Siric. ep. ad divers. episc. (H. no. 4).

1 *Mut. Sg.* in. 2 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Non. 3 *Codd. cit. add.* ne. 4 *Om. Sg.* 5 *Dst. addit:* in. 6 *Mut. Dst. addunt:* ne. 7 *Om. Sg. Dst.* 8 *Sg. Bb.* per stultitiam. *Dst.* et per stultitiam et parcas. 9 *Mut.* commedat. 10 *Sg. Bb.* perdet. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* relinqueris. 12 *Om. Sg. Dst.* 13 *Mut.* deducet. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* X. De oppressis ut releventur. *Num. sol. in Bb.* 15 *Sic* stude *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 16 *Sg. Bb. Dst.* derelictum. *Mut.* lugentem. 17 *Bb. Dst.* levat. 18 *Dst.* fructu. 19 *Dst.* consolemini. 20 *Deest in Bb.* 21 *Mut.* Quintiniano. 22 *Mut. Bb. Dst.* Incipiunt decreta Anteri (*Bb.* antheri, *Dst.* antherii) papae. *Sg.* Epistola Anteri papae pro quibus causis episcopi sedes mutare possint. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui num. omisit. Num. solus in Bb.* 24 *Sg. Bb. Dst.* beticam atque toletam (*Dst.* toletanam). 25 *Bb.* antherus. *Sg. Dst.* antherius. 26 *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est. Textum restitui ex Mut.* 27 *Bb.* iuditia; *supra lineam additur m. s. XI.* alii indicia. 28 *Mut.* od .... unia. *Sg.* quod (*al. m. corr. in* quam) uni e. *Bb.* quod uni a. *Dst.* quod unum e. 29 *In Sg. manu post. add.* eum. 30 *Sg.* repercussit dicentis (*postea corr. in* dicentem). *Bb.* repercussi dicentes. *Dst. hic omittit:* dum dicit — dicentis.

enim moriamur[1]. O infelix audatia, o desperata[2] mentis astutia. Ipse enim hortatur odia et fugat concordiam; et quia facile ad deteriorem partem mens humana transducitur, volens magis per spatiosam viam ambulare, quam artae[3] viae iter cum labore transire, qua de re, fratres dilectissimi[4], sectamini meliora et semper relinquite[5] deteriora. Bona agite, mala vitate, ut vere discipuli domini esse invenianimi.

[II. De mutacione episcoporum.][6]

II. De mutatione ergo episcoporum unde sanctam sedem apostolicam consulere voluistis, scitote eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus, sanctus magister noster[7] et princeps apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam[8] parva civitate apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Similiter Felix de civitate[9] qua ordinatus erat electione civium propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad[10] civitatem, qui non suo libitu aut ambitu hoc[11] facit, sed utilitate quadam aut necessitate, aliorum[12] hortatu et consilio potiorum transfertur. Nec[13] transfertur de minori civitate ad maiorem qui[14] non ambitu nec[15] propria voluntate facit, sed aut vi a propria sede pulsus aut necessitate coactus aut utilitate loci aut populi[16], non superbe, sed cum humiliter ab aliis translatus et intronizatus est, quia homo videt in fatie, deus autem in corde. Et dominus per prophetam loquitur dicens: Dominus scit cogitationes hominum quoniam vane sunt. Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem, nec mutat civitatem qui non sua sponte, sed consilio[17] et electione aliorum mutatur. Non igitur migrat de civitate ad civitatem, qui non[18] avaritiae causa, non sponte dimittit suam, sed ut iam dictum est, aut pulsus a sua aut necessitate coactus aut electione et exortatione sacerdotum et populorum translatus est ad alteram civitatem. Nam sicut episcopi habent potestatem ordinare regulariter episcopos et reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas aut necessitas expoposcerit[19] supradicto modo et mutare et intronizare potestatem habent.

[III. Ut ignorantia quorundam meliora et utiliora non vitentur et utiliora (*Dst.* in utiliora) sinantur.][20]

III. Hec ut petistis, licet vobis ignota non sint tenenda mandamus, ne ignorantia quorumdam meliora et utiliora vitentur, et inutiliora sinantur[21], sicut in sancto legitur evangelio: Vae vobis, hypocrite, quia decimatis mentam et anetum et ciminum, et reliquistis que graviora sunt legis, iuditium et misericordiam et fidem: haec oportuit facere et illa non obmittere[22]; duces caeci, excolantes[23] culicem, camelum autem gluctientes. Quod licet non licet, et quod non licet licet. Quemadmodum Iamnes et Mambres restiterunt veritati, sic et illi mente reprobi, amantes voluptatem[24] magis quam deum. Quod licet docent non licere, id est episcopos migrare de civitate ad civitatem praetaxato modo. Et quod non licet docent[25] licere: id est misericordiam agere circa patientes

c. II. *Petrus sanctus magister — proficere posset* sec. praef. Nicen. conc. in cod. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Ballerin. 3, 24). Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.

Eusebius quoque — consilio potiorum transfertur, Cass. hist. trip. XII. 8. Cf. Pelag. l. c.

quia homo videt — in corde, I Reg. XVI. 7.

Dominus scit — quoniam vane sunt, Ps. XCIII. 11.

Non ergo mutat — electione aliorum mutatur. Cf. Pelag. l. c.

Nam sicut episcopi — intronizare potestatem habent. Cf. Pelag. l. c.

c. III. *Vae vobis hypocrite — autem gluctientes*, Matth. XXIII. 23. 24.

Quod licet non licet — magis quam deum, Ennod. lib. apol. (p. 354).

[1] *Sg. Bb. Dst.* moriemur. *Hic Dst. addit:* spem non habentem de futuris apostoli sententia repercussit dicentis, hec omnia esse superflua. [2] *Dst.* desperatae. [3] *Mut. Bb.* arctae. [4] *Dst.* karissimi. [5] *Bb.* derelinquite. [6] *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. addit:* et qua ratione a sede in sedem transire debeat episcopus. *Bb. addit:* de civitate ad civitatem. *In marg. Par.* 840 *legitur*: de mutatione episcoporum. [7] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [8] *Bb.* quodam. [9] *Om. Mut.* mutatus — civitate. [10] *Dst.* in. [11] *Mut.* voluntate *pro:* ambitu hoc. [12] *Sg.* aliorumque. [13] *Dst.* non. [14] *Bb. addit:* hoc. [15] *Sg. Bb. Dst.* non. [16] *Mut.* populo. [17] *Mut. Bb.* concilio. [18] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [19] *Sg. Bb. Dst.* exposcerit. [20] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [21] *Bb.* solvantur. [22] *Sic in Sg.* et mittere, *quod pro* ex illa non obmittere *exhibebat*, *manu post. corr.* [23] *Sic* excolentes *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [24] *Dst.* voluntatem. [25] *Bb.* docet.

necessitatem, hoc tamen eis qui episcopum non habent et sacro episcopali indigent ministerio, episcopum de alia civitate causa utilitatis vel necessitatis tribui et episcopis persecutionem aut necessitatem patientibus aliam cathedram dari negant.

IV. Contradicunt etiam sacrae[2] scripturae quae testatur[3] mavelle[4] deum misericordiam quam sacrificium. Utrisque autem, id est et famem verbi dei patientibus et episcopis necessitatem[5], quando intronizantur propter communem utilitatem in aliis civitatibus non modica exhibetur misericordia. Negantes autem haec, licet spetiem habeant pietatis[6], virtutem tamen eius abnegant. Nam in tali negotio prosapiam[7] non agnosco; si quis[8] tamen sapientium quos insipientibus tempestatis huius procella sociavit aliis auctoribus, facinorum participatione maculantur[9], splendor sapientis et si communionem crimen[10] incurrit, nescit tamen ducem se praebere peccantibus[11]. Alia est quoque causa [12][utilitatis et necessitatis, et alia avaritiae et praesumptionis atque propriae voluntatis. Avaritiae vero causa vel praesumptionis ac propriae voluntatis[13] non sunt episcopi] mutandi de civitate ad civitatem, sed utilitatis et necessitatis. Quod nemo negat nisi hi, de quibus scriptum est: Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iuditium; nam si enarrando cogerer[14] aperire transacta, ostenderem vobis nullum evenire solatium de comparatione factorum. Ceterum state, karissimi, super vias aspicientes et interrogantes de semitis domini antiquis, et videte quae est via bona et recta, et ambulate in ea, et invenietis requiem animabus vestris. Et ut iuxta sapientiae vocem dicamus: Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de[15] domino in bonitate et in simplicitate cordis querite illum; quoniam invenietur ab his qui non temptant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perverse enim cogitationes separant a domino[16], probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus discipline effugiet fictum et auferet[17] se a cogitationibus quae sunt sine intellectu, et corripitur[18] a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiae, et non liberabit maledictum a labiis suis, quoniam renum illius testis est deus, et cordis eius scrutator[19] est verus, et linguae illius auditor, quoniam spiritus domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec praeteriet illum corripiens[20] iuditium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit; sermonum autem illius auditio ad dominum veniet et ad correptionem[21] iniquitatum[22] illius, quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo[23] vos a murmuratione quae nihil prodest, et a detractione parcite linguae, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os quod

[IV. De his qui contradicunt sacre scripture et negant episcoporum mutationem (*Par.* munitionem).][1]

c. IV. Contradicunt etiam sacrae — quam sacrificium, Os. VI. 6.

Negantes autem — tamen eius abnegant, II Timoth. III. 5.

Nam si in tali — se praebere peccantibus, Ennod. lib. apol. (p. 357).

Avaritiae vero — et necessitatis sec. Cass. hist. trip. XII. 8.

Erraverunt in ebrietate — ignoraverunt iuditium, Ies. XXVIII. 7. (Isaias ...)

nam si enarrando — de comparatione factorum, Ennod. lib. apol. (p. 349).

Ceterum state, karissimi — requiem animabus vestris, Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182). Cf. Sixt. I. pp. 3, Lib. 2.

Diligite iustitiam qui — qui sunt ex parte illius, Sap. I. 1—16.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* IV. Quod non sit negandum episcopo aliam regiminis cathedram dare, si persecutionem aut necessitatem in sua passus fuerit. [2] *Mut.* sanctae. [3] *Sic sec. Mut. Dst. corr.* testantur; *in Sg.* n *in* testantur *postea deletum; addunt Mut. Bb.* super omnia, *Dst.* per omnia, *Sg.* omnino. [4] *Mut.* malle. *Sg. Bb. Dst.* velle. [5] *Sg. Dst. add.* quandam. [6] *Sic* pitestatis *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [7] *Mut.* prosapiem. *Dst.* prosapiam pietatis. [8] *Sg.* sequitur *pro* si quis. [9] *Sg. Dst.* maculatur. [10] *Sg. Bb. Dst.* criminum. [11] *Mut.* peccatoribus. [12] *Pars folii, ubi verba uncinis inclusa legebantur, humore consumta est: textum restitui ex Mut.* [13] *Sg. om.* avaritiae vero — ac propriae voluntatis. [14] *Sg. Dst.* conarer. [15] *Deest in Dst. Sg.* in. [16] *Sg. Bb. Dst.* deo. [17] *Mut.* aufert. [18] *Mut. Sg. Bb. Dst.* corripietur. [19] *Bb.* scruptator. [20] *Bb.* corripiet. [21] *Mut.* correctionem. [22] *Bb.* iniquitatem. *Mut. Sg. Dst.* iniquitates. [23] *Deest in Mut.*

mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore[1] vitae vestrae, neque adquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam deus mortem non fecit nec letatur in perditione[2] vivorum. Creavit enim[3] ut essent[4] omnia, et sanabiles esse voluit nationes orbis[5] terrarum. Non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra viventium. Iustitia perpetua est et inmortalis, iniustitia autem mortis est acquisitio; impii autem manibus et verbis accersierunt illam, et aestimantes illam amicam defluxerunt et sponsiones posuerunt[6] ad illam, quoniam[7] digni sunt qui sunt ex partes[8] illius. Dixerunt enim[9] apud se[10] cogitantes nec[11] recte[12]: Exiguum et cum tedio est tempus vitae nostrae et non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quoniam[13] ex nihilo facti[14] sumus, et post haec erimus tamquam si non[15] fuerimus, quoniam fumus afflatus est in naribus[16] nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua extincta[17] cynis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam[18] mollis aer. Et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur[19] quae fugata[20] est a radiis solis et a calore illius adgravata, et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus et nemo[21] memoriam habebit operum nostrorum; umbre[22] enim transitus est tempus nostrum et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est et nemo revertetur. Propterea unicuique praevidendum[23] est, ut summopere se custodiat et utiliter se provideat[24], ut cum dies extrema finisque vitae advenerit non transeat ad perpetuam mortem, sed ad vitam aeternam.

V. Quod ex merito plebis depraventur episcopi. Item de his qui vitam moresque bonorum corrumpunt.][25]

V. Facta enim subditorum iudicantur a nobis, nostra vero iudicat deus[26]. Ex merito vero plebis nonnumquam episcopi depravantur, quatenus proclivius cadant qui sequuntur. Capite languescente caetera corporis membra infitiuntur. [27]Deteriores sunt qui vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prediaque diripiunt. Caveat unusquisque ne aut[28] linguam aut aures habeat[29] prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahat aut alios audiat detrahentes. Sedens, inquid, adversus fratrem tuum loquebaris detrahendo, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum, et cetera. Parcant singuli detrahendo[30] linguae, custodiantque[31] sermones suos et sciant, quia cuncta que de[32] aliis loquuntur sua sententia iudicabuntur. Nemo invito auditori libenter refert.

[VI. Ut singuli servent non solum oculos castos sed et linguam.][33]

VI. Officii singulorum sit, dilectissimi, non solum oculos castos servare, sed et linguam, nec quid in cuiusquam[34] domo agatur[35], alia domus per eos[36] umquam noverit. Habeant omnes simplicitatem columbae ne cuiquam machinentur dolos[37], et serpentis[38] astutiam, ne aliorum subplantentur[39] insidiis. Non est humilitatis meae [40]neque mensure iudicare

Dixerunt enim apud se — et nemo revertetur, Sap. II. 1—5.

c. V. Ex merito vero plebis — diripiunt, Isid. sent. III. 38. no. 3—5. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 30. Cf. Anacl. 36, 37.

Caveat unusquisque — per eos umquam noverit (*c. VI.*) sec. Hieron. ep. ad Nepotian. no. 14. 15. (1, 268) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 94. Cf. Anacl. 40.

c. VI. Habeant omnes — subplantentur insidiis, Hieron. ep. 58. ad Paulin. no. 6. (1, 324) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 95.

Non est humilitatis — quippiam dicere, Hieron. ep. 125. ad Rustic. no. 8. (1,937) aut conc. Aquisgr. l. c. c. 96.

1 *Bb.* errorem. *Sg.* in terrore *pro:* in errore. 2 *In Sg. Dst. deest:* in operibus — perditione. 3 *Bb.* autem. 4 *Sg.* autem esse; *Dst.* autem deus *pro:* enim ut essent. 5 *Sg.* per orbem. *Dst.* orbem. 6 *Sg.* fecerunt. 7 *Mut. Dst. addunt:* morte. 8 *Mut. Bb. Dst.* ex parte. *Sg.* quoniam benigni (*manu post. corr. in* et digni) sunt morte, qui sunt ex parte. 9 *Mut.* autem. 10 *Mut. Bb. addunt:* non recte. 11 *Sg. Dst.* non. 12 *Deest in Mut. Bb.* nec recte. 13 *Sg.* quia. 14 *Mut. Sg. Bb. Dst.* nati. 15 *Mut.* nonati (n̄ati). 16 *Sic* manibus *corr. sec. Mut. Sg. Dst.* 17 *Sg.* quia extinctus. *Dst.* quasi extincta. 18 *Bb.* quam. 19 *Sg. Dst.* diffundetur. 20 *Sg.* fundata. 21 *Addidi ex Mut. Sg. Bb. Dst.* 22 *In Bb. corrigitur m. s. XI. in:* umbra. 23 *Mut.* providendum. 24 *Sg. Bb. Dst.* praevideat. 25 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 26 *Bb. Dst.* iudicantur a deo. *Sic in Sg. post. manu corr. quod antea erat:* iudicatur a deo. 27 *Dst. in marg.:* non detrahendum. 28 *Om. Dst. In Sg. post. manu corr. in:* habeat. 29 *Om. Sg.* 30 *Mut. Sg. Bb. Dst.* detractioni. 31 *Sg.* custodientes; *Dst.* et custodiant *pro:* custodiantque. 32 *Deest in Dst.* 33 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 34 *Sg. Bb. Dst.* cuiusdam. 35 *Mut. Sg. Bb. Dst.* agitur. 36 *Dst.* vos. 37 *Dst.* dolose. 38 *Bb.* serpentes. 39 *Dst.* supplantetur. 40 *Omnia a verbis* neque mensure iudicare *usque ad verba cap. VIII. in princ.* ut relicta malitia credant in te domine *in Sg. desunt.*

de ceteris et de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. VII. Absit ut quicquam sinistrum de his loquar, qui apostolico gradu[2] succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam christiani sumus, qui claves regni caelorum habentes ante iudicii diem iudicant. [3] Veteri[4] quidem lege[5] habetur, quicumque sacerdotibus non optemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo aut gladio cervice subiecta contemptum expiabat cruorem[6]. Nunc vero inhobediens spiritali animadversione[7] truncatur et eiectus de ecclesia rabido[8] demonum ore decerpitur. VIII. Oportet enim, ut qui deum hereditate possident, absque ullo impedimento saeculi deo serviant, ut dicere possint: Dominus pars hereditatis meae, o quam bonus et suavis est spiritus tuus, domine, in omnibus. Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, domine, qui animas amas. Ideoque hos qui exerrant partibus corripis, et de quibus peccant[10] admones et adloqueris, ut relicta malitia[11] credant in te, domine. Tu autem, deus noster, suavis et verus es, patiens et[12] misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus scientes magnitudinem tuam; et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Spiritus timentium deum queretur[13] ab eo, et in respectu illius benedicentur. Quapropter, fratres karissimi, sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est[14] ad edificationem, opportunitatis ut det gratiam audientibus; et nolite contristari[15] spiritum sanctum dei, in quo signati estis in diem[16] redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et deus in Christo donavit vobis[17]. Estote ergo imitatores dei sicut filii karissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos[18] et tradidit semetipsum pro nobis[19] oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis inmunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium aut scurilitas que ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intellegentes quod[20] omnis fornicator aut inmundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et dei. Nemo vos seducat inanibus verbis, propter haec enim venit ira dei in filios diffidentiae; nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebre, nunc autem lux in domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum deo. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite; quae enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est et[21] dicere. Omnia autem quae arguntur[22] a lumine manifestantur, omne enim[23] quod manifestatur lumen est; propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et inluminabit tibi[24] Christus. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea

[VII. Quod nihil sinistrum sit loquendum de his qui apostolico gradui succedunt (Par. succeduntur).][1]

[VIII. Quod absque ullo impedimento saeculi deo serviendum sit.][9]

c. VII. Absit ut quicquam — ore decerpitur, Hieron. ep. 14. ad Heliod. no. 8. (1, 34) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 97. Cf. Telesf. 3, Pont. 2, Fel. II. pp. 11, Dam. 20.

c. VIII. Oportet enim ut — pars hereditatis meae, Isid. de offic. II. 1. no. 2. aut conc. Aquisgr. cit. lib. I. c. 99.

o quam bonus et — domine in omnibus, Sap. XII. 1.

Parcis autem — qui animas amas, Sap. XI. 27.

Ideoque hos qui — credant in te domine, Sap. XV. 1. XII. 1. 2.

Spiritus timentium deum — illius benedicentur, Ecclesiastic. XXXIV. 14.

sermo malus ex ore — donavit vobis, Ephes. IV. 29—32.

Estote ergo imitatores — subiecti invicem in timore Christi, Ephes. V. 1—21.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [2] *Dst.* gradui; *sic corrigitur al. m. in Bb.* [3] *Cod. in marg.:* sacerdotibus obediendum. *Bb. rubricam ponit:* quid sustinebant quod sacerdotibus non obtemperabant. [4] *Dst.* in veteri. [5] *Bb.* legi. [6] *Mut. Dst.* cruore. [7] *Bb.* adversione. [8] *Bb. Dst.* rapido. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [10] *Mut. addit:* partibus. [11] *Deest in Bb. Dst.* infidelitate. [12] *Mut. Dst. addunt:* in. [13] *Mut.* querentur. [14] *Mut. addit:* sermo procedat. [15] *Mut. Sg. Bb. Dst.* contristare. [16] *Sg.* die. [17] *Sg. Dst.* nobis. [18] *Mut.* vos. [19] *Mut.* vobis. [20] *Sg. Dst.* quoniam. [21] *Deest in Mut. Dst.* [22] *Mut.* arguuntur. *Sg. Bb. Dst.* aguntur. [23] *Mut.* autem. [24] *Dst.* te.

nolite fieri inprudentes, sed intellegentes quae sit voluntas domini, et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto[1] loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris, domino gratias agentes[2] semper pro omnibus[3] in nomine domini nostri Iesu Christi, deo et patri subiecti invicem in timore Christi.

State itaque, fratres[4], et tenete traditiones apostolorum et apostolicae sedis, ut dominus noster Iesus Christus et pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem[5] aeternam et spem bonam in gratia, exortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono. De cetero, fratres, orate pro nobis ut sermo domini currat et clarificetur sicut et[6] apud vos, et ut liberemur ab inportunis et malis hominibus; non enim omnium est fides. Fidelis autem deus est qui confirmabit vos et custodiet a malo. Quapropter ponite indesinenter corda vestra in virtute dei, et resistite semper malis et enarrate haec[7] iuxta vocem prophetae in progenies alteras, quoniam hic est deus deus[8] in aeternum, et ipse reget nos in saecula.

Unde vos, qui in speculo[9] a domino estis constituti, comprimere et repellere eos summopere debetis, qui fratribus insidias praeparant aut in eos seditiones et scandala excitant; facile est enim verbo hominem fallere, sed non deum. [10]Ideo hos rependere[11] et ab his[12] vos oportet avertere, quatenus extincto[13] funditus[14] huiusmodi caligine[15] lucifer eis resplendeat et letitia oriatur in eorum cordibus. Confidimus autem[16], fratres, de vobis in domino, quoniam quae praecipimus et facitis et facietis. Quanto enim benefitia vestra his amplius exhibetis, tanto maiorem vicissitudinem ab omnipotenti deo cui serviunt expectatis. Omnipotens deus sua vos protectione custodiat honoremque perceptum[17] servare concedat, et gloria honorque deo patri omnipotenti eiusque unigenito filio salvatori nostro cum spiritu sancto sit in saecula saeculorum. Amen. Dat. XIII. Kal. April. Maximino[18] et Africano vv. cc. conss.[19]

DECRETA[20] FABIANI[20]. INCIPIUNT DECRETA FABIANI PAPAE.[21]

[I. Quod comministri ecclesie catholice nosse debeant que aguntur (*Par.* agat) in sacro ritu apud Romanam ecclesiam.][22]

I. Dilectissimis ubique catholicae aecclesiae comministris Fabianus salutem in domino.

Divinis praeceptis et apostolicis monemur institutis ut pro cunctarum aecclesiarum statu impigro vigilemus affectu[23], unde consequens est debere vos scire, quae apud Romanam in sacro aguntur ritu ecclesiam, ut eius sequentes exempla

State itaque fratres — et sermone bono, II Thess. II. 14—16.
De cetero fratres — custodiet a malo, II Thess. III, 1—3.
Quapropter ponite — ipse nos reget in saecula, Ps. XLVII. 14. 15.
Unde vos qui in — estis constituti, Coelest. I. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34). Cf. Clem. 56, Alex. 15, Zeph. 9, Fab. 11, Fel. II. pp. 10.
facile est enim — sed non deum, Xysti Pyth. c. 176. Cf. Alex. 18, Zeph. 9, Corn. 6, Melc. 5.
Ideo hos rependere — in eorum cordibus sec. Conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 902). Cf. Zeph. 9, Fel. II. pp. 10, ep. Fel. ad Greg.
Confidimus autem fratres — facitis et facietis, II Thess. III. 4.
Quanto enim benefitia — expectatis, Greg. M. ep. XI. 59. (2, 1146).
Omnipotens deus — concedat, eiusd. ep. V. 53. (2, 783). Cf. Eutic. 4, Greg. M. ep. ad Fel.
Not. cons. des. e vit. Ant. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Divinis praeceptis — vigilemus affectu, init. Leon. M. ep. 16 (1, 715). Cf. Sot. 3, Zeph. 10, Iul. 11.

1 *Deest in Sg. Dst.* 2 *Mut. addit:* domino. 3 *Mut. addit:* vobis. 4 *Deest in Bb.* 5 *Sg. Bb. Dst.* dilectionem. 6 *Om. Sg. Dst.* 7 *Sg.* hoc. 8 *Mut. Dst. addunt:* noster. *In Bb. additur manu s. XI.* 9 *Mut.* specula. 10 *Cod. in marg.*: de insidiatoribus. 11 *Sg. Bb. Dst.* reprehendere. 12 *Sg. Dst.* ipsis. 13 *Bb. Sg. Dst.* extincta. 14 *Deest in Mut.* 15 *Deest in Mut.; Bb.* caligine in. 16 *Om. Sg.* 17 *Mut.* praeceptum. *Dst.* et praeceptum. 18 *Bb.* Maximo. 19 *Nota cons. deest in Dst.* 20 *Desunt in Mut. Sg. Bb. Dst.* 21 *Om. inscr. Mut. Sg.* Epistola sancti Fabiani papae de ordinibus ecclesiasticis. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 23 *Mut. Bb.* effectu.

eius veri filii inveniamini, quae vestra est mater vocata. II. Septem ergo[2] diaconos[3] in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a patribus, accepimus qui per singulas ebdomadas et dominicos[4] dies atque festivitatum solempnia cum subdiaconibus et acolitis ac sequentium ordinum ministris iniuncta[5] sibi observant ministeria et parati omni hora sunt[6] ad divinum officium et quicquid eis iniungitur peragendum. Similiter et vobis[7], prout oportunum fuerit, per singulas civitates est fatiendum, ut divinum absque ulla mora et negligentia[8] studiose ac solempniter agatur offitium. III. Denique septem similiter subdiacones[10] ordinavimus qui septem notariis imminerent et gesta martyrum veraciter in integro colligerent vobisque[11] rimanda manifestarent, quod etiam vos omnes agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat questioque oriatur, quoniam omnia que scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. Et que nostris[12] temporibus veraciter scribuntur ad futurorum doctrinam diriguntur[13]. Et ideo fidelissimis haec negotia committi praecipimus, ne aliqua in eis inlusio inveniatur ex qua fidelibus scandalum, quod absit, oriatur, unde et caritatem vestram paterna dulcedine petimus ut in cunctis affectum vestrae caritatis sancta aecclesia inveniat et[14] favoris vestri solatiis quocumque[15] necesse fuerit, potiatur. Et sicut bonitas studii vestri de se nobis certitudinem praebet, ut in nullo de ea diffidere, sed magis ut sapientibus filiis aecclesiae nostrae haec fiducialiter commendemus[16], ita postposita[17] oportunitatis occasione[18] vestra efficatia elaborare enixius debeatis atque id modis quibus possibile fuerit omni studio abigere[19] contendatis. Hortamur etiam vos, iuxta dictum apostoli stabiles esse et immobiles, habundantes in opere domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in domino. Et alibi: Vigilate et orate et state in fide, viriliter agite et confortamini[20], omnia vestra cum[21] caritate fiant.

[II. De officiis et ministeriis VII diaconorum cum subdiaconibus et sequentium ordinum ministris observandis.] 1

[III. De VII subdiaconibus qui VII notariis imminentes gesta martyrum (*Par.* gestam harum rerum) colligerent.] 9

IV. Insuper et illud vos scire desideramus, quia[23] nostris temporibus praepedientibus quidem nostris peccatis, suadente antiquo hoste qui semper ut leo rugiens circuit querens quem devoret, supervenit Novatus ex Africa et separavit de ecclesia Christi Novatianum et quosdam[24] alios Christi confessores et convertit in pravam doctrinam. A quibus vos, fratres, avertite et cavete et[25] ab aliis[26] omnibus qui alteram fidem et doctrinam tenent quam apostoli et successores eorum tenuerunt et docuerunt, ne, quod absit, post eos abeuntes in laqueum satane cadatis[27] et compedibus eius detineamini. Unde fraternitatis vestrae caritatem intimis obsecramus precibus, ut nostrae parvitatis in vestris sacris orationibus memores esse

[IV. De Novato heretico et Novatiano.] 22

c. *II. Septem ergo diaconos — in integro colligerent* (*c. III.*) sec. vit. Fabian. c. 2. in libr. pontif.
Similiter et vobis — est fatiendum. Cf. Gai. 7.
c. *III. quoniam omnia que — doctrinam scripta sunt*, Rom. XV. 4.
et caritatem vestram — fuerit potiatur, Greg. M. ep. IX. 22. (2, 946). Cf. Pont. 5.
Et sicut bonitatis studii — fiducialiter commendemus, ep. cit. (2, 945).
ita postposita oportunitatis — agere contendatis, eiusd. ep. V. 46. (2, 775). Cf. Greg. M. ep. ad Felic.
Hortamur etiam vos — inanis in domino, I Cor. XV. 58.
Vigilate et orate — caritate fiant, I Cor. XVI. 13. 14.
c. *IV. ut leo rugiens — querens quem devoret*, I Petr. V. 8.
supervenit Novatus — in pravam doctrinam sec. vit. Fabian. c. 4.
Unde fraternitatis vestrae — ut mercedis praemia percipiatis, Bonifac. ep. 36. (p. 83).

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Par.* 840 *in marg.*: de VII diaconibus ecclesiae. 2 *Om. Sg.; Dst.* enim. 3 *Bb. Dst.* diaconi. 4 *Mut.* dominicis. 5 *Sic legendum pro* iniucta, *quod est in cod.; Sg. Bb. Dst.* iniuncta, *Mut.* indicta. 6 *Mut.* sint. 7 *Mut.* vos. 8 *Bb. Sg. Mut.* mora aut nulla neglegentia. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* de VII diaconibus et regionibus urbis rome atque notariis. 10 *Bb.* diacones. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* nobisque. 12 *Mut. Sg. Bb.* vestris. *Dst.* in nostris. 13 *Sg.* dirigantur. 14 *Sg. Bb. Dst.* ut. 15 *Codd. cit.* ubicumque. 16 *Bb.* commendavimus. *Mut. Dst. Sg.* commendamus. 17 *Sg.* pro. 18 *Bb. Mut.* post positas oportunitatis occasiones. *Dst.* praeposita oportunitatis occasione. 19 *Codd. cit. Sg.* agere. 20 *Deest in Mut.* et confortamini. 21 *Mut. Sg. Bb. Dst.* in. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 23 *Bb.* quae a. 24 *Mut.* aliquos. 25 *Om. Sg. Dst.* 26 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 27 *Sg.* incidatis.

dignemini, orantes ac[1] deprecantes[2] dominum celi, ut tam nos quam sancta mater ecclesia Christi pretioso sanguine redempta a laqueis venantis satanae et ab importunis et malis hominibus liberemur, et sermo dei currat et clarificetur[3], et prava eorum et omnium perversa[4] docentium[5] corruat doctrina atque defitiat. Precamur etiam ut pietatis vestrae precibus impetrare studeatis, ut deus et dominus noster Iesus Christus qui vult omnes homines salvos[6] fieri et neminem perire, ut[7] sua ingenti omnipotentia reverti faciat corda eorum ad sanam[8] doctrinam et catholicam fidem, quatenus resipiscant a diaboli laqueis quibus capti tenentur, et adgregentur filiis matris ecclesiae; reminiscentes quoque fratrum vestrorum[9], miseremini illorum quibus potestis bonis studiis vestris ne perdantur, sed praecibus et aliis bonitatis vestrae studiis domino salventur. Ita ergo ex[10] his agite, ut obedientes filii et fideles sanctae dei ecclesiae appareatis et ut mercedis[11] praemia[12] percipiatis.

[V. Quod accusare non possint qui non docent rectam doctrinam et quod ammovendi sint omnes suspecti et non recipiendi, similiter et illi cum quibus apostolus prohibet cibum sumere.][13]

V. Hi[14] et omnes qui rectam non docent doctrinam vel rectam non tenent fidem, accusatores esse nequeunt et[15] neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati et a sinu sanctae[16] matris ecclesiae apostolico mucrone[17] usque ad rectam conversationem[18] et reversionem eorum[19] abscisi; unde apostolica auctoritate cum omnibus eiusdem apostolicae atque universalis ecclesiae filiis statuentes sancimus, ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt in accusatione recte credentium non suscipiantur, quia suspectiones[20] semper sunt amovendi[21]. Merito ergo eorum reprobatur accusatio, qui in recta fide suspecti sunt, nec eis omnino esse[22] credendum qui veritatis fidem ignorant. Similiter omnes, quos sanctorum patrum statuta tam praeteritis quamcumque[23] futuris temporibus anathematizant[24], submovemus et ab omni accusatione[25] fidelium alienamus. Discreti ergo[26] debent semper esse fideles ab infidelibus et iusti ab iniustis, quoniam infideles et malivoli modis quibus possunt semper infestant fideles[27] et perdere nituntur, et ideo non sunt suscipiendi, sed repellendi et procul abiciendi[28], ne perdere fideles aut infamari[29] possint. Quapropter, karissimi, [30]cavete talium[31] foveam in quam multos recidisse cognovimus; cavete iacula talium[32] et antiqui hostis temptamenta per que etiam proprios propinquos coram nobis vulneratos cadere vidimus. Adtendite laqueos insidiantium quibus notos et commilitones strangulare solent; nolite tales sequi, sed procul repellite eos. Estote, iuxta veritatis vocem, prudentes ut serpentes, et simplices sicut columbae. Videte quoque ne in vacuum curratis aut laboretis, sed alterutrum fulti praecibus et orationibus voluntatem dei facere contendite et

c. V. *Hi et omnes qui — tenent fidem*, Ben. I. 335 tit., III. 176 tit. Cf. Pont. 9.
ut omnes — non suscipiantur, Ben. I. 335. III. 176. (c. 64. conc. Tol. IV.). Cf. Calist. 17.
omnes — non suscipiatur ll. cc. Calist. 17, Euseb. 3.
Merito ergo reprobatur — suspecti sunt, Ben. III. 427. (l. Visig. XII. 2. 10). Cf. Pii 5.
nec eis — ignorant, c. 3. Angilr. Cf. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12.
Similiter omnes — alienamus sec. Ben. III. 215. (Cf. Calist. 9, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.)
Quapropter karissimi — nolite tales sequi, Bonifac. ep. 73. (p. 195).
Estote iuxta veritatis — columbae, Matth. X. 16.
Videte quoque ne — laboretis, Phil. II. 16.

1 *Sg. Dst.* et. 2 *Deest in Mut.* ac deprecantes. 3 *Sg.* glarificetur. 4 *Bb. Dst.* perverse. 5 *Mut.* perversorum docmatum. 6 *Sg.* solvos. 7 *Deest in Mut. Dst.* 8 *Sg. Dst.* suam. 9 *Dst.* nostrorum. 10 *Sg.* de. 11 *Sg. Dst.* mercedum. 12 *Sg.* praemii. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* V. de accusatoribus. *Par.* 840 *in marg.:* scismaticos acusare non posse. 14 *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* enim. 15 *Deest in Mut. Bb.* esse nequeunt et. 16 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 17 *Mut.* apostolicae in munione. 18 *Mut. Bb.* conversionem. 19 *Dst. addit:* sunt. 20 *Mut.* suspiciones. *Sg. Bb. Dst.* suspecti omnes. 21 *Sg. Bb. Dst. addunt:* et non recipiendi. 22 *Mut. Dst.* est. 23 *Pro* qui veritatis — praeteritis quamcunque *legunt Mut.* quos veritatis auctores nunc quamque, *Bb.* qui veritatis quamque, *Sg. Dst.* quia veritatis inimicos. 24 *Mut.* anathematizant quos et nos. *Dst.* anathematizantes. 25 *Dst.* occasione. 26 *Mut.* vero. 27 *Deest in Sg. Dst. In Sg. manu post. additur* eos *post verbum* infestant. 28 *Deest* et procul abiciendi *in Sg. Dst.* 29 *Mut. Sg. Bb. Dst.* infamare. 30 *In Bb. manu s. XI. additur:* omni studio. 31 *Mut.* talia. *Dst.* tales. *Om. Sg.* 32 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* foveam in quam — iacula talium.

a memoratis, si incorrigibiles apparuerint, vos in omnibus separate. Similiter et ab omnibus quos apostolus commemorat dicens, cum his nec cibum summere, quia et[1] illi sicut [2]et isti sunt repellendi[3] et ante satisfactionem ecclesie non sunt suscipiendi, quoniam illi[4] cum quibus cibum sumere non licet, manifeste apparent sequestrati usque ad satisfactionem a reliquis fidelibus. VI. Quamobrem non debent nec possunt in accusationem[6] fidelium suscipi, sed etiam ab eorum consortio usque ad iam dictam satisfactionem repelli, ne similes eis efficiantur aut eorum excommunicationi subiaceant, quoniam sic[7] apostoli statuerunt dicentes: [8]Cum excommunicatis non est communicandum, et si quis cum excommunicatis[9] avertendo[10] regulas scienter[11] psallat[12] in domo aut[13] simul locutus fuerit vel oraverit, ille communione privetur. Tales ergo[14] in omnibus sunt cavendi et non suscipiendi, quia iuxta apostolum non solum qui fatiunt damnantur, sed qui consentiunt facientibus. Unde et beatus apostolorum princeps Petrus in ordinatione Clementis adloquens populo[15] inter cetera ait: Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis et voluntati eius absque communicatione obsecundare et avertere vos ab eo cui ipsum sentitis adversum[16], sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amititias ferre, festinet citius reconciliari[17] ei qui omnibus praeest, et per hoc redeat ad salutem cum hobedire cepit[18] monitis praesidentis. Si vero quis amicus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare dei ecclesiam volunt, et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est, et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt et evidenter inimici sunt; hic enim per amititiarum speciem quae inimica sunt gerit et ecclesiam dispergit ac vastat.

[VI. De excommunicatis.][5]

Ideoque, karissimi, his apostolicis institutis vos monentes instruimus, ut efficatior[19] charitas vestra sollicitius deinceps agere studeat et cautius, ne perversi et infideles homines ledendi fideles ac benivolos habeant facultatem, quoniam spes talium et omnium impiorum tamquam lanugo est que a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quae a procella dispergitur, et tamquam fumus[20] qui a vento diffusus est, et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis. VII. Summopere, karissimi, tales cavendi sunt[22] et avertendi atque reiciendi[23] si nocentes apparuerint, quia non solum ecclesiastice sed etiam saeculi leges, si[24] nocentes, non suscipiunt[25], sed reppellunt. Unde scriptum est: Os impiorum devorat iniquitatem, et dominus per prophetam loquitur dicens: Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perverteris[26], et cum electo electus eris, et cum viro nocenti nocens eris[27]. Et apostolus inquit: Perverterunt[28] mores bonos

[VII. De nocentibus ab accusatione pellendis.][21]

Similiter et ab omnibus — cibum sumere sec. I Cor. V. 11.

c. VI. Cum excommunicatis non est — ille communione privetur, c. 2. conc. Antioch. (D.)

non solum qui faciunt — facientibus, Ben. III. 261, 386. (Rom. I. 32.) Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Luc. 7, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

Si inimicus est — ecclesiam dispergit ac vastat, Clement. I. ep. (c. 17. i. f., 18). Cf. Anacl. 39, Alex. 6, Fab. 6.

ut efficatior caritas vestra — habeant facultatem, Leon. M. ep. 7. c. 2. (1, 625).

quoniam spes — diei praetereuntis, Sap. V. 15.

c. VII. Summopere karissimi usque ad finem. Eadem leguntur in Silverii epist.

Unde scriptum est — devorat iniquitatem, Prov. XIX. 28.

Cum sancto — nocens eris, Ps. XVII. 26. 27.

Perverterunt mores — mala, I Cor. XV. 33.

1 *Om. Sg.* 2 *Cod. in marg.:* de excommunicatis. 3 *Sg.* pellendi. 4 *Sic corr.* illic *sec. celer.* 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. num. sol.* 6 *Sg. Bb.* accusatione. 7 *Mut.* si. *Sg.* sicut. 8 *Bb. hic ponit rubricam:* de excommunicatis. 9 *Bb.* cum quibus non est communicandum. 10 *Sg.* vertendo. 11 *Deest in Dst.* avertendo reg. scienter. 12 *Sg. Bb. Dst.* saltem. 13 *Codd. cit. omittunt.* 14 *Sg. Dst.* enim. 15 *Mut. Sg.* populum. 16 *Mut.* aversum. 17 *Mut.* reconciliare. 18 *Mut. Sg. Bb. Dst.* coeperit. 19 *Mut. Sg. Bb. Dst.* effecta cercior. 20 *Sg.* aer. 21 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 22 *Om. Sg. Dst.* 23 *Sg. Dst. add.* sunt. 24 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 25 *Dst.* recipiunt. 26 *Deest in Bb. Sg. Mut.; Dst.* et cum perverso perverteris. 27 *Mut. Sg. Bb. Dst.* et cum perverso subverteris (*Sg. Dst.* perverteris). 28 *Sg. Bb. Dst.* Pervertunt.

conloquia mala. Idcirco, ut iam praelibatum est, mali sunt semper cavendi et bonis adque benevolis est inherendum, ut periculum desidiae quantum possumus declinemus: et ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscidamus, quoniam non temeritas intervenit praesumptionis ubi est diligentia pietatis. Agat semper[1] unusquisque vestrum hac informatione apostolica fultus[2] iuxta vires suas, et fraterna dilectione et sancta religione mores proprios conservare et in commune alterutrum adiuvare et in caritate permanere[3] et in dei voluntate indesinenter studeat inherere, ut simul laudantes dominum indefessas illi semper gratias agamus. Valete in Christo[4], karissimi, et praedicta, prout melius potestis, domino opem ferente adimplere studete. Data Kal. Iulii Maximio[5] et Africo[6] vv. cc. conss.

FABIANI[7] DECRETA[7]. EPISTOLA CUIUS SUPRA AD OMNES HORIENTALES EPISCOPOS[8].

[VIII. De institutis et ordinatis ab apostolis eorumque successoribus minime violandis.][9]

VIII. FABIANUS episcopus urbis Romae omnibus orientalibus episcopis et cunctis fidelibus in domino[10] salutem.

Exigit dilectio vestra sedis apostolicae consulta, quae vobis denegare non debemus nec possumus: hoc autem et praedecessoribus nostris multarum regionum episcopis egisse liquet, quod et nos qui in eadem sede domino largiente collocati sumus, agere debere fraterna caritas et obedientiae debitum compellit. Cura est[11] ergo vestrae sollicitudinis[12] adhibenda, ut ea quae sunt ab apostolis eorumque successoribus ordinata et instigante[13] sancto spiritu instituta, nec dissimulatio neglegere nec aliqua praesumptio valeat perturbare. Sed sicut hoc quod rationis exigebat utilitas oportuit definire, ita quod definitum est non debet violari.

[IX. De episcoporum errore qui dicunt non per singulos annos in cena domini crisma conficiendum.][14]

IX. Litteris vestris vero[15] inter caetera insertum invenimus[16] quosdam regionis vestrae episcopos a vestro nostroque[17] ordine discrepare, et non per singulos annos in cena domini crisma conficere, sed[18] duos aut tres annos confectionem sancti crismatis semel actam[19] servare[20]. Dicunt enim, ut in memoratis repperimus apicibus, nec balsamum per singulos annos posse[21] repperire, nec necesse fore per singulos annos crisma conficere, sed dum una confectio crismatis habundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim qui talia excogitant et mente vaesana potius quam recta sentiendi[22] hec audiunt[23]. In illa die dominus Iesus, postquam coenavit cum discipulis suis et pedes eorum lavit, sicut a sanctis apostolis praedecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, crisma conficere docuit; ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat baptismum, quando[24] sancti crismatis unctione perficitur atque confirmatur.

[X. Novum crisma annuae innovandum et vetus in sanctis ecclesiis cremandum.][25]

X. Nam sicut ipsius diei[26] solempnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos[27] est agenda et

et ne pestis haec latius — abscidamus, Leon. M. ep. 7. c. 2. (1, 625.) aut Ben. III. 54. Cf. Sot. 3, Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3, Anast. I. pp. ep. 1, Bened. I. pp. ep.

Agat semper — Valete, Bonif. ep. 79. (p. 223).

Not. cons. des. e vit. Fabian. c. 1. in libr. pontif.

c. VIII. Exigit dilectio vestra — consulta, init. ep. Zosimi ad Hesych. (H. no. 28). Cf. Ioann. I. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 2.

Cura est ergo vestrae — est non debet violari, Gregor. M. ep. IX. 111. (2, 1018).

c. IX. Litteris vestris etc. sec. c. 46. conc. Meld. a. 845. aut Ben. III. 394.

[1] *Sg. Dst.* enim. [2] *Sic* fultis *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [3] *Deest in Mut.* mores proprios — caritate permanere. [4] *Dst.* domino. [5] *Mut. Sg. Bb.* Maximo. [6] *Codd. cit. Dst.* Africano. [7] *Desunt in codd. cit.* [8] *Bb.* directa. *Dst.* directa episcopos capitulum primum. *Inscriptio deest Mut. Sg.* Epistola Fabiani papae quod chrisma omnibus annis conficiendum sit. [9] *Sec. Par.* 4280 *AA. Deest in Dst. Solus num. in Bb.* [10] *Deest in Dst.* in domino. [11] *Sg. Dst.* inest. [12] *Mut. Sg. Bb. Dst.* sollicitudini. [13] *Dst.* inspirante. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* IX. de sacro crismate omni anno conficiendo. *Par.* 840 *in marg.:* de crismate. [15] *Om. Dst.; in Sg. p. m. manu deletum.* [16] *Mut.* reperimus. [17] *Sg. Dst.* nostrorumque. [18] *Bb. addit:* post. [19] *Bb.* actum. [20] *Dst.* conservare. [21] *Cod.* post se *pro* posse, *quod ceteri codd. habent.* [22] *Mut.* sentire; *Dst.* sentiente; *Sg.* sentientes. [23] *Mut.* audent. *Bb. addit supra lineam:* alii: dicunt. [24] *Mut. Sg.* quod. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [26] *Mut.* dei. [27] *Deest in Mut. Bb. Sg.* est celebranda — per singulos annos. *In Dst. eadem verba adduntur manu s. XII.*

de anno in anno[1] renovanda et fidelibus tradenda, quia novum sacramentum[2] est et[3] per singulos annos et[4] iam dicto die[5] innovandum, et vetus in sanctis ecclesiis[6] cremandum. Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus vobisque tenenda mandamus. Haec sancta Romana ecclesia et Antiocena a tempore apostolorum custodit; haec[7] Hierosolimorum et Ephesianorum[8] tenet, in quibus apostoli praesidentes haec docuerunt et vetus chrisma incendi[9] ac non amplius quam uno anno uti permiserunt, atque deinceps novo frui et non veteri iubentes docuerunt. Si quis ergo his obviare temptaverit, omnem sibi per nos et per omnes recte intellegentes indulgentiae aditum intellegat obseratum, quia pravissimarum mentium perversa doctrina, dum indulgentius utitur frenis, in praevaricationem praesumptionis delabitur et nullatenus eruitur, nisi prudentium sustentatione et correctione[10] liberetur. XI. Illa autem[12] quae circa divina misteria et erga baptizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplanda sunt intuitu, ne[13] locum supervacuis intentionibus et superstitionibus fatiamus[14]. Rudes ergo[15] fidelium mentes ad talia non debemus inducere, quia[16] docendi sunt potius quam inludendi. Ad nostram enim[17] letitiam et bene facta perveniunt, et meroris aculeis nos quae fuerint male facta conpungunt. Hic vero inter manus latronum et dentes luporum furentium utcumque versamur, et contumaces sunt subditi atque oves. Nam latratu canum baculoque pastoris luporum[18] rabies deterraenda est; illa[19] quae fomentis non sanantur vulnera ferro abscidi necesse est. Nec silere possumus, cum hoc[20] ab inlicitis revocemus aliquos, offitii nostri provocemur instinctu[21], in speculis a domino constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus[22] et quae observanda sunt sentiamus[23].

[XI. Quod non ocioso contemplentur intuitu quae circa divina misteria et erga babtizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit.][11]

XII. Consulere etiam nos, ut in praedictis litteris[25] vestris invenimus, super accusatione[26] sacerdotum voluistis, que oppido apud vos, ut in eisdem apicibus repperimus, crebrescit. Significastis insuper plerosque adtendere, multos in ipsis honoribus ecclesiasticis non congruenter vivere sermonibus et sacramentis que per eos populis ministrantur. O miseros homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui et multo ante praedixit, ut legi dei potius obtemperetur quam imitandi videantur illi qui ea quae dicunt non fatiunt et traditorem suum tolerans[27] usque in finem etiam[28] evangelizandum[29] cum ceteris misit. Nam apostoli talem consuetudinem non habuerunt nec habendam docuerunt; similiter et successores

[XII. De interrogatione super accusacione sacerdotum facta et de his qui adtendunt multos non congruenter in ipsis honoribus ecclesiasticis vivere sermonibus et sacramentis quae per eos populis ministrantur.][24]

Si quis ergo his — intellegat obseratum, Siric. ep. ad Eum. c. 7. (H. no. 3).

quia pravissimarum mentium — et correctione liberetur, Innoc. I. ep. ad concil. Milevitan. c. 2. (Cod. Quesn. ed. a Ballerin. in op. Leon. M. 3, 146.)

c. XI. Illa autem quae circa — contemplanda sunt intuitu, Coelest. I. ep. ad Vener. c. 12. (H. no. 33).

ne locum — sunt potius quam inludendi, eiusd. ep. ad episc. per Vienn. c. 1. (H. no. 34).

Ad nostram enim — facta conpungunt, ep. cit. pr. Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.

Hic vero inter — atque oves, Aug. serm. 46. de past. no. 46. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 12. Cf. Anacl. 26.

Nam latratu canum — rabies deterraenda est, Hieron. ep. 69. ad Oceanum no. 8. (1, 425) aut conc. Aquisgr. cit. lib. I. c. 11.

illa quae fomentis — abscidi necesse est, Siric. ep. ad Eum. c. 7. i. f. (H. no. 3). Cf. Anacl. 40, damn. Vigilii, Symm. syn. VI., Pelag. II. pp. ep. 1.

Nec silere possumus — observanda sunt sentiamus, Coelest. I. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34). Cf. Clem. 56, Alex. 15, Zeph. 9, Ant. 8, Fel. II. pp. 10.

c. XII. Significastis insuper plerosque — evangelizandum cum ceteris misit, August. serm. 351. de util. agend. poenit. I. no. 11. (5, 1360).

[1] *Mut. Sg. Dst.* annum. [2] *Dst.* sacratum. [3] *Bb. Dst. add.* ita. [4] *Sg. Dst. add.* in. [5] *Mut. Bb. addunt:* crisma. [6] *Mut.* sancta eclesia. *Dst.* sanctas ecclesias est. *Sg. add.* et. [7] *Mut.* hoc in. [8] *Sg.* Ephesinorum. [9] *Bb.* incendit. [10] *Bb.* correptione. [11] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [12] *Mut.* enim. [13] *Mut.* nec. [14] *Mut.* faciemus. [15] *Mut.* vero. [16] *Sg. Dst.* quando. [17] *Mut.* ergo. [18] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* furentium utcumque — pastoris luporum. [19] *Mut. Bb. Sg. Dst. add.* vero. [20] *Dst.* ut cum ad hoc. [21] *Dst.* instinctis. [22] *Mut.* resecantes. [23] *Sg.* sanciamus. [24] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [25] *Mut.* litteras. [26] *Bb.* accusationum. [27] *Bb.* toleranter. [28] *Mut. Dst. add.* ad. [29] *Sg.* evanzeligatur.

eorum, quamquam multa de talibus, praevidentes spiritu dei futura, statuerunt[1]. Porro, ut legitis in actibus apostolorum, erat eo tempore inter fideles cor unum et anima una, neque aliquis eorum aliquid suum proprium dicebat, sed erant illis omnia communia. Nulla enim inter eos accusatio nisi familiaris erat, nec umquam inter imitatores eorum aut fideles fieri debuisset, dicente domino: Quod tibi[2], alteri ne[3] facias. Et idem: Diliges proximum tuum sicut teipsum, et dilectio proximi malum non operatur. XIII. Ipsi ergo[5] apostoli et successores eorum olim statuerunt eos ad accusationem non recipi qui sunt[6] suspecti vel qui eri aut nudiustertius vel dudum fuerunt[7] inimici, quoniam suspecti facti sunt, et qui non sunt bonae conversationis, vel quorum vita est accusabilis aut dubii in recta fide: similiter quorum fides, vita et libertas nescitur, vel qui infamiae maculis sunt aspersi aut sceleribus inretiti[8]; neque[9] eos sacerdotes[10] debere aut accusare posse qui rite sacerdotes fieri non possunt nec sui sunt ordinis. Quoniam sicut sacerdotes vel reliqui clerici a secularium laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab historum sunt excludendi et alienandi criminatione; et[11] sicut isti ab illis, ita et illi ab istis non recipiantur, quoniam sicut domini sacerdotum segregata debet esse conversatio ab eorum, ita et litigatio, quia servum dei non oportet litigare.

[XIII. De accusatoribus.][4]

[XIV. De contentione vitanda et fratribus in omnibus solatio prestando.][12]

XIV. Tales, karissimi fratres, accusationes et iniustas aut nocivas emulationes pro viribus prohibete, quia contentio summopere est vitanda: septies enim cadit iustus in die et resurgit, impii autem corruent in malum. Cum ceciderit inimicus tuus, ait Salomon, ne gaudeas, et in ruina eius non exaltabitur[13] cor tuum, ne forte videat dominus et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Ne contendas cum pessimis[14] nec emuleris impios, quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguetur; ne[15] emuleris viros malos nec desideres esse cum eis, quia rapinam meditatur mens eorum et fraudes labia eorum loquuntur; haec cavete, karissimi. Haec meditamini et fratribus in omnibus solatium prestate, quia in hoc cognoscent omnes, ut ipsa per se veritas ait: quoniam mei estis disciplui, si dilectionem habueritis ad invicem. XV. Si enim in rebus secularibus suum cuiusque

[XV. De proprio ordine servando.][16]

Porro ut legitis — communia, Act. apost. IV. 32.
Quod tibi — ne facias, Ben. III. 198. (Tob. IV. 16). Cf. Clem. 52, Dam. 14.
Diliges proximum — te ipsum, Matth. XXII. 39.
dilectio proximi — non operatur, Rom. XIII. 10.
c. XIII. vel qui eri aut — fuerunt inimici, Ambros. ep. 5. no. 2. (2, 765). Cf. Anacl. 35, Steph. 11.
quoniam suspecti — est accusabilis, Cap. ecclesiast. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 25, Sixt. III. pp., Steph. 12 (Fel. I. pp. 12), Pelag. II. pp. ep. 3. (Cf. Angilr. c. 13.)
aut dubii in recta fide, Ben. I. 335 tit. III. 176. (c. 64. conc. IV. Tolet.).
similiter quorum — nescitur, Ben. II. 359. III. 112. aut c. 13. Angilr. Cf. Calist. 17, Fab. 25, Sixt. III. pp. Steph. 12, Pelag. II. pp. ep. 3.
vel qui infamiae — sunt aspersi, c. 96. conc. Afric. D. Cf. infr. c. 18, Euseb. 5.
aut sceleribus inretiti, c. 8. conc. Carth. D. aut Ben. III. 85. Cf. Anacl. 22, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xv. (Pont. 3, Fab. 25, Steph. 2, 11, Sixt. III.)
neque eos sacerdotes — sunt ordinis sec. c. 18. Angilr. med.
Quoniam sicut sacerdotes — recipiantur, Ben. III. 211. (Cf. Telesf. 1, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3, Iul. 19.)
quia servum dei — litigare, II Timoth. II. 24.
c. XIV. quia contentio — vitanda, Ben. III. 71. (Anast. II. ep. ad Anast. imper. c. 4 tit. H. no. 84). Cf. Fel. I. pp. 10.
septies enim — impiorum extinguetur, Prov. XXIV. 16—20.
ne emuleris — labia eorum loquuntur, ibid. v. 1. 2.
quia in hoc cognoscent — habueritis ad invicem, Ioann. XIII. 35.
c. XV. Si enim in rebus — aequitati tribuitur, Greg. M. ep. IX. 115. (2, 1022). Cf. Fel. II. pp. 11, Greg. M. ep. ad Fel.

[1] *Sg. Bb. Dst.* statuerint. [2] *Mut. addit:* non vis fieri. *Sg. Bb. Dst.* non vis. [3] *Mut.* non. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* de suspectis et ceteris accusatoribus. [5] *Mut.* vero. [6] *Deest in Mut.* [7] *Mut. addit:* se. [8] *Bb. ponit rubricam:* quod non rite possit sacerdotem accusare qui sacerdos fieri non potest. [9] *Sg. add.* enim. [10] *Om. Sg.* [11] *Dst.* ut. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [13] *Mut.* exultabitur. *Sg.* exaltetur. [14] *Sg. Bb. Dst.* proximis; *in Bb. m. s. XI. supra lineam additur:* alii pessimis. [15] *Mut. Bb. Sg. Dst.* nec. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.*

ius et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio! Quod ac observatione observabitur[1], si nihil potestati, sed totum aequitati tribuitur[2].

Unde constat episcopis[3] locorum singulorum omnium qui sub eorum degunt moderamine curam habere sollicitam, causas utilitatesque eorum cum dei timore disponere. Valde ergo inicum est, ut alii quilibet, omissis suis, illorum[4] causis admisceant[5], sed illi[6] eorum vitam et iuditium competenti regularique debeant moderamine disponere, qui eos in sacerdotium ordinant et a quibus iam ordinati sunt, quoniam, ut lex loquitur, maledictus est omnis qui transfert terminos proximi sui; et dicit omnis populus: Amen. XVI. Deus ergo[8], fratres, ad hoc praeordinavit vos et omnes qui summo sacerdotio funguntur, ut iniustitias removeatis et praesumptiones abscidatis et in sacerdotio laborantibus succurratis et obprobiis et calamitatibus eorum locum non praebeatis, sed ei qui calumniam vel obprobrium patitur adiutorium feratis; illum vero[9] qui calumniam vel obprobrium facit, abscidatis et domino in suis sacerdotibus opem feratis.

[XVI. Ut omnes qui summo sacerdotio funguntur iniusticias removeant et in sacerdotio laborantibus succurrant, et calumniam facientem abscidant.][7]

XVII. Sacerdotes quoque dominus sibi elegit ut sacrificent ei et offerant oblationes domino; levitas quoque[11] sub eis esse iussit in ministeriis eorum, unde ad Moysen loquitur dicens[12]: Princeps autem principum levitarum Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiae[13] sanctuarii. De his enim locutus est dominus ad Moysen: Tolle levitas pro primogenitis filiorum Israhel et peccora levitarum pro pecoribus eorum, eruntque levite mei, ego dominus. Si levitas suos esse dominus voluit, quanto magis sacerdotes sibi adcivit, de quibus ait: Si quis externorum accesserit morietur? [14]Omnia vero quae domini sunt caute tractanda sunt et non leviter praecipitanda, quoniam et inter homines pro fidelibus[15] habentur qui dominorum suorum causas bene custodiunt et fideliter tractant atque dominorum custodiunt et non transgrediuntur, pro infidelibus vero reputantur hi[16] qui[17] dominorum suorum causas incaute et neglegenter tractant et praecepta eorum despitiunt et non, ut debent, custodiunt. Haec ideo praemisimus ut cognoscatur ab his quibus incognitum est quod[18] et sacerdotes, quos sibi dominus de omnibus adscivit et suos esse voluit, non sunt leviter tractandi nec lacerandi vel temere accusandi aut reprehendendi nisi[19] a magistris suis, quoniam eorum causas sibi dominus reservare[20] voluit et suo iuditio vindicari[21]. Nam in his et aliis[22] domini praeceptis et fideles cognoscuntur[23] et[24] infideles reprobantur; tolerandi enim hi sunt potius a fidelibus quam exprobrandi[25], veluti palea cum tritico usque ad ultimum ventilabrum, sicut pisces mali cum bonis usque ad segregationem que futura est in littore, hoc est in fine saeculi[26]. Nullatenus ergo[27] potest condempnari

[XVII. De sacerdotibus et levitis.][10]

Unde constat episcopis — regularique moderamine disponere, eiusd. ep. IX. 64. (2, 981).
maledictus est omnis — populus Amen, Deuter. XXVII. 17. aut Ben. II. 381. Cf. Eus. 14, Iul. 11.
c. XVI. Deus ergo fratres — sacerdotibus opem feratis, Ben. III. 446. et Procli ep. ad Domn.
c. XVII. Princeps autem principum — ego dominus, Num. III. 32. 44. 45.
Si quis externorum accesserit morietur, ibid. I. 51.
et sacerdotes quos — iuditio vindicari sec. Ben. III. 441. et 259. aut 373. Cf. infra in eod. cap.
ut palea cum tritico — hoc est in fine saeculi, Augustini sermo 351. de util. agend. poen. I. no. 10. (5, 1360).
Nullatenus ergo potest — suo iudicio reservavit, Isid. syn. lib. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (c. 51. ibid.). Cf. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8, Iul. 19.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst.* servabitur. 2 *Mut. Dst.* retribuitur. *Sg.* tribuatur. 3 *Codd. cit.* episcopos. 4 *Bb.* aliorum se. *Sg.* illorum se. 5 *Mut.* admisceat. 6 *Deest in Sg. Bb.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus numerus.* 8 *Mut.* vero. 9 *Sg.* autem. *Dst.* enim. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus num.* 11 *Mut.* enim. *Sg. Bb.* autem. 12 *Verba:* et in sacerdotio laborantibus (c. *XVI.*) — loquitur dicens *in Bb. alia m. s. XI. scripta sunt.* 13 *Mut.* custodes. *Dst.* ecclesiae. 14 *Dst. in marg.:* sacerdotes non leviter iudicandos. 15 *Sg. Dst.* infidelibus. 16 *Deest in Sg. Dst.* qui dominorum — vero reputantur hi. 17 *Sg.* quod. 18 *Sg.* quos. *Bb. Dst.* quia. 19 *Mut.* non. 20 *Ceteri:* reservari. 21 *Sg. Dst.* iudicari. 22 *Mut.* alii. 23 *Bb. Mut.* agnoscuntur. *Om. Sg.* 24 *Sg.* ut. 25 *Mut.* exprobandi. 26 *Dst. addit:* ita. 27 *Mut.* vero. *Dst.* ergo aliquis.

humano exhamine quem deus suo iuditio reservavit, quia propositum dei quo[1] decrevit salvare quod perierat fiat[2] immobile[2]. Et ideo, quia voluntas eius non mutatur[3], nullus praesumat ea que sibi non sunt concessa; unde est illud quod apostolus loquitur dicens: Iam quidem omnino delictum est, quia iuditia habetis vobiscum, quare non magis iniquitatem patiamini[4]? quare non potius fraudamini? Ut ad illud redeatur quod dominus ait: Si quis voluerit tunicam tuam tollere et in iuditio tecum contendere, dimitte ei et[5] pallium. Et alio loco: Qui aufert quae tua sunt, ne repetas. Sunt autem quaedam quae levissima putarentur nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis umquam dicenti[6] fratri suo fatuae reum[7] gehenne putaret nisi ipsa veritas diceret?

[XVIII. Quod criminosi cavendi sint et ad emendationem compellendi, si voluntarie noluerint.][8]

XVIII. Illi vero qui illa peccata perpetrantur e quibus[9] apostolus ait, quoniam qui talia agunt, regnum dei non consecuntur[10], valde cavendi sunt et ad emendationem, si voluntariae noluerint, compellendi, quia infamiae maculis sunt aspersi, et in baratrum delabuntur nisi eis sacerdotali auctoritate subventum fuerit; similiter et illi de quibus ipse ait: Cum huiusmodi hominibus[11] nec cibum sumere, quia infamia sunt notati, antequam sacerdotali auctoritate sanentur et in gremio sanctae matris aecclesiae redintegrentur; quia qui extra nos sunt, nobiscum communicare non possunt. Manifestum est enim quod hi extra nos sunt[12] et a nobis discreti esse debent, cum quibus nos[13] nec edere nec cibum sumere licet; similiter et[14] omnes[15] persone quibuslibet turpitudinibus subiectae infames sunt effecti[16], et omnes qui adversus patres armantur infames efficiuntur.

Arenam vero et salem et massam ferri facilius est portare quam hominem inprudentem et fatuum atque impium; quoniam qui minoratur corde cogitat inania, et vir inprudens et errans cogitat[17] stulta; multos enim subplantavit suspitio illorum et in vanitate detinuit sensum[18] illorum. Cor durum male habebit in novissimo, et qui amat periculum in ipso peribit. Cor ingrediens duas vias non habebit requiem, et pravi cordis in illis scandalizabitur[19]; cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adiciet ad peccandum[20].

[XIX. Cur sancti apostoli eorumque successores voluerint difficilem esse accusationem sacerdotum.][21]

XIX. Talia cogitantes sancti apostoli eorumque successores spiritu dei repleti, malos homines[22] praevidentes[23] et simplices considerantes, difficilem aut[24] numquam[25] voluerunt esse accusationem sacerdotum, ne a malis potuissent perverti[26] aut submoveri, quia si hoc facile concederetur secularibus et malis hominibus, aut nullus aut vix perpauci remanerent, quoniam semper fuit et est, et, quod peius est, nimis viget, ut mali bonos persequentur[27], et carnales spiritales infestent; idcirco, ut prae-

Iam quidem omnino —nisi ipsa veritas diceret, August. enchirid. de fide c. 78. 79. (6, 226. 227).
c. XVIII. quoniam qui talia — consecuntur, Gal. V. 21.
infamiae maculis sunt aspersi, c. 96. conc. Afric. (D.). Cf. s. c. 13, Euseb. 5.
et in baratrum delabuntur, conc. Aquisgr. a. 836. lib. I. c. 1. Cf. Urb. 4.
similiter et illi — cibum sumere, I Cor. V. 11.
et omnes qui — infames efficiuntur, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5.)
Arenam vero et — atque impium, Ecclesiastic. XXII. 18.
quoniam qui minoratur — cogitat stulta, ibid. XVI. 23.
multos enim subplantavit — ad peccandum, ibid. III. 26—29.
c. XIX. Talia enim cogitantes etc. (Cf. Steph. 19, Sixt. II. pp. 8, Eutic. 9, Euseb. 3, Iul. 19.)

[1] *Mut. Bb.* quod. *Deest in Dst.* [2] *Desunt in Sg. Dst.; Bb.* stat immobile. [3] *Mut.* immutatur [4] *Sg. Bb. Dst.* patimini. [5] *Om. Mut. Dst. Sg.* [6] *Sg. Dst.* dicendo. [7] *Sg. Dst. add.* se. [8] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui erronee ponit num.* XIX. *Num. solus* XVIII. *in Bb.* [9] *Mut.* perpetrantur de quibus. *Bb.* perpetrant quibus. *Sg. Dst.* perpetrant de quibus. [10] *Mut. Bb. Dst.* consequentur. [11] *Mut.* hominem. [12] *Om. Sg.* [13] *Sg.* nobis. [14] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [15] *Dst. addit:* potentes. [16] *Sg. Dst.* effectae. [17] *Deest in Sg. Dst.* inania — errans cogitat. [18] *Mut. Bb.* sensus. [19] *Mut.* scandalizabuntur. [20] *Sg. Dst.* peccatum. [21] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* XIX. Quod difficile aut numquam adversum presbiterum possit accusatio. [22] *Sg. add.* spiritu. [23] *Sg.* videntes. [24] *Mut.* autem. [25] *Deest in Mut.* [26] *Sic* revertere *corr. sec. Sg.; Mut.* pervertere. *Bb. Dst.* everti. [27] *Mut.* consequantur. *Sg. Bb. Dst.* persequantur.

dictum est, statuerunt ne accusarentur, aut si aliter fieri non possit[1], perdifficilis fieret accusatio, et a quibus, [2] supradictum est, non praesumeretur, neque a propriis sedibus aut ecclesiis episcopi cicerentur. XX. Quod si quoquo modo praesumptum[4], antequam et proprius locus et sua omnia eis legibus redintegrarentur[5], nullatenus a quoquam accusarentur[6] aut criminarentur[7], et nisi sponte elegerint[8], cuiquam pro talibus[9] responderent[10], sed postquam, ut praefixum est, restituti fuerint et sua omnia eis legibus redintegrata dispositis ordinatisque suis magnum spatium tractandi[11] causa[12] eis concederetur. Et postea, si necesse fuerit, regulariter vocati venirent ad causam, et si iustum[13] visum fuerit, accusantium propositionibus sustentatione[14] fratrum responderent. Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus eorum bona vel ecclesias[15] atque res ab emulis aut a quibuscumque detinentur, ut aliquid illis obiicere[16] debeat[17], nec quicquam potest eis quoquo modo quilibet maiorum vel minorum obicere, dum ecclesiis vel[18] rebus aut potestatibus carent suis.

[XX. Quod episcopi loco et rebus suis spoliati accusari non possint.][3]

XXI. Similiter statutum est et nos eadem statuta firmantes statuimus, ut si aliquis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator[20] fuerit eosque criminari temptaverit, aut conspirator fuerit, ut[21] mox ante examinatum iuditium submotus a clero curiae tradatur, cui diebus vitae suae deserviat et infamis absque ulla restitutionis spe permaneat.

[XXI. De clericis insidiantibus episcopis suis.][19]

XXII. Nec ullus umquam praesumat accusator simul esse et iudex vel testis, quoniam in omni iuditio quatuor personas necesse est semper adesse, id est iudices electos et accusatores ac defensores atque testes. [23] Similiter statuentes apostolica auctoritate iubemus, ne pastorem suum oves quae ei commissae fuerant[24], nisi in fide erraverit, reprehendere audeant, quia facta propositorum[25] oris gladio ferienda non sunt, neque potest esse discipulus super magistrum, dicente veritatis voce: Non est discipulus super magistrum[26] nec servus super dominum suum. Odibilis autem coram deo et hominibus est[27] superbia et execrabilis omnis iniquitas; perdidit[28] deus memoriam superborum et reliquid[29] memoriam humilium sensu. Semen hominum honorabitur hoc quod timet deum. Semen autem hoc exhonora-

[XXII. Quod nullus simul esse possit accusator, iudex et testis et quod in omni iuditio necesse sit, IV adesse personas et quod oves pastorem suum reprehendere non audeant.][22]

c. *XX. Quod si quoquo modo — responderent* sec. Syn. III. Symm. et Ben. III. 116. i. f.
c. *XXI. Similiter statutum est — ulla restitutionis spe permaneat* sec. ep. cod. Par. supp. lat. 215. ad c. 5. l. Rom. Visig. c. Th. XVI. 1. Cf. Pii 10, Steph. 12.
c. *XXII. Nec ullus umquam — iudex vel testis*, epit. Aeg. ad c. un. C. Th. II. 2. aut Ben. III. 152. (Cf. Dam. 16.)
quoniam in omni iuditio — atque testes, Cap. incerti anni, cui interfuit Bonif. c. 18. aut Ben. III. 339.
ne pastorem suum oves — reprehendere audeant sec. Isid. sent. III. 39. no. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Corn. 4, Euseb. 11, Symm. syn. V, Joann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.
quia facta propositorum — ferienda non sunt, Greg. M. reg. past. III. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Cf. Euseb. 11, Symm. syn. V, Ioh. I. pp. ep. 1, Greg. M. ep. ad Fel. (Pelag. II. pp. ep. 3).
Non est discipulus — dominum suum, Matth. X. 24.
Odibilis autem — superborum, Ecclesiastic. X. 7.
perdidit memoriam — erunt in oculis eius, ibid. v. 21. 23. 24.

1 *Sg. Bb. Dst.* posset. 2 *Bb. addit:* ut. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.; Par.* 840 *in marg.:* episcopus expoliatus vocari ad iuditium non debet. 4 *Mut. Sg. Dst. addunt:* fuerit. *Bb.* fuerit (*et m. s. XI.*) statuerunt ut. 5 *Dst. in marg.:* in aliis redintegrentur. 6 *Dst. in marg.:* in aliis accusentur. 7 *Dst. in marg.:* criminentur vel nulli. 8 *Sg. Dst.* eligerent. 9 *Mut. addit:* non. 10 *Bb. ponit rubricam:* nullus episcoporum accusandus est, qui suis non utitur. 11 *Mut.* ad tractandi. 12 *Sg.* causam. *Dst. addit:* in. 13 *Bb. Sg.* iuste. 14 *Sic* sustentione *corr. sec. Sg. Bb. Dst.; Mut.* sustentationem. 15 *Mut. Sg. Dst.* ecclesiae. 16 *Mut.* obiici. 17 *Dst.* debeant. 18 *Sg.* aut. 19 *Sec. Bb. Par.* 4280 *AA, Dst.; Par.* 840 *in marg.:* nullus clericus suo episcopo insidietur. 20 *Mut.* insidiatus. 21 *Deest in Sg. Bb. Dst.; Mut.* aut. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb. Par.* 840 *in marg.:* nemo simul sit acusator, testis et iudex. 23 *Cod. et Dst. in marg.:* oves accusare pastores nequeunt. *Bb. ponit rubricam:* ne sit uno tempore quis accusator et iudex vel testis et de quattuor personis requirendis in iuditio. 24 *Sg. Bb. Dst.* fuerint. 25 *Mut. Sg. Dst.* praepositorum. 26 *Deest in Mut. Sg.* non est discip. s. magistrum. 27 *Sg. Dst. addit:* omnis. 28 *Sg. Bb. Dst.* perdit. 29 *Codd. cit.* relinquit.

bitur hominum[1], quod praeterit[2] mandata domini. In medio fratrum rector illorum in honore, et qui timent dominum erunt in oculis eius. Fili[3], ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam et da illi honorem cui honor competit. Priusquam interroges ne vituperes quemquam et cum interrogaveris, corripae iustae. Priusquam audias ne respondeas verbum, et in medio seniorum ne aditias loqui. [4] Exemplo Cham filii Noae dampnentur[5], qui patrum suorum culpas in publicum[6] prodeunt[7], aut eos[8] accusare vel detrahere praesumunt, veluti Cham qui patris sui Noe[9] pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Similiter et illi exemplo Sem,[10] Iafhet iustificantur, qui reverenter operiunt et non prodeunt[11] ea quae patres suos excessisse cognoscunt. XXIII. Si enim a fide deviaverit episcopus, erit corrigendus prius secrete a subditis; quod si incorrigibilis, quod absit, apparuerit, tunc erit accusandus ad primates suos aut ad sedem apostolicam. Pro aliis vero actibus suis magis est tolerandus ab ovibus[13] et subditis suis quam accusandus aut publice derogandus, quia cum eis a subditis delinquitur, eius ordinationi obviatur qui eos eis[14] praetulit dicente apostolo: Dei ordinationi resistit qui potestati resistit. Qui vero omnipotentem deum[15] metuit nec contra evangelium nec contra apostolos nec contra prophetas[16] vel[17] sanctorum patrum instituta agere aliquid ullo modo[18] consentit. XXIV. Sacerdotes ergo honorandi sunt, non lacerandi vel exprobrandi[20], sicut legitur in aecclesiaste: In tota anima tua time deum, et sacerdotes illius sanctifica; in omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros eius non derelinquas. Honora deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes, et propurga[21] te cum brachiis; da illi partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum et purgationis et de[22] negligentia purga te cum paucis[23]. Datum brachiorum tuorum et sacrifitium sanctificationis offerens domino et initia sanctorum et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. Haec non tantummodo vobis, sed omnibus fratribus per vos nota fieri volumus, ut unanimes unum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed deo salvatori nostro placentes, cuius[24] est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen. Data XIV. Kal. Novembr. Maximo et Africano vv. cc. conss.[25]

[XXIII. De episcopo qui a fide deviat.][12]

[XXIV. De sacerdotibus honorandis.][19]

Fili ait Salomon — cui honor competit, Ecclesiastic. X. 31.
Priusquam interroges — ne aditias loqui, ibid. XI. 7. 8.
Exemplo Cham filii Noae — excessisse cognoscunt, Isid. sent. III. 39. no. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Anacl. 38.
tunc erit accusandus — sedem apostolicam sec. Ben. III. 153. i. f. (int. c. 12. C. Th. XVI. 2).
c. XXIII. Si enim a fide — a subditis, Isid. l. c. no. 5. 6. aut conc. cit. l. c. Cf. Clem. 42, Anacl. 39, Calist. 3.
quia cum eis — eis praetulit, Greg. M. reg. past. III. 10. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Cf. Greg. M. ad Fel.
Dei ordinationi — resistit, Rom. XIII. 2.
qui vero omnipotentem — ullo modo consentit, Greg. M. ep. V. 43. (2, 771).
c. XXIV. Sacerdotes ergo — exprobrandi sec. Ben. I. 322.
In tota anima — et benedictio tua, Ecclesiastic. VII. 31—36.
ut unanimes unum — in saecula saeculorum, Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. fin. (H. no. 7).
Not. cons. des. e vit. Fab. c. 1. in libr. pontif.

1 *Deest in Mut.* 2 *Bb.* praeteriit. 3 *Mut.* Filii. *Dst. in marg.:* Salomon. 4 *Bb. ponit rubricam:* qualiter damnantur qui sacerdotum culpas prodeunt. *Dst. in marg.:* proditores. 5 *Mut. Sg. Bb. Dst.* damnantur. 6 *Sg. Bb. Dst.* publico. 7 *Codd. cit. Mut.* produnt. 8 *Sg. Dst.* et *pro* aut eos. 9 *Deest in Dst.* 10 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* et. 11 *Mut. Sg. Dst.* produnt. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Cod. Par.* 840 *ante* si enim *in textu addit:* Incipit de accusatione episcoporum. 13 *Sg. Dst.* omnibus. 14 *Deest in Sg.* 15 *Om. Mut.* 16 *Mut.* apostolophetas. 17 *Sg. Dst.* aut. 18 *Deest in Dst.* ullo modo. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 20 *Bb.* exprobandi. 21 *Mut. Sg. Bb. Dst.* purga. 22 *Deest in Mut. Bb.* et de. 23 *Mut.* brachiis. 24 *Mut. Sg. Dst.* cui. 25 *Nota consul. deest in Sg. Dst.*

DECRETA FABIANI.[1]

XXV. Dilectissimo fratri HILARIO episcopo FABIANUS. [XXV. De sacerdotibus non vexandis et qui non possint esse sacerdotum accusatores.][2]

Divine circa nos gratiae memores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius[3] inherentes et in quadam sacerdotium[4] eius specula constituti prohibeamus inlicita, et sequenda doceamus. Intantum enim in occiduis partibus quibus moraris audivimus astutiam diaboli sevire in populum christianum atque in multiplici deceptione prorumpere, ut non solum laicos saeculares, sed ipsos quoque domini sacerdotes premat atque vexetur[5]. Unde in grandi merore positi dissimulare non possumus quod corrigere atrociter debemus, quapropter competens adhibenda est[6] medella[7] vulneribus, ne inmatura curandi facilitas mortifera capitis pestem irroget, sed segnius[8] frustrata[8] pernicies reatu non legitime curationis involvat pariter sautiatos et medentes. [9]Ob id ergo statuentes decernimus, ut hi qui non sunt bone conversationis aut quorum vita est accusabilis aut quorum fides, vita et libertas nescitur, non possint domini sacerdotes accusare, nec viles personae ad accusationem eorum admittantur. [10]Similiter hi qui in[11] aliquibus criminibus inretiti sunt[12] vel qui sunt suspitiosi, vocem adversum maiores natu non habeant accusandi, quia suspitiosa vox et inimica veritatem[13] solet opprimere. XXVI. Peregrina vero iuditia salva in omnibus apostolica auctoritate generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab externis[15] iudicetur, qui provintiales et a se electos debet habere iudices, nisi fuerit[16] appellatum. Unde oportet, si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in provintia episcopis, quia non oportet accusatum alicubi quam in foro[17] suo audiri. XXVII.[19] Si quis vero iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, appellantem autem non debet[20] afflictio ulla aut detentionis iniuriare[21] custodiam[22], sed

[XXVI. De peregrinis iudiciis prohibendis.][14]

[XXVII. Ut si quis iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat.][18]

c. XXV. *Divine circa nos — et sequenda doceamus*, init. Hilar. ep. ad Acac. (H. no. 76). Cf. Zeph. 1, Marcelli 1, Pelag. II. pp. ep. 3.
Intantum enim in — pariter sauciatos et medentes, init. Fel. III. ep. ad Sicil. (H. no. 79).
competens adhibenda usque ad finem epistolae. Eadem leguntur in Sixt. III. pp. ep.
ut hi qui non — est accusabilis, Cap. ecclesiast. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13, Steph. 12 (Fel. I. pp. 12), Pelag. II. pp. ep. 3. (Cf. c. 13. Angilr.)
aut quorum fides — nescitur, Ben. II. 359. III. 112. aut c. 13. Angilr. Cf. Calist. 17, Fab. 13, Steph. 12, Pelag. II. pp. ep. 3.
nec viles personae — eorum admittantur, Cap. ecclesiast. a. 789. c. 45. aut Ben. II. 362. aut c. 13. Angilr. Cf. Anacl. 19, Calist. 17.
Similiter hi qui — habeant accusandi, c. 14. Angilr. (Ben. III. 85. aut c. 8. conc. Carth. D.) Cf. Anacl. 22, Pont. 3, Fab. 13, Steph. 2, 11, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xv.

c. XXVI. *Peregrina vero iuditia — habere iudices*, Ben. III. 309. aut c. 16. Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1). Cf. Anacl. 15, Vig. 4, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12.
Unde oporteat, si aliquis — provintia episcopis, c. 26. Angilr. aut Ben. II. 381. III. 104. (c. 15. conc. Ant. D.). Cf. Euseb. 11, Fel. II. pp. 12. xviii., Symm. syn. V, Ioann. I. pp. ep. 1. (Steph. 10.)
quia non oportet — foro suo audiri, Angilr. 32. (Ben. III. 332. des. ex interpr. nov. Valent. tit. 34).
c. XXVII. *Si quis iudicem — vocem appellationis exhibeat*, c. 4. aut c. 31. Angilr. (Ben. III. 240, add. III. 25. aut interpr. nov. Valentin. tit. 34). Cf. Fel. I. pp. 14.
appellantem autem non — destinarit, c. 33. 34. Angilr. (epit. cod. Par. supp. lat. 215. ad c. 1—3. l. Rom. Visig. C. Th. XI. 8. cf. Ben. III. 333. 251).

[1] *Deest inscriptio in Mut.; Bb. Dst.* Cuius supra ad hilarium episcopum; *Sg.* Epistola Fabiani papae. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [3] *Sg. Dst.* illius. [4] *Mut. Sg. Bb. Dst.* sacerdotum. [5] *Sg. Bb. Dst.* vexet. [6] *Codd. cit. addunt:* talibus. [7] *Mut. addit:* eis. [8] *Sic corr.* regni. *Mut. Bb.* mortifera capitis peste nihil possit, sed segnius tracta. *Dst.* mortiferam capitis pestem inroget et ne diu frustrata. *Sg.* mortiferam capitis pestem irroget, sed neque sequi frustrata. [9] *In marg.:* Qui sunt qui accusare nequeunt. *Bb. rubricam ponit:* de accusatione episcoporum. [10] *Ante* Similiter *cod. in textu addit:* de accusationibus episcoporum. *Bb. in marg.:* de criminosis, suspectis et inimicis. [11] *Sg. om.* [12] *Deest in Sg. Dst.* [13] *Mut.* veritate. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* [15] *Sg. Dst.* exteris. [16] *In Sg. post. manu additur:* ad nos. [17] *Bb.* iure; *supra lineam m. s. XI. additur:* alii in foro. [18] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [19] *Sg. ante* Si quis etc. *ponit:* Ut si quis iudicem faventem sibi senserit, vocem defensionis. [20] *Bb.* habet. *Dst.* habeat. *Sic in Sg.* habet *manu post. corr.* [21] *Bb. Dst.* iniuriae; *Sg.* iniuriosae. [22] *Codd. cit. Mut.* custodia.

liceat appellatori[1] vitiatam causam[2] appellationis remedio sublevare. Liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec vox appellandi denegetur ei quem in supplitio[3] sententia destinarit.

[XXVIII. De eo qui pulsatur ante iudicem et de eo qui iratus crimen alicui obicit et quod scriptura probandum sit obectum crimen.][4]

XXVIII. [5]Pulsatus ante suum iudicem causam dicat, et non suum iudicem ante pulsatus si voluerit taceat, et ut pulsatis[6] quoties appellaverint[7] indutiae[8] caedantur[9]. Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temere obicerit[10], convitium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio id quod iratus dixit per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si fortasse resipiscens quae[11] pro[12] iracundia dixit iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. Omnis ergo qui crimen obicit scribat se probaturum revera; semper[13] causa agatur, ubi crimen admittitur, et qui non probaverit quod obiecit[14], poenam quam intulerit ipse patiatur.

XXIX. De episcopo accusato qui appellat apostolicam sedem.][15]

XXIX. Placuit etiam ut[16] si episcopus accusatus appellaverit ad[17] apostolicam sedem, id statuendum quod eiusdem sedis pontifex censuerit[18]; hec tamen omnino in sacerdotum causa forma servetur[19], ne quemquam sententia non a suo iudice dicta constringat. Occurrere quoque quisque fidelium ruinis debet oppressorum et miserorum subsidio, quo valeant[20] ex relevatione aliene vindictae a se dei removere vindictam. Libat enim domino prospera qui ab afflictis pellit adversa, unde scriptum est: Frater fratrem adiuvans exaltabitur. Ecclesia enim dei sine macula et ruga debet existere et ideo non oportet eam a quibusdam conculcari aut maculari[21], quia scriptum est: Una est columba mea, perfecta mea. Hinc iterum dominus ad Moysem ait[22]: Est locus poenes me et stabis[23] super petram[24]. Quis est locus qui non sit domini, dum cuncta in ipso per quem creata sunt continentur[25], sed[26] tamen locus apud eum[27], videlicet sanctae ecclesiae unitas, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas[28] humiliter tenetur.

[XXX. De praecipitio detractionis irae et accusationis fugiendo.][29]

XXX. Te, frater, et omnes fratres nostros ecclesiam[30] Christi sanguine redemptam[31] regentes monemus, ut omnes a praecipitio in quo fratres et domini pastoribus detrahendo et persequendo verbis et factis labuntur, laqueis quibus potestis retentetis et labi eos in ima non permittatis, quia scriptum est: Ira viri iustitiam dei non operatur. Hinc[32] rursum dicitur: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus[33] ad loquendum et tardus ad iram. Haec autem vos auctore deo omnia servare non ambigo, sed occasione admonitionis exorta bonis[34]

c. XXVIII. Pulsatus ante — induciae caedantur, Ben. III. 367. aut c. 3. (bis) Angilr. (ep. cit. ad c. 4. l. R. Visig. C. Th. II. 1).

Si quis ergo iratus — ut reus criminis teneatur, epit. cit. ad c. 3. l. R. Visig. C. Th. IX. 1. aut Ben. III. 364. aut c. 46. Angilr.

Omnis ergo qui — ipse patiatur, epit. cit. ad c. 4—6 tit. C. Th. cit. aut Ben. III. 365. aut c. 47. 48. Angilr. (Cf. Dam. 19.)

c. XXIX. Placuit etiam — pontifex censuerit, epit. Hadriani c. 3. conc. Sard. aut Ben. III. 315. aut c. 20. Angilr. Cf. Iul. 12.

haec tamen omnino — dicta constringat, Ben. III. 347. aut c. 37. Angilr. (c. 2. C. Th. IV. 16). Cf. Zeph. 5, Euseb. 17, Iul. 18.

Occurrere quoque quisque — pellit adversa, c. 11. (bis) Angilr. (Ben. II. 323. III. 221. aut c. 2. conc. VIII. Tolet.) Cf. Dam. 23, Pelag. II. pp. ep. 3.

Frater fratrem — exaltabitur, Prov. XVIII. 19.

una est columba mea — soliditas humiliter tenetur, Greg. M. ep. IX. 52. (2, 967).

c. XXX. quia scriptum est — iam non soli faciatis, eiusd. ep. IX. 122. (2, 1030).

1 *Mut.* appellatorem. 2 *Sic corr. sec. Dst. Reliqui codd.* vitiatum causa. 3 *Mut.* publico. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb. Par.* 840. *Dst. in marg.:* non ante suum pulsatus iudicem taceat. 5 *In Sg. in textu initio cap. legitur:* de eo qui pulsatus ante iudicem et de eo qui iratus crimen alicui obicit et quia scriptura probandum sit obiectum crimen. 6 *Dst.* pulsatus. 7 *Sic corr.* appellaverit *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 8 *Addunt Bb. Sg.* eis, *Dst.* ei. 9 *Sg. Mut. Bb. Dst.* dentur. *Cod. et Dst. in marg.:* irati crimen conditium (*Dst.* convicium) est. 10 *Sg. Dst.* obiecerit. 11 *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* quo. 12 *Mut.* per. 13 *Sg. Bb. Dst. add.* ibi. 14 *Mut.* obicit. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ante* de episcopo *addit:* item de eadem re fabianus in tertia epistola ita ait, *quae verba etiam in textu Mut. ante:* Placuit etiam *inveniuntur. Bb.* ut qui non probare poterit quod obicit ipse paenam quam intulit patiatur. 16 *Om. Sg.* 17 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 18 *Mut.* statuerit. 19 *Sg.* sit forma *pro* forma servetur. 20 *Sg. Bb. Dst.* valeat. 21 *Mut.* conculcare aut maculare. 22 *Bb.* dixit. 23 *Bb.* stabilis. *Sg.* stabit. 24 *Mut.* petra. *Bb.* terram. 25 *Sg. Dst.* continet. 26 *Mut.* est. 27 *Sg. Bb. Dst. addunt:* est. 28 *Bb.* solidatas. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* 30 *Sic sec. Mut. Sg. Dst. Bb. corr.* ecclesia. 31 *Sic sec. codd. cit. corr.* redemptare. 32 *Sg.* Huic. 33 *Bb. addit:* autem. 34 *Om. Sg.*

vestris desideriis et operibus me furtive subiungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis admonens[1] additur[1] iam non soli faciatis. Quapropter fratres oportet vos et omnes fideles diligere in[2] invicem et non detrahere aut accusare alterutrum. Scriptum est enim: Dilige proximum et coniungere[3] fide cum illo. Quod si denudaveris[4] absconsa illius, non persequeris post eum[5]. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amititiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum et non eum capies. Non illum sequaris[6], quoniam longe abest, effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima eius. Ultra eum[7] non poteris conligare, et maledicta est concordatio. Denudare autem amici misteria desperatio est anime[8] infidelis. Annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abiciet; in conspectu oculorum tuorum conculcabit[9] os suum et super sermones tuos admirabitur: novissime autem pervertet os suum et in verbis tuis dabit scandalum. Multa audivi et non coequavi ei, et dominus odiet[10] illum. Qui[11] altum mittit lapidem, super caput[12] eius cadit[13], et plaga dolosa[14] dolosi dividet vulnera; qui fodit foveam decidet in illam, et qui statuit lapidem proximo offendet in eo, et qui alii laqueum ponit peribit in illo. Fatienti consilium[15] nequissimum[16] super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniet illi. Inlusio et improperium superborum et vindicta sicut leo insidiabitur illis[17]. Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur. Ira et furor utraque exsecrabilia, et vir peccator continens erit illorum. Qui vindicari vult a deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te[18], et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini servat iram et a deo quaerit medellam. In hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur altissimum. Ipse dum caro sit servat iram et propitiationem petit a deo? Qui exorabit pro delictis illius[19]? Memento novissimorum[20] et desine inimicari. Tabitudo enim et mors inminent[21] in mandatis. Memorare timorem dei et non irascaris proximo. Memorare testamenti altissimi et despice ignorantiam proximi[22]. Abstine te a lite et minues peccata: homo enim iracundus incendit litem et vir peccator turbabit amicos et in medio pacem habentium inmittet inimicitiam. Secundum enim ligna silvae sic ignis exardescit et secundum virtutem hominis iracundia illius erit et secundum substantiam suam, sic[23] exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendet ignem et lis festinans effundet sanguinem et lingua testificans adducet mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit, et si expueris super illam, extinguetur et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit[24] pacem habentes. Lingua tertia multos commovit et dispersit illos a gente in gentem, civitates muratas divitum destruxit et domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres[25] veritas[26] eiecit[27] et privavit illas de laboribus suis. Qui respicit illam non habebit requiem nec habitabit in[28] requie. Flagelli[29] plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuit[30] ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quomodo qui interierunt per[31] linguam suam[32]. Beatus est[33] qui tectus[34] est a lingua nequam

Dilige proximum et — continens erit illorum, Ecclesiastic. XXVII. 18—33. *Qui vindicari vult — casus tuus insanabilis in mortem,* l. c. XXVIII. 1—30.

[1] *Sg. Bb. Dst.* et a nobis dicitur, *quod in Bb. corrigitur in:* adicitur. [2] *Om. Dst. Sg.* [3] *Sg.* coniunge. [4] *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* denudaberis. *Mut.* denudabis. [5] *Dst.* illum. [6] *Dst.* sequeris. [7] *Dst.* enim. [8] *Sg. Dst.* anima. [9] *Dst.* condulcabit. [10] *Sic sec. Mut. Bb. Dst. Sg. corr.* audiet. [11] *Codd. cit. addunt:* in. [12] *Addidi ex codd. cit.* [13] *Sg. Dst.* cadet. [14] *Om. Sg.* [15] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [16] *Codd. cit. addunt:* iuditium. [17] *Sg. Bb.* illi. [18] *Om. Sg.* [19] *Mut. Sg.* suis. [20] *Mut. addit:* tuorum. [21] *Sg. Dst.* imminet. [22] *Bb. addit*: tui. [23] *Deest in Bb.* [24] *Bb.* turbabit. [25] *Mut.* mulieris. [26] *Mut.* verita ei. *Bb.* veritat, *quod in* viratas *corrigitur. Dst.* veteranas. [27] *Deest in Mut.* [28] *Sg. Bb. Dst.* cum. [29] *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* Flagella, *quod etiam antea Bb. exhibebat.* [30] *Dst.* comminuet. [31] *Deest in Sg. Dst.* [32] *Deest in Mut. Dst.* lingua sua. [33] *Deest in Bb. Sg. Dst.* [34] *Dst.* intactus.

et qui in iracundiam[1] illius[2] non transivit[3] et qui non adtraxit iugum eius et vinculis illius[4] non est ligatus. Iugum enim illius iugum ferreum est et vinculum illius vinculum aereum est; mors illius mors nequissima et utilis potius inferus quam illa. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum[5] et flamma sua non comburet iustos. Qui derelinquunt deum, incidunt in illam et exardescet in illis et non extinguetur, et inmittetur in illos quasi leo et quasi pardus ledet illos. Sepi aures tuas spinis et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito hostia et seras auribus tuis. Aurum tuum et argentum confla et verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos, et[6] adtende ne forte labaris in lingua tua et cadas in conspectu[7] inimicorum insidiantium tibi et sit casus tuus insanabilis in mortem. Ista caveant omnes et cohibeant linguas suas[8] a malo, et labia tua[9] ne loquantur dolum. De cetero, karissimi, confortamini in domino et in potentia virtutis eius, induite vos armatura[10] dei, ut possitis stare[11] adversus insidias diaboli, quia non est nobis conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus[12] mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitie in caelestibus. Propterea accipite armaturam dei ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate et[13] induti[14] lorica[15] iustitiae et calciati[16] pedes in praeparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea[17] extinguere. Et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum dei. Haec frater que tibi scripsimus generaliter omnibus notum[18] fieri volumus, ut quae ceteros[19] tangunt, omnibus[20] nota[21] fiant. Omnipotens deus te, frater, et reliquos fratres nostros[22] ubique consistentes protegat usque in finem, qui cunctum mundum dignatus est redimere Iesus Christus dominus noster qui est benedictus in saecula, Amen[23]. Data XVII. Kal. Novemb. Africano et Decio vv. cc. conss.

INCIPIUNT DECRETA CORNELII PAPAE.

DE TRANSLATIONE CORPORUM APOSTOLORUM ET QUIBUSDAM HERETICIS.[24]

[I. De translacione corporum apostolorum Petri et Pauli facta rogatu nobilissime matrone Lucine.][25]

I. Karissimis atque dilectissimis sanctae dei ecclesiae filiis et omnibus domino recta fide famulantibus CORNELIUS episcopus.

Fidens[26] de[26] caritatis vestrae benevolentia quia apostolorum amatores estis eorumque fidem et doctrinam tenetis, decrevi vobis scribere deo auctore quaedam ex his que nunc temporis necessaria sunt sciri et que apud nos in ecclesia auxiliante domino Romana meritis apostolorum nuper acta sunt sive geruntur, quoniam patrocinante caritate credo vos paterna gratia scripta sedis apostolice libenter suscipere et mandata eius peragere atque de eius profectibus gratulari, quia quisquis se in radice[27] caritatis inserit, nec a viriditate deficit nec a fructibus inanescit,

Ista caveant — ne loquantur dolum, Ps. XXXIII. 14.

De cetero karissimi — quid est verbum dei, Ephes. VI. 10—17.

Omnipotens deus te — benedictus in saecula, Amen, Greg. M. ep. IX. 52. (2, 972).

Nota cons. des. e vit. Fab. c. 1. in libr. pontif.

c. I. paterna gratia — libenter suscipere, init. Greg. M. ep. X. 48. (2, 1076).

quia quisquis se — munimine solidare, init. Greg. M. ep. IX. 108. (2, 1013). Cf. Marcelli 5.

1 *Dst.* iracundia. 2 *Mut. Sg. Bb.* ipsius. 3 *Bb.* transibit. 4 *Mut.* eius. 5 *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* iustorum. 6 *Deest in Mut.* 7 *Addidi ex Mut. Bb. Dst.* 8 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 9 *Codd. cit. Mut.* eorum. 10 *Sg. Bb. Dst.* armaturam. 11 *Sg. Dst.* resistere. 12 *Deest in Dst.* 13 *Om. Dst.* 14 *Bb.* induite. 15 *Sg.* loricam. 16 *Bb.* calciate. 17 *Bb. Dst.* nequissima *pro* nequissimi ignea. 18 *Dst.* nota. 19 *Sg.* quia caeteri. *Dst.* qui corde. 20 *Deest in Dst.* 21 *Dst.* noti. 22 *Deest in Dst.* 23 *Deest in Dst.* Iesus Christus — Amen. 24 *Deest inscriptio in Mut. Dst. in inscriptione omisit* et quibusdam hereticis, *addens:* petri et pauli facta rogatu nobilissimae matronae lucine. *Sg.* Epistola sancti Cornelii papae de translatione apostolorum et Novato heretico manifestato et exhortatio necessaria. 25 *Sec. Par.* 4280 *AA. In Bb. solus num. Dst., qui rubricam cum inscriptione coniungit, omisit num.* 26 *Mut.* fides. 27 *Sg.* radicem.

nec amore fecunditatis[1] opus efficax amittit[2]. Ipsa enim[3] caritas exercet corda fidelium, sensus conroborat, ut nihil grave, nihil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur, dum eius[4] sit proprium nutrire concordiam, servare mandata atque compagini dissociata[5] coniungere, prava dirigere et ceteras virtutes perfectionis suae munimine solidare. Quapropter rogo vos nobis congratulari, quia rogatu cuiusdam devotae feminae atque nobilissimae matronae Lucinae levata sunt corpora apostolorum Petri et Pauli de catacumbis: et primo quidem beati Pauli corpus levatum silentio ac positum est in praedio[6] praedictae matronae via Ostensi[7] ad latus[8] ubi decollatus est. Postea vero beati apostolorum principis Petri accepimus corpus et condecenter posuimus illud[9] iuxta locum ubi crucifixus est inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis, in monte Aureo in Vaticanum[10] palacii Neroniani[11] tertio Kalendarum Iuliarum die, orantes deum et[12] dominum[13] Iesum Christum, ut intercedentibus sanctis[14] apostolis maculas vestrorum purget peccatorum et in sua vos conservet voluntate diebus vitae vestrae et in fructu boni operis vos perseverabiles reddat. Vos vero his congaudete, quia et ipsi sancti apostoli de vestro congratulantur gaudio. Vos semper deum laudate, ut[15] ipse glorificetur in vobis; scriptum est enim: Quid retribuam domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Tantum enim[16] a nobis exigitur quantum possumus famulatus nostri obsequio commendare[17]; unde quidem tanto nos necesse est inportunis praedicationibus insistere, quanto nobis perfecte negotiationis creditur duplicata[18] talentorum adsignatio atque dominice vocis ad suscipiendam eius requiem suadet assertio.

[II. De Novato et Novaciano atque Nicostrato ereticis et de his qui cum Maximo presbitero post eresim ad catholicam fidem sunt reversi.][19]

II. Haec invidens antiquus hostis suscitavit nobis adversarium Novatum rectae fidei et sanctae doctrinae aemulum, qui extra ecclesiam ordinavit Novatianum et in Africa Nicostratum, utrosque hereticos sicut ille erat. [20] Hi vero[21] conatibus quibus potuerunt, multos a recta et catholica fide suadentes recedere fecerunt et post se in perversam et deo odibilem doctrinam[22] corruere persuaserunt. Sed sicut istorum tergiversationibus nimis[23] contristati et de eorum perditione contriti, sic de[24] aliorum conversatione[25] domino auxiliante sumus letificati. Deus autem omnipotens qui tristibus miscet leta, oppido nos laetificavit, quod quidam confessores qui dudum fuerant fideles[26], a nobis et a recta fide diabolo instigante se separantes[27], cum Maximo presbitero ad ecclesiam catholicam et fidem rectam sunt reversi et denuo sicut prius fuerunt, facti sunt confessores fideles. Quapropter, karissimi, hortamur vos et depraecamur per dominum nostrum Iesum Christum, ut et praedictos hereticos et omnes quos a recta fide et doctrina apostatare cognoveritis, [28] exortationibus et bonis studiis vestris ad catholicam fidem et rectam doctrinam convertere contendite[29] et in dei voluntate persistere suadete[30], et non solum hos, sed omnes qui nondum fidem rectam perceperunt, ad catholicam fidem adducere[31] festinate[32], quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque instantia neque

Quapropter rogo vos — Iuliarum die sec. vit. Corn. c. 4. in libr. pontif.

scriptum est enim — nostri obsequio commendare, Martin. I. ep. ad Amand. (Mansi 10,1185). Cf. Lib. 2.

unde quidem tanto — requiem suadet assertio, ep. cit. (l. c. 1184). Cf. Lib. 2.

c. II. Haec invidens antiquus — confessores fideles sec. vit. Corn. c. 2. i. libr. pontif.

quia neque mors — largienda sunt munera, Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182. 1183). Cf. Lib. 2, Dam. 20, Pelag. II. pp. ep. 1.

[1] *Bb.* facunditatis. [2] *Sg.* admittit. [3] *Sg.* autem. [4] *Sg. Bb. Dst.* ei. [5] *Sic corr.* conpagani sotiata *sec. Bb.; Sg. Dst.* conpagini sociata; *Mut.* compaga dissociata. [6] *Dst.* praedium. [7] *Sg.* Ostiensi. [8] *Bb.* litus. [9] *Dst.* illic. [10] *Mut. Sg. Bb. Dst.* Vaticano. [11] *Dst.* Neronis. [12] *Deest* deum et *in Mut.* [13] *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* nostrum. [14] *Deest in Dst.; Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* suis. [15] *Mut. Dst.* et. [16] *Om. Sg.* [17] *Codd. cet.* commodare. [18] *Dst.* duplicatio. *Sg.* duplicatio et. [19] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [20] *Bb. ponit rubricam:* de Novato. [21] *Om. Sg.* [22] *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* doctrine. [23] *Codd. cit. addunt:* sumus. [24] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [25] *In Sg. manu post. corr. in:* conversione. [26] *Deest in Sg. Dst.* [27] *Sg.* separentes, *quod manu post. corr. in:* separati. [28] *Sg. add.* et. [29] *Dst.* contendatis. *Deest in Sg.* [30] *Dst.* suadeatis. *Sic Sg. manu post. corr.* [31] *Mut. Sg. Bb. Dst.* perducere. [32] *In Sg. manu post. corr. in:* festinetis.

futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum[1] neque creatura alia magistro gentium docente poterit nos separare a caritate domini nostri Iesu Christi et quae in ipso est recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad conluctationes adversariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conservantes repromissionem percipiamus[2] quam repromisit his qui legitime certare[3] deproperant. Adhuc enim modicum quantulum[4], qui venturus est, veniet et non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam adsistit[5], coronas hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur. Quod si subtraxerit se quis, non placebit animae meae, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis[6] in perditionem[7], sed fidei in adquisitionem animae. Propter quod adsumite arma dei, ut possitis resistere in die malo[8] adversus omnes inimicos sanctae dei ecclesiae et vestros, et induite vos lorica[9] iustitiae et[10] caltiati pedes in praeparatione evangelii pacis, in omnibus adsumentes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi ignita[11] extinguere; et galeam salutis accipite et gladium spiritus quod est verbum dei, per omnem orationem[12] et obsecrationem radicati et fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu domino nostro. Sed et nunc, fratres, commendamus omnes vos domino et verbo gratiae eius, qui potest perficere et dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut vobis invicem succurratis et non sitis divisi, ut unanimes uno ore et uno corde honorificemus[13] eum in concordiam et consolationem fratrum, qui potens[14] est[14] confirmare nos secundum evangelium eius iuxta revelationem misterii[15] aeterni[16], temporibus scilicet perpetuis, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis quod illi qui fratribus invident eosque damnare atque[17] perdere cupiunt, pro[18] se sua dogmata destruunt. Dicit enim dominus: Omne regnum in se divisum non stabit, et omnis scientia[19] et lex adversum se[20] divisa non stabit. Ideoque necesse est ut concorditer salubres suscipiatis hortatus et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis. Data VII.[21] Idus Septemb. Decio et Maximo[22] vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA RUFO ORIENTALI EPISCOPO DIRECTA.

NE SACERDOTES DOMINI SICUT VULGUS SOLET FACERE IURARE PRAESUMANT VEL CONPELLANTUR.[23]

[III. Ut sacerdotes domini sicut vulgus facere solet, iurare non praesumant vel compellantur.][24]

III. CORNELIUS episcopus RUFO coepiscopo in domino salutem.

Exigit[25] dilectio tua, frater karissime, ut ex auctoritate sedis apostolicae tuis deberemus consultibus[26] respondere. Quod licet non prolixe, sed succinte agere festinaremus propter quasdam inportunitates quae nostris praepedientibus peccatis in nos supervenere[27], tuis tamen per reliqua sanctorum patrum instituta studiis

Dicit enim dominus — divisa non stabit sec. Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1179). Cf. Vig. 5, Lib. 3, Greg. ep. ad Felic.

Ideoque necesse est — constitutionibus pareatis, Leon. M. ep. 12. c. 9. (1, 666). Cf. Vigin. 5, Lib. 3, Greg. M. ad Fel.

Not. cons. sec. c. 1. vit. Corn. in libro pontif.

c. III. Exigit dilectio — invenitur latius perquiratur sec. in. ep. Zosim. ad Hesych. (H. no. 28). Cf. Anast. I. pp. ep. 1, Greg. M. ep. ad Fel.

1 *Sg.* in profundum. 2 *Mut.* percipiemus. 3 *Mut.* decertare. *Deest in Dst.* 4 *Sg. Dst.* aliquantulum. 5 *Dst.* existit. 6 *In Sg. manu post. additur:* auctores. 7 *Mut.* perdictione. 8 *Om. Sg. verba* ut possitis resistere in die malo. 9 *Sg.* loricam. 10 *Om. Sg.* 11 *Mut. Bb.* ignea. 12 *Sg.* rationem. 13 *Dst.* honorificetis. 14 *Bb.* potest. 15 *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* ministeria. 16 *Bb.* aeternis. 17 *Sg.* aut. 18 *Mut.* per; *Dst.* per sensum. *Sg.* proprio sensu *pro:* pro se sua. 19 *Dst.* conscientia. 20 *Dst.* me. 21 *Mut. Sg.* VIII. 22 *Deest* et Maximo *in Dst.* 23 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola Cornelii papae ne episcopi ad sacramenta cogantur. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA. Solus num. in Bb. Deest num. in Dst., qui inscriptionem et rubricam coniungit.* 25 *Sg.* Exegit. 26 *Dst. Sg.* consultis. 27 *Mut.* supervenire.

perquirere latius et investigare committimus. Non enim potest[1] mens adstricta[2] et honeribus atque inportunitatibus gravata tantum boni[3] peragere, quantum delectata et oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id praetulimus, ut haec et alia que necessaria fore[4] cognoverimus tuae sanctitati velimus denegare[5], sed quod hic minus invenitur, latius perquiratur. [6] Sacramentum autem hactenus a summis sacerdotibus vel reliquis exigi nisi pro fide recta minime cognovimus, nec sponte eos iurasse repperimus. Summopere ergo sanctus Iacobus apostolus prohibens sacramentum loquitur dicens: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare neque per caelum neque per terram neque aliud quodcumque[7] iuramentum. Sit autem sermo vester: est est, non non, ut non sub iuditio decidatis. Et dominus in evangelio ait: Audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis[8], reddes autem domino iuramenta[9] tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino: neque per caelum, quia thronus dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolimam, quia civitas magni regis est; neque per capud tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sid autem[10] sermo vester: est est, non non. Quod autem his abundantius est, a malo est, id est[11] ab exigente et a iurante. Haec, frater karissime, ipse dominus prohibet, id est non debere iurare; haec apostoli maxime omnes, hec sancti viri praedecessores nostri qui huic sanctae universali apostolicae ecclesiae praefuerunt ante nos, haec prophetae et reliqui sancti[12] doctores per universum mundum dispersi ad praedicandum iuramenta fieri vetant. Quorum nos exempla si coeperimus aenumerare[13] aut in scedula hac inserere, ante sufficeret[14] diei hora quam eorum exemplorum de hac causa prohibita. Quae nos sanctorum[15] sequentes apostolorum eorumque successorum iura firmamus et sacramenta incauta[16] fieri prohibemus. Unde et ipse dominus in tabulis lapideis quas Moysi dedit, propria manu scripsit dicens: Vide[17] ne assumas nomen dei tui in vanum, et reliqua. Nos autem, ut paulo superius praelibavimus, sacramentum episcopis nescimus oblatum, nec umquam fieri debet, quoniam, ut supra memoratum est, praeceptum[18] nobis a domino non iurandum, neque per caelum, quia thronus dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, neque per capud suum, quia nullus potest[19] unum capillum creare. Unusquisque enim sicut ante altare stans dei timorem habet prae oculis et propriam conscientiam mundam servat deo, quod in memoriam retinet, nullatenus habet intermittere, quoniam os quod mentitur occidit animam. Et apostolus[20] ait: Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Et alibi: Nolite mentiri in invicem. Haec praecepta sunt salvatoris, haec prophetarum, haec sanctorum patrum instituta. Que si quis in vanum duxerit, hostis est animae suae, quia nemo contra prophetas, nemo[21] contra apostolum[22], nemo[23] contra evangelium[24] facit aliquid absque periculo[25]. IV. Et summopere previdendum est, ne pastorem suum oves

[IV. Quod accusationes subditorum nullam vim habeant.][26]

Sacramentum autem — iurasse repperimus, conc. Chalc. act. I. (Mansi 6, 763).
Ante omnia fratres — sub iuditio decidatis, Iac. V. 12.
Audistis quia — a malo est, Matth. V. 33—37.
Vide ne assumas — vanum, Exod. XX. 7.
Nos autem — nullatenus habet intermittere, conc. Chalc. act. I. (Mansi 6, 763).
quoniam os quod — occidit animam, Sapient. I. 11.
Loquimini — invicem membra, Ephes. IV. 25.
Nolite mentiri — invicem, Coloss. III. 9.

Haec sunt praecepta — hostis est animae suae, Hieron. ep. ad Ocean. de vita cleric. (11, 371.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 98. Cf. Anacl. 40.
quia nemo contra — absque periculo, c. 5. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 16.
c. IV. ne pastorem suum — accusare praesumant, sec. Isid. sent. III. 39. no. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Fab. 22, Euseb. 11, Symm. syn. V, Ioann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.

[1] *Deest in Dst.* [2] *Sg. Dst.* attrita. [3] *Mut.* bona. *Dst. addit:* valet. [4] *Dst.* forte. [5] *Mut.* indagare. [6] *Dst. in marg.:* sacramenta non exigi nisi pro fide recta. [7] *Deest in Mut.* [8] *Sg.* peierabis. [9] *Mut.* vota. [10] *Deest in Dst.* [11] *Mut. Sg. add.* et. [12] *Om. Sg.* [13] *Dst.* enunciare. [14] *Mut.* sufficiet. *Bb.* defitiet, *Sg.* deficiet, *Dst.* deficeret. [15] *Sic in Sg.* successores *manu post. corr.* [16] *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* acuta. [17] *Bb.* Unde. [18] *Mut. Bb. Dst. addunt:* est. [19] *Mut.* potes. [20] *Mut.* dominus. [21] *Sg. Dst.* neque. [22] *Sg. Dst.* apostolos. [23] *Sg. Dst.* neque. [24] *Sg.* evangelistas. [25] *Mut.* periculum. [26] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.*

que ei commissae fuerant[1] reprehendere, nisi a fide exorbitaverit, neque accusare praesumant, quoniam tales accusationes vim non habent neque eos[2] nocere possunt. Unum vero, karissimi, ut ait beatus apostolus Petrus, non lateat vos, quia unus dies apud dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies. Non tardat dominus[3] promissis, sed patienter[4] agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. Adveniet autem dies domini ut fur, in qua caeli magno impetu transient, elementa[5] vero[6] calore solventur. Cum haec igitur omnia dissolvenda sunt[7], ex his potestis considerare, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus[8], expectantes et properantes in adventum diei per quem caeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent. Vos autem, karissimi, dixit[9] Iudas apostolus, memores estote verborum quae praedicta sunt ab apostolis domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient inlusores secundum sua desideria ambulantes impietatum[10]. Hi sunt qui segregant semetipsos animales[11], spiritum[12] non habentes. Vos autem, karissimi, superaedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei, in spiritu sancto orantes[13] ipsos vos in dilectione dei servate[14], expectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et hos quidem arguite[15] iudicatos, illos vero salvate de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes[16] eam quae carnalis est maculatam tunicam. [V. De iudicio sacerdotum et ecclesiasticis iudicibus.][17] V. Nullus enim sacerdotum causam suam alieno committat iuditio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum[18], sed unusquisque provintiales[19] iudices et notos habeat, nisi aliquam vim[20] temerariae multitudinis illuc[21] timuerit aut infestos[22] aut[23] suspectos[24] inibi iudices habuerit, pro[25] quibus causis ad maioris auctoritatis iudices et ad alias provintias appellare et venire concessum est. [VI. Quod absens nemo possit iudicari neque addici.][26] VI. Omnia ergo que adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur aut iudicantur, omnino vacuentur, quoniam absentem nullus addicit nec ulla[27] lex damnat, facile ergo homo hominem fallere potest, non tamen deum, cuius oculis omnia[28] nuda sunt et aperta. Unde ait propheta[29]: Dominus novit cogitationes hominum quoniam vane sunt. Sapiens ergo non est qui nocet, nec quicquam mali vult qui fidelis est, aut cuiquam insidias[30] machinatur. Hortamur, frater, et monemus tuam dilectionem, ut omnes semper, prout melius poteris[31], adiuves, confortes et[32] consoleris, et sacramenta super quibus hanc sanctam Roma-

Unum vero karissimi — ignis ardore tabescent, II Petr. III. 8—12.

Vos autem karissimi — maculatam tunicam, Iud. v. 17—23.

c. V. Nullus enim — committat iudicio, Ambros. ep. 40. (2, 955). Cf. Anacl. 35.

sed unusquisque — habeat sec. Ben. III. 309. aut c. 16. Angilr.

nisi aliquam vim — timuerit sec. c. 30. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 86. Cf. Fel. II. pp. 12. IX.

aut infestos aut — iudices habuerit sec. Ben. III. 314. i. f. aut c. 17. Angilr.

pro quibus causis — auctoritatis iudices sec. c. 15. conc. Carth. (D.) aut Ben. I. 404. II. 300. III. 121. aut c. 42. Angilr. (Cf. Luc. 2, Iul. 12.)

et ad alias — concessum est sec. Innoc. ep. ad Vict. Roth. c. 4. (in cod. Quesnell. ed. Ball. 3, 206.) aut Ben. II. 381. III. 109.

c. VI. Omnia ergo — ulla lex damnat, conc. Chalced. act. 10. (Mansi 7, 206).

facile ergo homo — non tamen deum, Xysti Pyth. s. 176. Cf. Alex. 18, Zeph. 9, Ant. 8, Melc. 5.

cuius oculis — et aperta, Hebr. IV. 13.

dominus novit — vane sunt, Ps. XCIII. 11.

Sapiens ergo — qui nocet, Xysti Pyth. s. 292. Cf. Alex. 18, Luc. 6, Melc. 5.

nec quicquam mali — fidelis est, eiusd. s. 203. Cf. Alex. 18, Calist. 3, Pont. 6, Melc. 5.

1 *Dst.* fuerint. 2 *Dst.* eis. 3 *Sg. add.* in. 4 *Deest in Dst.* 5 *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* elimenta. 6 *Sg.* autem. 7 *Mut. Dst.* sint. 8 *Mut.* petitionibus. 9 *Mut. Sg. Dst.* ait. *Bb.* ut ait. 10 *Mut. Bb.* in impietate. 11 *In Bb. supra lineam additur m. s. XI.* an malos. 12 *Deest in Mut. Bb.* 13 *Bb.* hortantes. 14 *Mut.* servantes. 15 *Mut.* arguit. 16 *Bb.* audientes. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Par.* 840 *in marg.:* appellandum est ad sedem apostolicam. *Mut. in textu ante verba* nullus etc. *addit:* Item de eadem re Cornelius in secunda ait. 18 *Mut.* appellatus. *In Bb. verba* Nullus — appellatum *addita sunt m. s. XI.* 19 *Mut. Sg. Bb. Dst.* conprovintiales. 20 *Deest in Dst.* 21 *Mut. Sg. Dst.* illius. 22 *Mut.* infestis. 23 *Sg. Dst.* vel. 24 *Mut.* suspectis. 25 *Deest in Bb.* 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. omisso numero:* de absentibus. 27 *Mut.* nulla *pro* nec ulla. 28 *Deest in Bb.* 29 *Sg. Dst.* per prophetam. 30 *Bb.* insidia. 31 *Bb.* poteritis. 32 *Om. Sg. Dst.*

nam ac[1] universalem aecclesiam consulere voluisti[2], fieri prohibeas et neminem umquam infestes aut noceas. Haec, frater ad reliquorum fratrum notitiam tua fatiat sanctitas pervenire, ut omnes haec mala caveant, et sicut generaliter tam ab ipso domino quam et a sanctis apostolis et reliquis[3] apostolicis viris et ceteris patribus sunt prohibita, ita generaliter ab omnibus custodiantur. Bene valere beatitudinem tuam semper optamus et sacris virtutibus proficere te desideramus, frater karissimae atque amantissime. Data XI. Kal. Iunii Maximo et Detio vv. cc. conss. Explicit[4].

INCIPIUNT DECRETA LUCII PAPAE OCCIDENTALIBUS EPISCOPIS DIRECTA.[5]

[I. Ut episcopi propter pravorum infamiam semper secum et ubique habeant testes presbiteros et diacones.][6]

I. Dilectissimis fratribus omnibus episcopis[7] partibus occidentalibus tam Gallis quam et Hispanis[8] consistentibus Lucius[9] episcopus in domino salutem.

Litteras dilectionis vestrae quas ad[10] beati Petri apostoli sedem pro vestri causa negotii misistis, libenter suscepimus, sed de vestris afflictionibus[11] non modice contristati sumus. Significastis enim vos tam[12] a quibusdam non rectam fidem tenentibus, sed erroribus inplicatis[13], quam et ab aliis eos imitantibus vos[14] persequi et infamari, atque vestras aecclesias suis dotibus et fidelium oblationibus expoliari vestrosque ministros[15] nimis vexari, et ideo multos a vobis et a recta fide discedere, quod eis non potestis defensionem inpendere nec ea que necessaria sunt ministrare. Nolite mirari[16], fratres, si vos malivoli et impii persecuntur, cum ipsum Christum caput nostrum sint persecuti, unde et consolatricem ipsam habetis veritatem, quae ait: Si patremfamilias Beelzebuth[17] vocaverunt, quanto magis domesticos eius. Ipsa iterum consolans nostros[18] loquitur dicens: Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia non estis de hoc mundo, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Propter tales[19] hortamur vos sicut et in hac sancta aecclesia constitutum habemus, ut semper testes vobiscum sacerdotes et diaconos[20] habeatis, et licet conscientia[21] sufficere possit propria, tamen propter malivolos iuxta apostolum etiam testimonium vos oportet habere bonum ab his qui foris sunt. Quoniam et[22] in hac sancta sede constitutum habemus, ut duo presbiteri vel tres diaconi in omni loco episcopum non deserant propter testimonium aecclesiasticum[23]. II. Episcopi ergo[25] non sunt leviter accusandi vel detrahendi, quia iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius vice[26] legatione funguntur in aecclesia. Unde nobis in[27] omnibus et[28] qui nobiscum[29] sunt in nostro solatio,

[II. De episcopis non leviter accusandis et a quibus criminationes maiorum natu fieri debeant et de iudicibus ecclesiasticis.][24]

Bene valere — virtutibus proficere, Bonifac. ep. 54. fin. (p. 120).
Nota cons. sec. vit. Corn. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Litteras dilectionis — misistis sec. init. Leon. M. ep. 44. (1, 909).
Nolite mirari fratres — nostrum sint persecuti. Cf. Zeph. 12.
Si patremfamilias — domesticos eius, Matth. X. 25.
Si de hoc mundo — vos mundus, Ioann. XV. 19.
Propter tales hortamur — testimonium aecclesiasticum, Luc. vit. c. 3. in libr. pontif. Cf. Anacl. 9, 10.
c. II. Episcopi non sunt — funguntur in aecclesia, Ben. III. 462. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20). Cf. Anacl. 3, 21, Evar. 6, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8, Dam. 19. (Greg. M. ep. ad Fel.)

1 *Mut.* et hac. 2 *Mut.* voluistis. 3 *Bb. addit:* sanctis. 4 *Deest in Mut. Dst.* 5 *Inscriptio deest in Mut. Sg. Deest in Bb. Dst.* occid. ep. dir. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. qui omittit numerum.* 7 *In Sg. manu post. additur:* in. 8 *Mut.* Spaniis. *Sg. Dst.* Hispaniis. 9 *Mut.* Lutius. 10 *Bb.* a. 11 *Bb.* actionibus. 12 *Mut.* tamquam. 13 *Mut.* implicatos. 14 *Deest in Dst.* 15 *Sg. Dst.* vestros *pro* vestrosque ministros. *Post. manu in Sg.* vestros *corr. in* vestrosque. 16 *Mut.* mirare. 17 *Sg. Dst.* Beelzebub. 18 *Mut. Sg. Bb. Dst.* nos. 19 *Codd. cit. addunt:* fratres. 20 *Sg. Dst.* diacones. 21 *Sic corr. sec. Dst. Sg.* conscientiam. *Bb.* conscientiae. *Mut.* conscientiam. 22 *Deest in Mut.* 23 *In Bb. verba* quoniam — ecclesiasticum *scribuntur m. s. XI.; eadem manu in marg. additur:* nota, ut cum episcopo duo presbiteri et tres diaconi in omni loco sint. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Par.* 840 *in marg.:* de accusationibus episcoporum. 25 *Mut.* vero. 26 *Sg. Bb. Dst. add.* ac. 27 *Deest in Mut. Bb.; Sg. Dst.* dominus. 28 *Deest in Bb.* 29 *Dst.* vobiscum.

sicut et olim factum invenimus, constitui placuit, ut criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni et inreprehensibiles apparuerint et actis docuerint publicis omni se carere suspitione atque inimicitia, et inreprehensibilem fidem ac[1] conversationem[2] ducere. Unde placuit ut, a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices aecclesiasticos, ubi est maior auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur.

[III. Quod metropolitanus gradus sui periculo subiaceat, si aliquid extra agere temptaverit sine consilio omnium provincialium episcoporum nisi quod ad suam pertinet parroechiam: similiter et ipsi omnia cum eius consilio agere debent.][3]

III. Item constituimus sicut et a sanctis apostolis eorumque successoribus decretum repperimus: si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo[4] propriam pertinet parrochiam, sine consilio et voluntate omnium conprovincialium episcoporum extra aliquid agere temptaverit, gradus sui periculo subiacebit et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. Sed quidquid de provintialium quoepiscoporum causis eorumque ecclesiarum et clericorum atque secularium necessitatibus aut de quibuscumque communibus causis agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum[5] omnium consensu cumprovintialium[6] agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare, et alibi: Qui maior est vestrum, erit minister vester, et reliqua. Similiter et ipsi cumprovinciales episcopi cum eius[7] consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parrochias,[8] agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in saecula.

[IV. Ut nullus metropolitanus causas alicorum episcoporum comprovincialium audiat absque omnium praesentia.][9]

IV. Similiter auctoritate fulti apostolica praecipimus, ut nullus metropolitanus episcopus[10] absque ceterorum omnium conprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum[11], quia irrite[12] erunt et ipse[13] causam pro facto dabit.

[V. Ut episcopi posteriores se prioribus suis non praeferant, nec eis inconsultis aliquid agant de communibus causis eorum.][14]

V. Episcopi vero per singulas provintias observent ac posteriores se prioribus suis preferant nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet[15] parrochiam, aliquid agant, sed omnes de communibus eorum causis consonantem[16] sententiam proferant[17] et determinent, quoniam aliter acta[18] nullas vires habebunt nec aecclesiasticae reputabuntur.

[VI. De germine alicuius mali aut infestationis aecclesiastico abscidendo mucrone.][19]

VI. Bonum esset[20], fratres, et valde deum timentibus et pie vivere volentibus[21] necessarium, si intra ecclesiam catholicam nullius mali aut infestationis[22] alicuius erga domini sacerdotes aut iuste et pie vivere volentes germen exsurgeret. Sed quia praevalente[23] invidia[24], quod deterius est, surgit et crescit adque nimis in omnes partes se extendit, idcirco necesse est illud aecclesiastico et apostolico abscidi mucrone, ne[25] servos dei ac[26] domini sacerdotes[27] valeat nocere aut per-

ut criminationes maiorum — crimina intendunt, l. Visig. Rom. Pauli rec. sent. V. 4. 12. aut Ben. III. 246. Cf. Vigin. 3, Dion. 4, Iul. 12.

et actis publicis — ducere, Ben. I. 401. (c. 13. conc. I. Arelat.). Cf. Vigin. 3, Dion. 4, Iul. 12.

Unde placuit ut — audientia non negetur, c. 42. Angilr. (Ben. I. 404. II. 300. III. 121. des. ex c. 15. conc. Carth. D.). Cf. Iul. 12. (Corn. 5.)

c. III. Si quis metropolitanus — trinitas in saecula, c. 43. Angilr. aut Ben. III. 358. (c. 9. 13. conc. Antioch., Matth. XX. 28. 26. c. 35. apost.). Cf. Calist. 13, Iul. 12.

c. IV. Similiter auctoritate fulti — pro facto dabit, c. 11. Angilr. (c. 23. 30. conc. IV. Carth. cf. quoque Ben. III. 106. Ben. II. 363. III. 219). Cf. Vig. 2, Iul. 12.

c. V. Episcopi per singulas — suis preferant, Ben. III. 268. tit. (c. 13. conc. Milev.).

nec eis inconsultis — aliquid agant, c. 9. conc. Ant. D. aut Ben. III. 358. aut c. 43. Angilr. cf. Ann. 2. (Cf. Calist. 12, Luc. 3, Iul. 12.)

sed omnes de communibus — determinent, Ben. III. 314. aut c. 17. Angilr. (c. 15. conc. Ant.). Cf. Iul. 12.

quoniam aliter acta — reputabuntur, c. 2. Angilr. med. (Exemp. const. Symm. c. 3). Cf. Euseb. 21, Iul. 5.

1 *Sg.* ad. 2 *Sg.* accusationem. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb. Par.* 840 *in marg.:* Ut metropolitanus nihil sine coepiscopis agat. 4 *Deest in Mut.* 5 *Deest in Sg. Dst.* 6 *Sg. Bb.* comprovintialium. *Dst.* provintialium. 7 *Dst.* nihil sine. *In Sg. manu post.* cum *corr.* in: sine. 8 *Sg. add.* non. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* 10 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 11 *Om. Sg.* 12 *Mut. Sg. Dst.* irrita. 13 *Mut. addit:* pro se. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* V. Ut posteriores episcopi senioribus non praeferant. 15 *Deest in Mut.* 16 *Mut. Sg. Bb. Dst.* consonam. 17 *Mut.* praeferant. 18 *Mut. Sg. Bb. Dst.* actae. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* 20 *Sic sec. Mut. Bb. Dst. corr.* esse. *In Sg. manu post.* esse *corr. in* est. 21 *Mut. Bb.* valentibus. 22 *Mut.* infestationibus. *Bb.* infestationes. 23 *Sg.* praevalent. *Dst.* praevalet. 24 *Dst. addit:* et. 25 *Sic corr. sec. Mut. Bb. Dst.* ne. 26 *Dst.* diaconos *pro:* dei ac. 27 *Mut.* sacerdotibus.

dere. Exhonoravit enim dominus, ut in aecclesiastico legitur libro, conventus malorum et destruxit deus[1] usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit deus[2], et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit deus et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit[3] dominus et perdidit[4] eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis et disperdidit eos[5] et cessare fecit memoriam eorum a terra. Perdidit deus memoriam superborum, et reliquit[6] memoriam humilium sensu. Non est creata hominibus superbia neque iracundia nationi[7] mulierum. Semen hominum honorabitur hoc quod timet deum, semen autem hoc exhonorabitur hominum quod praeterit mandata domini. In medio fratrum rector[8] illorum[9] in honore, et qui timent dominum, erunt in oculis eius[10]. Gloria divitum honoratorum et pauperum timor dei est. Noli despicere hominem iustum pauperem et noli[11] magnificare virum peccatorum divitem. Magnus est[12] iudex[13] et potens est honore, et non est maior illo qui timet deum. Servo sensato[14] liberi serviunt[15], et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. Noli[16] extollere in faciendo opere tuo et noli cunctari[17] in tempore angustiae. Melior est qui operatur et abundat in omnibus quam qui gloriatur et eget panem[18]. Fili, in mansuetudine serva animam tuam et da illi honorem secundum meritum suum. Peccantem[19] in animam suam quis iustificabit et quis honorificabit[20] exhonorantem[21] animam suam? Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum, et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. Qui[22] gloriatur in paupertatem[23], quanto magis in substantia? Et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Sapientia humiliati exaltabit capud illius, et in medio magnatorum[24] considere[25] illum fatiet. Non laudes virum in spetie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis[26], et initium dulcoris habet fructus illius. In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera altissimi solius et gloriosa et absconsa[27] et invisa opera illius. Multi tiranni sederunt in throno et insuspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valide et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, et cum interrogaveris, corripe iuste. Priusquam audias, ne respondeas verbum, et in medio seniorum ne aditias loqui. De re ea que te non[28] molestat ne certeris[29], et in iuditio peccantium ne consistas. Fili[30], ne in multis sint actus tui, et si dives fueris, non eris inmunis a delicto. Si enim secutus fueris non apprehendes, et non effugies si praecucurreris[31]. Est homo laborans et festinans et dolens impius, et tanto magis non habundet[32]. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et[33] habundans paupertate: et oculus dei[34] respexit illum in bonum[35] et erexit illum ab[36] humilitate ipsius et exaltavit capud eius[37], et mirati sunt in illo multi et honoraverunt deum. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a deo sunt. Datio dei permanet iustis et profectus illius successus habebunt in aeternum. Est qui locupletatur parce agendo, et haec[38] pars mercedis[39] illius in eo

c. VI. *Exhonoravit enim — in substantia paupertatem vereatur*, Ecclesiastic. X. 16—34. *Sapientia humiliati — te a propriis*, Ecclesiastic. XI. 1—36.

1 *Mut. Dst.* eos. 2 *Deest in Dst.* 3 *Sg. Bb. Dst.* avertit. 4 *Bb.* perdit. 5 *Sg. Bb.* illos. 6 *Dst.* dereliquit. *Sg.* non dereliquit (non *add. manu post.*). 7 *Bb.* nationum. *Sg.* notitiam (*manu post.* notitiam mulierum *delet.*). 8 *Om. Sg.* 9 *Sg. Bb. Dst.* eorum. 10 *Mut. Bb.* illius. 11 *Bb. Dst.* non. 12 *Codd. cit. Sg. Mut. omitt.* 13 *In Sg. manu post. additur:* deus. 14 *Bb.* Servis sensatis. 15 *Sg.* Servit sensati liberi serviunt *pro* Servo — serviunt, *post. manu corr. in* Servit illi sensati libere serviunt. 16 *Sg. Bb. Dst. addunt:* te. 17 *Mut.* contristari. 18 *Sg. Bb. Dst.* pane. 19 *Sic corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* Peccante. 20 *Sg.* exhonorabit. *Dst.* honorabit. 21 *Mut.* exhorificantem. 22 *Dst. addit:* autem. 23 *Mut. Sg. Bb. Dst.* paupertate. 24 *Sic corr.* mediiho magnatorum *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 25 *Sg. Dst.* consedere. 26 *Sg.* apes. 27 *Dst.* abscondit. 28 *Deest in Mut.* 29 *Sg. Bb. Dst.* irriteris. 30 *Dst. addit:* mi. 31 *Sg.* praecurreris. 32 *In Mut. deest:* est homo laborans non — habundet. *Sg. Bb. Dst.* habundat. 33 *Om. Sg. Dst.* 34 *Sg. Dst.* domini. 35 *Mut.* bono. 36 *Sg. Dst.* in. 37 *Codd. cit.* illius. 38 *Dst. addit:* est. 39 *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* marcedis.

quod dicit: Inveni requiem mihi[1] et nunc manducabo de bonis meis solus; et nescit quod tempus pretereat illum[2], et relinquet[3] omnia aliis et morietur. Sta in testamento tuo et in illo conloquere, et in opera[4] mandatorum tuorum veteresce[5]. Ne manseris in operibus peccatorum[6]. Fide[7] autem in deo et mane in loco tuo; facile est enim in oculis dei subito honestari[8] pauperem. Benedictio dei in mercedem iusti festinatur[9] et in honore veloci processus illius fructificat. Ne dicas: Quid est mihi opus et quae erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas: Sufficiens[10] sum et quid ex hoc pessimabor? In die honorum ne inmemor sis malorum, et in die malorum ne inmemor sis bonorum, quoniam facile est coram deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Malitia orae oblivionem facit luxuriae magnae, et in fine hominis denudatio operum[11] illius. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. Non omnem[12] hominem inducas in domum tuam, multae enim insidiae sunt dolosi. Sicut enim eructant praecordia foetentium[13] et sicut perdix inducitur[14] in caveam et ut caprea in[15] laqueum, sic et cor superborum, et sicut prospector videns casum proximi sui. Bona[16] in malum convertit insidiator et in electis inponit maculam. Ab scintilla una augetur ignis et ab uno doloso augetur sanguis. Homo vero peccator sanguini insidiatur. Adtente tibi a pestifero, fabricat enim mala ne forte inducat[17] super te subsannationem[18] in[19] perpetuum. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in turbine[20] et abalienabit te a tuis propriis. Tales, karissimi, valde sunt cavendi usque dum aut convertantur[21] aut abscidantur verbo divino. Beatus autem[22] est ille qui non est lapsus in[23] verbo ex ore suo et non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habet animi sui tristitiam, et non abscedit ab spe sua. Scriptum est enim: Melior est unus timens deum quam mille impii. Sapiens vero non est omnis qui nocet.

[VII. De invasoribus rerum ecclesiasticarum et oblationum fidelium.][24]

VII. Res quoque[25] aecclesiarum vestrarum et oblationes fidelium quam significastis[26] a quibusdam irruentibus vexari vobisque et ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum, testante[27] scriptura, que[28] ait: Qui abstulerit aliquid patri vel matri et dicit hoc non esse peccatum, homicide particeps est. Pater ergo noster sine dubio deus est, qui nos creavit et mater nostra aecclesia quae nos in baptismo spiritaliter generavit. Et ideo qui Christi pecunias et aecclesiae aufert, fraudat et rapit, homicida in conspectu iusti iudicis esse deputabitur, unde scriptum est: [29]Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit, qui autem pecunias vel res ecclesiae abstulerit, sacrilegium facit. Unde et Iudas qui pecuniam fraudavit quae[30] usibus ecclesiae, id est pauperibus quos aecclesia pascere debet, distribuebatur[31] iussu salvatoris, cuius vicem episcopi tenent, non solum fur, sed fur[32] sacrilegus effectus est. De talibus enim, id est qui facultates[33] aecclesiae

Beatus autem — ab spe sua, Ecclesiastic. XIV. 1. 2.
Melior est — mille impii, ibid. XVI. 3.
Sapiens vero — qui nocet, Xysti Pyth. s. 292. Cf. Alex. 18, Corn. 6, Melc. 5.
c. VII. maximum est peccatum — sacrilegium facit, Bonif. ep. 72. (p. 193.) aut Ben. II. 426. Cf. Anaclet. 14.
Unde et Iudas — sacrilegus effectus est sec. August. in evang. Ioann. tract. 50. no. 10. (T. III. P. 2. p. 632.) aut Ben. II. 404.

1 *Bb.* invenire quod est mihi. 2 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 3 *Mut.* relinquetur. 4 *Dst.* opere. 5 *Mut.* veterasce. 6 *Sg.* mandatorum. *Manu post. corr.* in operibus mandatorum tuorum. 7 *Dst.* Confide. 8 *Dst.* honestare. 9 *Sg. Bb. Dst.* festinat. 10 *Dst. addit:* mihi. 11 *Mut. Sg.* hominum, *quod postea in Sg. corr. in* operum. 12 *Sic corr.* omne *sec. Mut. Bb. Sg. Dst.* 13 *Mut. Dst. Bb. Sg.* foetantium. 14 *Sg. Dst.* ducitur. 15 *Deest in Bb.* 16 *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* enim. 17 *Om. Sg.* 18 *Sg.* subsannet. 19 *Bb.* subsanatio sit. 20 *Mut. Sg. Bb.* turbore. 21 *Mut.* convertant. 22 *Mut.* enim. 23 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 24 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* VII. de raptoribus rerum aecclesiasticarum et oblationum fidelium. 25 *Sg.* vero. 26 *Sg.* significasti. 27 *Mut. Dst. addunt:* ipsa. 28 *Dst.* quoniam. 29 *Cod. in marg.:* res ecclesiarum non invadendas. 30 *Deest in cod., sed invenitur in ceteris.* 31 *Dst.* distribuebat. 32 *Bb. Dst. addunt:* et. 33 *Mut.* facultatem.

rapiunt, fraudant vel auferunt, dominus comminans omnibus per prophetam loquitur dicens: Deus, ne taceas tibi, ne sileas et non quiescas, deus, quia ecce inimici tui tumultuati[1] sunt, et qui oderunt te levaverunt caput. Contra populum tuum nequiter tractaverunt et inierunt consilium adversus archanum tuum, dixerunt: Venite et conteramus eos de gente, et non sit memoria nominis Isreal[2] ultra. Quoniam tacuerunt corde, pariter contra foedus pepigerunt tabernacula Idumeffae[3] et Hismaelitarum, Moab et Agareni, Gebal et Amon et Amalech[4], Palestina[5] cum habitantibus[6] Tyri. Sed et Assur iunxit[7] se[8] cum eis, facti sunt brachium filiorum Loth. Fac illis[9] sicut Madian, sicut Sisarae, sicut Iabin in torrente Cison. Contriti sunt in Endor, fuerunt quasi sterquilinium terrae. Pone duces eorum sicut Oreb et Zeb, sicut Zebeae et Psalmana[10] omnes principes eorum qui dixerunt: Possideamus nobis pulcritudinem[11] dei; deus meus, pone eos[12] ut rotam, quasi stipulam ante faciem venti. Quomodo ignis conburit silvam et sicut flamma devorat montes, sic persequeris eos in tempestate tua, et in turbine tuo conturbabis eos. Imple facies eorum[13] ignominia, et querent[14] nomen tuum, domine. Confundantur et conturbentur usque in aeternum et erubescant et pereant, et sciant quia nomen tuum[15] dominus solus[16] tu, excelsus super omnem terram. Haec fieri prophaetae, haec apostoli, haec successores eorum et omnium catholicorum patrum vetant decreta, et tales praesumptiones sacrilegium[17] esse diiudicant. Quorum nos[18] sequentes exempla omnes tales praesumptores et[19] aecclesiae raptores atque suarum facultatum alienatores una vobiscum a liminibus sanctae matris[20] aecclesiae anathematizatos apostolica auctoritate pellimus et damnamus atque sacrilegos esse iudicamus, et non solum eos, sed[21] omnes consentientes eis, quia non solum qui fatiunt rei iudicantur[22], sed etiam qui fatientibus[23] consentiunt, par enim poena et agentes et consentientes comprehendit[24]. Vos ergo, fratres, vigilate et orate, viriliter agite et confortamini in domino et omnia vestra iuxta apostolum in caritate fiant. A recta ergo fide et apostolico tramite propter ullam perturbationem nolite recedere, scientes quia[25] iuxta salvatoris sententiam beati sunt qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Haec est apostolorum viva traditio[26], haec[27] vera karitas quae praedicanda est et precipuae diligenda ac fovenda[28] atque fiducialiter ab omnibus[29] tenenda. VIII. Haec sancta et apostolica mater omnium aecclesiarum Christi ecclesia que per dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur[31] nec hereticis novitatibus depravanda subcubuit, sed ut in exordio normam fidei christianae percepit[32] ab auctoribus suis, apostolorum Christi[33] principibus inlibata finetenus manet secundum ipsius domini salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis fassus[34] est evan-

[VIII. Quod Romana ecclesia numquam erraverit nec hereticis novitatibus succubuerit.][30]

Deus ne taceas — excelsus super omnem terram, Ps. LXXXII. vers. Hier.
sed omnes — facientibus consentiunt, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32). Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Iul. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.
Vos ergo fratres — orate, Matth. XXVI. 41.
viriliter agite — in caritate fiant, I Cor. XVI. 13. 14.
beati sunt, qui — propter iustitiam, Matth. V. 10.
c. VIII. Haec sancta et apostolica usque ad finem leguntur quoque in Fel. I. pp. 18, Marc. 2. 3.
Haec sancta et apostolica — noster districtam exigerit, Conc. III. Constant. act. IV. epist. Agathon. papae (Mansi 11, 242).

1 *Sg. Dst.* multi. 2 *Dst.* Iesu. 3 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Idumeae. 4 *Deest in Sg. Dst.* 5 *Bb. Dst.* Palestini. 6 *Mut. Sg. Dst.* habitatoribus. 7 *Sg.* iuxta. 8 *In Sg. manu post. add.* et. 9 *Deest in Dst. In Sg. manu post. add.* 10 *Ceteri:* Salmana. 11 *Bb.* hereditatem possideamus sanctuarium. 12 *Mut. Sg. Bb. Dst.* illos. 13 *Sg.* illorum. 14 *Bb.* querant. *Dst.* querunt. *In Sg.* quaerunt *post. manu corr. in* quaerent. 15 *Sg. Dst.* tibi. 16 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 17 *Sg.* sacrilegia. 18 *Deest in Sg. Dst.* 19 *Deest in Sg. Bb.* 20 *Sic sec. Mut. Bb. Sg. Dst. corr.* matre. 21 *Dst. add.* et. 22 *Deest in Mut.* sed omnes consentientes — iudicantur. 23 *Dst.* fallentibus. 24 *Bb.* adpraehendit. *Sg. Dst.* comprehendet. 25 *Dst.* quod. 26 *Dst.* dedicio. 27 *Sg. Dst. add.* est. 28 *Sg. Dst.* confovenda. 29 *Sg. Bb. Dst.* hominibus. 30 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 31 *Sg. Bb. Dst.* probatur. 32 *Mut. Dst.* praecepit. 33 *Sg.* apostolis christianae religionis. 34 *Mut. Sg. Bb. Dst.* fatus.

geliis: Petre, inquiens, ecce satan expetivit, ut cribraret vos[1] sicut[2] qui cribrat[3] triticum, ego autem pro te rogavi, ut non defitiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra excellens prudentia quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita et[4] in fide recta atque hereticis et aemulis Christi repugnare et numquam a veritatis tramite declinare, quoniam dominus et salvator omnium cuius fides est[5], qui[6] pro nobis mori non dubitavit et proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri non defuturam[7] promisit et confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontifices meae exiguitatis praedecessores[8] confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Quorum et pusillitas mea, licet impar est minima[9], pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Ve enim erit nobis qui huius ministerii honus[10] susceptum habemus, si veritatem salvatoris nostri Iesu Christi que[11] apostoli praedicaverunt, praedicare neglexerimus[12], ve erit nobis si silentio veritatem obpresserimus, quam[13] erogare numolariis iubemur, id est, christianos populos inbuere et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi suus examinae si sermonum eius veritatem confundimur[14] praedicare? Quid erit de nobis cum de commissis nobis animabus et de offitio suscepto rationem iustus iudex Christus dominus noster districtam exigerit[15]? Ideo fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hereticos et inimicos[16] sanctae dei aecclesiae, et[17] a sanis mentibus ne pestis haec latius[18] divulgetur, severitate qua potestis pro viribus expurgetis[19]. Quoniam ut[20] habebit a deo digne remunerationis premium qui diligentius quod ad salutem commisse sibi plebis proficiat, fuerit exsecutus, ita ante tribunal domini de reatu neglegentiae se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilege persuassionis auctores noluerit custodire. Data Kal. Aprilis Gallo et Volusiano vv. cc. conss.

INCIPIT[21] EPISTOLA[22] DECRETALIS[23] STEPHANI PAPAE HILARIO EPISCOPO DIRECTA.[24]

[I. Quod cum bonis hominibus sit assidue conversandum et a perversis ac fratrum insidiatoribus separandum.][25]

I. Dilectissimo fratri atque familiari amico HILARIO STEPHANUS[26] episcopus intimae karitatis salutem.

Quamquam sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, tamen pro familiaritate qua nobis coniunctus esse cognosceris, ut tua[27] efficatior fiat industria, congruum nobis visum est, has fraternitatis litteras tuae dilectioni[28] debere dirigere. Monemus te, karissime, semper in bonis manere et a malis cavere. Cum bonis et recte fidei ac sanctae conversationis hominibus assiduae esse et a perversis ac fratrum insidiatoribus[29], nisi ut eos convertas et ad concordiam reducas, separari[30]. Quoniam, ut ait apostolus, corrumpunt mores bonos conloquia mala.

Quorum et pusillitas etc. Cf. Symm. syn. VI.
Ideo fratres — sanctae dei aecclesiae sec. Leon. M. ep. 7. c. 2. (1, 625).
et a sanis mentibus — expurgetis, eiusd. ep. cit. c. 2. paullo antea (1, 625.) aut Ben. III. 54. Cf. Sot. 3, Fab. 7, Anast. I. pp. epist., Silv. ep., Bened. I. pp. ep.
Quoniam ut habebit — noluerit custodire, eiusd. ep. cit. fin. c. 2. (1, 625). Cf. Ben. III. 55.
Not. cons. c. 1. vit. Luc. in lib. pontif.
c. I. Quamquam sperem — dilectioni dirigere, init. Leon. M. ep. 85. (1, 1050). Cf. Eutic. 1, Ioann. III. pp. ep.
Quoniam ut ait — conloquia mala, I Cor. XV. 33.

[1] *Addidi ex Mut. Sg. Bb. Dst.* [2] *Sg. Bb. Dst.* quasi. [3] *Deest in Mut.* qui cribrat. [4] *Om. Sg.* [5] *Om. Sg.* [6] *Dst.* fidem sequi debemus. [7] *Mut. Sg. Bb. Dst.* defecturam. [8] *Sg. Bb. Dst.* praecessores. [9] *Mut.* inpar et minima est. *Sg. Bb. Dst.* imp. et min. sit. [10] *Mut.* opus. [11] *Dst.* quam. [12] *Mut.* neglеximus. [13] *Sic corr. sec. Mut. Bb.* qui. *Sg. Dst.* qui eam. [14] *Mut. Sg.* confundimus. [15] *Mut. Dst.* exegerit. [16] et inimicos *om. Dst.* [17] *In Sg. manu post. add.* eos. [18] *Deest in Dst.* [19] *Mut. Sg. Bb. Dst.* extirpetis. [20] *Deest in Sg. Dst.* [21&22] *Deest in Dst.* [23] *Dst.* decretale. [24] *Inscript. deest in Mut. Sg.* Epistola Stephani papae. [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. solus in Bb.* [26] *Mut.* Stefanus. [27] *Sg.* vitae tuae. [28] *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* directioni. [29] *Dst. add.* te subtrahere. [30] *Mut. Bb.* separare. *Sg.* te separare. *Deest in Dst.*

Et ipsa per se veritas dicit: Si oculus tuus scandalizaverit[1] te, erue eum et proice abs te. Et si manus tua scandalizaverit te, abscide eam et proice abs te. Similiter et de pede agendum est, quia melius est tibi luscum aut claudum intrare in regnum caelorum quam duos oculos aut duas manus aut[2] duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Et in ecclesiastico invenitur libro: In bonis viri inimici illius, in tristitia vero et in malitia illius amicus agnitus est. In labiis suis indulcat inimicus[3] et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. Et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et qui communicaverit[4] superbo[5] induetur superbiam[6]: pondus super se tollit qui honestiori se communicat, et ditiori te ne sotius[7] fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando enim se conliserint, confringetur. Dives iniuste eget[8] et fremebit[9], pauper autem[10] laesus[11] tacebit. Si largitus ei fueris, assumet te, et si non habueris, derelinquet te. Si habes, convivet tecum et evacuabit te[12] et ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris, subplantabit te et subridens spem dabit narrans tibi bona et dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniet[13] bis et ter, et in novissimo deridet te. Postea videns relinquet te, et capud suum movebit ad[14] te[15]. Humiliare deo et expecta manus eius. Adtende ne seductus in stultitia humilieris[16]. Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitia[17] seducaris. Advocatus a potentiore discede, ex hoc enim magis te advocabit. Ne inprobus sis, ne inpingaris et ne longe sis ab eo et eas in oblivionem. Ne retineas ex aequo loqui cum illo et[18] credas multis verbis illius: ex multa enim loquela temptabit te et subridens interrogabit te de absonditis tuis. Inmitis[19] animus illius conservabit verba tua et non parcet de malitia et de vinculis. Cave tibi et adtende diligenter auditui tuo, quoniam[20] subversione[21] tua ambulas[22]. Audiens vero illa quasi in somnis, vide et vigilabis[23]. Omni vita tua dilige deum et invoca eum in salute tua. Omne animal diligit similem[24] sibi, sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi coniungitur et omnis homo simili sibi sociatur. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Que communicatio sancto homini ad canem? aut que pax bona[25] diviti ad pauperem? Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt divitum pauperes. Et sicut abhominatio est superbo humilitas, sic exsecratio divitis[26] pauper. Dives commotus confirmatur ab amicis, humilis autem cum ceciderit, expelletur et a notis. Diviti decepto multi recuperatores[27], locutus est superba[28] et iustificaverunt[29] illum, humilis deceptus est, insuper et arguitur, locutus est sensate et non est datus ei locus. Dives locutus est et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? Et si offenderit, subvertunt illum. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas in ore impii. Cor hominis inmutat fatiem illius, sive in bona, sive in mala. Vestigium cordis boni et fatiem bonam difficile invenies et cum labore. Haec, frater, cave tibi, et post concupiscentias tuas non vadas. II. Quod vero consuluisti sedem apostolicam[31], qui sunt[32] infames,

[II. Quae personae sint infames aut qui non sint ad gradus ecclesiasticos admittendi.][30]

Si oculus tuus — gehennam ignis, Marc. IX. 46. 44. 42.

In bonis viri — subvertat te in foveam, Ecclesiast. XII. 9. 15.

Et qui tetigerit — invenies et cum labore, ibid. XIII. 1—32.

Haec frater — tuas non vadas, Ecclesiastic. XVIII. 30.

1 *Mut.* scandalizavit. 2 *Mut. Sg. Bb. Dst.* vel. 3 *Sg.* indulca inimicos. 4 *Bb.* communicabitur. *Dst.* communicavit. 5 *Sg.* superbis. 6 *Reliqui codd.* superbia. 7 *Mut.* sotiatus. 8 *Mut.* aget. *Bb. Dst.* egit. *Sg. pro* iniuste eget: in egit, *lacunam post* in *exhibens.* 9 *Mut.* fremet. 10 *Deest in Mut.* 11 *Mut.* humilis. 12 *Omitt. Mut. Sg. Bb.* si habes convivet — evacuabit te. 13 *Sg. Dst.* exinaniat. 14 *Mut.* a. 15 *Deest in Dst.* postea videns — movebit ad te. 16 *Bb.* mulieris. 17 *Sg. Dst.* stultitiam. 18 *Mut. Dst. addunt:* ne, *Sg.* non. 19 *Mut.* in intimis. 20 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* cum. 21 *Bb.* conversione. 22 *Bb.* ambulabas. 23 *Mut.* videt et vigilabit. 24 *Dst.* simile. 25 *Deest in Sg. Dst.* 26 *Bb.* diviti. 27 *Om. Mut.* et sicut abhominatio — recuperatores. 28 *Bb.* superbia. *Sg. Dst.* superbe. 29 *Mut.* iustificaverit. 30 *Sec. Bb. et Par.* 4280 *AA. Rubrica et num. deest in Dst. Par.* 840 *in marg.:* de non admittendis ad gradus ecclesiasticos. 31 *Deest in Dst.* sedem apostolicam. 32 *Dst.* que persone sint. *Sg.* qui sint.

aut qui[1] ad gradus ecclesiasticos non sunt[2] admittendi, et[3] nosse te credimus, et pro[4] auctoritate[5] sedis apostolicae te[6] informare non denegamus. [7]Infames autem esse eas personas dicimus qui[8] pro aliqua culpa notantur infamia[9], id est omnes qui cristiane legis normam abitiunt et statuta aecclesiastica contemnunt, similiter fures, sacrilegos et omnes capitalibus criminibus inretitos, sepulchrorum quoque violatores et apostolorum atque successorum eorum reliquorumque[10] patrum statuta libenter violantes[11] et omnes qui adversus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur, similiter incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere aut facultates ecclesiae abstrahunt iniuste, et qui fratres calumniantur aut accusant et non probant vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos[12] vel pro suis sceleribus ab aecclesia pulsos[13], et omnes quos aecclesiasticae vel seculi leges infames pronuntiant. Hos vero non[14] ordines[15], nec servos ante legitimam libertatem, nec paenitentes, nec digamos, nec eos qui curiae deserviunt vel qui non sunt integri corpore aut sanam non habent mentem vel intellectum aut inobedientes sanctorum decretis existunt aut furiosi manifestantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent provehere[16], nec isti nec liberti neque suspecti nec rectam fidem vel dignam conversationem non habentes summos sacerdotes[17] possunt accusare. Sed et qualiter hobedientia vel reverentia sit propositis[18] exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis; in qua re valde est utile, si id quod discipline vigor[19] inponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. Omnipotens deus in cuius manu sunt omnia, de quo scriptum est: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra deum: ipse te tuosque et divina[20] et[21] apostolicae sedis statuta[22] inlibata servare et ad potiora[23] semper conscendere et de die in diem deteriora cavere et meliora ac deo placita sectari atque perficere concedat.

c. II. Infames autem — notantur infamia, l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. I. 2. s. 1. interpr.

qui cristiane legis normam abitiunt sec. Ben. III. 188, add. III. 12. (epit. Aegid. ad c. 1. C. Th. XVI. 2). (Cf. Anacl. 3, Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. x.)

et statuta — contemnunt sec. c. 14. conc. Carth. I. tit. aut Ben. III. 457. tit. Cf. Euseb. 5.

fures sec. Ben. add. III. 101. (l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. II. 32. s. 18).

sacrilegos sec. Ben. II. 369.

et omnes capitalibus criminibus inretitos c. 8. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 85. Cf. Anaclet. 22, Pont. 3, Fab. 13, 26, Steph. 11, Euseb. 3, Fel. II. pp. 12. xv, Sixt. III. pp.

sepulchrorum violatores, epit. Aegid. ad novell. Valentian. tit. V. aut Ben. III. 192.

Similiter incestuosos — adulteros sec. interpr. c. 8. C. Th. IX. 38. Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.

de bellis fugientes sec. praef. conc. XII. Tolet. aut Ben. II. 326. Cf. Euseb. 5.

et omnes qui — infamia notantur, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Fab. 18, Iul. 12, Pelag. II. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5).

et qui fratres — non probant, c. 75. conc. Eliber. aut c. 5. (bis) Angilr.

vel qui contra innocentes — provocant, interpr. c. 3. C. Th. IX. 39.

et omnes anathematizatos, Ben. III. 215.

et omnes quos aecclesiasticae — infames pronuntiant, Ben. III. 437. aut c. 18. Angilr.

Hos vero non — manifestantur sec. Gelas. ep. ad episc. per Lucan. c. 5. (H. no. 82).

nec isti, nec liberti, c. 96. conc. Afric. (D.) aut Ben. III. 99. 437. Cf. Euseb. 3.

nec rectam — possunt accusare, Ben. I. 335. III. 176. (c. 64. conc. IV. Tolet.).

Sed et qualiter hobedientia — laudanda servaverit, Greg. M. ep. V. 10. (2, 735).

Omnipotens deus — consilium contra deum, eiusd. ep. V. 21. (2, 751).

[1] *Dst.* que non sint. [2] *Sg.* sint. *Deest in Dst.* non sunt. [3] *Sg. Dst.* haec. [4] *Sg. Dst.* nos per. [5] *Sg. Dst.* auctoritatem. [6] *Deest in Dst.* [7] *Par.* 840 *et Dst. in marg.:* Quid sit (*Dst.* sunt) infames. [8] *Mut.* quae. [9] *Rubrica* II. *omniaque sequentia usque ad* infamia *in Bb. alia m. s. XI. scripta sunt.* [10] *Bb. Dst.* religiosorumque sanctorum. [11] *Codd. cit.* violatores. [12] *Sg. Dst.* anathematizati. [13] *Sg.* expulsi. [14] *Sg.* extra nos, *quod post. manu corr. in* extraneos. *Mut. add.* ad sacros. [15] *Mut. addit*: licet promovere. [16] *Sg. Bb. Dst.* provehi. [17] *Dst. addit:* non. *In Sg.* non *delet.* [18] *Mut. Sg. Bb. Dst.* praepositis. [19] *Bb.* virgam; *Sg. Dst.* virga. [20] *Mut.* divine. [21] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [22] *Sg. Dst.* instituta. [23] *Sg.* altiora. *Dst.* optiora.

[III. Quod ecclesiastica vestimenta (Dst. III. de vestimentis aecclesiasticis quod) sacrata debeant esse et honesta et a sacratis contingi et ferri hominibus.][1]

III. Vestimenta vero aecclesiastica quibus domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta. Quibus[2] aliis usibus nemo debet frui quam aecclesiasticis in deo[3] dignis officiis. Que nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio que Balthasar percussit super haec transgredientibus et talia presumentibus[4] veniat divina et corruere eos fatiat ad ima. Haec illis in partibus quibus moraris et in omnibus quibus potueris cunctis nota facito, et observare apostolica mandata[5] auctoritate, quia et nostri nobisque commissi in sancta apostolica et[6] universali ecclesia omnes haec observare, nunc et futuris temporibus professi sunt. His breviter tuis frater magnifice respondi[7] litteris. Quibus tua dilectio ita sotietur[8], ut nihil in his quae ad universalis[9] aecclesiae statum[10] pertinent, aut dubie[11] agatur aut segniter[12]. Et cum tali moderatione agantur cuncta, ut nec benevolentiae partes nec iustitiae neglegantur, sed absque[13] personarum acceptione divinum in omnibus iuditium cogitetur. Quod ut[14] recta observantia valeat[15] custodire, catholicae primitus servetur fidei integritas, et quia per omnia angusta et ardua[16] via est quae ducit ad vitam, neque in sinistram neque in dextram ab eius tramite divitetur[17]. Data V. Nonas Maii Valeriano et Gallicano[18] vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA GENERALITER OMNIBUS EPISCOPIS SCRIPTA.[19]

[IV. Ut oppressis subveniatur et ut ecclesiastici ordines non confundantur.][20]

IV. STEPHANUS sanctae apostolicae et universalis Romanae ecclesiae episcopus omnibus per diversas provintias constitutis episcopis in domino salutem.

Primum vel[21] plurimum gaudemus in domino et in dono gratiae ipsius gloriamur, quod fides vestra per bona opera crescit magnifice et dilatatur amplissime. Sed nimis affligimur et tribulamur de vestra oppressione super qua craebrior commeantium usque ad nos fratrum[22] sermo perlatus est. Non oportuerat quidem ab illis a[23] quibus sustentari et portari atque honorari debueratis, tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter[24] necessarium est, ut remotis talium tergiversacionibus, [25]quibus[26] malitia[27] venenosa revelari et obscurari bonitas et veritas solet, adminiculum[28] non modicum vobis a fidelibus inpendatur, atque ab[29] ac[30] apostolica sede[31] suffragetur, quos per divinam gratiam Christi auxilio dignum est adiuvari, ne in totius aecclesiae perturbationem inprudens procedat intentio et ea quae a sanctis praedecessoribus[32] nostris et reliquis sanctis patribus[33] dudum fuerant prohibita, denuo reviviscant[34]. Loci namque nostri consideratione conpellimur ea quae ad[35] noti-

c. III. Vestimenta vero aecclesiastica — sacratis hominibus sec. vit. Steph. c. 3. in libr. pontif.
ne ultio que — fatiat ad ima, sec. conc. Aquisgr. a. 836. lib. II. c. 22.
Quibus tua dilectio ita — tramite divitetur, Leon. M. ep. 85. c. 1. (1, 1050).
Not. cons. sec. vit. Steph. c. 1. in libr. pontif.
c. IV. plurimum gaudemus — et dilatatur amplissime, init. Leon. ep. 80. (1, 1038).
Quapropter necessarium est — inprudens procedat intentio, sec. eiusd. ep. 70. (1, 1010. 1011).
Loci namque nostri consideratione — opem ferendo postponere, Greg. IX. 41. (2, 957).

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* III. de vestimentis aecclesiasticis quod nullo debent frui in aecclesiastico officio, ne contingi nisi a sacratis hominibus. *Par.* 840 *in marg.:* non utendum vestimentis sacris, nisi in divinis offitiis. [2] *Sg. Bb. Dst. addunt:* in. [3] *Mut.* et *pro* in deo. *Sg.* in et in deo. [4] *Bb. Dst.* transgredientes et talia praesumentes. [5] *Codd. cit.* manda. *In Sg.* mandata *post. manu corr. in* mandato. [6] *Deest in Dst.* nostri vobisque — apostolica et. [7] *Mut.* responsis. [8] *Mut.* sotiatur. [9] *Mut.* diversalis *pro* ad universalis. [10] *Mut. Bb.* statutum. [11] *Sic* dubio *in Sg. manu post. corr.* [12] *Dst.* segnius. [13] *Dst.* ab his sine. *Sg.* in his absque. [14] *Deest in Dst., in Sg. manu post. addit.* [15] *Sg. Bb. Dst.* valeant. [16] *Mut. Dst.* arcta. [17] *Mut. Sg. Bb. Dst.* devietur. [18] *Bb.* Gallieno. [19] *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Stephani papae. *Dst.* C. s. universis episcopis per diversas provincias constitutis. [20] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [21] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* primum vel. [22] *Deest in Sg. Dst.* usque ad nos fratrum. [23] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [24] *Sic corr.* quia propter *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [25] *In Sg. manu post. add.* a [26] *Mut.* qua. [27] *Sg.* venenum a malitia, *quod post. manu corr. in* venenum ac malitia. [28] *Dst. addit:* vel. [29] *Deest in Mut.* [30] *Deest in Mut. Sg. Bb.* [31] *In Sg. manu post. add.* eis. [32] *Sg.* praecessoribus. [33] *Deest in Sg. Dst.* [34] *Mut.* revivescant. *Dst.* revirescant. [35] *Deest in Dst.*

tiam[1] nostram[2] emendanda pervenerunt, propter deum non relinquere[3], sed digna emendatione corrigere. Et si secularibus offitiis ordo suus et tradita a maioribus disciplina servanda est, quis ferat aecclesiasticos ordines temeraria praesumptione confundi, audita neglegere et emendanda[4] non opem ferendo postponere[5]? Audivimus enim vos a quibusdam accusari non tam pro vestra culpa, quam[6] eorum libitu, ut vestra rapere possint et ideo vos nimis affligi et concuti intantum, ut etiam[7] a sedibus propriis pellemini[8] et tali occasione aecclesiae facultates vestraeque[9] vastentur[10] ac depraedentur[11]. Ista, karissimi, non oportet fieri nec denuo replicari.

[V. Ut quae totiens usurpantur sepius replicentur et prohibeantur.][12]

V. Tamen necesse est quae totiens usurpantur, sepius replicentur et prohibeantur. Nam quicquid in sacratis deo[13] rebus et episcopis iniuste agitur pro sacrilegio reputabitur, quia sacra sunt et violari a quoquam non debent.

[VI. Ut nullus episcopus possit accusari dum suis est rebus expoliatus aut a propria sede pulsus.][14]

VI. Nullus enim episcoporum, dum suis fuerit rebus expoliatus aut a sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari aut a quoquam potest ei crimen obici, priusquam integerrime restauretur et omnia que ei ablata quocumque sunt[15] ingenio legibus redintegrentur, et ipse propriae sedi et pristino statui regulariter[16] reddatur, ita ut omnes possessiones et cuncta sibi iniuste sublata atque fructus omnes ante coeptam accusationem primates et sinodus episcopo de quo agitur funditus restituant, quia hoc non solum aecclesiasticae, sed etiam saeculi leges fieri prohibent. [17]Neque aliquis eorum aut aecclesiarum auctorum[18] vel defensorum ad[19] aliquos[20] prius accusari debet[21] quam ipsi caritative bis[22] aut ter ab eis qui se lesos estimant[23] vel eos pro aliquibus erratibus[24] corripere cupiunt, conveniantur[25], ut ab eis aut familiarem emendationem aut iustam[26] percipiant[27] excusationem. Quod qui[28] praesumpserit, liminibus arceatur aecclesiae usque ad condignam satisfactionem.

[VII. De accusatoribus.][29]

VII. Accusatores vero et accusationes quas saeculi leges non recipiunt et antecessores nostri prohibuerunt, et nos submovemus. Nullus enim alienigena[30] aut accusator eorum fiat aut iudex. Unde et de Loth scriptum est: Ingressus es ut advena, numquid ut iudices[31]? Accusator autem vestrorum nullus sit servus aut libertus nullaque suspecta[32] aut infamis persona. [33]Repellantur etiam quohabitantes inimicis et omnes laici, quia infestationem[34] blasphemiae affectio amicitiae[35]

c. V. *Nam quicquid in — a quoquam non debent* sec. Ben. II. 115 tit. (ut videtur, cf. quoque Ben. II. 394).
c. VI. *Nullus enim — restauretur*, Ben. III. 153. Cf. Praef. 6, Fel. II. pp. 12. IV.
priusquam — statui regulariter reddatur sec. Syn. III. Symm.
atque fructus — restituant, lex Rom. Visig. Cod. Gregor. III. 5. 1. aut Ben. add. III. 103. Cf. Euseb. 12, Syn. V. Symm., Ioann. 1. ep. 1.
Neque aliquis eorum — liminibus arceatur, Ben. III. 350 et add. III. 22. (c. 17. conc. V. Aurel.). Cf. Fel. II. pp. 3. (Alex. 8).
c. VII. *Accusatores vero et — et nos submovemus*, Ben. III. 108. (c. 96. conc. Afric. D.). Cf. Ben. II. 381. III. 307, Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Euseb. 2, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. XV, Dam. 14.
Nullus enim alienigena — fiat aut iudex sec. Ben. II. 343. (l. Visig. II. 1. 9). Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.
Ingressus es — ut iudices, Gen. XIX. 9.
Accusator autem — aut infamis persona sec. c. 96. conc. Afric. D. aut Ben. III. 99. 437. (Cf. s. c. 2, Euseb. 3.)
Repellantur etiam — quohabitantes inimicis sec. Ben. III. 187.

1 *Sg. Bb.* notionem. *Dst.* nocione. 2 *Dst.* vestram. 3 *Sg.* derelinquere. 4 *Mut.* emendata. 5 *Sg. Dst.* praeponere. *In marg. Dst.* iniuria episcopi sacrilegium est. 6 *Mut. addit:* pro. 7 *Deest in Sg. Dst.* 8 *Sg. Bb. Dst.* pellamini. 9 *Bb. Mut.* vestrasque. *Sg.* facultatesque vestrae. *Dst.* facultatesque vestras. 10 *Dst.* vastent. 11 *Deest in Sg. Dst.* ac depraedentur. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Par.* 840 *in marg.:* iniuria episcopi sacrilegium est. 13 *Bb.* dei. *Sg. Dst.* id est. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Par.* 840 *in marg.:* Quod non debeat accusari episcopus suis rebus expoliatus. 15 *Mut.* fuerant. *Bb.* sint. 16 *Deest in Dst.* 17 *Bb. rubricam ponit:* ut non accusetur qui suis expoliatur. 18 *Mut. addit:* eorum. 19 *Sic corr.* et *sec. Mut. Bb. Dst. Deest* et *in Sg.* 20 *Sg.* aliquis. 21 *Mut.* debent. 22 *Mut.* caritatis verbis. 23 *Sg. Dst.* existimant. 24 *Bb.* errantibus. 25 *Dst.* conveniatur. 26 *Mut.* iuxtam. 27 *Dst.* percipiat. 28 *Deest in Mut.* 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb. Par.* 840*:* qui sunt qui accusare nequeunt. 30 *Mut.* advéna. *Sg. Bb. Dst.* alienus. *In Bb. m. s. XI. in marg. additur:* alii: alienigena. 31 *Sg. add.* nos. 32 *Sic corr.* suspeccata *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 33 *Bb. rubricam ponit:* ut cohabitatores inimici et omnes laici reppellantur ab accusatione episcopi. 34 *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* infestatione. 35 *Sg.* inimicitiae.

incitare solet[1]. Nec illi in vestra sunt suscipiendi[2] accusatione, qui[3] vos[3] in sua[4] nolunt[5] recipere infamatione[6]. Nullus enim anathema suscipiatur[7] nec a quoquam credatur[8] que ab eis vel dicuntur vel conscribuntur[9]. Eos dico[10] anathematizatos esse, quos episcopi suis scriptis anathematizaverunt aut[11] eorum statuta anathematizant. VIII. Per scripta enim nullius accusatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima et condigna accusatoris persona fuerit, praesente videlicet eo quem accusare desiderat, quia nullus absens aut accusari potest aut accusare. Nullus tamen prefati ordinis vir accusari potest aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter a suo primate vocatus sit locúmque defendendi et inquirendi accipiat ad abluenda crimina.

[VIII. Ut per scripta nullius accusatio suscipiatur sed propria voce quia nullus absens iudicari potest aut iudicare.][12]

IX. Nulli enim metropolitani aut alii episcopi appellantur[14] primates, nisi hi[15] qui primas sedes tenent et quorum civitates antiqui primates esse censuerunt. Reliqui vero qui ceteras metropolitanas civitates adepti sunt, non primates, sed aut[16] archiepiscopi aut metropolitani vocentur[17]. Urbes enim et loca quibus primates praesidere debent, non modernis, sed etiam multis ante adventum Christi sunt statute[18] temporibus, quarum primates etiam gentiles pro maioribus negotiis appellabant. In ipsis vero urbibus post Christi adventum apostoli et successores eorum patriarchas vel primates posuerunt. Ad quos episcoporum negotia, salva in omnibus apostolica auctoritate, et maiores cause post apostolicam sedem sunt referendae. X. Et licet apostolo prohibente inter christianos non debeant accusationes exerceri[20], si[21] prohiberi[22] non poterit[23], accusationes episcoporum ad memoratos primates debent ab accusatoribus deferri. Studendum tamen episcopis, ut[24] dissidentes fratres magis ad pacem quam ad iuditium coerceantur[25]. Episcopus[26] autem aliter non debet audiri vel iudicari[27], nisi in praesentia omnium provintialium[28] et ab omnibus conprovintialibus episcopis, quia ipsis absentibus nec debet nec potest. Que vero personae ad accusationem eorum non sunt admittendae, et[29] superius ex parte dictum est et latius tam hi quam et infames personae in epistola[30] quam dudum Hilario misimus, sunt adnumerate. Ultra provintiae[31] vero terminos accusandi licentiam[32] non progrediatur, sed omnis accusatio intra provinciam audiatur, et a conprovintialibus terminetur, nisi ad sedem apostolicam

[IX. Qui primates appellentur et qui archiepiscopi (*Bb. add.* et, *Dst.* et qui) metropolitani.][13]

[X. De accusacionibus episcoporum et qualiter audiri vel iudicari debeant.][19]

Nec illi sunt — infamatione sec. Ben. III. 211. (Cf. Telesf. 1, Fab. 13, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3, Iul. 19.)

Nullus enim — conscribuntur sec. Ben. III. 215. Cf. Calist. 9, Fab. 5, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.

c. VIII. Per scripta — desiderat. Cf. Calist. 17.

quia nullus absens — aut accusare, l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 5. s. 9. aut Ben. III. 354, add. III. 102. Cf. c. 4. Angilr. (Fel. I. pp. 13).

Nullus tamen prefati — abluenda crimina, Ben. I. 392. II. 381. III. 184. aut c. 19. Angilr. (Act. apost. XXV. 16). Cf. Marcelli 9, Iul. 17, Dam. 19, Dam. ad episc. Ital.

c. IX. Nulli enim — metropolitani vocentur, Ben. III. 439. (III. 29, c. 6. conc. Afric. et c. 12. conc. Chalc. D.). Cf. Annic. 3. (Clem. 28. 29, Anacl. 26. 28, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII.).

c. X. accusationes episcoporum — deferri, c. 19. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 89, 156. Cf. Fel. I. pp. 9, c. 4. Angilr.

Studendum est — coerceantur, c. 26. conc. IV. Carth. aut Ben. II. 381. Cf. Fel. II. pp. 12. III.

Episcopus autem aliter — nec debet nec potest sec. Ben. III. 104 tit. (c. 15. conc. Ant. D. cf. Ben. II. 381, c. 26. Angilr.). Cf. Fab. 26, Fel. II. pp. 12. XVIII.

Ultra provintiae terminos — tantum appellatum, c. 9. Angilr. (Ben. II. 381. des. ex c. 10. C. Th. IX. 1, c. 15. conc. Antioch. D.). Cf. Iul. 17. (Fel. I. pp. 9.)

[1] *Bb.* solent. [2] *Sg. Dst.* possunt suscipi. *Mut.* sunt suscipienda. [3] *Sg. Dst.* quos. [4] *Sg. Dst.* suam. [5] *Sg.* volunt. [6] *Mut. Sg. Dst.* infamationem. [7] *Dst.* nulli enim anathematizati suscipientur. *Sic* nullus enim anathema suscipiuntur *in Sg. manu post. corr.* [8] *Sg.* credantur. [9] *Mut.* scribuntur. [10] *Dst.* autem. [11] *Sg. Dst.* et. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* VIII. Ut per scripta nullius accusatio suscipiatur sed propria voce. *Par.* 840 *in marg.:* de ordine accusandi. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst. Par.* 840 *in marg.:* primates. [14] *Sg. Dst.* appellentur. [15] *Deest in Mut.* [16] *Deest in Mut.* [17] *Mut.* vocantur. [18] *Mut.* state. [19] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.* [20] *Mut.* exercere. [21] *Om. Mut.* [22] *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* prohibere. [23] *Codd. cit.* potuerint. [24] *Mut.* aut. [25] *Mut. Sg. Bb.* cohortentur. [26] *In marg.:* episcopos ab omnibus conprovincialibus audiendos. [27] *Deest in Mut.* vel iudicari. [28] *Mut. Sg. Bb. Dst.* conprovincialium. [29] *Sic corr.* ut *sec. Mut. Sg. Bb.; deest in Dst.* [30] *Dst. in marg.:* nec laici infestent. [31] *Sg.* provintiarum. [32] *Sg. Bb. Dst.* licentia.

[XI. Quod neganda sit accusatis licencia criminandi, priusquam se crimine exuerint et familiaribus adque sponte confessis et his qui esterno aut perhendie aut ante fuerunt inimici.][1]

fuerit tantum appellatum. XI. Et neganda est accusatis licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint[2], quia non est credendum contra alios eorum confessioni[3] qui criminibus inplicati sunt, nisi se prius probaverint innocentes, quoniam periculosa est et admitti non debet[4] rei[5] adversus quemcumque professio. Familiares vero et sponte confessi atque sceleribus inretiti non debent admitti, nec hi qui externa[6] die aut perendie aut ante fuerunt inimici.

[XII. Clericis non licere episcopum accusare et quod episcopi dei throni vocentur.][7]

XII. Clericus ergo[8] qui episcopum suum accusaverit aut ei insidiator extiterit, non est recipiendus, quia infamis effectus est et a gradu debet recedere aut curiae tradi serviendus[9]. Laicis[10] quoque, quamvis religiosi sunt[11], nullo[12] tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi[13] legitur umquam attributa facultas. Scimus, dilectissimi, quia semper carnales spiritales solent persequi et malivoli benevolos infamari et lacerari[14]: idcirco apostoli et successores eorum ac reliqui sancti patres noluerunt fieri facile in episcoporum[15] accusationem[16], quoniam, si[17] facilis esset, aut nullus aut vix aliquis modo inveniretur. Troni enim dei vocantur, ideo non debent moveri aut affligi vel perturbari. De ipsis ergo ait propheta: Caeli enarrant gloriam dei, et opera manuum eius adnuntiat firmamentum. Hi vero qui non sunt bone conversationis et quorum vita est accusabilis aut quorum fides, vita et libertas[18] nescitur, non possunt eos accusare.

[XIII. Qualiter sint personae accusatorum inquirendae et ea quae obiciuntur.][19]

XIII. Primo semper[20] accusatorum persone, fides, vita et conversatio est enucleatim inquirenda, et postea[21] quae obiciunt fideliter sunt pertractanda, quia nihil prius fieri debet, quam[22] ut praedictorum[23] persone fidesque[24] vita et conversatio diligenter discutiatur, ne alicuius invidia aut inimicitia vel intentione mala quisquam vexetur. Criminationes[25] adversus doctorem nemo suscipiat, quia magis sunt doctores portandi quam ledendi aut infamandi. Unde ait apostolus: Alter alterius honera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Caritas autem non est ambitiosa, non emulatur, non inflatur, non querit que sua

c. XI. Et neganda est — premuntur exuerint, c. 12. C. Th. IX. 1. aut Ben. III. 453.
quia non est — quemcunque professio, interpr. c. 12. cit. aut Ben. III. 324. aut c. 30. Angilr.
quoniam periculosa etc. Cf. Dion. 4, Iul. 12.
Familiares vero, l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 17. s. 1. Cf. Calist. 17.
et sponte confessi sec. Ben. I. 313. aut Ennod. ep. I, 4. (p. 8.). Cf. Euseb. 3, Dion. 4, Iul. 12.
atque sceleribus inretiti, c. 8. conc. Carth. D. aut Ben. III. 85. aut c. 14. Angilr. Cf. s. c. 2.
nec hi qui externa — fuerunt inimici, Ambros. ep. 5. no. 2. (2, 765). Cf. Anacl. 35, Fab. 13.
c. XII. Clericus ergo qui — serviendus sec. epit. cod. Par. suppl. lat. 215. ad c. 5. C. Th. XVI. 1. Cf. Pii 10, Fab. 21.
Laicis quoque — attributa facultas, exempl. const. Symm. c. 2. aut Ben. I. 403. II. 393. III. 199. III. 207.
patres noluerunt — inveniretur. Cf. Eutic. 9. (Fab. 19, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3, Iul. 19).
Troni enim dei — perturbari, c. 5. conc. XI. Tol. aut Ben. II. 104, 357. III. 156. Cf. excerpt. Silv. 8, Fel. II. pp. 12. xviii., Greg. M. ep. ad Fel.
Caeli — firmamentum, Ps. XVIII. 3.
Hi vero qui — est accusabilis, cap. ecclesiast. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13, 25 (c. 13. Angilr., Fel. I. pp. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3).
aut quorum — eos accusare, Ben. II. 359. III. 112. aut c. 13. Angilr. Cf. Calist. 17, Fab. 13, 25, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.
c. XIII. Primo semper — diligenter discutiatur, Ben. I. 393. II. 381. III. 84, 97. et c. 12. Angilr. (c. 17. conc. Afr. D., c. 21. conc. Chalc. D. c. 8. conc. Carth. D.). Cf. Marcelli 11, Fel. II. pp. 12. xiv.
ne alicuius — quisquam vexetur sec. Ben. III. 156. Cf. Evar. 10.
Criminationes adversus — suscipiat, Ben. II. 357. aut c. 12. (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250). Cf. Calist. 3, Euseb. 17, Sixt. III. pp.
Alter alterius — legem Christi, Galat. VI. 2.
Caritas autem — que Iesu Christi, I Cor. XIII. 4. 5.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 2 *Mut.* praemitur exuerit. 3 *Mut.* confessio nisi. 4 *Dst.* debetur. 5 *Sg.* eius. 6 *Bb.* esterna. *Dst.* hesterna. *Sic al. manu in Sg.* externa *corr.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. Bb.* XII. de clerico qui episcopum accusaverit quod grado recedere et curie sit tradendus. *Par.* 840 *in marg.:* clericus non accuset episcopum suum. 8 *Sg. Dst.* vero. 9 *Sic Mut. Sg. Dst.* serviturus. *Cod. Par.* 840. *Bb.* serviendi. 10 *Cod. in marg.:* laici non disponant res ecclesiae. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* sint. 12 *Mut. Bb.* nulla. *Dst.* nulli. *Sic quoque Sg., qui postea corr. in:* nullis. 13 *Sic corr.* deponendi *sec. codd. cit.* 14 *Sg. Bb. Dst.* infamare et lacerare. 15 *Sg. Dst. Bb.* episcopos. 16 *Mut.* facilem episcoporum accusationem. 17 *Deest in Mut.* 18 *Mut.* conversatio. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 20 *Mut.* enim. 21 *Sg. Dst. add.* ea. 22 *Deest in Dst.* 23 *Mut.* inpetitorum, *Bb.* inpeditorum *pro* ut praedict. 24 *Sg. Bb. Dst.* fides. 25 *In marg.:* crimina contra doctorem non suscipientur.

sunt, sed que Iesu Christi[1]. Qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo; et qui in deo manet, nullum[2] vult nocere, sed omnes desiderat adiuvare et sustentare, sicut ipse dominus omnes venit salvare et animam suam dare[3] redemtionem pro nobis[4]. Eorum autem accusandi sacerdotes vel testificandi in eos vocem obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus dampnatos vel mortuos esse agnoscimus[5]. Praevidere ergo summopere debent omnes qui sacerdotes domini persecuntur tam occulte quam manifeste, ne subiectis domini dampnentur praeceptis. Per Hieremiam autem prophetam[6] tales comminando dominus loquitur dicens: Iniquitates nostrae declinaverunt omnia[7] et[8] peccata nostra amoverunt bona[9] a nobis, quia inventi sunt in populo meo impii et loquentes vana. Statuerunt ad disperdendos viros et conprehenderunt, ut laqueus venantis plenus volatilibus, sic domus eorum plena dolo. Et per David ait: Qui cogitaverunt[10] malitias in corde tota die versati[11] sunt in preliis: exacuerunt linguas suas quasi serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Et paulo post: Cadent super eos carbones in igne[12], deicies[13] eos in foveas, ut non consurgant. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniquum mala capient in interitu. Scio[14] quia faciet[15] dominus causam inopis, iuditia pauperum. Item idem: Muta fiant labia dolosa. Et iterum per Hieremiam inquit: Omnes in sanguine iudicantur; unusquisque proximum suum tribulat: omnes in malum manus suas preparant. Hos dominus previdens apostolis precepit, ne facile servi sui lacerarentur[16], ne forte perderent[17] aut in talem temptationem inciderent, quam[18] ferre minime[19] possent. Idcirco sancti apostoli et successores eorum decretorum normas statuerunt, ne talium vox, quae magis perdere nititur innocentes et simplices quam salvare, facile reciperetur, sed ipsi his iaculis pellerentur procul et domini discipulos iuxta voluntates et versutias eorum minime perdere possent. Unde et ipse dominus ait: Excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Et alibi ipsa per se veritas de talibus[20] dicit: Melius est illi, ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur[21] in profundum maris, quam scandalizet unum de pusillis istis. Et Iacobus apostolus inquit[22]: Iuditium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam[23]. Et Ioannes apostolus et evangelista ait: Qui odit fratrem suum homicida est, et scitis quia omnis homicida non habet vitam aeternam[24] in se manentem. Vos tamen, filii karissimi, hortamur ut patienter mala vobis inlata domini adminiculo portetis et his apostolicis praeceptis tales procul pellite, ne more canino vos lacerare aut mordere valeant. Mementote etiam quia iuxta psalmographi vocem homo sicut fenum dies eius, et[25] ut flos agri ita floriet[26]. Et apostolus ait: Totus mundus in maligno positus est. Unde praecamur ne tales multum timeatis, quia infames sunt et non

Qui manet — et sustentare, I Ioann. IV. 16.
sicut ipse dominus — pro nobis, Matth. XX. 28.
Eorum autem accusandi — vel mortuos esse cognoscimus, Ben. III. 322. aut c. 28. Angilr. (l. Visig. II. 4. 7; cf. quoque Ben. III. 440). Cf. Alex. 5, Melc. 5, Pelag. II. pp. ep. 3.
Iniquitates nostrae — eorum plena dolo, Ier. V. 25—27.
Qui cogitaverunt — sub labiis eorum, Ps. CXXXIX. 3. 4. vers. Hier.
Cadent super — iuditia pauperum, ibid. 11—13. vers. Hier.
Muta fiant labia dolosa, Ps. XXX. 19.
Omnes in sanguine — suas preparant, Mich. VII. 2.
Excutite pulverem — testimonium illis, Marc. VI. 11.
Melius est illi — de pusillis istis, Matth. XVIII. 6.
iuditium sine — misericordiam, Iac. II. 13.
Qui odit — in se manentem, I Ioann. III. 15.
Mementote etiam — positus est, Bonifac. ep. 92. (p. 262).

[1] *Deest in Sg. Dst.* caritas autem non — que Iesu Christi. [2] *Mut.* nulli. [3] *Mut. add.* in, *Sg. Dst.* ad. [4] *Sg. Dst.* vobis. [5] *Mut.* cognoscitis. *Sg. Dst. Bb.* cognoscimus. [6] *Dst. addit:* ad. [7] *Mut.* nos. [7 & 8] *Sg. Dst.* et omnia. [9] *Deest in Sg. Dst.* [10] *Sic corr. sec. reliq.* cogitaverit. [11] *Mut.* conversati. [12] *Sg.* ignem. [13] *Mut.* deice. [14] *Sg. Dst.* Scit. [15] *Om. Sg. Dst.* [16] *Sg. Dst.* lacerentur. [17] *Mut. Dst. Bb.* perderentur. [18] *Mut.* quae. [19] *Mut.* non. [20] *Deest in Sg. Dst.* de talibus. [21] *Sg. Dst.* dimergatur. [22] *Mut.* dicit. *Bb. Dst.* dixit. [23] *Om. Sg.* Et Iacobus — fecerit misericordiam. [24] *Om. Mut.* [25] *Om. Sg. Dst.* [26] *Bb.* florebit. *Dst.* foret.

multum vos nocere possunt, quia eorum vox extincta est, quoniam sic[1] odit deus eos, qui adversus patres armantur, ut patrum invasores, qui in omni mundo infamia sunt notati. Armamini ergo his apostolicis adminiculis contra eos, et spiritu principali roborate corda vestra, ut deus qui vos pastores in populo suo vocari voluit, non neglegentes aut tepidos, lupis supervenientibus fugientes inveniat, sed exemplo boni pastoris agnos pariter cum matribus et filiis ac filiabus viriliter defensantes atque ad sanctam matrem aecclesiam fideliter reportantes semper inveniat. Et quamquam dies mali sint, vos tamen nolite esse inprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas dei. Quamobrem confortamini et state in fide viriliter agentes, ac omnia vestra in caritate fiant et secundum[2] sanctum evangelium[3]: In patientia vestra possidete[4] animas vestras. Recordamini quoque sanctorum apostolorum et prophetarum, et quia multum laboraverunt in domino, ideo adepti sunt praemia sempiterna. Scitote etiam quoniam iuxta psalmistae[5] vocem: Multe tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit[6] eos dominus. Quapropter, filii karissimi, hortamur vos et depraecamur, ut crebris orationum vestrarum[7] praecibus deum exhoretis, ut liberemur et nos et vos iuxta dictum apostoli ab importunis et malis hominibus, quia non omnium est fides. Flagitate etiam, ut deus et dominus noster, qui est refugium pauperum et spes humilium, sanctam suam aecclesiam pretioso videlicet[8] sanguine suo redemptam, et nos qui eamdem sanctam aecclesiam[9] docere, regere, portare et tueri debemus[10], a[11] praedictis oppressionibus et temptationibus[12] saeculi huius nequam atque de omnibus necessitatibus nostris misericorditer eruat[13], ut[14] sermo dei currat et clarificetur gloriosum aevvangelium domini nostri Iesu Christi, et gratia eius in nobis vacua non fiat, ne sine fructu aevvangelii, quod absit, steriles in conspectu dei appareamus[15] et vacui[16] filiorum[17] filiarumque[18] numero revertamur, nec de abscondito[19] talento domino veniente rei esse[20] iudicemur; ista[21] enim semper invidet satan, et idcirco tales adversum nos suscitat, qui nos praemant et suffocent, ut domini oves absque[22] nos[23] rapiat et in ima, non existentibus pastoribus qui eas[24] custodiant et defendant, ruere faciat. Vos ergo pro viribus laborate et orate atque vigilate, ne haec fiant, scientes nos semper paratos esse in omnibus quibuscunque posse dominus dederit modis, vobis opem ferre, licet nos ab ipsis aemulis sanctae dei aecclesiae et vestris[25] non simus excepti et tribulationes cordis nostri pro vestra et nostra tribulatione sive ovium nobis commissarum admodum sint dilatate. Vos quoque obsecramus[26], ut iniunctum vobis[27] a domino famulatum non neglegatis et omnes oppressos et cunctos dei servos atque generaliter omnes christianos, prout dominus posse dederit, adiuvare studeatis[28], ut ante tribunal Christi mercedem habeatis perpetuam. Et scitote quod memoria vestri[29] coram deo est[30] assidue et ante corpora apostolorum pro vobis preces fiunt[31] cotidiae, ut et vos liberemini ab inportunis et malis hominibus domini auxilio et oves vobis

quia eorum vox exstincta est, interpr. c. 3. C. Th. IX. 6.

quoniam sic odit — infamia sunt notati, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Alex. 6, Euseb. 5. (Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1).

spiritu principali roborate — liberabit eos dominus, Bonifac. ep. 22. (p. 57).

Quapropter filii karissimi — rei esse iudicemur, init. Bonifac. ep. cit. (p. 56).

scientes nos — opem ferre, Cuthberti ep. ad Lullum (int. S. Bonifac. ep. no. 114. p. 292).

et tribulationes cordis — admodum sint dilatate, Bonifac. ep. cit. (p. 56).

et cunctos dei servos — deo est assidue, Bonifac. ep. 92. (p. 262).

1 *Om. Dst.* 2 *Deest in Dst.* 3 *Dst. addit:* dicit. 4 *Dst.* possidebite. 5 *Sg.* psalmi. 6 *Sg. Bb. Dst.* liberavit. 7 *Mut.* nostrarum. 8 *Deest in Bb.* 9 *Deest in Mut. Sg. Dst.* pretioso videlicet — eamdem sanctam aecclesiam. 10 *Sg.* dignetur. 11 *Dst.* de. *Sg.* et de. 12 *Deest in Mut. Bb. Sg. Dst.* et temptationibus. 13 *Mut.* eruet. 14 *Bb.* et. *Deest in Dst.* 15 *Mut.* inveniamur. 16 *Mut. addit:* a. 17 *Bb.* filiorumque. 18 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 19 *Mut.* absconso. 20 *Mut. Bb.* recte *pro* rei esse, *quod deest in Sg. Dst.* 21 *Sg. Bb. Dst.* istis. 22 *Codd. cit.* atque. 23 *Mut.* nobis. 24 *Dst.* nos. 25 *Mut. Sg. Bb. Dst.* nostris. 26 *Mut.* exsecramus. 27 *Mut.* nobis. 28 *Mut.* studeamus. 29 *Bb.* memoriam vestram. *Dst.* memoria vestra. *Sg.* memoria vestram. 30 *Mut.* esse. 31 *Sg. Dst.* sunt.

commissae ad pascua aeternae vitae una vobiscum perveniant sempiterno[1]. Unitatem et communionem[2] dilectionis vestrae valentem atque proficientem in salutem omnium dominus omnipotens memorem[3] nostri[4] aeternaliter custodiat, amen. Data Nonas Aprilis Valeriano et Gallicano vv. cc. conss.

INCIPIUNT[5] DECRETA SIXTI[6] PAPAE.[7]

[I. De errore hereticorum execrando et quod filius dei non sit natus ex tempore neque post tempora sed ante omnia tempora paterno utero generatus inenarrabiliter.][8]

I. SYXTUS[9] episcopus GRATO coepiscopo salutem.

Letari et gaudere me plurimum in Christo Iesu domino nostro dilectionis tuae scripta fecerunt, quibus aevidenter ostenditur, quantum catholicam diligis fidem et quantum pravorum hominum detestaris errorem: omnis enim heresis nimis est impia[10] et aevangelicae veritatis inimica, quae non portionem aliquam ledere, sed ipsa christiana[11] religionis conatur fundamenta convellere. Memor enim sum mae sub illius nomine aecclesiae praesidere, cui[12] a domino Iesu Christo est glorificata confessio et cuius fides nullam unquam fovet, sed omnes quidem hereses destruit. Intellego autem mihi aliter non licere quam ut omnes conatus meos ei causae in quam[13] universalis aecclaesiae salus infestatur[14] inpendam. Agnosce, karissimae fili, non ex tempore neque post tempora filium dei natum, sed ante omnia tempora[15] de paterno utero inenarrabiliter generatum, ipso deo patrae per prophetam dicente: In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Quam sententiam et Isaias[16] propheta dubiis atque incredulis evidenter expressit[17], dum non aliunde filium quam de patre ineffabiliter natum ostendit: In humilitate, inquid[18], sublatum est iuditium eius[19], nativitatem[20] autem[21] eius quis enarrabit? Et[22] in libro Iob: Sapientiam[23] dei, ait, unde invenies[24]? Latet enim ab[25] oculis hominum et a[25] volucribus caeli absconsa[26] est. Expergiscere paululum, et si lumen scientiae in teipsum[27] aliquantam[28] habes, invenies eum[29], neque[30] cuius nativitas a propheta non potuit enarrari ex tempore vel ut[31] adstruere ipse conaris, non potuit generari. In principio, inquit Iohannes evangelista, erat verbum, et verbum erat apud deum, et deus erat verbum[32], hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et iterum: Erat lux vera quae inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In isto igitur quod dicitur: Erat, si tempus querere volueris, non[33] invenies, quoniam ex quo pater, ex illo et filius, et quod pater est, id est etiam filius[34], Salomone dicente: Ego ex ore altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam; ego feci ut in celo oriretur lumen indeficiens, et nebula[35] texi omnem terram; ego in altissimis habito[36] et thronus meus in columna nubis; gyrum caeli circuivi sola[37] et profundum abyssi penetravi; in omnem terram[38] steti et in omni gente et populo primatum habui.

Unitatem et communionem — aeternaliter custodiat, Bonifac. ep. 36. (p. 83).
Nota cons. sec. Steph. vit. c. 1. in libro pontif.
c. I. Letari et gaudere — convellere, Leon. M. ep. 60. (1, 982). Cf. Fel. I. pp. 1, 8.
Memor enim — infestatur inpendam, eiusd. ep. 61. c. 2. (1, 984). Cf. Calist. 6, Pelag. I. pp. ep. i. f.
Agnosce, fili karissime, non ex tempore — tempore nasci non potuit, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 730).

1 *Bb. Dst.* sempiterna. *Sg.* sempiternam. 2 *Sg. Dst.* communicationem. 3 *Mut.* memores. 4 *Deest in Dst.* memorem nostri. 5 *Bb.* Incipit. *Deest in Dst.* 6 *Dst.* Syxti. 7 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola sancti Syxti papae. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus num.* 9 *Mut. Sg.* Sixtus. 10 *Sg.* infra. *In margine legitur:* infesta. 11 *Sg. Dst.* sed et ipsa christianae. 12 *Sg. Bb. Dst.* cuius. 13 *Codd. cit. et Mut.* qua. 14 *Bb. Dst.* praestatur. 15 *Om. Dst.* tempora. *Om. Sg.* filium dei natum, sed ante omnia tempora. 16 *Sg.* Esaias. 17 *Sg.* ut Christus sit deus. 18 *Sic sec. Bb. Dst. corr.* in quibus. *Mut. Sg.* inquam. 19 *Deest in Mut.* iudicium eius. 20 *Mut.* generationem. 21 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 22 *Om. Sg.* 23 *Sg. Bb. Dst.* Sapientia. 24 *Dst.* veniet. 25 *Deest in Mut.* 26 *Dst.* abscondita. 27 *Sg. Dst.* teipso. 28 *Bb.* aliquantum. *Sg. Dst.* aliquantulum. 29 *Deest in Mut. Dst.* 30 *Deest in Sg. Dst.* 31 *Mut.* vero vel. *Bb. Sg.* vero velut. *Dst.* vero ut. 32 *Deest in Sg. Dst.* et verbum erat — deus erat verbum. 33 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 34 *Deest in codd. cit.* et quod pater — etiam filius. 35 *Mut.* nebulam. 36 *Bb.* inhabito. *Sg.* habitabo, *quod manu post. corr. in* habito. 37 *Mut.* solus. 38 *Sg. Dst.* omni terra.

Item ibi: Cum pararet celum aderam illi, et cum secerneret suam sedem. Quando super ventos fortes faciebat in summo nubes[1] et cum certos ponebat fontes sub caelo, cum fortia fatiebat fundamenta terrae[2], ego eram cum illo componens, et ego eram cui adgaudebat cum laetaretur[3] orbe perfecto. Et in psalmo centesimo primo: Tu, domine, in principio terram fundasti et opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur; tu autem idem ipse es et anni tui non defitient[4]. Non enim erat aestus[5] aut aliquando temporis[6], antequam de patre filius nasceretur, quoniam qui tempora universa propria potestate constituit, ex tempore vel post tempora nasci non potuit. His paucis sententiis breviter consultis tuis respondi, frater karissimae.

De cetero tuam moneo dilectionem, ut cunctos quos errare cognosceris[7], ad catholicam fidem et ad unitatem recte credentium convertere studeas et tu numquam ab apostolico tramite recedas. Si autem te non viderint[8] et errantes, quod absit, permanserint, nobis eos manifestare quam citius poteris non tardes, ut apostolica auctoritate aut cito ad aecclesiam convertantur, aut ab aecclesia separentur.

[II. De sede apostolica appellanda.][9]

II. Audivimus etiam quod quidam[10] erronei et consentientes eis te[11] et reliquos infestent episcopos, et[12] aliquos conprovintiales ad vestram infamationem atque dampnationem secum trahant; [13]quapropter in ac sancta[14] sede dudum a multis episcopis constitutum erat et modo ad vestrum et caeterorum fratrum auxilium est denuo roboratum, ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, pie fultiantur[15], defendantur et liberentur. [16]Cui[17] dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas et episcoporum iuditia[18] antiqua apostolorum eorumque[19] successorum atque canonum auctoritas reservavit, quoniam culpantur episcopi, qui aliter erga fratres egerint quam eiusdem sedis papae fieri placuerit. Unde placuit ut[20] accusatus vel iudicatus[21] a conprovintialibus in aliqua causa episcopus[22] licenter appellet et adeat apostolicae sedis pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos eius tractari[23] negotium procuret, et dum iterato iuditio[24] pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam, quamquam conprovincialibus episcopis accusati causam[25] pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit domino: Quecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis.

[III. De eo qui a proprio metropolitano gravatur.][26]

III Et si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem dioceseos aut penes universalis apostolicae aecclesiae papam iudicetur. Ait enim Iacobus apostolus: Iuditium sine misericordia illi[27] qui non fecerit miseri-

De cetero tuam — tramite recedas, Siric. ep. ad Eum. c. 1. (H. no. 3). Cf. infr. c. 4, Fel. IV. pp. ep. 1, Vigil. 7.

Cui dispositioni — auctoritas reservavit sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7). Cf. Sixt. I. pp. 5, Iul. 12.

quoniam culpantur — fieri placuerit. Cf. Sixt. I. pp. 5, Vict. 6, Iul. 12.

Unde placuit — negotium procuret sec. tit. c. 7. conc. Sard. (D.). Cf. Vict. 5, Iul. 12. (Marcelli 2.)

et dum iterato — romano pontifice sec. c. 4. conc. Sard. aut Ben. II. 401. III. 103. Cf. Eleuth. 2, Vict. 5, Iul. 12.

Quecumque ligaveris — et in caelis, Matth. XVI. 19.

c. III. Et si quis putaverit — papam iudicetur, c. 5. Angilr. (c. 17. conc. Chalc. H.). Cf. Vict. 6, Iul. 12 (Ann. 4, Iul. 12, Fel. II. pp. 4, 12. xx.).

Iuditium — misericordia iuditium, Iac. II. 13.

1 *Sg.* nubis. 2 *Sg. add.* et. 3 *Sic corr. sec. Mut. Dst.* lateretur. *Bb.* lectaretur. 4 *Deest in Sg. Dst.* et sicut — deficient. 5 *Bb.* aestas. *Dst.* aetas. 6 *Mut.* tempora, *Dst.* tempus. 7 *Mut. Sg. Bb. Dst.* cognoveris. 8 *Codd. cit.* audierint. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 10 *Sg. Bb. Dst.* idem. 11 *Dst.* item. 12 *Mut. addit:* ad. 13 *Dst. in marg.:* ut pulsatus episcopus apostolicam sedem appellet. 14 *Deest in Sg. Dst.* 15 *Sg. Dst.* praefulciantur *pro* pie fultiantur. 16 *In marg.:* Appellandum ad apostolicam sedem et ut nullus dampnetur inconsulto Romano pontifice. 17 *Mut. Sg. Bb. Dst.* Cuius. 18 *Bb.* iuditio. 19 *Om. Sg.* 20 *Deest in Mut.* 21 *Dst. add.* episcopus. 22 *Om. Dst.* 23 *Bb.* retractari. *Sg. Dst.* retractare. 24 *Mut.* iuditium. 25 *Sg. Dst.* causas. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 27 *Mut. add.* fiet.

cordiam. Superextollit[1] autem misericordia[2] iuditium[3]. In omnibus ergo, fili dilectissime, cor[4] custódi, sicut scriptum est: Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Hec breviter que[5] commemoratione[6] karitatis rescripsi, sed peto ut pro me orare debeas, quatenus omnipotens deus et a malignis me spiritibus et a perversis hominibus custodire dignetur, quia in hac vitae meae peregrinatione mala me simul et[7] multa circumdant, ita ut cum psalmista vere[8] dicam: In me transierunt ire tue et terrores[9] tui conturbaverunt me; circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Caelestis gratia et nos in urbibus et vos ubique[10] protegat, quia antiquus hostis terrarum locis a temptatione non excluditur, quia si in paradiso hominem stravit, quis locus esse extra paradysum[11] potest in quo mentes hominum penetrare non valeant? In sola ergo creatoris nostri protectione fidendum est, cui ex intimo corde clamemus[12]: Esto mihi in deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me fatias. Data Kal. Septembris Valeriano et Decio[13] vv. cc. conss.

EPISTOLA CUIUS SUPRA HISPANIARUM EPISCOPIS DIRECTA.[14]

IV. Dilectissimis fratribus per Hispaniarum provintias constitutis SYXTUS episcopus in domino salutem. [IV. Ut a tramite apostolice institutionis non recedatur nec a capite discedatur.][15]

Magno munere misericordiae dei totius aecclesiae catholicae multiplicata sunt gaudia, cum ecclesiarum status eo viget ordine quo apostoli eorumque successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari cognoscimus, non[16] modico[17] contristamur merore[18]. Quam ob causam, fratres, hortamur vos, monemus et flagitamus, ut a tramite apostolicae institutionis nequaquam recedatis nec a capite dissidatis, sed fidem et ordinem quem apostoli et apostolici viri statuerunt absque aesitatione teneatis. Nam si columnae alicuius magnae domus[19] eius[20] ruerint[21], ipsa postea domus minime stabit. Sic et vos qui columnae ecclesiae estis, si labefactari caeperitis, sancta aecclesia, que per vos regitur, tabescit et labitur. Nunc fratres, quae dico valde timenda sunt et summo[22] moderamine pensanda atque ne fiant cavenda; ipsa enim per se veritas dixit[23]: Vos estis sal terre. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? et cetera. Ideo, karissimi, vos moneo, quia debitor vobis sum et valde vos diligo, et quando bona audio de vobis, congratulor satis, et ecce contra[24] quando adversa, nimis conturbor. Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum intervalla disiunctus sim, [25]tamen omnino vobis[26] corde coniunctus[27]. Ideoque[28] de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido, quia cum me vicissim diligitis a me longe non estis, unde magis gratias referimus illi grano sinapis qui[29] ex modici[30] dispicabilis quasi[31] seminis spetiae, ita ramis

In omnibus ergo — ut salvum me fatias, fin. Greg. M. ep. XI. 2. (2, 1093.)
Not. cons. sec. Xyst. vit. c. 1. in libr. pontif.
c. IV. Magno munere — unitatem spiritus in vinculo pacis. Eadem leguntur in Fel. IV. pp. ep. 1.
Magno munere — sunt gaudia, Leon. M. ep. 104. (1, 1143). Cf. Eleuth. 1.
ut a tramite — nequaquam recedatis, Siric. ep. ad Eum. c. 1. (H. no. 3). Cf. s. c. 1, Vigil. 7.
nec a capite dissideatis, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692). Cf. Pii 1, Calist. 1, Melc. 3, ep. Aegyt. ad Marc., Iul. 9.
qui columnae ecclesiae estis, conc. Par. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315. Cf. Anaclet. 20, Zeph. 5, Iul. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.
Vos estis — quo salietur, Matth. V. 13.
Ego vero quamvis — spiritus in vinculo pacis, Greg. M. ep. V. 43. (2, 771.)

1 *Bb.* Superextollat. 2 *Mut.* misericordiam. 3 *Deest in Dst.* Superextollit — iuditium. 4 *Deest in Bb.* 5 *Mut. Sg. Bb. Dst.* pro. 6 *Mut.* commemorationem. 7 *Om.* simul et *Mut. Sg. Bb. Dst.* 8 *Codd. cit.* iure. 9 *Mut.* torrentes. 10 *Mut.* sub ubique. 11 *Mut.* paradyso. 12 *Bb.* clamamus. 13 *Dst.* Decimo. 14 *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola sancti Syxti papae. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. Num. sol. in Bb.* 16 *Deest in Dst.* 17 *Bb.* modice. 18 *Mut.* errorem. *Dst. in Bb.* 19 *Mut.* magno e domu. 20 *Deest in Mut. Bb. Dst.*, *in Sg. manu post. delet.* 21 *Mut.* corruerint. 22 *Mut.* si primo. *Sg.* firmo. 23 *Sg. Bb. Dst.* ait. 24 *Mut. Sg. Dst.* et e contra. *Bb.* et hae contra. 25 *Mut. addit:* sum. 26 *Mut. Dst.* vobiscum. 27 *Om. Sg.* tamen omnino vobis corde coniunctus. 28 *Sg.* Ideo. 29 *Sg.* quia. 30 *Bb.* modico. 31 *Mut.* qui. *Sg. Dst.* que.

ex eadem radice surgentibus atque se distendentibus usque quaque diffusus[1], ut in eis volatilia caeli cuncta nidificent. Gratiaque sit fermento illi quod tribus farinae[2] satis totius humani generis massam in unitate conspersit, atque parvo lapidi qui abscisus de monte sine manibus, occupavit universam fatiem orbis terrae: qui ad hoc se usquequaque distendit, ut omni[3] humano genere in unitate[4] redacto citius[5] corpus[6] perficeretur aecclesiae atque ita ad[7] totius compagis[8] pertineret[9] commodum membrorum partialis[10] ista distinctio. Unde nos quoque a[11] vobis[12] longe non sumus, quia in illo qui ubique est unum sumus. Agamus ergo[13] ei gratias qui[14] solutis inimicitiis in carne sua fecit, ut in orbe terrarum unus esset grex et unum ovile sub se[15] uno[16] pastore, semper memores quid vos veritatis praedicator admoneat, dicens: Solliciti servare[17] unitatem spiritus in vinculo pacis; vinculum enim pacis nemo servat dum alium infestat, aut verbis[18] aut factis persequitur.

[V. Ut si contra episcopum vel auctores (*Dst.* actores) ecclesiae habuerit negocium, non prius adeat iudices quam ad eos recurrat caritatis studio.][19]

[VI. De episcopo rebus suis expoliato aut propria sede depulso et quod nullus nisi sui iudicis sententia teneatur.][25]

[VII. De restitutis episcopis per Romanum pontificem.][34]

V. Ideo[20], fratres, ista praetulimus, quia audivimus inter vos accusationes exerceri[21] et pulsos a sedibus episcopos aut suis rebus expoliatos iudicare[22]. Quapropter statutum est, ut si quis contra episcopum vel actores[23] aecclesiae se proprium crediderit[24] habere negotium, non prius adeat iudices quam ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari conloquio commoniti ea sanare debeant, quae in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communione privetur. VI. Nemo pontificum deinceps[26] aliquem episcopum suis expoliatum rebus aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat, quia non est privilegium quo spoliari[27] possit iam nudatus. [28]Nullus episcopus alterius parrochianum praesumat retinere aut ordinare absque eius voluntate vel iudicare, quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita et diiudicatio[29], quoniam censemus nullum alterius iudicis, nisi sui[30] sententia teneri: nam qui eum ordinare non potuit[31], nec iudicare ullatenus[32] poterit. Ista enim[33] vobis deinceps tenenda et fratres vicissim adiuvare mandamus. VII. Fratres vero quos timore terreno iniuste dampnastis[35], scitote a nobis iuste esse restitutos. Quibus ex auctoritate sancti Petri apostolica auctoritate omnia que eis ablata sunt integerrimae reddi praecipimus[36], si non vultis et vos et principes vestri a collegio nostro et membris aecclesiae separari. Iusto enim iuditio dei datur plerumque peccatoribus potestas qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu dei iuvantur[37] et aguntur, fiant per[38] laborum exercitia[39] clariores. Illi

c. V. *Quapropter statutum est — communione privetur*, Ben. II. 381, c. 1. Angilr. (c. 17. conc. V. Aurel.). Cf. Anacl. 20, Iul. 12.

c. VI. *Nemo pontificum deinceps — iudicare praesumat*, Ben. III. 153. Cf. Sixt. I. pp. 6, Iul. 12.

quia non est — iam nudatus, Ennod. lib. apol. (p. 337.) aut Ben add. III. 8. Cf. Sixt. I. pp. 6, Euseb. 12, Iul. 12, Syn. V. Symm., Ioh. I. pp. ep. 1.

Nullus episcopus alterius — ullatenus poterit, c. 15. Angilr. (Ben. III. 308. conflat. e c. 21. conc. III. Carth. H. tit. et text., c. 22. conc. Ant. D., interpr. c. 2. C. Th. IV. 16). Cf. Calist. 12, Iul. 12.

c. VII. *quibus ex auctoritate — reddi praecipimus* sec. Syn. III. Symm. Cf. Evarist. 7, Euseb. 11, Syn. V. Symm., Ioh. I. pp. ep. 1.

Iusto enim iuditio — clariores, Prosp. Aquit. s. 23. Cf. Zeph. 13, Pelag. II. pp. ep. 3.

1 *Mut.* diffusum est. *Sg. Bb.* diffusi sunt. *Dst.* diffunditur. 2 *Sic Sg. Bb. Dst.; Par.* 840. *Mut.* ferme. 3 *Mut.* qui adhuc se usquequaque distit ut anguli. 4 *Sg. Dst.* unitatem. 5 *Mut. Sg. Bb. Dst.* totius. 6 *Mut. addit:* unitum. 7 *Bb.* a. 8 *Bb. Dst.* conpaginis. 9 *Mut.* contineret. 10 *Mut. Bb.* particialis. 11 *Deest in Bb. Sg.* 12 *Dst.* Inde ergo nos vobis *pro* Unde nos quoque a vobis. 13 *Deest in Bb. Dst.* igitur. 14 *Bb.* quia. 15 *Deest in Mut. Dst.* 16 *Bb. addit:* esse. 17 *Dst.* servate. 18 *Dst.* verbo. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst. Sol. num. in Bb.* 20 *In marg.:* de accusationibus episcoporum. 21 *Mut.* exercere. 22 *Mut. Sg. Bb. Dst.* iudicari. 23 *Bb.* accusatores. *Dst.* auctores. *Sg.* auctorem. 24 *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* crediderint. 25 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* VI. de non iudicandis episcopis expoliatis. 26 *Mut. addit:* in. 27 *Mut.* expoliari. 28 *In marg.:* ne alterius paroechianum retineatur. *Dst. in marg.:* ne quis episcopus alterius parroechianum retineat. 29 *Mut.* iudicatio. 30 *Sic corr.* sua *sec. Mut. Sg. Dst.; Bb.* suis. 31 *Sg. Dst.* potuerit. 32 *Sg.* ultenus. 33 *Deest in Mut. Sg. Bb.; Dst.* vero. 34 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 35 *Dst.* dampnatis. 36 *Sic corr.* praecimus *sec. reliq.* 37 *Mut.* iuvamur. 38 *Deest in Dst.* 39 *Dst.* exercitio.

tamen qui hoc agunt nullatenus evadunt[1] poenam, quia, ut ait dominus: Ve illi per quem scandalum venit. Et quamquam iuxta salvatoris sententiam necesse sit venire[2] scandala, ve tamen per quem veniunt. [3] De occultis enim cordis alieni temere iudicare[4] peccatum est, et eum cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspitione reprehendere, cum eorum quae homini[5] sunt incognita, solus deus iudex sit iustus, inspector et verus. Unde scriptum est: Incerta non iudicemus quoad usque veniat dominus qui et inluminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium. Et quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi que certis inditiis[6] comprobantur, nisi que manifesto iuditio convincuntur, nisi que iuditiario ordine publicantur. Nullus ergo[7] potest humano condemnari examine quem deus suo iuditio reservavit. Haec omnia summopere sunt precavenda ne presumptores esse videamur. VIII. Et accusatio episcoporum non est facile recipienda dicente domino: Non suscipias vocem[9] mendacii. Et apostolus inquid adversus presbiterum inscriptionem non[10] recipienda[11] absque duobus vel tribus idoneis testibus. Si hec de presbiteris vel ceteris fidelibus sunt precavenda, quanto magis de episcopis? Quibus cognitis magis vos[12] dominari[13] velle manifestum est quam consulere fratribus et[14] sustentare eos, quia honor inflat superbiam, et quod provisum est ad[15] concordiam tendit ad noxam. Decuerat namque iuxta praefatas regulas, ut si aliquid egissent contra suum ordinem mandare nobis et expectare quid ad vestra consulta rescriberemus, intantum ut si etiam quicquid[16] grave intolerandumque committerent nostra prestolaretur[17] censura, ut nihil prius aut[18] aliud decerneretis quam quod nobis placere cognoveritis ita ut[19] regulis prestitutis nulla aut neglegentia aut praesumptione recederetis. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate praesumptio, vitentur[20] huiusmodi nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta, quoniam convenit nos paternarum sanctionum diligentes[21] esse custodes. Merito namque causa nos respicit si silentio faveamus[22] errori[23]. Est insuper a sanctis predecessoribus nostris plerumque iam statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiatur[24] accusatione[25], nec illi qui nos in sua nolunt recipere querella vel accusatione[26], cum nos super illos sciamus a domino constitutos, non illos super nos. Et sicut maior non potest a minore

[VIII. De accusacione episcoporum non facile recipienda et presbiterorum et de privilegio apostolicae sedis.][8]

Ve illi — scandalum venit, Matth. XVIII. 7.
De occultis enim — inspector et verus, Prosp. Aquit. s. 21. Cf. Zeph. 7, Euseb. 10, Ioann. I. pp. ep. 1.
Incerta non iudicemus — publicantur, Ben. III. 259. (Isid. syn. lib. II. no. 86). Cf. Praef. 5, Vict. 4, Iul. 12.
Nullus ergo potest usque ad finem. Eadem leguntur in Iul. 19.
Nullus ergo potest — iudicio reservavit, Isid. syn. lib. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. Cf. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Fab. 17, Euseb. 8.
c. VIII. Et accusatio — facile recipienda. Cf. Fab. 19, Steph. 12, Eutic. 9, Euseb. 3.
Non suscipias — mendacii, Exod. XXIII. 1.
Et apostolus — idoneis testibus, I Timoth. V. 19.
Quibus cognitis — nobis placere cognoveritis, Leon. M. ep. 14. c. 1. (1, 684. 686.)
Cesset huiusmodi — diligentes esse custodes, Bonifac. I. ep. ad Hilar. (H. no. 32). Cf. Dam. de corep.
Merito namque — faveamus errori, Coelest. I. ad Vener. c. 1. (H. no. 33) aut Ben. III. 44. Cf. Iul. 9, Fel. II. pp. 10, Dam. de corep., Pelag. II. pp. 1, Ioann. III.
ut nemo anathema — accusatione, Ben. III. 215. (Cf. Cal. 9, Fab. 5, Steph. 7.)
nec illi — nolunt recipere, Ben. III. 211. (Cf. Telesf. 1, Fab. 13, Steph. 7, Euseb. 3.)
Et sicut maior — a minore iudicari, Ben. I. 397. II. 381. Cf. Clem. 33, 42, Marcellini 3, Iul. 5.

[1] *Dst.* evadant. [2] *Sg. Bb.* veniri. [3] *Bb. rubricam ponit:* de incertis non iudicandis. *Dst. in marg.:* de occultis et incertis iudiciis. [4] *Bb. addit:* de incertis non iudicandis. [5] *Mut.* hominis. [6] *Mut.* iudiciis. [7] *Mut.* enim. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. solus num. Par.* 840 *in marg.:* accusatio episcoporum difficilis. [9] *Mut. Sg. Dst.* verba. [10] *Sg. Dst.* inscriptio non est. [11] *Mut.* recipiendam. [12] *Mut.* suos. [13] *Mut.* damnari. [14] *Sg. Bb. Dst.* aut. [15] *Mut.* a. [16] *Sg. Bb. Dst.* quicquam. [17] *Bb.* praestolaremur. [18] *Om. Sg. Dst.* [19] *Sg. Bb. Dst. addunt:* a. [20] *Dst.* et violenta *pro:* vitentur. [21] *Bb.* diligenter. [22] *Mut.* faciamus. [23] *Dst.* errores. [24] *Sic corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* suspitiatur. [25] *Sg. Dst.* occasione. [26] *Deest in Dst.* vel accusatione.

iudicari, ita nec conligari, quia rarum est omne quod magnum est. Portamus[1] honera omnium qui gravantur[2], quin immo[3] haec[4] portat in nobis beatus apostolus Petrus, cuius vice fungimur legatione et cuius regula informamur quatenus eius fulti auxilio ab omnibus nunc et in perpetuum tueamur adversis. Data XVII. Kal. Augusti Valeriano et Decio vv. cc. conss.

INCIPIUNT[5] DECRETA DIONYSII[6] PAPAE.[7]

[I. De summo bono dilectionis et summo malo invidiae atque sapientia diligenda et scrutanda.][8]

I. DIONISIUS episcopus URBANO prefecto[9] salutem.

Summum bonum est amare amantes[10] se, et econtra peius malum non est quam ut cives civibus invident[11]. Gratias siquidem tuae agimus caritati quod fideles sancti Petri bene suscipis et adiuvas, unde scias te et a nobis nostrisque diligere[12] et tui tuorumque[13] non modicam curam habere. Quapropter tuam hortamur dilectionem, ut bonum quod cepisti semper implere non differas, quia non laudatur initium, sed finis. Sapientiam enim[14] te hortamur diligere et scrutari, ut rationabiliter et sapienter disponas et iudices ea que tibi commissa sunt dicente domino per prophetam: Erudimini qui iudicatis terram. Time ergo deum et mandata eius serva[15] et dilige eum totis visceribus et proximum tuum sicut teipsum. Deus altissimus creavit sapientiam in spiritu sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est[16] et effudit illam super omnia opera sua et super omnem carnem, secundum datum suum praebuit illam diligentibus se. Timor domini gloria et gloriatio[17] et letitia et corona exultationis. Timor domini delectabit cor, et dabit letitiam et gaudium in longitudine[18] dierum. Timenti deum bene erit in extremis et in die defunctionis suae[19] benedicetur; dilectio dei honorabilis sapientia. Quibus autem[20] apparuerit in visu, diligunt[21] eam in visione et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientie timor domini, et cum fidelibus in vulva concreatus[22] est, et cum electis feminis graditur[23] et cum iustis et fidelibus agnoscitur. Timor domini scientiae religiositas: religiositas custodiat[24] et iustificabit cor, iocunditatem atque gaudium dabit. Timenti deum[25] bene erit et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientie est timere deum et plenitudo a fructibus illius: omnem domum illius implevit a generationibus et receptacula a thesauris illius. Corona sapientiae timor domini replens pacem et salutis fructum, et vidit et dinumeravit eam[26]. Utraque autem sunt dona dei, scientia et intellectus[27]. Prudentiae sapientia[28] compartietur[29] et gloriam tenentium se[30] exaltat. Radix sapientie est timere deum, rami enim illius[31] longevi, in thesauris sapientiae intellectus et scientiae[32] religiositas[33], exsecratio autem peccatoribus sapientia. Timor dei expellet[34] peccatum, nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Iracundia enim[35] animositatis[36] illius subversio illius est. Usque in

quia rarum — magnum est, Zosimi ep. ad Hesych. c. 1. (no. 28.)

Portamus honera — tueamur adversis, Siric. ep. ad Eum. pr. (H. no. 3).

Nota cons. sec. c. 1. vit. Xyst. in libr. pontif.

c. I. peius malum — civibus invideant. Cf. Iul. 3, Dam. 17.

Quapropter tuam usque ad finem. Eadem leguntur in Fel. IV. pp. ep. 2.

Erudimini qui — terram, Ps. II. 10. 11.

Deus altissimus — et revelet deus absconsa tua, Ecclesiastic. I. 9—39.

1 *Mut. Dst.* Portemus. 2 *Sic.* portantur *corr. sec. Mut. Dst. Sg. Bb.* 3 *Bb.* imio. 4 *Om. Sg. Dst.* 5 *Deest in Dst.* 6 *Bb. Dst.* Dionisii. 7 *Sg.* Epistola Dionisii papae. *Deest inscript. in Mut.* 8 *Sec. Dst. Par.* 4280 *AA:* de sumo benedictionis et sumo male invidiae atque sapientia diligentia et scrutanda. *Sol. num. in Bb.* 9 *Sg.* presbitero. 10 *Sg.* amantem. 11 *Mut. Sg. Bb. Dst.* invideant. 12 *Sg. Bb. Dst.* diligi. 13 *Codd. cit. addunt:* nos. 14 *Codd. cit. Mut.* etiam. 15 *Mut.* observa. 16 *Mut. addit:* eam. 17 *Bb.* glorificatio. 18 *Sg. Bb.* longitudinem. 19 *Om. Mut.* 20 *Om. Sg. Dst.* 21 *Bb.* diliget. 22 *Sg.* congregatus. *Dst.* concretus. 23 *Mut.* gradietur. 24 *Mut. Sg. Dst.* custodiet. 25 *Sg. Dst.* dominum. 26 *Bb. addit:* vita. 27 *Dst.* intellectum. *Sic antea Sg., qui post. manu corr. in:* intellectus. 28 *Mut.* sapientiam. 29 *Sic corr.* compateretur *sec. Mut. Bb. Dst.; Sg.* compatitur. 30 *Deest in Dst.* 31 *Deest in Mut.* 32 *Sg.* scientia et. 33 *Bb.* religiositatis. 34 *Sg. Bb.* expellit. 35 *Sg. Dst. add.* et. 36 *Sg. Bb.* animositas.

tempus sustinebit patiens, et postea redditio iocunditatis. Bonus sensus usque ad tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiae significatio disciplinae, exsecratio autem peccatori[1] cultura dei. Fili, concupiscens sapientiam conserva iustitiam, et deus praebebit[2] illam tibi[3]. Sapientia enim et disciplina timor domini, et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros eius[4]. Contumax non sis et incredibilis timori[5] domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris ypocrita in conspectu hominum et non scandalizaeris labiis tuis[6]. Adtende in illis, ne forte cadas et ponas scandalum animae tuae et adducas inhonorationem tibi et revelet deus absconsa[7] tua. Pro fide, frater[8], et iustitia ac pro salute anime certare[9] semper et pro adiutorio fratrum viriliter age, ut a domino recipias remunerationem. Scriptum est enim: Fili, conserva tempus et devita a malo, pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum et est confusio adducens[10] gloriam et gratiam. Nec[11] accipias[12] fatiem adversus fatiem tuam nec adversus animam tuam mendatium. Non reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore eius. In lingua enim agnoscitur sapientia et sensus et scientia et doctrina[13] in verbis veritatis et firmamentum in operibus iustitiae. Non contradicas veritati ullo modo et de mendatio ineruditionis tuae confundere. Non confundaris confiteri[14] peccata tua et ne subitias te homini pro peccato. Noli resistere contra fatiem potentis, nec coneris contra ictum fluvii[15]. Pro iustitia agonizare pro anima tua et usque ad mortem certa pro iustitia, et deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus[16] esse in lingua tua et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos tuos et opprimens subiectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta. His fultus scripturarum auctoritatibus semper[17], sta rectus et a via veritatis ne avertaris, ut gratiam dei semper adquiras et bonorum hominum amicitia[18] fruaris tantoque tua facilius ab amore huius saeculi mens exeat, quanto et impellitur dum vocatur. Nam nos[19] et praesentes[20] videre cupimus et absentibus conloqui saltem per epistolam desideramus. Unde et optamus, ut vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in[21] omnipotentis gratia perfrui vestra praesentia mereatur[22]. Data IV. Nonas Febr. Ameliano et Basso vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA SEVERO EPISCOPO DIRECTA.[23]

II. DIONISIUS[25] episcopus SEVERO episcopo salutem.

[II. De auctoritate sedis apostolice et reverentia minorum ad maiores et dilectione maiorum in minores.][24]

Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum[26] prineipae fidutiam, ut habeamus auctoritatem universali aecclaesiae auxiliante domino subvenire et quicquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere et emendare. Ad hoc enim divinae dispensationis provisio[27] gradus et[28] diversos constituit ordines[29]

Fili conserva — ad dandum collecta, Ecclesiastic. IV. 23–36.

tantoque tua facilius — dum vocatur, Greg. M. ep. XI. 75. (2, 1175.) Cf. Pont. 4.

Nam nos et — praesentia mereatur, eiusd. ep. IX. 74. (2. 988).

Not. cons. sec. c. 1. vit. Dion. in libr. pontif.

c. II. Olim et ab initio — quem possit recurri praepositus. Eadem leguntur in Bonifac. II. pp. ep. 1.

Olim et ab initio — emendare, init. Leon. M. ep. 43. (1, 907). Cf. Zeph. 10, Lib. 1.

Ad hoc enim divinae — recurri praepositus (*c. III.*), Greg. M. ep. V. 54. (2, 783.)

1 *In Mut. deest:* sapientia. Timor dei expellet — disciplinae exsecratio autem peccatori. 2 *Sg. Dst.* praebet tibi. 3 *Om. Sg. Dst.* 4 *Sg. Bb. Dst.* illius. 5 *Mut. Bb.* timor. 6 *Deest in Sg. Dst.* Ne fueris ypocrita — labiis tuis. 7 *Dst.* abscondita. 8 *Sg. Bb. Dst.* fratris. 9 *Dst.* certa. 10 *Deest in Mut.* peccatum et — adducens. 11 *Mut. Bb. Dst.* Ne. 12 *Mut.* accipies. 13 *Deest in Sg. Dst.* et doctrina. 14 *Mut. Bb.* peniteri. 15 *Mut.* fluminis. 16 *Sg. Dst.* tacitus. 17 *Deest in Sg. Dst.* 18 *Mut. Dst. addunt:* semper. 19 *Codd. cit.* vos. 20 *Bb. addit:* vos. 21 *Om. Sg. Bb. Dst.* 22 *Dst.* mereamur. *Sic manu post. in Sg. corr.* mereatur. 23 *Deest in Dst. Bb. addit:* Dionisii pape. *Deest inscript. in Mut. Sg.* Epistola Dionisii papae de privilegio sedis apostolicae. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 25 *Mut.* Dionysius. 26 *Sg. Dst.* apostolo. 27 *Sg.* provisos. 28 *Deest in Dst.* 29 *Dst.* ordinesque.

esse[1] distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus[2] exhiberent et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiae[3] fieret ex diversitate contextio et recte offitiorum generetur[4] administratio singulorum. Neque universitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiae ordo servaret. [5]Quia vero creatura in una eademque aequalitatę[6] gubernari vel vivere non potest, caelestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum sint angeli, sint archangeli liquet quia non aequales sunt, sed in potestate et ordinae, sicut nosti, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista constat esse distiuctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? Hinc etenim pax et caritas mutua se vice complectuntur et manet firma concordiae[7] in alterna et deo placita dilectione sinceritas. [III. De ecclesiis parroechianis.][8] III. Quia igitur unumquodque[9] tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri praepositus. De aecclesiis ergo[10] parrochianis unde apostolicam sedem consulere voluisti, qualiter sint custodiendae per Cordobensem provintiam ac dividende sacerdotibus[11], nihil tuae caritati melius nobis videtur intimare[12], quam ut sequaris quod nos in Romana aecclesia nuper egisse cognoscitur. [13]Ecclaesias vero singulas singulis presbiteris dedimus, parroechias et cimeteria eis divisimus[14], et unicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius parroechiae terminos aut ius[15] invadat, sed unusquisque[16] suis terminis[17] sit contentus, et taliter aecclaesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat et non iuditium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, karissimae, te et omnes episcopos sequi convenit, et quod tibi scribitur, omnibus quibuscumque potueris notum facias, ut non specialis, sed generalis fiat ista praeceptio. [IV. A quibus debeant impingi episcopis crimina.][18] IV. Crimina[19] vero quae episcopis inpingere[20] dicis, per alios non sinas ullo modo fieri nisi per ipsos qui criminá intendunt, si tamen ipsi digni et inreprehensibiles apparuerint et[21] actis docuerint publicis omni se carere suspitionae ac inimicitia et inrepraehensibilem fidem conversationemque ducere. Nemini enim de se confesso[22] credi potest super crimen alienum, quoniam eius omnisquae[23] rei[24] professio periculosa est et admitti non debet. Similiter alieni erroris sotium vel a sui voluntariae propositi tramitae recedentem aut sacris patrum regulis et constitutionibus inhobedientem suscipere non possumus nec debemus, naec impetere[25] recte[26] credentes vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes permittimus, quia infames omnes esse censemus, qui suam aut christianam praevaricant[27] legem aut apostolicam vel regularem libenter postponunt auctoritatem.

c. III. *Ecclaesias vero — eis divisimus*, c. 2. vit. Dion. in libr. pontif.
ita videlicet ut nullus — invadat, conc. Herudf. c. 2. aut Ben. II. 166.
sed unusquisque — contentus, Leon. M. ep. 14. c. 8. (1, 689.)
c. IV. *Crimina vero quae episcopis — crimina intendunt*, l. Visig. Rom. Pauli rec. sent. V. 4. 12. aut Ben. III. 246. Cf. Vigin. 3, Luc. 2, Iul. 12.
et actis docuerint — ducere, Ben. I. 401. (c. 13. conc. I. Arelat.). Cf. Luc. 2, Vigin. 3, Iul. 12.
Nemini enim — super crimen alienum, Ennod. ep. I. 4. (p. 8). Cf. Iul. 12. (Steph. 11.)
quoniam eius — admitti non debet, interpr. c. 12. C. Th. IX. 1. aut Ben. III. 324. aut c. 30. Angilr. Cf. Steph. 11, Iul. 12.
Similiter alieni erroris — suscipere non possumus. Cf. Vigin. 6, Iul. 12.

1 *Deest in Dst.* 2 *Sg. Dst.* prioribus. 3 *Sg. Bb.* concordia. *Dst.* concordis. 4 *Codd. cit.* gereretur. 5 *Bb. hic ponit rubricam:* de dignitatum distinctione. 6 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* aequalitatem. *Mut.* aequalite. 7 *Sg. Dst.* concordia. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb. Dst. ponit rubricam paullo inferius ad verba:* de aecclesiis. 9 *Mut. Bb.* unum quodcumque. 10 *Bb.* vero. 11 *Bb. addit:* ut aecclesiae singulae singulis dentur sacerdotibus. 12 *Dst.* intimari. 13 *In marg.:* de ecclesiis et presbiteris. *Bb. rubricam ponit:* ut aecclesiae singule singulis dentur presbiteris. 14 *Deest in Sg. Bb. Dst.* parroechias — divisimus, *in Mut.* cimeteria eis divisimus. 15 *Deest in Sg. Dst.* aut ius. 16 & 17 *Desunt in Sg. Dst.* 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui addit:* vel qualis esse accusator. *Num. sol. in Bb.* 19 *In marg.* qualis esse debeat accusator. 20 *Corrigitur in Bb. manu posteriore in:* impingi. 21 *Sg. Dst. add.* in. 22 *Bb.* confessionem. 23 *Mut.* omnis. 24 *Deest in Mut.* 25 *Bb. Sg. Dst.* impeti. *In Sg. manu post. add.* ab eis. 26 *Deest in Mut.* 27 *Mut. Sg. Bb. Dst.* praevaricantur.

Haec itaque[1], frater karissimae, quae pro affectu sacerdotalis nominis et honoris impendimus, tibi tuisque subditis et omnibus tenenda et aliis nuntianda atque praedicanda mandamus, quibus et pietas ad utilitatem et sit[2] ad fructum dilectio. Unde obiurgando, ortando, suadendo, blandiendo, consolando prodesse quibus possumus festinemus. V. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus[4]. Tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuet[5], desides ortando succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur, ut quia doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. Simus[6] in custodia vigilantes, aditus[7] contra hostis[8] insidias solliciti muniamus. Et si quando perditam ovem de comissis gregibus error adduxerit[9], toto illam nisu[10] [11]caulas revocare dominicas contendamus, ut de[12] pastoris nomine quod habemus, non supplitium sed praemium consequamur. Quia ergo in his omnibus divine gratie adiutorium opus est[13], omnipotentis dei assiduis praecibus clementiam exoremus, quatenus ad hec nobis operanda et velle tribuat et posse concedat, atque in ea nos via[14] cum fructu boni operis quam se pastor pastorum esse testatus est dirigat, ut sine quo nihil aspergimus[15] per ipsum implere omnia valeamus. Data V. Idus Septembris Claudio et Paterno vv. cc. conss.

[V. Qualis esse debeat lingua pastoris.][3]

INCIPIUNT[16] DECRETA FELICIS PAPAE.[17]

I. Carissimo atque dilectissimo Paterno coepiscopo Felix episcopus in domino salutem.

[I. Quantum sit heresis impia et inimica evangelice veritatis.][18]

Gaudere me plurimum et exultare in domino dilectionis tuae scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur, quantum catholicam diligis fidem et quantum hereticum detestaris errorem. Haeresis quippe est nimis impia et aevangelicae veritatis inimica, que non portionem aliquam ledere, sed ipsa christiane religionis conatur fundamenta[19] convellere. Quoscumque enim serpit ad[20] se, non solum in hoc vitium, sed multa in alia vitia ruere[21] facit, et ipsi suadente antiquo hoste non solum persecutores ecclesiae, sed etiam sacerdotum eius[22] fiunt. Una igitur[23] corrigere curemus et insequamur tales[24] et ab hoste suo aecclesiam eiusque fideles et sacerdotes domini nitamur liberare. Prestabit vires omnipotens redemptor nostér caritati atque iustitiae. Praestabit nobis longe a se positis unitatem spiritus sui ipse cuius artifitio quasi in arce modum quattuor mundi constructa lateribus atque inputribilium lignorum compage[25] et[26] bitumine caritatis adstricta[27] nullius adversitate spiritus[28], nullius venientis extrinsecus tumore[29] fluctus perturbetur ecclesia. Sed quemadmodum illius gubernante[30] gratia petendum[31] est, ut nulla nos superveniens exterius unda conturbet, ita ex totis orandum est visceribus, frater carissime, ut suae providentiae dextera cumulum sentine nobis[32] interioris exauriat. Adversarius

Haec itaque frater — sed praemium consequamur (c. *V.*), Greg. M. ep. IX. 107. (2, 1011). Cf. Anast. I. pp. ep. 1, Symm. syn. VI.
c. *V. Quia ergo in his — omnia valeamus*, eiusd. ep. cit. (2, 1012). Cf. Pont. 1, Symm. syn. VI.
Not. cons. sec. vit. Dion. c. 1. in libr. pontif.

c. *I. Gaudere me plurimum — fundamenta convellere*, Leon. ep. 60. (1, 982). Cf. infr. c. 8, Sixt. II. pp. 1.
Una igitur corrigere — citius ovile dilaniet, Greg. M. ep. V. 43. (2, 772.)
Adversarius etc. Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.

1 *Om. Sg.* Haec itaque. 2 *Bb.* sic. *Dst. in marg.* de doctrina episcoporum. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 4 *Dst.* aculeos. 5 *Sg. Dst.* exacuat. 6 *Bb.* Scimus. 7 *Mut.* aditum. *Bb.* aditis. *Dst.* auditus. 8 *Bb.* hostes. 9 *Sg. Dst.* abduxerit. 10 *Mut. Dst.* annisu. *Sg.* adnisu. 11 *Addunt codd. cit. Bb.* ad. 12 *Mut. Bb.* unde *pro:* ut de. 13 *Dst.* adiutorio indigentur. *Sg.* adiutorio indigemus. 14 *Sg.* in eam nos viam. 15 *Dst.* espergimus. 16 *Deest in Dst.* 17 *Inscriptio deest in Mut. Sg.* Epistola Felicis papae ut accusati primum ad primates deinde ad sedem apostolicam appellent. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 19 *Bb.* conetur fundamentum. 20 *Mut.* serpet a. *Sg.* serpit a se, *postea* a se *delet.* 21 *Sg.* re vere, *manu post. corr. in:* ruere. 22 *Deest in Bb.* 23 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* mente. 24 *Deest in codd. cit.* 25 *Mut. Bb.* compagem. 26 *Bb.* de. 27 *Mut.* constricta. 28 *Sg. Dst.* ritus. 29 *Sg. Bb. Dst.* timore. 30 *Mut.* gubernate. 31 *Mut.* petentum. 32 *Deest in Dst.*

quippe diabolus qui contra humiles seviens[1] sicut leo rugiens circuit querens quem devoret, non iam ut cernimus caulas circuit[2], sed ita valide[3] in quibusdam ecclesiae necessariis membris dentem figit, ut nulli sit dubium, quia nisi unanimiter favente domino cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ovile dilaniet.

[II. Ut detractores et fautores inimicorum ab accusatione removeantur et in re dubia non detur certa sententia.][4]

II. Quapropter[5] detractores qui divina auctoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum[6] ab episcopali[7] submovemus accusatione. Similiter ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iuditium, nisi ordinabiliter abitum, teneatur.

[III. De clerico (*Dst.* episcopo) pulsato super criminibus.][8]

III. Si quis super quibuslibet criminibus clericum[9] pulsandum crediderit, in[10] provintia in qua consistit ille qui pulsatur suas exerat[11] actiones, nec estimet et[12] eum accusator alibi aut longius pertrahendum ad iuditium. Ille[13] vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat[14] apellare primates.

[IV. Ut primates de accusato episcopo non ante sententiam proferant dampnationis quam aut reum se ipsum confiteatur aut canonice per innocentes testes convincatur.][15]

IV. Primates[16] quoque accusatum discutientes episcopum non ante sententiam proferant damnationis quam apostolica freti[17] auctoritate[18] aut reum se ipse[19] confiteatur aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincatur[20]; irritam esse[21] iniustam episcoporum damnationem, idcirco a synodo[22] retractandam, ita[23] ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

[V. Cavendum iudicibus ecclesiae ne absente eo cuius causa ventilatur sententiam proferant.][24]

V. Caveant[25] iudices ecclesiae ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant[26], quia irrita erit qui pene et rationem[27] pro actione in praesentia fratrum dabunt. Proditorum[28] vero nec calumnia nec vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest[29] cognoscere, quam ille qui iniuriam[30] eiusque sustinuit nequitiam. Omnes ergo qui in Christo volunt pie vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur obprobria et dispitiantur tanquam stulti et insani, qui praesentia bona perdunt, ut[31] invisibilia et futura adquirant. Dispectio tamen et inrisio talium in ipsos retorquebitur qui ipsos infestant, quia et[32] habundantia eorum in egestate[33] et superbia transibit in confusionem.

[VI. Quod non sit pena criminis sed virtutis examen quicquid adversitatum vel malorum iustis irrogatur.][34]

VI. Et quicquid iustis adversitatum vel malorum inrogatur, non est pena criminis, sed virtutis examen. Et sicut

c. II. *Quapropter detractores — submovemus accusatione.* Cf. Zeph. 3, Iul. 12.

Similiter ne summorum — dispereat, Ben. I. 397. II. 381. Cf. ll. cc. (Clem. 33, 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19.)

neque in re dubia — iudicetur sententia, Greg. M. ep. lib. X. 29. (2, 1060). Cf. Zeph. 4, Iul. 12.

nec ullum iuditium — abitum teneatur, eiusd. ep. lib. XIII. 45. (2, 1251). Cf. ll. cc.

c. III. *Si quis super quibuslibet — liceat apellare primates*, c. 7. Angilr. (interpr. tit. 1. nov. Marciani). Cf. Eleuth. 4, Iul. 12.

c. IV. *Primates quoque accusatum — testes convincatur*, c. 1. (bis) Angilr. aut Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1. C. Th. IX. 40). Cf. Zeph. 2, Iul. 12.

irritam esse — a synodo retractandam, c. 28. conc. IV. Carth. aut c. 2. (bis) Angilr. Cf. Iul. 12.

ita ut oppressis — subveniatur causis. Cf. Eleuth. 5, Iul. 12.

c. V. *Caveant iudices — in praesentia fratrum dabunt*, c. 30. conc. IV. Carth. aut Ben. II. 363. III. 219. aut c. 49. Angilr. Cf. Eleuth. 5, Iul. 12.

Proditorum vero — vox audiatur, int. c. 2. C. Th. X. 10. Cf. ll. cc.

Nemo enim debitorem — sustinuit nequitiam, c. 3. C. Th. X. 10. aut Ben. III. 253. i. f. Cf. ll. cc.

Omnes ergo qui in Christo — superbia transibit in confusionem, Prosp. Aquit. s. 32. Cf. Zeph. 10, Pelag. II. pp. ep. 3.

c. VI. *Et quicquid iussis — sed virtutis examen*, eiusd. s. 53.

[1] *Mut.* se veniens. [2] *Mut.* circuivit. *Sg. Bb.* circumit. [3] *Sg. Dst.* valde. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [5] *In marg.* hi accusare nequeunt. [6] *Mut. Sg. Bb. Dst.* iniquorum. [7] *Dst.* spirituali. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [9] *Dst.* episcopum. [10] *Deest in Dst.* [11] *Sg.* exegerat, *manu post. corr. in:* exigat. [12] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [13] *Mut.* illi. [14] *Deest addit:* ei. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [16] *In marg.* de accusationibus episcoporum. [17] *Dst. addit:* sint. [18] *Dst. addit:* et. [19] *Sg. Bb. Dst.* ipsum. [20] *Bb. Dst. add.* aliter censemus. [21] *Codd. cit. addunt:* et. *In Bb. verba:* aliter — damnationem *scripta sunt m. s. XI.* [22] *Bb.* ad sinodo. *Dst.* a sinado. *In Sg. manu post. add.* decernimus. [23] *Deest in Sg. Bb.* [24] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. sol. num.* [25] *Sg.* caveamus, *corr. manu post. in:* sed et caveamus nos. [26] *In Sg. manu post. corr. in:* proferamus. [27] *Sic corr.* ratione *Mut.* qui per petrationem. *Sg. Bb. Dst.* quippe et rationem. [28] *Dst. in marg.* de proditoribus. [29] *Bb.* potes. [30] *Mut.* iniuria. *Dst. add.* eius. [31] *Bb.* et. [32] *Mut.* a. [33] *Sg. Bb. Dst.* egestatem. [34] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Solus num. in Bb.*

aurum, quanto plus exquoquitur, tanto melius efficitur, sic iustus, quanto[1] plus tribulatur, si ipsam tribulationem[2] patienter portaverit, multo[3] purior et deo clarior[4] redditur. Unde ipsa per se veritas dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. De talibus et[5] per Isaiam[6] loquitur dicens: Audite verbum domini qui tremitis[7] ad verbum eius. Dixerunt fratres vestri odientes vos et habicientes propter nomen meum: Glorificetur dominus et videbimus in letitia vestra; ipsi autem confundentur. Vox populi de civitate, vox de templo, vox domini reddentis retributionem inimicis suis. Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale[8] et quis vidit huic similiter[9]? Numquid parturiet terra in die una aut parturietur gens simul quia parturivit et peperit Sion filios suos? Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus. Si ego qui generationem ceteris[10] tribuo, sterilis ero? ait dominus deus tuus[11]. Letamini cum Ierusalem et exultate in ea omnes qui diligitis eam, gaudete cum ea[12] gaudio universi, qui lugetis super eam et[13] sugatis et repleamini ab ubere[14] consolationis eius, ut mulgeatis et delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hec dicit dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis. Ad ubera portabimini[15] et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui[16] mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Hisrael[17] consolabimini: videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi[18] herba germinabunt: et cognoscetur[19] manus domini[20] servis[21] et indignabitur inimicis suis[22], quia ecce dominus in igne veniet et quasi turbo quadriga[23] eius, reddere in indignatione furorem suum et increpationem[24] suam in flamma ignis. Quia in igne dominus iudicatur[25] et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a domino. Qui sanctificabantur et mundos se putabant in ortis post ianuam[26] intrinsecus, qui comedebant carnem suillam et abhominationem et murem[27], simul consumuntur[28], dicit dominus. Ego autem opera eorum et cogitationes eorum[29] venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam, et ponam in eis signum. Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mari[30], in Africa et Lidia[31], tenentes sagittam in Italiam et Gretiam, ad insulas[32] longe, ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam, et adnuntiabunt gloriam meam gentibus et adducent[33] omnes fratres vestros de cunctis gentibus[34] donum domino in equis et in quadrigis et in lecticis et in mulis et carrucis ad montem sanctum meum[35] Hierusalem dicit dominus, quomodo si inferant filii Israel munus[36] in vase[37] mundo in domum domini, et assumam ex eis in sacerdotes et in levitas, dicit dominus. Quia sicut caeli novi et terra nova que ego facio stare coram me, dicit dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro ut adoret coram facie mea[38], dicit dominus. [39]Egredientur et videbunt cadavera viro-

tanto melius efficitur — regnum celorum, cf. Clem. 52, Alex. 10.
Beati qui — regnum celorum, Matth. V. 10.
Audite verbum — visionis omni carni, Ies. LXVI. 5—24.

[1] *Mut.* quantum. *Bb.* quantos. [2] *Bb.* ipsa tribulatione. [3] *Sg. Bb. Dst.* tanto. [4] *Mut.* clarus. [5] *Dst.* dominus. [6] *Sg. Dst.* Esaiam, *addentes ut Bb.* prophetam. [7] *Mut. Bb.* tremetis. [8] *Mut.* talia. [9] *Mut.* simile. [10] *Mut.* aliis. [11] *Om. Sg.* [12] *Om. Sg.* [13] *Sg. Bb. Dst.* ut. [14] *Codd. cit.* uberibus. [15] *Sg.* ab ubere potabimini. *Verba* ab ubere *in initio secundae columnae paginae* 239 *cod. leguntur; pergit codex in pagina* 241, *puram paginam* 240 *et fere totam columnam secundam pag.* 239 *exhibens.* [16] *Om. Sg. Dst.; Mut.* sicut. [17] *Ceteri:* Hierusalem. [18] *Mut.* sicut. [19] *Sg.* cognoscentur. [20] *Dst. add.* in. [21] *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* eius. [22] *Mut. Bb.* servis eius. *Om. Sg.* et indignabitur inimicis. [23] *Sg. Bb. Dst.* quadrigae. [24] *Bb.* indignationem. [25] *Mut. Dst.* diiudicat. *Bb.* diiudicatur. [26] *Sic sec. Mut. Sg. Dst.* unam *corr.* [27] *Dst.* in furore. [28] *Mut. Sg. Bb. Dst.* consumentur. [29] *Deest in Dst.* [30] *Dst.* ad mare, ad gentes. *Sg.* ad gentes, ad mare. [31] *Sg.* africam, in lidiam. [32] *Sg.* insulam. [33] *Sg.* offerent eos. [34] *Om. Sg.* omnes fratres — cunctis gentibus. [35] *Dst. addit:* in. [36] *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* manus. [37] *Bb.* invaserunt. [38] *Mut. Bb.* faciem meam. [39] *Mut. Sg. Dst. add.* Et.

rum qui praevaricati sunt in me, vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur et erunt usque ad satietatem[1] visionis omni carni. Quid aliud detrahentes fatiunt, nisi in pulverem[2] flant[3] atque in oculos suos terram excitant? Et unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis vident? VII. Tales tamen, frater karissime, portandi sunt et corrigendi, quia ceci sunt et duces cecorum. His, karissime, respondi breviter consultis tuis que te et omnes episcopos regulariter tenere mandamus. Tuam tamen, frater, monemus prudentiam, ut pro statu ecclesiae[5] et sacerdotum eius pro viribus elaborare studeas, et ordinem sancte Romane et apostolicae ecclesiae per omnia teneas et violari sanctorum decreta ne[6] permittas, sed omnes quoscumque potueris instruas, ut fructuosos manipulos domino repraesentes. Vale. Data IX. Iun. Claudio[7] et Aureliano[8] vv. cc. conss.

[VII. De malis hominibus portandis et sanctorum decretis non violandis.][4]

CUIUS SUPRA EPISCOPIS[9] GALLIARUM DIRECTA.[10]

[VIII. De episcopis vocatis ad synodum pro afflictione et contritione episcoporum per Galliam constitutorum.][11]

VIII. Felix episcopus universis episcopis per Gallie provintias constitutis in domino salutem.

Bonorum operum et spiritalium studiorum deum autorem esse non dubium est, qui eorum incitat mentes et adiuvat actiones[12]. Unde letari me fecerunt scripta vestra[13] ex bono studio et ex integritate fidei devotionis vestrae, sed ex afflictione et contritione vestra magna ex parte tristari[14]. Tristis enim tristes legi litteras vestras et scripta[15] vestra[16] merore debito percucurri, quia sicut nos ecclesiarum pax sacerdotumque eius concordia et tranquillitas plebis audire facit gaudium caeleste, ita nos affligit et deicit fraterna afflictio. Vos tamen nolite multum tristari, quia sicut ipsa per se[17] veritas ait[18]: Si de[19] mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, id est mundi amatores. Quicquid tamen hi loquantur aut adversum vos agant, vos semper integram servate fidem, et puram habetote conscientiam, ut integer spiritus et anima[20] servetur in die domini. Nos vero ad supplementum vestrum, fratres, et coepiscopos nostros vocavimus amplius quam septuaginta cum quibus hec[21] quae subter habentur inserta, regulariter tractando decrevimus. [22]Vestris enim epistolis in omnium audientia[23] perlectis, quae multas, ut nostis, querimonias et oppressiones in se continebant vestras, decretisque quae sunt de accusationibus episcoporum[24] sancta synodus dixit:

Quid aliud detrahentes — nihil veritatis vident, Greg. M. ep. XI. 2. (2, 1093). Cf. Sixt. III. pp.
c. VII. ceci sunt et duces cecorum, Matth. XV. 14.
et violari sanctorum — ne permittas sec. Leon. M. ep. 12. c. 9. (1, 666.) Cf. Lib. 3. (Ben. II. 341. III. 244.)
ut fructuosos — domino repraesentes sec. Greg. M. hom. I. 17. no. 16. (1, 1504.) Cf. Clem. 27, Anacl. 35, Sot. 1, Lib. 2, Dam. de corep.
Not. cons. sec. vit. Fel. I. c. 1. in libr. pontif.
c. VIII. Bonorum operum et — et adiuvat actiones, Leon. M. ep. 61. c. 1. (1, 983). Cf. Ann. 1.
Unde letari — devotionis vestrae, eiusd. ep. 60. (1, 982). Cf. s. c. 1, Sixt. II. pp. 1.
Tristis enim — fraterna afflictio, Petri Ravenn. ep. ad Eutych. (H. no. 39.)
Si de mundo fuissetis — odit vos mundus, Ioann. XV. 19.
ut integer spiritus — die domini, I Thess. V. 23.

[1] *Sic corr. sec. Mut. Bb. Sg. Dst.* sotietatem. [2] *Sg. Dst.* pulvere. [3] *Mut.* flammam. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [5] *Deest in Mut.; Bb.* totius ecclesiae. [6] *Mut. Dst.* non. [7] *Mut.* Claudi. [8] *Bb.* data nono k. iun. Claudii et Oreliano. *In marg.:* alii aurelio *m. s. XI. additur.* [9] *Deest in Bb.* [10] *Deest inscriptio in Mut. Sg.* Epistola Felicis papae. *Dst.* Secunda epistola Felicis papae. [11] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [12] *Deest in Sg. Dst.* qui eorum — adiuvat actiones. [13] *Sg. Dst.* scripturae vestrae. [14] *Dst.* tristor. [15] *Verbum* vel *post* scripta *additum omisi sec. reliquos codd.* [16] *Mut. Bb.* mesta. [17] *Deest* per se *in Sg. Dst.* [18] *Dst.* dicit. [19] *Bb. addit:* hoc. [20] *In Bb. m. s. XI. additur:* vestra. [21] *Mut.* ea. [22] *In margine:* de accusationibus episcoporum quid sit observandum. [23] *Mut. addit:* et praesentium. [24] *Deest in Sg. Bb. Dst.* decretisque — episcoporum.

Haec sunt quae deinceps propter[1] malorum hominum insidias qui in ecclesiam et in ecclesiasticos indifferenter seviunt viros conservari[2] firmissime volumus in saecula[3]. IX. Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat et eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa eius canonicae deferatur, qui in[5] congruo loco infra ipsam provintiam tempore congruo, id est autumnali vel aestivo, concilium[6] regulariter convocare[7] debebunt, ita ut ab omnibus eiusdem provintiae episcopis inibi audiatur. Quo[8] et ipse regulariter convocatus[9], si eum aut infirmitas aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit[10]; quia ultra provinciae terminos accusandi ante licentia non est[11], quam audientia rogetur[12]. X. Nam si suis fuerit aut ecclesie sibi commisse rebus expoliatus, aut, quod absit, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, a sede propria eiectus aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonicae antequam in[14] pristino restituatur[15] cum omni privilegio suo[16] honore et sua omnia que insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerunt legibus redintegrentur, nec convocari nec iudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minime tamen iudicandus, advenire sponte elegerit. Nullatenus ergo a quoquam respondere rogetur[17] antequam integerrime omnia que per suggestiones[18] inimicorum suorum amiserat potestati eius ab honorabili concilio legali ordine redintegrentur; presul vero cum omni honore statui pristino reddatur et ipse dispositis ordinatisque libere ac secure[19] diu suis[20] tunc regulariter infra quatuor vel quinque aut septem menses, iuxta quod possibilitas ei fuerit, et non ante convocatus[21] ad tempus concilio in legitimo et canonico[22] veniat ad causam[23], et si ita[24] iuste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere previdendum[25] est, ne antequam haec omnia fiant coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est. Adimi namque episcopo episcopatum antequam cause eius exitus appareat nulli christiano videri iure potest, quia talis presumptio sacrilegium est et auctor[26] talium sacri-

[IX. De episcopo accusato ab accusatoribus recipiendis.][4]

[X. De episcopo rebus suae ecclesiae expoliato aut a propria sede electo.][13]

Haec sunt quae deinceps — quam oportet nulli negari (*c. XIV.*) c. 4. Angilr., cuius fontes ad singula quaeque verba uncis inclusos posui.

(*c. IX. Si quis episcopus — noluerit* sec. c. 17. conc. V. Aurel. aut Ben. III. 153, add. III. 22. Cf. Alex. 8, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.)

(*sed tunc ad summos — canonice deferatur*, Ben. III. 156. 89. [c. 19. conc. Carth. D.]. Cf. Steph. 10.)

(*qui in congruo — episcopis inibi audiatur* sec. Ben. III. 153. [cf. c. 5. conc. Niceni.])

(*Quo et ipse — adesse debebit* sec. c. 21. text. et tit. conc. IV. Carth.)

(*quia ultra — licentia non est*, sec. c. 10. C. Th. IX. 1. aut Ben. II. 381. Cf. Steph. 10, Iul. 17.)

(*c. X. Nam si suis — propositionibus respondeat* sec. Ben. III. 116. [syn. III. Symm.] Cf. Iul. 19, Fel. II. pp. 12. v.)

(*quia contentio semper vitanda est*, Ben. III. 71. [ep. Anast. II. ad Anast. imp. c. 4 tit. H. no. 84.] Cf. Fab. 14.)

(*Adimi namque — videri iure potest*, c. 54. conc. Afric. [D.] aut Ben. III. 87.)

1 *Dst.* ob. *Deest in Bb. Sg.; in Sg. manu post. additur:* in. 2 *Mut. Dst.* conservare. *Dst. in marg.* quid sit observandum in accusatione episcopi. 3 *Sg. Dst.* aecclesia. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 5 *Deest in Sg. Dst.* 6 *Deest in Dst.* 7 *Dst.* convocari. 8 *Sic corr.* Quod *sec. Mut. Bb. Dst.* 9 *Sic corr.* convocatur *sec. codd. cit. Sg.* 10 *Mut.* debet. 11 *Mut. addit:* danda. 12 *In Dst. in marg. m. s. XII. adduntur:* quod si quoquo modo praesumtum fuerit, statuerunt ut antequam et prius locus et sua omnia ei legibus redintegrentur, nullatenus a quoquam accusetur aut criminetur et nisi sponte elegerit, cuiquam pro talibus non respondeat. Sed postquam ut praefixum est restitutus fuerit et sua omnia ei legibus redintegrata sunt, dispositis ordinatisque suis, magnum spacium tractandi causam ei concedatur et postea si necesse fuerit regulariter vocatus veniat ad causam et si iuste visum fuerit accusantium propositionibus sustentatione fratrum respondeat. Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus eius bona vel ecclesie atque res ab emulis aut a quibuscumque detinentur ut aliquid illi obici debeat, nec quicquam potest ei quoquo modo licet minorum vel maiorum obici, dum ecclesiis vel rebus aut potestatibus caret suis (*Fabiani c.* 20). 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* X. ne expoliatus iudicetur. 14 *Mut.* sub. 15 *Bb. Dst. addunt:* statu. 16 *Dst. add.* et. 17 *Dst.* cogatur. 18 *Sg. Dst.* suggestionem. 19 *Mut.* sinceriter. 20 *Bb.* diutius. *Deest in Dst.* diu. *Sg.* de suis, *post. manu corr. in* rebus suis. 21 *Bb.* vocatus. 22 *Sic corr.* canonica *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 23 *Bb.* eam. 24 *Mut.* ita ut *pro:* si ita. 25 *Sg. Dst.* precavendum. 26 *Mut.* actorum.

[XI. Ut egrotans episcopus aut aliqua gravi necessitate detentus legatum pro se ad synodum mittat.] [1]

[XII. De accusato et vocato ad sinodum.] [3]

[XIII. De personis accusatorum culpabilibus et de persona absente et quod affinis testis non admittatur.] [10]

[XIV. Quod non sit vox neganda appellationis ei, qui sibi sentit iudicem adversum.] [15]

[XV. De peregrinis iudiciis prohibendis.] [17]

legus. XI. Quod si egrotans[2] fuerit episcopus aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad sinodum mittat. XII. Nec a communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum[4] die statuta[5] litteris evocatus minime occurrerit, hoc est, nisi alia[6] praeoccupaverit necessitas infra spatium praedictorum mensium et eo amplius, prout causa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad[7] causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, querendum est in iuditio cuius sunt[8] conversationis et fidei atque suspitionis accussatores, aut qua intentione hoc fatiant; quia ad hoc admitti non debent, nisi bone conversationis et recte fidei viri, hi videlicet qui omni suspitione careant, et bone vite[9] clareant neque infames existant. XIII. Quod si accusatorum persone in iuditio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales vel ecclesiasticas voluerint[11]. Infamis enim persona nec procurator potest esse nec cognitor. Absente vero adversario non audiatur accusator; nec sententia, absente parte alia, a iudice dicta ullam obtinebit firmitatem; neque absens per alium accusare aut[12] accusari potest, nec afinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provintia ad provintiam vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis ad quem fuerit appellatum, id est, ut auctor[13] semper rei[14] forum sequatur. XIV. Si quis autem iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exibeat, quam nulli[16] oportet negari. XV. Peregrina vero iuditia generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab externis iudicetur, qui comprovinciales et a se electos debet habere iudices.

Haec, fratres, ad vestram et omnium coepiscoporum opem et defensionem in sinodo unanimiter sunt decreta, ut si forte aliqui stultorum vos accusare, qui[18] diabolice deceptionis errore decepti sunt, voluerint, dum ista legerint vel audierint resipiscant et ad unitatis concordiam revertantur, et quod prius erat in ultionem[19] transibit in gloriam. Nam procul dubio multi sunt qui secundum apostoli[20] vocem prurientes auribus a veritate quidem[21] auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur[22] et ad nocumenta bonorum transeunt. Ait autem[23] idem apostolus de infidelium ignorantia: Si cognovissent, numquam deum gloriae crucifixissent. Simi-

(*c. XI. Quod si egrotans — sinodum mittat*, c. 21. conc. IV. Carth.)

(*c. XII. Nec a communione — causa dictaverit*, c. 19. conc. Carth. [D.])

(*querendum est — accussatores*, c. 96. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 110, add. III. 11. Cf. Calist. 17.)

(*quia ad hoc admitti — neque infames existant* sec. Cap. eccles. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. I. 401 tit. Cf. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13, 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Zeph. 5, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. XII. [c. 13. Angilr.])

(*c. XIII. Quod si accusatorum — ecclesiasticas voluerint*, c. 19. i. f. conc. Carth. [D.] cf. Ben. I. 395. III. 90, 119.)

(*Infamis enim persona — nec cognitor*, l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. I. 2. s. 3. interpr.)

(*nec sententia absente — obtinebit firmitatem*, epit. Aegid. ad Paul. rec. sent. V. 5. s. 5. aut Ben. III. 204.)

(*neque absens — accusari potest*, l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. V. 5. s. 9. aut Ben. III. 354, add. III. 102. Cf. Steph. 8.)

(*Neminem ergo exhiberi — appellatum*, nov. Marcian. tit. I.)

(*ut auctor — sequatur*, interpr. nov. cit.)

(*c. XIV. Si quis autem iudicem — oportet negari*, interpr. tit. 34. nov. Valentin. aut Ben. III. 240. add. III. 25. Cf. Angilr. 31, Fab. 27, Sixt. III pp.)

c. XV. Peregrina vero iuditia — habere iudices, Ben. III. 309. aut c. 16. Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 10.) Cf. Anacl. 15, Vig. 4, Fab. 26, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III.

ut si forte aliqui — nocumenta bonorum transeunt sec. c. 13. conc. II. Hisp.

Ait autem apostolus — non crucifixissent, c. 13. cit. Cf. Alex. 18.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 2 *Cod. in marg.* si egrotans episcopus accusetur. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 4 *Mut. Bb.* iudicium. *Sic quoque antea Sg.* 5 *Mut.* statuto. 6 *Dst. addit:* eum. 7 *Mut.* aut. 8 *Mut. Bb. Sg. Dst.* sint. 9 *Dst. addit:* fama. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 11 *Dst.* valuerint. 12 *Deest in Sg. Dst.* accusare aut. 13 *Dst.* actor. 14 *Sg.* semperei forum, *post. manu corr. in:* semper eum in forum. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 16 *Mut.* quoniam illi non. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 18 *Mut. Sg. Bb. Dst.* ultione. 19 *Sg. add.* a. 20 *Sg. Bb. Dst.* apostolicam. 21 *Codd. cit. omittunt:* quidem. 22 *Mut. Bb.* convertentur. 23 *Deest in Sg. Bb. Dst.*

liter si bene[1] deum perfecte cognovissent et amassent, numquam servos eius perturbassent, nec verbis aut factis persecuti essent. Quod vero idem apostolus dicit[2]: Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii eius, cur insequimur fratres, cur perturbamus statum ecclesiae dei et eos[3] qui ei servire debent affligimus? Martyres enim passi sunt, non tamen anime eorum occise sunt in corporis passione, ore veritatis testante: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Ubi agnosci oportet: [4]animae martyrum corpore perempto supplitiis extingui non possunt, nec anime praedicatorum et doctorum persequi debuissent aut perturbari et a dei famulatu avertere[5], quia cum corporibus non defitiunt[6]. Tales autem perturbatores ecclesiae non solum praedicta agunt mala, sed et memorias martyrum exsecrantur[7]. XVI. Quapropter in praefata constituimus synodo vobisque et omnibus ecclesiis tenendum et agendum mandamus[9], ut super memorias martyrum missae celebrentur, ne memorie eorum a talibus extingui aut veneratio possit prohiberi. Vos vero, fratres, nolite multum turbari, nolite vexari, sed confortamini in domino et in potentia claritatis[10] eius. Habetote interim ista[11] ad suffragium vestrum apostolica auctoritate decreta, et scitote nos semper habere paratos, etiam si necesse fuerit, usque ad mortem ad quaecumque vobis necessaria fuerint, domino opem ferente perficienda. Illi tamen deo auctore peribunt et vos stabitis, si tamen[12] labor vester[13] non fuerit inanis, sed plenus fide et caritate. Vae, inquid propheta, qui potum dat amico suo mittens fel suum. Et iterum sapientissimus Salomon ait: Qui loquitur iniqua, non potest latere, nec praeteriet illum corripiens iuditium. In cogitationibus ergo impii interrogatio erit: sermonem autem illius auditio ad deum perveniet et ad correptionem[14] iniquitatum illius, quoniam auris[15] zeli audit omnia et tumultus murmurationum non abscondetur. Haec enim si amplecti voluissent proprio et sano sensu, ad reprobum sensum minime laberentur, sed per dei timorem sermonum suorum praecaventes custodiam, piam sanctorum patrum definitionem[16] sine quadam nocumenti praesumptione utique conservassent[17], quod dicit sacrum eloquium, consilium bonum conservabit te et mens bona custodiet te. Non enim de fontibus salutiferis spiritaliter ad adquisitionem eterne vite procedunt tales accusationes et detractiones, atque ideo conpetenter[18] nos beatus Paulus apostolus premuniens[19] ait: Non debere plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, in definitione pietatis perdurantes. Qui enim hanc[20] praetereunt, non tantum[21] lesi sunt decidentes a corroboratione sua, sed insipientiae suae dereliquerunt domibus[22] memoriam, ut in his in quibus peccaverunt minime latere[23] potuissent. Gloria enim et contumelia in loquella et in lingua hominis causa[24] illius est. Ideoque conveniens est hanc quidem ostensionem reprehensionum illorum nostris actibus inseri, ne ulterius iam talia patiamini seminantibus eis[25] zizania et scandala, sed laetari in offitiis et

[XVI. Sinodaliter constitutum ut super memorias martyrum missae celebrentur.][8]

Quod vero idem apostolus — supplitiis extingui non possunt sec. 13. cit.
sed et memorias martyrum execrantur, c. 20. conc. Gangr. (D.)
c. XVI. Quapropter in praefata — prohiberi sec. vit. Fel. c. 2. in libr. pontif.
sed confortamini — claritatis eius, Ephes. VI. 10.
Illi tamen — fide et caritate, I Cor. XV. 58.
Vae inquit propheta usque ad finem leguntur in c. 16. 17. decr. Fel. II. pp.
Vae inquid, propheta, qui — mens bona custodiet te sec. Conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 910. 911.)
Non enim de fontibus salutiferis — nostris actibus inseri sec. Conc. cit. (Mansi 10, 918.)

[1] *Deest in Sg. Bb. Dst. Mut.* [2] *Sg. Dst.* ait. [3] *Sg.* eosque *pro:* et eos. [4] *In Bb. m. s. XI. additur:* quod. *Sg. Dst. addunt:* quia. [5] *Bb. Dst.* averti. *Sic Sg. manu post. corr.* [6] *Codd. cit.* deficient. [7] *Sg.* exercantur, *post. manu corr. in:* execrantur. [8] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [9] *In marg.* super memorias martyrum missas celebrandas. [10] *Mut. Sg. Bb. Dst.* virtutis. [11] *Deest in Dst.* [12] *Deest in Dst.* [13] *Deest in Dst.* [14] *Mut.* correctionem. [15] *In Bb. m. s. XI. additur:* ultionis. [16] *Dst.* diffinitiones. [17] *Pro* nocumenti — conservassent: *Mut. Bb.* novassent, *quod in Bb. m. s. XI. corrigitur in*: nova asserent. *Sg. Dst.* novitate servassent. [18] *Mut.* quod petent. [19] *Sg. Dst.* muniens. [20] *Sg. Bb.* haec. [21] *Sic* tamen *corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [22] *In Sg. post. manu corr. in:* hominibus. [23] *Mut.* ledere. [24] *Ceteri codd.* casus. [25] *Deest in Sg. Dst.*

dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant, talia et[1] huiusmodi blasfemia[2] subtrahere festinent, si noluerint a sacerdotali nostro collegio segregari et a totius christiani populi sotietate divelli. Licet namque de his plura et pernecessaria, que in decretis sedis apostolicae et ab[3] apostolis eorumque successoribus nostris[4] videlicet[5] praedecessoribus statuta inveniuntur, dicere et conscribere[6] potuissemus, tamen melius nobis visum est ut epistolam oratione claudamus[7]. Dominus omnipotens et huius[8] unigenitus filius et salvator noster Christus Iesus hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus et coepiscopis nostris quibuscumque tribulationibus laborantibus totis succurratis viribus et cum eis compatientes crucem eiusdem domini salvatoris portetis, ut[9] veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis, ut et vos et qui vobiscum sunt hic et in futuro meliora possideatis quae oculus non vidit nec auris audivit, nec in cor[10] hominis ascendit[11] que praeparavit deus diligentibus se per dominum nostrum Iesum[12] Christum, per quem et cum quo omnipotenti deo gloria in saecula saeculorum. Amen[12]. Valere vos opto, karissimi fratres. Data V.[13] Idus Augusti Claudio et Paterno vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA BENIGNO EPISCOPO DIRECTA.[14]

[XVII. Ut dubia et maiora negotia terminum accipiant a Romana sede.][15]

XVII. Dilectissimo fratri Benigno episcopo Felix episcopus[16] in domino salutem. Suscipientes fraternitatis tuae epistolas quibus me requisisti super fidei documentis que ab[17] aliis habebantur[18] aliter[19] quam recte fidei contineant sacramenta[20], prout dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere non resultavimus[21]. Semper enim dubia et maiora negotia terminum[22] ab hac sancta sede[23] a tempore apostolorum qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueverunt[24], et ideo tu recte fecisti quod huius sancte sedis consultis te caeterosque firmari et instrui voluisti.

[XVIII. De ereticis qui dicunt filium non posse proprie videre patrem et dicunt filium minorem patre.][25]

XVIII. Continebant[26] enim littere tue fratrumque tuorum quod quidam dicunt filium non posse proprie videre patrem, quia scriptum est: Deum enim[27] nemo vidit umquam, et alii fingunt: ideo minor est filius patre[28], quoniam pater illi perhibet testimonium. Quidam autem garriunt quod ideo pater maior est, quia ipse invisibilis dicitur, filius vero visibilis comprobatur. Hi enim ignorantes divinarum scripturarum et apostolorum iura, ex proprio aut adulterino sensu talia fabricant et seducere corda fidelium quaerunt. Nos vero ad ipsius fontis originem redeamus, ex quo filium patrem semper[29] videre potuisse vel posse[30] evidentioribus testimoniis de veteris et novi instrumenti[31] litteris doceamus, Salomone dicente: Est tecum sapientia que novit opera tua, que adfuit[32] tibi cum faceres orbem terrarum, et ipsa novit, quid sit placitum [33]oculis tuis. Et dominus in evvangelio: Nemo

tamen melius nobis visum — karissimi fratres, Cass. hist. trip. IV. 29. Cf. Zeph. 13, Fel. II. pp. 17.
Not. cons. sec. c. 1. vit. Fel. in libr. pontif.
c. XVII. Suscipientes fraternitatis tuae epistolas, Zachar. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 60. p. 147.)
Semper enim dubia — consueverunt sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7.)
c. XVIII. Continebant enim litterae — dignatus est pater inferior iudicatur, Idacii Clari lib. advers. Varimad. (p. 731.)

[1] *In Bb. m. s. XI. additur:* ab. [2] *Sg. Bb. Dst.* blasphemias. [3] *Deest in Sg. Dst.* [4] *Dst.* vestris. [5] *Dst. addit:* et. [6] *Mut.* dicere nunc scribere. [7] *Mut.* ut epistolam oratione et laudamus. *Bb.* ut epistolam moderatione et laude claudamus. *Sg. Dst.* ut haec epistolari moderatione claudamus. [8] *Bb.* unus. *Sic quoque Sg., post. manu corr. in:* eius. [9] *Mut. addit:* et. [10] *Sic corr.* choro *sec. Mut. Bb. Dst. Sg.* [11] *In Sg. post. manu corr. in:* ascendunt. [12] *Desunt in Dst.* Iesum *et* per quem — saeculorum Amen. [13] *Mut.* VI. *In Bb. alia m. s. XI. corrigitur* V. *in* VI. [14] *Deest inscriptio in Mut. Dst. Sg.* Epistola Felicis papae. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [16] *Bb.* coepiscopus. [17] *Deest in Dst. Sg. corr. ut text. manu post.; antea legebat* quod *pro* quae ab. [18] *Mut.* habeantur. [19] *Dst.* litteris. [20] *Dst.* conveniant sacramentis. *Sg.* conveniunt sacramenta, *post. manu ut Dst. corr.* [21] *Mut. addit:* item de eadem re Felix in tertia epistola ita ait. [22] *Dst.* terminantur. [23] *In Sg. manu post. additur:* querebant. [24] *Deest* accipere consueverunt *in Sg. Dst.* [25] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb. ponit num.* XIX. [26] *Sic corr.* continebantur *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* [27] *Deest in Bb. Sg. Dst.* [28] *Mut.* patri. [29] *Mut.* per. [30] *Bb. addit:* et. [31] *Bb.* instrumentis. [32] *Sg. add.* est, *post. manu corr. in:* et. [33] *Sg. Dst. addit:* in.

novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius et cui voluerit filius revelare. Et iterum: Deum nemo vidit unquam, nisi[1] unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse narravit. Et iterum iudeis dicit: Vos non nostis eum, ego autem novi eum. Quod si dixero quia non novi[2] eum, ero similis vobis mendax. Item[3] ibi: Qui ex deo est, hic novit eum[4]. Et iterum: Ego novi[5] eum quia ab ipso sum. Ecce docuimus, quia semper videt filius patrem. Quomodo astruunt eum patrem non posse videre, in cuius sinu noscitur permanere? Si sereno sensu divinas recenseas[6] scripturas, invenies[7] non solum patrem filio testimonium perhibentem, sed totam simul inseparabilem trinitatem ipso domino protestante, qui ait: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me pater qui misit me. Et iterum: Si ego testimonium perhibeo de meipso[8], testimonium meum verum est, quia scio unde venio et quo vado. Et de spiritu sancto: Dum[9] venerit paraclitus spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me. Intende, queso, intende quoniam in quibus una testificationis virtus ostenditur, nullus ab alio neque potior neque inferior iudicatur. Sepius ista[10] iam diximus, quia secundum hominis formam filius visibilis[11] dicitur, secundum deitatis vero substantiam invisibilis[12] predicatur Paulo apostolo adtestante: O altitudo, inquid[13], sapientiae et scientiae dei, quam incomprehensibilia sunt iuditia aeius et investigabiles viae eius. Et in Isaia[14]: Cui similem estimatis eum cum sit ipse invisibilis? Et item apostolus: Mihi autem minimo omnium[15] sanctorum data est gratia hec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et inluminare omnes quae sit dispositio sacramenti absconditi[16] a saeculis in quibus omnia creavit. Item ipse: Qui est, ait, imago dei invisibilis. Et ad Colosenses: Ego Paulus minister[17] qui nunc gaudeo in passionibus meis pro vobis et suppleo quae desunt tribulationum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem dei in ministerium Christi, quod absconditum fuit a saeculis et a[18] generationibus. Item alibi[19] ut consolentur corda eorum in caritate, in omnes divitias adimpletionis[20] intellectus, in agnitionem [21]misterii quod est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Et in psalmo septuagesimo sexto: In mari est via tua et semite tuae in aquis multis et vestigia tua non cognoscentur. Et in Salomone: Sapientiam dei praecedentem omnia quis investigabit[22]? Item ibi: Radix sapientiae cui revelata est, et astucias[23] illius quis agnovit? Item alibi[24]: Disciplina sapientie cui manifestata est et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Item ibi: Quoniam mirabilia sunt opera domini solius et gloriosa et absconsa et opera illius invisa hominibus. Ecce sicut pater invisibilis est, ita etiam et filius invenitur. Quomodo ergo ab illis qui hoc dicunt quod mandastis, in eo quod a[25] nobis carnaliter se videri dignatus est patri[26] inferior[27] iudicatur? Talibus nolite credere vos et alios ab eorum[28] sensu avertere docete[29]. Vos ergo servite domino in timore, et exultate ei cum tremore. Adprehendite disciplinam ne pereatis de via iusta.

Haec vero apostolorum est viva traditio, haec vera caritas quae praedicanda est et veraciter diligenda ac fovenda atque fidutialiter ab omnibus tenenda. Haec sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia quae per dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec

Haec vero apostolorum est usque ad finem.
Cf. Luc. 7, 8, Marc. 2, 3, ubi eadem leguntur.

1 *Deest in Mut.* 2 *Bb.* non scio. 3 *Sg. Dst.* dixit enim. 4 *Bb.* deum. 5 *Mut.* scio. 6 *Sg.* recenseamus. 7 *Sg.* invenimus. 8 *Mut.* meipsum. 9 *Sg. Bb.* Cum. 10 *Sg.* Saepius iusta, *manu post. corr. in:* Sed prius ista. 11 *Mut.* invisibilis. 12 *Sg.* minus visibilis. 13 *Mut. addit:* in oratione. 14 *Mut.* Isai. *Sg.* Esaia. 15 *Sg. om.* 16 *Mut.* abscondita. 17 *Bb. addit:* Christi Iesu, *Sg.* vester. 18 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 19 *Mut. codd. cit.* ibi. 20 *Mut.* adinpletionibus. 21 *Bb.* agnitione. *Dst.* imaginatione. 22 *Mut. Bb.* investigavit. 23 *Bb.* astutia. 24 *Mut. Bb. Dst.* ibi. *Om. Sg.* Item alibi. 25 *Deest in codd. cit.* 26 *Bb.* pater. *Dst.* patre. 27 *Sg. Dst. addit:* non. 28 *In Sg. post. manu add.* se. 29 *Mut.* ducete.

hereticis novitatibus depravanda subcubuit: sed, ut[1] in exordio normam fidei christianae percepit[2] ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus inlibata fine tenus manet secundum ipsius domini salvatoris divinam pollicitationem qui suorum discipulorum principi in suis fatus[3] est evangeliis: Petre, inquiens, ecce satan expetivit ut cribraret vos sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus[4] confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra excellens prudentia quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita et[5] in fide recta, atque hereticis et hemulis Christi repugnare et numquam[6] a veritatis tramite declinare: quoniam dominus et salvator omnium cuius fides est qui pro nobis mori non dubitavit et proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri non defecturam promisit et confirmare eum fratres suos admonuit, quod apostolicos pontificcs meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Quorum et pusillitas[7] mea, licet inpar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Vae enim erit nobis, qui huius ministerii onus susceptum habemus, si veritatem salvatoris nostri Iesu Christi, quam apostoli praedicaverunt predicare neglexerimus. Vae erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui[8] erogare[9] nummulariis iubemur[10], id est, christianos populos iubere[11] et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonum eius veritatem confundimur[12] praedicare? Quid erit de nobis cum de commissis nobis animabus et de offitio suscepto rationem iustus iudex Christus deus noster districtam exegerit? Ideo, fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hereticos et inimicos sancte dei ecclesiae et a sanis mentibus, ne pestis haec lacius divulgetur, severitate quam[13] potestis pro viribus extirpetis; quoniam ut[14] habebit a deo digne remunerationis praemium qui diligentius quod ad salutem commisse sibi plebis[15] perfitiat[16] fuerit exsecutus, ita ante tribunal domini de reatu neglegentiae se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilege persuasionis auctores noluerit custodire. Data Non. Febr. Claudio et Paterno vv. cc. conss.[17]

INCIPIUNT[18] DECRETA EUTICIANI[19] PAPAE.[20]

[I. Documentum incarnacionis salvatoris Christi.][21]

I. Carissimis fratribus IOHANNI et omnibus per Beticam provintiam constitutis episcopis EUTITIANUS[22] episcopus in domino salutem.

Hortatur nos aequitas postulationis desiderio fraternitatis tuae gratanter annuere et consultis tuis breviter respondere. Et quamvis dilectionem tuam sciam ad omne opus bonum esse devotam ut tamen efficatior fiat ad[23] illos[24] qui sane non sapiunt, qualiter eos de incarnatione salvatoris nostri informare debeas, mandamus.

Unum igitur hoc inmobile fundamentum, una[25] haec[26] felix fidei petra Petri[27] ore confessa: Tu es, inquid[28], filius dei vivi, tanta in se argumenta sustinens[29] veritatis quante perversitatis questiones et[30] infidelitatis calumniae movebuntur. Iam

Not. cons. sec. vit. Fel. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Hortatur nos — breviter respondere, init. Symm. ep. ad Caesar. (H. no. 85.)
Et quamvis dilectionem — efficatior fiat, init. Leon. M. ep. 85. (1, 1050.) Cf. Steph. 1, Ioann. III. pp. ep.
Unum igitur hoc immobile — formam servi suscepit (*c. II.*), eiusd. ep. 165. (1, 1383.)

1 *Sg.* sicut. 2 *Mut.* praecepit. 3 *Sic corr.* factus, *quod Sg. quoque habet*, *sec. Mut. Dst.* 4 *Deest in Bb.* 5 *Deest in Bb.* 6 *Bb.* atque contra hereticos et aemulos Christi pugnare numquam. 7 *Dst.* pusillanitas. 8 *Dst.* quam. 9 *Mut. addit:* pmniā. 10 *Mut. Dst.* iubemus. 11 *Bb.* inbuere, *Sg. Dst.* iuvare. 12 *Mut.* offendimus. 13 *Sg. Bb. Dst.* qua. 14 *Om. Sg.* 15 *Mut.* plebem, *Dst.* plebi. 16 *Sg. Bb.* proficiat. 17 *Bb. addit:* Explicit. 18 *Deest in Dst.* 19 *Dst.* Eutychiani. 20 *Sg.* Epistola Eutichiani. *Om. inscript. Mut.* 21 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* doc. de incarnatione salvatoris Christi. 22 *Sg.* Eutychianus. *Bb.* Euticianus. *Dst.* Eutycianus. 23 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 24 *Bb.* illis. 25 *Om. Sg.* 26 *Sg.* et. 27 *Mut.* petre. 28 *Bb. Dst. addunt:* Christus. 29 *Dst.* sustinent. 30 *Mut.* et versutionis et *pro* quaestiones et.

in ceteris dispensatio voluntatis paternae sit[1]. Ergo partus[2] et corpus, postquam[3] crux, mors, inferi[4], salus nostra est[5]. Humani enim generis causa dei filius natus ex virgine est et spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante et sua, dei videlicet, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit[6] et exordia carnis instituit[7], ut homo factus ex virgine naturam in se carnis acciperet, per quam huius admixtionis sotietatem[8] sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret. Et quemadmodum omnes ipse per id quod corporeum se ostendit condiderat[9], ita rursum[10] omnes ipse per id quod eius est invisibile reformaret[11]. Dei[12] igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum et cunas[13] omnesque naturae nostrae contumelias transcurrit. Quid tandem dignum a nobis tantae dignationis affectui[14] rependetur[15]? Inenarrabilis a deo ergo originis unus unigenitus deus in corporis humani formam sanctae virginis utero insertus accrescit: [16]qui omnia continet, intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur. Ad[17] cuius vocem archangeli atque angeli[18] tremunt, celum et terra et omnia huius mundi resolvuntur elementa, vagitus[19] infantiae auditur[20]. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non visu, sensu tactuque moderandus[21], cunis est obvolutus. Haec si quis indigna deo recolit, tanto se maioris benefitii[22] obnoxium confitetur, quanto minus haec dei convenerunt[23] maiestati. Non ille eguit[24] homo effici per quem homo factus est, sed nos eguimus ut deus caro fieret et habitaret in nobis, id est, adsumptione carnis unus[25] interna[26] universae carnis incoleret[27]: humilitas eius nostra nobilitas est[28], contumelia eius honor noster est. Quod ille deus[29] in carne consistens, hoc nos vicissim[30] in deum ex carne renovati[31]. Nam is[32] plane vitam suam nescit qui Christum Iesum ut verum deum, ita et verum hominem ignorat, et eiusdem periculi respexit[33] Iesum Christum vel spiritum[34] deum[35] vel carnem nostri corporis denegare[36]. Omnis ergo[37] qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo qui est in celis[38]. Hec verbum caro factum loquebatur et homo Iesus Christus dominus maiestatis docebat, mediator ipse in se[39] ad salutem ecclesiae constitutus, et ipso illo inter deum et homines[40] mediatoris sacramento utrumque[41] unus existens, dum ipse[42] ex unitis[43] in idipsum naturis[44], naturae[45] utriusque res eadem est, ita tamen ut[46] neutro careret in utroque, ne forte deus esse homo nascendo desineret et homo rursum deus manendo non esset.

[II. Quod vera fides Christum Iesum et confiteatur deum et hominem, verbum et carnem.][47]

II. Haec itaque humane beatitudinis fides vera[48] est, deum et hominem praedicare, verbum et carnem confiteri, neque deum nescire quod homo sit[49], neque carnem ignorare quod verbum sit[50]. Natus igitur unigenitus deus ex virgine homo et secundum plenitudinem temporum in semetipso profuturus[51] in deum hominem hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se dei filium credi doceret et hominis filium praedicaret et admoneret[52], loquens[53] et gerens deinde deus universa quae

[1] *Bb.* scit. [2] *Mut.* pariter. [3] *Bb. Dst.* post quae. [4] *Dst.* inferni. [5] *Mut.* nostre *pro* nostra est. [6] *Mut. Bb.* consuevit. *Dst.* consecravit. [7] *Mut.* sociavit. *Sg. Dst.* instruxit. [8] *Bb. Dst.* societate. [9] *Mut.* ipse per id quod corporeum se esse voluit conderentur. *Bb.* ipse per id quod corporeum se esse conderentur. *Sg. Dst.* ipse qui corporeum se ostendit, condiderat. [10] *Mut. Bb. addunt:* in. [11] *Codd. cit.* referretur. [12] *Sg. Dst.* Dum. [13] *Mut.* vagitum unas. [14] *Mut.* affectuu. [15] *Bb.* rependeretur. *Dst. Sg.* responderetur, *in Sg. post. manu corr. in:* respondeatur. [16] *Sg. add.* quia. [17] *Mut.* Et. [18] *Mut.* potestates. *Om. Sg.* atque angeli. [19] *Sg. Dst.* vagitu. [20] *Mut. Bb.* auditus. [21] *Mut.* moderatus. [22] *Sg.* maiori beneficio. [23] *Dst.* convenerint. [24] *Sg. Bb. Dst.* indiguit. [25] *Mut.* sumus. [26] *Bb.* in terra. [27] *Mut.* incoles et. [28] *Mut. addit:* et. [29] *In Sg. manu post. add.* est. [30] *In Sg. manu post. add.* sumus. [31] *Mut.* renovata. [32] *Mut. Bb.* Nec sic. [33] *Sg. Dst.* est. [34] *Sg. add.* vel. [35] *Dst. addit:* non credere. [36] *Sic in Sg.* denegaret *manu post. corr.* [37] *Sg.* enim. [38] *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* qui autem negaverit me coram hominibus negabo et ego coram patre meo qui est in celis. [39] *Bb.* in se deum, *Sg. Dst.* deus *pro* in se. [40] *Sg. Dst.* hominem. [41] *Sg. Dst.* utroque. [42] *In manu post. add.* est. [43] *Bb.* unitatis. [44] *Bb.* natura. *Om. Mut.* [45] *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* vero. [46] *Om. Mut. Sg. Post. manu in Sg. additur:* ne. [47] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [48] *Sic post. manu in Sg.* vestra *corr.* [49] *Dst.* scit. *In Sg.* scit *post. manu corr. in:* sit. [50] *Dst.* scit. *In Sg.* scit *post. manu corr. in:* sit. [51] *Mut.* profuturum. [52] *Mut.* ammonet. [53] *Dst. add.* et gerens homo universa que dei sunt loquens.

hominis[1] sunt[2], ita tamen ut in ipso illo utriusque generis sermone numquam nisi cum significatione et[3] hominis[4] locutus et[5] dei sit[6]. Hinc[7] itaque fallendi simplices atque ignorantes hereticis occasio est, ut[8] quae ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum divinae naturae infirmitatem mentiantur. Et quia unus atque[9] idem[10] est, loquens omnia que loquitur de semetipso, omnia eum locutum esse contendant. Nec[11] sane[12] negamus totum illum qui ei manet naturae suae esse sermonem. Sed si Iesus Christus et homo[13] et deus, et nequam cum homo sit, tum primum deus, neque tum cum et homo sit et deus, tum non etiam et[14] deus, neque[15] post[16] hominem in deo[17] non totus homo, totus[18] deus, unum atque idem necesse est dictorum[19] eius sacramentum esse quod[20] generis: et cum in eo secundum tempus discernis[21] hominem a deo, dei tunc atque hominis discernere[22] sermonem: et cum deum atque hominem in tempore confiteris, dei atque hominis in tempore dicta diiudica[23]. Cum vero ex homine et deo rursum totius hominis, totius iam dei tempus intelligis, si quid[24] illud ad demonstrationem temporis dictum est, tempori coaptato[25] quae dicta sunt, ut[26] cum aliud sit ante hominem deus, aliud sit homo: et deus aliud sit post hominem et deum[27], totus homo et totus deus, non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum ac et naturarum[28] alium ei in[29] sacramento[30] hominis necesse est sermonem fuisse non naturalium[31] adhuc morituro, alium etiam aeterno. Nostri[32] igitur causa haec omnia Iesus Christus gerens[33] et corporis nostri homo natus secundum consuetudinem naturae nostrae locutus est, non tamen obmittens naturae suae esse quod deus est. Nam tametsi[34] in partu et passione et[35] morte naturae nostrae rem peregerit[36], res tamen ipsas[37] omnes virtute naturae suae gessit. Videsne ita deum et hominem praedicari ut mors homini, deo vero carnis excitatio deputetur, non tamen alius sit qui mortuus est et alius sit[38] per quem mortuus resurgit[39]. Spoliata enim carne Christus est mortuus, et rursum Christum a mortuis excitans, idem Christus est[40] carnem[41] se expolians[42]. Naturam dei in virtute resurrectionis intelligere[43], dispensationem hominis in morte agnosce. Et cum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Iesum, eum memento esse qui utrumque est. Haec igitur demonstranda a me paucis[44] fuerunt, ut utriusque naturae formam tractari in domino[45] Iesu Christo meminissemus[46], quia qui manens in forma dei formam servi suscepit, ipse divinitatem nequaquam amisit.

[III. Quod monendi sint heretici ut convertantur ad deum.][47]

III. Caeterum, fratres, hortamur vos, ut moneatis eos converti ad deum. Unde scriptum est: Fili, non tardes converti ad deum[48] et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius et in tempore vindictae disperdet te. Noli anxius[49] esse in divitiis iniustis, nihil[50] proderunt tibi in die obductionis et vindictae. Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omni via[51]. Sic enim[52] peccator probatur duplici[53] lingua. Esto firmus in via dei et in veritate sensus tui et[54]

c. *III. Fili non tardes converti — pusillum et magnum similiter*, Ecclesiastic. V. 8—18.

1 *Sg. Mut.* dei. 2 *Mut. Sg. add.* loquens et gerens deinde deus universa que homini sunt. 3 *Deest in Dst.* 4 *Mut.* omnis. *In Sg. manu post. add.* et. 5 *Dst.* est. 6 *Deest in Sg. Dst.* 7 *Sg. Dst.* Si hinc. 8 *Bb.* et. 9 *Deest in Dst. Sg.* 10 *In Sg. manu post. corr. in:* idemque. 11 *Bb.* Ne. 12 *Dst. addit:* nos. 13 *Sg. add.* est. 14 *Deest in Mut. Sg. Bb.* 15 *Deest in Dst.* tum cum et homo — deus neque. 16 *Sg.* prae, *post. manu corr. in:* post. *Dst.* per. 17 *Mut.* deum. 18 *Mut.* natus. 19 *Mut.* doctorum. 20 *Sg. Dst.* totius. 21 *Mut.* discerni et. 22 *Sg. Dst.* discerne. 23 *Dst.* dividas. *Sg.* dividat, *corr. in:* dividet. 24 *Sg. Bb. Dst.* quod. 25 *Bb.* coapto. 26 *Mut.* et. 27 *Sg. Dst.* deus. 28 *Mut.* natus alium. *Bb. Dst.* natura rerum. *In Sg.* natura rerum *post. manu corr. in:* naturalium. 29 *Mut.* et in *pro* alium ei in. 30 *Mut.* sacramentum. 31 *Dst. Sg.* natalium. *In Sg. manu post. corr. in:* naturalium. 32 *Bb.* Nostra. 33 *Mut.* gens. *Bb.* generis. 34 *Mut.* tamen etsi. *Sg. Bb.* etsi. *Dst.* si. 35 *Sg. add.* in. 36 *Sg. Dst.* semper egerit *pro* rem peregerit. 37 *Mut. Bb.* ipsa. *Om. Sg.* 38 *Om. Sg.* 39 *Dst.* resurrexit. 40 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 41 *Sg.* carne. 42 *Bb.* expoliata induit. *In Sg.* expolians *manu post corr. in:* expoliat. 43 *Sg. Bb. Dst.* intellige. 44 *Mut.* papis. *Bb.* pacis. 45 *Dst. add.* nostro. 46 *Sg.* meminerimus. 47 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 48 *Sg. Dst.* dominum. 49 *Bb.* anxiatus. 50 *Dst. addit:* enim. 51 *Mut.* omnem viam. 52 *Dst. add.* omnis. 53 *Sic sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* duplitia. 54 *Sg. Dst. add.* in.

scientia, et prosequatur te verbum pacis et iustitie. Esto·mansuetus ad audiendum verbum dei, ut intelligas et cum sapientia proferas responsum verum[1]. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris[2] in verbo indisciplinato et confundaris. Honor et gloria in sermone sensati, lingua vero[3] inprudentis subversio[4] illius. Non appelleris susurro et lingua tua ne[5] capiaris et confundaris. Super furem enim est confusio et penitentia, et denotatio pessima super bilinguem[6]: susurratori autem odium[7] et inimititia et contumelia. Iustifica pusillum et magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo. Inproperium enim et contumeliam malus hereditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. Non te extollas in cogitatione animae tuae velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam et folia tua comedet et fructus tuos perdat, et relinqueris velut lignum aridum in heremo. Anima enim nequam disperdit[8] quae[9] se habet, et in gaudium inimici dat illum et deducit[10] in[11] sortem impiorum. Talibus vos exhortationibus, fratres, vicissim monetote[12], et bona semper sectamini malaque vitate. Magnis[13] enim studiis secundum beatum apostolum praecavendum[14] est, ne fides et disciplina domini blasphemetur. Et si illa nonnunquam sinenda sunt, quae, si ceterorum constet integritas[15], sola nocere non valeant, illa tamen sunt magnopere praecavenda quae recipi[16] sine manifesta decoloratione non possunt, ac si ea ipsa que nullo detrimento aliquoties indulgenda credentur[17] vel rerum temporumque cogit intuitus vel adceleratae provisionis respectus excusant, quanto magis illa nullatenus sunt mutilanda quae nec ulla necessitas nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas? [18]Idcirco, fratres, ista praetulimus ut hae speties quas[19] non licet offerri[20] super altare iuxta constitutionem apostolorum eorumque successorum ad domum sacerdotum deferantur, et a sacerdotibus benedicantur et per simplicem benedictionem benedicta demum a populis sumantur, fabae tantum et uvae[21] et caetera que apostoli constituerunt super[22] altare offerantur.

Optamus[23] igitur, fratres karissimi, et totis omnipotentem dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram in amoris sui constantiam[24] fatiat magis magisque fervescere, atque in pace ecclesiae in una vos[25] concedat manere concordia.

IV. Admonemus etiam fraternitatem vestram, ut in commissis vobis animabus sollerter invigiletis animarumque magis lucris quam commodis vitae presentis intendatis[27]. In continendis[28] vero ac disponendis rebus ecclesiasticis diligentes custodes[29] existatis, ut omni ex parte susceptum vos condigne gessisse pastoris offitium venturus iudex, cum ad iudicandum venerit, debeat approbare[30]. Omnipotens autem deus sua vos protectione custodiat honoremque a deo[31] vobis conlatum moribus servare concedat atque cum multiplici fructu animas vobis commissas ad

[IV. De commissis animabus episcopis sollerter invigilandum et de rebus ecclesiasticis disponendis diligenter.][26]

Noli fieri pro amico — deducit in sortem impiorum, Ecclesiastic. VI. 1—4.

Magnis enim studiis — prorsus extorquet utilitas, Gelas. I. ep. ad episc. per Lucan. c. 11. (H. no. 82.)

Idcirco fratres — super altare offerantur sec. Eutic. vit. c. 2. in libr. pontif.

Optamus igitur — manere concordia, Greg. M. ep. V. 54. (2, 785.)

c. *IV. Admonemus etiam fraternitatem — venerit debeat approbare*, eiusd. ep. II. 37. (2, 600.)

Omnipotens autem deus — servare concedat, Greg. M. ep. V. 53. (2, 783.) Cf. Ant. 8, Greg. M. ep. ad Fel.

[1] *Sic corr. sec. Dst.* ferre non possumus verum. *Mut.* fer responsum verum. *Sg.* ferre possis verum. *Bb.* proferre possis verum. [2] *Sic corr. sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* capieraris. [3] *Om. Sg.* [4] *Dst. addit:* est. [5] *Deest in Sg. Bb.* [6] *Sic sec. Mut. Sg. Dst. Bb. corr.* bilinguae. [7] *Sic corr. sec. codd. cit.* odicum. [8] *Sg. add. manu post.* eum. [9] *Sg. Bb. Dst.* qui. [10] *Bb.* reducit. [11] *Bb.* illi. [12] *Sg. Dst.* monete. [13] *Mut. Dst.* Magis. [14] *Bb.* praevidendum. [15] *Dst.* sine ceterorum constant integritate quia. [16] *Sg. Dst.* praecipi. [17] *Sg. Dst.* creduntur. *In Sg. manu post. add.* quae. [18] *Dst. hic ponit rubricam cap.* IV. (*cf. infra*). [19] *Mut.* que. [20] *Mut.* aufferri. *Sg.* offerre. [21] *Mut.* oleae. [22] *Sg.* ad. [23] *Mut.* hortamus. [24] *Dst.* constantia. [25] *Mut.* illos. [26] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui rubricam paullo superius ponit ad verba:* Idcirco *etc. Sol. num. in Bb. Dst. in marg.* quas species non licet offerre. [27] *Mut.* insudetis. [28] *Sg.* Incontinenter, *Dst.* Continentes *pro* In continendis. [29] *Deest in Mut.* [30] *Deest in Mut.* ut omni ex parte — debeat approbare. [31] *Sg. Dst.* domino.

pascua aeterna adducere sibique[1] condigne repraesentare adiuvet, vosque inter sanctos et electos suos collocare dignetur. Data pridie[2] Idus April. Aureliano et Marcello vv. cc. conss.[3]

CUIUS SUPRA UNIVERSIS EPISCOPIS PER SICILIAM CONSTITUTIS DIRECTA.[4]

[V. Exhortatio ut simus filii misericordiae et iustitiae secundum apostolum.][5]

V. Dilectissimis fratribus universis episcopis per Siciliam constitutis EUTIANUS[6].

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in celestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et inmaculati in conspectu eius in caritate, predestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius quae habundavit[7] in nobis in omni sapientia et prudentia[8], ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt in ipso: in quo etiam sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem glorie eius, qui ante speravimus[9] in Christo, in quo et vos cum audissetis verbum veritatis, aevangelium salutis vestrae, in quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae in redemptionem adquisitionis in laudem gloriae ipsius. Propterea et ego audiens fidem vestram in domino Iesu et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri fatiens in orationibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater gloriae det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione[10] eius inluminatos oculos cordi vestri, ut sciatis que sit spes vocationis eius, et que divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis, et que sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus[11] secundum operationem potentie virtutis eius[12] quam operatus est in Christo suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in celestibus super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et[13] omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed et[14] in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit capud[15] super omnia ecclesiae[16] que est corpus eius[17] et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus[18] qui nunc operatur in filiis diffidentiae, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostre, fatientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii ire sicut et ceteri. Modo, fratres, quia ex filiis irae sua gratia et gratuita miseratione fecit nos deus filios suos, et nos, qui digne[19] servi non eramus nullis meritis praecedentibus, sed sua, ut diximus, gratia facti sumus filii eius, in quo clamamus: Abba pater, sequentes eius exempla, simus filii[20] misericordie et

Not. cons. sec. vit. Eutic. c. 1. in libr. pontif. c. V. *Benedictus deus et — qui omnia in omnibus adimpletur*, Eph. I. 3—23. *Et vos cum essetis — filii ire sicut et ceteri*, Ephes. II. 1—4. *in quo clamamus abba pater*, Rom. VIII. 15.

1 *Sg. Dst.* et sibi. 2 *Mut.* II. 3 *Hac epistola, cui additur: ΦΗΝΗΤ Δῶ ΓΡΑΤΗΑΣ ΑΜΗΝ, concluditur cod. Mut.* 4 *Bb.* Epistola IIa Euticiani papae. *Sg.* epistola Eutichiani. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 6 *Bb.* Euticianus. *Sg. Dst.* Eutychianus. 7 *Dst.* superabundavit. 8 *Sg. om.* et prudentia. 9 *Sg. Bb. Dst.* sperabamus. 10 *Cod. cit.* agnitionem. 11 *Bb. Dst.* credidimus. 12 *Verba:* in nos qui credimus — potentie virtutis eius *om. Sg., in Dst. add. post. manu.* 13 *Deest in Dst.* potestatem — dominationem et. 14 *Om. Sg.* 15 *Om. Sg.* 16 *Sg. Bb. Dst.* omnem aecclesiam. 17 *Codd. cit.* ipsius. 18 *Dst.* spiritum. *Om. Sg.* 19 *Bb. Dst.* digni. 20 *Deest in Dst.*

iustitie atque dilectionis, ut veri[1] filii dei et dici et esse ipso auxiliante valeamus. Deponentes igitur, iuxta eundem[2] apostolum, omnem malitiam et omnem dolum et simullationes et invidias et omnes detractiones, et cetera. Hi vero qui talia agunt non filii dei, sed potius filii nequam esse conprobantur, sicut idem ait apostolus: Manifesta autem sunt opera carnis que sunt fornicatio, inmunditia, luxuria, idolorum servitus, venefitia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, secte, invidiae, homicidia, aebrietates, comessationes et his similia, que praedico vobis sicut predixi, quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. Grave, fratres, verbum[3] et orrendum nimis, quod ait, quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. Et ipsa per se veritas dicit: Quid prodest homini universum mundum lucrari, anime vero suae detrimentum patiatur? Gravia sunt nimis quae praetulimus et pervalde[4] cavenda[5]. Quibus enim regnum dei excluditur, procul dubio et ecclesia denegatur, de quibus dominus in evangelio potestatem apostolorum eorumque successorum adnuntians ait: Quorum dimiseritis peccata dimittuntur[6] eis, *et quorum alligaveritis alligata erunt, id est, quibus ecclesiam interdixeritis nisi reconciliati per satisfactionem fuerint, ipsis et[7] ianua regni celestis clausa erit.

[VI. Quod non ita in ecclesiasticis agendum sit negociis sicut in secularibus.][8]

VI. Unde ista praecaventes et stultorum animos praevidentes cura pastorali cum omnibus episcopis et sanctae Romanae atque universalis[9] ecclesiae utriusque ordinis fidelibus statuimus non ita in ecclesiasticis agendum esse negotiis sicut in secularibus.

[VII. Qualis debeat esse accusatio et qualis ordo accusationis.][10]

VII. Nam in saecularibus[11] legibus vocatus quis venerit et in foro decertare[12] coeperit, non licet ei ante peractam causam recedere. In ecclesiasticis vero dicta causa recedere licet, si necesse fuerit aut si se praegravari[13] viderit. Accusationis[14] vero ordinem talem et didicimus[15] et servari debemus[16], id est, si quis clericorum in crimine impetitur non statim reus estimetur, quia[17] accusari potuit ne[18] subiectam innocentiam fatiamus. Sed quisque[19] ille est qui crimen intendit, in iuditium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat, similitudinem habita tamen dignitatis estimatione patiatur. Nec fore[20] sibi[21] noverit[22] licentiam[23] mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii[24].

[VIII. Qui ab accusatione sint prohibendi.][25]

VIII. Heretici[26] enim omnes et suspecti et excommunicati, homicide quoque atque malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri et qui raptum fecerint vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint[27], nullatenus ad adcusationem sunt admittendi. Nulli infami unquam atque

Deponentes igitur — omnes detractiones, I Petr. II. 1.
Manifesta autem sunt — dei non consequentur, Galat. V. 19—21.
Quid prodest homini — detrimentum patiatur, Matth. XVI. 26.
Quorum dimiseritis — alligata erunt, Ioann. XX. 23. et Matth. XVIII. 18.
c. VI. non ita in ecclesiasticis — in secularibus sec. Leon. M. ep. 104. c. 3. (1, 1149.) Cf. Vict. 3, Fel. II. pp. 12. XVII.
c. VII. Accusationis vero — similitudo supplitii, c. 6. Angilr. (Ben. III. 436. des. ex c. 19. C. Th. IX. 1.)
c. VIII. Heretici enim omnes — sunt admittendi, Ben. II. 397. III. 369. c. 10. (bis) Angilr. (l. Visig. II. 4. 1.) Cf. Clem. 31, Euseb. 18, Fel. II. pp. 12. XVI.
Nulli infami — christianum impetere, Ben. III. 351. (l. Visig. XII. 2. 9.) Cf. Fel. II. pp. 12. VI.

1 *Sg. Bb. Dst.* vere. 2 *Deest in Sg. Dst.* 3 *Sg. Bb. Dst.* verum. 4 *Codd. cit.* valde. 5 *Bb.* precavenda. 6 *Sg. Dst.* dimittentur. 7 *Sg. Dst.* etiam. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 9 *Sic corr.* universali *sec. Bb. Dst. quod est quoque in Sg.* 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst. add.* postquam. 12 *Dst.* certare. 13 *Sic corr. sec. Dst.* semper pergravari. *Sg.* se pergravari, *post. manu corr. in:* se praegravari. *Bb.* sepe se gravari. 14 *Cod. in marg.:* de accusationibus. 15 *Sg. Bb. Dst.* dicimus *pro* et didicimus. 16 *Bb.* iubemus. 17 *Sg. Bb. Dst.* qui. 18 *Bb.* nec. 19 *Bb.* si quisquis. *Sg. Dst.* quisquis. 20 *Sg. Bb.* forte. 21 *Om. Sg.* 22 *Sg.* moverit. 23 *Sg.* licentia. 24 *Bb. addit:* isti non sunt ad accusationem admittendi nec etiam contra servum. 25 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* VIII. ut qui calumniam illatam non probat paenam incidat quam si probasset reus sustinere. 26 *Cod. in marg.:* hi ad accusationem non sunt admittendi. 27 *Verba:* seu qui ad — magosque concurrerint *om. Sg.*, *in Dst. post. manu adduntur.*

sacrilego de quocumque negotio liceat adversus religiosum christianum, quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec[1] de qualibet re[2] actione vel inscriptione christianum impetere. [3] Omnibus quoque similiter accusandi vel testificandi licentia denegetur qui christiane religionis et nominis dignitatem et sue legis vel sui praepositi[4] normam aut regulariter prohibita neglexerint.

[IX. Ut nullae causae a iudicibus ecclesiasticis audiantur quae legibus non continentur vel quae prohibitae esse noscuntur et ut sacerdotum accusatio passim vageque fieri non debeat.][5]

IX. Similiter prohibemus ut nulle cause a iudicibus ecclesiasticis audiantur, quae legibus non continentur vel que prohibitae esse noscuntur. Haec non solum ecclesiasticae, sed et saeculi leges observare[6] praecipiunt[7]. Non enim passim vageque sacerdotum accusatio debet fieri. Nam[8] si facile admitteretur, perpauci nimis invenirentur, quia omnes qui pie volunt vivere[9] persecutionem patiuntur. Beati tamen qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Unde et ipsa[10] per se veritas ait: Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: tui erant et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quae dedisti mihi abs te sunt, quia verba que dedisti mihi[11] dedi eis, et ipsi acceperunt et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti[12]. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut unum sint sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi et nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio et hec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum et mundus hodio habuit eos, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a[13] malo. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum, et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate; non pro eis[14] autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te, ut et[15] ipsi in nobis unum sint et[16] mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus, quia tu me misisti et dilexi eos sicut[17] me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, et hi cognoverunt, quia tu me misisti; et notum feci eis nomen tuum et notum fatiam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit et ego in ipsis. Et[18] idem Iohannes apostolus

Omnibus quoque — neglexerint, Ben. III. 188, addit. III. 12. (epit. Aegid. ad l. Rom. Vis. c. 1. C. Th. XVI. 2.) Cf. Anacl. 3, Fel. II. pp. 12. x.

c. IX. ut nulle cause — esse noscuntur. Ben. II. 436. III, 352, add. III. 10. (l. Visig. II. 1. 12 tit. et Ennod. lib. apol. p. 329.) Fel. II. pp. 12. VIII. (Euseb. 3.)

Non enim passim — debet fieri, c. 8. conc. Carth. D. Cf. Fel. II. pp. 3.

Nam si facile — inveniretur. Cf. Steph. 12. (Fab. 19, Sixt. II. pp. 8, Euseb. 3., Iul. 19.)

omnes qui pie — persecutionem patiuntur, II Timoth. III. 12.

Beati tamen — patiuntur propter iustitiam, Matth. V. 10.

Pater manifestavi — et ego in ipsis, Ioann. XVII. 6—26.

1 *Dst.* vel. 2 *Deest in Bb. Dst.* 3 *Bb. rubricam ponit:* de accusatoribus. 4 *Sg. Bb. Dst.* propositi. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 6 *Sg. Bb.* observari. 7 *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* praecipimus. 8 *Cod. in marg.:* nam si facile admitteretur accusatio sacerdotum, perpauci nimis invenirentur. 9 *Sg. Bb. Dst. addunt:* in Christo. 10 *Om. Dst.* 11 *Deest in Bb. Sg. Dst.* abs te sunt — verba quae dedisti mihi. 12 *Dst. addit:* et totum illud evangelium usque in finem, *et omittit sequentia usque ad verba:* Et idem Johannes. 13 *Bb. in quo verba:* non rogo — ego non sum de mundo *alia m. s. XI. adduntur:* ex. *Sg.* ex. 14 *Sg. Bb.* his. 15 *Deest in Bb.* 16 *Sg. Bb.* ut. 17 *Sg. add.* ut. 18 *Dst.* Atque.

et evangelista in prima epistola sua loquitur, dicens: Carissimi, diligamus invicem, quia caritas ex deo est, et omnis qui diligit ex deo natus est et cognoscit deum; qui non diligit, non novit[1] deum, quia deus caritas est[2]. In hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse[3] dilexit nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Carissimi, si deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intellegimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo. Et nos cognovimus et credidimus caritati quam habet deus in nobis. Deus caritas est et qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum, ut fidutiam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor paenam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus deum, et[4] quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui autem[5] non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum a deo habemus, ut qui diligit deum, diligat et fratrem suum. Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex deo natus est[6], et omnis qui diligit eum[7] qui genuit, diligit[8] eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus[9], quoniam diligimus natos dei, cum deum diligamus et mandata eius fatiamus; haec est enim caritas dei, ut mandata eius custodiamus, et mandata eius gravia non sunt. Et per prophetam dominus monendo ne[10] ledantur discipuli sui eorumque successores, inquid: Circumdat angelus domini in giro timentes eum et eruet eos. Gustate et videte quoniam bonus[11] dominus; beatus vir qui sperat in eo. Timete dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Leones indiguerunt et esurierunt, quaerentibus autem dominum non deerit omne bonum. Ambulate, filii, audite me, timorem domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligens dies videre bonos? Custodi linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo et fac bonum, quaere pacem et persequere eam. Oculi domini super iustos et aures eius ad clamorem[12] eorum. Vultus autem domini in facientes malum[13], ut perdat de terra memoriam eorum. [14]Clamaverunt iusti, et dominus exaudivit eos et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Iuxta est dominus contritis corde et confractos spiritu salvabit. Multa mala iusto et ex omnibus illis liberavit eum[15] dominus. Custodit omnia ossa eius[16], unum ex his non confringetur. Interfitiet impium malitia et hodientes iustum culpabuntur. Redimet dominus animas servorum suorum et liberabit eos. Vos ergo, fratres, ponite super dominum corda vestra, et ipse enutriet vos, quia non dabit in eternum fluctuationem iustis. Deus[17] autem dominus[18] noster deducet inimicos nostros iuxta prophete vocem in puteum interitus, quoniam viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Vos autem semper[19] sperate in domino

Carissimi diligamus — diligit deum, diligat et fratrem suum, I Ioann. IV. 7—21.

Omnis qui credit quoniam — gravia non sunt, ibid. V. 1—3.

Circumdat angelus — servorum suorum et liberabit eos, Ps. XXXIII. 8—23. vers. Hier.

Vos ergo fratres—corda vestra, Ps. XLVII. 14. *et ipse enutriet — dimidiabunt dies tuos*, Ps. LIV. 23. 25.

[1] *Sg. Bb. Dst.* cognovit. [2] *Dst. addit:* et cetera eiusdem epistole fine tenus, *et omisit sequentia usque ad verba:* ut qui diligit deum diligat et fratrem suum. [3] *Bb. addit:* prior. [4] *Deest in Sg. Bb.* [5] *Sg.* enim. [6] *Om. Dst.* [7] *Sg. Bb.* deum. [8] *Dst. addit:* et. [9] *Bb.* cognovimus. [10] *Cod. et Dst. in marg.:* ne ledantur Christi discipuli. [11] *Bb. addit:* et. [12] *Sg. Bb. Dst.* clamores. [13] *Codd. cit.* mala. [14] *Deest in Dst.* clamaverunt — servorum suorum et liberabit eos. [15] *Sg.* eos. [16] *Sg.* eorum. [17] *Dst.* Dominus. [18] *Deest in Dst.* [19] *Deest in Sg. Bb. Dst.*

et fidutiam habetote in eo, quia ipse liberabit nos, ipse est enim benedictus a saeculo usque in saeculum et regni eius non erit finis. Data XIII. Kal. Octob. Caro II. et Cariano vv. cc. conss.[1]

INCIPIUNT[2] DECRETA GAI[3] PAPAE.[4]

[5] Dilectissimo fratri Felici episcopo Gaius.

Directas[6] ad nos[7] tuae caritatis epistolas plenas[8] chatholicae inquisitionis sollicitudine gratanter accepimus, benedicentes dei nostri clementiam, quia tales extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores, per quos et pascuis valeant salutaribus habundare et ab iniqui lupi rapacitate servari, ut insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Unde certum est quia promissae[9] vos beatitudinis gratia subsequatur, quando a vobis celestium perfectio doctrinarum tam votiva sciscitatione[10] perquiritur, scriptum est enim: Beati qui scrutantur[11] testimonia eius, [12] in toto corde exquirunt eum. Hoc ergo[13], frater karissime, propositum tuae consultationis[14] tota mente tractantes de te quoque prevenire[15] confidimus, qui regulam catholicae fidei hisdem studes tenere vestigiis, quibus eam in apostolica sede cognoscis esse fundatam. Et quamvis sonus eorum toto orbe diffusus et usque ad fines orbis terre verba eorum distensa dilectionis tue[16] corda[17] Christo probaverunt esse fidelia, tamen si quid ex his in[18] ecclesia quae tue gubernationi deo auxiliante commissa est necdum plena luce claruerit[19], ad eumdem fontem de quo illa salutaris manarat[20] limpha[21] recurritis, id[22] est, quod[23] debita caritate[24] sumus amplexi, quia fiducialiter de his unde apud eos observantiam esse dixistis ambiguam nostram voluisti[25] responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in domino salutantes de singulis quod iuxta catholicam disciplinam teneat apostolicae sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum. [II. Paganos et hereticos accusare non posse christianos.][26] II. Primum quidem[27] scias paganos et hereticos non posse christianos accusare aut vocem infamationis inferre. [III. Episcopum non accusandum apud iudices seculares.][28] III. Deinde nemo umquam episcopum apud iudices seculares aut alios clericos[29] accusare presumat. [IV. De episcopo, presbitero aut diachono vel reliquis clericis apud episcopos accusatis.][30] IV. Et[31] si quis episcopus[32], presbiter aut diaconus vel quilibet clerici[33] apud episcopos, quia alibi non oportet, a qualibet persona, quae rite recipienda est, fuerint accusati, quicumque fuerit[34], sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationis ministranda documentis[35] se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi[36] personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intellegat se iacturam infamiae sustinere, ut dampno pudoris estimationis dispendio discat[37]

et regni eius non erit finis, Luc. I. 33.
Not. cons. sec. vit. Eutic. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Directas ad nos — regularem te credimus instruendum, init. Vigilii ep. ad Profut. (H. no. 96.)
c. II. Primum quidem — accusare sec. c. 96. conc. Afric. (D.)
c. III. Deinde nemo — accusare presumat, Ben. II. 381. III. 153. i. f. (int. c. 12. C. Th. XVI. 2.) Cf. Fel. II. pp. 12. I. (Fab. 23.)
c. IV. Et si quis episcopus — de cetero non licere, c. 21. Angilr. (Ben. III. 438. des. ex c. 41. C. Th. XVI. 2.) Cf. Sixt. III. pp.

[1] *Bb. addit:* Explicit. [2] *Deest in Dst.* [3] *Bb.* Gagi. [4] *Sg.* Epistola sancti Gaii papae. [5] *Bb. num.* I. *hic ponit. Om. num. et rubr. Par.* 4280 *AA.* [6] *Sic corr.* directos. [7] *Bb.* Directas nos. *Dst:* directam nobis. *Sg.* directas nobis. [8] *Dst.* epistolam plenam. [9] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* promississe. [10] *Bb.* vocivae sciscitationis ardore. *Sg. Dst.* susceptione. [11] *Sg. Bb.* perscrutantur. [12] *Dst. add.* et. [13] *Sg. Bb. Dst.* igitur. [14] *Sg.* consolationis. [15] *Sg. Bb. Dst.* provenire. [16] *Codd. cit.* suae. [17] *Sg. Dst. addunt:* pro. [18] *Sg. add.* hac. [19] *Dst. Sg.* claruerunt. [20] *Bb.* maneret. [21] *Sg. Dst.* triumphat *pro* manaret limpha. [22] *Bb.* sed. [23] *Sg.* deoque *pro* id est quod. [24] *Bb.* debitae karitatis. [25] *Sg. Dst.* voluistis. [26] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui num.* I. *ponit: eundem num. Bb.* [27] *Cod. in marg.:* pagani et heretici acusare nequeunt. [28] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* II. *Bb.* II. De accusatione. [29] *Bb. Dst.* reliquos *pro* alios clericos. *Sg.* clericos, *omittens* alios. [30] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* III. *Sol. num.* III. *in Bb.* [31] *Dst.* at. [32] *Sg.* episcopum. [33] *Sg.* clericus. [34] *Dst.* fuerint, *quod in Sg. corr. in* fuerit. [35] *Sg. Bb. Dst.* noverit documenta probationis monstranda documentis. [36] *Bb.* episcoporum. [37] *Sic sec. Bb. Sg. Dst. corr.* dicat.

sibi alienae verecundiae impune insidiari[1] saltem[2] de cetero[3] non licere. Nam qualiter ad concilium veniatur, aut qualiter de suis rebus expoliatis[4] vel eiectis[5] a sedibus propriis aut[6] qui accusatores sint[7] recipiendi quive[8] non sint, aut qualiter eiectis si[9] expoliati[10] sint, omnia legibus redintegranda quae eis[11] ablata sunt, quia priusquam hoc factum fuerit nullum crimen eis obicere[12] potest, [13]et quod illis indutie post integram restaurationem anniversariae vel sex mensium indulgendae sint, et qualiter sua omnia licenter et pacifice absque ullius grave[14] impedimento disponere et suorum amicorum et[15] ecclesiasticorum patrum conciliis uti debeant suffitienter ab apostolis suorumque[16] decessoribus ac nostris predecessoribus statutum esse putamus; super his autem non reor amplius nunc fore disputandum, nisi si surrexerint talia que adhuc non sunt manifesta. Si eorum autem statuta non habueritis, mittite fidelissimos scriptores qui haec coram fidelibus testibus excipere vobisque reportare sub stipulatione valeant.

V. Caeterum ut satisfatiam consultis tuis de verbo incarnationis et veritatis, quicumque illi[18] sunt ita obcaecati et a lumine veritatis[19] alieni, ut verbi dei a tempore incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum evangelio veritatis aequa ratione concordent, si per virginis partum aut caro sine deitate aut deitas est[20] horta sine carne. Sicut enim negari[21] non potest evangelista dicente quod verbum caro factum est et habitavit in nobis, ita negari non potest beato apostolo Paulo praedicante, quod deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: quae autem reconciliatio esse posset qua humano generi repropitiaretur deus, si hominis causam mediator dei hominumque non susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma dei equalis est patri, in forma servi particeps esset et nostri, ut mortis vinculum[22] unius prevaricatione contractum, unius morte qui solus morti nihil debuit solveretur? Effusio enim iusti sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam sicut apostolus ait: Ubi habundavit peccatum[23], superhabundavit gratia. Et cum sub peccati praeiuditio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum[24] libertatis quam debitum servitutis. Quam itaque[25] in huius sacramenti praesidio spem relinquunt[26] qui in salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sunt redempti? Quis est, ut apostolus ait, qui tradidit semetipsum[27] oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis? Aut quod[28] umquam[29] sacrifitium sacratius fuit quam quod verus[30] aeternus pontifex altari crucis per inmolationem sue carnis imposuit. In conspectu domini pretiosa iustorum mors fuit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae non dona iustitiae, singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum filius hominis unus solus[31] dominus noster Iesus Christus qui vere erat agnus inmaculatus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Fides etenim iustificans impios et creans iustos ad humani-

[V. De his qui negant verbi dei incarnationem.][17]

c. V. quicumque illi sunt ita obcaecati — in hoc mundo adsumptum est in gloria (*c. VI.* i. f.) Leon. M. ep. 165. c. 4—10. (1, 1361.)

[1] *Sg.* insidias. [2] *Sic sec. Bb. Sg. Dst. corr.* salutem. [3] *Sg. Bb.* dicere *pro* de cetero. [4] *Sg. Bb.* expoliati. [5] *Sg. Dst.* eiecti. [6] *Desunt in Bb.* eiecti — aut. [7] *Bb. Dst.* sunt. [8] *Sg.* et qui. *Dst.* qui. [9] *Deest in Dst.* [10] *Dst.* expoliatisque. [11] *Sic corr. sec. Sg. Dst.* ei. [12] *Sg. Dst.* obici. [13] *Bb. ponit rubricam:* de expoliatis. [14] *Sg. Dst.* gravi. [15] *Sg.* vel. *Om. Dst.* [16] *Sg.* eorumque. [17] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* IV. *Solus num.* V. *in Bb.* [18] *Om. Sg. Dst.* [19] *Sg. add.* ita. [20] *Deest in Dst.* [21] *Bb.* negare. [22] *Sic corr. sec. Sg.* mora sui oculum. *Dst.* mortis piaculum. [23] *Dst.* delictum. [24] *Sg. Dst.* praecium. [25] *Bb.* utique sibi. *Sg. Dst. add.* orbi. [26] *Sg. Dst.* requirunt. [27] *Sg. Bb. Dst. addunt:* pro nobis. [28] *Sg. add.* ut ita dicam quod. [29] *Om. Sg.* [30] *Sg. Dst. add.* et. [31] *Deest in Sg. Bb. Dst.*

tatis retracta participium in illo adquirit salutem, in quo solus homo se invenit innocentem, liberum habens per gratiam dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis[1] nostrae humilitate congressus his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit. Licet ergo in uno domino nostro Iesu Christo vero dei atque hominis filio verbi et carnis una persona sit, quae inseparabiliter[2] atque indivisae[3] communes habeat[4] actiones[5], intelligendae[6] tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sic vere fidei contemplatione cernendum est ad que proveatur humilitas carnis et ad que inclinetur altitudo deitatis, quid sit quod caro sine verbo non agit, et quid sit quod verbum sine carne non efficit[7]. Sine verbi enim potentia nec conciperet virgo nec pareret, [10]et sine veritate carnis obvoluta[8] pannis infantia non iaceret[9]. Sine verbi enim potentia non adorarent magi puerum stella indice declaratum; sine veritate carnis non iuberetur transferri in Egyptum puer et ab Herodis persecutione subduci[10]; sine verbi potentia non diceret vox patris missa de celo: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite; et sine veritate carnis non protestaretur Iohannes: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi; sine verbi potentia non fieret redintegratio[11] debilium et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis nec cibus ieiunio[12] nec somnus esset necessarius fatigato; postremo sine verbi potentia non se dominus patri profiteretur aequalem, et sine veritate carnis non idem diceret patrem se esse maiorem, cum catholica fides utrumque[13] suscipiat, utrumque defendat, quae secundum confessionem beati Petri apostoli unum Christum dei filium et hominem credit et verbum. Quamvis itaque in illo ex quo in utero virginis verbum caro factum est, nihil umquam in utramque formam[14] aliquid[15] divisionis exstiterit et per omnia incrementa corporea unius personae fuerint totius temporis actiones. Ea[16] ipsa namque[17], ut ita dicam, quae inseparabiliter facta sunt nulla commixtione confundimus, sed quid cuiusque[18] forme sit ex operum qualitate sentimus. Dicant ergo isti ypochritae qui caecis[19] mentibus lumen volunt[20] recipere veritatis, in qua forma crucis ligno dominus maiestatis Christus affixus sit, quod[21] iacuerit in sepulchro, et revoluto monumenti lapide que[22] tertia die caro[23] resurexit[24]? Et quia[25] post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat et haesitationem cunctantium confutabat cum diceret: Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videbitis[26] habere, et apostolo Thome: Infer manum tuam in latus meum et vide manus meas et pedes, et noli esse incredulus, sed fidelis, qua utique manifestatione corporis sui iam haereticorum mendatia destruebat[27] ut universa ecclesia Christi innovanda[28] doctrinis hoc non sibi dubitaret esse credendum, quod apostoli susceperant[29] credendum.

[VI. Quod ad spem vitae aeternae perveniri non possit nisi per mediatorem dei et hominem Christum Iesum.][30]

VI. Ac si in tantam lucem[31] veritatis tenebras suas heretica obturatio[32] non relinquit, ostendant unde sibi spem vite polliceantur aeternae, ad quam nisi per mediatorem dei et hominum[33] hominem Iesum Christum non potest perveniri[34]. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus: Non est aliud nomen datum hominibus sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri, nec[35] est redemptio captivitatis humanae, nisi in sanguine eius qui dedit semetipsum redemptionem prò omnibus, et qui, sicut praedicat apostolus Paulus: Cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est se[36] esse aequalem deo, [37]semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine[38] hominum factus et abitu inventus

[1] *Bb.* humanis *pro* in carnis. [2] *Dst.* inseparabilis est. [3] *Dst.* indivisa. [4] *Sg.* habet. [5] *Deest in Dst.* [6] *Bb.* intelligenda et. [7] *Bb.* efficitur. [8] *Sic corr.* abvoluta *sec. Bb.* [9] *Deest in Bb. Om. Dst.* et sine veritate — non iaceret. [10] *Sg. om.* et sine veritate — ab Herodis persecutione subduci, *quae in Dst. manu s. XII. add.* [11] *Sg. Dst.* integratio. [12] *Sg.* ieiuno. [13] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* utriusque. [14] *Bb.* utraque formam. *Sg. Dst.* utraque forma. [15] *Sg.* alicuius. [16] *Sg. Bb. Dst.* et. [17] *In Sg. manu post. add.* nos. [18] *Sg. Bb. Dst.* cuius. [19] *Bb.* caeci. *Sg. Dst.* castis. [20] *Sg. Dst.* nolunt. [21] *Sg.* quis. *Bb. Dst.* qui. [22] *Deest in Sg. Bb.* [23] *Om. Sg.* [24] *Sg.* resurrexerit. [25] *Sg. Dst.* qui. [26] *Bb. Dst.* videtis. [27] *Codd. cit.* destruentur. [28] *Sic corr. sec. codd. cit.* innovando. [29] *Codd. cit.* susciperent. [30] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* V. *Solus num.* VI. *in Bb.* [31] *Sg. Bb. Dst.* tanta luce. [32] *Dst.* obduratio. *Sic manu post.* obturatio *in Sg. corr.* [33] *Dst.* hominis. [34] *Dst.* pervenire. [35] *Sg.* non. [36] *Sg. om.* [37] *Sg. Bb. Dst. add.* sed. [38] *Codd. cit.* similitudinem.

ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis[1]; propter quod et deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Cum ergo unus sit dominus Iesus Christus, sed[2] vere deitatis vereque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, exaltationem[3] tamen qua[4] illum, sicut[5] doctor gentium dicit, exaltavit deus et donavit illi nomen quod super omne nomen excellit, ad eam intellegimus pertinere formam quae ditanda[6] erat tantae glorificationis augmento. In forma quippe dei aequalis erat[7] filius patri et inter genitorem atque unigenitum nulla erat[8] in[9] essentia[10] discretio, nulla in maiestate diversitas nec per incarnationis misterium aliquid decesserat verbo, quod ei[11] patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam inpassibilis deitas sacramentum magne pietatis implevit, humana humilitas est[12], in gloria divinae pietatis[13] evecta est, in tanta unitate ab ipso conceptu virginis[14] deitate et humanitate conserta est[15], ut nec sine homine divina, nec sine deo agerentur humana. Propter quod sicut dominus maiestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate[16] aequalis est deo dicitur exaltatus, quia inseparabiliter manente unitate persone unus atque idem est et[17] totus hominis filius propter carnem et totus dei filius propter unam cum patre deitatem[18]. Quidquid enim in tempore accepit Christus secundum hominem accepit, cui quae non habuit conferrentur[19]; nam secundum potentiam deitatis indifferenter omnia quae habet pater, etiam filius habet, et que in forma servi a patre accepit, eadem[20] forma dei etiam ipse donavit, secundum enim dei formam ipse et pater unum sunt. Secundum formam enim[21] servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit eum, secundum formam dei sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso; secundum formam servi tristis est anima eius usque ad mortem. Et idem ipse est, sicut apostolus praedicat, et dives et pauper: dives, quia aevangelista dicente: In principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum, hoc erat in principio apud deum, omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil; pauper vero, quia propter nos verbum factum est caro[22] et habitavit in nobis. Quae autem est eius exinanitio, quae vero paupertas, nisi forme[23] servilis acceptio per quam verbi maiestate velata[24] dispensatio[25] humanae redemptionis impleta est? Nam quia captivitatis nostrae resolvi originalia vincula non poterant, nisi existeret homo[26] nostri generis nostraeque naturae, quem[27] peccati praeïuditia non tenerent et qui inmaculato sanguine suo cirografum letale dilueret[28], sicut ab initio erat divinitus praeordinatum, ita est in plenitudine temporis perfectum, ut[29] multis modis significata promissio in diu exspectatum veniret[30] effectum, nec[31] posset esse ambiguum quod continuis testificationibus semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio se versari haereticorum manifestat impietas, cum spetie deitatis honorande humanae carnis in Christo denegant veritatem, et religiose existimant[32] credi[33], si dicatur in salvatore nostro verum non esse quod salvat, cum ita secundum promissionem[34] omnia saecula[35] percurrentem mundus sit deo[36] in Christo, ut, nisi verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro salvari. Omne enim sacramentum fidei christianae magno

[1] *Dst. addit:* et cetera, *et omittit:* propter quod — gloria est dei patris. [2] *Sg. Dst.* et. [3] *Sg.* exaltatione. [4] *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* quam. [5] *Deest in Bb.; Sg. Dst.* ut. [6] *Bb.* ditanti. [7] *Sg. Bb. Dst.* est. [8] *Sg. Bb.* erit, *Dst.* est. [9] *Deest in Dst.* [10] *Dst.* essentie. [11] *Bb.* dei. [12] *Sg. Bb. Dst. addunt:* que. [13] *Codd. cit.* potestatis. [14] *Sg. add.* in. [15] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [16] *Sic corr. sec. Dst.* exemiternitate. *Bb.* et sempiternitate. *Sg.* sempiternitate. [17] *Om. Sg.* est et. [18] *Bb.* et deitate. [19] *Sg.* conferuntur. [20] *Sg. Bb. Dst. add.* in. [21] *Sg. Dst. om.* [22] *Add. in Sg. manu post.* [23] *Bb.* forma. [24] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* maiestatem vel acta. [25] *In Sg. manu post. corr. in:* dispensatione. [26] *Bb. addit:* non. [27] *Sic corr. sec. Sg. Dst.* que. *Bb.* quam. [28] *Bb.* diluerent. *Sg.* diluerunt, *poster. manu corr. in:* diluerat. [29] *Bb.* et. *In Sg. manu post. add.* cum. [30] *Bb.* venire. [31] *Sg. Bb.* non. [32] *In cod. add.* vel scire, *quod deest in Bb. Dst.* [33] *Om. Sg.* [34] *Sic sec. Sg. Dst. corr.* permissionem. [35] *Sg.* omni saeculo. [36] *Dst.* scit deum.

ut haeretici volunt, decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendatio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet christianus de nostri in Christo corporis veritate, quia omnes apostoli apostolorumque disciputi et preclari ecclesiarum quique doctores qui ad martyrii coronam vel ad confessionis meruerunt gloriam pervenire, in huius fidei lumine splenduerunt consonis ubique sententiis intonantes, quod in domino Iesu Christo deitatis et carnis una sit confitenda persona. Qua autem rationis similitudine, qua divinorum voluminum portione heretica impietas[1] estimat adiuvari, quae veritatem negat corporis Christi, cum hanc non lex testificari, non propheta[2] praecinere, non evangelia docere, non ipse destiterit Christus ostendere[3]? Quaerant[4] per omnem seriem scripturarum quo tenebras fugiant, non quo[5] verum[6] lumen obscurent; et per omnia saecula ita veritatem inveniunt coruscantem ut magnum hoc mirabile sacramentum ab initio videant creditum, quod est in fine completum. De quo[7] cum sanctarum litterarum[8] nulla pars sileat[9], sufficit quaedam consona veritatis signa posuisse quibus diligentia fidei in splendidissimam latitudinem[10] dirigatur et sincera intelligentia luce[11] prospiciat, quod in filio dei, qui se insensibiliter[12] filium hominis et hominem profitetur, non sit christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum, quoniam, sicut ait beatus apostolus: Magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, predicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, adsumptum est in gloria.

[VII. De ordinationibus ecclesiasticis.][13]

VII. De episcoporum[14] vero et presbiterorum diaconorumque et sequentium clericorum ordinationibus sanctos apostolos et successores eorum ac precipue Anacletum et preterea[15] alios suffitienter statuisse cognoscimus; et idcirco non est necesse nos replicare[16], nisi quod illi non statuerunt. [17]Illud tamen nos statuentes vobis et omnibus servare mandamus, ut ad ordines ecclesiasticos sic accedant[18] in ecclesia qui ordinari merentur, id est: si quis episcopus esse mereretur[19] sit prime[20] hostiarius, deinde lector, praeterea[21] exorcista, inde sacretur accolitus, demum[22] vero subdiaconus, deinde diaconus et postea presbiter, et exinde, si meretur[23], episcopus ordinetur. Et regiones, sicut in hac urbe fecimus[24], per singulas urbes quae populose fuerint diaconibus dividentur[25]. Et quaecumque difficiles[26] quaestiones per singulas provintias exorte fuerint, semper ad sedem apostolicam referantur. Bene vale, frater, et ora pro nobis. Data Kal. Mart. Diocletiano IV.[27] et Constantio II. vv. cc. conss.

INCIPIUNT DECRETA MARCELLINI PAPAE.[28]

[I. De hereticis qui dicunt patrem maiorem filio esse.][29]

I. MARCELLINUS[30], episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae, SALOMONI coepiscopo salutem.

Quam laudabiliter pro catholicae fidei veritate moveris[31] et quam sollicite dominico gregi devotionem offitii pastoris[32] inpendas, tradita nobis per diaconum

c. VII. Illud tamen — episcopus ordinetur sec. vit. Gai. c. 2. in libr. pontif.
Et regiones sicut in hac — diaconibus dividentur, l. c. c. 3. Cf. Fab. 2.
Et quaecumque difficiles — apostolicam referantur sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7.) aut Ben. II. 381. III. 109. Cf. Anacl. 17, 34, Zeph. 6, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. ep. 1.
Not. cons. sec. vit. Gai c. 1.
c. I. Quam laudabiliter — libelli tui textus eloquitur, init. Leon. M. ep. 15. (1, 694.)

[1] *Sg. add.* se. [2] *Sg. Dst.* prophetae. [3] *Bb.* ostenderet. *In Sg. manu post. add.* ergo. [4] *Bb.* Querat. [5] *Bb.* quorum. [6] *Deest in Bb.* [7] *In Sg. manu post. add.* autem. [8] *Dst.* scripturarum. [9] *Bb.* liceat. [10] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* latitudine. [11] *Sg. Dst.* lucem. [12] *Sg.* incessabiliter. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui ponit num.* VI. *Sol. num. in Bb.* [14] *Cod. in marg.:* de ordinationibus. [15] *Sg.* postea. [16] *Sg.* republicare, *manu post. corr. in:* replicare. [17] *Bb. ponit rubricam:* de ordinatione. [18] *Sg. Bb. Dst.* ascendant. [19] *Codd. cit.* meretur. [20] *Codd. cit.* primo. [21] *Codd. cit.* postea. [22] *Sg.* dein. [23] *Bb.* mereretur. [24] *Sg. Bb.* facimus. [25] *Bb.* dividantur. [26] *Bb.* difficile. [27] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [28] *Sg.* Epistola Marcelli papae quod filius aeque sit adorandus ut pater. [29] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [30] *Sg.* Marcellus. [31] *In Sg. post. manu corr. in:* movearis. *Dst.* movearis. [32] *Sg. Bb. Dst.* pastoralis.

tuum fraternitatis tuae scripta demonstrant, quibus notitiae[1] nostrae insinuare curasti qui errorum morbi in regionibus vestris modo exorti sunt[2]. Nam epistolae vestre sermo et commonitorii series et libelli tui textus eloquitur quod quidam errore decepti dicunt ideo patrem[3] maiorem filio esse, quia illi soli sacrificium immolatur[4] et quod filius nulla cum patre communia opera habeat et quod illud[5] propheticum de solo patre dictum sit: Sciant gentes, quoniam nomen tibi deus, tu solus altissimus super omnem terram, sive quod ideo minor est filius, quia ipse in cruce pendens dixit: Deus, deus meus, quare me dereliquisti. Quibus competens et congruum reddatur responsum, quia sicut patre[6], ita etiam filio non solum christianis temporibus, verum etiam a priscis temporibus[7] sacerdotibus variis multisque modis probamus sacrifitium fuisse oblatum, Danihelo propheta dicente: Non est locus, inquiunt tres pueri, ad sacrificandum nomini tuo et invenire misericordiam, sed in anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur[8]. Et sicut holocaustomata arietum et taurorum agnorumque pinguium, ita fiat sacrifitium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi: et ut filium fuisse agnoscas, cui hi tres pueri sacrificium se confessi sunt obtulisse, ex ipsius regis ac tyranni qui eos in fornacem ignis mitti praeceperat confessione addisce, qui se cum tribus quartum in ipso aestuantis camini incendio sotiatum prodidit conspexisse. Nonne, inquid, tres viros misimus in fornacem vinctos? Et dixerunt ei: Vere, rex! Et dixit: Ecce ego video quattuor viros solutos et deambulantes in medio ignis, et aspectus quarti similis est filio dei. Idem dei filius per prophetam loquitur dicens: Tibi offerent reges munera. Et ut haec de filio dei se dixisse doceret[9], dixit: Reges Tarsis et insule munera offerunt[10], usque omnes gentes servient ei. Et ut[11] omnia haec superius designata[12] Christo filio dei doceamus fuisse oblata, in nativitate eiusdem filii dei quae[13] secundum carnem facta[14] est, probamus fuisse completa evangelio comprobante: Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudae in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudeorum? Et infra: Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius et procidentes adoraverunt eum et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera[15]. Sacrifitium itaque quod a christianis sacris altaribus admovetur, non soli deo patri sed etiam filio[16] communi devotione offertur, quoniam nec pater[17] sine filio potest offerri, neque a[18] filio sine patre sacrari[19].

Quod autem communem operam habeant pater et filius, hoc modo docetur dum primi hominis plasma deus ad imaginem dei[20] communi operationis[21] virtute[22] fecisse[23] fertur, scriptura dicente: Fatiamus hominem ad imaginem et simulitudinem nostram. Item ibi: Descendamus et confundamus ibi linguam[24] eorum, et pluit dominus a domino ignem et sulphur super Sodomam. Et in evangelio: Pater meus usque modo operatur et ego operor; similiter et opera que ego fatio non sunt mea, sed eius qui misit me patris. Quae omnia discretam patris et filii potentiam monstrant, sed unam deitatis operationem adnuntiant[25]. Et is qui paternum[26] opus exequitur, a[27] paternis operibus alienus esse non creditur. Si autem ex[28] evangelio[29] filium dei cognosceres altissimum nuncupatum, nunquam filio derogans hoc de solo deo patre dictum poneres testimonium, cum scriptum sit:

Sciant gentes — super omnem terram, Ps. LXXXII. 19.

Deus deus meus quare me dereliquisti, Matth. XXVII. 46.

Quibus competens et — quae placita sunt ei fatio semper, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 737. 738.)

[1] *Bb.* notiae. [2] *Sg.* sint. [3] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* patri. [4] *In Sg. manu post. corr. in:* immoletur. [5] *Bb. addit:* nullum. [6] *Sg.* patri. [7] *Sg. Dst. add.* a. [8] *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* suspitiamur. [9] *Bb. Dst.* docere. [10] *Sg. Dst.* offérent. [11] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [12] *Sg. Dst. add.* ut. [13] *Dst.* qui. [14] *Dst.* factus. [15] *Dst. addit:* aurum, thus, myrram. [16] *Dst. addit:* dei. [17] *Sg. Bb. Dst.* patri. [18] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [19] *In Bb.* sacrari *corr. alia m. s. XI. in:* sacrificari. [20] *Deest in Sg. Bb. Dst.* communem — imaginem dei. [21] *Sg. Dst.* operatione. [22] *Sg. Dst.* virtutes. [23] *Dst.* fecisset. [24] *Sg. Bb. Dst.* linguas. [25] *Codd. cit.* denunciant. [26] *Sg.* pariter unum. [27] *Bb.* et; *deest in Dst. Sg.* [28] *Sg. Dst.* per. [29] *Codd. cit.* evangelium.

Tu, puer, propheta altissimi vocaberis. Et ut filius cum patre indiscrete in altissimis habitasse credatur, [1] Salomonis testimonio conprobatur: Ego, sapientia inquid, habitavi in altissimis et thronus meus in columna nubis. Et in psalmo nonagesimo secundo [2]: Tu autem altissimus es in aeternum, domine, quoniam ecce inimici tui peribunt. Nam cum diabolus thronum suum [3] contra creatoris sui thronum in altissimis conlocaret [4] elatus superbia, haec ausus [5] est nefando ore depromere: Ponam sedem meam ad aquilonem, inquit, ascendam super sidera caeli, sedebo super montes excelsos et ero similis altissimo. Item in Salomone: Ne dixeris, peccavi, et quid accidit [6] mihi triste, altissimus enim patiens est redditorum [7]. Si auditum cordis tui scripturis novis [8] accommodare divinis, quae filium doceant altissimum nuncupatum, vel diabolo crede qui contra opificis sui thronum sedem sibi voluit [9] conlocare. Ut enim agnoscatis filium a patre, ut vos suspicamini, non fuisse penitus derelictum, hoc de se in evangelio posuit testimonium: Pater qui me misit, mecum est et non reliquit [10] me solum, quia quae placita sunt ei fatio semper. Unde pro [11] subreptionem [12] mandamus, ut omnis cura et sollicitudo invigilet, ne fides temeretur aut violetur. Iam nullus est ignorantiae locus, nullus utatur simplicitatis excusatione preterita [13]. Scienti peccare [14] necessaria confusio est, et [15] quod errore contraxit scientia reformetur. Ista, frater, tene et haec doce. Utinam ad plenioris affatus sacietatem [16] praesentiae tuae nobis gaudia contigissent, ut gratularemur nos et conloquio tui [17] et presentia frui [18] quam sumus ante scripta conplexi. Verumtamen probasti, dilectissime frater, quo christianam fidem veneraris affectu [19], dum ea quae ad regulas patrum pertinent et ad mandata catholica [20] sine aliqua cupis transgressione servare et, spreta erratica et nociva [21], catholica et apostolica cupis tenere precepta et recte fidei regulas docere atque servare. Haec, frater karissime, et alia que patrum regulis continentur in labiis et in cordibus nostris indivisa retractatione meditemur, et sicut scriptum est: Narremus ea filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes, quia beatus in domino, qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc etenim [22] magister gentium secutus discipulum suum instruens admonet: Haec meditare, in his esto, subitiens plenitudinem adtende tibi [23] doctrinae, quoniam si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur a vitiis, dum [24] inpensa cura divino operi, humano locum non relinquit errori. Quod si ea quae predicta [25] sunt validis teneantur fixa radicibus, nec a paterna traditione receditur et constanter questionibus obviatur ac pravorum intentio cassatur, bonorumque fides et constantia roboratur. Data VIII. Idus Sept. Diocletiano VI. et Constantino II. vv. cc. conss.

EPISTOLA CUIUS SUPRA ORIENTALIBUS EPISCOPIS DIRECTA. [26]

[II. De gratulatione caritatis et quod abstinendum sit a persecutione fratrum et ab omni litigio.] [27]

II. Dilectissimis fratribus universis episcopis per Orientales provintias constitutis MARCELLINUS [28] episcopus.

Unde pro subreptionem — tene et haec doce, init. ep. Hormisdae ad episc. Hispan. (H. no. 92.)

Utinam ad plenioris — docere atque servare, eiusd. ep. ad Iohann. (H. no. 90.)

Haec frater karissime — locum non relinquit errori, eiusd. ad episc. per Hispan. c. 3. (no. 91.)

Quod si ea quae predicta — et constantia roboratur, eiusd. ep. ad Epiphan. (H. no. 93.)

Not. cons. sec. Marcellini vit. c. 1. in libr. pontif.

1 *Bb. Sg. Dst. addit:* in. 2 *Dst.* XCI. 3 *In Sg. manu post. add.* vellet. 4 *Sic corr. sec. Dst.* conlocare. *Bb.* conlocare vellet. *Sg.* collocare. 5 *Sg. Bb.* visus. 6 *Bb.* quicquid accidit id. 7 *Sg. Bb.* reddditor. 8 *Sg. Bb. Dst.* non vis. 9 *Sic manu post. in Sg. corr.* volunt. 10 *Sic corr.* reliquet *sec. Sg. Bb. Dst.* 11 *Bb.* per. 12 *Dst.* subreptione. 13 *In Sg. manu post. corr. in:* praeterea. 14 *In Sg. m. post. corr. in:* peccata. 15 *In Sg. manu post. corr. in:* ut. 16 *Sic corr.* societatem *sec. Sg. Dst.; Bb.* satiaetate. 17 *Om. Sg.* 18 *Sg.* fructuosa. 19 *Sic corr.* affectum *sec. Sg. Bb. Dst.* 20 *Dst. addit:* et apostolica. 21 *Bb. Sg. Dst.* spretis erraticis et nocivis. 22 *Sg.* enim. 23 *Sg. Dst. add.* et. 24 *In Sg. post. manu corr. in:* nam. 25 *Sg.* praedicata, *post. manu corr. in:* praedicta. 26 *Dst. add.* Iohannis papae. *Sg.* Epistola sancti Marcelli papae. 27 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 28 *In Sg. manu post. corr. in:* Marcellus.

Quid tam dulce sollicito quam quod mihi de vobis innotescuntur[1] illa quae cupio? Quid tam religiosis conveniens institutis quam ut inter se sacerdotes pacem, quam[2] necesse est aliis pro officio adnuntiare, conservent? Plena, fateor, gratulatione suscepi quod votiva mihi de caritate que inter vos est, ecclesiarum pacem[3] in litteris indicastis. Sponte mihi quicquid ortari[4] poteram[5], quidquid[6] monere[7] delatum est. Confirmet hoc deus, quod est[8] operatum[9] in nobis et quae praecepit pro animarum salute fatienda[10], haec ipse, qui praecepit, pro ea qua nos redemit pietate, fatiat. Et his tam bonis[11] nuntiis[12] nos quoque religiosorum vicem reddimus nuntiorum. Quicquid cum orientalibus quos ad ecclesiae corpus unitatemque revocatos dudum dei nostri ope litteris significavimus destinatis, denuo cum apertum[13] fuerit repetitis vobiscum participamus inditiis. Mox pro nostro edicto[14] ab orientalibus missa legatio est[15], certa speravit, certa consulit, sed facimus[16] de his que fuerunt dicenda conpendia, ipsi potius ad instruendam notitiam vestram que a[17] nobis sunt responsa dirigentes[18], ne quid sibi sub spatio prolixiore terrarum aut opinio vindicet aut error adsumat, cum ad rerum fidem ipsam teneri suffitiat veritatem. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet litterarum, oportuit quidem desideria plenius expedire. Quapropter scitote vos persecutionem[19] fratrum[20] et ab omni litigio abstinere debere, dicente scriptura: Servum dei non oportet litigare, nec quemquam nocere, sed persecutores ecclesie servorumque eius vestris redargutionibus corrigere, testante apostolo: argue, obsecra, increpa.
III. Quecumque[22] ergo contentiones inter cristianos horte fuerint ad ecclesiam deferantur et[23] ab ecclesiasticis viris terminentur. Maior[24] autem non potest a minore iudicari, nec episcopi pontifici a quo consecrari probantur, praeiuditium inferre ullum possunt. Quod si presumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri; [25]clericus vero cuiuslibet ordinis absque pontificis sui permissu nullum presumat ad seculare iuditium adtrahere, nec laico[26] quemlibet clericum[27] liceat accusare, detractiones tamen et accusationes atque persecutiones inter christianos oppido vitandae sunt; quia licet pauci simus in comparatione aliorum, si tamen unanimes fuerimus facilius adversariis resistemus. Sanctus enim protomartyr Stephanus labidabatur, sed Iesus suscipiebat plagas, ideo unicuique providendum est, ne aliquem iniuste iudicet aut puniat, ne Iesum iudicet aut puniat[28]. Et dominus in evangelio ait: Nolite iudicare,

[III. Ubi terminari debeant contentiones orte inter christianos.][21]

c. II. *Quid tam dulce sollicito — desideria plenius expedire*, init. Hormisd. ep. ad episc. per Baetic. (H. no. 95.)

Servum dei non oportet litigare, II Timoth. II. 24.
argue obsecra increpa, ibid. IV. 2.

c. III. *Quecumque ergo — viris terminentur* sec. Ben. III. 145. (c. 9. i. f. conc. III. Carth.). Cf. Anacl. 16, Alex. 4.

Maior autem — minore iudicari, Ben. I. 397. II. 381. Cf. Clem. 33, 42, Sixt. II. pp. 8, Iul. 5, 19. (c. 18. Angilr.).
nec episcopi — modo statuta censeri, Ben. III. 115. (exempl. constit. Symm. c. 3.) Cf. c. 15 (bis) Angilr.
clericus vero — liceat accusare, Ben. III. 145. (c. 32. conc. III. Aurel.).
si tamen unanimes — resistemus, sec. Ecclesiastae IV. 12. Cf. Alex. 13, Vict. 7, Fel. II. pp. 11.
Sanctus enim — suscipiebat plagas, Act. apost. VII. 58.
ideo unicuique providendum — aut puniat, Ben. III. 372. aut c. 11 (bis) Angilr. i. f. Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.
Nolite iudicare — iudicabimini, Matth. VII. 1. 2.

[1] *Bb. Dst. Sg.* innotescunt. [2] *Sg. Bb. add.* eos, *Dst.* eos ut. [3] *Codd. cit.* pace. [4] *Dst.* optare. [5] *In Bb. deest:* quicquid ortari poteram. [6] *Sg.* quid. [7] *Sg.* movere, *post. manu corr. in:* monere. [8] *Deest in Bb.* [9] *Sg. Bb. Dst.* operatus. [10] *Sic corr.* fatiendam *sec. Sg. Bb. Dst.* [11] *Dst. Sg.* istam boni *pro* his tam bonis. [12] *Sic corr.; codd. reliqui:* nuntii. [13] *Sg. Bb. Dst.* aptum. [14] *Sg. Dst.* nostra seditione. [15] *In Sg. manu post. add.* que. [16] *In Sg. post. manu corr. in:* fecimus. [17] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [18] *Bb.* diligentes. [19] *Sg. Bb. Dst.* a persecutione. [20] *Cod. et Dst. in marg.:* fratres non persequendos litigio. [21] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Rubrica et num. deest in Bb.* [22] *In marg.:* de accusationibus. [23] *Om. Sg. Dst.* [24] *In marg.:* maiores a minoribus non iudicandos. [25] *In marg.:* clericus seculare iudicium non eat. *Bb. rubricam ponit:* ut clericus nullum nullus ad iuditium trahat sine permissu episcopi. [26] *Sg. Dst.* laicum. [27] *Deest in Sg. Dst.* [28] *Om. Sg.* ne Iesum iudicet aut puniat.

Tu, puer, propheta altissimi vocaberis. Et ut filius cum patre indiscrete in altissimis habitasse credatur, [1] Salomonis testimonio conprobatur: Ego, sapientia inquid, habitavi in altissimis et thronus meus in columna nubis. Et in psalmo nonagesimo secundo [2]: Tu autem altissimus es in aeternum, domine, quoniam ecce inimici tui peribunt. Nam cum diabolus thronum suum [3] contra creatoris sui thronum in altissimis conlocaret [4] elatus superbia, haec ausus [5] est nefando ore depromere: Ponam sedem meam ad aquilonem, inquit, ascendam super sidera caeli, sedebo super montes excelsos et ero similis altissimo. Item in Salomone: Ne dixeris, peccavi, et quid accidit [6] mihi triste, altissimus enim patiens est redditorum [7]. Si auditum cordis tui scripturis novis [8] accommodare divinis, quae filium doceant altissimum nuncupatum, vel diabolo crede qui contra opificis sui thronum sedem sibi voluit [9] conlocare. Ut enim agnoscatis filium a patre, ut vos suspicamini, non fuisse penitus derelictum, hoc de se in evangelio posuit testimonium: Pater qui me misit, mecum est et non reliquit [10] me solum, quia quae placita sunt ei fatio semper. Unde pro [11] subreptionem [12] mandamus, ut omnis cura et sollicitudo invigilet, ne fides temeretur aut violetur. Iam nullus est ignorantiae locus, nullus utatur simplicitatis excusatioue preterita [13]. Scienti peccare [14] necessaria confusio est, et [15] quod errore contraxit scientia reformetur. Ista, frater, tene et haec doce. Utinam ad plenioris affatus sacietatem [16] praesentiae tuae nobis gaudia contigissent, ut gratularemur nos et conloquio tui [17] et presentia frui [18] quam sumus ante scripta conplexi. Verumtamen probasti, dilectissime frater, quo christianam fidem veneraris affectu [19], dum ea quae ad regulas patrum pertinent et ad mandata catholica [20] sine aliqua cupis transgressione servare et, spreta erratica et nociva [21], catholica et apostolica cupis tenere precepta et recte fidei regulas docere atque servare. Haec, frater karissime, et alia que patrum regulis continentur in labiis et in cordibus nostris indivisa retractatione meditemur, et sicut scriptum est: Narremus ea filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes, quia beatus in domino, qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc etenim [22] magister gentium secutus discipulum suum instruens admonet: Haec meditare, in his esto, subitiens plenitudinem adtende tibi [23] doctrinae, quoniam si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur a vitiis, dum [24] inpensa cura divino operi, humano locum non relinquit errori. Quod si ea quae predicta [25] sunt validis teneantur fixa radicibus, nec a paterna traditione receditur et constanter questionibus obviatur ac pravorum intentio cassatur, bonorumque fides et constantia roboratur. Data VIII. Idus Sept. Diocletiano VI. et Constantino II. vv. cc. conss.

EPISTOLA CUIUS SUPRA ORIENTALIBUS EPISCOPIS DIRECTA. [26]

[II. De gratulatione caritatis et quod abstinendum sit a persecutione fratrum et ab omni litigio.] [27]

II. Dilectissimis fratribus universis episcopis per Orientales provintias constitutis MARCELLINUS [28] episcopus.

Unde pro subreptionem — tene et haec doce, init. ep. Hormisdae ad episc. Hispan. (H. no. 92.)
Utinam ad plenioris — docere atque servare, eiusd. ep. ad Iohann. (H. no. 90.)
Haec frater karissime — locum non relinquit errori, eiusd. ad episc. per Hispan. c. 3. (no. 91.)
Quod si ea quae predicta — et constantia roboratur, eiusd. ep. ad Epiphan. (H. no. 93.)
Not. cons. sec. Marcellini vit. c. 1. in libr. pontif.

1 *Bb. Sg. Dst. addit:* in. 2 *Dst.* XCI. 3 *In Sg. manu post. add.* vellet. 4 *Sic corr. sec. Dst.* conlocare. *Bb.* conlocare vellet. *Sg.* collocare. 5 *Sg. Bb.* visus. 6 *Bb.* quicquid accidit id. 7 *Sg. Bb.* redditor. 8 *Sg. Bb. Dst.* non vis. 9 *Sic manu post. in Sg. corr.* volunt. 10 *Sic corr.* reliquet *sec. Sg. Bb. Dst.* 11 *Bb.* per. 12 *Dst.* subreptione. 13 *In Sg. manu post. corr. in:* praeterea. 14 *In Sg. m. post. corr. in:* peccata. 15 *In Sg. manu post. corr. in:* ut. 16 *Sic corr.* societatem *sec. Sg. Dst.; Bb.* satiaetate. 17 *Om. Sg.* 18 *Sg.* fructuosa. 19 *Sic corr.* affectum *sec. Sg. Bb. Dst.* 20 *Dst. addit:* et apostolica. 21 *Bb. Sg. Dst.* spretis erraticis et nocivis. 22 *Sg.* enim. 23 *Sg. Dst. add.* et. 24 *In Sg. post. manu corr. in:* nam. 25 *Sg.* praedicata, *post. manu corr. in:* praedicta. 26 *Dst. add.* Iohannis papae. *Sg.* Epistola sancti Marcelli papae. 27 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 28 *In Sg. manu post. corr. in:* Marcellus.

Quid tam dulce sollicito quam quod mihi de vobis innotescuntur[1] illa quae cupio? Quid tam religiosis conveniens institutis quam ut inter se sacerdotes pacem, quam[2] necesse est aliis pro officio adnuntiare, conservent? Plena, fateor, gratulatione suscepi quod votiva mihi de caritate que inter vos est, ecclesiarum pacem[3] in litteris indicastis. Sponte mihi quicquid ortari[4] poteram[5], quidquid[6] monere[7] delatum est. Confirmet hoc deus, quod est[8] operatum[9] in nobis et quae praecepit pro animarum salute fatienda[10], haec ipse, qui praecepit, pro ea qua nos redemit pietate, fatiat. Et his tam bonis[11] nuntiis[12] nos quoque religiosorum vicem reddimus nuntiorum. Quicquid cum orientalibus quos ad ecclesiae corpus unitatemque revocatos dudum dei nostri ope litteris significavimus destinatis, denuo cum apertum[13] fuerit repetitis vobiscum participamus inditiis. Mox pro nostro edicto[14] ab orientalibus missa legatio est[15], certa speravit, certa consulit, sed facimus[16] de his que fuerunt dicenda conpendia, ipsi potius ad instruendam notitiam vestram que a[17] nobis sunt responsa dirigentes[18], ne quid sibi sub spatio prolixiore terrarum aut opinio vindicet aut error adsumat, cum ad rerum fidem ipsam tenéri suffitiat veritatem. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet litterarum, oportuit quidem desideria plenius expedire. Quapropter scitote vos persecutionem[19] fratrum[20] et ab omni litigio abstinere debere, dicente scriptura: Servum dei non oportet litigare, nec quemquam nocere, sed persecutores ecclesie servorumque eius vestris redargutionibus corrigere, testante apostolo: argue, obsecra, increpa.

[III. Ubi terminari debeant contentiones orte inter christianos.][21]

III. Quecumque[22] ergo contentiones inter cristianos horte fuerint ad ecclesiam deferantur et[23] ab ecclesiasticis viris terminentur. Maior[24] autem non potest a minore iudicari, nec episcopi pontifici a quo consecrari probantur, praeiuditium inferre ullum possunt. Quod si presumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri; [25]clericus vero cuiuslibet ordinis absque pontificis sui permissu nullum presumat ad seculare iuditium adtrahere, nec laico[26] quemlibet clericum[27] liceat accusare, detractiones tamen et accusationes atque persecutiones inter christianos oppido vitandae sunt; quia licet pauci simus in comparatione aliorum, si tamen unanimes fuerimus facilius adversariis resistemus. Sanctus enim protomartyr Stephanus labidabatur, sed Iesus suscipiebat plagas, ideo unicuique providendum est, ne aliquem iniuste iudicet aut puniat, ne Iesum iudicet aut puniat[28]. Et dominus in evangelio ait: Nolite iudicare,

c. II. Quid tam dulce sollicito — desideria plenius expedire, init. Hormisd. ep. ad episc. per Baetic. (H. no. 95.)

Servum dei non oportet litigare, II Timoth. II. 24.

argue obsecra increpa, ibid. IV. 2.

c. III. Quecumque ergo — viris terminentur sec. Ben. III. 145. (c. 9. i. f. conc. III. Carth.). Cf. Anacl. 16, Alex. 4.

Maior autem — minore iudicari, Ben. I. 397. II. 381. Cf. Clem. 33, 42, Sixt. II. pp. 8, Iul. 5, 19. (c. 18. Angilr.).

nec episcopi — modo statuta censeri, Ben. III. 115. (exempl. constit. Symm. c. 3.) Cf. c. 15 (bis) Angilr.

clericus vero — liceat accusare, Ben. III. 145. (c. 32. conc. III. Aurel.).

si tamen unanimes — resistemus, sec. Ecclesiastae IV. 12. Cf. Alex. 13, Vict. 7, Fel. II. pp. 11.

Sanctus enim — suscipiebat plagas, Act. apost. VII. 58.

ideo unicuique providendum — aut puniat, Ben. III. 372. aut c. 11 (bis) Angilr. i. f. Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.

Nolite iudicare — iudicabimini, Matth. VII. 1. 2.

1 *Bb. Dst. Sg.* innotescunt. 2 *Sg. Bb. add.* eos, *Dst.* eos ut. 3 *Codd. cit.* pace. 4 *Dst.* optare. 5 *In Bb. deest:* quicquid ortari poteram. 6 *Sg.* quid. 7 *Sg.* movere, *post. manu corr. in:* monere. 8 *Deest in Bb.* 9 *Sg. Bb. Dst.* operatus. 10 *Sic corr.* fatiendam *sec. Sg. Bb. Dst.* 11 *Dst. Sg.* istam boni *pro* his tam bonis. 12 *Sic corr.; codd. reliqui:* nuntii. 13 *Sg. Bb. Dst.* aptum. 14 *Sg. Dst.* nostra seditione. 15 *In Sg. manu post. add.* que. 16 *In Sg. post. manu corr. in:* fecimus. 17 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 18 *Bb.* diligentes. 19 *Sg. Bb. Dst.* a persecutione. 20 *Cod. et Dst. in marg.:* fratres non persequendos litigio. 21 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Rubrica et num. deest in Bb.* 22 *In marg.:* de accusationibus. 23 *Om. Sg. Dst.* 24 *In marg.:* maiores a minoribus non iudicandos. 25 *In marg.:* clericus seculare iudicium non eat. *Bb. rubricam ponit:* ut clericus nullum nullus ad iuditium trahat sine permissu episcopi. 26 *Sg. Dst.* laicum. 27 *Deest in Sg. Dst.* 28 *Om. Sg.* ne Iesum iudicet aut puniat.

ut non iudicemini; in quo enim iuditio iudicaveritis, iudicabimini. Unde et doctor gentium loquitur dicens: Hoc igitur dico et testificor in domino, ut iam non ambuletis, sicut gentes ambulant, in vanitate sensus sui[1] tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita[2] dei per ignorantiam quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt inpudititiae in operationem inmunditiae omnisque[3] avaritie. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis et in ipso[4] edocti[5] estis, sicut est veritas in Iesu[6], deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem[7] spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendatium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram; nolite locum dare diabolo: qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis[8] quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti[9]. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem opportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristari[10] spiritum sanctum dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem[11] benigni, misericordes donantes invicem, sicut et deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores dei sicut filii karissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis inmunditia aut avaritia nec notetur[12] in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas quae ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio; hoc enim scitote intellegentes, quod omnis fornicator aut inmundus aut avarus, quod[13] est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno Christi et dei. Nemo vos seducat inanibus verbis, propter haec enim venit ira dei in filios diffidentiae; nolite ergo[14] effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebre, nunc autem lux in domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate, probantes quid[15] sit beneplacitum deo. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est[16] dicere. Omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur; omne enim quod manifestatur[17] lumen est[18], propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et inluminabit tibi Christus. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes[19], redimentes tempus, quoniam dies mali[20]. Propterea nolite fieri inprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas dei[21]. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spiritu[22] loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris, domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, deo[23] patri subiecti invicem in timore Christi. Omne enim quod inreprehensibile[24] est, catholica[25] defendit ecclesia. IV. Non licet[27] ergo imperatori

[IV. Quod non liceat imperatori aliquid contra mandata divina praesumere et quod iniustum iuditium et difinitio iniusta regio metu vel iussu a iudicibus ordinata non valet.][26]

Hoc igitur dico — deus in Christo donabit vobis, Ephes. IV. 17—32.

Estote ergo imitatores — subiecti invicem in timore Christi, Ephes. V. 1—21.

Omne enim quod — defendit ecclesia, c. 9. i. f. conc. Nicen. Cf. Calist. 5, Dam. 14, Symm. syn. VI.

c. IV. Non licet ergo — divina praesumere, Cass. hist. trip. X. 6. aut Ben. I. 402. aut c. 16 (bis) Angilr. Cf. Calist. 6, Symm. syn. VI.

1 *Deest in Sg. Dst.* 2 *Bb.* via. *Sic Sg. manu post. corr.* 3 *Sg.* omnis et. 4 *Sg. Bb. Dst.* illo. 5 *Sg. Dst.* docti. 6 *Bb. Dst.* Iesum. 7 *Om. Sg. Dst.* 8 *Deest in Sg. Dst.* 9 *Sg. Dst.* patientibus. 10 *Sg. Dst.* contristare. 11 *Om. Dst.* 12 *Sg. Bb. Dst.* nominetur. 13 *Dst.* que. 14 *Om. Sg. Dst.* 15 *Sg.* quod. 16 *Sg. Bb. Dst. add.* et. 17 *Bb.* omnia enim quae manifestantur. 18 *Om. Sg.* omne enim — lumen est. 19 *Desunt in Sg. Bb. Dst.* non quasi — sapientes. 20 *Bb. Dst. addunt:* sunt. 21 *Desunt in Sg. Dst.* propterea — voluntas dei. 22 *Bb. addit:* sancto, *Dst.* sanctum. 23 *Sg. Dst. add.* et. 24 *Bb. Dst.* reprehensibile. 25 *Dst. addit:* non. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 27 *In marg.:* nil ad imperium et iudicem contra legem agendum.

vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina[1] presumere nec quicquam quod[2] evangelicis propheticisque et[3] apostolicis regulis obviatur[4] agere. Iniustum enim iuditium et definitio iniusta regis metu[5] vel iussu a iudicibus ordinata non valeat, nec quicquam quod contra evangelicae vel propheticae aut apostolicae doctrinae constitutionem successorum[6] patrum actum fuerit, stabit[7]. Et quod ab infidelibus aut hereticis factum fuerit omnino cassabitur. Vos ergo state in fide, viriliter agite, et omnia vestra cum caritate fiant. Huius rei[8] gratia, ut ait apostolus, flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in celis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtutem[9] corroborari per spiritum eius, [10]interiore homine[11] habitare Christum per fidem in cordibus vestris in caritate radicati et fundati, ut possitis conprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo et longitudo et profundum et altitudo, scire etiam supereminentem scientiae caritatem[12] Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superhabundanter quam[13] paetimus aut intellegimus secundum virtutem[14] quae operatur in nobis, ipsi gloria in saecula[15] et in Christo Iesu in omnibus generationibus seculi seculorum. Amen. Data V. Idus Decemb. Diocletiano VI.[16] et Maximo VIII. vv. cc. conss.

INCIPIUNT[17] DECRETA MARCELLI PAPAE.[18]

I. Dilectissimis fratribus universis episcopis per[20] Antiocenam constitutis MARCELLUS.

[I. Admonitio ut que male pullulant abscidantur et non aliud docendum quam a beato Petro apostolo et reliquis apostolis et patribus est traditum.][19]

Sollicitudinem omnium ecclesiarum iuxta apostolum circumferentes divinae circa nos gratiae memores esse debemus, qui[21] nos per dignationis suae misericordiam ad hoc fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes in quadam[22] sacerdotum eius specula constituti[23] prohibeamus inlicita et sequenda doceamus. Unde[24] directis per Bonefatium diaconum nostrum litteris admonemus, ut que male[25] pululant abscidantur et mala facta corrigantur atque bona[26] sectentur et patrum nostrorum exempla et statuta imitentur. Rogamus ergo[27] vos, fratres, ut non aliud doceatis neque sentiatis quam quod a beato Petro apostolo et a[28] reliquis apostolis et patribus accepistis. Ab illo enim primo instructi estis, ideo non oportet vos proprium derelinquere patrem et alteros sequi; ipse[29] enim caput est totius ecclesiae, cui ait dominus: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et reliqua. Eius enim sedes primitus apud vos fuit que postea iubente domino Romam translata est, cui nos adminiculante gratia divina hodierna praesidemus die. Nec ab eius dispositione vos deviare oportet, ad

Iniustum enim — ordinata non valeat, l. Visig. II. 1. 28 tit. aut Ben. I. 405. aut c. 18 (bis) Angilr. Cf. ll. cc.

Vos ergo state in — vestra cum caritate fiant, I Cor. XVI. 13. 14.

Huius rei gratia — seculi seculorum. Amen. Ephes. III. 14—21.

Not. cons. sec. vit. Marcellini c. I. in libr. pontif.

c. I. Sollicitudinem omnium — circumferentes, init. Acacii Constant. ep. ad Simplic. (H. no. 78.) Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.

divinae circa nos gratiae — et sequenda doceamus, init. Hilar. ep. ad Acac. (H. no. 76.) Cf. Zeph. 1, Fab. 25, Pelag. II. pp. ep. 3.

Rogamus ergo vos — translata est sec. conc. Nicen. praef. in coll. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Ballerin. 3, 23.) Cf. Anacl. 30, Iul. 6.

Nec ab eius dispositione — disponantur sec. Leon. M. ep. 14. c. 1. (1, 683.) Cf. Dam. 18, Vigil. 7.

1 *Sg. Bb. Dst.* divinitatis. 2 *Dst. add.* in. 3 *Sg. Dst.* ac. 4 *Sg. Bb. Dst.* obviatur. 5 *Sg. Dst.* et vi. 6 *Sg. Bb. Dst.* sive sanctorum. 7 *Sg.* non stabit, *manu post. corr. in:* non constabit. 8 *Sic corr.* ergo *exhibitum in cod. et Dst. sec. Sg.; Bb.* ergo rei. 9 *Sg. Dst.* virtute. 10 *Bb. Dst. addit:* in. 11 *Sg. Bb.* interiorem hominem, *Dst.* interiori homine. 12 *Dst.* claritatem. 13 *Bb. Dst.* quod. 14 *Sic corr.* virtute *sec. Sg. Dst.; Bb.* virtute. 15 *Bb. Dst.* ecclesia. 16 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 17 *Deest in Dst.* 18 *Sg.* Epistola sancti Marcelli papae. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 20 *In Sg. post. manu add.* partem. 21 *Sg. Dst.* quae. 22 *Sg.* qua deus, *post. manu corr. in:* quo nos deus in. 23 *Deest in Dst.* 24 *Sic corr.* ut de *sec. Sg. Bb. Dst.* 25 *Deest in Sg. Dst.* 26 *Dst.* ut quae bona sunt. *Sg.* ut quae bona, *post. manu corr. in:* et quae bona sunt. 27 *Om. Sg. Dst.* 28 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 29 *In marg.:* de primatu Romane sedis.

[II. De excellentia Romanae sedis.][2]

quam cuncta maiora ecclesiastica negotia divina disponente gratia iussa[1] sunt referenda, ut ab ea regulariter disponantur a qua sumpsere principia. II. Si vestra vero Antiochena, quae olim prima erat, Romanae cessit sedi, nulla[3] est quae eius non subiecta sit dictioni[4], ad quam omnes quasi ad capud iuxta apostolorum eorumque successorum sanctiones episcopi qui voluerint vel quibus necesse fuerit suffugere[5] eamque apellare debent, ut inde accipiant tuitionem et liberationem unde acceperunt informationem atque consecrationem. Quod omnibus minime convenit denegare episcopis, sed absque ulla[6] custodia aut excommunicatione vel dampnatione[7] vel[8] expoliatione libere eis[9] irae concedatur. Simulque idem inspirante domino constituerunt ut nulla fieret sinodus praeter eiusdem sedis auctoritate[10], nec nullus episcopus, nisi in legitima sinodo suo tempore apostolica auctoritate[11] convocata[12] super quibuslibet criminibus pulsatus, audiatur vel iudicetur episcopus[13], quia, ut paulo superius praelibatum[14] est, episcoporum iudicia et summarum causarum negotia sive cuncta dubia apostolicae sedis auctoritate sunt agenda et finienda, et omnia conprovincialia[15] negotia per huius sanctae universalis et[16] apostolicae ecclesiae sunt auctoritatem[17] retractanda, si[18] huius ecclesiae pontifex praeceperit. Nec cui[19] liceat sine praeiuditio Romanae ecclesiae quae[20] in omnibus causis debetur reverentia custodire[21] relictis his sacerdotibus[22] qui[23] in eadem provintia dei ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provintias vel aliarum[24] provintiarum episcoporum iuditium expeti[25] vel pati, sed omnibus eiusdem provintiae episcopis congregatis iuditium auctoritate huius sedis terminetur; quod tamen, ut praefatum est, per eius vicarios, si libuerit, erit tractandum[26] et quicquid iniuste actum est reformandum. Pastoralis ergo cura offitii nos admonet et[27] destitutis succurrere et cuncta neglecta vel male acta reformare, ut ignis ille, quem dominus veniens misit in terram, motu crebrae meditationis agitatus sic calescat ut ferveat, et sic inflammetur ut luceat.

Sepe enim dicendum et agendum est quia mala[28] pullulantia fraterna caritate oportet resecari, ut[29] bona crescendi et aucmentandi amplissimum locum inveniant.

a qua sumpsere principia sec. Innoc. I. ep. ad Decent. Eugub. pr. (H. no. 6.) Cf. Vigil. 7.
c. II. Si vestra vero — cessit sedi sec. praef. conc. Nic. cit.
nulla est quae — sit dictioni, Greg. M. ep. IX. 59. (2, 976.)
ad quam omnes quasi ad caput, Innoc. I. ep. ad Fel. Nucer. pr. (H. no. 9.) Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
Simulque idem — sedis auctoritate, Cass. hist. trip. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. infr. c. 10, Iul. 6, 11, 13, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.
nec ullus episcopus — vel audiatur, Ben. II. 381. aut c. 2. Angilr. (confl. ex c. 15. conc. Antioch., Cassiod. l. c., Ebbonis Rhem. apologet. . . „compulsus ad tribunal palatinum non ad synodalem sanctorum patrum conventum, quo violenter non licet trahi, sed magis liberum canonice convocari episcopum"). Cf. infr. c. 10, Iul. 5, Dam. 9.
quia ut paulo — agenda et finienda sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7.), Ben. II. 381. III. 109. Cf. Anacl. 17, 34, Zeph. 6, Gai. 7, Iul. 5, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.
et omnia conprovincialia — pontifex praeceperit, ep. Hadriani c. 7. conc. Sard. aut Ben. III. 349. aut 39. Angilr. Cf. Iul. 12.
Nec cui liceat — sedis terminetur sec. Inn. ep. cit. (version. Cod. Quesnell. in ed. op. Leon. M. fratr. Ballerin. III. p. 206.) Cf. Dam. 19.
quod tamen — erit tractandum sec. c. 7. tit. conc. Sard. D. (Cf. Vict. 5, Sixt. II. pp. 2, Iul. 12.)
Pastoralis ergo cura — male acta reformare, Greg. M. ep. VII. 21. (2, 866.)
ut ignis ille — inflammetur ut luceat, Leon. M. ep. 165. c. 1. (1, 1354.)

1 *Dst.* visa. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo m. s. XII. additur:* et ut nulla synodus fiat praeter eiusdem sedis auctoritatem. 3 *Bb.* sed in nulla. 4 *Sg. Bb. Dst.* dicioni. 5 *Bb.* suffragari. 6 *Deest in Sg. Dst.* 7 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* dampnationem. 8 *Sg.* aut. 9 *Deest in Bb. Dst.* 10 *Codd. cit.* auctoritatem. 11 *Deest in Sg. Bb. Dst.* nec nullus — apostolica auctoritate. 12 *Bb. Dst.* convocatus. *In Sg. manu post. add.* vel. 13 *Deest in Bb.* 14 *Sg. Dst.* praelatum. 15 *Bb.* conprovincialium. 16 *Om. Sg. Dst.* 17 *Addidi* auctoritatem *ex Bb. Dst., deest quoque in Sg.* 18 *In Sg. post. manu corr. in:* sicut. 19 *Sg. Bb. Dst.* alicui. 20 *Codd. cit.* cui. 21 *Sg. Bb.* custodiri. 22 *Sg.* omnibus, *quod postea delet.* 23 *Sic corr.* quae *sec. Sg. Bb. Dst.* 24 *Bb. Dst.* aliorum. 25 *Dst.* experiri. 26 *Bb. Dst.* retractandum. *Sg.* et tractandum. 27 *Deest in codd. cit.* 28 *Sg. Bb.* male. 29 *Bb.* et.

Nolite ergo, ut ait apostolus, plures fieri magistri, fratres mei, scientes quoniam[1] maius[2] iuditium sumitis. In multis enim offendimus omnes. III. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens[4] etiam freno circumducere[5] totum corpus. Si[6] autem equorum frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. Ecce et naves, cum magnae sint et a ventis validis minentur, circumferuntur autem a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit, ita et lingua modicum quidem membrum est et[7] magna exaltat[8]. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! Et lingua ignis est, universitas[9] iniquitatis. Lingua constituitur in menbris nostris, quae maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostrae inflamata a gehenna. Omnes enim nature bestiarum et volucrum et serpentium[10], etiam ceterorum domantur et domata[11] sunt a natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, [12]plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus deum et patrem et in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinem dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hec ita fieri[13]. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Numquit potest, fratres mei, ficus olivas facere aut vitis ficus[14]? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens et disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione opera sua[15] in mansuetudine sapientiae. IV. Quod si zelum animarum[17] habetis et contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem; non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Que autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est[18], deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, indicans[19] sine dissimulatione[20]. Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem. Propter[21] quod[22] succincti lumbos mentis vestrae, sobrii, [23]perfecti sperate in ea[24] quae offertur vobis gratiam[25], in revelatione Iesu Christi, quasi filii obedientiae non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi sancti in omni conversatione sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si patrem invocatis eum qui sine acceptione personarum iudicat, secundum uniuscuiusque opus in timore incolatus vestri tempore conversamini. Scientes quod non corruptibili auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterne traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati et inmaculati Iesu[26] Christi, precogniti quidem ante constitutionem mundi, manifesti[27] autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in deo, qui suscitavit eum a mortuis et dedit[28] gloriam, ut fides vestra et spes esset in deo. Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite[29] adtentius, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum dei vivi et permanentis, quia omnis caro ut faenum et omnis gloria[30] eius tamquam flos faeni; exaruit faenum et flos eius decidit, verbum autem domini manet in eternum, hoc est autem verbum quod[31] evangelizatum est in vobis. Deponentes igitur[32] omnem malitiam

[III. De lingua mala et bona.][3]

[IV. De sapientia terrena et sapientia celesti.][16]

Nolite ergo ut ait — seminatur facientibus pacem (*c. IV.*), Iac. III. 1—18.
c. IV. Propter quod succincti — evangelizatum est in vobis, I Petr. I. 18—25.
Deponentes igitur omnem — admirabile lumen suum, I Petr. II. 1—9.

[1] *In Sg. manu post. add.* inde. [2] *Sg. Bb. Dst.* magis. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [4] *Sg. Bb. Dst.* potest. [5] *In Sg. corr. in:* circumduci. [6] *Sg. Dst.* Sic. [7] *Bb.* sed. [8] *Sic in Sg. manu post. corr.* exultat. [9] *In Sg. manu post. corr. in:* universalis. [10] *Om. Sg.* [11] *Sg.* domitae. *Bb. Dst.* domita. [12] *In Sg. manu post. add.* lingua. [13] *Deest in Sg. Dst.* Ex ipso — ita fieri, [14] *Om. Sg.* Numquit potest — vitis ficus. *In Dst. add. manu s. XII.* [15] *Sg.* operam suam. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [17] *Sg. Bb. Dst.* amarum. [18] *Om. Sg.* [19] *Sg. Bb.* iudicans, *Dst.* non iudicans. [20] *Sg. Bb. Dst.* simulatione. [21] *Sg.* Propterea. [22] *Om. Sg.* [23] *Sg. Dst. add.* et. [24] *Bb.* eadem, *Sg. Dst.* eam. [25] *Bb.* gratia. [26] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [27] *Codd. cit.* manifestati. [28] *Codd. cit. addunt:* ei. [29] *Sg.* diligentes. [30] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* gloria. [31] *Sg. add.* est, *quod manu post. corr. in:* et. [32] *Dst.* autem.

et omnem dolum et simulationes et invidias et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes racionabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si[1] gustatis quoniam dulcis est dominus. At quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domos spiritales, sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias acceptabiles deo per Iesum Christum, propter quod continet scriptura: Ecce pono[2] in Sion lapidem summum, angularem et[3] electum, praeciosum, et qui crediderit in eum non confundetur; vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt hedificantes, hic factus est in capud anguli, et lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt[4] verbo[5] nec credunt in quo et positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes adnuntietis eius qui de tenebris vos revocavit in admirabile lumen suum. Estote ergo, karissimi, prudentes et vigilate in orationibus; ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum, hospitales invicem sine murmuratione unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae dei. Si quis loquitur, quasi sermones dei, si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat deus per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen[6]. Data Kal. April. Maxentio et Maximo vv. cc. conss.

EPISTOLA[7] CUIUS SUPRA MAXENTIO DIRECTA.[8]

[V. De caritate.][9] V. MARCELLUS episcopus sanctae catholicae et apostolicae ecclesiae urbis Romae MAXENTIO[10].

Magistra[11] bonorum omnium caritas quae nichil rapit[12] extraneum, nichil agit asperum, nichil confusum, si in te perfecte abitaret, temperares animum a malis et bonis[13] potioribus frui satageres. Caritas enim exercet corda, sensus corroborat, ut nichil grave, nichil difficile, sed fiat totum[14] dulce quod agitur, dum eius sit proprium nutrire pacifica[15], servare composita, dissotiata coniungere, prava dirigere et virtutes reliquas perfectionis suae munimine solidare. De ipsa ergo omnes monens apostolus ita loquitur dicens: Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non abeam, factus sum velut aes sonans aut cimbalum tinniens; et si habuero[16] prophetiam et noverim misteria omnia et omnem scientiam, et abuero omnem fidem, ita[17] ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nichil sum; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam[18], caritatem autem non[19] abuero, nihil michi prodest[20]. Caritas patiens est, benigna est. Caritas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia sufert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas nunquam excidit[21]. Quisquis ergo in eius se radice inserit, nec a viriditate deficit nec a fructibus inanescit, quia amore

Estote ergo karissimi — saecula saeculorum. Amen. I Petr. IV. 7—11.

Not. cons. sec. vit. Marcelli c. 1. in libr. pontif.

c. V. Maxentio sec. vit. Marcelli c. 3. in libr. pontif.

Magistra bonorum — munimine solidare, Greg. M. ep. IX. 108. (2, 1013.) Cf. Corn. 1.

Si linguis hominum — caritas numquam excidit, I Cor. XIII. 1—8.

Quisquis ergo in — non admittit, ep. Greg. M. cit. Cf. Corn. 1.

1 *Sg. Dst. add.* tamen. 2 *Sg. Bb. Dst.* ponam. 3 *Om. Sg. Dst.* 4 *In Sg. post. manu add.* in. 5 *In Sg. post. manu add.* et. 6 *Deest in Dst.* 7 *Om. Dst.* 8 *Deest in Dst. Sg.* Epistola Marcelli papae. 9 *Sec. Par. 4280 AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 10 *In Sg. manu post. add.* consuli. 11 *Dst.* magistro. 12 *Sg. Dst.* sapit. 13 *Bb. addit:* ac. 14 *Dst.* tantum. 15 *Sg.* pacificata. *Dst.* pacificare. 16 *Dst. addit:* omnem. 17 *Deest in Dst. In Sg. manu post. add.* 18 *Sg.* ardeat. 19 *Deest in Dst.* habeam nichil sum — caritatem autem non. 20 *Dst. addit:* et reliqua. 21 *Deest in Dst.* caritas patiens — numquam excidit.

fecunditatis opus efficax non admittit. Licet[1] modo caritas in persecutoribus ecclesiae servorumque dei arefacta sit, VI. viget tamen in amatoribus[3] eius, et in eos[4] qui persecuntur[5] propter iustitiam, de quibus ipsa per se veritas testatur dicens: Beati qui persecuntur[6] propter iustitiam. Et alibi: Si me persecuti sunt, et vos persequentur; potius enim nos et omnes domini sacerdotes, qui eius videlicet sunt veri sacerdotes[7], eligimus propter iustitiam et veram fidem persequi et pro Christi nomine pati, quam multis divitiis ditari honoribusque copiosissimis[8] habundari[9] et celesti regno carere. Ista enim temporalia sunt, illa aeterna, ista caduca et ad horam transeuntia, illa vero perpetua et sine fine mansura.

[VI. De his qui persecuntur propter iusticiam.][2]

VII. Tu[11] ergo, qui nos suades cultum dimittere divinum et a recta fide recedere diisque immolare, melius[12] tibi foret, ut tu[13] prius imitabilem[14] te preberes omnesque exorteris[15] fidei documenta et[16] divini cultus ministeria[17] ita teneri[18], sicut patres nostri, sancti apostoli, sibi tradita predicaverunt et docuerunt[19]. Boni enim principis ac regis[20] est ecclesias contritas atque scissas restaurare, novas[21] aedificare et dei sacerdotes honorare[22] atque tueri. VIII. Unde sanctos apostolos eorumque successores[24] sub divina contestatione constituisse[25] legimus[26], non deberi[27] fieri persecutiones[28] nec inferri[29] fluctuationes nec invidere laborantibus dominico in agro, neque expellere aeterni regis dispensatores, sed si[30] qui[31] expulsi fuerint aut suis rebus expoliati primo[32] omnia legaliter reddi, quae eis[33] ab inimicis aut a persecutoribus ablata sunt, et sedes proprias cum omnibus ad se pertinentibus regulariter restitui[34] et postea tempore congruo vocari ad sinodum regulariter congregatam[35], nec liceat ei[36], priusquam haec fiant, de se iuxta statuta praedictorum respondere aut de suis inpetitionibus, si se viderit praegravari, reddere rationem. Sed his rite peractis suisque omnibus libere dispositis, si tum[37] iustae videtur, suis respondeat[38] accusatoribus et inducias, si ei[39] necesse fuerit, accipiat[40] non modicas, ut explorare valeat[41] ea que obitiuntur ei[42], ne aliquando[43] delusus[44] fraude nocenter ruat[45]. IX. Quoniam non oportet quemquam iudicare vel damnare, priusquam legitimos habeat praesentes accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Unde ait[47] propheta[48]: Priusquam agnoscas, non iudices quemquam. In hoc ergo qui[49] episcopi et reliqui servi dei persecuntur, non tan-

[VII. De Maxencio qui suadebat cultum dimittere divinum.][10]

[VIII. De sacerdotibus domini a propria sede pulsis et rebus suis expoliatis.][23]

[IX. Quod non oporteat quemquam iudicare vel dampnare priusquam accusatus habeat legitimos praesentes accusatores.][46]

c. *VI. Beati qui persecuntur propter iustitiam,* Matth. V. 10.
Si me persecuti — vos persequentur, Ioann. XV. 20.
Ista enim temporalia — fine mansura sec. conc. Aquisgr. a. 836. lib. I. c. 31. Cf. Melc. 1.
c. *VII. Tu ergo qui nos — diisque immolare* sec. vit. Marcelli c. 3. in libr. pontif.
c. *VIII. non debere fieri — aeterni regis dispensatores,* Cass. hist. trip. VII. 12. Cf. Fel. II. pp. 11.
sed si qui — respondeat accusatoribus sec. Syn. III. Symm. cf. Ben. III. 116.
et inducias — non modicas, Ben. III. 184. (Act. apost. XXV. 16.) Cf. c. 9, Eleuth. 3. (Fel. II. pp. 12. IX, Dam. 19.)
c. *IX. Quoniam non oportet — ad abluenda crimina,* Ben. I. 392. II. 381. III. 184. aut c. 19. Angilr. (Act. apost. XXV. 16.) Cf. Steph. 8, Iul. 17, Dam. 19, Dam. ad episc. Ital.
Priusquam agnoscas — iudices quemquam sec. Ecclesiastic. XI. 7.

1 *In Sg. manu post. add.* enim. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 3 *Bb.* amoribus. 4 *Sg.* eis. 5 *Sg. Bb. Dst.* persecutionem patiuntur. 6 *Sg. Bb. Dst.* persecutionem patiuntur. 7 *Deest in codd. cit.* qui eius — sacerdotes. 8 *Sic corr.* copiosissimus *sec. Sg. Bb. Dst.* 9 *Sg. Dst.* abundare. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 11 *Sg. add.* es. 12 *In Sg. manu post. corr. in:* meliusque. 13 *Bb.* tum. *Deest in Sg. Dst.* 14 *Sg.* immutabilem. 15 *Bb.* exortarer. *Sg. Dst.* exhortareris, *Sg. add.* per. 16 *Sg.* ut. 17 *Sg.* mysteria. 18 *Bb. Dst.* tenere. *Sg.* tenerent. 19 *Sg. Dst. om.* et docuerunt. 20 *Sg. Dst.* religiosi. 21 *Sg.* novasque. 22 *Bb.* honorari. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 24 *Dst.* sanctis apostolis eorumque successoribus. 25 *Sg.* constitutos. *Dst.* constitutis. 26 *Dst.* elegimus. 27 *Sg. Bb. Dst.* debere. 28 *Sg.* persecutores. 29 *Sg.* inferre. 30 *Deest in Sg. Dst.* 31 *In marg.:* de episcopo a sede expulso. 32 *In Sg. manu post. add.* eis. 33 *Deest in Dst.* 34 *Sic corr.* restituit *sec. Sg. Bb. Dst.* 35 *Deest in Sg. Dst.* et postea — congregatam. *In Bb. additur m. s. XI.* 36 *Sg. Dst.* eis. 37 *Sg. Dst.* tunc. 38 *Sg. Dst.* respondeant. 39 *Sg. Dst.* eis. 40 *Sg. Dst.* accipiant. 41 *Sg. Dst.* valeant. 42 *Sg. Dst.* eis. 43 *Sg.* aliqua. 44 *Sg. Dst.* delusi. 45 *Sg.* innocenter ruant. 46 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 47 *In Sg. manu post. add.* dominus. 48 *Sg.* per prophetam. 49 *Sg. Bb. Dst.* quod.

tum ipsi persecuntur quantum ille cuius vice funguntur, sicut scriptum est: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et alibi: Qui vos contristavit[1], me contristavit[2]; et: Qui facit iniuriam, recipiat[3] id quod inique gessit. Vos ergo, licet corpora nostra possitis occidere, animas tamen non potestis interficere, nec gradus nobis divinitus conlatos potestis auferre. [X. De sinodo episcoporum non facienda absque auctoritate Romanae sedis.][4] X. Synodum[5] ergo[6] absque huius sanctae sedis auctoritate episcoporum, quamquam quosdam episcopos possitis congregare, non potestis regulariter facere, neque ullum episcopum qui hanc appellaverit apostolicam sedem dampnare, antequam hinc sententia finitiva procedat. Nam si seculares in publicis iudiciis libellis utuntur[7] appellatoriis, quanto magis sacerdotibus haec eadem agere licet, qui super illos sunt? de[8] quibus[9] dictum est: Ego dixi: Dii estis et filii excelsi omnes. Et ideo nullus episcopus, nisi in legitima synodo suo tempore apostolica[10] aut regulari auctoritate convocata, super quibuslibet pulsatus criminibus audiatur vel iudicetur, ne innocens dampnetur aut perdat communionem. [XI. De accusationibus.][11] XI. Quod[12] laici aut suspecti episcopos non debeant accusare neque accusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum sit, et a beato Clemente ipsis eum instruentibus apostolis legimus definitum et nos eadem firmamus, quoniam iidem[13] odio multoties incensi recte viventes atque credentes perturbare nituntur. Propterea persona, fides, vita et conversatio atque suspitio[14] accusantium enicleatim inprimo[15] inquirenda est, et[16] postea[17] quae obiciunt fideliter pertractanda, quia nihil ante fieri debet quam impetitorum vita et suspectio atque odium inquiratur. Et si bonae conversationis non fuerint aut laici vel manifesti inimici aut odio[18] respersi[19] fuerint[20], nequaquam in episcoporum recipiantur accusatione[21]. Haec vobis a quibus nimis infeste persequimur scienda mandamus, ut ab his vos caveatis et cessetis persequi eos qui deo ministrant, quorum orationibus et terrena bella sedantur[22] et deus peccatoribus conciliatur; et si amplius nos eligitis persequi quam deum placare, et nos magis eligimus vestram sustinere persecutionem quam regulam confundi ecclesiasticam, hortante nos ipsa veritatis voce, atque testante ita: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et iterum: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit

Qui vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.
Qui vos contristavit, me contristavit sec. II Cor. II. 5.
Qui facit iniuriam — inique gessit, Coloss. III. 25.
corpora nostra — potestis interficere, Matth. X. 28.
c. X. Synodum ergo — regulariter facere sec. Ben. II. 381. aut Cass. hist. trip. IV. 9. Cf. s. c. 2, Iul. 6. 11. 13, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.
Nam si seculares — qui super illos sunt, Cass. hist. trip. V. 34.
Ego dixi — excelsi omnes, Ps. LXXXI. 6.
Et ideo nullus — audiatur vel iudicetur, Ben. II. 381. aut c. 2. Angilr. (confl. ex c. 15. conc. Ant. D., Cass. hist. trip. IV. 9, Ebbonis Rhem. apologet.) Cf. s. c. 2, Iul. 5, Dam. 9.
c. XI. laici — debeant accusare sec. vit. Silvestr. c. 6. in libr. pontif. Cf. Clem. 31, Euseb. 3.
a beato Clemente. Cf. Clem. 31.
neque accusatoribus — prodeuntibus credendum sit, Ennod. apol. p. 327. aut Ben. add. III. 15. Cf. Sixt. I. pp. 3, Iul. 12. (Symm. Syn. V., Ioh. I. ep. 1.)
Propterea persona — inquiratur, Ben. I. 393. II. 381. III. 84. 97. et c. 12. Angilr. (c. 17. Conc. Afric. D., c. 21. Conc. Chalc. D., c. 8. conc. Carth. D.) Cf. Steph. 13, Fel. II. pp. 12. XIV.
Haec vobis — bella sedantur, Cass. VII. 9. Cf. Fel. II. pp. 15.
Nolite timere eos — possunt occidere, Matth. X. 28.
Si quis vult venire — secundum eius opus, Matth. XVI. 24—27.

1 *Bb.* contristabit. 2 *Bb.* contristabit. 3 *Sg.* recipiet. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* Synodus non est legitima absque auctoritate Romani episcopi. *Num. sol. in Bb.* 5 *Sg. Dst.* synodos. 6 *In marg.:* synodus non est legyptima absque auctoritate Romani episcopi. 7 *Sg. Bb. Dst.* sustinentur. 8 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 9 *Sg. Bb. Dst.* quibusque. 10 *Om. Sg. Dst.* 11 *Sec. Par.* 4280 *AA. Dst.* XI. qui accusatores, qui testes esse nequeunt. 12 *In marg.:* quod laici aut suspecti episcopos non debeant acusare neque acusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum sit. 13 *Sg. Dst.* idem. *In Sg. post. manu corr. in:* quidem. 14 *Sg.* suspectio. 15 *Sg. Bb. Dst.* primo. 16 *Deest in Dst.* 17 *Dst.* deinde. 18 *Sg. Bb. addit:* si. 19 *Sg. Bb. Dst.* reperti 20 *Deest in Dst.* 21 *Sg. Bb. Dst.* accusationem. 22 *Sg. Dst.* sedamus.

animam suam propter me inveniet eam. Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, anime vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis et tunc reddet unicuique secundum eius opus. Ista vobis valde timenda et cavenda sunt, a quibus ecclesia dei eiusque ministri vexantur et persecuntur, quibus[1] dominus[2] per prophetam[3] minando loquitur dicens: Homo cum[4] in honore non commorabitur, adsimilatus iumentis exsequatus est. Haec est via eorum, insipientia eorum, et post eos iuxta hos eorum current, quasi oves in inferno positi sunt, mors pascet eos, et subitient eos recti in matutino, et figura[5] eorum conteretur[6] in inferno post habitaculum suum, verumtamen deus redimet animam meam de manu inferi cum assumpserit me. Noli timere, cum ditatus fuerit vir, cum multiplicata fuerit gloria domus eius; neque enim moriens tollet omnia nec descendet post eum gloria eius, quia[7] animae suae in vita sua benedicet. Laudabunt[8] te cum bene fuerit tibi. Intrabit usque ad generationem patrum suorum, usque in finem non videbit lumen, homo cum in honore esset[9], non commorabitur[10], adsimilatus iumentis exsequatus est. Et alibi: Quid gloriaris in malitia, potens[11]? Misericordia dei tota die. Insidias cogitavit lingua tua, quasi novacula acuta fatiens dolum. Dilexisti malitiam[12] magis quam bonum, mendatium magis quam loqui iusticia[13]. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa. Sed deus destruet te in sempiternum, terrebit et evellet te de tabernaculo et eradicabit te de terra viventium. Et videbunt iusti et timebunt et super eum ridebunt[14]: Ecce vir qui non posuit deum fortitudinem suam, sed speravit in multitudine divitiae suae[15], confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens, in domo dei speravi in misericordia dei in saeculum, et in aeternum confitebor tibi in saeculum quam[16] fecisti, et exspectabo nomen tuum quam bonum in conspectu misericordium tuorum[17]. Ista omnia vobis ad interitum, nobis enim[18] ad confortationem, ne pereamus, dicta sunt. Vobis ergo ideo haec scribimus, quia debitores vobis sumus, dicente domino: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. Et alibi scriptura loquitur dicens: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illa. Hoc enim fatiens carbones ignis congregas super capud eius. His fulti[19] auctoritatibus bellum quod[20] adversum nos excitatis[21] adeo feliciter dextera domini nos protegente atque pro nobis pugnante pacifice portare cupimus ut triumphante Christo omnium verorum fiat una victoria sacerdotum et choruscante lumine veritatis, sole[22] erroris tenebre cum suis auctoribus pellantur, quia non est in hominis potestate consilium dei. Iustus enim est dominus et omnia iuditia eius iusta[23] sunt[24], atque[25] omnes viae eius misericordia et veritas et iudicium. In manu dei potestas terre, cui exsecrabilis est omnis iniquitas, in manu dei potestas hominis et super fatiem scribe inponet onorem suum. Perdidit[26] deus memoriam superborum et inique agentium, et relinquit[27] memoriam[28] humi-

Homo cum in honore — iumentis exsequatus est, Ps. XLVIII. 13—21. vers. Hier.
Quid gloriaris — misericordium tuorum, Ps. LI. 3—11. vers. Hier.
Diligite inimicos — qui vos oderunt, Matth. V. 44.
Si esurierit inimicus — super capud eius, Rom. XII. 20.
bellum quod adversum — suis auctoribus pellantur, Leon. M. ep. 104. c. 1. (1, 1145.)
quia non — consilium dei, Tob. III. 20.
Iustus enim est — iudicium, Tob. III. 2.
In manu dei — et bonorum hominum, Ecclesiastic. X. 4. 7. 5. 21.

[1] *Sg. Dst.* quibusdam. [2] *Deest in Sg. Dst.* [3] *In Sg. manu post. add.* deus. [4] *Om. Sg. Dst.* [5] *Sic sec. Sg. Bb. Dst. corr.* figurae. [6] *Bb.* conterentur. [7] *Bb.* qui. [8] *Sg. Bb. Dst.* laudabit. [9] *Om. Sg.* [10] *Dst.* commutabitur. *In Sg.* commutabitur *post. manu corr. in:* commorabitur. [11] *Sg. add.* et. [12] *Sic corr. sec. Sg.* malitia. *Bb.* malitia. *Dst.* iniustitiam. [13] *Sg. Bb. Dst.* iustitiam. [14] *In Bb. alia m. s. XI. additur:* et dicent; *sic quoque in Sg. manu post.* [15] *Bb. Dst.* divitiarum suarum. [16] *Sg.* quoniam. [17] *Dst.* misericordiarum tuarum. [18] *Om. Dst.; Sg.* autem. [19] *Bb. addit:* auctoribus sive. [20] *Deest in Sg. Dst.* [21] *Sg. Dst.* excitatum. [22] *Deest in Dst.; Bb.* simul. [23] *Om. Sg.* [24] *Om. Sg. Dst.* [25] *Om. Sg.* [26] *Sg.* Perdit. [27] *Bb.* relinquet. [28] *Sic corr.* memoria *sec. Sg. Bb. Dst.*

lium et bonorum hominum. Hoc autem pro certo habet omnis qui recte colit deum, quia vita eius si in probatione fuerit coronabitur[1], et si in tribulatione, liberabitur, si vero in correptione fuerit, ad miseriam perveniet. Tu ergo ne delecteris in perditionibus nostris, quia post tempestatem facit dominus tranquillitatem et post lacrimationem et fletum exultationem infundit. Benedictus dominus deus patrum nostrorum, qui, cum iratus fuerit, misericordiam fatiet et in tempore tribulationis peccata dimittit. Magnus est dominus in aeternum et ipse reget nos in secula, quoniam regnum eius permanet in saecula saeculorum, Amen[2]. Data XVI. Kal. Februarii Maxentio et Maximo vv. cc. conss.

INCIPIUNT[3] EUSEBII DECRETA PAPAE.[4]

[I. Quid fieri debeat de hereticis conversis.][5]

I. Carissimis fratribus domino[6] et deo dilectis episcopis omnibus per Gallicanas provintias constitutis EUSEBIUS.

Scripta sanctitatis vestrae cum magna gratiarum suscepi actione, gavisus scilicet de vestra sospitate, sed contristatus nimis de vestra oppressione. Quod enim significastis quid de conversis hereticis fieri debuisset, scitote nos eos qui in sanctae trinitatis fide baptizati sunt per inpositionem manus suscipere.

[II. De accusationibus clericorum.][7]

II. De accusationibus[8] vero clericorum super quibus mandatis[9], scitote, a tempore apostolorum in hac sancta urbe servatum esse, accusatores et accusationes, quas extere consuetudinum leges non adsciscunt, a clericorum accusatione submotas[10].

[III. De accusationibus episcoporum et servorum dei atque de eorum accusatoribus.][11]

III. Similiter laicos non accusasse episcopos actenus observatum et constitutum est, quia[12] eiusdem non sunt conversationis et oppido eis quidem infesti existunt, quippe cum vita et secreta eorum a[13] laicorum actibus debeant esse remota[14], nec ab his[15] impeti debeant, quorum[16] castitatem et gravitatem nolunt imitari, maxime cum nec in eos hi[17] suis volunt recipere accusationibus. De ipsis vero, suis videlicet agricultoribus atque ministris, dominus laicis et cunctis eos persequentibus ait: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. Et ipsa sacra scriptura dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Talia[18] enim et his similia sancti patres praevidentes[19] pericula, laicos saeculo militantes ab accusatione sacerdotum prohibuere, similiter servos et libertos atque censibus publicis vel privatis subiugatos omnesque infames ab eadem accusatione vel tergiversatione submoverunt. Non enim oportet ut permittantur carnales spiritales persequi, nec sceleribus inretitos

Hoc autem pro certo — peccata dimittit, Tob. III. 21. 22. 13.
Magnus est dominus — saecula saeculorum, Ps. XLVII. 2. 15.
Not. cons. sec. Marcelli vit. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Scripta sanctitatis — suscepi actione, init. Greg. M. II. 51. (2, 614.)
Quod enim significastis — manus suscipere sec. Euseb. vit. c. 2. in libr. pontif.
c. II. accusatores et accusationes — accusatione submotas, Ben. II. 381. III. 108. (c. 96. conc. Afric.). Cf. Ben. III. 307, c. 9. Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Steph. 7, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14.
c. III. Similiter laicos — et constitutum est sec. vit. Silvestr. c. 6. in libr. pontif. Cf. Clem. 31, Marcelli 11.
maxime cum — accusationibus sec. Ben. III. 211. (Cf. Telesf. 1, Fab. 13, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.)
Nolite tangere — nolite malignari, Ps. CIV. 15.
Qui vos tangit — pupillam oculi, Zach. II. 8.
laicos saeculo — prohibuere, cf. init. hui. cap.
similiter servos — tergiversatione submoverunt, c. 96. conc. Afric. aut Ben. III. 99. 437. Cf. Steph. 7. (eiusd. c. 2.)
nec sceleribus inretitos, c. 8. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 85. Cf. Anacl. 22, Fab. 13, Fel. II. pp. 12. xv. (Pont. 3, Fel. 26, Steph. 2, 11, Sixt. III. pp.)

1 *Dst.* corroborabitur. 2 *Om. Dst.* 3 *Deest in Dst.* 4 *Sg.* Epistola Eusebii papae quod laici vel infames episcopos accusare non possint. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 6 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 8 *In marg.:* laicos accusare non posse sacerdotes. 9 *Bb. Dst.* mandastis. *Sic in Sg.* mandatis *manu post. corr.* 10 *Bb. addit:* de his qui sponte aliorum crimina confitentur torquendis. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 12 *Sg. Dst. add.* et. 13 *Bb.* et. 14 *Sg. Dst.* semota. 15 *Sg.* eis. 16 *Dst.* qui eorum. *Sic in Sg.* quorum *manu post. corr.* 17 *Sg. Dst. Bb.* nec eos in suis *pro* nec in eos hi suis. 18 *Cod. in marg.:* de acusatoribus. 19 *Sg. Bb. Dst.* providentes.

vel saeculo militantes episcopos infamari[1] vel lacerari[2] aut crimen opponere. Nam si hoc apostoli aut successores eorum permitterent, perpauci remansissent qui domino in sacerdotali ordine militassent. Idcirco et nos, sequentes patrum vestigia pro[3] salvatione servorum dei, quascunque ad accusationem personas leges publice non admittant[4], his inpugnandi alterum et nos licentiam submovemus, et nulle accusationes a iudicibus audiantur ecclesiasticis quae legibus saeculi prohibentur. Quapropter[5] illi, quibus indita[6] est ad unguem polita perfectio, talia silere debent, ita ut nec mutilentur nec praeponantur[7], nec illi qui aut in fide catholica aut inimicitia suspecti sunt ad pulsationem praedictorum admittantur, quia veritatis professiones[8] infidelitas et inimititia impediri[9] solet. [10]Nec illi credendi sunt aut admittendi, qui aliorum sponte crimina confitentur, et ideo replicanda est sollicite veritas, quam sponte prolata[11] in illis vox habere non potest; hanc diversis cruciatibus e latebris suis religiosus tortor exigere debet, ut[12] dum paenis corpora solvuntur, quae gesta sunt fideliter et veraciter exquirantur.

[IV. Ut primum convertantur ora ad leges publicas, deinde ad iudices iuste loquentes.][13]

IV. Unde, quaeso, primum ad leges publicas, deinde ad iudices ora convertite, qui possunt et volunt in defensione omnium iuste loqui. [14]Nos enim — quos dei servitium post istarum rerum obiectionem[15] fecit ingenuos, qui talium insultationes et contumelias aut despicimus aut deridemus, quibus scriptum est de famulis et vulgi[16] hominibus per apostolum: Mementote quia vester et illorum dominus in celis est, — ad haec[17] saeculi mala revocabimur[18]? Faciendum a nobis est, quod fatientem alterum profanum esse contendimus? Quod per ministerium iussionis et manus alienae incestaret[19] aspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad universas ecclesias[20] mentem rapacium luporum more et natura servare, quia postquam nos maculat, forte pro desideriis eorum cruenta discussio effectum in his quo tendunt non habebunt, dicente nobis[21] propheta: Ponamus circulum in naribus eorum et frenum in labiis, et reducamus[22] eos in viam rectam, quia eodem propheta adserente inpugnantur qui dicunt[23]: Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis.

[V. Qui sint infames.][24]

V. Infames[25] enim sunt procul dubio inpugnatores episcoporum omnesque qui adversus patres armantur et conculcatores ecclesiarum sacerdotumque eius; et qui de publicis fugiunt praeliis et[26] mandata dei contempnunt, et qui[27] aliqua culpa infamie asperguntur maculis, his omnibus inpugnandi episcopos patrum sequentes instituta et nos licentiam submovemus, quia sic odit deus eos, qui patres insequun-

Nam si hoc apostoli — ordine militassent. (Cf. Fab. 19, Steph. 12, Sixt. II. pp. 8, Eutic. 9.)
et nulla accusationes — indita perfectio, Ennod. lib. apol. p. 329. (cf. Ben. III. 459.) Cf. Eutic. 9, Fel. II. pp. 12. VIII.
nec illi qui in fide — admittantur, Ben. I. 335. III. 176. (c. 64. conc. IV. Tolet.). Cf. Calist. 17, Fab. 5. (Pii 5.)
quia veritatis — impediri solet, sec. interp. l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 5. 17. interpr. s. 3. Cf. Calist. 17, Fel. II. pp. 12. XI.
Nec illi — crimina confitentur sec. Ben. III. 313. aut Ennod. ep. I. 4. (p. 8.) Cf. Steph. 11. (Dion. 4, Iul. 12.)
et ideo replicanda — peribunt viri qui contradicunt vobis (*c. IV.*), Ennod. lib. apol. (p. 329.)
c. V. omnesque qui adversus patres armantur, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13.)
et qui de publicis fugiunt praeliis sec. praef. conc. XII. Tolet. aut Ben. II. 326. Cf. Steph. 2.
et mandata dei contempnunt sec. c. 1. conc. I. Carth. tit. aut Ben. III. 457. tit. Cf. Steph. 2.
et qui — asperguntur maculis sec. c. 96. conc. Afric. (D.). Cf. Fab. 13, 18.
quia sic odit — infamia notantur, Procli ep. cit. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Alex. 6, Steph. 13. (Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1.)

[1] *Sg. Bb. Dst.* infamare. [2] *Bb.* delacerare. *Sg. Dst.* lacerare. [3] *Deest in Bb.* [4] *Sg. Bb. Dst.* admittunt. [5] *In marg.:* hi acusare nequeunt. [6] *Dst. addit:* non. [7] *Sg. Dst.* proponantur. [8] *Sic corr.* professionis, *quod est in cod.; Sg. Dst. Bb.* veritatem professioni *pro* veritatis professionis. [9] *Sg. Bb. Dst.* impedire. [10] *Bb. rubricam ponit:* de his qui sponte aliorum crimina confitentur torquendis. [11] *Bb.* prolatam. [12] *In marg., Dst. in marg.:* tormentis veritas exquirenda. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [14] *Bb. rubricam ponit:* non liceat laicis accusare episcopos. [15] *Sg. Dst.* abiectionem. [16] *Bb.* vulgis. *Dst.* vulgaribus. [17] *Bb. Dst.* hoc. [18] *Sg. Dst.* revocabimus. [19] *Sic corr. sec. Sg. Dst.* incertaret. [20] *Sg.* ecclesiasticas res. [21] *Sg.* docente nos. [22] *Bb.* reducam. [23] *Sg.* dicit. [24] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* [25] *In marg.:* qui sunt infames. [26] *Sg. Dst. add.* qui. [27] *Sg. Dst. Bb. add.* pro.

lium et bonorum hominum. Hoc autem pro certo habet omnis qui recte colit deum, quia vita eius si in probatione fuerit coronabitur[1], et si in tribulatione, liberabitur, si vero in correptione fuerit, ad miseriam perveniet. Tu ergo ne delecteris in perditionibus nostris, quia post tempestatem facit dominus tranquillitatem et post lacrimationem et fletum exultationem infundit. Benedictus dominus deus patrum nostrorum, qui, cum iratus fuerit, misericordiam fatiet et in tempore tribulationis peccata dimittit. Magnus est dominus in aeternum et ipse reget nos in secula, quoniam regnum eius permanet in saecula saeculorum, Amen[2]. Data XVI. Kal. Februarii Maxentio et Maximo vv. cc. conss.

INCIPIUNT[3] EUSEBII DECRETA PAPAE.[4]

[I. Quid fieri debeat de hereticis conversis.][5]

I. Carissimis fratribus domino[6] et deo dilectis episcopis omnibus per Gallicanas provintias constitutis EUSEBIUS.

Scripta sanctitatis vestrae cum magna gratiarum suscepi actione, gavisus scilicet de vestra sospitate, sed contristatus nimis de vestra oppressione. Quod enim significastis quid de conversis hereticis fieri debuisset, scitote nos eos qui in sanctae trinitatis fide baptizati sunt per inpositionem manus suscipere. [II. De accusationibus clericorum.][7] II. De accusationibus[8] vero clericorum super quibus mandatis[9], scitote, a tempore apostolorum in hac sancta urbe servatum esse, accusatores et accusationes, quas extere consuetudinum leges non adsciscunt, a clericorum accusatione submotas[10]. [III. De accusationibus episcoporum et servorum dei atque de eorum accusatoribus.][11] III. Similiter laicos non accusasse episcopos actenus observatum et constitutum est, quia[12] eiusdem non sunt conversationis et oppido eis quidem infesti existunt, quippe cum vita et secreta eorum a[13] laicorum actibus debeant esse remota[14], nec ab his[15] impeti debeant, quorum[16] castitatem et gravitatem nolunt imitari, maxime cum nec in eos hi[17] suis volunt recipere accusationibus. De ipsis vero, suis videlicet agricultoribus atque ministris, dominus laicis et cunctis eos persequentibus ait: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. Et ipsa sacra scriptura dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Talia[18] enim et his similia sancti patres praevidentes[19] pericula, laicos saeculo militantes ab accusatione sacerdotum prohibuere, similiter servos et libertos atque censibus publicis vel privatis subiugatos omnesque infames ab eadem accusatione vel tergiversatione submoverunt. Non enim oportet ut permittantur carnales spiritales persequi, nec sceleribus inretitos

Hoc autem pro certo — peccata dimittit, Tob. III. 21. 22. 13.
Magnus est dominus — saecula saeculorum, Ps. XLVII. 2. 15.
Not. cons. sec. Marcelli vit. c. 1. in libr. pontif.
c. I. Scripta sanctitatis — suscepi actione, init. Greg. M. II. 51. (2, 614.)
Quod enim significastis — manus suscipere sec. Euseb. vit. c. 2. in libr. pontif.
c. II. accusatores et accusationes — accusatione submotas, Ben. II. 381. III. 108. (c. 96. conc. Afric.). Cf. Ben. III. 307, c. 9. Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Steph. 7, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14.
c. III. Similiter laicos — et constitutum est sec. vit. Silvestr. c. 6. in libr. pontif. Cf. Clem. 31, Marcelli 11.
maxime cum — accusationibus sec. Ben. III. 211. (Cf. Telesf. 1, Fab. 13, Steph. 7, Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.)
Nolite tangere — nolite malignari, Ps. CIV. 15.
Qui vos tangit — pupillam oculi, Zach. II. 8.
laicos saeculo — prohibuere, cf. init. hui. cap.
similiter servos — tergiversatione submoverunt, c. 96. conc. Afric. aut Ben. III. 99. 437. Cf. Steph. 7. (eiusd. c. 2.)
nec sceleribus inretitos, c. 8. conc. Carth. (D.) aut Ben. III. 85. Cf. Anacl. 22, Fab. 13, Fel. II. pp. 12. xv. (Pont. 3, Fel. 26, Steph. 2, 11, Sixt. III. pp.)

1 *Dst.* corroborabitur. 2 *Om. Dst.* 3 *Deest in Dst.* 4 *Sg.* Epistola Eusebii papae quod laici vel infames episcopos accusare non possint. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 6 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 8 *In marg.:* laicos accusare non posse sacerdotes. 9 *Bb. Dst.* mandastis. *Sic in Sg.* mandatis *manu post. corr.* 10 *Bb. addit:* de his qui sponte aliorum crimina confitentur torquendis. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 12 *Sg. Dst. add.* et. 13 *Bb.* et. 14 *Sg. Dst.* semota. 15 *Sg.* eis. 16 *Dst.* qui eorum. *Sic in Sg.* quorum *manu post. corr.* 17 *Sg. Dst. Bb.* nec eos in suis *pro* nec in eos hi suis. 18 *Cod. in marg.:* de acusatoribus. 19 *Sg. Bb. Dst.* providentes.

vel saeculo militantes episcopos infamari[1] vel lacerari[2] aut crimen opponere. Nam si hoc apostoli aut successores eorum permitterent, perpauci remansissent qui domino in sacerdotali ordine militassent. Idcirco et nos, sequentes patrum vestigia pro[3] salvatione servorum dei, quascunque ad accusationem personas leges publice non admittant[4], his inpugnandi alterum et nos licentiam submovemus, et nulle accusationes a iudicibus audiantur ecclesiasticis quae legibus saeculi prohibentur. Quapropter[5] illi, quibus indita[6] est ad unguem polita perfectio, talia silere debent, ita ut nec mutilentur nec praeponantur[7], nec illi qui aut in fide catholica aut inimicitia suspecti sunt ad pulsationem praedictorum admittantur, quia veritatis professiones[8] infidelitas et inimititia impediri[9] solet. [10]Nec illi credendi sunt aut admittendi, qui aliorum sponte crimina confitentur, et ideo replicanda est sollicite veritas, quam sponte prolata[11] in illis vox habere non potest; hanc diversis cruciatibus e latebris suis religiosus tortor exigere debet, ut[12] dum paenis corpora solvuntur, quae gesta sunt fideliter et veraciter exquirantur. IV. Unde, quaeso, primum ad leges publicas, deinde ad iudices ora convertite, qui possunt et volunt in defensione omnium iuste loqui. [14]Nos enim — quos dei servitium post istarum rerum obiectionem[15] fecit ingenuos, qui talium insultationes et contumelias aut despicimus aut deridemus, quibus scriptum est de famulis et vulgi[16] hominibus per apostolum: Mementote quia vester et illorum dominus in celis est, — ad haec[17] saeculi mala revocabimur[18]? Faciendum a nobis est, quod fatientem alterum profanum esse contendimus? Quod per ministerium iussionis et manus alienae incestaret[19] aspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad universas ecclesias[20] mentem rapacium luporum more et natura servare, quia postquam nos maculat, forte pro desideriis eorum cruenta discussio effectum in his quo tendunt non habebunt, dicente nobis[21] propheta: Ponamus circulum in naribus eorum et frenum in labiis, et reducamus[22] eos in viam rectam, quia eodem propheta adserente inpugnantur qui dicunt[23]: Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis. V. Infames[25] enim sunt procul dubio inpugnatores episcoporum omnesque qui adversus patres armantur et conculcatores ecclesiarum sacerdotumque eius; et qui de publicis fugiunt praeliis et[26] mandata dei contempnunt, et qui[27] aliqua culpa infamie asperguntur maculis, his omnibus inpugnandi episcopos patrum sequentes instituta et nos licentiam submovemus, quia sic odit deus eos, qui patres insequun-

[IV. Ut primum convertantur ora ad leges publicas, deinde ad iudices iuste loquentes.][13]

[V. Qui sint infames.][24]

Nam si hoc apostoli — ordine militassent. (Cf. Fab. 19, Steph. 12, Sixt. II. pp. 8, Eutic. 9.)
et nulla accusationes — indita perfectio, Ennod. lib. apol. p. 329. (cf. Ben. III. 459.) Cf. Eutic. 9, Fel. II. pp. 12. VIII.
nec illi qui in fide — admittantur, Ben. I. 335. III. 176. (c. 64. conc. IV. Tolet.). Cf. Calist. 17, Fab. 5. (Pii 5.)
quia veritatis — impediri solet, sec. interp. l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 5. 17. interpr. s. 3. Cf. Calist. 17, Fel. II. pp. 12. XI.
Nec illi — crimina confitentur sec. Ben. III. 313. aut Ennod. ep. I. 4. (p. 8.) Cf. Steph. 11. (Dion. 4, Iul. 12.)
et ideo replicanda — peribunt viri qui contradicunt vobis (c. IV.), Ennod. lib. apol. (p. 329.)
c. V. omnesque qui adversus patres armantur, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13.)
et qui de publicis fugiunt praeliis sec. praef. conc. XII. Tolet. aut Ben. II. 326. Cf. Steph. 2.
et mandata dei contempnunt sec. c. 1. conc. I. Carth. tit. aut Ben. III. 457. tit. Cf. Steph. 2.
et qui — asperguntur maculis sec. c. 96. conc. Afric. (D.). Cf. Fab. 13, 18.
quia sic odit — infamia notantur, Procli ep. cit. aut Ben. III. 374. aut c. 19. (bis) Angilr. Cf. Alex. 6, Steph. 13. (Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1.)

1 *Sg. Bb. Dst.* infamare. 2 *Bb.* delacerare. *Sg. Dst.* lacerare. 3 *Deest in Bb.* 4 *Sg. Bb. Dst.* admittunt. 5 *In marg.:* hi acusare nequeunt. 6 *Dst. addit:* non. 7 *Sg. Dst.* proponantur. 8 *Sic corr.* professionis, *quod est in cod.; Sg. Dst. Bb.* veritatem professioni *pro* veritatis professionis. 9 *Sg. Bb. Dst.* impedire. 10 *Bb. rubricam ponit:* de his qui sponte aliorum crimina confitentur torquendis. 11 *Bb.* prolatam. 12 *In marg., Dst. in marg.:* tormentis veritas exquirenda. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 14 *Bb. rubricam ponit:* non liceat laicis accusare episcopos. 15 *Sg. Dst.* abiectionem. 16 *Bb.* vulgis. *Dst.* vulgaribus. 17 *Bb. Dst.* hoc. 18 *Sg. Dst.* revocabimus. 19 *Sic corr. sec. Sg. Dst.* incertaret. 20 *Sg.* ecclesiasticas res. 21 *Sg.* docente nos. 22 *Bb.* reducam. 23 *Sg.* dicit. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* 25 *In marg.:* qui sunt infames. 26 *Sg. Dst. add.* qui. 27 *Sg. Dst. Bb. add.* pro.

tur, ut patrum invasores, qui in omni mundo infamia notantur et ideo iustae et regulariter respuuntur. Nunc longa non opus est admonitione iam perditis[1], odium debemus operire[2], de quibus iam non superest quod dampnetur auctoribus, de quibus dominus per prophetam loquitur dicens: Reprobantes verbum sperastis in calumniam[3] et in tumultum[4] et[5] estis in eo. Propterea erit vobis iniquitas haec sicut interruptio. Rursus etiam de talibus propheta clamat dicens: Accedite adhuc[6], semen adulterii[7] et fornicarii. Super quem lusistis[8], super quem dilatastis os et egecistis linguam? Nunquid non[9] vos filii scelesti estis, semen mendax? Cessent impii commota[10] adversus simplices iam fraude metiri[11]. Custodi, inquid propheta, linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo et fac bonum, quere pacem et persequere eam. Oculi domini ad iustos et aures eius ad clamorem eorum; vultus autem[12] domini super[13] facientes malum[14], ut perdat de terra memoriam eorum. Et paulo post: Interfitiet impium malitia, et odientes iustum culpabuntur.

[VI. De dilectione.] VI. Nos quamquam multa patiamur a talibus, diligamus nos[16], karissimi, invicem, quoniam caritas ex deo est, et omnis qui diligit[17], ex deo natus est et cognoscit deum. Qui non diligit, non novit deum, quia[18] deus caritas est. In hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum ut vivamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse dilexit nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Karissimi, si deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intellegimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo[19] dedit nobis, et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi. Quisquis[20] confessus fuerit quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo. Et nos agnovimus[21] et credimus[22] caritati, quam habet deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum, ut fidutiam habeamus in die iuditii, quia, sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui autem non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum a deo habemus, ut qui diligit deum, diligat et fratrem suum. Omnis qui credit quod[23] Iesus est Christus, ex[24] deo natus est, et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. In hoc cognovimus[25] quoniam diligimus natos dei, cum deum diligamus et mandata eius fatiamus. Haec est enim caritas dei ut mandata eius custodiamus. Et mandata eius gravia non sunt, quoniam omne quod natum est ex deo, vincit mundum. Et haec est victoria que vincit mundum, fides nostra. Quis est qui vincit mundum nisi qui credit, quoniam Iesus est filius dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus[26], non in aqua solum, sed in

Nunc longa non — dampnetur auctoribus, Ennod. lib. ep. (p. 336.)
Reprobantes verbum — sicut interruptio, Ies. XXX. 12. 13.
Accedite adhuc — semen mendax, ibid. LVII. 3. 4.
Custodi inquid — terra memoriam eorum, Ps. XXXIII. 14—17. vers. Hieron.
Interfitiet — culpabuntur, Ps. XXXIII. 22. vers. Hieron.
c. *VI. Diligamus nos karissimi — diligat et fratrem suum*, I Ioann. IV. 7—21.
Omnis qui credit — deus et vita eterna, ibid. V. 1—20.

1 *Bb.* perditi estis, *Dst.* perdidistis. 2 *Sg.* operis. *Bb.* operi. *Dst.* operam. 3 *Sg. Bb. Dst.* calumnia. 4 *Sg. Dst.* tumultu. 5 *In Sg. manu post. add.* innixi. 6 *Sg.* huc. 7 *Sg.* adulteri. 8 *Dst.* luxistis. *In Sg.* luxistis *post. manu corr. in:* lusistis. 9 *Deest in Bb.* 10 *Bb.* commenta. 11 *Sg. Bb. Dst.* mentiri. 12 *Om. Dst.* 13 *Sg. Bb. Dst.* in. 14 *Dst.* mala. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 16 *Om. Dst.* 17 *Sg. add.* deum. 18 *Sg. Bb.* quoniam. 19 *Dst.* sancto. 20 *Sg. Dst.* Quisque. 21 *Sg. Bb. Dst.* cognovimus. 22 *Sg. Dst.* credidimus. 23 *Sg. Bb. Dst.* quoniam. 24 *Bb.* a. 25 *Sg.* cognoscimus. 26 *Bb.* Iesu Christi.

aqua et sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas, quoniam tres sunt qui testimonium dant[1], spiritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus[2], testimonium dei maius est[3], quia testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium dei in se. Qui non credit filio dei[4], mendacem facit eum, quia non credit in testimonio[5], quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc testimonium est, quoniam vitam aeternam dedit nobis deus. Et haec vita in filio eius est. Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium dei, non habet vitam. Hec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habebitis[6] eternam, qui creditis in nomine[7] filii dei[8]. Et haec est[9] fidutia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus[10] secundum voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos quicquid petierimus[11]. Scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab heo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico[12] ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est et est peccatum ad mortem. Scimus, quia omnis qui natus est ex deo non peccat, sed generatio dei conservat eum, et malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius dei venit et[13] dedit nobis sensum, ut cognoscamus deum verum et simus in vero filio eius, hic est verus deus et vita eterna. Propter mala sua multi potentes oppressi sunt valide[14], et gloriosi traditi sunt in manus alterorum[15]. Benedictio dei in mercedem[16] iusti festinat et in honore boni processus illius fructificat. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Scitote, karissimi, pro ea pietate que vobis dei famulis inpendenda est, omnes suggestiones vestras fidei catholicae profuturas me dignanter suscepisse, ut ipsarum quoque opera[17] et pax christiana reparari et error ipsius possit aboleri. Et si amplius de talibus aut his similibus aliquid fuerit deliberandum[18], celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate horum[19] nostra quid observari debeat sollicitudo constituat. Data VI. Kal. August. Constante[20] consule.

CUIUS SUPRA ALEXANDRINI EGIPTIIS DIRECTA.[21]

VII. Eusebius Romane et apostolice ecclesie episcopus dilectissimis[23] in Christi caritate unanimis caritatis glutino conexis fratribus per Alexandriam et Egiptum domino militantibus et rectam fidem tenentibus in domino salutem. [VII. Exempla virtutum et promissiones supernae.][22]

Benedictus deus et pater domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum et deus totius consolationis qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni presura sunt per exortationem qua exortamur ipsi a deo: quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum habundat consolatio nostra. Sive autem tribulamur pro vestra exortatione et salute, sive exortamur pro vestra exortatione[24], que operatur in tolerantiam[25]

Propter mala sua — illius fructificat, Ecclesiastici XI. 6. 24.
Beatus vir qui — in tristitia delicti, ibid. XIV. 1.
Scitote karissimi — sollicitudo constituat, Leon. M. ep. 85. c. 3. (1, 1052).
Not. cons. sec. Euseb. vit. c. 1. in libr. pontif.
c. VII. Benedictus deus — eritis et consolationis, II Cor. I. 3—7.

[1] *In Dst. m. s. XII. additur:* in celo, pater, verbum et spiritus sanctus: et tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra. [2] *Bb.* accepimus. [3] *In Sg. et Dst.* (*et quidem in Dst. manu s. XII.*) *additur:* quoniam hoc est testimonium dei quod maius est. [4] *Deest in Bb.; Sg.* in filium dei *pro* filio dei. [5] *Sg. Dst.* testimonium. [6] *Sg. Bb. Dst.* habetis. [7] *Om. Sg.* [8] *Sg.* filium dei. [9] *Om. Sg.* [10] *Sg.* petieritis, *post. manu corr. in:* petierimus. [11] *Deest in Bb.* secundum voluntatem — petierimus. [12] *Bb.* dicam. [13] *Sg. om.* filius dei venit et. [14] *Bb. Dst.* valde. [15] *Bb.* alterutrum. [16] *Sic in Sg.* merce *manu post. corr.* [17] *Bb.* opere. [18] *Bb.* delaborandum. [19] *Bb.* eorum, *Dst.* honorum. [20] *Bb.* Constanti. [21] *Bb.* C. s. alexandrinis et aegyptiis directa. *Dst.* C. s. alexandrinis vel aegyptiis. *Sg.* Epistola Eusebii papae de reverentia sacerdotum. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. Bb.* [23] *Sg. add.* et. [24] *Dst. addit:* et salute. [25] *Sg. Bb. Dst.* tolerantia.

earumdem passionum quas et nos patimur, et spes nostra firma est pro vobis: scientes, quoniam, sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Vetera, dilectissimi, transierunt et ecce facta sunt nova. Omnia autem ex deo qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem deus erat in Christo mundum reconcilians[1] sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo ergo legatione fungimur tanquam deo exortante pro[2] nos. Obsecramus pro Christo: Reconciliamini deo[3]. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. Adiuvantes autem exortamur, ne in vacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi[4] te et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exibeamus nosmetipsos sicut dei ministros[5], in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate[6], in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti, quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes et omnia possidentes. Os nostrum patet ad vos, karissimi, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in carnalibus, angustiamini autem in spiritalibus. Eandem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini et vos. Nolite iugum ducere cum infidelibus[7]. Que autem participatio iustitie cum iniquitate aut quae sotietas luci ad[8] tenebras? Que autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo dei cum idolis? Vos enim[9] estis templum dei vivi, sicut dicit dominus. Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo et ero illorum deus et ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum et separamini[10] de medio eorum[11], dicit dominus, et inmundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos et ero vobis in[12] patrem et vos eritis mihi in filios et filias, dicit dominus omnipotens[13]. Has igitur habentes promissiones, karissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perfitientes sanctificationem in timore dei.

[VIII. De errore corrigendo.][14] VIII. Errorem[15] vestrum corrigite, fratres, et ab omni erroris macula vos custodite, ut purum deo munus offerre valeatis. Servos dei nolite persequi. Episcopos nolite infammare neque accusare, quia deus eos suo iuditio voluit reservari[16].

[IX. A quibus non sunt accusandi episcopi.][17] IX. Quod enim non ab humanis aut prave vite hominibus eos depravari aut accusari voluit, ipse dedit exemplum, quando per seipsum et non per alium negotiantes eiecit sacerdotes de templo, et mensas nummularium proprio evertit flagello et eiecit de templo, et sicut alibi ait[18]: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos[19] discernit. Dei ergo ordinationem accusat, qui episcopos accusat vel

Vetera dilectissimi — iustitia dei in ipso, II Cor. V. 17—21.
Adiuvantes autem — dicit dominus omnipotens, ibid. VI. 1—18.
Has igitur habentes — in timore dei, ibid. VII. 1.
c. *VIII. quia deus eos — reservari*, Isid. syn. lib. II. no. 86. aut Ben. III. 259. 373. aut c. 12. (bis) Angilr. (c. 51. ibid.). Cf. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Fab. 17, Sixt. II. pp. 7, Iul. 19.
c. *IX. Quod enim non — deos discernit*, Ben. III. 441. (Isid. sent. III. 39. no. 5.) Cf. Anacl. 19, Iul. 16.
Dei ergo — terrena sectatur, c. 1. Angilr. aut Ben. III. 167. II. 365. (Isid. sent. III. 39. no. 2.) Telesf. 3.

1 *Sic in Sg. manu post.* reconciliat *corr.* 2 *Sg. Bb. Dst.* per. 3 *In Sg. manu post. additur:* qui. 4 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* exaudivit. 5 *Om. Sg.* sed in omnibus — sicut dei ministros. 6 *Deest in Sg. Dst.* in suavitate. 7 *Sg. Bb. Dst.* inimicis. 8 *Sic corr. sec. Sg. Dst.* a. 9 *Sg. Dst.* autem. 10 *Bb.* separabimini. 11 *Deest in Sg. Bb.* de medio eorum. 12 *Sec. Sg. Dst. Bb. add.* in. 13 *Dst.* optimus. 14 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 15 *In marg.:* episcopos dei iuditio reservandos. 16 *Sg.* servari. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 18 *Sg.* dicit. 19 *Bb.* deus.

condempnat dum minus spiritalia quam terrena sectatur. Causa enim fidei et dilectionis quibus salus cristiana consistit, multa me sollicitudine laborare conpellit, metuentem ne pravitas[1] quae in suis fuerat amputanda principiis, processu temporis et pertinatior fiat et altior. X. Nam inimicum nimis est atque incongruum eos qui episcopos vel reliquos veros sacerdotes sua persecutione vexantur[3], catholicorum nominibus sine discretione misceri, cum iam natam[4] impietatem[5] non deserentes[6] ipsi[7] sua pravitate condempnantur[8], quos convenit[9] percelli pro perfidia, aut[10] liberari[11] pro venia[12], quia sicut plenum pietatis[13] est oppressis caritatem dominicam redibere[14], ita iustum est[15] omnia perturbantis[16] auctoritatem amputare[17]. Miror, karissimi, quare tam cito movemini[18] atque a vestro sensu transferimini, cum scriptum sit: Post concupiscentias tuas non eas et a voluntate tua avertere. Si prestes anime tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Ne oblecteris in turbis nec in modicis; adest enim commissio illorum. Ne fueris mediocris in contentione ex fenore, et non est tibi nihil in saeculo. Eris enim invidus tuae vitae. Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica paulatim decidet; vinum et mulieres apostatare fatiunt sapientes et arguunt sensatos, et qui[19] se iungit[20] fornicariis erit nequam; putredo et vermes hereditabunt illum, et extolletur in exemplum maius et tolletur de numero anima eius. Qui credit cito, levis corde est et minorabitur; et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. Qui gaudet[21] iniquitate[22], denotabitur[23]; et qui odit correptionem, minuetur vita[24]. Et qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Qui peccat in animam suam, penitebit[25], et qui iucundatur[26] in malitia, denotabitur. Ne iteres verbum nequam et durum, et non minoraberis. Amico et inimico noli enarrare sensum tuum, et si est tibi delictum, noli denudare. Audiet enim te et custodiat[27] te, et quasi defendens peccatum odiet te, et sic adherebit tibi semper. Audisti verbum adversus proximum? commoriatur in te fidens quoniam non te disrumpet. A fatie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus[28] partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. Corripe amicum, ne forte cum fecerit iniuriam et[29] non intellexerit, et dicat: Non feci[30], aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum ne forte non dixerit, et si dixerit, ne[31] forte iteret. Corripe amicum, sepe enim fit commissio et non omni verbo credas. Est qui labitur in lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua[32]? Corripe proximum antequam commineris[33], et da locum timori altissimi[34], quia omnis sapientia timor dei et in illa est timere deum et in omni sapientia dispositio legis. Non est sapientia neque[35] scientia et non est cogitatus bonus nisi[36] in illa. Peccatorum prudentia est nequitia et in ipsa execratio, et est insipiens, qui inminuitur[37] sapientia. Melior est homo qui deficit sapientia et defitiens sensu in timore, quam qui habundat sensu et transgreditur legem altissimi. Est solertia certa et ipsa iniqua, et est qui emittit verbum certum[38] enarrans veri-

[X. Quod inimicum sit et incongruum eos misceri nominibus catholicorum sine discretione qui episcopos vel reliquos sacerdotes vexant.][2]

Causa enim fidei — fiat et altior, Leon. M. ep. 71. (1, 1012.)
c. X. Nam inimicum — auctoritatem amputare, eiusd. ep. 80. c. 3. c. 2. i. f. (1, 1040.)
Miror karissimi — transferimini, Galat. I. 6.
Post concupiscentias — invidus tuae vitae, Ecclesiastic. XVIII. 30—33.
Operarius ebriosus — tacens et ipse est prudens, ibid. XIX. 1—28.

1 *Sg. Bb. Dst.* inprobitas. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 3 *Dst. Sg.* vexant. 4 *Bb.* nata. 5 *Bb.* impietate. *Dst.* pietatem. 6 *Sg.* ferentes. 7 *Bb.* ipse. *Dst.* ipsa. 8 *Sg. Bb. Dst.* condempnant. 9 *Bb. addit:* aut. *Sg. Dst. add.* aut digna satisfactione resipisci aut. 10 *Sg.* ne tale quid alterum. *Dst.* aetate quid alterum. 11 *Sg. Bb. Dst.* laborare. 12 *Sg.* proveniat. *Dst.* perveniat. 13 *Sg. add.* opus. 14 *Bb.* redhiberi. *Sg. Dst.* exhiberi. 15 *Sg. add.* per. 16 *Sg.* perturbantes; *manu post. additur:* eius. 17 *Bb.* amputari. 18 *Sg.* moveamini. 19 *Sg.* quis, *manu post. additur:* se. 20 *Sg.* coniungit. 21 *Dst. addit:* in, *quod in Sg. manu post. add.* 22 *Bb.* iniquitatem. 23 *Sg. Dst.* denudabitur. 24 *Sg.* vitam. 25 *Bb.* penitebitur. 26 *Sg. Bb.* locum dat. 27 *Sg. Bb. Dst.* custodiet. 28 *Sg. Bb.* genitus. 29 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 30 *Bb.* fecit. 31 *Om. Sg.* 32 *Dst.* linguam suam. 33 *Sg.* commiserit. 34 *Bb.* altissimo. 35 *Sg. Bb. Dst.* nequitiae. 36 *Omissum in cod. add. ex Bb. Dst.* 37 *Dst.* minuitur. 38 *Sg. add.* et.

tatem. Est qui nequiter humiliat se et interiora eius plena sunt dolo. Et est iustus qui se nimium summittit a multa humilitate, et est iustus qui inclinat fatiem et fingit non videre sed quod[1] ignoratum est, et si[2] ab[3] inbecillitate[4] virium vetetur[5] ea[6] peccare[7], si invenerit tempus[8] malefatiendi malefatiet. Ex visu cognoscitur vir et ab hoccursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo. Est[9] correptio mendax in ira[10] contumeliosi, et est iuditium quod non probatur esse bonum, et est tacens et ipse est prudens. Quam bonum est arguere quam irasci et confidentem in orationem[11] non prohibere! Concupiscentia[12] spadonis devirginavit iuvenculam, sic qui facit per vim iuditium iniquum. Quam bonum est correptum manifestare penitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum. Est tacens qui invenitur sapiens, et est odilibis qui procax est ad loquendum. Est autem tacens non habens sensum loquelle, et est tacens sciens tempus abti temporis. Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus[13] autem et inprudens non servabit[14] tempus. Qui multis utitur verbis ledit animam suam, et qui potestatem sibi adsumit iniuste odietur. Est[15] processio in malis viro indisciplinato et est inventio in[16] detrimentum. Est datum quod non est utile, et est datum, cuius retributio[17] duplex est, set[18] propter gloriam minoratio et est qui ab humilitate levabit[19] caput. Est qui multa redimat modico pretio et est restituens ea septuplum. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiae autem fatuorum effundentur, datum insipientis non erit utile tibi. Oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit et multa inproperabit et apertio oris illius inflammatio est, hodie fenerat quis et cras expetit, et odibilis homo huiusmodi. Fatuo[20] non erit amicus et non erit gloria[21] bonis illius. Qui enim edunt panem illius, falsae linguae sunt, quotiens et quanti inridebunt eum! neque enim quod habendum[22] erat, directo sensu distribuit, similiter et quod non erat habendum. Lapsus false linguae quasi qui a pavimento cadens, sic casus malorum festinanter venient. Homo ingratus quasi fabula[23] vana in ore indisciplinatorum adsidua erit. Ex ore fatui[24] reprobatur[25] parabola[26], non enim dicit illam in tempore suo. Est qui vetatur peccare ab inopia et in requie sua stimulabitur. Est qui perdet[27] animam suam pro confusione et ab inprudenti[28] persona perdet eam, personae autem acceptione perdet se. Est qui pro confusione promittit amico et lucratus est eum inimicum gratis. Obprobrium enim nequam in hominem[29] mendatium et in ore indisciplinatorum adsidue erit. Laudat furem adsiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hereditabunt. Mores hominum mendatium sine honore, et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. Vos, fratres, monemus profutura hominibus[30] invicem indesinenter[31] sectari in caritate Christi, similiter obsecramus vos in domino ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia subportantes invicem in caritate, solliciti[32] servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus et pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona

Quam bonum est arguere — illorum cum ipsis sine intermissione, Ecclesiastic. XX. 1—28. *Vos fratres monemus — et circumventionem erroris*, Ephes. IV. 1—14.

[1] *Sg. Dst.* si quod. *Bb.* se quod. [2] *Om. Sg.* [3] *Sic corr. sec. Sg. Dst.* ad, *quod est quoque in Bb.* [4] *Bb.* imbecillitatem. [5] *Sic corr. sec. Bb. Dst.* utetur. *Sg.* veretur. [6] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [7] *Sg. add.* et. [8] *Sg.* tempora. [9] *Sg.* Et. [10] *Dst.* ore. [11] *Sg. Bb. Dst.* oratione. [12] *Bb.* concupiscentiam. [13] *Bb.* lascivius. [14] *Bb. Dst.* servabunt. [15] *Sg.* et. [16] *Om. Sg.* [17] *Sg.* tribulatio. [18] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [19] *Sg. Dst.* levavit. [20] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* Statuo. [21] *Bb.* gratia. [22] *Sg.* ab eodem. [23] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* stabula. [24] *Bb. addit:* que. [25] *Bb.* probabitur. *Sg. Dst.* reprobabitur. [26] *Bb.* parabolam. [27] *Bb. Dst.* perdit. *Sg.* perdat. [28] *Sg.* imprudente. [29] *Bb.* homine. *Sg. Dst.* omne. [30] *In Sg. manu post. corr. in:* omnibus. [31] *Sic corr. sec. Sg. Dst.* desinenter. [32] *Sic* sollicite *in Sg. manu post. corr.*

hominibus. Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terre? Qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes celos, ut adimpleret[1] omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quidem autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, donec occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii dei in virum[2] perfectum, in[3] mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitiam[4] hominum, in astutia ad circumventionem erroris. De occultis enim cordis alieni temere iudicare iniquum est, et eum cuius non videntur nisi opera bona, peccatum est ex suspitione[5] reprehendere.

[XI. Quod oves suo pastori commissae non possunt eum accusare.][6]

XI. Oves ergo[7] que pastori suo commisse fuerunt[8], eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, debent nec ullatenus accusare possunt, quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quamquam recte reprehendenda videantur. Ideo ista dicimus, quia in scripturis vestris repperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspitione et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam esse rebus suis expoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos. [9]Quos[10] scias[11] nec ad sinodum conprovincialem nec ad[12] generalem posse vocare[13], nec in aliquo[14] iudicare[15] antequam cuncta quae[16] eis sublata[17] sunt legibus potestati eorum redintegrentur. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari et ecclesias quae eis[18] sublate sunt cum omni privilegio suo restitui et postmodum non[19] sub[20] angusti temporis spatio, sed tantum temporis[21] spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad sinodum convocentur et ab omnibus quisquae suae provintiae episcopis audiatur.

[XII. Quod expoliatus vel expulsus non possit vocari ad causam nec iudicari.][22]

XII. Nam nec convocari ad causam nec diiudicari[23] potest expoliatus vel expulsus, quia[24] non est privilegium, quo expoliari possit iam nudatus. Unde et antiquitus decretum[25] est: Omnes possessiones et omnia sibi sublata adque fructus cunctos ante litem contestatam[26] preceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille qui violentiam pertulit universa in statu quo fuerant recipiat, et quae possedit securus teneat. Et alibi in sinodalibus patrum decretis et regum edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis praesentialiter ordinatione pontificum

De occultis enim cordis — nec exerceantur absque sua damnatione (*c. XIV.*). Eadem leguntur in Ioann. I. pp. ep. 1.

De occultis enim cordis — ex suspiratione reprehendere, Prosp. Aquit. s. 21. Cf. Zeph. 7, Sixt. II. pp. 7.

c. *XI. Oves ergo quae — nec exerceantur absque sua damnatione.* Eadem leguntur in Symm. syn. V.

Oves ergo — accusare possunt sec. Isid. sent. III. 39. no. 6. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 31. Cf. Fab. 22, Corn. 4, Greg. M. ad Fel.

quia facta praepositorum — ferienda non sunt, Greg. M. reg. past. III. 4. aut conc. cit. lib. I. c. 103. Cf. Fab. 22, Greg. M. ep. ad Fel. (Pelag. II. pp. ep. 3.)

antequam cuncta — restitui sec. Syn. III. Symm. Cf. Evarist. 7, Sixt. II. pp. 7.

sed tantum temporis — expulsi esse videntur sec. epit. Aegid. ad leg. Rom. Visig. c. un. C. Th. II. 26. Cf. Fel. II. pp. 12. IX.

et ab omnibus — audiatur, Ben. II. 381. III. 104. aut c. 26. Angilr. (c. 15. conc. Ant. D.) Cf. Fab. 26, Fel. II. pp. 12. XVIII, Sixt. III. fin.

c. *XII. quia non est — iam nudatus*, Ennod. lib. apol. (p. 337.) aut Ben. add. III. 8. Cf. Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.

omnes possessiones — restituat, l. Rom. Visig. Cod. Gregor. III. 5. 1. aut Ben. add. III. 103. Cf. Steph. 6.

ille, qui violentiam — teneat, l. Visig. VIII. 1. 2. aut Ben. II. 161. 353.

Redintegranda sunt — perdidisse noscuntur sec. epit. Aegid. ad leg. Rom. Vis. Paul. sent. I. 7. s. 2. Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.

1 *Bb. Dst.* impleret. 2 *Sic in Sg.* virtutem *manu post. corr.* 3 *In Sg. manu post. add.* in. 4 *Sg.* nequitia. 5 *Sic corr. sec. Sg. Dst.* suspiratione. *Bb.* suspectione. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Dst.* XI. quod oves pastori suo commisse accusare nequeunt. 7 *Sg. Bb. Dst.* vero. 8 *Sg. Dst.* fuerint. 9 *In marg.:* de episcopo nudatus suis. *Dst. in marg.:* de episcopo rebus nudato suis. 10 *Bb.* Quod. 11 *Sg. Dst.* sciatis. 12 *Sic corr.* a *sec. Bb. Dst.* 13 *Sg. Bb. Dst.* convocari. 14 *Sic corr.* aliqui. 15 *Bb.* aliqua iudicari. *Dst.* aliquo loco diiudicari. *Sg.* aliquo diiudicari. 16 *Bb. addit:* ab. 17 *Sg. Bb. Dst.* ablata. 18 *Sg. Bb. Dst.* sibi. 19 *Sic corr.* nos *sec. Sg. Bb. Dst.* 20 *In Sg. post. manu delet.* 21 *Om. Sg.* spatio sed tantum temporis. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 23 *Sg.* iudicari. 24 *Sg. Dst.* quoniam. 25 *In Sg. manu post. add.* ita. 26 *Sg. Dst.* litis contestationem.

et in eorum[1] unde abscesserunt loca[2] funditus revocanda quacumque[3] conditione temporis aut dolo aut captivitate aut virtute maiorum[4] aut per quascumque iniustas causas res ecclesiae vel proprias aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accusationem aut regularem ad sinodum vocationem eorum, et reliqua. XIII. Est etiam in antiquis ecclesie statutis decretum, ut qui aliena invadit non exeat inpunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et[6] in evangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum. XIV. Et in legibus saeculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cuius res direpta est in decuplum[8] que sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus[9]: Amen. Talia ergo non praesumantur[10] absque ultione, nec exerceantur[11] absque sua dampnatione. Pacem et non dampnum aut iniustitiam alicuius sectamini invicem et in omnes. Veritate[12] autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus conpactum et conexum[13] per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri[14], aucmentum corporis facit in aedificatione[15] sui in caritate. De cetero, karissimi, gaudete et[16] perfecti estote[17], exortamini. Idem sapite, pacem habete, et deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Dominus custodiat vos et nunc et in die aeternitatis. Amen. Data IX. Kalen. Octobr. Constante[18] v. c. cons.[19]

[XIII. Quod in antiquis ecclesiae statutis decretum sit, ut qui aliena invadit omnia restituat cum multiplicatione.][5]

[XIV. Quod in legibus seculi cautum sit, ut qui rem subripit alienam in undecuplum restituat.][7]

EPISTOLA CUIUS SUPRA AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM ET TUSCIAM CONSTITUTOS[20] DIRECTA.[21]

[XV. De excellentia Romanae sedis.][22]

XV. Dilectissimis fratribus universis episcopis per Campaniam et Tusciam constitutis EUSEBIUS.

Benedictus dominus deus noster, qui per misericordiam suam Romanam ecclesiam beati Petri, principis apostolorum, sacerdotio ditavit nobisque[23] viam monstrandam[24] circa nos — propter universalem curam quae[25] nobis propter privilegium eiusdem ecclesiae — invicem caritatis indulsit[26]; qui cohaeremus firmitate fidei, iungamur[27] quoque votiva iucunditate conloquii, quo facilius dum per litterarum ministeria ad vos usque pertendimus[28], etiam corda vestra ad religiosum cultum apostolicis admonitionibus incitemus, XVI. et dum dilectionis[30] spei nostrae reddimus velud quoddam debitum, plenum circa deum monstremus affectum. Iungamus ergo[31], dilectissimi fratres, continuas et humiles praeces, et deum[32] nostrum oris et cordis lacrimis supplicantes iugi depraecatione poscamus, ut institutione et

[XVI. De pleno affectu circa deum monstrando.][29]

c. XIII. Est etiam in antiquis — omnia restituat. Cf. Iul. 11.
Quod si aliquid — reddo quadruplum, Luc. XIX. 8.
c. XIV. Maledictus omnis — Amen, Deuter. XXVII. 17. aut Ben. II. 381. Cf. Fab. 15, Iul. 11.
Pacem et non — invicem et omnes, Hebr. XII. 14.
Veritate autem — in aedificatione sui in caritate, Ephes. IV. 15. 16.
De cetero karissimi — erit vobiscum, II Corinth. XIII. 11.
Dominus vos — die aeternitatis, II Petr. III. 18.
Not. cons. sec. c. 1. vit. Euseb. in libr. pontif.
c. XV. Benedictus dominus — errata vel custodiamus catholica (c. XVII.) init. Hormisd. ep. ad episc. per Hisp. (H. no. 91.)

1 *Dst.* eo loco. *Sg. add.* potestatem. 2 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 3 *Sg.* quaecumque. 4 *Sg.* malorum. 5 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 6 *Om. Sg.* 7 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 8 *Sg. Bb. Dst.* undecuplum. 9 *Addidi sec. Sg. Bb. Dst.* 10 *Sg. Dst.* praesumuntur. 11 *Sg. Bb. Dst.* exercentur. 12 *Sg. Bb. Dst.* Veritatem. 13 *Sic corr.* convexum. *Sg. Bb. Dst.* conexum. 14 *Bb. Dst. addunt:* in. 15 *Sg. Bb. Dst.* aedificationem. 16 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 17 *Sg. Dst.* state. 18 *In Sg. add. supra lineam* et Constantio. 19 *Sg.* viris claris consulibus. 20 *Dst.* constitutis. 21 *Deest in Dst.; Sg.* Epistola Eusebii papae quod inventio crucis dominicae sit celebranda festive. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 23 *Sg. manu post. corr. in:* nobis quoque. 24 *In Sg. manu post. corr. in:* monstrando. 25 *Bb.* qui. 26 *In Sg. manu post. add.* ut. 27 *Dst.* vincamur. *In Sg.* vincamur *manu post. corr. in:* iungamur. 28 *Sg. Bb. Dst.* pertingimus. 29 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 30 *Dst.* dilectioni. 31 *Sg. Bb.* igitur. 32 *Sg. Dst.* dominum.

operatione[1] illi cuius esse membra cupimus, haereamus, nec umquam ab illa via quae Christus est devio tramite declinemus, ne ab eo iuste quem nos impiae relinquimus, deseramur[2]. Quod cum superni favoris auxilio ea nobis potest ratione contingere, si apostolica docmata, si patrum mandata servemus[3], dicit enim dominus noster: Qui diliget me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus ac mansionem apud eum faciemus.

[XVII. De criminacionibus adversus doctores non suscipiendis et de peregrinis iudiciis et de sacerdotibus, qui sunt vicarii Christi.][4]

XVII. Et licet[5] haec[6] possint generaliter dicta sufficere, ut vel declinemus errata vel custodiamus catholica, ab apostolis tamen eorumque successoribus novimus constitutum criminationes adversus doctores non debere suscipere nec peregrina iuditia fieri nec quemquam alterius iudicis quam sui sententia debere[7] constringi. Caput enim ecclesie Christus est, Christi autem vicarii sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in ecclesia. Idcirco quicquid ad eorum fit iniuriam, ad Christum pertinet, qui dixit: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit, et qui spernit me, spernit eum qui me misit. Ista, fratres, terribilia sunt et oppido diligenter consideranda et cavenda, et tam propter eos qui semetipsos aut cupiditate aut avaritia aut invidia perdere moliuntur, ne in profunda labantur[8], in talia incidant mala, quam propter persecutores ecclesiae servorumque eius, qui iuxta veritas vocem oculos habentes non vident et aures habentes non audiunt, nec intellegunt quae placent[9] deo.

[XVIII. Qui non sint suscipiendi in accusatione.][10]

XVIII. Sequentes in omnibusne[11] apostolicam regulam et praedicantes omnia eius constituta ob custodiam episcoporum, qui columnae ecclesiae a deo dicti sunt, et ceterorum verorum[12] sacerdotum firmantes arcana[13] patrum statuta, statuimus[14] iterum cum omnibus qui nobiscum sunt episcopis, sicut dudum decretum repperimus[15], ut homicidae, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, domestici, periuri et qui raptum fecerunt[16] vel falsum testimonium dixerunt[17] seu qui ad sacrilegos[18] divinosque concurrerint[19] similesque eorum nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi, quia[20] infames sunt et iuste repellendi, quia funesta est vox eorum. Vocem enim funestam in omnibus interdici potius quam audiri oportet[21]. Periculum ergo quod doctoribus inminet summopere semper est praecavendum et declinandum, et illi sunt a cunctis portandi et custodiendi, dicente domino: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecisti[22].

[XIX. Quae sit prima salus et quod sedes apostolica semper servavit catholicam religionem extra maculam.][23]

XIX. Prima enim salus est recti[24] fidei regulas custodire et a constitutis

c. XVII. criminationes adversus — debere, Ben. II. 357. aut c. 12. (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250.) Cf. Calist. 3, Steph. 13, Sixt. III. pp. ep.

nec peregrina iuditia fieri, Ben. III. 309. aut c. 16. Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1.) Cf. Anacl. 15, Vig. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Iul. 12, Sixt. III.

nec quemquam alterius — debere constringi, Ben. III. 347. aut c. 37. Angilr. (c. 2. C. Th. IV. 16.) Cf. Zeph. 5, Fab. 29, Iul. 18, Sixt. III. pp. ep.

Caput enim — vicarii sacerdotes sunt, Horm. ep. cit. c. 1.

qui vice Christi — ad Christum pertinet, Ben. III. 462. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20.) Cf. Anacl. 3, 21, Evar. 6, Luc. 2, excerpt. Silv. 8, Dam. 19. (Greg. M. ep. ad Fel.)

Qui vos audit — me misit, Luc. X. 16.

qui iuxta veritatis vocem — non audiunt, Ps. CXIII. 5. 6.

c. XVIII. Sequentes in omnibus — patrum statuta, Hormisd. ep. ad Hispan. episc. i. f. (H. no. 92.)

ut homicidae, malefici — erunt admittendi, Ben. II. 397. III. 369. c. 10. (bis) Angilr. et l. Visig. II. 4. 1. Cf. Clem. 31, Eutic. 18, Fel. II. pp. 12. xvi.

Vocem enim funestam — audiri oportet, c. 3. C. Th. IX. 6. aut c. 28. i. f. Angilr. aut Ben. III. 322. Cf. Silv. ep. ad Amat.

Quod uni ex — mihi fecisti, Matth. XXV. 40.

c. XIX. Prima salus — catholica servata religio, Hormisd. ep. cit. Cf. Bonif. II. exempl. prec.

1 *Bb.* opere. *Sg. Dst.* cooperatione. 2 *Sic corr.* desecramur *sec. Sg. Bb. Dst.* 3 *Dst.* servamus. 4 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 5 *In marg.:* iniuria sacerdotis ad Christum pertinet. 6 *Sg. Bb. Dst. addunt:* si. 7 *Deest in Sg. Dst.* 8 *Sg. Dst. addit:* et. 9 *Dst.* qui placente, *quibus verbis rubrica c. XVIII. apposita est.* 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst.* omnibus. 12 *Bb. Dst.* virorum. 13 *Bb.* canonas. 14 *Sg. Bb. Dst.* constituimus. *Bb. hic rubricam ponit:* de testibus atque accusationibus. 15 *In marg.:* hi accusare non possunt. 16 *Sg. Bb.* fecerint, *Dst.* fecerit. 17 *Bb.* dixerint, *Dst.* dixerit. *In Sg. manu post.* dixerint *corr. in* dixerunt. 18 *Sg. Bb. Dst.* sortilegos. 19 *In Sg. post. manu corr. in:* concurrerunt. 20 *Bb.* qui. 21 *Deest in Dst.* 22 *Sg. Bb. Dst.* fecistis. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Bb. Sol. num. in Bb.* 24 *Sg. Bb. Dst.* recte.

patrum nullatenus deviare[1]. Nec potest domini nostri Iesu Christi pretermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram haedificabo ecclesiam meam, et haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus[2], quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. Ideo, carissimi, et vos iuxta sanctam[3] scripturam discite benefacere et mala[4] declinare et patrum regulis imbui, sicut scriptum est: Fili, si habes, bene fac tecum[5] et deo dignas oblationes offer. Memor esto, quoniam mors non tardat et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi. Testamentum enim huius mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens[6] da pauperi[7]. Non defrauderis a die bona et particula boni doni non te praetereat. Nonne[8] aliis relinques[9] dolores et labores tuos in divisione sortis? Da et accipe et iustifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iustitiam quia[10] non est aput inferos invenire cibum. Omnis caro sicut fenum veterascit et sicut folium fructificans in arbore viridi[11]. Alia generantur et alia deiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur et alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine defitiet, et qui illud operatur ibit cum ipso. Et omne opus electum iustificabitur, et qui operatur illud honorabitur in illo. Beatus vir qui in sapientia sua morabitur, et qui in iustitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem[12] dei. Qui excogitat vias illius in suo[13] corde et in absconsis[14] illius intelligens erit, vadens post illam[15] quasi vestigator, et in viis illius consistens; qui respicit per fenestram[16] eius et in ianuas[17] illius audiens, qui[18] requiescit iuxta domum illius, et in parietibus illius[19] figens palum statuit[20] casulam suam ad manus illius, et requiescunt in casula illius bona per evum. Statuet filios suos sub tecmine illius, et sub ramis illius morabitur; protegetur sub tecmine illius a fervore et in gloria eius requiescet. Qui timet dominum faciet illud, et qui continens est iustitiae apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier a virginitate suscipiet illum[21]. Cibabit illum pane vite et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potabit illum, et firmabitur in illo et non flectetur, et continebit illum et non fundetur[22] et exaltabit illum apud proximos suos, et in medio ecclesie aperiet os eius[23] et inplebit[24] illum spiritu sapientiae et intellectus, et stola[25] gloriae vestiet illum, iocunditatem et exultationem tesaurizabit[26] super illum, et nomine aeterno hereditabit illum. Homines stulti non apprehendent[27] illam et homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt illam, longe enim abaest a superbia et dolo. Viri mendaces non erunt illius memores, et viri veraces invenientur[28] in illa et successum abebunt usque ad inspectionem dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris, quoniam a deo perfecta est sapientia. Sapientia[29] enim dei stabit[30], laus et in ore fideli habundabit, et dominator dabit eam illi. Non dixeris: Per dominum[31] abest, quae odit enim[32] ne feceris; non dices[33]: Ille me inplanavit, non enim necessarii sunt illi homines impii. Omne exsecramentum[34] erroris odit deus et non erit amabile timentibus illum. Deus ab initio constituit hominem et reliquid illum in manu consilii sui, adiecit mandata et precepta sua. Si volueris mandata, conservabunt te et in perpetuum fidem placitam facere.

Ideo carissimi — benefacere, Ies. I. 17.
Fili si habes — gloria eius requiescet, Ecclesiastic. XIV. 11—27.
Qui timet dominum — filiorum infidelium et inutilium, ibid. XV. 1—22.

[1] *Bb. rubricam ponit:* de eo quod dicitur super hanc petram edificabo. [2] *Sg. Dst.* effectu. [3] *Sg. Bb. Dst.* sacram. [4] *Sg. Dst.* a malo. [5] *Sg.* benefactum. [6] *Sg.* exporgens. [7] *Sg. Bb. Dst.* pauperibus. [8] *Dst.* nec. *Sg.* ne. [9] *Sg. Dst.* relinquas. [10] *Sg. Dst.* quoniam. [11] *Dst.* viride. [12] *Dst.* circumspectione. [13] *Om. Sg. Dst.* [14] *Dst.* absconditis. [15] *Sg. Dst.* illa. [16] *Bb.* fenestras. [17] *Sg. Bb.* ianuis. *Dst.* ianuam. [18] *Deest in Sg. Dst.* [19] *Deest in Sg. Bb. Dst.* et in parietibus illius. [20] *Sg. Bb.* statuet. [21] *Om. Sg.* et obviabit — suscipiet illum. *In Dst. manu s. XII. add.* [22] *Sg. Bb. Dst.* confundetur. [23] *Sg.* illius. [24] *Bb.* implevit. [25] *Bb.* stolam. [26] *Bb.* thesaurizavit. [27] *Sg.* apprehenderunt. [28] *Sg.* viri non mendaces inveniuntur. [29] *Sg. Dst.* Sapientiae. [30] *Dst.* astabit. [31] *Sg. Dst.* deum. [32] *Bb.* eum. [33] *Sg. Bb. Dst.* dicas. [34] *Sic corr.* exsacramentum *sec. Bb. Dst. In Sg.* exsecrementum *post. manu corr. in:* excrementum.

Adposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi, quoniam multa sapientia dei et fortis potentia [1], videns omnes sine intermissione. Oculi dei ad [2] timentes eum et ipse cognoscit [3] omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere [4] et nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium. Ne iocunderis in filiis impiis, si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos, si non est timor dei cum illis. Non credas vite illorum et ne respexeris in labores illorum. Melior est enim unus timens deum, quam mille filii impii. Et utile [5] mori sine filiis, quam relinquere filios impios. Ab uno sensato inabitabitur patria et a tribus impiis deseretur. Multa alia vidit oculus meus, et fortiora horum audivit auris mea. In sinagoga peccantium exardebit ignis [6], in gente incredibili exardescet ira. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destruxerunt confidentes suae [7] virtuti, et non pepercit peregrinationi [8] illorum [4], sed percussit eos [9] et execratus est illos [10] prae [11] superbia verbi illorum. Non misertus est illis, gentem totam perdens et extollentes se in suis peccatis. Et sicut sexcenta milia peditum, qui congregati sunt duritiam [12] cordis sui, et si unus fuisset cervicatus, mirum si fuisset inmunis. Misericordia enim et ira est cum illo, potens exoratio et effundens iram, secundum misericordiam suam. Sic [13] corruptio [14] illius hominis [15] secundum opera sua iudicatur. Non effugiet in rapina peccator et non retardabit sufferentia [16] misericordiam facientis. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum et secundum intellectum peregrinationis [17]. Non dicas: A deo abscondar et ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar. Que est enim anima mea in tam inmensa creatura? Ecce celum et [18] celi caelorum, habissus et universa terra et que in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, montes similiter [19] et colles et fundamenta terre, et cum conspexerit illa deus, tremore [20] concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor, et omne cor intellegitur ab illo et vias illius quis intellexit [21] et procellam quam nec oculus vidit hominis? Nam plurima opera illius sunt in absconsis [22], sed opera iustitiae illius [23] quis enunciabit aut quis sustinebit? Longe [24] enim est testamentum [25] quibusdam et interrogatio hominum in consummatione est. Qui minoratur corde cogitat mala [26], et vir inprudens et errans [27] cogitat stulta. Omnis ergo, fratres, sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad edificationem oportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare [28] spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut [29] deus in Christo donavit vobis. Estote ergo imitatores dei sicut filii karissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis inmunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium aut scurilitas quae ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim [30] scitote intellegentes,

Ne iocunderis in filiis — errans cogitat stulta, ibid. XVI. 1—22.

Omnis ergo fratres — in Christo donavit vobis, Ephes. IV. 29—32.

Estote ergo imitatores — invicem in timore Christi, ibid. V. 1—21.

[1] *Bb.* in potentia. [2] *Bb.* et. *Sg. Dst.* super. [3] *Sg. Dst.* cognoscet. [4] *Verba:* et nemini dedit spatium — non pepercit peregrinationi illorum *om. Sg., qui sequentia a:* sed percussit *etc. post finem cap. XVI. ponit et anteriora scil. cap. XVII. XVIII. XIX. usque ad verba:* nemini mandavit impie agere *in fine epistolae* (*pag.* 304.) *addit.* [5] *Bb. Dst. addunt:* est. [6] *Dst. addit:* et. [7] *Bb.* sui. [8] *Bb.* peregrini nationi. [9] *Sg. Bb. Dst.* illos. [10] *Sg. add.* et. [11] *Sg. Bb. Dst.* pro. [12] *Dst.* in duritia. *Sg.* in duritiam. [13] *Bb.* si. [14] *Sg.* correptio. [15] *Sg.* homo. [16] *Bb.* sufferentiam. [17] *Dst. addit:* ipsius. [18] *Bb.* caeli et. *Om. Dst. Sg.* celum et. [19] *Sg. Bb. Dst.* simul. [20] *Sg.* timore. [21] *Sg. Dst.* intelligit. [22] *Dst.* absconditis. [23] *Sg.* eius. [24] *Bb.* Longo. [25] *Sg. Bb. Dst. addunt:* a. [26] *Sg. Bb.* malum. [27] *Sg. Dst.* tardus. [28] *Bb.* contristari. [29] *Sg. Bb. Dst. addunt:* et. [30] *Sg. Bb. Dst.* autem.

quod omnis fornicator aut inmundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter haec enim venit ira dei in filios diffidentiae. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebre, nunc autem lux in domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate. Probantes quid sit beneplacitum deo, et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Que enim in occulto fiunt ab ipsis turpe est[1] dicere. Omnia autem quae arguuntur a lumine manifestantur. Omne enim, quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis et exurge a mortuis, et inluminabit te[2] Christus[3]. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; propterea nolite fieri inprudentes, sed intellegentes que sit voluntas dei[4]. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini[5] spiritu, loquentes vobismetipsis in salmis[6] et hymnis et canticis spiritalibus cantantes et sallentes[7] in cordibus vestris domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi, deo et patri, subiecti invicem in timore Christi[8].

[XX. De inventione sancte crucis et eius festo celebrando.][9]

XX. Crucis[10] ergo domini nostri Iesu Christi que nuper nobis gubernacula sancte Romane ecclesie tenentibus quinto Nonas Maii[11] inventa est, in praedicto Kalendarum die inventionis festum vobis solempniter celebrare mandamus.

[XXI. Quomodo heretici qui convertuntur ad fidem debeant reconciliari.][12]

XXI. Similiter[13] et hereticos omnes quicumque dei[14] gratia[15] convertuntur et in sanctae trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romane ecclesiae regulam tenentes, per manus inpositionem reconciliari praecipimus. Manus[16] inpositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, que[17] ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peractum[18] esse, neque ab aliis, sicut iam dictum est, quam ab illis qui eorum locum tenent unquam perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica unquam reputabuntur[19] sacramenta. De cetero, fratres, gaudete in domino et exultate, ut sancti spiritus gratia inluminati et confortati vos vestrosque ad pascua aeternae vitae pervenire atque perducere amminiculante domino valeatis. Gratia domini nostri Iesu Christi et caritas dei et communicatio spiritus sancti sit semper cum omnibus nobis[20]. Amen. Data VIII. Kalen. Septembr. Constante v. c. cons. Explicit[21].

INCIPIUNT DECRETA MELCHIADIS[22] PAPAE.[23]

[I. Quod sine offensione esse debeamus apud iudeos atque gentiles et ut nullus infestus aut nocens alteri existat.][24]

I. Dilectissimis fratribus Marino, Benedicto, Leontio et ceteris Hispaniarum ac illis in partibus constitutis episcopis Melciades[25].

Apostolici[26] verba[27] praecepti sunt apud iudeos atque gentiles sine offensione

c. XX. Crucis ergo domini — reconciliari praecipimus (c. XXI.) sec. c. 2. vit. Euseb. in libr. pontif.

c. XXI. que ab aliis perfici — aut fieri debet, sec. Innoc. I. ep. ad Dec. Eug. c. 3. (H. no. 6.)

Nam si aliter praesumptum — reputabuntur sacramenta, c. 2. Angilr. med. (Exempl. const. Symm. c. 3.) Cf. Luc. 5, Iul. 5.

De cetero fratres — confortati, II Cor. XIII. 11. Ps. XXXII. 1. Hebr. VI. 4. Coloss. I. 11.

ad pascua aeternae — domino valeatis, Greg. M. ep. XI. 1. (2, 1091.)

Gratia domini — cum omnibus nobis, II Cor. XIII. 13.

Not. cons. sec. c. 1. vit. Euseb. in libr. pontif.

c. I. Apostolici verba — supplitium legimus expedire, Coelest. I. ep. ad Vener. pr. (H. no. 33.) Cf. Sixt. I. pp. 6, Excerpt. Silv. 8.

1 *Sg. Bb. addit:* et, *Dst.* etiam. 2 *Sg.* tibi. 3 *Om. Sg.* 4 *Sg. Dst.* domini. 5 *Dst.* impleamini. 6 *Bb. Dst.* psalmis. *Sg.* spalmis. 7 *Bb. Dst.* psallentes. *Sg.* spallentes. 8 *Deest in Dst.* subiecti — Christi. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.*; *Bb.* XX. de inventio sancte crucis. 10 *In marg.:* de inventione sancte crucis. 11 *Sg. Dst.* maias. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb.*; *Dst.* XXI. de hereticis reconciliandis. 13 *In marg.:* de hereticos reconciliandum. 14 *Deest in Bb.* 15 *Dst.* gratiae. 16 *Cod. in marg.:* de manus impositione. 17 *Dst.* quod. 18 *Sg. Bb. Dst.* peracta. 19 *Sg.* reputatur. *Dst.* reputabitur. 20 *Dst.* vobis. 21 *Deest in Bb. Dst.* 22 *Bb.* Melciadis. 23 *Sg.* Epistola Melciadis papae. 24 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 25 *Dst.* Melchiades. 26 *Sg. Dst.* apostoli. 27 *Deest in Dst. Sg.* vero.

nos esse debere; hoc quisquis christianus est tota animi virtute custodit[1]. Quod cum ita sit, non parum periculi illi manere poterit ante deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exibere. Nam qualiter nos qui neminem perire volumus, ista contristent que auctoribus christianis percellunt animos christianos, dominicus in evangelio sermo testatur. Ait enim ipse salvator quod expediat scandalizanti unum de pusillis in maris profundum demergi. Ideo que sit eius iam paena quaeramus cui tale supplitium leginfus expedire. Quapropter ista, karissimi, valde sunt verba ponderanda et cavenda, ne pro temporalibus aeterna et pro caducis mansura et pro parvissimis[2] temporibus[3] perdantur, quod absit, perpetua gaudia. Unde vos rogamus et obsecramus ut nullus alteri noceat neque infestus aut nocens existat, sed iuxta apostolum alter alterius onera portet, ut legem Christi adimpleat; et nolite iudicare in invicem, sed iuxta eundem apostolum hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. II. Primo semper omnia diligenter inquirite, ut cum iustitia et veritate[5] definiatis. Neminem condempnetis ante verum et iustum iuditium. Nullum iudicetis suspitionis arbitrio, sed primum probate, et postea caritativam[6] proferte sententiam. Et quod vobis non vultis fieri, alteri facere nolite. Mementote sermonis domini semper, qui ait: Nolite iudicare, et non iudicemini[7]; nolite condempnare, ut non condempnemini[8]; in quo enim iuditio iudicaveritis, iudicabimini. Episcopos[9] nolite iudicare, nolite condempnare absque sedis huius auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra iuditia et vos condempnabimini. Hoc enim privilegium huic sanctae sedi a temporibus apostolorum statutum est servare, quod inlaesum[10] manet usque in hodiernum diem[11]. Episcopos ergo[12] quos sibi dominus[13] oculos elegit et columnas ecclesie esse voluit, quibus etiam ligandi et solvendi potestatem dedit, suo iuditio reservavit[14]. III. Atque hoc privilegium beato clavigero Petro sua vice solummodo commisit. Quod eius iuste praerogativum successit sedi, futuris hereditandum atque tenendum temporibus, quoniam et inter beatissimos apostolos fuit quaedam discretio potestatis, et licet cunctorum par electio foret, beato tamen Petro[16] concessum est ut aliis praemineret eorumque quae[17] ad quaerelam venirent causas et interrogationes prudenter disponeret[18]. Quod dei ordinatione taliter ordinatum esse[19] credimus, ne omnes posteriorum[20] cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores cause sicut sunt episcoporum et potiorum cure negotiorum ad unam beati principis apostolorum Petri sedem confluerent ut inde suscipiant finem iuditiorum, unde acceperunt initium institutionum, ne quandoque a suo discreparent capite. IV. Si vero se viderit quisquam vestrum praegravari, hanc sedem appellet, huc recurrat, ut semper instituta fuit consuetudo, quia et voluntarie eis conpatiemur et libenter prout dominus dederit amminiculum feremus. Nec a quoquam, fratres[22], inhibeatur aut obgurgetur qui nostra[23] consors communioni[24] esse voluerit, sed magis ei veniendi auxilium praestet, quia sufficit unicuique

[II. Ut nullus dampnetur ante verum et iustum iuditium neque iudicetur suspitionis arbitrio.][4]

[III. De privilegio beato Petro domini vice solummodo commisso et de discretione potestatis que inter apostolos fuit.][15]

[IV. Ut qui se viderit pregravari Romanam sedem appellet adque ad eam recurrat.][21]

ne pro temporalibus — mansura, conc. Aquisgr. a. 836. lib. I. c. 31. Cf. Marcelli 6.
alter alterius — Christi adimpleat, Gal. VI. 2.
hoc iudicate — vel scandalum, Rom. XIV. 13.
c. II. Primo semper — proferte sententiam, Ben. III. 259. (Isid. syn. lib. II. no. 85.)
Et quod vobis — facere nolite, Tob. IV. 16.
Nolite iudicare — caveritis iudicabimini, Matth. VII. 1. 2.
c. III. quoniam et inter — aliis praemineret, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 691.) Cf. Clem. 29, Anacl. 33, Iul. 9, Vigil. 7.
ne omnes posteriorum — a suo discreparent capite sec. c. 11. ep. cit. (1, 691. 692.) Cf. Pii 1, Calist. 1, Sixt. II. pp. 4, ep. Aegypt. ad Marc., Iul. 9, 17, Fel. IV. pp. ep. 1.
c. IV. quia sufficit — confirmetis in illo caritatem, II Cor. II. 6—8.

[1] *Dst.* custodiat. *Sic Sg. manu post. corr.* [2] *Dst.* pravissimis. [3] *Dst.* temporalibus. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [5] *Sg.* caritate. [6] *Sg. Bb. Dst.* caritative. [7] *Sg. Dst.* iudicabimini. [8] *Sg.* et non condemnabimini. [9] *Cod. et Dst. in marg.:* episcopos non iudicandos absque auctoritate Romane sedis. [10] *Sg.* illi. *In Dst. m. s. XII. additur:* incontaminatum. [11] *In Dst. additur m. s. XII:* et permanebit usque in finem. [12] *Om. Sg. Dst.* [13] *Sg. Bb. Dst. addunt:* tamquam. [14] *Sg. Bb.* reservabit. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [16] *Dst. in marg.:* a Christo proprie. [17] *Dst.* qui. [18] *In Dst. m. s. XII. additur:* et diffiniret. [19] *Om. Sg.* taliter ordinatum esse. *Manu post. add.* actum. [20] *Dst.* posteri eorum. *In Sg.* posteriorum *corr. post. manu in:* posteriores. [21] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [22] *Dst.* fratre. [23] *Sg. Bb. Dst.* nostrae. [24] *Sg. Bb. Dst.* communionis.

[V. Qui non sint suscipiendi in accusationem et quod sapiens non est qui nocet.][2]

que obgurgatio que fit a plurimis, ut iuxta apostolum magis donetis et consolemini, ne forte habundantiori tristitia[1] absorbeatur qui in angustia est. Propter quod obsecro vos, sicut ait ipse, ut confirmetis in illo caritatem. V. Eorum enim hos accussandi sacerdotes vel testificandi in eos obstruimus, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus, quoniam infidelis homo mortuus est in corpore vivente, nec[3] in suspitionem[4] veniat homo fidelis, ut dicat aut fatiat ea que pati non vult. Si quis fidelis est videat ne falsa loquatur aut cuiquam insidias ponat. Facile est ergo hominem fallere, non tamen deum. Sapiens non est qui nocet. Et nihil mali vult qui est fidelis, in his enim fidelem et infidelem hominem cognoscere possumus in nocendo et adiuvando, ut ipsa veritas ait: Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bona, et malus homo ex malo thesauro cordis sui profert mala; ex abundantia enim cordis hos loquitur. Pro nobis enim dicit dominus per prophetam: Eos vero qui iudicant vos, ego iudicabo. Et iterum ad servos[5] dixit[6]: Nolite timere obprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. De talibus quoque et propheta canit dicens: Non sic impii, sed tanquam pulvis quem proicit ventus, propterea non resurgent impii in iuditio neque peccatores in congregatione iustorum. Quoniam novit dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit. Quare turbate sunt gentes et plebes meditabuntur inania? Consurgent reges terrae, et principes tractabunt pariter adversus dominum et adversus Christum eius. Disrumpamus vincula eorum, et proiciamus a nobis laqueos eorum. Habitator celi ridebit[7], et dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbavit[8] eos[9]. Et alibi dixit: Scelus impii in medio cordis eius, non est timor dei ante oculos eius. Quoniam dolose egit adversus eum in oculis suis[10], ut inveniret iniquitatem eius[11] ad[12] odium. Verba oris eius iniquitas et dolus, cessavit cogitare ut benefaceret. Iniquitatem cogitat in cubili suo, stabit in via non bona, malum non abiciet. Domine[13], in celo misericordia tua, fides tua usque ad nubes, iustitia tua sicut montes dei[14], iuditium tuum abyssus multa. Homines et iumenta salvos facies, domine, quam pretiosa misericordia tua, deus. Et filii Adam in umbra alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur de pinguedine domus tuae et torrente delitiarum tuarum potabis eos. Quoniam tecum est fons vite, et[15] in lumine tuo videbimus lumen. Adtrahe misericordiam tuam scientibus te, et iustitiam tuam rectis corde. Non[16] veniat mihi pes superbie et manus impiorum non me commoveat[17], ibi ceciderunt operantes iniquitatem, expulsi sunt et non potuerunt surgere.

Audivimus a quibusdam fratribus quibus infesti eratis nimis, quod gurgia et discordiae sint inter vos. Propterea ista scripsimus vobis mandantes ut ita teneatis sicut ab apostolica sede vobis tenenda mandantur. Unde et dominus[18] in evangelio

c. *V. Eorum enim hos — mortuos esse scimus*, Ben. III. 440. (l. Visig. II. 4. 7. cf. quoque Ben. III. 322. et c. 28. Angilr.) Cf. Alex. 5, Steph. 13, Pelag. II. pp. ep. 3.

nec in suspitionem — que pati non vult, Xysti Pyth. I. 168. 169. Cf. Pii 6, Pont. 8.

Si quis fidelis — insidias ponat, cf. Calist. 4, Pont. 7.

Facile est ergo — non tamen deum, Xysti Pyth. s. 176. Cf. Alex. 18, Zeph. 9, Ant. 8, Corn. 6.

Sapiens non — nocet, eiusd. s. 292. Cf. Alex. 18, Corn. 6, Luc. 6.

Et nihil mali — fidelis, eiusd. s. 203. Cf. Alex. 18, Calist. 3, Pont. 6, Corn. 6.

Bonus homo — hos loquitur, Matth. XII. 34. 35.

Eos vero qui — ego iudicabo, Ies. XLIX. 25.

Nolite timere — eorum ne metuatis, Ies. LI. 7.

Non sic impii — iter impiorum peribit, Ps. I. 4—6. vers. Hieron.

Quare turbate — suo conturbavit eos, Ps. II. 1—5. vers. Hieron.

dixit: Scelus impii — non potuerunt surgere, Ps. XXXV. 1—13. vers. Hieron.

1 *Bb.* tristia. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 3 *Bb.* ne. 4 *Sg. Dst.* susceptionem. *In Sg. in marg. manu post. add.* vel in suspitionem. 5 *In Sg. manu post. add.* suos. 6 *Sg. Bb. Dst.* dicit. 7 *Sg. Dst.* deridebit. 8 *Bb.* conturbabit. 9 *Deest in Sg. Dst.* Tunc loquetur — conturbavit eos. 10 *Dst.* eius. 11 *Sg. Dst.* et. 12 *Deest in Sg. Dst.* 13 *Dst.* deus. *In Sg. manu post.* deus *corr. in:* domine. 14 *Sg. Bb. Dst.* quasi montes deus. 15 *Deest in Bb. Dst. In Sg. post. manu add.* 16 *Sg. Bb. Dst.* ne. 17 *Bb. Dst.* commoveant. 18 *In Sg. post. manu corr. in:* Ioannes.

militibus interrogantibus respondit dicens: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris. Concutit enim hominem qui illum iniuste conturbat. De his haec vobis interdum[1] suffitiant, si autem maioribus indigueritis, vice[2] comite[3] mittite, et mittentur[4] vobis.

[VI. De duobus sacramentis id est babtismo et manus episcoporum inpositione.][5]

VI. De his vero super quibus rogitastis[6] vos informari, id est[7] utrum maius esset sacramentum manus inpositio episcoporum aut baptismus[8], scitote utrumque magnum esse sacramentum. Et sicut unum a maioribus fit, id est a summis pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et maiori veneratione venerandum et tenendum est, sed ita coniuncta sunt haec duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte praeveniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest. Nam unum praeveniente morte salvare[9] sine altero potest, aliud autem non potest. Unde scriptum est: In diebus illis dicit dominus: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Advertamus summas divitias bonitatis. Quod in[10] confirmandis neofitis manus inpositio tribuit singulis, hoc tunc spiritus sancti descensio in credentium populos[11] donavit universis. Sed quia diximus[12] quod manus impositio et confirmatio[13] et qui iam regeneratus[14] in Christo est confirmare aliquid possit, forte cogitet sibi aliquis: Quid mihi prodest post misterium baptismatis ministerium[15] confirmantis? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione novi generis indigemus. Non ita, dilectissimi, adtendat caritas vestra. Sicut exigit[16] militaris ordo ut, cum imperator quemcumque[17] in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei[18] adiumentum militie. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat salutem, nisi providere studeat et tutorem? Itaque[19] paraclitus regeneratis in Christo custos et consolator et tutor est. Ideo dicit sermo divinus: Nisi dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam. Ergo spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit inlapsu, in fontem[20] plenitudinem tribuit[21] ad innocentiam, in confirmatione[22] augmentum prestat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, [23] in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur[24], ac si continuo transituris suffitiant[25] regenerationis beneficia, victuris[26] autem necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati saeculi recipiendos, confirmatio autem[27] armat et instruit ad agones mundi huius et prelia resservandos. Qui autem post baptismum cum adquisita innocentia inmaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia[28] non potest peccare post mortem.

[VII. Quid profuerit apostolis adventus spiritus sancti post passionem et resurreccionem Christi.][29]

VII. Hic si forte illud etiam requirere velimus, post passionem et resurrectionem Christi, quid apostolis profuerit adventus spiritus sancti, ipse dominus eis hoc evidenter[30] exponit. Quae dico, inquid, vobis, non potestis ea portare modo, cum

Neminem concutiatis — stipendiis vestris, Luc. III. 14.

c. *VI. De his vero super — ad superna et divina valeamus* (c. *VII.* i. f.), Euseb. hom. in die pentec.

[1] *Dst.* interim. *Sic Sg. quoque post. manu corr.* [2] *Bb.* vicem vestram (*al. m. s. XI. scriptum*). *Sg. Dst.* vita. [3] *Bb.* comitem (*al m. s. XI. scriptum*). [4] *Dst.* mittetur. [5] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.*; *Bb.* VI. Utrum sit maius sacramentum inpositione manus episcoporum aut baptismus. [6] *Sg. Dst.* recitastis. [7] *In marg.:* de manus inpositione episcoporum. [8] *Dst.* baptismum. [9] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [10] *Deest in Bb.* [11] *Sg. Bb. Dst.* populo. [12] *Bb. Dst.* dicimus. [13] *In marg.:* de baptismu et confirmatione. *In Dst. additur m. s. XII.* ad baptismi perfectionem pertineat. [14] *In Sg.* et qui iam regeneratus *manu post. corr. in:* ei qui iam renatus. [15] *Sg. Dst.* misterium. [16] *Sg. Dst.* eget. [17] *Sic corr.* quecumque *sec. Sg. Dst.* [18] *Sg.* dedisti (*manu post. add.* s) militi dei. [19] *Sg. Dst.* ita. [20] *In Sg. manu post. add.* ut. [21] *In Sg. manu post. corr. in:* tribuat. [22] *Bb.* informationis. [23] *Bb. ponit rubricam:* quod baptismum quodve manus inpositio faciat. [24] *Sic sec. Bb. Dst.* muniroboramur *corr. Sg.* renovamur. [25] *Dst.* sufficiunt. [26] *Sic corr. sec. Sg. Dst. Bb.* victoris. [27] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [28] *Bb. Dst.* qui iam. *Sg.* quia iam. [29] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [30] *Bb.* videnter.

autem venerit ille spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatem. Vides, quia cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele[1] ad prudentiam et constantiam dilatatur. Itaque ante descensionem[2] spiritus sancti usque ad negationem apostoli deterrentur, post visitationem vero eius usque ad martyrium contemptu salutis armantur, secundum haec per Christum redimimur[3], per spiritum vero sanctum dono sapientiae spiritalis inluminamur, hedificamur, erudimur, instruimur, consummamur, ut illa sancti spiritus voce[4] audire possimus: Intellectum dabo tibi et instruam te in via hac quam[5] ingredieris[6]. De spiritu sancto accepimus, ut spiritales efficiamur, quia animalis homo non percipit ea que sunt spiritus dei[7]. De spiritu sancto accipimus[8], ut sapiamus inter bonum malumque[9] discernere, iusta diligere, iniusta respuere, ut malitiae ac superbiae repugnemus, ut luxuriae ac diversis inlecebris et fedis indignisque[10] cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accipimus[11]: vite[12] amore et gloriae ardore[13] succensi divinitus[14] erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus. VIII. Ieiunium ergo[16] dominici diei et quinte ferie nemo celebrare debet, ut inter ieiunium christianorum et gentilium et veraciter credentium et infidelium atque hereticorum vera et non falsa discretio habeatur, unde scriptum est: Que pars Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli? Que autem participatio iustitiae cum iniquitate? Et iterum: Nolite iugum ducere cum infidelibus. De cetero, fratres, videte ne quis vos decipiat inanibus verbis neque per philosophiam et inanem fallatiam secundum traditionem[17] hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum, quia in Christo[18] habitat[19] omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, in quo et circumcisi estis[20] circumcisione[21] non manufacta in expoliatione corporis carnis, in circumcisione[22] Christi, consepulti ei in baptismo in quo resurrexistis per fidem operationis dei, qui suscitavit illum a mortuis et vos, cum mortui essetis in delictis[23] et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum vos[24] erat cirographum decreti[25], quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio et affigens illud cruci, expolians[26] principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Nemo ergo vos iudicet in cibo et[27] potu aut in parte diei festi aut neomeniae aut sabbatorum, que sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum[28] que non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae et non tenens capud, ex quo totum corpus per nexum et coniunctionem subministratum et constructum crescit in augmentum dei. Si[29] mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid[30] adhuc tamquam viventes in mundo decernitis[31]? Ne[32] tetigeritis neque gustaveritis neque contrectaveritis que sunt omnia in interitu[33] ipso usu secundum praecepta et doctrinas hominum, que sunt rationem quidem habentia sapientiae[34] in superstitione et humilitate, et ad non parcendum corpori, non in honore[35] aliquo ad saturitatem carnis. Igitur, si consurrexistis cum

[VIII. De ieiunio dominici diei et quinte feriae non celebrando.][15]

c. *VII*. *De spiritu sancto etc.* Cf. Urb. 11.
c. *VIII*. *Ieiunium — celebrare debet* sec. c. 2. vit. Melc. in libr. pontif.
Que pars Christi — ducere cum infidelibus, II Cor. VI. 15. 14.
De cetero fratres — aliquo ad saturitatem carnis, Coloss. II. 8—23.
Igitur si consurrexistis — deo et patri per ipsum, Coloss. III. 1—17.

[1] *Dst.* fides, *Sg.* tunc fides *pro* cor fidele. [2] *Sg.* dispensationem. [3] *Sg. Bb. Dst.* credimus. [4] *Sg. Dst.* illam s. s. vocem. [5] *Sg. Dst.* qua. [6] *Bb.* gradieris. [7] *Dst.* sancti. [8] *Sg. Bb. Dst.* accepimus. [9] *Dst.* et malum. [10] *Sg. Bb. Dst.* indigenisque. [11] *Sg. Bb. Dst.* accepimus. [12] *Dst.* ut eius. [13] *Dst.* amorem et gloriae ardorem. [14] *Sg. Bb.* ut; *deest* divinitus *in Dst.* [15] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.*; *Bb.* VIII. de ieiunio dominice et quinte feriae. [16] *In marg.:* dominico et quinta feria non ieiunandum. [17] *Sic corr.* traditionum *sec. Sg. Bb. Dst.* [18] *Sg. Bb.* ipso. [19] *Sg. Bb. Dst.* inhabitat. [20] *Deest in Bb.* circumcisi estis. [21] *Bb.* circumcisio. [22] *Bb.* circumcisionem. [23] *Sic sec. Sg. Bb. Dst.* delictis *corr.* [24] *Sg. Bb. Dst.* adversus nos. [25] *Sic corr.* decretis *sec. Sg. Bb. Dst.* [26] *Bb.* et spolians. [27] *Sg. Bb. Dst. add.* in. [28] *Dst. addit:* perfundere. [29] *Dst. addit:* ergo. [30] *Bb.* qui. [31] *Sg.* discernitis. [32] *Sg. Dst.* neque. [33] *Dst.* interitum. [34] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* sapientia. [35] *Sic corr.* omne re *sec. codd. cit.*

Christo, quae sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera dei sedens, que sursum sunt sapite, non que super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria; mortificate ergo menbra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam[1] et avaritiam que est simulacrorum servitus, propter que venit ira dei super filios incredulitatis. In quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnem[2] iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius et induentes novum, eius[3] qui renovatur in agnitionem[4] secundum imaginem eius qui creavit eum, ubi non est gentilis et iudeus, circumcisio et preputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. Induite ergo vos, sicut electi dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, subportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet quaerellam. Sicut et Christus donavit vobis, ita et vos; super omnia autem haec caritatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi vigeat in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum dei habitet in vobis habundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos[5] psalmis, hymnis et canticis spiritalibus in gratia cantantes in cordibus vestris deo[6]. Omne [7]quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite[7], gratias agentes deo et patri per ipsum. Vos, karissimi, nolite deficere benefacientes. Quod si aliquis fuerit qui non obedierit verbis apostolicis, hunc notate et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum aestimare, sed corripite ut fratrem. Deus autem pacis det vobis idipsum sapere in alterutrum et in omnes, et ipse sit semper vobiscum in omni loco. Amen. Data Kal. Martias Volusiano et Rufino viris clarissimis consulibus[8].

DE PRIMITIVA[9] ECCLESIA ET SINODO NICENA.[10]

IX. Nemo, qui scripturas divinas legit, ignorat quod[12] in principio nascentis ecclesiae discipulis[13] in unum congregatis[14] cum multitudine credentium, in quibus erat cor unum et anima una, quique vendentes predia et possessiones suas afferebant et[15] dividebantur singulis, prout cuique opus erat. Futuram namque ecclesiam in gentibus apostoli praevidebant, maximeque quia dominus illis predixerat: Euntes in mundum universum, praedicantes evangelium, vel quia expellendi erant[16] a Iudaea, noverant se[17] in gentibus dispersuri[18] ecclesiamque[19] congregandam ex rudi populo. Idcirco praedia in Iudaea minime sunt adepti, sed praetia tantummodo ad fovendos egentes. At vero cum inter turbines et adversa mundi succresceret ecclesia, adeo usque pervenit ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui paene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta

[IX. De primitiva ecclesia et sinodo Nicena.][11]

Vos karissimi — sed corripite ut fratrem, II Thess. III. 13—15.
Deus autem pacis — in omni loco, Rom. XV. 5.
Not. cons. sec. c. 1. vit. Melc. in libr. pontif.
c. IX. *quod in principio nascentis ecclesiae* sec. conc. Par. a. 829. lib. I. c. 15. aut conc. Aquisgr. a. 836. lib. III. c. 21.
cum multitudine — cuique opus erat, act. apost. IV. 32. 34. 35.
Euntes in mundum — praedicantes evangelium, Marc. XVI. 15.

1 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* mala. 2 *Bb. Dst.* omnia. 3 *Sg. Bb. Dst.* eum. 4 *Sg.* agnicione. 5 *Sg. Bb. Dst. addunt:* in. 6 *Sg.* domino. 7 *Deest in Sg. Dst.* 8 *Bb. addit:* Explicit. 9 *Bb.* pritiva. 10 *Inscriptio deest in Dst. In Sg.* de Constantino imperatore. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA, in quo invenitur inscriptio:* Epistola secunda Melciadis papae. *In Bb. sol. num. Num. et rubr. deest in Dst.* 12 *Dst.* quia. 13 *Bb. Dst.* discipuli. 14 *Bb. Dst.* congregati sunt. 15 *Dst. addit:* pretia. 16 *Dst.* expellendos esse. 17 *Sg.* sed. *Bb. Dst. addunt:* et. 18 *Dst.* dispergendos. *In Sg.* dispersuri *corr. in:* dispergendi. 19 *Sg.* ecclesiam.

[X. De Constantino imperatore qui primus licentiam dedit per universum orbem non solum fieri christianos, set etiam constituit fabricare ecclesias et praedia tribuere et de honore quem contulit beato Petro.][1]

[XI. Qualiter Constantinus in Nicena sinodo sit adlocutus episcopos.][10]

[XII. Quo tempore viri religiosi, reges et praesides ac magistratus se ipsos domino consecrarunt et suas edificandas basilicas in suis fundis.][16]

concurrerent. X. E[2] quibus vir religiosissimus, Constantinus primus, fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem suo degentes[3] imperio non solum fieri christianos, sed etiam fabricandas[4] ecclesias et predia tribuenda[5] constituit. Denique idem prefatus princeps donaria inmensa et fabricam templi prime sedis beati Petri principis apostolorum[6] instituit, adeo ut sedem imperialem, quam[7] Romani principes praesiderant, relinqueret et beato Petro suisque praesulibus profutura[8] accederent[9]. XI. Idem vero praesidens sancta[11] synodo, qui[12] aput Niceam congregata est, cum querelam quorumdam conspiceret coram se dilaturam[13], ait: Vos a nemine diiudicare[14] potestis, quia[15] solius dei iuditium reservamini, dii etenim vocati estis. Idcirco non potestis ab hominibus iudicari. XII. Ab illo etenim tempore et deinceps, viri religiosissime[17] non solum possessiones et praedia quae posséderant, sed etiam semetipsos domino[18] consecrarunt, aedificantes basilicas in suis fundis, in[19] honore[20] sanctorum martyrum, per civitates hac monasteria innumera, in quibus caetus domino servientium conveniret. Denique reges et praesides ac magistratus non solum hanc licentiam adtributi[21], sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes qui nihil in mundo possidebant, ecclesieque dei[22] fabricarentur atque restaurarentur deoque et ecclesiae eius rite famulantium servorumque[23] illius subplementa absque necessitate tribuerentur, ut haec accipientes secundum monita apostoli possint[24] orationes, postulationes, obsecrationes gratiarumque actiones fieri[25] pro omnibus hominibus, pro regibus et qui in sublimitate sunt, ut quiaetem[26] et tranquillam vitam habeant, et hoc bonum et acceptum esse coram deo. Ideo[27] magister gentium protestatur et cui sollicitudo[28] omnium ecclesiarum incumbebat[29] quique episcopos[30] regere per spiritum sanctum constituit ecclesiam dei, quibus ait: Pascite qui in vobis est gregem dei, providentes non quoacte, sed sponte secundum deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; cui enim dicat[31]: Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus? XIII. Que enim sint[33] negotia secularia, sancti[34] canones manifestant et inhibent perspicue[35], quod quidam qui in clero videntur electi propter lucra turpia conductores alienarum possessionum[36] fiant, et saecularia negotia sub cura sua suscipiant, dei quidem ministerium parvipendentes, secularium vero discurrentes domos et propter avaritiam patrimoniorum sollicitudinem sumentes. XIV. Decrevit supradicta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere aut negotiis saecularibus se miscere praeter pupillorum et orfanorum aut[38] viduarum aut si forte episcopus civitatis, ecclesiasticarum[39] rerum sollicitudinem habere praecipiat, ut[40] liquido patet, quia alia sunt negotia saecularia, alia ecclesiastica.

[XIII. De secularibus negociis inhibendis secundum canones.][32]

[XIV. Quod Nicena sinodus decernat, nullum clericum aut possessiones ducere aut negociis secularibus se miscere.][37]

c. X. *E quibus — profutura accederent* sec. exempl. constit. domni Constantini. c. XI. *Vos a nemine — ab hominibus iudicari*, Ruf. hist. eccl. I. 2. aut Ben. I. 315. c. XII. *orationes, postulationes — esse coram deo*, I Tim. II. 1—3. *sollicitudo — incumbebat*, II Cor. XI. 28. *quique episcopos — ecclesiam dei*, act. apost. XX. 28. *Pascite qui in — sed voluntarie*, I Petr. V. 2. *Cui enim dicat — sollicitudinem habere praecipiat* (c. XIV.), conc. Par. a. 829. lib. I. c. 28.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit numerum. Sol. num. in Bb.* 2 *Sic corr.* vel *sec. Sg. Bb. Dst.* 3 *Bb.* degens. 4 *Sg. Bb.* fabricandi. 5 *Sg.* praevendi, *post. manu corr. in:* praebendo *pro* predia tribuenda. 6 *Om. Sg.* donaria inmensa — principis apostolorum, *quod in Dst. manu s. XII. add.* 7 *Sg. Dst.* qua. 8 *Sg. Dst.* profuturam. 9 *Sg. Bb. Dst.* concederet. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 11 *Sg.* sanctae. 12 *Sg. Bb. Dst.* que. 13 *Sg. Bb.* delaturam. *Dst.* delatam. 14 *Sg. Bb. Dst.* diiudicari. 15 *Sg. Dst.* qui ad. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* XI. Quod episcopi a nemine iudicari possunt. 17 *Sg. Dst.* religiosi. 18 *Sic corr.* dominus *sec. Sg. Bb. Dst.* 19 *Sg.* ut, *post. manu corr. in:* ad. 20 *Sg.* honorem. 21 *Dst.* tribuere. *In Sg.* attributi *post. manu corr. in:* attribuunt. 22 *Deest in Bb. Dst. Sg.* 23 *Dst.* famulantibus servisque. 24 *Sg. Dst.* possent. 25 *Sg. Bb. Dst.* facere. 26 *Sg. Bb. Dst.* quietam. 27 *Sg. Bb. Dst.* idem. 28 *Sic corr.* oblitudo *sec. ceter.* 29 *Sic corr. sec. Sg. Dst.* incumbeat. 30 *Sg. Dst.* episcopis. 31 *Deest in Dst.* cui enim dicat. 32 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* 33 *Bb. Dst.* sunt. 34 *Deest in Sg. Dst.* 35 *Bb.* dum perspicuum docent. *Sg. Dst.* dum perspiciunt. 36 *Bb.* passionum. 37 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 38 *Sg. Dst.* ac. 39 *Dst.* eclesiarum. *In Sg. manu post. add.* ei. 40 *Sg. Bb. Dst.* ubi.

XV. Nonne Moses in saeculo erat, cum crebro tabernaculum intraret[2] et exiret, qui intus contemplatione[3] raptus foris infirmantium negotiis urgebatur[4], intus dei archana considerans, foris onera carnalium portabat? Cuius typum sacerdotes in ecclesia agere debent, ut dum foras exeunt ad exercenda negotia pro necessitatibus subditorum, intus[5] ad se redeant per contemplationem mandatorum, sicutque[6] Paulus, qui celestibus secretis interitur et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur. Sic et Iacob ascendentes et descendentes angelos vidit, quia videlicet rectores ecclesiae non solum deo[7] contemplando superna appetunt, sed deorsum quoque ad menbra illius miserando descendunt. Et dum sacerdotes horum facta imitantur et se custodiunt et subditorum onera portant et videntur tales esse, quales idem egregius[8] praecepit, ut qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur, et qui gaudent tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non possidentes. [XV. De Moyse qui crebrum in tabernaculum intrabat et exiebat. De Iacob qui vidit ascendentes et descendentes angelos.][1]

INCIPIT EXEMPLAR[9] DOMNI CONSTANTINI IMPERATORIS.

I. In nomine sanctae et individuae trinitatis, patris scilicet et filii et spiritus sancti, imperator Cesar FLAVIUS CONSTANTINUS, in Christo Iesu uno ex eadem sancta trinitate salvatore domino deo nostro fidelis, mansuetus, maximus[11] beneficus, Alemannicus, Goticus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Unicus[12] pius, felix, victor ac triumphator, semper augustus sanctissimo ac beatissimo patri patrum[13] SILVESTRO, urbis Romae episcopo et papae, atque omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem saeculi sessuri sunt, pontificibus, nec non et omnibus reverentissimis et deo amabilibus catholicis episcopis eidem sacrosanctae Romane ecclesiae per hanc nostram imperialem constitutionem[14] subiectis in universo orbe terrarum, nunc et in posteris cunctis retro temporibus constitutis gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia, a deo patre omnipotente et Iesu Christo filio eius et spiritu sancto cum omnibus vobis. [I. De fide Constantini quam suscepit docente Silvestro universali papa.][10]

Ea quae salvator et redemptor noster, dominus noster Iesus Christus, altissimi patris filius, per suos sanctos apostolos Petrum et Paulum, interveniente patre nostro Silvestro, summo pontifici[15] et universali papa mirabiliter operari dignatus est, liquida enarratione, per huius nostre imperialis institutionis paginam, ad agnitionem[16] omnium populorum in universo orbe terrarum nostra studuit propagare mansuetissima serenitas. Primum quidem fidem nostram, quam a praclato beatissimo patre et oratore nostro Silvestro universali pontifice docti[17] sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes et ita demum dei misericordiam super nos diffusam adnuntiantes. Nosse enim vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam iussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris[18] mutis et surdis manufactis, diabolicis compositionibus atque ab omnibus satane pompis recessisse et ad integram christianorum fidem quae est vera lux et vita perpetua pervenisse, credentes iuxta id quod nos idem almificus, summus pater et doctor noster Silvester instruxit[19] pontifex, in deum

c. XV. *Nonne Moses in — carnalium cubile perscrutatur*, Greg. M. ep. I. 25. (2, 512.)
Sic et Iacob ascendentes — miserando descendunt, ibid.
qui utuntur hoc — tanquam non possidentes, I Cor. VII. 31. 30.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 2 *Dst.* intrasset. 3 *Sg. Bb. Dst.* in contemplationem. 4 *Bb. Dst.* urguebatur. *In Sg. manu post. corr. in:* urgebatur. 5 *Sg.* inter, *manu post. corr. in:* interius. 6 *Sg. Bb. Dst.* sicut. 7 *Sg.* deum. 8 *In Sg. manu post. add.* praedicator. 9 *Dst.* exemplaria. *Sg.* Epistola Constantini imperatoris ad Silvestrum papam. 10 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Bb.* de constantin . . . *Num. deest.* 11 *Deest in Dst.* 12 *Sg. Bb.* hunicus, *Dst.* hunnicus. 13 *Deest in Dst.* 14 *Sic post. manu in Sg.* constructionem *corr.* 15 *Sg. Bb. Dst.* pontifice. 16 *Sg. Dst.* imaginem. 17 *Sg. Bb. Dst.* edocti. 18 *In Sg. manu post. add.* que. 19 *Sg. Dst.* instruit.

patrem omnipotentem, factorem caeli et terre, visibilium omnium et invisibilium, et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, per quem creata sunt omnia[1], et in spiritum sanctum dominum et vivificatorem universae creaturae.

[II. De confessione sancte trinitatis Constantini imperatoris.][2]

II. Hos[3] patrem et filium et spiritum sanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis, pater deus, filius deus et spiritus sanctus deus, et tres unum sunt in Iesu Christo. Tres itaque formae, sed una potestas. Nam sapiens retro[4] semper deus edidit ex se, per quod semper[5] erant gignenda saecula, verbum[6]. Et quando eodem solo suae sapientiae verbo universam ex nichilo formavit creaturam, cum eo erat cuncta suo archana[7] componens mysterio, igitur perfectis caelorum virtutibus et universis terrae materiis pio sapientiae sue nutu ad imaginem et similitudinem suam primum inde[8] limo terrae fingens hominem hunc[9] in paradiso posuit voluntatis[10]. Quem antiquus serpens et hostis invidens diabolus per amarissimum ligni vetitum[11] gustum, exulem ab eisdem effecit gaudiis, eoque expulso non desinit sua venenosa multis modis protelare iacula, ut a via veritatis humanum adtrahens[12] genus idolorum culture, videlicet creaturae et non creatori deservire suadeat, quatenus per hos[13] eos[14] quos suis voluerit[15] inretire insidiis, secum aeterno efficiat[16] concremandos supplicio. Sed deus noster, misertus plasme suae, dirigens sanctos suos prophetas, per quos lumen futurae vitae[17], adventum videlicet filii sui domini dei et salvatoris nostri[18] Iesu Christi adnuntians[19] misit eundem unigenitum suum filium et sapientiae verbum. Qui descendens de caelis propter nostram salutem, natus de spiritu sancto ex Maria virgine, verbum caro factum est et habitavit in nobis, non amisit quod fuerat, sed coepit esse quod non erat. Deum perfectum et hominem perfectum[20] ut deus mirabilia perficiens et ut homo humanas passiones sustinens, ita verbum[21] hominem et verbum domini[22] predicante patre nostro Silvestro summo pontifice intellegimus, ut verum deum[23], verum hominem fuisse nullo modo ambigamus. Electisque duodecim apostolis, miraculis coram eis et innumerabilis populi multitudine choruscavit. Confitemur eundem dominum deum[24] Iesum Christum et implesse legem et prophetas, passum, crucifixum secundum scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, adsumptum in caelos atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, cuius imperio[25] non erit finis. Hec[26] enim fides nostra ortadoxa[27] a beatissimo patre nostro Silvestro summo pontifice nobis prolata.

[III. Exortatio Constantini ut omnes nationes hanc fidem teneant quam ipse suscepit.][28]

III. Exortantes[29] idcirco omnem populum et diversas gentium nationes hanc fidem tenere, colere et[30] praedicare et in sanctae trinitatis nomine babtissime[31] gratiam consequi, et dominum Iesum Christum salvatorem[32], qui cum[33] patre et spiritu sancto per[34] infinita[35] vivit et regnat saecula. Quem Silvester beatissimus pater[36] noster universalis praedicat pontifex corda devoto adorare.

[IV. Qualiter Constantinus sit a lopra mundatus.][37]

IV. Ipse enim dominus deus noster misertus mihi peccatori, misit sanctos suos apostolos ad visitandum nos, et lumen sui splendoris infulsit nobis, et abstracte[38] a tenebris ad veram lucem et agnitionem veritatis me pervenire gratulamini. Nam dum valida squaloris lepra tota[39] mei corporis invasisset carnem et multorum medicorum

[1] *Sg. Dst.* omnia facta sunt *pro:* creata sunt omnia. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [3] *Bb. Dst.* Nos. *Sg.* Hoc est. [4] *Om. Dst.* [5] *Deest in Dst.* [6] *Pro* Nam — verbum *Sg.* Nam deus semper sapiens edidit ex semper quod deus semper gignenda saecula verbum, *quae manu post. corr. in:* nam deus semper sapiens edidit ex se per quod semper erat gignenda ad saecula verbum. [7] *Sg. Bb. Dst.* archano. [8] *Sg. Bb. Dst.* de. [9] *In Sg. manu post. add.* que. [10] *Sg. Bb. Dst.* voluptatis. [11] *Sg. Bb. Dst.* vetiti. [12] *Sg. Bb. Dst.* abstrahens. [13] *Bb.* os, *Dst.* hoc. *In Sg.* os *manu post. corr. in:* hoc. [14] *Bb.* eis. [15] *Dst.* potuerit. *Sg.* valuerit. [16] *Sg. Bb. Dst.* afficiat. [17] *Bb. Dst. add.* ad, *in Sg. manu post. delet.* [18] *Om. Sg.* [19] *Dst.* annunciaret. [20] *In Sg. manu post. corr.* deus perfectus et homo perfectus. [21] *Bb. Dst.* verum. [22] *Bb. Dst.* verum deum. [23] *Om. Sg.* praedicante patre — ut verum deum. [24] *Sg. Bb. Dst.* nostrum. [25] *Sg.* imperio, *post. manu corr. in:* imperii. [26] *Sg. Bb. Dst. add.* est. [27] *Ceteri:* orthodoxa. [28] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [29] *Dst.* Exhortamur. [30] *Sg.* ac. [31] *Sg. Bb. Dst.* baptismi. [32] *Sg. Dst. add.* nostrum. [33] *Sg. add.* deo. [34] *Deest in Bb.* [35] *Bb.* in. [36] *Om. Sg. Dst.* [37] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [38] *Sg. Bb. Dst.* abstractum. [39] *Codd. cit.* totam.

convenientium cura adhiberetur, nec unius[1] quidem[2] promerita[3] in[4] salutem, ad haec advenerunt sacerdotes Capitolii dicentes, mihi debere fieri fontem in Capitolio et compleri hunc innocentium sanguine calente et in eo loco me posse mundari. Et secundum eorum dicta adgregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactare[5] et ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lacrimas matrum eorum, ilico exorrui facinus miseratusque[6] eis proprios[7] illis restitui praecepimus filios suos, datisque vehiculis et donis concessis gaudentes ad propria relaxavimus.

Eadem igitur transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli sanctus Petrus et Paulus, dicentes mihi: Quoniam flagiciis posuisti terminum et effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo domino deo nostro dare tibi sanitatis recuperande consilium. Audi ergo monita nostra et fac quodcumque indicamus tibi. Silvester, episcopus civitatis, ad montem Soractam[8] persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis clericis latebras fovet: hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet[9], in qua dum te[10] tertio merserit, omnis te valetudo ista deseret lepre. Quod dum[11] factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes iussu tuo per totum orbem ecclesiae restaurentur. Te autem ipsum in ac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorum deum vivum et verum, qui solus est et verus, adores et excolas, ut ad eius voluntatem adtingas. Exurgens igitur a somno, protinus iuxta id quod a sanctis apostolis admonitus sum, peregi advocatoque eodem praecipuo et[12] magnifico patre et inluminatore nostro Silvestro, universali papa, omnia a sanctis apostolis mihi praecepta dixi verba, percunctatique eum sumus, qui isti dii essent Petrus et Paulus. Ille vero non eos deos vere dici, sed apostolos salvatoris nostri domini dei Iesu Christi respondit[13]. Et rursum interrogare coepimus eundem beatissimum papam, utrum istorum[14] apostolorum imaginem expressam haberet, ut ex pictura disceremus hos esse quos[15] revelatio docuerat. Tunc isdem venerabilis pater imagines eorundem apostolorum per diaconem suum exhiberi praecepit, quas dum aspicerem et eorum, quos in somno videram figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapibus meis confessus sum eos esse quos in somno videram. Ad hec beatissimus hisdem Silvester pater noster, urbis Romae episcopus, indixit nobis penitentiae tempus intra palatium nostrum Lateranense, in uno cilitio, ut omnia quae a nobis impie peracta atque iniusta[16] disposita fuerant, vigiliis, ieiuniis atque lacrimis et orationibus apud dominum deum nostrum Iesum Christum salvatorem impetraremus. Deinde per manus inpositionem clericorum usque ad ipsum praesulem veni, ibique adrenuntians[17] satane, pompis et operibus eius vel universis idolis manufactis, credere me in deum patrem omnipotentem, factorem caeli et terre, visibilium omnium[18] et invisibilium, et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, qui coeptus[19] est de spiritu sancto et Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum: benedictoque fonte illic me trina mersione unda salutis purificavit. Positoque me in fontis gremio manu[20] de celo me contingente[21] propriis vidi oculis. De qua mundus exurgens ab omni me lepre squalore mundatum agnoscite. V. Levatoque me de venerabili fonte indutus vestibus candidis septiformis spiritus sancti in me[22] consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, et vexillum sanctae crucis in mea fronte linivit dicens: [23]Signat te deus sigillo[24] fidei suae, in nomine patris et filii et spiritus sancti, in consignatione fidei. Cunctusque clerus respondit[25]: Amen.

[V. De consignatione septiformis spiritus sancti adhibita Constantino per Silvestrum papam.]

1 *Dst.* ullius. 2 *In Dst. m. s. XII. additur:* momenti. 3 *Bb.* promeruit, *Sg. Dst.* promerui. 4 *Deest in Sg. Dst.* 5 *Bb. Dst.* mactari, *in Sg.* mactari *manu post. corr. in:* mactare. 6 *Sg. Bb.* misertusque. 7 *Bb.* protinus. 8 *Sg. Dst.* Soracten. 9 *Sic manu post. in Sg.* ostendat *corr.* 10 *Deest in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst.* cum. 12 *Bb. addit:* ut. 13 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 14 *Sg. Bb. Dst.* ipsorum. 15 *Sg. Bb.* hoc esse quod. 16 *Sg. Bb. Dst.* iniuste. 17 *Bb.* adnuntians. *Sg. Dst.* abrenuntians. 18 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 19 *Sg. Bb. Dst.* natus. 20 *Sg. Dst.* manum. 21 *Sg. Dst.* contingentem. 22 *Om. Sg. Dst.* in me. 23 *Bb. ponit rubricam:* Hic dicit quod episcopus dicere debet dum confirmat. 24 *Dst.* signaculo. 25 *Bb.* respondeat.

patrem omnipotentem, factorem caeli et terre, visibilium omnium et invisibilium, et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, per quem creata sunt omnia[1], et in spiritum sanctum dominum et vivificatorem universae creaturae.

[II. De confessione sancte trinitatis Constantini imperatoris.][2]

II. Hos[3] patrem et filium et spiritum sanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis, pater deus, filius deus et spiritus sanctus deus, et tres unum sunt in Iesu Christo. Tres itaque formae, sed una potestas. Nam sapiens retro[4] semper deus edidit ex se, per quod semper[5] erant gignenda saecula, verbum[6]. Et quando eodem solo suae sapientiae verbo universam ex nichilo formavit creaturam, cum eo erat cuncta suo archana[7] componens mysterio, igitur perfectis caelorum virtutibus et universis terrae materiis pio sapientiae sue nutu ad imaginem et similitudinem suam primum inde[8] limo terrae fingens hominem hunc[9] in paradiso posuit voluntatis[10]. Quem antiquus serpens et hostis invidens diabolus per amarissimum ligni vetitum[11] gustum, exulem ab eisdem effecit gaudiis, eoque expulso non desinit sua venenosa multis modis protelare iacula, ut a via veritatis humanum adtrahens[12] genus idolorum culture, videlicet creaturae et non creatori deservire suadeat, quatenus per hos[13] eos[14] quos suis voluerit[15] inretire insidiis, secum aeterno efficiat[16] concremandos supplicio. Sed deus noster, misertus plasme suae, dirigens sanctos suos prophetas, per quos lumen futurae vitae[17], adventum videlicet filii sui domini dei et salvatoris nostri[18] Iesu Christi adnuntians[19] misit eundem unigenitum suum filium et sapientiae verbum. Qui descendens de caelis propter nostram salutem, natus de spiritu sancto ex Maria virgine, verbum caro factum est et habitavit in nobis, non amisit quod fuerat, sed coepit esse quod non erat. Deum perfectum et hominem perfectum[20] ut deus mirabilia perficiens et ut homo humanas passiones sustinens, ita verbum[21] hominem et verbum domini[22] predicante patre nostro Silvestro summo pontifice intellegimus, ut verum deum[23], verum hominem fuisse nullo modo ambigamus. Electisque duodecim apostolis, miraculis coram eis et innumerabilis populi multitudine choruscavit. Confitemur eundem dominum deum[24] Iesum Christum et implesse legem et prophetas, passum, crucifixum secundum scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, adsumptum in caelos atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, cuius imperio[25] non erit finis. Hec[26] enim fides nostra ortadoxa[27] a beatissimo patre nostro Silvestro summo pontifice nobis prolata.

[III. Exortatio Constantini ut omnes nationes hanc fidem teneant quam ipse suscepit.][28]

III. Exortantes[29] idcirco omnem populum et diversas gentium nationes hanc fidem tenere, colere et[30] praedicare et in sanctae trinitatis nomine babtissime[31] gratiam consequi, et dominum Iesum Christum salvatorem[32], qui cum[33] patre et spiritu sancto per[34] infinita[35] vivit et regnat saecula. Quem Silvester beatissimus pater[36] noster universalis praedicat pontifex corda devoto adorare.

[IV. Qualiter Constantinus sit a lepra mundatus.][37]

IV. Ipse enim dominus deus noster misertus mihi peccatori, misit sanctos suos apostolos ad visitandum nos, et lumen sui splendoris infulsit nobis, et abstracte[38] a tenebris ad veram lucem et agnitionem veritatis me pervenire gratulamini. Nam dum valida squaloris lepra tota[39] mei corporis invasisset carnem et multorum medicorum

[1] *Sg. Dst.* omnia facta sunt *pro:* creata sunt omnia. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [3] *Bb. Dst.* Nos. *Sg.* Hoc est. [4] *Om. Dst.* [5] *Deest in Dst.* [6] *Pro* Nam — verbum *Sg.* Nam deus semper sapiens edidit ex semper quod deus semper gignenda saecula verbum, *quae manu post. corr. in:* nam deus semper sapiens edidit ex se per quod semper erat gignenda ad saecula verbum. [7] *Sg. Bb. Dst.* archano. [8] *Sg. Bb. Dst.* de. [9] *In Sg. manu post. add.* que. [10] *Sg. Bb. Dst.* voluptatis. [11] *Sg. Bb. Dst.* vetiti. [12] *Sg. Bb. Dst.* abstrahens. [13] *Bb.* os, *Dst.* hoc. *In Sg.* os *manu post. corr. in:* hoc. [14] *Bb.* eis. [15] *Dst.* potuerit. *Sg.* valuerit. [16] *Sg. Bb. Dst.* afficiat. [17] *Bb. Dst. add.* ad, *in Sg. manu post. delet.* [18] *Om. Sg.* [19] *Dst.* annunciaret. [20] *In Sg. manu post. corr.* deus perfectus et homo perfectus. [21] *Bb. Dst.* verum. [22] *Bb. Dst.* verum deum. [23] *Om. Sg.* praedicante patre — ut verum deum. [24] *Sg. Bb. Dst.* nostrum. [25] *Sg.* imperio, *post. manu corr. in:* imperii. [26] *Sg. Bb. Dst. add.* est. [27] *Ceteri:* orthodoxa. [28] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [29] *Dst.* Exhortamur. [30] *Sg.* ac. [31] *Sg. Bb. Dst.* baptismi. [32] *Sg. Dst. add.* nostrum. [33] *Sg. add.* deo. [34] *Deest in Bb.* [35] *Bb.* in. [36] *Om. Sg. Dst.* [37] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [38] *Sg. Bb. Dst.* abstractum. [39] *Codd. cit.* totam.

convenientium cura adhiberetur, nec unius[1] quidem[2] promerita[3] in[4] salutem, ad haec advenerunt sacerdotes Capitolii dicentes, mihi debere fieri fontem in Capitolio et compleri hunc innocentium sanguine calente et in eo loco me posse mundari. Et secundum eorum dicta adgregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactare[5] et ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lacrimas matrum eorum, ilico exorrui facinus miseratusque[6] eis proprios[7] illis restitui praecepimus filios suos, datisque vehiculis et donis concessis gaudentes ad propria relaxavimus.

Eadem igitur transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli sanctus Petrus et Paulus, dicentes mihi: Quoniam flagiciis posuisti terminum et effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo domino deo nostro dare tibi sanitatis recuperande consilium. Audi ergo monita nostra et fac quodcumque indicamus tibi. Silvester, episcopus civitatis, ad montem Soractam[8] persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis clericis latebras fovet: hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet[9], in qua dum te[10] tertio merserit, omnis te valetudo ista deseret lepre. Quod dum[11] factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes iussu tuo per totum orbem ecclesiae restaurentur. Te autem ipsum in ac parte purifica, ut relicta omni superstitione idolorum deum vivum et verum, qui solus est et verus, adores et excolas, ut ad eius voluntatem adtingas. Exurgens igitur a somno, protinus iuxta id quod a sanctis apostolis admonitus sum, peregi advocatoque eodem praecipuo et[12] magnifico patre et inluminatore nostro Silvestro, universali papa, omnia a sanctis apostolis mihi praecepta dixi verba, percunctatique eum sumus, qui isti dii essent Petrus et Paulus. Ille vero non eos deos vere dici, sed apostolos salvatoris nostri domini dei Iesu Christi respondit[13]. Et rursum interrogare coepimus eundem beatissimum papam, utrum istorum[14] apostolorum imaginem expressam haberet, ut ex pictura disceremus hos esse quos[15] revelatio docuerat. Tunc isdem venerabilis pater imagines eorundem apostolorum per diaconem suum exhiberi praecepit, quas dum aspicerem et eorum, quos in somno videram figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapibus meis confessus sum eos esse quos in somno videram. Ad hec beatissimus hisdem Silvester pater noster, urbis Romae episcopus, indixit nobis penitentiae tempus intra palatium nostrum Lateranense, in uno cilitio, ut omnia quae a nobis impie peracta atque iniusta[16] disposita fuerant, vigiliis, ieiuniis atque lacrimis et orationibus apud dominum deum nostrum Iesum Christum salvatorem impetraremus. Deinde per manus inpositionem clericorum usque ad ipsum praesulem veni, ibique adrenuntians[17] satane, pompis et operibus eius vel universis idolis manufactis, credere me in deum patrem omnipotentem, factorem caeli et terre, visibilium omnium[18] et invisibilium, et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum, qui coeptus[19] est de spiritu sancto et Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum: benedictoque fonte illic me trina mersione unda salutis purificavit. Positoque me in fontis gremio manu[20] de celo me contingente[21] propriis vidi oculis. De qua mundus exurgens ab omni me lepre squalore mundatum agnoscite. V. Levatoque me de venerabili fonte indutus vestibus candidis septiformis spiritus sancti in me[22] consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, et vexillum sanctae crucis in mea fronte linivit dicens: [23]Signat te deus sigillo[24] fidei suae, in nomine patris et filii et spiritus sancti, in consignatione fidei. Cunctusque clerus respondit[25]: Amen.

[V. De consignatione septiformis spiritus sancti adhibita Constantino per Silvestrum papam.]

1 *Dst.* ullius. 2 *In Dst. m. s. XII. additur:* momenti. 3 *Bb.* promeruit, *Sg. Dst.* promerui. 4 *Deest in Sg. Dst.* 5 *Bb. Dst.* mactari, *in Sg.* mactari *manu post. corr. in:* mactare. 6 *Sg. Bb.* misertusque. 7 *Bb.* protinus. 8 *Sg. Dst.* Soracten. 9 *Sic manu post. in Sg.* ostendat *corr.* 10 *Deest in Bb.* 11 *Sg. Bb. Dst.* cum. 12 *Bb. addit:* ut. 13 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 14 *Sg. Bb. Dst.* ipsorum. 15 *Sg. Bb.* hoc esse quod. 16 *Sg. Bb. Dst.* iniuste. 17 *Bb.* adnuntians. *Sg. Dst.* abrenuntians. 18 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 19 *Sg. Bb. Dst.* natus. 20 *Sg. Dst.* manum. 21 *Sg. Dst.* contingentem. 22 *Om. Sg. Dst.* in me. 23 *Bb. ponit rubricam:* Hic dicit quod episcopus dicere debet dum confirmat. 24 *Dst.* signaculo. 25 *Bb.* respondeat.

Et adiecit praesul: Pax tibi. Prima itaque die post perceptum sacri baptismatis mysterium et post curationem corporis mei a lepre squalore agnovi non esse alium deum nisi patrem et filium et spiritum sanctum, quem beatus[1] Silvester papa praedicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dii gentium quos usque actenus colui, demonia[2], opera hominum manufacta conprobantur. Etenim quantam potestatem isdem salvator noster suo apostolo beato Petro contulerit in celo ac terra, lucidissime nobis isdem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens ait: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et porte inferi non praevalebunt adversus eam. [3]Advertite potententes et aure cordis intendite, quid bonus magister et dominus suo discipulo adiunxit, inquiens: [4]Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et[5] in caelis, et cetera[6]. Mirum est hoc valde et gloriosum in terra ligare et solvere, et[7] in caelo ligatum et[8] solutum esse. Et dum haec praedicante beato Silvestro agnoscere[9] et[10] beneficiis ipsius beati Petri integre me sanitati comperi restitutum[11], utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano gloriae imperii subiacenti, ut sicut in terris vicarius filii dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices principatus, potestatem amplius quam terrenam imperialis nostrae serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio optineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel eius vicarios firmos apud deum esse patronos, et sicut nostra est terrena imperialis potentia, eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare et amplius quam nostrum imperium et terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quattuor praecipuas sedes Antiocenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolimitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum dei ecclesias. Et pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et eius iudicio quaeque ad cultum dei vel fidei christianorum stabilitatem procuranda fuerint disponantur, iustum quippe est ut ibi lex sancta capud teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor salvator noster beatum Petrum apostolatus optinere praecepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens beate mortis sumpsit poculum suique magistri et domino imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor, beatus Paulus apostolus, pro Christo extenso collo martyrio coronatus est, illic usque in finem quaerant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus et ibi proni ac humiliati caelesti regis dei salvatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum, per totum orbem terrarum construxisse nos intra palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino Iesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, et duodecim nos sciatis de eius fundamentis secundum numerum duodecim apostolorum cophinos terrae onestatos propriis asportasse humeris, quam sacrosanctam ecclesiam capud et verticem montium omnium ecclesiarum universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac praedicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta statuimus. Construximus itaque ecclesias beatorum Petri et Pauli, primorum apostolorum, quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes thecas ipsorum ex electro cui nulla fortitudo praevalet elementorum construximus, et crucem ex auro purissimo et gemmis pretiosis per singulas

[1] *Sg.* beatissimum. [2] *Sg. add.* et. [3] *Bb. ponit rubricam:* de clavibus regni celestis. [4] *Sg. Bb. Dst. addit:* Et tibi dabo claves regni caelorum et. [5] *Om. Sg. Dst.* [6] *Sg. Bb. Dst. add.* et quodcumque solverit (*Bb. Dst.* solveris) super terram, erit solutum in caelis *pro:* et cetera. [7] *Om. Sg. Dst.* [8] *Sg.* vel. [9] *Sg. Dst.* agnoscerem. [10] *Dst.* ex. [11] *Sg. Dst.* redditum. *Deest in Bb. Cetera usque ad finem in Sg. Bb. Dst. desiderantur.*

eorum thecas posuimus et clavis aureis confiximus. Quibus pro concignatione luminariorum posessionum praedia contulimus et rebus diversis[1] eas ditavimus, et per nostram imperialem iussionem sacram[2] tam in Oriente quam in Occidente vel etiam septentrionali et meridiana plaga, videlicet in Iudea, Gretia, Asia, Tracia, Africa et Italia vel diversis insulis nostra largitate[3] eis concessimus, ea prorsus ratione ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri pontificis successorumque omnia disponantur. Gaudeat enim una nobiscum omnis populus et gentium nationes in universo orbe terrarum exortantes omnes, ut deo nostro et salvatori Iesu Christo inmensas una nobiscum referatis gratias, quam ipse deus in caelis desuper et in terra deorsum, qui nos, per suos sanctos visitans apostolos, sanctum baptismatis sacramentum percipere et corporis sanitate dignos efficit, pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis, dominis meis beatissimis Petro et Paulo, et per eos etiam beato Silvestro[4] patri nostro summo pontifici et universali urbis Romae papae et omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri apostoli erunt sessuri, atque de praesenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense quod omnibus in toto orbe terrarum prefertur atque praecellit palatiis, deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri simulque pallium frigium, necnon et superhumerale, videlicet lorum qui imperiale circumdare adsolet collum, verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta, seu et dignitatem imperialium praesidentium equitum, conferentes etiam et imperialia sceptra[5], simulque et cuncta signa atque banta[6] etiam et diversa ornamenta imperialia et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostrae.

Viris enim reverentissimis, clericis diversis ordinibus eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae servientibus illud culmen, singularitatem, potentiam et praecellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici necnon et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantibus decorari. Et sicut imperialis militia, ita et cleros sanctae Romanae ecclesiae ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis cubiculariorum, nempe et ostiariorum atque omnium et excubiorum ornatu, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus, et ut amplissima pontificalis decus profulgeat, decernimus et hoc ut clerici eiusdem sanctae Romanae ecclesiae mappulis et linteaminibus, id est candidissimo colore decorari equos et ita equitari. Et sicut noster senatus calciamentis utitur cum udonibus, id est candido linteamine inlustrari, ut sicut caelestia, ita et terrena ad laudem dei decorentur. Pre omnibus autem licentiam tribuentes ipso sanctissimo patri nostro Silvestro[4], urbis Romae episcopo et papae et omnibus, qui post eum in successum et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus pro honore et gloria Christi dei nostri in eadem magna dei catholica et apostolica ecclesia, ex nostro indicto[7] quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus praesumentem superbe agere. Decrevimus itaque et hoc, ut hisdem venerabilis pater noster Silvester, summus pontifex vel omnes eius successores pontifices diadema, videlicet coronam quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem dei pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus quam gerit ad gloriam beati Petri omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, frigium vero candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris posuimus et tenentes frenum aequi illius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus, statuentes eodem frigio omnes eius successores singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni

[1] *Cod.* diversas. *Text. corr. sec. edit. Mansi* (2, 608). [2] *Sic Mansi l. c. Cod.* iussionum sacras. [3] *Sic Mansi l. c. Cod.* largitatem. [4] *Sic Mansi l. c. Cod.* Silvestrio. [5] *Sic Mansi l. c. Cod.* scripta. [6] *Sic Mansi. Cod.* contra atque signa banda. [7] *Sic Mansi. Cod.* inditu.

imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romane urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates sepe fato beatissimo pontifici nostro Silvestro universali papae contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et dictione firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque iurae sanctae Romanae ecclesiae concedimus permansurum. Unde congruum prospeximus nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus et in Bizantiae provintia in obtimo loco nomini nostro civitatem aedificari et nostrum illic constitui imperium, quoniam ubi principatus sacerdotum et christiane religionis capud ab imperatore caelesti constitutum est, iustum non est ut illic imperator terrenus habeat potestatem; haec vero omnia quae per hanc nostram imperialem sacram et per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi inlibata et inconcussa permanenda decernimus. Unde coram deo vivo, qui nos regnare praecepit, et coram terribili eius iudicio obtestamus per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes nostros successores, imperatores vel cunctos obtimates, satrapes, etiam amplissimum senatum et universum populum in toto orbe terrarum, nunc et in posterum cunctis recto temporibus, imperio nostro subiacentem, nulli eorum quoquemodo licere haec quae a nobis imperiale sanctione sacrosanctae Romanae ecclesiae vel eius omnibus pontificibus concessa sunt, refragare aut confringere vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, aeternis condempnationibus subiaceat innodatus, et sanctos dei principes apostolorum Petrum et Paulum sibi in praesenti et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo et omnibus deficiat impiis. Huius vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus beati Petri principis apostolorum posuimus, ubique eidem apostolo spondentes nos cuncta inviolabiliter conservare et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinqui, patri nostro Silvestro summo pontifici et universali pape eiusque cunctis successoribus pontificibus domino deo et salvatore nostro Iesu Christo annuente tradimus perenniter atque feliciter possidenda. Et subscriptio imperialis: Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi ac beatissimi patres. Datum Rome sub tertio die Kal. April. domno nostro Flavio Constantino Augusto quater et Gallicano viris clarissimis consulibus.

QUO TEMPORE ACTUM SIT NICENUM CONCILIUM.[1]

Canones generalium conciliorum a temporibus Constantini coeperunt. In praecedentibus namque annis persecutione fervente, docendarum plebium, nisi quae a Romana praecesserunt sede, minime dabatur facultas. Inde christianitas in diversas hereses scissa est, quia non erat licentia episcopis in unum convenire nisi tempore supradicti imperatoris, ipse enim dedit facultatem christianis libere congregari. Sub hoc etiam sancti patres in concilio Niceno de omni orbe terrarum convenientes iuxta fidem evangelicam et apostolicam secundum post apostolos symbolum tradiderunt.

INCIPIT EPISTOLA VEL PRAEFATIO NICENI CONCILII.[2]

Beatissimo Silvestro in urbe Roma apostolicae sedis antistite, Constantino Augusto et Licinio Caesare, consulatu Paulini et Iuliani virorum clarissimorum, anno ab Alexandro millesimo tricesimo sexto mense Iunio, XIII. Kal. Iul. propter insurgentes hereses fides catholica exposita est apud Niceam Bithiniae, quam sanctam et reverentissima Romana complectitur et veneratur ecclesia[3], quippe quam

[1] *Desumtum ex cod. Sangerm.* 366, *cum quo codex, quo in anterioribus usus sum, Par.* 840 *int. suppl. lat. verbotenus concordat.* [2] *Desumtum ex eodem codice.* [3] *Cod. Par. int. suppl. lat.* 840: ecclesiae.

trecenti decem et octo patres mediantibus Victore atque Vincentio religiosissimis Romanae sedis presbiteris inspirante deo pro[1] destruenda[2] Arii venena protulerunt. Nam et nonnullae regulae subnixae sunt, quas memorata suscipiens confirmavit ecclesia. Sciendum est sane ab omnibus catholicis, quoniam sancta ecclesia Romana nullis sinodicis decretis praelata est, sed evangelica voce domini et salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit beato Petro apostolo: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non prevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quaecumque ligaveris super terram erunt ligata et in caelo, et quaecunque solveris super terram erunt soluta et in caelo. Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi apostoli Pauli, vasis electionis, qui uno die unoque tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est et ambo pariter ecclesiam[3] Romanam Christo domino consecrarunt aliisque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud deum omnium sanctorum fundatur oratio, his tamen verbis Paulus beatissimus apostolus Romanis proprio cyrographo pollicetur, dicens: Testis enim mihi est deus, cui[4] servio in spiritu meo in evangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prima enim sedes est celesti beneficio Romanae ecclesiae, quam beatissimi Petrus atque Paulus suo martyrio dedicarunt. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo atque evangelista consecrata est, quia et ipse in Aegypto primus verbum veritatis directus a Petro praedicavit et gloriosum suscepit martyrium. Cui venerabilis successit Abilius. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic, priusquam Romae veniret, habitavit et Ignatium episcopum constituit et illic primum nomen christianorum novelle gentis exortum est. Nam et Hierosolimitanus episcopus pro tanti loci reverentia ab omnibus habetur honorabilis. Maxime quod illic primus beatissimus Iacobus, qui dicebatur iustus, qui etiam secundum carnem frater domini nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Iohanne apostolis est episcopus ordinatus, itaque secundum antiquorum patrum definitionem sedes prima in Hierosolimis dicitur minime, ne forte ab infidelibus aut idiotis sedes domini nostri Iesu Christi, quae in caelo est, in terra esse putaretur. Est enim sedes eius caelum[5], terra autem scabellum pedum eius est, quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula saeculorum. Apud Ephesum vero beatissimus Iohannes, apostolus et evangelista, multo tempore post resurrectionem et ascensionem in caelos domini nostri Iesu Christi commoratus est ibique etiam evangelium quod secundum Iohannem dicitur divina[6] inspiratione conscripsit atque requievit. Et ob hoc episcopus Ephesius, pro tanti apostoli et evangelistae memoria, caeteris episcopis metropolitanis in synodis honorabiliorem optinet sedem.

Sed quoniam de concilio Niceno disserendum est, quae hoc fecerit causa ut[7] post illam apostolorum gloriosissimam praedicationem, quae in omnem terram mirabiliter diffusa est, sub Constantino Augusto tanti[8] congregarentur episcopi? Rufini nobis decimus liber, qui coniunctus est novem libris ecclesiasticae historiae quos vir eruditissimus Eusebius Caesariensis edidit, necessarie profertur ad medium, ut parva eius quae inter initia de Arrii perversitate conscripta sunt, memorentur, quia dubium non est, ideo trecentos decem et octo sanctissimos patres ex universo orientali orbe in Nichea Bithiniae congregatos, ut et[9] Arrii impium dogma Christi auxilio funditus dampnaretur et salubri providentia constituerent quod in sancta catholica ecclesia debeat observari. Item ad locum ex libro decimo Rufini: Igitur cum apud Alexandriam post Achillan[10], qui Petro martiri[11] successerat, Alexander sacerdotium suscepisset, quia pax nostris et quies a persecutionibus erat

[1] *Om. cod. cit.* [2] *Cod. cit.* obstruenda. [3] *Cod. cit. add.* sanctam. [4] *Cod. cit.* cuius. [5] *Cod. cit.* caelo. [6] *Om. cod. cit.* domini nostri — dicitur divina. [7] *Sic corr. sec. cod. cit. Cod. Sgrm.* et. [8] *Cod. cit.* tanta. [9] *Om. cod. cit.* [10] *Cod. cit.* Achillam. [11] *Cod. cit.* Petri martirio.

atque ecclesiarum gloria confessorum meritis gaudebat, prosperitas rerum nostrarum domestica[1] contentione[2] turbatur[3]. Etenim presbiter quidam apud Alexandriam, Arrius nomine, vir specie et forma magis quam virtute religiosus, sed et[4] gloriae laudisque et novitatis improbe cupidus, prava quaedam de fide Christi proferre et quae antea in questionem numquam venerant[5] coepit. Abscidere[6] ac separare ab illa aeterna et ineffabili dei patris substantia vel natura filium conabatur. Quae res in ecclesia plurimos conturbabat. Sed cum Alexander episcopus, natura lenis et quietus, assiduis[7] commonitionibus Arrium cuperet a pravo incepto et assertationibus impiis revocare nec tamen res ex sententia procederet, et quod plerosque iam contagio pestiferae assertionis infecerat, non solum apud Alexandriam, verum et per alias urbes provinciasque disperserat pernitiosum fore credens, si dissimularet a talibus, plurimis consacerdotibus suis rem indicat. Questio latius innotescit: sermo usque ad aures religiosi principis, quippe qui omni studio et diligentia curaret quae nostra sunt, pervenit. Tum ille ex sententia sacerdotum apud urbem Nicheam episcopale concilium convocat, ibique Arrium trecentis decem et octo episcopis residentibus adesse iubet ac de eius propositionibus et questionibus iudicare. *Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis episcopi convenissent et, ut fieri solet, diversis ex causis inter se quaedam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter a singulis, offerebantur libelli, culpae proferebantur, et magis ad haec quam ad id pro quo ventum fuerat animos dabant. At ille, videns quod per huiusmodi iurgia causa summi negotii frustraretur, diem certum statuit quo unusquisque episcoporum, si quid querimoniae habere videretur, deferret. Cum resedisset, suscepit a singulis libellos. Quos simul omnes in sinu suo continens nec eis quod[8] contineretur aperiens, ait ad episcopos: Deus vos constituit sacerdotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod dei solius inter vos expectate[9] iudicium, et vestra iurgia quaecumque sunt ad illud divinum reserventur examen; vos etenim nobis a deo dati estis dii. Conveniens non est ut homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. Et ideo, his omissis, alia quae ad fidem dei pertinent absque ulla animorum contentione discingite. Cum haec dixisset omnes querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret ulli hominum[10] simulatio sacerdotum. Verum cum per dies multos in episcoporum concilio de fide questio verteretur et nonnulli diversa sentirent ac vehementer coeptis[11] Arrii paverent, plures tamen erant qui impium execrarentur incoeptum. Cumque in eodem concilio esset confessorum magnus numerus sacerdotum, omnis Arrii novitatibus adversabantur. Favebant vero ei viri in questionibus callidi, et ob id simplicitati fidei adversi. Quantam vero habeat virtutem fidei simplicitas, etiam ex his quae ibi gesta sunt, cognoscimus. Etenim cum pro studio religiosi imperatoris ex omni terra sacerdotes dei coissent, opinione commoti philosophi quoque et dialectici valde nobiles et opinatissimi convenerunt. In quibus quidam insignis in arte dialectica per dies singulos conflictum[12] summi certaminis cum episcopis nostris viris aeque in dialectica non probabiliter eruditis movebat. Et fiebat ingens spectaculum convenientibus ad audiendum doctis et litteratis viris. Nec tamen ullo genere philosophus concludi a quodam poterat aut constringi. Tanta etenim dicendi arte obiectis questionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur adstrictus velut anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostenderet

* *Quae sequuntur:* Sed in eo concilio *etc. usque ad:* summa cum deliberatione quaerebatur *(p. 257.) in coll. Quesnell., unde haec praefatio desumpta est, non leguntur, sed addita sunt ex Rufini hist. eccl. lib. X. c.* 2. 3. 4. (*Op. Leon. M. ed Ball.* 3, 25. 26.)

1 *Cod. cit.* domesticam. 2 *Cod. cit.* continebat. 3 *Om. cod. cit.* 4 *Om. cod. cit.* 5 *Cod. cit.* ante inquisitionem numquam venerat. 6 *Cod. cit. add.* enim. 7 *Cod. cit.* assidue. 8 *Cod. cit.* quid. 9 *Sic corr. sec. cod. cit. Cod. Sgrm.:* expectante. 10 *Cod. cit.* illi omnium. 11 *Cod. cit.* acceptis. 12 *Cod. cit.* conflictus.

deus, quia non in sermone regnum dei, sed in virtute consistit, quidam ex confessoribus, simplicissimae naturae vir et nihil aliud sciens nisi Christum Iesum et hunc crucifixum, inter ceteros auditores episcopos aderat. Qui cum vidisset philosophum insultantem[1] nostris et callida se disputationis arte iactantem, poscit ab omnibus locum velle se paucis cum philosopho sermocinari. Tunc vero nostri qui simplicitatem viri et inperitiam in sermone dumtaxat nossent, pavere et velut pudorem quendam pati ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Persistit tamen senior, et hinc movit sermonis exordium. In nomine, inquit, Iesu Christi, philosophe, audi quae vera sunt. Deus unus est qui fecit caelum et terram quique homini quem de terrae limo formaverat spiritum dedit, universa quae videntur et quae non videntur virtute verbi sui creavit et spiritus sui sanctificatione firmavit, hoc verbum ac sapientia quam nos filium dicimus humanos miseratus errores ex virgine nascitur, et per passionem mortis a perpetua nos morte liberavit ac resurrectione sua aeternam nobis contulit vitam, quem expectamus iudicem omnium que gerimus esse venturum. Credis haec ita esse, philosophe? At ille, ac si numquam ullum sermonem contradicendi dixisset, ita obstupefactus virtute dictorum mutus ad omnia hoc solum potuit respondere: Ita sibi videri nec aliud verum esse quam dixerat. Tunc senior: Si haec, inquit, ita esse credidisti, surge et sequere me ac dominicum et huius fidei signaculum suscipe. Et ita philosophus christianus effectus tandem se gratulatus est victum. In illo etiam concilio fuit Pannutius[2] homo dei episcopus Aegypti, in quo tanta virtute inerat gratia, ut signa per eum non minus quam dudum per apostolos fierent. Quo etiam in tempore et Spyridion Ciprius episcopus insignis habebatur. Tales igitur in illis adhuc temporibus multi viri in ecclesiis domini refulgebant, ex quibus plurimi in illo concilio fuerunt. Interea per dies singulos agitabatur conventus, nec facile aut temere tanta statuere audebant, et vocabatur Arrius frequenter in concilium et assiduo tractatu adsertiones eius discutiebantur, et quae[3] adversum haec tenere deberent ac statui summa cum deliberatione quaerebatur. Verum post diutinum multumque tractatum placuit omnibus ac velut uno cunctorum ore et corde decernitur Omoysyon[4] conscribi debere, id est eiusdem cum patre substantiae filium confiteri, idque firmissima omnium sententia pronuntiatur. Decem et septem soli tunc fuisse dicuntur quibus Arrii magis fides placeret extrinsecus creatum dei filium ex nullis substantibus, et non ex ipsa patris deitate progenitum confirmantes. Defertur ad Constantinum sacerdotalis concilii sententia. Ille tamquam a deo prolatam veneratur. Cui si quis temptasset obniti velut contra divina statuta venientem, in exilium se protestatur acturum. Explicit prefatio.

ITEM ALIA INCIPIT PRAEFATIO EIUSDEM SACROSANCTI CONCILII METRICE COMPOSITA.

Concilium sacrum venerandi culmina iuris
  Condidit et nobis congrua fraena dedit,
Ut bene fundatus iusto moderamine possit,
  Intemerata gerens, clericus ordo geri.
Pontifices summi veterum praecepta sequentes
  Planius haec monitis exposuere suis.
Hinc fidei nostrae se pandit semita et omnes
  Errorum damnant dogmata sancta vias.
Quisque dei famulus fuerit Christique sacerdos,
  Hoc sale conditus, dulcia mella fluit.[5]

1 *Cod. cit.* insultatem. 2 *Cod. cit.* Pamnutius. 3 *Cod. cit.* quod. 4 *Cod. cit.* homousion.
5 *Textus desumt. ex ed. cit. coll. Dionys.; inscriptio:* item alia *etc. sec. cod. Andegavensem, qui post finem versuum addit:* explicit praefatio, *post quae verba in cod. Andeg. insertur symbolum Nicenum (in fine in eodem repetitum) inscriptione praemissa:* Incipit constitutio et fides eiusdem sancti et magni concilii cum subditis capitulis suis et placuit ut hec omnia mitterentur beato Silvestro urbis Rome episcopo, *fineque ita mutato:* trecenti decem et VIII episcopi in unum congregati, quorum nomina cum provintiis et civitatibus subter adnexa sunt, sed studiosi servi dei magis curaverunt Orientalium nomina episcoporum conscribere propterea quod Occidentales non similiter questionem de heresibus habuissent. Explicit fides eodem concilio tractata.

INCIPIUNT CAPITULA EIUSDEM SANCTI CONCILII.[1]

I. De eunuchis qui seipsos abscidunt.
II. De his qui post baptisma statim ad clerum applicantur.
III. De subintroductis mulieribus.
IV. Qualiter episcopi debeant ordinari.
V. De excommunicatis clericis sive laicis.
VI. De primatibus episcoporum metropolitanorum.
VII. De honore episcopi Hierosolymitani.
VIII. De Novatianis.
IX. De presbyteris sine examinatione constitutis.
X. De lapsis clericis ordinatis.
XI. De his qui sponte lapsi sunt qualiter debeant poenitere.
XII. De excommunicatis a seculo exeuntibus.
XIII. De catechumenis lapsis.
XIV. De diaconibus, ne presbyteris corpus Christi tradant vel ante presbyteros communicent.
XV. De clericis temere ab ecclesia recedentibus.
XVI. De presbyteris et diaconibus vel clericis qui ad alias civitates transeunt.
XVII. De clericis alienis sine conniventia proprii episcopi ab alio in sua ecclesia non ordinandis.
XVIII. De clericis usuram aut ampliationem accipientibus.
XIX. De Paulianistis et Cataphrygis rebaptizandis.
XX. De diebus dominicis et Pentecoste, ut in eis stantes oremus.[2]

Quum convenisset hoc sanctum et magnum concilium apud Nicaeam civitatem provinciae Bithyniae, statuta sunt ab eis haec quae infra scripta sunt, ex Graeco in Latinum versa sermonem.

I. Si quis in aegritudine vel a medicis sectus est vel a barbaris castratus est, placuit ut iste permaneat talis in clero. Si quis autem sanus seipsum abscidit, etiamsi est in clero, cessare debet et ex hoc nullum talem oportet ordinari. Sicut autem de his qui vel affectaverunt vel ausi sunt seipsos abscidere, haec, quae diximus, statuta sunt, ita si qui vel a barbaris vel a dominis suis facti sunt et probabilis vitae sunt, tales suscipit ecclesiastica regula in clerum.

II. Quoniam multa sive per necessitatem sive ex quacumque causa contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati vel instituti statim ad spiritalem baptismum venissent et continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum vel ad presbyterium provecti sunt, recte igitur visum est de cetero nihil tale fieri: nam et tempore opus est ut sit catechumenus, et post baptismum multa probatione indiget. Evidens namque est apostolicum praeceptum dicens: Non neophytum, ne forte elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli. Si vero praecedente tempore aliquid admiserit et convictus duobus vel tribus testibus fuerit, cessabit a clero qui huiusmodi est. Si quis vero praeter haec facit, tamquam contraria statutis sancti concilii gerens, ipse periclitabitur de statu sui cleri.

III. Omnibus modis interdixit sancta synodus neque episcopo neque presbytero neque diacono neque ulli clericorum omnino licere permitti habere secum mulierum extraneam, nisi forte mater aut soror aut thia, id ist vel amita vel matertera sit: in his namque solis personis et horum similibus omnis quae ex mulieribus est suspicio declinatur. Qui autem praeter haec agit periclitabitur de clero suo.

IV. Episcopum oportet ab omnibus episcopis, si fieri potest, qui sunt in provincia eius ordinari; si vero hoc difficile fuerit, vel urgente necessitate vel itineris longitudine, certe tres episcopi debeant in unum esse congregati, ita ut etiam ceterorum qui absentes sunt consensum litteris teneant et ita faciant ordinationem. Potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad metropolitanum episcopum.

V. Servetur et ista sententia, ut hi qui ab aliis excommunicantur ab aliis ad communionem non recipiantur. Requiratur sane, ne forte qui ex aliqua indignatione animi aut contentione aut qualibet commotione stommachi episcopi sui excommunicatione abstenti sunt. Ut ergo digna haec possint examinatione perquiri, recte visum est per singulos annos in singulis quibusque provinciis bis in anno episcoporum concilium fieri, ut simul in unum convenientes ex omni provincia huiusmodi examinent quaestiones, ut ita demum hi qui ob culpas suas episcoporum suorum offensas merito contraxerunt, digne etiam a ceteris excommunicati similiter habeantur, quousque in communione vel ipso episcopo suo visum fuerit humaniorem circa eos ferre sententiam. Habeatur autem concilium semel ante dies quadragesimae, ut omnibus, si quae sunt, simultatibus amputatis, mundum solemne deo munus possit offerri. Secundum vero concilium agatur circa tempus autumni.

VI. Mos antiquus perduret in Aegypto vel Libya et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et Romano episcopo hoc idem moris est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias honor suus unicuique servetur ecclesiae. Per omnia autem manifestum, quod si quis praeter voluntatem et conscientiam metro-

[1] *Textus desumt. ex ed. coll. Hisp. Matriti* 1808 *vulg., praemissis ut in codd. Pseudo-Isidor. titulis.* [2] *Not. cons. in Hisp. exhib. in codd. Pseudo-Isid. A* 1 *deest.*

politani episcopi fuerit ordinatus, hoc concilium magnum et sanctum censuit non debere esse episcopum: sane si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.

VII. Quoniam mos antiquus obtinuit et vetusta traditio ut Aeliae, id est Hierosolymorum episcopo, honor deferatur, habeat consequenter honorem, manente tamen civitatis metropolitanae propria dignitate.

VIII. Si qui voluerint venire ad ecclesiam catholicam ex Novatianis, placuit sancto concilio ut ordinentur et sic maneant in clero. Ante omnia autem hanc ab eis confessionem per scripturam exigi oportet, ut fateantur se communi consensu catholicae ecclesiae statuta observaturos, id est communicaturos se et his qui forte secundas nuptias experti sunt, vel his qui persequutionis tempore lapsi sunt. Quibus tamen lapsis poenitentiae modus et tempus adscriptum est, ut in omnibus sequantur ea quae in ecclesia catholica observantur, et sic ubique idem ipsi fuerint inventi, sive in vicis seu in urbibus clerici ordinentur a catholicis qui inveniuntur, et sic etiam in clero persistant, unusquisque in statu suo. Si vero episcopus vel presbyter catholicae ecclesiae fuerit ad quem aliqui ex his accedunt, certum est quod episcopus quidem catholicus suam habeat dignitatem, similiter autem presbyter et diaconus habeant. Hi vero qui ab istis veniunt, si forte episcopus fuerit, habeat presbyterii dignitatem, nisi forte et placeat episcopo catholico concedere ei etiam episcopalis nominis honorem: si vero non placuerit inveniat ei locum, ut sit in parochia in clero episcopus aut presbyter, dum tamen ut in civitate non videantur duo episcopi esse et ille omnimodo in clero permanere videatur.

IX. Si qui sine examinatione promoti presbyteri sunt et postea examinati, confessi sunt peccata sua et quum confessi sunt, contra regulam venientes homines manus eis temere imposuerunt, hos ecclesiasticus ordo non recipit. In omnibus enim quod irreprehensibile est defendit ecclesia.

X. Quicumque ex his qui lapsi sunt et per ignorantiam ordinati sunt vel contemptu eorum qui eos ordinaverunt, hoc non praeiudicat regulae ecclesiasticae; quum enim compertum fuerit, deponentur.

XI. Placuit sanctae synodo, licet indigni sint misericordia, tamen aliquid circa eos humanitatis ostendi. Si qui ergo ex animo poenitent tribus annis inter audientes habeantur: si tamen fideles sunt et septem annis aliis inter poenitentes sint, duobus item annis extra communionem in oratione sola participent populo. Si qui vero per fidei gratiam vocati primo quidem ostenderunt fidem suam deposito militiae cingulo, post haec autem ad proprium vomitum reversi sunt, ut et pecunias darent et ambirent redire rursum ad militiam, isti decem annis sint inter poenitentes, post primum triennium quo fuerint, inter audientes: ab omnibus vero illud praecipue observetur, ut animus eorum et fructus poenitentiae observetur. Quicumque enim cum omni timore et lacrymis perseverantibus et operibus bonis conversationem suam non verbis solis, sed opere et veritate demonstrant, quum tempus statutum etiam ab his fuerit impletum et orationibus iam coeperint communicare, licebit episcopo etiam humanius circa eos aliquid cogitare. Qui vero indifferenter habuerint lapsum suum et sufficere sibi quod ecclesiam introierint arbitrantur, isti omnimodo tempora statuta complebunt.

XII. De his vero qui recedunt ex corpore, antiquae legis regula observabitur etiam nunc, ita ut, si forte recedit ex corpore, necessario vitae suae viatico non defraudetur. Quod si desperatus aliquis recepta communione supervixerit, sit inter eos qui sola oratione communicant: de his omnibus tamen qui ex corpore recedunt, in tradenda eis communione et cura et probatio sit episcopi.

XIII. Placuit huic sancto et magno concilio de catechumenis qui lapsi sunt, ut tribus annis inter audientes verbum sint tantummodo, post haec vero orent cum catechumenis.

XIV. Pervenit ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam et civitatibus presbyteris sacramenta diaconi porrigant, hoc neque regula neque consuetudo tradidit ut hi qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant, sed et illud innotuit quod quidam diacones etiam ante episcopos sacramenta sumant. Haec ergo omnia amputentur et maneant diacones intra suam propriam mensuram, scientes quia episcoporum ministri sunt, a presbyteris vero inferiores sunt: accipiant ergo secundum ordinem post presbyteros ab episcopo vel presbytero. Quod si non fuerint in praesenti vel episcopus seu presbyter, tunc ipse proferat et det. Sed ne sedere quidem licet in medio presbyterorum diacones; extra regulam est enim et extra ordinem ut hoc fiat. Si quis autem non vult his sufficiens esse, post hanc definitionem cesset esse diaconus.

XV. Propter multas perturbationes et frequentes tumultus seditionum, quae fieri solent, placuit omnimodo istam abscidi consuetudinem quae contra regulam est; si ubi tamen fit, id est ne de civitate ad civitatem transeat vel episcopus vel presbyter vel diaconus. Si quis vero post haec statuta sancti huius concilii tale aliquid audere tentaverit, infringetur omni genere huiuscemodi conatus et restituetur propriae ecclesiae in qua ordinatus est.

XVI. Si qui vero sine respectu dei agentes et timorem dei ante oculos non habentes neque ecclesiastica statuta custodientes recesserint ab ecclesia sua, sive presbyteres sive diacones vel in quocumque ecclesiastico ordine positi fuerint, non debent suscipi in ecclesia alia, sed et cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad ecclesias suas: aut si permanserint, excommunicari oportet.

XVII. Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in sua ecclesia, quum non habeat consensum episcopi ipsius a quo recessit clericus, irrita sit huiusmodi ordinatio.

XVIII. Quoniam multi clerici, avaritiae causa turpia lucra sectantes, obliti sunt divini praecepti, quo dictum est: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, foenerantes centessimas exigunt, statuit hoc sanctum concilium: Si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipere vel ex quolibet tali negotio turpia lucra sectari vel etiam species frumentorum ad sexcuplum dare, omnis qui tale aliquid commentus fuerit ad quaestum, deiicietur a clero et alienus ab ecclesiastico habeatur gradu.

XIX. Si quis confugerit ad ecclesiam catholicam de Paulianistis et Cataphrygis, statutum sit rebaptizari eos omnimodo debere. Si qui vero clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint et irreprehensibiles, rebaptizati rursus etiam ordinentur ab episcopo ecclesiae catholicae. Si vero examinati minus fuerint apti reprehensi, deponi eos oportet. Similiter autem circa diacones et de omnibus qui in eodem clero inveniuntur, eadem forma servabitur. Commemoravimus autem diaconissas quae in hoc ordine inventae sunt, quae nec manus impositionem aliquam habent, ita ut omni genere inter laicas habeantur. Similiter autem diaconissae quae in catholico canone non habentur simili loco, id est laicae et tamquam non consecratae deputentur.

XX. Quoniam sunt in die dominica quidam ad orationem genua flectentes et in diebus pentecostes, propterea est itaque statutum a sancta synodo quoniam consonans et conveniens per omnes ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem domino vota reddamus.

Symbolum fidei eiusdem Nicaeni magni concilii a CCCXVIII patribus editum.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium conditorem: et in unum dominum nostrum Iesum Christum, filium dei, natum de patre unigenitum, hoc est de substantia patris, deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, natum, non factum, consubstantivum patri, id est unius substantiae cum patre (quod Graeci homousion dicunt), per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, incarnatus est atque homo factus, passus, mortuus est, resurrexit tertia die, ascendit in coelos, venturus iudicare vivos et mortuos: et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat, quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quod ex nullis extantibus factus est aut ex aliqua substantia vel natura, eum dicentes esse mutabilem et convertibilem, filium dei perhibendo, hos anathematizat et condemnat catholica et apostolica ecclesia. — Haec est fides quam exposuerunt patres primum quidem adversus Arium blasphemum, dicentem creaturam esse filium dei, et adversus omnem haeresem Sabellii, Photini, Pauli Samosateni, Manichaei, Valentini, Marcionis et adversus omnem omnino haeresem, si quae insurrexerit contra catholicam et apostolicam ecclesiam quam omnes condemnaverunt Nicaeam congregati episcopi trecenti decem et octo, quorum nomina et provinciae conscriptae sunt, sed plerique studiosi servi dei magis curam gesserunt Orientalium episcoporum nomina describere, propter hoc quod Occidens non similiter inquisitionem de haeresibus habuerit. [1]

Fides sancti Gregorii maioris.

Unus deus, principium et pater verbi viventis, sapientiae existentis et virtutis et imaginis propriae, perfectus perfecti geniti, pater filii unigeniti et unus dominus ex uno domino, deus de deo, figura substantiae patris, imago dei, deus verbum vividum et totius substantiae opifex, sapientia, continens omnia quae existunt, et virtus totius creabilis creaturae filius verus de patre vero, invisibilis de invisibili, incorruptibilis de incorruptibili, immortalis de immortali et sempiternus de sempiterno, et unus spiritus sanctus, perfectus, perfecta vita viventium, sanctitas et fons sanctitatis et sanctificationis ministrator, per quem deus in omnes credentes et super omnes, et filius qui per omnes: trinitas, perfecta gloria et regnum sempiternum, individuum et inalienabile: neque igitur creatum aliquid et servum seu famulum in trinitate, neque adventitium vel subintroductum tamquam quod ante non extiterit et novissimum subintraverit; neque enim defuit aliquando filius patri, aut filio spiritus sanctus, sed immutabilis et inconvertibilis haec eadem trinitas semper.

INCIPIT SINODUS ANCHIRITANI.[2]

I. De presbyteris lapsis in persequutione.

II. De diaconibus qui immolaverunt.

[1] *Cetera, imprimis subscriptiones in Hisp. exhibita desunt in Pseudo-Isid.* [2] *Sic cod. Andeg. et codd. Pseudo-Isid. A1, qui ut Hisp. XXV, non ut ed. Merlini XXIV capp. exhibent. Textus desumtus ex ed. cit. Hisp. praemissis rubricis ut in Ps.-Is.*

III. De clericis sive laicis quorum manus alii cum iniuria super idolorum sacrificia posuerunt.
IV. De his qui in templis idolorum coenaverunt.
V. De his qui timore ritus gentilium peregerunt.
VI. De his qui in locis idolorum manducaverunt.
VII. De his qui frequentur idolis immolaverunt.
VIII. De his qui per vim coacti idolis immolaverunt.
IX. De his qui et aliis sacrificandi causam attulerunt.
X. De diaconibus.
XI. De desponsatis puellis et ab aliis corruptis.
XII. De his qui ante baptismum sacrificaverunt idolis.
XIII. De chorepiscopis.
XIV. De presbyteris a carne se abstinentibus.
XV. Non debere presbyteros ecclesiastica vendere.
XVI. De his qui irrationabiliter vixerunt.
XVII. De his qui sicut animalia muta vixerunt.
XVIII. De episcopis qui ordinati non suscipiuntur.
XIX. De his qui virginitatem profitentur.
XX. De adulteris.
XXI. De mulieribus quae fornicatae partus suos necant.
XXII. De his qui volentes homicidium fecerunt.
XXIII. De his qui nolentes homicidium fecerunt.
XXIV. De his qui more gentilium vivunt.
XXV. De eo qui sororem sponsae suae vitiavit.

Isti quidem canones seu regulae priores sunt Nicaenis, sed ideo Nicaeni canones priores scribuntur propter auctoritatem magni et sancti concilii apud Nicaeam habiti. Convenerunt autem in synodum memoratam Ancyrae civitatis hi qui infra scripti sunt: Marcellus Ancyritanus, Agricolaus Caesariensis, Lupus Tarsensis, Vitalio Antiochensis, Basilius Amassenus, Philadelphius Iuliopolitanus, Festulus Nicomediensis, Heraclius Zelonensis, Petrus Iconiensis, Nunecius Laudocenus, Sergianus Antiochenus Pysidiae, Narcisus Nerodiensis.

I. Presbyteros qui immolaverunt et postea iterum certamen inierunt, si hoc ipsum ex fide et non aliquo argumento sibimet praeparantes egerunt, ut iterum teneri viderentur, ut tormentis subiici tamquam putentur inviti, si ergo ex fide luctati sunt et non ex compacto ad ostentationem, ut offerrentur ipsi fecerunt: hos placuit honorem quidem sedis propriae retinere, offerre autem illis et sermonem ad populum facere aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi non liceat.

II. Diacones similiter, qui immolaverunt, postea autem iterum luctati sunt, alias si quidem honorem charere oporteat, cessare vero debere ab omni sacro ministerio, ita ut nec panem nec calicem offerant, nisi forte aliqui episcoporum conscii fuerint laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis et voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere, penes ipsos ergo de his erit potestas.

III. Qui fugientes timore persequutionis comprehensi sunt vel a familiaribus seu a domesticis traditi et vel bona propria amiserunt vel sustinuerunt tormenta vel etiam carceribus inclusi sunt, et tamen proclamaverunt se esse christianos, quin etiam perseverante violentia ad id usque perducti sunt ut manus eorum apprehensas et violenter attractas super sacrificia imponerent, illis scilicet perseverantibus in fide, christianos se esse vociferantibus: hoc ergo quod eis invitis et aliis cogentibus contigit, si luctu et moerore animi acerbe se ferre demonstrant ipsosque humili per bonam conversationem habitu incedentes dolere se quod inviti coacti sunt doceant, hos tamquam inculpatos a communione non vetari. Si autem iam prohibiti sunt ab aliquibus a communione maioris diligentiae et inquisitionis causa aut per aliquorum ignorantiam statim recipi oportere. Hoc autem observari oportet et de clericis et de laicis omnibus. Laicos sane qui in similem necessitatis causam inciderunt, tamquam qui nihil peccaverunt, maxime si eos probabilis vita commendet, ad ordinationem recipi placuit.

IV. De his, qui sacrificare coacti sunt, insuper in templis idolorum coenaverunt, si qui eorum cum habitu cultiore ad templa perducti sunt atque ibi pretiosiore adhuc veste mutata coenae participes facti sunt, idolorum indifferenter sumentes omnia quae fuerunt apposita, placuit inter audientes uno anno constitui, tribus autem aliis annis agere poenitentiam, sed ex ipso triennio per biennium tantummodo orationi communicare, tertio autem anno reconciliari sacramentis.

V. Quotquot autem ascenderunt templa cum veste lugubri et recumbentes inter alios manducaverint flentes, si compleverint poenitentiam triennii tempus, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est ut ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa non manducaverunt, biennio maneant in poenitentia, tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, ut dictum est, in quarto iam anno perfectionem suam recipiant. Episcopum hinc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum conversatione normam regulamque conversationis attribuat, id est aut humanius agens secundum vitae modum tempus alicui breviare aut etiam prolixius quod

correctionis necessarium viderit, addere. Discutiatur autem omnium horum et praecedens vita et posterior, et ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur.

VI. De his qui minis tantum cesserunt aut bonorum oblatione aut transportationis poena deterriti sacrificaverunt et nunc usque non poenituerunt neque conversi sunt, modo autem, id est tempore huius synodi, se obtulerunt conversionis suae consilium capientes, placuit eos usque ad magnum diem inter audientes suscipi, poenitentiam autem agere triennio et post duos alios annos sine oblatione communicari et ita demum sex annis completis ad perfectum pervenire. Quod si aliqui ante hoc concilium suscepti sunt ad poenitentiam, ex illo tempore imputabitur eis initium sexennii constituti. Quod si alicui horum quodlibet mortis periculum aut ex aegritudine aut ex aliqua causa acciderit, his communionem propter viaticum suum non negari.

VII. De his qui festis diebus paganorum in remotis eorum locis conviviis interfuerunt et suas nihilominus epulas ibidem portaverunt et comederunt, placuit ut post biennii poenitentiam suscipiantur, ita tamen, utrum cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti deceant, unusquisque episcoporum examinet vitae eorum praeteritae et praesentis habita consideratione.

VIII. Hi autem qui secundo et tertio sacrificaverunt per vim coacti, quatuor annis ad poenitentiam se submittant, duobus autem aliis sine oblatione communicent, septimo autem anno perfectionem recepturi communionis.

IX. Quotquot autem non solum a fide dominica deviarunt, sed etiam insurrexerunt in alios et fratribus persuaserunt et rei facti sunt persuasionis, hi per triennium quidem inter catechumenos habeantur, per aliud autem sexennium poenitentiae recipiant locum, alio vero anno, id est decimo, communionem sine oblatione recipiant, ut completo decennio perfectione fruantur: in eo autem ipso tempore etiam vita eorum et conversatio consideranda est.

X. Diaconi quicumque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere uxores nec posse se continere, hi postea, si ad nuptias convenerint, maneant in ministerio, propterea quod his episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerunt et susceperunt manus impositionem, professi continentiam, et postea ad nuptias convenerunt, a ministerio cessare debebunt.

XI. Desponsatas puellas et postea ab aliis raptas placuit erui et his reddi quibus fuerant antea desponsatae, etiamsi eas a raptoribus florem pudoris amisisse constiterit.

XII. Eos, qui ante baptismum sacrificaverunt et postea baptismum consequuti sunt, placuit ad ordinem promoveri, tamquam ab omni crimine lavacri salutaris sanctificatione purgatos.

XIII. Vicariis episcoporum, quos Graeci chorepiscopos dicunt, non licere vel presbyteros vel diaconos ordinare, sed nec presbyteris civitatis sine episcopi praecepto aliquid imperare vel sine auctoritate litterarum eius in unaquaque parochia aliquid agere.

XIV. De his qui in clero sunt presbyteri vel diaconi et abstinent a carnibus, hoc placuit statui, ut non eas tamquam immundas contemnant, contingant tamen a quibus quidem si abstinere volunt, habeant potestatem, ita tamen, ut si quando cum oleribus coquuntur, eadem tamquam carnibus polluta non iudicent, sed de his cibum assumant, quamvis a carnibus se abstineant. Quod si in tantum eas immundas et abominabiles iudicaverint, ut nec olera quae cum carnibus coquuntur aestiment comedenda, tamquam non consentientes huic regulae, cessare hos oportet a ministerio et ordine suo. Si quis autem hanc regulam monitus non obedierit, sed carnes, ut dictum est, immundas et abominandas aestimaverit, cessare debet ab ordine suo.

XV. Si qua de rebus ecclesiae, quum episcopus non est, presbyteri vendiderint, placuit rescisso contractu ad ius ecclesiasticum revocari. In iudicio autem erit episcopi, si pretium debeat recipi necne, propter quod saepe contingit distractarum rerum redditus ampliorem summam pro accepto pretio reddidisse.

XVI. In hoc titulo graeca verba haec sunt: *Περὶ τῶν ἀλογευσαμένων ἢ καὶ ἀλογευομένων*, quae nos latine possumus dicere: de his qui irrationabiliter versati sunt sive versantur. Sensus autem in hac sententia duplex esse potest, qui ex obiectis coniicitur aut de his qui cum pecoribus coitu mixti sunt aut more pecorum incesta cum propinquis sanguine commiserunt. Quotquot igitur ante vicesimum aetatis suae annum tale crimen admiserint, quindecim annis in poenitentia exactis orationi tantum incipiant communicare et quinquennio altero in communione orationis solius perdurantes post vicesimum cum oblatione ad communionem suscipiantur. Discutiatur autem et vita eorum quae fuerit tempore poenitentiae, et ita hanc humanitatem consequantur. Quod si qui perseverantius abusi sunt hoc crimine, prolixiore tempore, id est viginti annorum poenitentiam solam suscipiant. Quotquot vero exacta viginti annorum aetate et uxores habentes in hoc crimine inciderunt, viginti quinque annis poenitentia acta ad communionem orationum admittantur, in qua communione orationum altero quinquennio perdurantes plenam communionem cum oratione percipiant. Quod si aliqui et uxores habentes et excidentes quinquagesimum aetatis suae annum in hoc prolapsi sunt,

ad exitum vitae tantum communionem mereantur.

XVII. Hos eosdem sane non solum leprosos crimine huiuscemodi factos, sed et alios isto morbo replentes, placuit inter eos orare qui tempestate iactantur, qui in nobis energumeni intelliguntur.

XVIII. Si qui episcopi suscepti non sunt a sua dioecesi in qua fuerant denotati, ad eamdem iudicis edicto redire compellantur. Quod si voluerint alias ecclesias occupare et vim facere aliis episcopis quos ibi invenerint, seditiones excitando adversus eos, hos segregari oportet. Quod si volunt in presbyterio in ecclesia ubi prius fuerant tamquam presbyteri residere, non repellantur a propria dignitate. Quod si etiam ibi seditiones concitare probantur episcopis ibidem constitutis, segregari eos necesse est et nihilominus presbyterii dignitate privari.

XIX. Quotquot virginitatem polliciti praevaricati sunt, professione contempta inter digamos, id est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt. Virgines autem puellas quae tamquam sorores cum nonnullis viris habitare volunt, ab eorum consortio prohibemus.

XX. Si quis adulterium commiserit, septem annis in poenitentia completis perfectioni reddatur secundum pristinos gradus.

XXI. De mulieribus quae fornicantur et partus suos necant, sed et de his quae agunt secum ut utero conceptus excutiantur, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitae eas ab ecclesia removet: humanius nunc definimus, ut eis decem annorum tempus poenitentiae tribuatur.

XXII. Qui voluntarie homicidium fecerunt, ad poenitentiam quidem iugiter sese committant, circa exitum autem vitae communione digni habeantur et decennium poeniteant.

XXIII. Eos vero qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior regula post septem annorum poenitentiam communioni sociavit secundum gradus constitutos. Haec vero humanior definitio quinquennii tempus tribuit.

XXIV. Qui auguria vel auspicia sive somnia vel divinationes quaslibet secundum morem gentilium observant aut in domos suas huiusmodi homines introducunt in exquirendis aliquibus arte malefica aut ut domus suas lustrent, confessi quinquennio poenitentiam agant secundum antiquas regulas constitutas.

XXV. Si quis sponsam habens sorori eius forsitan intulerit vitium eique inhaeserit tamquam suae et sibi expetendam esse coniunctionem, hac autem decepta postea uxorem duxerit desponsatam. Illa vero quae vitium passa est, si forte necem sibi intulerit, omnes hi qui huius facti sunt conscii, decem annis in poenitentiam redigantur secundum canones constitutos.

INCIPIT CONCILIUM NEOCESARIENSE.[1]

Et isti quidem canones secundi sunt eorum qui in Ancyra et Caesarea expositi sunt, Nicaenis vero priores inveniuntur. Convenerunt autem in synodum memoratam Neocaesariensis civitatis hi qui infra scripti sunt: Vitalis, Germanus, Sedus, Eristius, Lupus, Gerontius, Leontius, Sanctus, Basiliscus, Valentinus, Stephanus, Gregorius, Salaminus, Narcissus, Longinus, Leontius, Heraclius, Alipius, a quibus regulae prolatae sunt quae infra scriptae sunt.

I. Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abiici et ad poenitentiam inter laicos redigi oportet.

II. Mulier si duobus fratribus nupserit, abiici debere usque ad diem mortis; sed propter humanitatem in extremis suis sacramentis conciliari oportet, ita tamen ut, si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto ad poenitentiam admittatur. Quod si defuncta fuerit mulier in huiusmodi consortio constituta, difficilis erit poenitentia remanenti: quae sententia tam viros quam mulieres tenere debebit.

III. De his qui frequenter uxores ducunt et his qui saepius nubunt, tempus quidem quod his constitutum est manifestum observare, conversatio autem et fides eorum tempus abbreviabit.

IV. Si quis concupita muliere, etiamsi con-

[1] *Inscr. sec. Andeg. Text. desumt. ex ed. cit. coll. Hisp., rubricis ut in Pseudo-Isidorianis praemissis.*

cubitus eius desiderium habeat, non autem subsequatur effectus, manifestum est hunc fuisse per divinam gratiam liberatum.

V. Catechumenus, id est audiens, qui ingreditur ecclesiam et stat cum catechumenis, si peccare fuerit visus figens genua audiat verbum, sed abstineat ab illo peccato quod fecit. Quod si in eo perdurat, abiici omnino debere.

VI. De praegnantibus, quoniam oportet baptizari quando volunt; nihil enim in hoc sacramento commune est pariturae et illi quod de eius utero fuerit editum, quia uniuscuiusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.

VII. Presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum petatur secundis nuptiis poenitentiam tribuere: quis ergo erit presbyter qui propter convivium illis consentiat nuptiis?

VIII. Si cuius uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in clericatu iam constituto eo adulteravit, dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere eius consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.

IX. Qui admiserit corporale peccatum et hic postea presbyter ordinatus est, si confessus fuerit quod ante ordinationem suam peccaverit, non quidem offerat, maneat autem in aliis officiis propter eius studii utilitatem. Nam et cetera peccata censuerunt plurimi etiam ordinatione privare. Quod si de his non fuerit confessus nec ab aliquo poterit manifeste convinci, huic ipsi de se potestas est permittenda.

X. Similiter et diaconus si in eodem culpae gemine fuerit involutus, sese a ministerio cohibebit.

XI. Presbyter ante triginta annorum aetatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitae, sed observet usque ad praefinitum tempus; dominus enim tricesimo baptizatus est et tunc praedicavit.

XII. Si quis in aegritudine constitutus fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi forte postea huius ipsius studium et fides probabilis fuerit aut hominum raritas cogat.

XIII. Presbyteri qui conregionales non sunt, in ecclesia praesentibus episcopis vel presbyteris civitatis offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum nec calicem porrigere [1]. Quod si absentes sint civitatis sacerdotes et fuerit invitatus ad dandam orationem, solus poterit dare. Vicarii autem episcoporum, quos Graeci chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum, sed tamquam consacerdotes propter sollicitudinem et studium in pauperes offerant et honorabiles habeantur.

XIV. Diaconi septem esse debent secundum regulam, quamvis magna sit civitatis, cui regulae auctoritas erit liber actuum apostolorum.

INCIPIT GANGRENSE CONCILIUM POST NICENAM SYNODUM EDITUM. [2]

Dominis honorabilibus consacerdotibus in Armenia constitutis Eusebius, Eulalius, Olympius, Philetus, Pappus, Basilius, Bithynicus, Hieracius, Hipatius, Bassus, Eugenius, Gregorius, Aelianus, Presius, Eugenius, qui convenerunt in Gangrense concilium in domino salutem. Quoniam conveniens sancta synodus episcoporum, in Gangrensem ecclesiam propter quasdam ecclesiasticas et necessarias causas inquirendas et ea quae secundum Eustachium gesta sunt dignoscenda invenit multa fieri indecenter ab his ipsis qui eundem Eustachium secuti sunt, necessario statuit palam omnibus factis amputare universa quae ab eodem male commissa sunt. Declaratum est enim hos eosdem nuptias accusare et docere quod nullus in coniugali positus gradu spem habeat apud

[1] *Coll. Hispan.* nec panem dare, in oratione autem calicem porrigere. *Verba text. desumta ex cod. Andeg. et codd. Ps.-Is.* A1. [2] *Sec. cod. Andeg. Text. ex ed. coll. Hisp. cit., praemissis ut in Pseud.-Isid. titulis capitulorum.*

deum, unde factum est, ut mulieres multae seductae relictis propriis viris et viri uxoribus destitutis vinculum coniugale dissolverent, continentiam profitentes, quam quum retinere non possent, adulterium commiserunt. Inventi sunt etiam dissensiones ac separationes a dominicis ecclesiis dei docere, id est et traditiones ecclesiasticas et ea quae in ecclésiis aguntur debere contemni, privatis conventiculis institutis atque ad imitationem eorum quae in domo dei aguntur omnia praesumere celebrare, adhuc etiam vestibus communibus spretis novos et insolitos habitus assumpsisse. Primitias quoque fructuum et oblationes eorum quas veterum institutio ecclesiis tribuit, sibimet vindicasse, id est, propria ratione doctrinae, tamquam sanctis sibi eas offerri debere, apud se et inter se dispensandas, servos a dominis recedentes per hunc inusitatum regionis suae habitum sub specie religionis dominos contempsisse. Mulieres quoque praeter consuetudinem et sui sexus ornatum hinc se iustificari credentes virilem habitum suscepisse pluresque earum occasione religionis tonsas genuini decoris comas penitus amputasse. Ieiunia quae in ecclesia praedicantur contemnendo ventri servisse. Nonnullos etiam eorum cibos carnium tamquam illicitos refutasse, in domibus coniugatorum ne orationes quidem debere celebrari persuasisse, in tantum ut easdem fieri vetent et oblationibus quae in domibus factae fuerint minime communicandum esse decernant. Presbyteros vero qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt, nec sacramenta quae ab eis conficiuntur attingi. Loca sanctorum martyrum vel basilicas contemnere et omnes qui illuc conveniunt et sacramenta conficiunt reprehendere. Divites fideles, qui non omnibus renuntiant quae possident spem apud dominum non habere, et multa alia quae enumerare nulli possibile est, singulos quosque eorum pro suo arbitrio constituere. Unusquisque enim eorum per talem institutionem ab ecclesiastico canone recedens tamquam proprias leges sibimet condidit. Sed nec communis his omnibus et una sententia est: singuli enim, prout videtur et libet, ad accusationem ecclesiae nitendo tamquam rector non sit, vel addit decreta vel minuit. Propter haec ergo coactum est hoc concilium in Gangrensi ecclesia habitum canones istos exponere, quibus probabuntur memorati extra ecclesiam esse. Quod si per poenitentiam condemnaverint omnia haec quae male senserunt, tamquam a se non bene prolata acceptabiles fiant, atque eo singula quae debeant condemnare, synodus credidit exponenda. Quod si quis renuerit haec quae hodie constituta sunt, tamquam haereticus anathematizatus et damnatus abiiciatur, et erit non solum incommunicatus, verum etiam ab ecclesia habeatur extorris, donec deprecetur episcopos et de universis quae penes eos deprehensa atque detecta sunt, prodiderit, quid horum susceperit observandum.

I. Si quis nuptias in accusationem deduxerit et mulierem fidelem ac religiosam cum viro suo dormientem abominandam crediderit aut etiam accusandam tamquam non posse coniugatos in regnum dei ingredi, anathema sit.

II. Si quis carnem manducantem ex fide cum religione praeter sanguinem et idolo immolatum et suffocatum crediderit condemnandum tamquam spem non habentem quod eas manducet, anathema sit.

III. Si quis servum alienum occasione religionis doceat dominum suum debere contemnere et eius ministerium destituere ac potius non docuerit eum suo domino bona fide et cum omni honorificentia deservire, anathema sit.

IV. Si quis discernit presbyterum coniugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debet et ab eius oblatione ideo se abstineat, anathema sit.

V. Si quis docet domum dei contemptibilem esse debere et congregationes quae in ea fiunt, anathema sit.

VI. Si quis extra ecclesiam privatam populos congregans contempnat ecclesiasticas sanctiones[1] ipsamque ecclesiam apud se sine consilio episcopi cum presbytero agat, anathema sit.

VII. Si quis oblationes fructuum vel primitias ecclesiae debitas voluerit extra ecclesiam accipere vel dare, praeter conscientiam episcopi vel eius cui eiusmodi officia commissa sunt et non magis cum consilio eiusdem de his agendum putaverit, anathema sit.

VIII. Si quis dederit vel acceperit fructuum oblationes praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit anathema sit.

IX. Si quis vel virginitatem vel continentiam professus tamquam abominabiles nuptias iudicat et non propter solum hoc quod continentia et virginitas bonum sanctumque propositum sit, anathema sit.

X. Si quis propter deum virginitatem professus in coniugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.

XI. Si quis contemnendos duxerit agapem facientes et propter honorem domini fratres pauperes convocantes et noluerit communicare, vocationibus eorum tamquam nihilum quod fit deducens, anathema sit.

XII. Si quis virorum putaverit sancto pro-

[1] *Textum corr. sec. cod. Andeg. et codd. Ps.-Is. A1. In ed. coll. Hisp. ita legitur:* si quis extra ecclesiam privatim etc., apud se autem sine consilio episcopi cum presbyteris [*aut* presbytero] etc. *Codd. Ps.-Is. class. B ac edit. Merlin. inserunt post* sanctiones: nec aliter ea quae sunt ecclesiae voluerit usurpare non conveniente presbytero iuxta decretum episcopi, anathema sit, ipsamque ecclesiam *etc. ut in textu.*

posito, id est continentiae convenire ut pallio utatur tamquam ex eo iustitiam habiturus et reprehendat vel iudicet alios qui cum reverentia birris utuntur et alia veste communi quae in usu est, anathema sit.

XIII. Si qua mulier, hoc proposito utile iudicans virili veste utatur, ad hoc ut viri habitum imitetur, anathema sit.

XIV. Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo coniugali nuptias condemnando, anathema sit.

XV. Si quis derelinquerit filios proprios et non eos alit et secundum quod pietatis est necessaria non praebuerit, sed occasione continentiae negligendos putaverit, anathema sit.

XVI. Si qui filii parentes maxime fideles deseruerint in occasione cultus, hoc iustum esse iudicantes et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur quod fideles sunt, anathema sit.

XVII. Quaecumque mulier religioni iudicans convenire comam sibi amputaverit, quam deus ad velamen eius et ad memoriam subiectionis illi dedit, tamquam resolvens iura subiectionis, anathema sit.

XVIII. Si quis, tamquam hoc convenire iudicans, die dominico ieiunaverit in eiusdem diei contemptum, anathema sit.

XIX. Si qui eorum qui in proposito sunt continentiae praeter necessitatem corporalem superbiat et ieiunio communia totius ecclesiae putaverit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.

XX. Si quis per superbiam tamquam perfectum se aestimans conventus qui per loca et basilicas sanctorum martyrum fiunt vel accusaverit vel etiam oblationes quae ibidem celebrantur spernendas esse crediderit memoriasque sanctorum condemnendas, anathema sit.

Haec autem scripsimus, non abscindentes eos qui in ecclesia dei secundum scripturas sanctum propositum continentiae eligunt, sed eos qui suscipiunt habitum eius et in superbiam efferuntur adversus eos qui simplicius vivunt. Sed eos condemnamus qui se extollunt adversus scripturas et ecclesiasticos canones, et nova introducunt praecepta. Nos autem et virginitatem cum humilitate admiramur et continentiam cum castitate et religione deo acceptissimam dicimus et renuntiationem secularium negotiorum atque actuum cum humilitate discessum approbanda laudamus et nuptiarum vinculum, quod secundum castitatem secum perdurat, honoramus et divites cum iustitia et operibus bonis non abiicimus et parsimoniam cum veste humili non reprobamus, sicut etiam ornatum propter corporis diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem et fractos in vestibus incessus non recipimus, et domos dei honoramus et conventus qui in his fiunt tamquam sanctos et utiles recipimus, pietatem in privatis domibus non concludentes et omnem locum in nomine dei aedificatum honoramus et congregationem in ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, et bona opera, quae supra vires in fratres pauperes exercentur secundum ecclesiasticas traditiones beatificamus et omnia quae conveniunt traditionibus apostolicis et sanctarum scripturarum praeceptis in ecclesia fieri exoptamus.

INCIPIT CONCILIUM SARDICENSE CCC EPISCOPORUM ET IN EO CANONES INSTITUTI.[1]

I. Episcopum non debere ad aliam civitatem se transferre.

II. Episcopum de provincia ad provinciam non transire, nisi fuerit invitatus.

III. De duobus episcopis unius provinciae inter se contentionem habentibus.

IV. De episcopo adiudicato.

V. De episcopis a synodo depositis.

VI. De quibus supra.

VII. De episcopis accusatis.

VIII. Ut episcopi passim ad comitatum non pergant.

IX. De quibus supra.

X. De quibus supra.

XI. De quibus supra.

XII. De quibus supra.

XIII. Ut ne ex laico quilibet episcopus ordinetur.

XIV. Ut episcopus in aliena provincia non immoretur.

XV. De episcopis in aliena provincia possessiones habentibus.

XVI. De clericorum excommunicatione.

XVII. Licere clericis, si iniuste fuerint excommunicati, vicinos adire episcopos.

XVIII. Non licere episcopo alterius clericum in sua ecclesia ordinare.

XIX. De quibus supra.

XX. Ut extranei clerici apud Thessalonicam non tardent.

XXI. Clerici vim passi aut persequutionem si ad aliam accesserint civitatem, non vetentur ibi morari quamdiu potuerint redire.

Anno sexto Constantini imperatoris, Leontio et Sallustio consulibus, era CCCLXXI Sardicensis synodus congregata est, ubi omnes per Orientem Ariani episcopi condemnati sunt, qui conventi ad concilium occurrere reatu conscientiae noluerunt: in quo

[1] *Sic cod. Andeg. et codd. Al. Textus desumtus ex ed. cit. coll. Hisp., praemissis tantum rubricis, ut in Ps.-Isid.*

concilio inter cetera hae regulae pro disciplina ecclesiastica institutae sunt:

I. Osius episcopus dixit: Non minus mala consuetudo quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat episcopo de civitate sua ad aliam civitatem transire. Manifesta est enim causa qua hoc facere tentant, quum nullus in hac re inventus sit episcopus qui de maiore civitate ad minorem transiret, unde apparet avaritiae eos ardore inflammari et ambitioni servire et ut dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet ut huiusmodi pernicies austerius vindecetur nec laicam communionem habeat, qui talis est. Universi dixerunt: Placet etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut forsitan excusationem afferat, quod populi litteras acceperit, quum manifestum sit premio et mercede paucos qui sinceram fidem non habent potuisse corrumpi, ut clamarent in ecclesia ut ipsum petere viderentur episcopum: omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut nec laicam communionem in fine talis accipiat, quod si vobis omnibus placet, statuite. Universi dixerunt: Placet.

II. Osius episcopus dixit: Illud quoque statutum sit, ut episcopus de sua provincia ad aliam provinciam in qua sunt episcopi, non transeat, nisi forte a fratribus suis invitatus, ne videamur ianuam caritatis clausisse.

III. Osius episcopus dixit: Providendum est etiam, ut si in aliqua provincia forte aliquis episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, unus e duobus ex alia provincia non advocet episcopos ad iudicium.

IV. Osius episcopus dixit: Quod si aliquis episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa et putat se habere bonam causam, ut iterum iudicium renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his qui causam examinarunt, vel etiam ab aliis episcopis, qui in provincia propinqua morantur, Romano episcopo; et si iudicaverit renovandum esse iudicium, renovetur et det iudices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur quae acta sunt, quae decreverit Romanus episcopus confirmata erunt: si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: Placet.

V. Gaudentius episcopus dixit: Addendum est si placet huic sententiae quam plenam sanctitate protulistis, ut cum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum iudicio qui in vicinis commorantur locis et proclamaverit, agendum sibi negotium in urbe Roma, alter episcopus in eadem cathedra post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iuditio Romani episcopi determinata.

VI. Osius episcopus dixit: Si contigerit, in una provincia in qua fuerint plurimi episcopi unum forte remanere episcopum, ille vero per negligentiam noluerit ordinare episcopum et populi convenerint, episcopi vicinae provinciae debent illum prius convenire episcopum qui in eadem provincia moratur et ostendere quod populi petant sibi rectorem, et hoc iustum esse, ut et ipse veniat et cum ipso ordinent episcopum. Quod si conventus litteris tacuerit et dissimulaverit nihilque rescripserit, tunc satisfaciendum esse populis, ut veniant ex vicinis provinciis et ordinent episcopum: sed iterum licentia danda passim non est. Si enim subito aut vicus aliquis aut modica civitas cui satis est unus presbyter voluerit sibi episcopum ordinari ad hoc, ut vilescat nomen episcopi et auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere episcopum, nisi aut in his civitatibus quae episcopos habuerunt, aut si qua tam populosa est civitas vel locus qui mereatur habere episcopum. Synodus respondit: Placet.

VII. Osius episcopus dixit: Et hoc placuit, ut si episcopus accusatus fuerit et iudicaverint congregati episcopi regionis illius et de gradu suo deiecerint eum, si appellaverit qui deiectus videtur, et confugerit ad beatissimum ecclesiae Romanae episcopum et voluerit audiri, si iustum putaverit, ut renovetur examen, scribere episcopis dignetur Romanus episcopus his qui in finitima et propinqua altera provincia sunt et ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis omnia definiant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyteros mittat, erit in potestate ipsius quid velit et quid aestimet: et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis iudicent, ut etiam habeant auctoritatem personae illius a quo destinati sunt, erit in eius arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos provinciales, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.

VIII. Osius episcopus dixit: Importunitatis nostrae nimia frequentia et iniusto iudicio petitiones fecerunt nos non tantam habere gratiam aut fiduciam, dum quidam non cessant ad comitatum ire episcopi et maxime Afri, qui sicuti cognovimus, sanctissimi fratris et coepiscopi nostri Grati salutaria consilia spernant atque contemnant, et non solum ad comitatum multas et diversas ecclesiae non profuturas perferant causas, ut fieri solet aut oportet, ut aut pauperibus aut viduis aut pupillis subveniatur, sed et dignitates seculares et administrationes quibusdam postulant. Haec itaque privatas olim non solum murmurationes sed et scandala excitavit. Honestum est autem ut episcopus intercessionem suam his praestet qui aliqua iniqua vi opprimuntur aut si vidua affligitur aut pupillus expoliatur, tamen et ista omnia si iustam habeant causam et petitionem. Si vobis ergo, fratres

carissimi, placet, decernite, ne episcopi ad comitatum accedant, nisi forte hi qui religiosissimi imperatoris litteris vel invitati fuerint vel evocati. Sed quoniam saepe contingit, ut ad misericordiam ecclesiae confugiant, qui iniuriam patiuntur et qui peccantes in exilium vel in insulas damnantur aut certe quicumque sententiam excipiunt, ideoque subveniendum est et sine dubitatione eis petenda per ecclesiam indulgentia. Si ergo hoc vobis placet, statuatur. Universi dixerunt: Placet et constituatur.

IX. Osius episcopus dixit: Haec quoque prudentia vestra tractare debet, ut quia decrevistis, ne episcopi improbitas notetur ad comitatum pergendo, quicumque ergo quales superius memoravimus preces habuerint vel acceperint, per diaconum suum mittant, quia persona ministri non erit invidiosa, quae celerius poterit quae impetraverit referre. Et hoc consequens esse videtur, ut unusquisque qui preces habuerit eas ad fratres et coepiscopos nostros qui in maxima civitate, id est, qui metropoli consistunt mittat et illi per suos diaconos destinet, tribuendo commendatitias epistolas pari ratione ad fratres et coepiscopos nostros qui in illo tempore in his regionibus et urbibus morantur, in quibus felix et beatus Augustus rempublicam gubernat. Si vero habet quis episcoporum amicos in palatio, qui cupit aliquid quod tamen honestum est impetrare non prohibeatur per diaconem suum rogare et significare eis quos scit benigne intercessione sibi absenti posse praestare. Qui vero Romam venerit, sicut dictum est, sanctissimo fratri et coepiscopo nostro Romanae ecclesiae preces quas habet, tradat, ut et ipse prius examinet si honestae et iustae sunt, et praestet diligentiam atque sollicitudinem ut ad comitatum perferatur. Universi dixerunt: Placere sibi et honestum esse consilium.

X. Alipius episcopus dixit: Si propter pupillos et viduas vel laborantes, qui causas non iniquas habent, susceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid iustae rationis; nunc vero quum ea postulent, quae sine invidia omnium et reprehensione esse non possunt, non necesse ire illos ad comitatum.

XI. Gaudentius episcopus dixit: Ea quae salubriter providistis convenientia et aestimatione omnium ac deo placitura et hominibus tenere hactenus fortitudinem possunt, si metus huic sententiae coniungatur, scimus enim etiam ipsi saepissime propter paucorum imprudentiam sacrum ac religiosum sacerdotale nomen fuisse reprehensum. Si igitur aliquis contra omnium sententiam nisus voluerit ambitioni placere magis quam deo, debet scire causis redditis honorem atque dignitatem se amissurum: hoc autem sciri et comperiri poterit, si unusquisque nostrum qui in canali constitutus est quum progredientem episcopum viderit, inquirat transitum eius, causas videat, quo tendit, agnoscat. Et si quidem eum agnoverit ire ad comitatum, requirat illud quod superius comprehensum est, ne forte invitatus est, ut ei facultas eundi permittatur: sin vero ut superius meminit sanctitas vestra propter desideria et ambitiones ire ad comitatum tentaverit, neque litteris eius subscribatur, neque in communionem recipiendus est. Si vobis placet, debet omnium sententia confirmari. Universi dixerunt: Hoc honestum esse et placere sibi constitutionem.

XII. Osius episcopus dixit: Sed et moderatio est necessaria, dilectissimi fratres, ne subito adhuc quidam nescientes quid decretum sit in synodo, venerint subito ad civitates eas, quae in canali sunt, debet episcopus civitatis ipsius admonere et instruere illum, et ex eo loco ille mittat diaconem; admonitus tamen ipse redeat ad parochiam suam.

XIII. Osius episcopus dixit: Necessarium arbitror, ut diligentissime tractetur, si forte aut dives aut scholasticus de foro aut ex administratore episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere et officio diaconii et presbyterii fuerit perfunctus; et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones quae habent utique prolixum tempus probari, qua fide sit quave modestia et gravitate et verecundia, ut si dignus fuerit, probatus divino sacerdotio illustretur. Nam nec conveniens est nec ratio nec disciplina patitur, ut temere ac leviter ordinetur aut episcopus aut presbyter aut diaconus, qui sit neophytus, maxime quum beatissimus apostolus magister gentium, ne hoc fieret denuntiasse et prohibuisse videatur, sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita et merita comprobata. Universi dixerunt placere sibi haec.

XIV. Osius episcopus dixit: Hoc quoque statuere debetis, ut episcopus ex alia civitate quum venerit ad aliam civitatem vel ex provincia sua ad aliam provinciam et ambitioni magis serviat quam devotioni, ita ut si voluerit in aliena civitate multo tempore residere et contingat ut episcopus civitatis ipsius non tam instructus sit nec tam doctus, is vero qui advenit incipiat contemnere eum et frequenter facere sermonem, ut dehonestet et informet illius personam: qua occasione fit, ut non dubitet relinquere assignatam sibi ecclesiam et transire ad aliam: definite ergo tempus, quia et non recipere episcopum inhumanum est et diutius residere perniciosum: ne fiat ergo providendum est. Memini autem superiori concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea qua commoratur civitate tres dominicas, id est per tres septimanas non celebrasset conventum communione privaretur. Si ergo

haec circa laicos constituta sunt, quanto magis nec licet nec decet, ut episcopus, si nullam tam gravem habet necessitatem nec tam difficilem rationem, tamdiu absit ab ecclesia sua et populum contristet? Universi dixerunt, placere sibi.

XV. Osius episcopus dixit: Quia nihil praetermitti oportet, sunt quidam fratres et coepiscopi nostri, qui non in ea civitate possident, in qua episcopi videntur esse constituti, vel certe parvam rem illic habent ubi habitant, alibi autem idonea praedia habere noscuntur vel affectiones proximorum quibus indulgeant: hactenus igitur eis permitti oportet, ut accedant ad possessiones suas et disponant et ordinent fructum laboris sui, ut post tres dominicas, id sit post tres septimanas, si morari necesse sit, in suis potius fundis morentur: et si est proxima civitas in qua presbyter est, ne sine ecclesia facere videatur dominicum, accedant ut nec res eius domesticae per absentiam eius detrimentum sustineant et non frequenter veniendo ad aliam civitatem in qua est episcopus suspicione iactantiae et ambitionis incurrant. Universi dixerunt placere sibi.

XVI. Osius episcopus dixit: Si hoc quoque omnibus placet, ut sive diaconus sive presbyter sive quis clericorum ab episcopo suo fuerit communione privatus et ad alterum perrexerit episcopum et scierit ille ad quem confugerit, eum ab episcopo suo fuisse abiectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt: Hoc statutum et pacem servabit, et custodiet concordiam.

XVII. Osius episcopus dixit: Quid me adhuc moveat, reticere non debeo. Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum aut diaconum suum et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem: et ideo habeat potestatem qui deiectus est, ut finitimos episcopos interpellet et causa eius audiatur et diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti: et ille episcopus qui aut iuste aut iniuste abiecit eum, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia eius a plurimis vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter fuerint examinata, eum qui fuerat communione separatus, nullus alius debet praesumere ut recipiat et communioni societ. Qui autem convenerint ad audiendum, si clericorum esse fastidium viderint et superbiam, quia non decet ut episcopus aut iniuriam aut contumeliam patiatur, austerioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta praecipienti episcopo; quia sicut ille sincerum amorem debet clericis exhibere et caritatem, ita quoque vicissim ministri infucata debent episcopo suo obsequia exhibere.

XVIII. Ianuarius episcopus dixit: Illud quoque sanctitas vestra statuat, ut nulli episcopo liceat alterius episcopi civitatis ecclesiasticum sollicitare et in sua dioecesi ordinare clericum, quia ex his contentionibus solet nasci discordia, et ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

XIX. Osius episcopus dixit: Et hoc universi constituimus, ut quicumque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine consensu episcopi ipsius et sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio eius. Quicumque autem hoc usurpaverit a fratribus et coepiscopis nostris et admoneri et corrigi debet.

XX. Cleticius[1] episcopus dixit: Non ignoratis quanta et qualis sit Thessalonicensium civitas: saepe ad eam veniunt ex aliis regionibus presbyteri et diaconi, et non sunt contenti, ut brevi tempore remorentur aut resideant ibi aut certe vix post longa spatia ad sua redire cogantur. Universi dixerunt: Ea tempora quae constituta sunt circa episcopos, et erga horum personas observari debent.

XXI. Osius episcopus dixit: Suggerente fratre et coepiscopo nostro Olympio hoc etiam placuit, ut si aliquis vim perpessus est et inique pulsatus pro disciplina vel catholica defensione vel confessione veritatis fugiens pericula innocens et devolutus ad aliam venerit civitatem non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire potuerit aut iniuria eius remedium acceperit. Durum est enim qui persequutionem patitur non recipi, etiam et larga benevolentia et humanitas est ei exhibenda.

INCIPIT CONCILIUM ANTIOCENUM.[2]

I. Non licere pascha diverso tempore facere, neque cum iudaeis celebrare.
II. Non licere communionem ecclesiae contemnere aut excommunicatis communicare.
III. Non debere clericum ad ecclesiam aliam migrantem ibi perseverare.
IV. Non licere episcopo vel cuicumque clerico, si exauctoratus fuerit ministrare.
V. Non licere clericis contempto episcopo semote colligere.
VI. De excommunicatis.
VII. Nullum peregrinum absque epistolio suscipi.
VIII. Ut epistolia soli chorepiscopi faciant.
IX. De metropolitanis episcopis.
X. De chorepiscopis.

[1] *Sic cod. Andeg., plerique classis A1, ed. Merl.; Hisp.:* Aetius. [2] *Sic cod. Andeg. Textus desumtus ex ed. cit. coll. Hisp., praemissis tantum rubricis ut in Pseudo-Is.*

XI. De his episcopis vel clericis qui sine litteris episcoporum ad imperatorem vadunt.
XII. De episcopis vel clericis depositis.
XIII. Non licere episcopis in aliena provincia clericos ordinare.
XIV. De episcopis accusatis.
XV. De quibus supra.
XVI. De episcopis vacantibus.
XVII. De episcopis qui accepta manus impositione non acquiescunt suscipere ministerium.
XVIII. De his quibus supra.
XIX. Non licere sine consilio metropolitani episcopi episcopum ordinari.
XX. Ut bis in anno synodus celebretur.
XXI. Episcopum de dioecesi ad dioecesem non debere transire.
XXII. Episcopum non debere in alienam irruere civitatem.
XXIII. Episcopo non licere successorem sibi constituere.
XXIV. De rebus ecclesiasticis et episcopalibus.
XXV. Episcopum habere potestatem in rebus ecclesiasticis disponendis.

Sancta et pacatissima synodus in unum congregata his qui per singulas provincias sunt unanimibus sanctis et consacerdotibus in domino salutem. Gratia et veritas Iesu Christi domini et salvatoris nostri sanctam Antiochenam ecclesiam visitans et in unum connectens per concordiam pacatissimi spiritus multa quidem et alia perfecit, in omnibus autem suggerente sancto et pacifico spiritu etiam hoc perfecit, ut quae visa sunt recte constitui cum plurima consideratione et iudicio una cum omnibus nobis Antiochia ex diversis provinciis in unum collectis episcopis in vestram notitiam deferrentur. Credimus autem gratiae domini et sancto spiritui pacis quod et ipsi conspirabitis nobis tamquam in unam fuissetis virtutem et nobiscum orationibus adnitentes magis muniti et in spiritu sancto praesentes iisdem ipsis quae definita sunt, consentientes et ea quae visa sunt, recta roborantes cum consensu sancti spiritus consignabitis. Sunt autem praefiniti canones ecclesiastici hi qui infra scripti sunt. In qua synodo fuerunt episcopi Eusebius, Niceta, Antiochus, Archelaus, Isicius, Iacobus, Aeneas, Bassus, Moyses, Macedonius, Theodorus, Paulus, Eustachius, Manicius, Agapius, Alexander, Patritius, Petrus, Theodorus, Narcissus, Syricus, Manicius, Aetherius, Magnus, Alipius, Tarcodius, Mantus, Petrus, Anatolius et Chirion ex provinciis Syriae Coeles, Phoenices, veteris Arabiae, Mesopotamiae, Ciliciae, Isauriae, et haec constituerunt quae infra scripta sunt.

I. Omnes qui audent dissolvere regulam sancti et magni concilii Niceni, quod celebratum est in praesentia dei et amantissimi Constantini imperatoris, de sancta et salutari festivitate paschali salvatoris nostri, excommunicatos et abiectos ab ecclesia esse debere, maxime si perseverent studio contentionis ad subvertenda ea quae optime constituta sunt: et haec quidem dicta sunt de laicis. Si autem de praepositis ecclesiae aliquis, id est vel episcopus vel presbyter vel diaconus, post hanc diffinitionem et hunc terminum ausus fuerit in subversionem populorum et perturbationem ecclesiarum retinere et cum iudaeis pascha voluerit celebrare, hunc sancta synodus iam iamque alienum ab ecclesia esse iudicavit, tamquam eum qui non solum proprii peccati reus sit, sed et aliorum corruptae mentis et conversationis supplantator extiterit: et non solum huiusmodi deponi a sacerdotio et ministerio, sed et hos qui eis ausi fuerint communicare post damnationem. Depositos autem etiam honore qui extrinsecus est privari oportet quem sanctus canon et dei sacerdotium meruit.

II. Omnes qui ingrediuntur ecclesiam dei et sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, adversantur etiam sanctam assumptionem dominici sacramenti secundum aliquam propriam disciplinam, hos abiici ab ecclesia oportet, donec confitentes fructum poenitentiae demonstrent et deprecati fuerint, ut data venia suscipi mereantur. Non autem liceat communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi nec cum eis orare, qui ecclesiae participant in oratione, nec in alteram ecclesiam recipi qui ab alia excommunicantur. Quod si visus fuerit quilibet episcoporum vel presbyterorum aut diaconorum vel etiam qui in canone detinentur excommunicatis communicare, et hunc oportet communione privari tamquam ecclesiae regulas confundentem.

III. Si quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus, deserta sua ecclesia ad aliam transeundum esse crediderit et ibi paulatim tentet quo migravit perpetuo permanere, ulterius ministrare non debet, praesertim si ab episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si et post evocationem sui episcopi non obedierit, sed perseveraverit, omnismodis ab officio suo deponi debere nec aliquando spem restitutionis habere. Si quis vero propter hanc culpam depositum alius episcopus susceperit et ipse a communi synodo poenam merebitur increpationis, tamquam ecclesiastica iura dissolvens.

IV. Si quis episcopus a synodo fuerit depositus, vel presbyter vel diaconus a proprio episcopo condemnatus, et praesumpserit sacerdotii seu sacri ministerii quidpiam, non ei amplius liceat neque in alia synodo spem restitutionis habere, neque assertionis alicuius locum, sed et communicantes ei omnes abiici ab ecclesia et maxime si postquam cognoverunt sententiam adversus eum fuisse prolatam, ei contumaciter communicaverunt.

V. Si quis presbyter aut diaconus contempto

suo episcopo seipsum ab ecclesia segregaverit et privatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit et nihilominus episcopo suo exhortante et semel et iterum revocante inobediens extiterit, hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando consequi curationem aut proprium honorem recipere speret. Quod si etiam perseveraverit perturbans et concitans ecclesiam quae foris est, tamquam seditiosum corripi oportet.

VI. Si quis a proprio episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi a suo fuerit receptus episcopo aut concilio facto occurrat et respondeat et synodo satisfecerit et statuerit sub alia sententia, recipi oportet. Quod etiam circa laicos et presbyteros et diaconos et omnes qui in clero sunt convenit observari.

VII. Nullum absque formata, quam Graeci epistolam dicunt, peregrinorum clericorum suscipi oportet.

VIII. Neque presbyteros ad regiones longinquas formatas, id est canonicas epistolas dare, nisi ad finitimos episcopos simplices epistolas mittere, vicariis vero episcoporum, qui a Graecis chorepiscopi appellantur, formatas facere liceat.

IX. Per singulas provincias episcopos singulos scire oportet, episcopum metropolitanum, qui praeest curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse. Propter quod ad metropolitanam civitatem ab his qui causas habent sine dubio concurratur. Quapropter placuit eum et honore praeire et nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere secundum antiquum patrum nostrorum qui obtinuit canonem, nisi haec tantum quae uniuscuiusque ecclesiae per suam dioecesim competunt. Unumquemque enim oportet episcopum potestatem habere et suae dioecesis ad hanc gubernandam secundum competentem sibi reverentiam, ad providendum regioni quae sub ipsius est civitate, ita ut etiam ordinare presbyteros et diaconos ei probabili iudicio liceat et de singulis moderatione et pondere disceptare; ultra autem nihil agere permitti citra metropolitani episcopi conscientiam, nec metropolitanus sine ceterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

X. Qui in vicis et villis constituti sunt chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab episcopis susceperunt, placuit sanctae synodo scire eos oportere modum proprium retinere et gubernare adiacentes sibi ecclesias commissas et esse contentos propria sollicitudine et gubernatione quam susceperunt. Constituere autem his permittitur lectores et subdiaconos et exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse: non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare praeter conscientiam episcopi vel civitatis vel ecclesiae cui adiacens invenitur seu ipse seu regio in qua praeesse dignoscitur. Quod si quis praevaricare ausus fuerit constituta, deponi eum et dignitate qua praeditus est debere privari. Chorepiscopus autem ab episcopo civitatis vel loci cui idem adiacet ordinandus est.

XI. Si quis episcopus vel presbyter vel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus, praeter consilium vel litteras eorum episcoporum qui sunt intra provinciam, et maxime metropolitani ad imperatorem perrexerit, hunc abdicari et eiici non solum de communione debere, sed etiam propria dignitate privari, tamquam molestum et importunum imperialibus auribus contra ecclesiastica constituta: si autem necessitas cogit ad imperatorem excurrere propter aliquam actionem, cum deliberatione et consilio metropolitanae provinciae episcopi et ceterorum conscientia episcoporum qui in eadem provincia sunt, litteris ire debebit.

XII. Si quis a proprio episcopo depositus vel presbyter vel diaconus aut etiamsi a synodo quilibet episcopus fuerit exauctoratus, molestiam imperialibus auribus inferre non praesumat, sed ad maiorem episcoporum synodum sese convertat, et quae se putat habere iusta in eorum concilio alleget, atque ab his de se exspectet quae fuerit deprompta sententia. Quod si deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed imperatori fuerit huiusmodi importunus, nullam veniam habeat, neque locum illius assertionis suae nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.

XIII. Nullum episcopum audere debere ex alia provincia ad aliam transitum facere et ordinare aliquos in ecclesiis aut provehere ad sacrum ministerium, nec alios illuc secum attrahat episcopos, nisi forte per litteras rogatus abierit, non solum autem a metropolitano, sed ab his qui cum eo sunt provinciae episcopis. Quod si nullo invitante inordinate superveniat et aliquos vel ordinare praesumpserit vel quoslibet actus illi ecclesiae competentes ad se qui minime pertinent, usurpare tentaverit, vacua quidem et inania erunt omnia quae gesserit, ipse vero huius indisciplinati ausus et irrationabilis coepti dignas causas expendat, tamquam depositus a synodo sancta et propter huiuscemodi praesumptionem iam praedamnatus.

XIV. Si quis episcopus de aliquibus causis criminalibus in iudicio episcoporum fuerit accusatus, contingat autem de ipsis episcopis provinciae qui convenerunt diversas habere sententias et alios quidem innocentem eum pronuntiare, alios reum: propter huiusmodi itaque controversiam amputandam placuit sanctae synodo metropolitanum episcopum alterius provinciae vicinae advocari et aliquantos cum eo episcopos alios, qui pariter residentes quaecumque fuerit, dirimant quaestionem: propter hoc ut firmum sit iudicium quod ab unius provinciae episcopis fuerit promulgatum.

XV. Si quis episcopus criminaliter accusatus ab omnibus qui sunt intra provinciam episcopis exceperit unam consonamque sententiam, ab aliis ulterius iudicari non poterit, sed manere circa eum oportet tamquam convenientem quae ab omnibus prolata est, firmam ratamque sententiam.

XVI. Si quis episcopus vacans in ecclesiam vacantem supervenerit, et hanc obrepenter praeter plenariam synodum occupandam esse crediderit, hunc abiici oportet, tametsi eum plebs quem diripuit velit sibi episcopum retinere. Illa autem dicetur synodus plenaria in qua etiam episcopus metropolitanus adfuerit.

XVII. Si quis episcopus suscepta manus impositione et deputatus populis praeesse non suscipiat ministerium sacerdotii, nec consentiat abire in ecclesiam in qua fuerat ordinatus, hunc incommunicabilem esse debere, donec coactus consentiat plebem suscipere sibimet deputatam aut provinciae plenaria synodus episcoporum de eo aliquid statuat.

XVIII. Si quis episcopus ordinatus non abierit in parochiam cui ordinatus est, si non suo vitio sed plebis forsitan contradictione, hic honorem susceptum retinere debebit et sacerdotio fungi, ita ut nihil molestiae afferat ecclesiae illi in qua fuerat constitutus. Exspectare autem eum oportet provinciae plenariam synodum, donec de eo quod competit statuatur.

XIX. Episcopum non ordinandum praeter consilium et praesentiam metropolitani episcopi, cui melius erit, si ex omni provincia congregentur episcopi: quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt propriis litteris consensum suum de ipso designent, et tunc demum post plurimorum sive praesentiam sive per litteras sententiam consonam ordinetur: quod si aliter quam statuta sunt fiat, nihil valere huiusmodi ordinationem. Si vero etiam secundum definitas regulas ordinatio celebretur, contradicant autem aliqui propter proprias et domesticas simultates his contemptis sententia de eo obtineat plurimorum.

XX. Propter ecclesiasticas causas et quae existunt controversias dissolvendas sufficere visum est bis in anno per singulas provincias episcoporum concilium fieri: semel quidem post tertiam hebdomadam paschalis festivitatis, ita ut in quarta hebdomada quae consequitur, id est media pentecoste concilium compleatur, admoneant autem comprovinciales episcopos hi qui in amplioribus id est in metropolitanis civitatibus degunt; secundum verum concilium Idibus Octubribus habeatur, qui dies apud Graecos Hyperberetaei mensis decimus invenitur. In ipsis autem conciliis et presbyteros et diaconos praesentes esse oportet et omnes quotquot se laesos aestimant et synodicam expectare sententiam: nec liceat aliquibus apud semetipsos concilia sine metropolitanorum episcoporum conscientia facere, quibus de omnibus causis constat permissum esse iudicium.

XXI. Episcopum de dioecesi ad dioecesem alteram non debere transire, neque si seipsum ingesserit neque si a populis fuerit violenter attractus neque si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur: manere autem eum debere in ecclesia dei quam ab initio sortitus est, et non ab alia alibi demigrare secundum regulam a patribus constitutam.

XXII. Episcopum non debere in alienam irruere civitatem, quae illi probatur non esse subiectam neque in regionem quae ad eius curam minime dignoscitur pertinere ad aliquid ordinandum, neque presbyteros aut diaconos constituere ad alios episcopos pertinentes, nisi forte cum consilio propriae regionis episcopi. Quod si quispiam horum tale aliquid adire voluerit, irrita quidem erit huiusmodi ordinatio et is qui male usurpaverit a synodo arguatur.

XXIII. Episcopum non licere tamquam successorem sibi futurum constituere alterum, quamvis circa vicinia mortis habeatur: quod si tale aliquid factum fuerit, irrita erit huismodi ordinatio. Custodire autem debet ecclesiastica constituta quae si ita se continent, non posse aliter episcopum fieri, nisi in concilio et cum consensu episcoporum, eorum dumtaxat qui post obitum illius qui praecessit, habuerint potestatem eum qui dignus fuerit provehendi.

XXIV. Quaecumque res ecclesiae sunt, convenit cum omni diligentia et bona fide servari, scilicet illa fide quae deo debetur omnia providenti atque iudicanti, quaeque gubernari oportet et dispensari cum iudicio et potestate episcopi, cui totius plebis animae videntur esse commissae. Manifesta autem esse oportet quae ecclesiae competunt eorum presbyterorum et diaconorum, id est qui circa ipsum sunt, ut ipsi non ignorent nec eos aliquid lateat eorum quae sunt propriae ecclesiae, ut si contigerit episcopum de hac vita migrare, quum manifestae sunt et notae res ecclesiasticae, non intercidant atque depereant. Sed nec res propriae episcopi tamquam obnoxiae rerum ecclesiasticarum occasione illius pulsentur iniuriae, quia iustum et decibile est apud dominum et homines quae propria sunt episcopi quibus ipse iudicaverit derelinqui, et quae ecclesiae sunt ipsi servari. Ita enim fit ut nec ecclesia damno aliquo affligatur, nec episcopus occasione rerum ecclesiasticarum praescribatur, neque pertinentes ad eum in causas incurrant, quo post mortem memoria eius maledictis aliquibus oneretur.

XXV. Episcopum habere rerum ecclesiasticarum potestatem ad dispensandum omnibus indigentibus cum omni timore et reverentia dei; ipsum quoque ex eis percipere atque uti debere quibus indiget, si tamen indiget vel ad suas necessarias vel fratrum expensas qui apud eum hospitalitatis gratia commorantur, ut nulla ex parte per ino-

piam defraudentur secundum apostolum dicentem: Habentes victum quotidianum et tegumentum corporis his contenti sumus. Quod si his minime contentus atque sufficiens transferat in necessitates domesticas ecclesiasticas res vel commoda quaelibet ecclesiae aut agrorum ecclesiasticorum fructus citra conscientiam presbyterorum vel diaconorum apud se redigat et domesticis suis vel etiam affinibus aut fratribus aut filiis earum rerum tribuat potestatem, ut per eorum secretam diligentiam ceteri ecclesiastici laedi videantur, reatum hunc qui huiusmodi est apud metropolitanum provinciae praestare debebit: quod si taliter reprehendatur episcopus vel hi qui cum ipso sunt presbyteri quo dicatur haec quae ad ecclesiam pertinent, sive de agris sive de aliis quibuscumque ecclesiasticis causis, eos sibimet usurpare, pauperes vero necessitate et penuria opprimi, atque ex hoc ipso non solum ecclesiasticae rationi, verum etiam dispensatoribus eius maledictio et reprehensio augeatur: hos igitur correptionem oportet mereri, quae condecet sancta synodo cognoscente. Eusebius omnibus quae constituta sunt praesens subscripsit. Theodorus, Niceta, Macedonius, Anatolius, Tharcodius, Mantus, Aetherius, Narcissus, Alipius, Archelaus, Bassus, Syricus, Eustachius, Maricius, Hesychius, Manicius, Paulus et ceteri, quorum nomina in Graeco iam superius continentur, consensimus.

INCIPIUNT CAPITULA SINODI LAODICIAE.[1]

I. De digamis.
II. De his qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt.
III. De neophytis non promovendis ad sacerdotium.
IV. Non licere coram catechumenis clericos fieri.
V. Non licere clericis usuram vel sexcupla accipere.
VI. Non licere haereticos ingredi ecclesiam.
VII. De Novatianis et Quartodecimanis.
VIII. De Cataphrygis ad ecclesiam venientibus.
IX. Non debere catholicos in ea quae martyria sua haeretici dicunt, intrare.
X. Non debere catholicam haereticorum matrimonio sociari.
XI. De canonicis ecclesiae.
XII. De ordinandis episcopis cum consilio metropolitani et finitimorum episcoporum.
XIII. Non licere populis ministros altaris eligere.
XIV. Sanctas oblationes pro eulogiis in festivitate paschali ad alias provincias non debere mitti.
XV. De psalmistis.
XVI. Ut sanctum evangelium etiam sabbatis legatur.
XVII. Psalmos sparsim non licere confundi.
XVIII. De orationibus quotidianis.
XIX. De ordine orationum catechumenorum atque fidelium et communione.
XX. De disciplina atque modestia clericorum.
XXI. De ministerio subdiaconorum.
XXII. De ministris, ut orario non utantur.
XXIII. Non oportere lectores vel psalmistas orario uti.
XXIV. De lectoribus et psalmistis, ut tabernas non intrent.
XXV. Non licere ministris panes dare aut calicem benedicere.
XXVI. De exorcistis.
XXVII. Non debere clericos sive laicos ad agapem vocatos partes tollere.
XXVIII. Non licere in ecclesiis accubitus sternere vel agapem facere.
XXIX. Non debere christianos sabbatizare.
XXX. Nulli christiano licere cum mulieribus lavacra excercere.
XXXI. De cavendis haereticorum connubiis.
XXXII. Non licere ab haereticis eulogias accipere.
XXXIII. Non debere cum haereticis aut schismaticis orare.
XXXIV. Non eundum ad falsos martyres.
XXXV. Non licere christianis derelicta ecclesia ad angelos congregationes colligere.
XXXVI. Non licere clericos magos vel incantatores esse aut phylacteria facere.
XXXVII. Non licere ab haereticis vel iudaeis feriatica quae mittuntur accipere.
XXXVIII. Non licere a iudaeis azymas accipere.
XXXIX. Non licere cum paganis festa celebrare.
XL. Episcopos ad synodum vocatos non debere contemnere.
XLI. Non debere clericum vel laicum sine epistolio peregrinari.
XLII. Nullum clericum debere sine iussione episcopi peregrinari.
XLIII. Ministros non debere ab ostiis recedere.
XLIV. Non oportere post duas septimanas quadragesimae aliquem ad baptismum suscipi.
XLV. Non debere mulieres ingredi ad altare.
XLVI. Baptizandos debere fidei symbolum et discere et reddere.
XLVII. De his qui in aegritudine baptizantur.
XLVIII. Post baptismum chrisma dandum est.
XLIX. In quadragesima sabbato tantum et dominica offerendum.
L. Non licere quinta feria septimanae ultimae quadragesimam solvi.
LI. Non debere in quadragesima nisi sabbato et dominica natalitia martyrum celebrari.

[1] *Sic cod. Andeg. Text. praemissis ut in Ps.-Isid. titulis desumt. ex ed. cit. collect. Hisp.*

LII. Non licere in quadragesima nuptias fieri.
LIII. Non licere christianos ad nuptias euntes cantare vel ballare.
LIV. Non licere ministros altaris spectaculis interesse.
LV. Non debere clericum vel laicum christianum ex symbolis convivia celebrare.
LVI. Non oportere presbyteros ante ingressum episcopi ingredi.
LVII. Non debere in vicis et villis episcopos ordinari.
LVIII. Non oportere in domibus ab episcopis vel presbyteris oblationes fieri.
LIX. Non licere psalmos ab idiotis compositos in ecclesia dici, et qui non sint libri canonici.

Sancta synodus secundum Laodiceam Phrygiae Pacatianae convocata ex diversis provinciis Asiae regulas exposuit ecclesiasticas, sicut infra scriptum est:

I. De eo quod oportet secundum ecclesiasticum canonem eos, qui libere et legitime secundis nuptiis coniuncti sunt nec occultam permixtionem operati sunt, pauco tempore exempto vacare orationibus et ieiuniis et secundum veniam reddi eis communionem.

II. His qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt et instant orationi, confessioni ac poenitentiae, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati poenitentiae tempus attribuendum est propter misericordiam et bonitatem dei. Qui ergo huiusmodi sunt revocandi et ad communionem sunt applicandi.

III. Non oportet neophytum promoveri ad ordinem sacerdotalem.

IV. Non licere manus impositionem super ordinatos praesentibus catechumenis celebrari.

V. Non licet foenerari ministris altaris vel in sacerdotali ordine constitutis usuras vel lucra quae sexcupla dicuntur accipere.

VI. Non concedendum haereticis ingressum domus dei in haeresi permanentibus.

VII. Novatianos vel etiam Quartodecimanos, quos Graeci Tessaradecatitas appellant, id est, qui quartadecima luna primi mensis cum iudaeis pascha celebrant, sed et catechumenos eorum vel fideles non recipi, priusquam condemnent omnem haeresim plenissime autem ante omnia, in qua detinebantur, et tunc qui apud eos fideles dicuntur symbolum fidei doceantur atque ita unctos sancto etiam chrismate divino sacramento communicare conveniet.

VIII. Eos qui convertuntur ab haeresi quae dicitur secundum Phrygas, seque in clero constitutos aestimant, quamvis magni dicantur, huiusmodi cum omni diligentia catechizari oportet et baptizari ab ecclesiae catholicae episcopis et presbyteris.

IX. Non concedendum in coemeteria vel quae martyria dicuntur haereticorum catholicos orationis gratia et petendae curationis intrare: sed et qui ierint, si sunt fideles, incommunicabiles factos ad poenitentiam usque ad aliquod temporis redigi: poenitentes autem eos et errasse confessos suscipi oportet.

[1]X. Mulieres quae apud Graecos presbyterae appellantur, apud nos autem viduae seniores, univirae et matriculariae appellantur, in ecclesia tamquam ordinatas constitui non licebit.

[2]XI. Eos qui ad ecclesiam pertinent indifferenter filios proprios haereticorum nuptiis minime sociare debere.

XII. Episcopos non oportet praeter iudicium metropolitanorum et finitimorum episcoporum constitui ad ecclesiae principatum: nec eligantur nisi hi quos multo ante probabilis vita commendat, et nihilominus si in sermone fidei et recta ratione per suam conversationem fuerint comprobati.

XIII. De eo quod non sit populis concedendum electionem facere eorum qui altaris ministerio sunt applicandi.

XIV. Sanctas oblationes ad vicem eulogiarum per festivitatem paschalem ad alias parochias mitti minime oportet.

XV. Non liceat praeter canonicos psalmos qui pulpitum ascendunt et de codice legunt, alium quemlibet in ecclesia psallere.

XVI. Sabbatis evangelia cum aliis scripturis legenda esse.

XVII. In processionibus non connectere, id est ex diversis versibus et sensibus libri in unum canticum minime coniungere, sed singulorum psalmorum ordinabiliter debere fieri lectionem.

XVIII. De eo quod semper supplicationes orationum ad horam nonam et vesperam oporteat celebrari.

XIX. Quoniam catechumenorum orationem separatim et prius prostratis eis episcopum[3] oporteat celebrare: quibus egressis orent etiam hi qui in poenitentia sunt constituti, et post manus impositionem his quoque abscedentibus tunc fideles orare debebunt. Quorum tres orationes fiant, una quidem, id est prima, per silentium, secunda vero et tertia per vocis pronuntiationem, ac tunc demum osculo pacem debere dari, et postea quam presbyteri episcopo pacem dederint, tunc etiam laicos dare et sic oblatio offeratur, solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare et communicare.

XX. Quoniam non oportet diaconem sedere praesente presbytero, sed ex iussione presbyteri sedeat, similiter autem honorifice-

[1] *In Hisp. cap.* XI; *ut cap.* X. *profertur in Andeg. et cet. Ps.-Isid.* [2] *In Hisp. cap.* X; *ut cap.* XI. *profertur in codd. cit.* [3] *Sic Andeg. Ottob. ed. Merlin.; Hisp.* post tractatum episcoporum *pro:* prius prostratis eis episcopum.

tur et diaconus a ministris inferioribus et clericis omnibus.

XXI. Quoniam non oportet ministros licentiam habere in secretarium sive sacrarium, quod Graeci diaconicon appellant, ingredi et contingere vasa dominica.

XXII. Ministrum non oportet orario uti nec ostia derelinquere.

XXIII. Quoniam non oportet lectores aut psalmistas orariis uti et sic legere aut psallere.

XXIV. Quoniam non oportet altario servientes a presbyteris usque ad diaconos et deinceps ordinis ecclesiastici omnes usque ad ministros aut lectores aut psalmistas aut exorcistas aut ostiarios aut etiam eos qui in proposito continentiae sunt, tabernas intrare.

XXV. Non oportet ministros panes dare nec calicem benedicere.

XXVI. Non oportet exorcizare eos qui necdum ab episcopis sunt provecti neque in ecclesiis neque intra domos.

XXVII. Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos aut etiam laicos ad agapem vocatos partes tollere, propter iniuriam quae ex hac occasione ecclesiastico ordini poterit deputari.

XXVIII. Non decet in dominicis ecclesiis agapem facere et intus manducare vel accubitus sternere.

XXIX. Non oportet christianos iudaizare et in sabbato vacare, sed operari eos in eadem die; dominica vero praeponendo eamdem diem, si hoc eis placet, vacent tamquam christiani. Quod si inventi fuerint iudaizare, anathema sint.

XXX. Quoniam non oportet ministros altaris vel etiam clericos quoslibet aut continentes sed et omnem omnino christianum cum mulieribus lavacris uti communibus: haec est enim apud gentiles prima reprehensio.

XXXI. Quoniam non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profiteantur christianos se futuros esse catholicos.

XXXII. Non oportet haereticorum benedictiones accipere, quoniam istae maledictiones sunt magis quam benedictiones.

XXXIII. Non oportet cum haereticis vel schismaticis orare.

XXXIV. Non oportet omnem christianum derelictis martyribus Christi abire ad falsos martyres factos, hi enim alieni a deo sunt. Quicumque autem abire voluerit, anathema sit.

XXXV. Quoniam non oportet christianos derelicta ecclesia dei abire ad angelos idolatriae congregationes facere, quae omnia interdicta sunt: quicumque autem inventus fuerit occulte huic idolatriae vacans, sit anathema: quoniam derelinquens dominum nostrum Iesum Christum filium dei accessit ad idola.

XXXVI. Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos magos aut incantatores esse aut facere quae dicuntur phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum; hos autem qui talibus rebus utuntur proiici ab ecclesia iussimus.

XXXVII. Non oportet a iudaeis et haereticis feriatica quae mittuntur accipere, neque cum eis dies agere feriatos.

XXXVIII. Non oportet a iudaeis azymas accipere aut communicare impietatibus eorum.

XXXIX. Non oportet cum paganis festa celebrare aut impietatis eorum habere societatem.

XL. Non oportet vocatos episcopos ad synodum contemnere, sed abire et aut docere aut doceri quae sunt ad ecclesiae ceterorumque correctionem. Quod si contempserit, seipsum videbitur accusasse, nisi forte per infirmitatem ire non possit.

XLI. Non oportet ministrum altaris vel etiam laicum sine canonicis litteris, id est formata, aliquo proficisci.

XLII. Non oportet ministrum altaris vel quemlibet clericum praeter iussionem episcopi ad peregrina proficisci.

XLIII. Non oportet ministros, id est, ostiarios vel brevi tempore ab ostiis deesse et orationi vacare.

XLIV. Non oportet post duas quadragesimae hebdomadas quemquam ad baptismum suscipi.

XLV. Non oportet mulieres ingredi ad altare.

XLVI. Baptizandos oportet fidei symbolum discere et quinta feria ultimae septimanae vel episcopo vel presbytero reddere.

XLVII. Qui in aegritudine constituti baptismum perceperunt, sani facti symbolum fidei doceantur, ut noverint qua donatione digni sint habiti.

XLVIII. Oportet baptizatos post baptismum chrismatis quoque coelestis et regni Christi participes fieri.

XLIX. Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi sabbato et dominica tantum.

L. Non oportet quadragesimam quinta feria ultimae hebdomadae dissolvi et totam quadragesimam inhonorari, sed per totos dies ieiunare et escis abstinentiae convenientibus, id est aridioribus uti.

LI. Non oportet in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in sabbato et dominica tantum memoriam fieri.

LII. Non oportet in quadragesima aut nuptias aut quaelibet natalitia celebrare.

LIII. Non oportet christianos ad nuptias euntes vel ballare vel saltare, sed caste coenare vel prandere sicut competit christianis.

LIV. Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos spectaculis aliquibus quae aut in nuptiis aut in coenis exhibentur interesse, sed antequam thymelici ingrediantur surgere eos de convivio et abire debere.

LV. Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos aut etiam laicos christianos ex symbolis, quae vulgus commissalia appellat, convivia celebrare.

LVI. Non oportet presbyteros ante ingressum episcopi ingredi et sedere in tribunalibus, sed cum episcopo ingredi, nisi forte vel aegrotat episcopus aut in peregrinis esse eum constiterit.

LVII. Non oportet in vicis et villis episcopos ordinari, sed visitatores, id est, qui circumeant constitui; hos autem qui antehac ordinati sunt nihil agere sine conscientia episcopi civitatis: similiter etiam presbyteri nihil sine praecepto et consilio episcopi agant.

LVIII. Non oportet in domibus oblationes ab episcopis et presbyteris fieri.

LIX. Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares in ecclesiis dici neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris testamenti: quae autem oporteat legi et in auctoritatem recipi, haec sunt:

Genesis mundi, Exodus Aegypti, Leviticum, Numeri, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Esdrae, liber Psalmorum numero CL, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Iob, Esther, sedecim Prophetarum libri, id est Oseae, Amos, Ioel, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: item novi testamenti, id est evangeliorum libri IV secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem, actus apostolorum; canonicae epistolae VII: Iacobi I; Petri II, prima et secunda; Ioannis III, prima et secunda et tertia; Iudae I; epistolae Pauli apostoli numero XIV: ad Romanos I, ad Corinthios II, ad Ephesios I, ad Thessalonicences II, ad Galatas I, ad Philippenses I, ad Collossenses I, ad Timotheum II, ad Titum I, ad Philemonem I, ad Hebraeos I.

INCIPIT SYNODUS QUE FACTA EST CONSTANTINOPOLI

ADVERSUS HERESIM MACEDONIANAM AB EPISCOPIS NUMERO CL SUB TEODOSIO MAIORE SIACRIO ET EUTHERIO CONSULIBUS AERA CCCCXVIII.[1]

I. Custodiendam esse fidem patrum trecentorum decem et octo.

II. Ut episcopi suas dioeceses gubernent nec ad alias accedant.

III. Non invitati episcopi ultra dioeceses suas non accedant.

IV. De ecclesiis in barbarico positis.

V. De honore Constantinopolitani episcopi.

VI. De Maximo Cynico philosopho.

VII. Symbolum eorundem sanctorum centum quinquaginta patrum apud Constantinopolim institutum.

Regulae sive definitiones sunt expositae ab episcopis CL qui in unum Constantinopoli convenerunt, quando beatus Nectarius episcopus est ordinatus damnato Maximo Cynico quorum nomina et provinciae in Graeco continentur.

I. Non spernendam esse fidem patrum trecentorum decem et octo, qui in Nicaeam Bithyniae convenerunt, sed manere eam ratam oportet et anathematizare omnem haeresem, specialiter autem Eunomianorum, imo Anomianorum qui latine sine lege dicuntur, et Arianorum sive Eudoxianorum et Semiarianorum, necnon Pneumatomachorum, id est qui contra sanctum spiritum pugnant, et Sabellianorum et Marcellianorum et Photinianorum et Apollinaristarum.

II. Episcopi qui extra dioecesim sunt ad ecclesias quae extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant et permisceant ecclesias: sed secundum regulas Alexandriae quidem episcopi ea quae sunt in Aegypto tantum gubernent, Orientis autem episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus ecclesiae Antiochenae, qui in regulis Nicaenae synodi continentur: sed et Asianae dioecesis episcopi ea quae sunt in Asia et quae ad Asianam tantummodo dioecesim pertinent, gubernent: Ponti autem episcopi Ponticae tantum dioecesis habeant curam, Thraciae vero ipsius tantummodo Thraciae.

III. Non invitati episcopi ultra dioecesim non accedere debent super ordinandis aliquibus vel quibuscumque disponendis ecclesiasticis causis, servata regula quae supra scripta est de unaquaque dioecesi: manifestum namque est quod per singulas quasque provincias provincialis synodus administrare et gubernare omnia debeat secundum ea quae sunt in Nicaea definita.

IV. Ecclesias autem dei quae sunt in barbaricis gentibus constitutae, regi et ministrari oportet secundum consuetudinem quae a patribus obtinuisse dignoscitur.

V. Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propter quod sit Roma nova.

VI. De Maximo Cynico philosopho et totius indisciplinationis eius quae Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse aut esse iam putetur episcopus, neque hi qui ab eo sunt ordinati qualemcunque gradum clericatus obtineant, omnibus scilicet quae circa eum vel ab eo gesta sunt in irritum revocatis.

[1] *Inscriptio sec. cod. Andeg. Text. desumt. ex Hisp., praemissis tantum titulis ut in Ps.-Isidor.*

Symbolum eorundem sanctorum CL patrum Constantinopoli institutum.

VII. Credimus in unum deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem: et in unum dominum nostrum Iesum Christum filium dei unigenitum ex patre natum ante omnia saecula, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra; qui propter nos et propter nostram salutem descendit et incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgine homo factus, passus est sub Pontio Pilato, sepultus tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet ad dexteram patris, inde venturus cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis: et in spiritum sanctum, dominum vivificatorem, ex patre[1] procedentem, cum patre et filio adorandum et glorificandum, qui loquutus est per prophetas: in unam catholicam atque apostolicam ecclesiam: confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum; expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri saeculi. Amen.

Nomina episcoporum CL: Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandriae, Dorotheus ab Oxoninco, Cyrillus Hierosolymitanus, Galasius Caesariensis, Macher Hiericuntius, Dionysius Diospolitanus, Priscianus Nicopolitanus, Saturninus Sebastianus, Ausentius Ascolonita, Helianus Tamniensis, Zenon Tyrius, Paulus Sidoniensis, Nestabus a Ptolemaide, Philippus Damascenus, Beracus Paleadensis, Timotheus Berytius, Basilides ab Ibbo, Mocimus Aradensis, et ceteri.[2]

INCIPIT SYNODUS EPHESINA PRIMA CC EPISCOPORUM

HABITA ADVERSUS NESTORIUM CONSTANTINOPOLITANUM EPISCOPUM, QUI PURUM HOMINEM EX SANCTA VIRGINE MARIA NATUM ASSERUIT, UT ALIAM PERSONAM CARNIS, ALIAM FACERET DEITATIS, NEC UNUM CHRISTUM IN VERBO DEI ET CARNE SENTIRET, SED SEPARATIM ATQUE SEIUNCTIM ALTERUM FILIUM DEI, ALTERUM HOMINIS PRAEDICARET.[3]

Convenit autem haec synodus Theodosio iuniore tertio decimo et Valentiniano tertio consulibus era CCCCLXIX, cui synodo praesedit beatissimus quondam Cyrillus Alexandriae episcopus, qui cum omni concilio ad eundem Nestorium haec synodalia decreta transmisit:

Religioso et deo amabili consacerdoti Nestorio Cyrillus vel quae convenit apud Ephesum synodus.

Quum Salvator noster aperte pronuntiet: Qui diligit patrem aut matrem super me non est me dignus, et qui diligit filium aut filiam super me non est me dignus, quid nos patiemur qui deposcimur a tua religione ut te super Christum salvatorem omnium diligamus? Quid enim nobis in die iudicii proderit aut quam satisfactionem reperire poterimus propter tam diuturnum silentium de prolatis a te contra eum blasphemiis? Et si quidem te tantummodo laederes docens ista vel sentiens, sollicitudo nobis minor existeret: cum vero totam scandalizaveris ecclesiam et fermentum insolitae pravitatis et novae haeresis miscueris in populis, nec tantum ibidem positis, sed ubique consistentibus. Nam tuarum expositionum libri per cuncta vulgati sunt, quae pro nostro silentio ratio ultra vel excusationis sermo sufficiat aut quomodo non necesse sit meminisse Christi domini sic dicentis: Non putetis quod venerim pacem mittere in terram sed gladium, veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam. Nam quum laeditur fides, parentum reverentia velut inutilis et periculosa despicitur et amor erga filios fratresque vitatur. Ad postremum etiam super ipsam vitam mors potius a piis viris eligitur, ut meliorem resurrectionem, sicut scriptum est, consequantur. Ecce itaque te simul cum sancta synodo, quae apud amplam urbem Romam congregata est, praesidente sanctissimo et venerantissimo fratre et consacerdote nostro Caelestino episcopo, his scriptis synodicis te iam tertio convenimus, consilium dantes ut a tam pravis abstineas distortisque dogmatibus quae et sentire cognosceris et docere. Recipias vero fidem rectam ecclesiis per beatissimos apostolos et evangelistas ab initio traditam, qui et oculis inspexerunt et ministri verbi fuisse monstrantur. Quod si hoc religio tua facere distulerit iuxta dilationem litteris praefinitam sanctissimi et venerantissimi consacerdotis nostri Romanae praesulis ecclesiae Caelestini, scias te nullam sortem habere nobiscum nec locum aut colloquium cum dei sacerdotibus et episcopis obtinere. Non enim fas est contemnere nos ecclesias ita turbatas et scandalizatos populos fidemque rectissimam violatam, dissipatum quin etiam gregem quem custodire debueras, siquidem iuxta nos amator recti dogmatis exstitisses, sanctorum patrum vestigia pia consectans. Omnes itaque quos propter fidem tua religio a com-

[1] *In Hispan. additur:* et filio, *quod omitt. cod. Andeg. et ceteri omnes Pseudo-Isid. class.* A1, *A/B, B, C, qui concilia exhibent.* [2] *In Hispan. additur:* CXXX. *quod deest in Ps.-Isid.* — *Concil. II. Constantinop. in quibusdam codicibus collect. Hispan. hic insertum deest in omnibus codd. Ps.-Is.* [3] *Inscript. sec. Andeg. Textus sec. Hisp.*

munione removit aut ab ordine suo deposuit laicos aut clericos in nostram communionem recipimus, non enim iustum est eos tuis decretis opprimi qui noverunt recta sentire: qui etiam benefacientes tibi prudentissime restiterunt; hoc idem namque in epistola quam misisti ad praesulem amplae Romae, sanctum et coepiscopum nostrum Caelestinum, significare curasti. Non autem sufficit tuae religioni solummodo fidei symbolum confiteri quod expositum est per idem tempus sancti spiritus largitate a venerando et magno concilio apud Nicaeam congregato. Hoc enim nec intellexisti nec recte interpretatus es, quin immo perverse, licet sono vocis eadem verba protuleris. Sed consequens est et iureiurando fateri te, quod anathematizes quidem tua polluta et profana dogmata, sentias autem et doceas quae nos universi per Orientem seu per Occidentem episcopi et magistri praesulesque populorum credimus et docemus. Epistolis autem ab Alexandrina tuae religioni directis ecclesia consensum praebuit, tam ea quae apud urbem Romanam convenit sancta synodus, quam etiam nos omnes velut recte irreprehensibiliterque conscriptis. Subdidimus autem his nostris litteris, quae te sentire oporteat et docere, et a quibus abstinere conveniat. Haec est enim fides catholicae ecclesiae, cui cuncti consentiunt orthodoxi per Orientem Occidentemque pontifices:

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum filium dei natum de patre unigenitum, hoc est ex substantia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est unius cum patre substantiae; per quem omnia facta sunt in coelo et in terra, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit; et incarnatus est et homo factus passus est, et resurgens tertia die ascendit in coelos, inde venturus iudicare vivos et mortuos: et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat tempus quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse aut convertibilem aut commutabilem filium dei, anathematizat catholica et apostolica ecclesia.

Sequentes itaque per omnia sanctorum patrum confessiones, quas loquente in eis sancto spiritu protulerunt, et intentioni quae est in eorum intellectibus aequis vestigiis inhaerentes atque iter ambulantes regium profitemur quod ipsum unigenitum dei verbum dei natum ex ipsa patris essentia, de deo vero deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, sive in coelis sive in terra, salutis nostrae causa descendens ad exinanitionem sese dignatus est inclinare: natus autem et homo factus, id est carnem de virgine sancta suscipiens eamque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit, homo de muliere procedens nec quod erat abiiciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis et sanguinis, tamen etiam sic quod erat deus natura scilicet et veritate persistens. Nec carnem itaque dicimus in naturam deitatis esse conversam, nec substantiam carnis in ineffabilem dei verbi essentiam commutatam: inconvertibilis enim est et incommutabilis idemque ipse iuxta scripturas iugiter permanens. Visus est autem et parvulus positus adhuc in cunabulis et in sinibus genitricis virginis constitutus universam creaturam replebat ut deus genitori suo indivisus existens. Quod divinum est enim sine quantitate et sine mole cognoscitur, nec ullis terminis continetur. Unitum ergo carni verbum dei secundum subsistentiam confitentes, unum adoramus filium et dominum Iesum Christum, non seorsum ponentes et determinantes hominem et deum velut invicem sibi dignitatis et auctoritatis unitate coniunctos, hoc enim novitas vocis est et aliud nihil, nec item Christum specialiter nominantes deum verbum quod ex deo est, nec alterum similiter Christum specialiter qui de muliere natus est; sed unum solummodo Christum dei patris verbum cum propria carne cognoscimus. Tunc enim etiam iuxta nos unctus est, quamvis spiritum dignis ipse contulerit et non ad mensuram, sicut beatus evangelista Ioannes asseruit. Sed nec illud dicimus quod dei verbum velut homine communi qui de sancta virgine natus est habitaret, ne deum homo Christus habitatorem possidere credatur. Quamvis enim verbum habitaverit in nobis et dictum sit in Christo habitare omnem plenitudinem deitatis corporaliter, et tamen intelligimus eum quod caro factus, non sicut in sanctis habitare dicatur, nec talem in ipso habitationem factam definire tentavimus, sed unitus iuxta naturam nec in carnem penitus commutatus talem sibi fecit habitationem, qualem et anima hominis habere creditur ad proprium corpus. Unus igitur est Christus, filius et dominus, non velut coniunctionem quamlibet in unitate dignitatis et auctoritatis hominis habentis ad deum, non enim potest unire naturas sola dignitatis aequalitas. Denique Petrus et Ioannes aequales sunt alterutrum dignitatis, propter quod et apostoli et sancti discipuli esse monstrantur, verumtamen uterque non unus est, nec iuxta collationem vel connexionem modum coniunctionis advertimus: hoc enim ad unitatem non sufficit naturalem nec secundum participationis effectum; sicut nos etiam adhaerentes domino unus cum eo spiritus sumus, imo potius coniunctionis nomen evitamus tamquam non existens idoneum quod significet unitatis arcanum. Sed neque deum aut dominum Christi verbum dei patris asserimus, ne iterum manifestius in duo dividamus unum Christum, filium et dominum, et in crimen sacrilegii recidamus, deum illi seipsum facientes et dominum: unitus quippe, sicut superius diximus, deus verbum carni secundum subsistentiam deus quidem est omnium et

dominatur universitati. Verumtamen nec servus est sibi ipse nec dominus, quia ineptum est vel potius impium hoc sentire vel dicere. Quamvis enim deum suum patrem dixerit, quum deus sit etiam ipse natura et de illius essentia, tamen nullatenus ignoramus quod manens deus homo quoque factus sit, qui sub deo iuxta debitam legem naturae humanitatis existeret, ipse vero sibi quomodo vel deus poterit esse vel dominus? Ergo sicut homo quantum decenter exinanitionis mensurae congruit sub deo se nobiscum esse disseruit, hoc etiam modo sub lege factus est quamvis ipse promulgaverit legem et legislator ut deus extiterit. Cavemus autem de Christo dicere: propter assumentem veneror assumptum et propter invisibilem adoro visibilem. Horrendum vero super hoc etiam illud docere: is qui susceptus est cum eo qui suscipit, non nuncupatur deus; qui enim haec dicit, dividit iterum in duos Christos eum qui unus est, hominem seorsum in parte et deum similiter in parte constituens. Evidenter enim denegat unitatem secundum quam non alter cum altero coadoratur aut conuncupatur deus, sed unus intelligitur Christus Iesus, filius dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. Confitemur etiam quod idem ipse qui ex deo patre natus est filius unigenitus deus, licet iuxta naturam suam expers passionis extiterit, pro nobis tamen secundum scripturas carne perpessus sit et erat in crucifixo corpore propriae carnis impassibiliter ad se referens passionem. Gratia vero dei pro omnibus gustavit mortem, tradens et proprium corpus, quamvis naturaliter ipse vita sit et resurrectio mortuorum. Nam ut mortem ineffabili potentia proculcaret ac prius in sua carne primogenitus ex mortuis fieret et primitiae dormientium viamque faceret humanae naturae ad incorruptionis cursum, gratia dei, sicut supra dictum est, pro omnibus gustavit mortem et tertio die resurgens spoliavit infernum. Idcirco quamvis dicatur quod per hominem facta sit resurrectio mortuorum, tamen intelligimus hominem factum verbum quod ex deo est et per ipsum mortis imperium fuisse destructum. Veniet autem temporibus praefinitis sicut est unus filius et dominus in gloria patris, ut iudicet orbem terrarum in aequitate, sicut scriptura testatur. Necessarie igitur et hoc adiicimus: annuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti filii dei, id est, Iesu Christi et resurrectionem eius et in coelos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitutem. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrorum redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati et verbo coniuncti secundum dignitatis unitatem aut sicut divinam possidentis habitationem, sed ut vere vivificatricem et ipsius verbi propriam factam: vita enim naturaliter ut deus existens, quia proprie carni unitus est, vivificatricem eam esse professus est. Et ideo quamvis dicat ad nos: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non tamen eam ut hominis unius ex nobis existimare debemus, quomodo enim iuxta naturam suam vivificatrix esse caro hominis poterit? sed ut vere propriam eius factam qui propter nos filius hominis et factus est et vocatus. Eas autem voces quas salvator noster in evangeliis protulit, non in duabus subsistentiis aut personis omnino partimur: non enim duplex est unus Christus et solus, quamvis ex duabus diversisque rebus ad unitatem cognoscatur individuam convenisse, sicut homo quoque ex anima constans et corpore non duplex potius, sed unus est ex utroque. Humanas ergo et divinas insuper voces ab uno Christo dictas animadvertentes recte sentimus. Quum enim de deo dignissime loquitur de seipso: Qui me videt, videt et patrem, et ego et pater unum sumus, divinam eius intellegimus ineffabilemque naturam, secundum quam unum est cum patre suo propter unam eandemque substantiam, imago et caracter splendorque gloriae eius existens. Quum vero humanae naturae mensuram nullatenus ignorans iudaeos alloquitur: nunc me quaeritis occidere hominem qui veritatem vobis loquutus sum, item non minus eum qui in similitudine et aequalitate patris est, deum verum etiam et in mensuris humanitatis eius agnoscimus. Si autem necessario creditur quod natura deus existens factus sit caro, imo potius homo animatus anima rationali, quae causa est ut in eius quilibet vocibus erubescat, si eas homine dignas effatus est? Quod si sermones homini congruentes abiicit, iuxta nos hominem fieri quis coegit? Quum vero se propter nos ad exinanitionem spontaneam misericorditer inclinaret, quam ob causam dignos exinanitione sermonis effugerit? Uni igitur personae cuncta eius in evangelio adscribimus, uni subsistentiae verbi, scilicet incarnati, quia unus est dominus Iesus Christus, ut scriptum est: appellatum vero apostolum et pontificem confessionis nostrae, tamquam sacrificantem deo et patri fidei nostrae confessionem, quae a nobis ipsis et per ipsum deo patri incessanter offertur. Iterum eum dicimus 'qui ex deo secundum naturam filius unigenitus, nec homini praeter eum alteri sacerdotii nomen et officium deputamus; factus est enim mediator dei et hominum et reconciliator ad pacem semetipsum deo et patri pro nobis offerens in odorem suavitatis, ideoque dicebat: Sacrificium et oblationem noluisti, holocausta pro peccato non tibi placuerunt, corpus autem perfecisti mihi, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, deus, voluntatem tuam. Obtulit enim proprium corpus non pro se, sed pro nobis in odorem suavitatis. Nam qua pro se oblatione vel sacrificio indigeret, ab omni peccato liber, ut deus existens? Quod si omnes peccaverunt et egent gloria dei se-

cundum hoc quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti et peccatis aegrotavit humana natura, ipse vero non ita, ideoque nos gloria eius evincimur. Cur erit ultra iam dubium, quod agnus verus pro nobis sit immolatus? Qui dicit autem, quia seipsum tam pro se quam pro nobis obtulit, nullatenus impietatis crimen effugiet, quum nihil prorsus iste deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum. Qua igitur egeret oblatione nullo suo extante facinore? pro quo, si esset satis admodum convenienter offerret? De spiritu quoque, quum dicit: Ille me glorificabit, hoc rectissime sentientes, unum Christum et filium, non velut alterius egentem gloria, confitemur ab spiritu sancto gloriam consequutum, quia spiritus eius nec melior nec superior ipso est. Sed quia humana opera faciens ad demonstrationem suae deitatis virtute proprii spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur, quemadmodum si quis de hominibus asseveret, quod virtus sua vel disciplina quaelibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua sit subsistentia spiritus et eius intelligatur in persona proprietas iuxta id quod spiritus est et non filius, tamen non est alienus ab illo: nam spiritus appellatus est veritatis et veritas Christus est; unde et ab isto similiter sicut ex deo patre procedit. Denique hic ipse spiritus etiam per sanctorum manus apostolorum miracula gloriosa perficiens dominum glorificavit Iesum Christum, postquam ascendit in coelum. Nam creditus est Christus natura deus existens per suum spiritum virtutes efficiens ideoque dicebat: Deo meo accipiet et annuntiabit vobis. Nequaquam vero participatione alterius idem spiritus sapiens aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est et nullo prorsus indigens bono. Nam paternae virtutis et sapientiae, id est filii spiritus creditur, et ideo ipse re et subsistentia virtus et sapientia comprobatur. Igitur quia deum carne unitum iuxta subsistentiam sancta virgo corporaliter peperit, idcirco eam dei genitricem esse profitemur, non quod verbi natura existendi principium de carne sortita sit, erat enim in principio verbum et deus erat verbum et verbum erat apud deum, et ipse conditor est saeculorum patri coaeternus et universitatis creator. Sed quod superius diximus, iuxta subsistentiam sibimet uniens humanam naturam nativitatem sustinuerit ex ipsa vulva corporea, non quod eguerit necessario aut propter suam naturam nativitate ista quae est in extremis seculi facta temporibus, sed ut ipsas benediceret substantiae nostrae primitias, et dum eum carni unitum mulier edidisset, illa quae adversus omne genus humanum maledictio fuerat prolata desineret, nec iam morti nostra corpora destinaret. Illud quoque quod dictum est: In tristitia paries filios, ipse dissolvens verum esse monstraret quod prophetae voce praedixerat: Absorta est mors in victoria, et iterum: Abstulit dominus omnem lacrymam ab omni facie. Propter hanc etenim causam dicimus eum dispensatorie et ipsis benedixisse tunc nuptiis cum in Chana Galilaeae cum sanctis vocatus apostolis adesse dignatus est. Haec sapere sumus edocti a sanctis apostolis et evangelistis et ab omni scriptura divinitus inspirata, nec non et a beatis patrum confessionibus veritate subnixis. His omnibus etiam tuam religionem concordare et praeter aliquem dolum consentire iam convenit: quae vero religionem tuam anathematizare necesse est huic epistolae nostrae subiecta sunt:

I. Si quis non confitetur deum veraciter esse Emmanuel et propterea dei genitricem sanctam virginem; peperit enim secundum carnem carnem factum dei verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est, anathema sit.

II. Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum dei patris verbum, unumque esse Christum cum propria carne eundem scilicet, deum simul et hominem, anathema sit.

III. Si quis in uno Christo dividit substantias post unitatem, sola eas connexione coniungens ea quae secundum dignitatem est vel etiam auctoritatem aut potestatem ac non potius conventu qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

IV. Si quis personis duabus vel subsistentiis eas voces, quae in apostolicis scriptis continentur et evangelicis dividit vel quae de Christo a sanctis dicuntur vel ab ipso de se ipso, et aliquas quidem ex his velut homini qui praeter dei verbum specialiter intelligatur aptaverit, illas autem tamquam deo dignas soli dei patris verbo deputaverit, anathema sit.

V. Si quis audet dicere Christum hominem theophoron, id est deum ferentem, ac non potius deum esse veraciter dixerit, tamquam filium per naturam secundum quod verbum caro factum est et communicaverit similiter ut nos carni et sanguini, anathema sit.

VI. Si quis dicit deum esse vel dominum Christi dei patris verbum et non magis eundem ipsum confitetur deum simul et hominem, proptera quod verbum caro factum est secundum scripturas, anathema sit.

VII. Si quis velut hominem Iesum, operatione dei verbi dicit adiutum et unigeniti gloriam tamquam alteri praeter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

VIII. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum deo verbo et conglorificandum et conuncupandum deum tamquam alterum cum altero, nam „cum“ syllaba semper adiecta hoc cogit intelligi, et non potius una supplicatione veneratur Emmanuel unamque ei glorificationem dependit iuxta quod verbum caro factum est, anathema sit.

IX. Si quis unum dominum Iesum Christum glorificatum dicit ab spiritu sancto tamquam qui aliena virtute per eum usus fuerit et ab eo acceperit efficaciam contra im-

mundos spiritus, posse et hominibus divina signa perficere, ac non potius proprium fatetur eius spiritum per quem divina signa complevit, anathema sit.

X. Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse Christum divina scriptura commemorat: obtulit autem semetipsum pro nobis iu odorem suavitatis deo et patri. Si quis ergo pontificem et apostolum nostrum dicit factum non ipsum dei verbum, quando caro factum est et iuxta nos hominem, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere; aut quis dicit et pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis, non enim eguit oblatione qui peccatum omnino nescivit, anathema sit.

XI. Si quis non confitetur carnem domini vivificatricem esse et propriam ipsius verbi dei patris, sed velut alterius praeter ipsum coniuncti eidem per dignitatem aut quasi divinam habentis habitationem et non potius vivificatricem esse, quia facta est propria verbi cuncta vivificare valentis, anathema sit.

XII. Si quis non confitetur dei verbum passum carne et crucifixum carne et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est et vivificator ut deus, anathema sit.

Incipit alia ad eundem Nestorium de hereticis epistola.[1]

Ait igitur sancta et magna synodus: Ipsum qui est ex deo patre naturaliter natus, filium unigenitum, deum verum de deo vero, lumen de lumine, per quem et cum quo omnia fecerit pater, hunc descendisse, incarnatum esse et hominem factum passum esse, resurrexisse tertia die, ascendisse rursus in coelos. Haec nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse et hominem factum dei verbum. Non enim dicimus quod dei natura conversa vel immutata facta sit caro nec quod in totum hominem qui est ex anima et corpore transformata sit, sed illud magis quod carnem animatam anima rationabili sibi copulaverit verbum, substantialiter, ineffabiliter et irreprehensibiliter factus sit homo et nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personae, sed quod diversae quidem naturae in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus et filius non evacuata aut sublata diversitate naturarum per coniunctiones, sed quia simul nobis effecerunt, unum deum et Christum et filium, id est divinitas et humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem. Itaque is qui ante secula omnia est natus ex patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus, non quia divina ipsius natura de sacrata virgine sumpsit exordium, nec propter seipsum opus habuit secundo nasci post illam nativitatem quam habebat ex patre. Est enim ineptum et stultum hoc dicere, quod is qui ante omnia secula est consempiternus patri, secundae generationis eguerit ut esse inciperet; sed quia propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam et processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter. Neque enim primum natus est homo communis de sancta virgine et tum demum inhabitavit in eo verbum, sed in ipsa vulva uteroque virginali se cum carne coniunxit et sustinuit generationem carnalem carnis suae nativitatem suam faciens. Sic illum dicimus et passum esse et resurrexisse, non quia deus verbum in sua natura passus sit aut plagas aut clavorum transfixiones aut alia vulnera, deus namque incorporalis extra passionem est, sed quia corpus illud quod ipsius proprium est factum, ideo haec omnia pro nobis ipse dicitur passus, inerat enim in eo corpore quod patiebatur deus, qui pati non poterat. Simili modo et mortem ipsius intelligimus, immortale enim et incorruptibile esse naturaliter et vita et vivificans deo verbum; sed quia corpus ipsius proprium gratia dei iuxta Pauli vocem pro omnibus mortem gustavit, idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis, non quod ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet, iusania enim est hoc vel sentire vel dicere, sed quod, ut supra diximus, vera caro ipsius mortem gustavit, ita et resurgente carne ipsius rursus resurrectionem dicimus, non quia in corruptionem ceciderat, absit, sed quia eius surrexit corpus. Ita et Christum unum et dominum confitemur, non[2] tamquam hominem cum verbo coadorantes ne divisionis quaedam species inducatur, sed unum iam et eundem adorantes; quia non est alienum a verbo corpus suum cum quo ipsi etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus quasi duobus filiis assidentibus, sed uno cum carne per unitatem, quia si talem copulationem factam per substantiam aut quasi impassibilem[3] aut quasi parum decoram voluerimus accipere, in id incidimus, ut duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere et dicere hominem separatim fuisse sola filii appellatione honoratum et rursus verbum quod est ex deo et nomine et veritate filius dei, sed discernere in duos filios non debemus unum dominum nostrum Iesum Christum, neque enim id adiuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli copulationem, nescio quam perhibeant personarum. Non enim dicit scriptura verbum dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse: id autem est ostendere verbum dei similiter ac nos participatum habuisse carnis et sanguinis, et corpus nostrum proprie suum fecisse et hominem ex muliere processisse non ab-

[1] *Inscript. sec. cod. And. Deest in edit. Merl., in qua epistola ut cap. XIII. profertur.* [2] *In Hisp., cod. Andeg., ceteris Pseudo-Isidor. class. A1, A/B, B.* [3] *Sic codd. cit. et Hisp.; ed. Merlin.* prepassibilem.

iecta nec deposita deitate aut generatione illa, quam habebat ex patre, sed mansisse etiam in assumptione carnis deum quod erat. Hoc ubique rectae fidei ratio protestatur: in tali sensu sanctos patres fuisse comperimus; ideo illi non dubitaverunt sanctam virginem dicere theotocon, non quia verbi natura deitasque in sancta virgine sumpsit exordium, sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationabili cui substantialiter adunatum dei verbum carnaliter natum esse dicitur. Haec igitur pro caritate in Christo scribo, quaerens tamquam fratrem et contestans coram deo et electis angelis, ut haec nobiscum et sentias simul et doceas, ut ecclesiarum pax salva servetur, et concordiae caritatisque vinculum indissolubile maneat sacerdotibus.

INCIPIT CALCIDONENSIS SINODUS

SEXCENTORUM XXX EPISCOPORUM HABITA CONTRA OMNES HERESES, MAXIME ADVERSUS EUTICEN ET DIOSCORUM VALENTINIANO SEPTIES ET HAINO CONSS. ERA CCCCLXXXVIII.[1]

Consultu piissimi et amatoris Christi imperatoris Flavii Marciani perpetui augusti die Idus Octobris synodus facta in Chalcedonensi civitate, metropoli provinciae Bithyniae, ex decreto piissimorum et fidelissimorum imperatorum Valentiniani et Marciani, convenientibus in ecclesia sanctae ac triumphatricis martyris Euphemiae gloriosissimis principibus, id est magnificentissimo et gloriosissimo magistro militum expraefecto et exconsule patricio Anatholio et magnificentissimo et gloriosissimo praefecto sacri praetorii praefecturae Palladio et magnificentissimo et gloriosissimo praefecto urbis Tatiano et magnificentissimo et gloriosissimo magistro divini officii Vincomalone et gloriosissimo et magnificentissimo comite largitore Martialio et gloriosissimo et magnificentissimo comite domesticorum Sparocio et magnificentissimo comite rerum privatarum Genetholio, appositis etiam e glorioso senatu, id est magnificentissimo et gloriosissimo expraefecto et exconsule et patricio Florentio et magnificentissimo et gloriosissimo exconsule et patricio senatore et magnificentissimo et gloriosissimo magistro exconsule patricio Nomo et magnificentissimo et gloriosissimo expraefecto et exconsule patricio Protogenio et magnificentissimo et gloriosissimo expraefecto Zolio et magnificentissimo atque gloriosissimo expraefecto urbis Theodoro et magnificentissimo et gloriosissimo expraefecto urbis Apollonio et magnificentissimo et gloriosissimo expraeposito urbis Artaxerxe, conveniente etiam sancto concilio totius orbis secundum divinum praeceptum in Chalcedonia civitate congregato, id est, Paschasio et Lucensio episcopis et Bonifacio presbytero, continentibus locum venerabilis et sancti archiepiscopi antiquae Romae Leonis et sancto Anatholio archiepiscopo magnificentissimae Constantinopolitanae novae Romae et reliquis sanctissimis et reverentissimis sexcentis triginta episcopis et sedentibus omnibus ante cancellos sancti altaris cum magnificentissimis principibus et gloriosissimis et eximiis senatus, adveniente etiam piissimo imperatore Marciano in supradicta sanctissima basilica, praesente etiam zelo divino et calore fidei accensa piissima et fidelissima regina augusta Pulcheria, sanctam synodum alloquutus est haec: Quum primum per electionem in regnum decreto dei provecti sumus inter tantas publicas utilitates nullum sic magis nos constrinxit negotium quam rectam et veram fidem christianorum, quae sancta et vera consistit, indubitatam omnibus declarare. Manifestum est enim quod ex avaritia vel vano studio hi qui praecedentibus temporibus diversa sapuerunt, et docuerunt populum pro eo quod eis expediit, non prout convenit, neque quod veritas aut doctrina patrum exquirit, multi ad errorem seducti sunt: unde sanctam synodum scilicet ad istam fieri perfectionem properavimus et laborem vobis arbitrati sumus imponere, ut omni erroris caligine detersa secundum quod ipsa divinitas hominibus se fieri manifestam voluit et patrum demonstravit doctrina, sic fides nostra quae pura et sancta consistit in omnium ingrediens animas propriae veritatis effulgeat luce. De cetero audeat nemo de nativitate domini et salvatoris nostri Iesu Christi aliter disputare, praeter quod apostolorum praeconium et trecentorum decem et octo sanctorum patrum consonans huic doctrinae tradidisse noscuntur, sicut et sanctissimi papae Leonis qui apostolicum gubernat thronum ad sanctae memoriae Flavianum regiae urbis Constantinopolitanae quondam episcopum testantur litterae. Remotis igitur et amputatis talibus patrociniis et cessantibus avaritiis omnibus veritas manifestetur: nos etenim ad confirmandam fidem non ad ostendendam virtutem et exemplo imperatoris Constantini adesse synodo excogitavimus, ne in posterum multitudo populi institutionibus inveniatur dissentiens, facile enim simplicitas quorundam commentis loquacium usque nunc delusa est: manifestum, quoniam diversorum pravis doctrinis discordiae et haereses ortae sunt. Nobis autem omne studium adhibendum est, populum propter veram et sanctam doctrinam idipsum sentientem uni rectae applicare ecclesiae, et ideo veram fidem catholicam etiam exponere secundum patrum doctrinam, concordantibus animis vestris, vestra properet reverentia, ut

[1] *Sec. cod. Andeg. Text. desumt. ex Hisp.*

qualiter a Nicaena synodo usque in hoc tempus abscisso errore vera fides est omnibus cognita, sic et nunc per hanc sanctam synodum deposita nebula quae in his paucis annis, ut superius diximus, ex pravitate et avaritia quorundam visa est exoriri, si semper serventur quae statuta sunt, erit quidem divinae providentiae quod pie fieri volumus, in secula hoc conservare firmissime. Et post regia haec verba omnes episcopi clamaverunt: Marciano novo Constantino multos annos, multi anni regis, multi anni reginae orthodoxorum, multis annis Marciani amatoris Christi regnum in saecula permaneat, digni orthodoxae fidei, amatores Christi, sit vobis procul invidia. Et post has voces Aetius, archidiaconus Constantinopolitanae novae Romae et primicerius notariorum dixit: Quoniam nutu supernae gratiae et zelo divino serenitatis vestrae, piissimi quibus a deo omnes regere concessum est, imperatores, circa sanctionem vestram congregata sancta haec et magna totius mundi synodus, cum plurima multarum dierum vacatione et divina diligentia omnem quidem in praeterito quomodo exorta est contra rectam et inviolabilem catholicam nostram fidem verbo veritatis discordiam effugavit, omnem abigendo innovationem, sicut et in scriptis per singula quae subsequuntur acta demonstrant: terminum vero simplicem statuit divinarum scripturarum virtute munitum et sanctorum ac beatissimorum patrum in ipsum conservans sententiam ad veram agnitionem qui sincere requirunt. Longaeva autem corona vestri imperii: et habeo ipsum prae manibus, et si videtur nutui vestrae serenitatis, perlegam. Piissimus et fidelissimus imperator dixit: Perlege, et idem archidiaconus perlegit:

Sancta et magna universalis synodus, quae secundum gratiam dei et decreto piissimorum imperatorum Valentiniani et Marciani augustorum congregata est in Chalcedonensem civitatem metropolim provinciae Bithyniae in basilica sanctae ac triumphatricis martyris Euphemiae statuit quae subter comprehensa sunt. Dominus et salvator noster Iesus Christus, fidei agnitione proprios confirmans discipulos, ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ut nec ulla fidei dissensio in proximos oriatur, sed ex aequo veritatis praedicatio ostendatur. Sed quia non desinit malignus in ipsis pietatis seminibus zizania sua inserere et novi quiddam adversus veritatem semper excogitare, idcirco dominus noster humano generi solite cupiens providere, piissimum hunc et fidelissimum imperatorem erexit ad zelum, qui undique sacerdotum pontifices ad se convocavit ut, gratia domini nostri Iesu Christi cooperante, omnem mendacii pestilentiam ab ovibus Christi removeat easque veritatis germinibus reficiat. Quod et communi decreto peregimus erroris quidem sectas abiicientes et patrum rectam fidem renovantes trecentorum decem et octo symbolum omnibus praedicantes, et velut horum domesticos alios centum quinquaginta patres huic piissimo titulo consentientes notavimus, qui post haec in hanc amplissimum urbem Constantinopolitanam convenientes etiam ipsi eandem fidem consignaverunt. Statuimus igitur ordinem et omnes fidei formulas custodientes et nostram etiam sanctam synodum dudum Ephesi factam, cuius fuerunt auctores venerabilis memoriae Caelestinus Romanae urbis et Cyrillus Alexandrinae ecclesiae sacerdotes, ut praefulgeat quidem rectae et inculpabilis fidei expositio trecentorum decem et octo sanctorum ac beatissimorum qui in Nicaea sub Constantino piae memoriae imperatore convenerunt. Continetur autem et centum quinquaginta sanctorum patrum in urbe Constantinopolitana decretum ad peremptionem quidem sectarum tunc pullulantium, confirmationem vero ipsius catholicae atque apostolicae nostrae fidei.

Symbolum trecentorum decem et octo sanctorum patrum qui in Nicaeam convenerunt.

Credimus in unum deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum filium dei, de patre natum, unigenitum, hoc est de substantia patris, deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra, qui propter nos et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, homo factus passus est et resurrexit tertia die et ascendit in coelos, inde venturus est iudicare vivos et mortuos: et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quia ex nullis extantibus factus est aut ex alia subsistentia vel substantia dicunt esse aut convertibilem vel mutabilem filium dei, anathematizat catholica et apostolica ecclesia.

Et idipsum centum quinquaginta sanctorum patrum.

Credimus in unum deum, patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum, filium dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terris, qui propter nos et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, homo factus passus est sub Pontio Pilato, sepultus tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet ad dexteram patris, iterum venturus iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis: et in spiritum sanctum, dominum et vivificatorem, ex patre procedentem, cum patre et filio adorandum et glorificandum, qui loquutus est per prophetas: in unam catholicam atque apostolicam ecclesiam: confitemur

unum baptisma, in remissionem peccatorum: expectamus resurrectionem mortuorum vitamque futuri saeculi. Amen.

Suffecerat quidem ad plenissimam pietatis agnitionem et confirmationem cautissimum hoc et salutare divinae gratiae symbolum; de patre enim filioque et spiritu sancto doctrinam perfectam edocet et incarnationem dominicam fideliter suscipientibus manifestat. Sed quoniam hi, qui praedicationem veritatis destruere nituntur, quasdam propriae haereseos novitates parturiunt, quidam enim mysterium pro nobis actum divinae dispensationis audent corrumpere et vocem illam divini partus factam ad virginem denegant, alii temperamentum confusionemque inducentes et unam esse naturam carnis et deitatis insensate componentes, passibilem unigeniti divinam naturam tali confusione prodigiose divulgant, idcirco omnem adversus veritatem opponendam ab ipsis machinationem volens excludere sancta et magna universalis synodus antiquam praedicationem immobilem docens, statuit praecipue trecentorum decem et octo sanctorum patrum fidem incontaminatam manere: et propter eos qui spiritui sancto adversantur, centum quinquaginta patrum paulo posteriore tempore in urbe Constantinopolitana convenientium de substantia spiritus sancti traditam doctrinam corroborat, quam etiam illi omnibus insinuaverunt, non quod in praecedentibus aliquid deesset adiicientes, sed de spiritu sancto eorundem intellectum, adversus eos qui deitatis eius dominationem nituntur adimere scripturarum testimoniis plenius manifestantes: propter eos sane qui dispensationis mysterium tentant corrumpere et purum hominem esse, qui ex sancta Maria natus est imprudenter divulgant, beatissimi quondam Cyrilli Alexandrinae ecclesiae sacerdotis synodicas epistolas tam ad Nestorium quam ad ceteros per Orientem congruas et sibi consentientes suscepit ad confutationem quidem Nestorianae amentiae, interpretationem vero eorum qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum: quibus et epistolam sancti ac beatissimi primae sedis archiepiscopi Leonis scriptam ad Flavianum sanctae recordationis archiepiscopum ad perimendam Eutychetis malignitatem, quaeque magni Petri confessioni concordat et communem quandam paginam existentem contra eos qui non recte glorificant ad confirmationem catholicae religionis evidenter subiunxit. Nam et eos qui in duos filios dispensationis dominicae mysterium scindere moliuntur execratur et eos qui passibilem divinitatem unigeniti filii audent asserere de concilio sacerdotum repellit, et eos qui in duas naturas Christi temperamentum vel confusionem argumentantur, adversatur, et qui coelestem aut alterius cuiusque substantiam existere formam servi quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserunt, procul abiicit, et eos qui duas quidem ante adunationem naturas domini delirant, unam vero post adunationem confingunt, anathema facit. Consentientes igitur sanctis patribus unum eundemque filium confiteri dominum nostrum Iesum Christum consona voce pariter edocemur: perfectum eundem in divinitate, deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, secundum divinitatem unius cum patre naturae, secundum humanitatem eundem unius naturae nobiscum, per omnia similem nobis absque peccato, ante secula quidem ex patre natum secundum divinitatem, in novissimis vero diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria virgine dei genitrice secundum humanitatem unum eundemque Christum filium dominum unigenitum in duas naturas inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter cognoscendum; in nullo naturarum differentias propter unitatem perimendas, magis autem salva utriusque naturae proprietate et in una coeunte persona unoque statu concurrente; non in duabus personis partiendum vel dividendum, sed unum eundemque filium unigenitum deum verbum dominum nostrum Iesum Christum, sicut ab exordio prophetae de eo et ipse nos erudivit, et patrum nobis tradidit symbolum. His itaque cum omni undique subtilitate et diligentia a nobis ordinatis, statuit sancta et universalis synodus aliam fidem nulli licere proferre aut scribere aut edere aut sapere aut docere aliter. Qui autem audent aut exponere aliam fidem aut proferre aut docere aut tradere aliud symbolum volentibus converti ad scientiam veritatis ex gentilibus, ex iudaeis vel haereticis quibuscumque, si quidem episcopi aut clerici fuerint, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clero: sin vero monachi vel laici fuerint, anathema fieri.

INCIPIT REGULA SUPRASCRIPTI CONCILII CALCIDONENSIS.[1]

I. De canonibus uniuscuiusque concilii conservandis.

II. Quod non oporteat episcopos aut quoslibet ex clero per pecunias ordinari.[2]

III. Quod non oporteat episcopos, clericos et monachos praedia secularia vel causas suscipere.

IV. De honore monachis competente et ut nullus eorum tentet ecclesiastica aut secularia inquietare negotia, nec alienum servum praeter conscientiam domini eius suscipere.

V. Quod non liceat episcopum vel quemlibet ex clero de alia ad aliam transire civitatem.

VI. Quod non oporteat absolute quoslibet ordinare nisi in propria.

[1] *Sic in Andeg.* [2] *Ed. Merl. rubricam c. III. rubricae cap. II. anteponit; cod. Andeg. ceterique A1 rubricas eodem ordine ac textus et Hisp. proferunt.*

VII. De clericis et monachis non manentibus in suo proposito.
VIII. De clericis qui sunt in ptochiis, monasteriis atque martyriis quae sub potestate episcoporum uniuscuiusque civitatis existunt.
IX. Quod non oporteat clerico praetermisso episcopo ad secularia iudicia commeare.
X. Quod non liceat clericos in duabus ecclesiis ministrare.
XI. Quod oporteat egenis epistolam tribui, honestiores autem commendatitiis litteris approbari.
XII. Quod nequaquam in duos metropolitanos provincia dividatur.
XIII. Quod non oporteat extraneos clericos sine commendatitiis litteris ministrare.
XIV. Quod non liceat clerico uxorem sectae alterius accipere, nisi forte spoponderit se ad veram fidem venire.
XV. De diaconissis mulieribus, ut nisi quadragenarias ordinari non liceat.
XVI. De monachis puellisque deo dicatis, quod non liceat eis nuptiis iungi.
XVII. De ecclesiis in parochiis per triginta annos ab episcopo habitis vel de renovatis urbibus.
XVIII. De conspiratione clericorum, quod Graeci fratrias dicunt.
XIX. Quod oportet per provincias bis in anno concilium fieri.
XX. Quod minime clericos in aliam civitatem transmigrare liceat nisi eos qui proprias amiserint civitates.
XXI. De episcoporum aut clericorum accusatoribus, quales debeant suscipi in accusatione.
XXII. Quod non liceat clericis post mortem sui episcopi res ad eum pertinentes diripere.
XXIII. De clericis et monachis vel excommunicatis qui praeter voluntatem sui episcopi ad urbem regiam veniunt.
XXIV. Quod non liceat monasteria diversoria secularia fieri.
XXV. Quod non oporteat post obitum episcopi ordinationem alterius episcopi diu differri.
XXVI. De oeconomis, id est dispensatoribus singularum ecclesiarum habendis.
XXVII. De his qui sibi rapiunt uxores.

I. A sanctis patribus in unaquaque synodo usque nunc prolatas regulas tenere statuimus.

II. Si quis episcoporum accepta pecunia ordinationem fecerit et in nundinationem deduxerit inappretiabilem gratiam atque ordinaverit episcopum sive chorepiscopum seu presbyterum seu diaconum aut quemcumque alium qui connumeratur inter clericos aut accepta pecunia ordinaverit oeconomum, defensorem sive paramonarium, quicumque ergo haec tentaverit sive convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, et qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio et creatione probrosa, sed sit alienus et dignitatis et sollicitudinis eius quam per pecunias impetravit: sed et ille qui in his tam turpibus et illicitis lucris intercessor apparuit, siquidem clericus fuerit, de proprio discedat gradu; si vero laicus sive monachus, anathema sit.

III. Pervenit in sanctam synodum, quia de his qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam aliorum possessionum conductiones et causas seculares suscipiunt et seipsos quidem a ministeriis sanctis per desidiam separant, ad domos autem secularium concurrant et substantiarum eorum gubernationes avaritiae causa suscipiant. Decrevit ergo sancta et magna synodus, neminem deinceps horum, hoc est episcopum sive clericum aut monachum, conducere possessiones aut miscere se secularibus procurationibus posse, nisi forte qui legibus ad minorum aetatum tutelas sive curationes inexcusabiles attrahuntur aut cui ipsius civitatis episcopus ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula vel orphanorum aut viduarum quae indefensae sunt aut earum personarum quae maxime ecclesiastico indigent adminiculo propter timorem dei. Si quis vero transgressus fuerit statuta haec, ecclesiasticae correptioni subiaceat.

IV. Qui vere et pure solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Quia tamen quidam habitu monachi utentes ecclesiasticos actus civilesque conturbant, circumeuntes indifferenter civitates, necnon et monasteria seipsos praesumptioni propriae commendantes, placuit neminem sibi aut aedificare aut constituere monasteria aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis episcopi: eos vero qui per singulas civitates seu possessiones in monasteriis sunt, subiectos esse episcopo et quietos operam dare atque observare ieiunia et orationes in locis in quibus semel deo sese devoverint permanentes, et neque communicare ecclesiasticas neque seculares aliquas attrectare actiones relinquentes propria monasteria; nisi forte iubeantur propter urgentes necessitates ab ipsius civitatis episcopo: et neminem servorum suscipi in monasterium ut sit cum eis monachus, nisi cum domini proprii conscientia. Praetereuntem vero haec decrevimus extra communionem esse, ne nomen domini blasphemetur: convenit vero civitatis episcopo curam et sollicitudinem necessariam monasteriis exhibere.

V. Propter eos episcopos sive clericos qui de civitate ad civitatem transeunt, placuit definitiones datas a sanctis patribus habere propriam firmitatem.

VI. Neminem absolute ordinare presbyterum vel diaconum nec quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia civitatis sive possessionis aut in martyrio aut in monasterio et qui ordinatur mereatur ordinationis publicatae

vocabulum: eos vero qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus vacuam habere manus impositionem et nullum eius tale factum valere ad iniuriam ipsius qui eum ordinavit.

VII. Eos qui semel in clero taxati fuerint sive in monasteriis, decrevimus neque ad militiam neque ad honores seculares venire, aut eos qui hoc ausi fuerint facere et non eius rei poenitere maluerint, aut ad hoc idem revertantur, quod ante non obtentu dei proposuerant sibi, anathema esse.

VIII. Clerici in ptotiis[1] et monasteriis aut martyriis constituti sub potestate sint eius, qui in ea est civitate episcopus secundum traditionem sanctorum patrum, nec per praesumptionem recedant a suo episcopo: ii vero qui ausi fuerint rescindere huiusmodi ordinationem quocumque modo vel si noluerint subiacere proprio episcopo, si quidem fuerint clerici, paternarum ordinationum subiaceant condemnationibus: si autem monachi seu laici sunt, excommunicentur.

IX. Si clericus adversus clericum habeat negotium, non relinquat suum episcopum et ad secularia iudicia concurrat, sed primum negotium agitetur apud episcopum proprium, et ita si fuerit iudicium ipsius episcopi, apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra haec fecerit, canonum subiaceat correptionibus. Et si clericus adversus suum seu alium episcopum habeat causam, apud audientiam synodi provinciae eius conqueratur: si vero contra ipsius provinciae ac metropolitanum episcopum episcopus sive clericus habeat controversiam, pergat aut ad ipsius dioecesis episcopos aut certe ad Constantinopolitanae regiae civitatis sedem, et ibi proprium negotium exequatur.

X. Non licere clericum in ecclesiis duarum civitatum ordinari, sed in ea in qua ab initio ordinatus est et cuius expetierat ante perfugium: et si propter vanae gloriae desiderium utpote ad maiorem ecclesiam confugerit, iubemus eum ecclesiae propriae restitui, id est ubi ab exordio ordinatus est, et ibi tantummodo ministrare. Si vero quis iam translatus est ab ecclesia in aliam ecclesiam, nihil habeat commune cum priore ecclesia, sive sub ecclesia constitutis martyriis sive ptotiis[2] vel xenodochiis aut eorum negotiis. Eos vero qui ausi fuerint post ordinationem huius magnae et universalis synodi agere quae prohibita sunt, statuit sancta synodus cadere de proprio gradu.

XI. Omnes pauperes et indigentes ecclesiasticis auxiliis cum probatione epistolii sive pacificis, quae dicuntur irenica ecclesiastica, tantummodo proficisci statuimus et non commendatitiis epistolis, quia commendatitias quas dicimus epistolas eos tantum accipere convenit qui in opinione sunt clariores, ut eis tantummodo praebeantur.

XII. Pervenit ad nos eo quod quidam praeter ecclesiasticas ordinationes affectantes potentiam per pragmaticum sacram unam provinciam in duas dividant et ex hoc inveniuntur duo metropolitani episcopi in eadem et una esse provincia: statuit igitur sancta synodus deinceps nihil tale attentari a quolibet episcopo, eos vero qui aliquid tale tentaverint, cadere de proprio gradu. Si quae vero antea civitates per pragmaticum imperiale metropolitani nominis honore decoratae sunt, nomine solo fruantur, et qui ecclesiam eius regit episcopus, scilicet privilegio metropolitano episcopo iure proprio reservato.

XIII. Extraneum clericum et lectorem extra suam civitatem sine commendatitiis litteris proprii episcopi nunquam penitus liceat ministrare.

XIV. Quia in quibusdam provinciis conceditur psalmistis et lectoribus uxores accipere, statuit sancta synodus prorsus non licere his alterius sectae accipere uxorem. Si quis vero praevenit et habet iam de tali connubio filios, si forte praevenerint eos iam apud haereticos baptizare, debent eos offerre sanctae catholicae ecclesiae, ut ibi communicent. Qui vero adhuc baptizati non sunt, omnimodo non posse eos in haeretica ecclesia baptizari, nec in matrimonio iungi haeretico, iudaeo vel pagano, nisi forte spoponderit se venire ad orthodoxam fidem, dum coniungitur personae orthodoxae. Si quis vero hanc definitionem sanctae synodi praeterierit, regularum condemnationibus subiaceat.

XV. Diaconissam non debere ante quadraginta annos ordinari et hanc cum diligenti probatione: si vero susceperit ordinationem et quantocumque tempore observaverit ad ministerium et postea se nuptiis tradiderit iniuriam faciens dei gratiae, haec anathema sit cum eo qui in illius nuptias convenit.

XVI. Si qua virgo se dedicaverit deo, similiter et monachus, non licere eis nuptiis iungi. Si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci episcopus.

XVII. Per singulas ecclesias rusticanas, parochias sive in possessionibus manere immobiles apud eos qui eas tenent episcopos et maxime qui eas sine violentia iam per triginta annos tenentes gubernaverint: si vero intra triginta annos etiam facta fuerit aut fiat de eis dubitatio, licere eis qui se dixerint laesos propter eas movere apud synodum provinciae certamen. Si quis

[1] *Sic cod. Andeg. et cod. Ps.-Is. A1 et A/B; Hisp.* ptochiis; *ed. Merl.* parochiis. [2] *Cf. adnot. ad c.* 8.

vero putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud principem ipsius dioeceseos aut apud Constantinopolitanae civitatis sedem agat iudicium, sicut dictum est: si vero quaelibet civitas per auctoritatem imperialem renovata est aut si renovetur, in posterum civilibus et publicis ordinationibus, etiam ecclesiarum parochiarum sequatur ordinatio.

XVIII. Coniurationum et conspirationum crimen, quod apud Graecos dicitur fratria, et publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi, hoc multo magis in sancta dei ecclesia ne fiat convenit abdicari. Si qui vero clerici seu monachi inventi fuerint coniurantes aut fratrias vel factiones aliquas componentes suis episcopis aut aliis clericis, omnimodo cadant de proprio gradu.

XIX. Pervenit in nostras aures quod in provinciis statuta episcoporum concilia minime celebrentur et quod multae quae correctione opus habeant ecclesiasticae res negligantur: statuit igitur haec sancta synodus secundum patrum regulas bis in anno in unum convenire per singulas provincias episcopos, ubi metropolitanus probaverit, et sic corrigere singula quae emerserint. Qui vero noluerint convenire episcopi constituti in suis civitatibus, et hoc maxime quum in sui corporis sanitate consistant, etiam omnibus aliis urgentibus et inexcusabilibus negotiis liberi sint, licere eos fraternae caritatis admonitionibus corripi.

XX. Clericos in suis ecclesiis constitutos, sicut iam decrevimus, non licere in alterius civitatis ecclesiis ordinari, sed quiescere in ea in qua ab initio fecit principium ministrandi, exceptis illis qui proprias civitates perdiderunt et ex necessitate ad alias ecclesias migraverunt. Si vero quicumque episcopus post definitionem istam ad alium episcopum pertinentem clericum susceperit, placuit sanctae synodo et hunc qui suscepit et eum qui susceptus est, tamdiu excommunicatos manere, quamdiu ipse clericus ad propriam revertatur ecclesiam.

XXI. Clericus sive laicus qui accusaverit episcopum aut clericos, temere atque indifferenter non debent suscipi in accusationem, nisi prius eorum opinio fuerit praescrutata.

XXII. Non licere clericis post mortem sui episcopi rapere pertinentes ad eum res, sicuti iam ex praecedentibus regulis statutum habetur: si vero haec fecerint, periclitari se noverint in proprio gradu.

XXIII. Pervenit in aures sanctae synodi quia clerici quidam et monachi nihil sibi habentes iniunctum a proprio episcopo, interdum vero etiam illi qui ab eo fuerint excommunicati veniant ad hanc regiam civitatem Constantinopolitanam et multis temporibus in ea consistentes perturbationes tranquillitati ecclesiasticae inferant et diversorum domos corrumpant: statuit igitur sancta synodus hos quidem primum commonere per defensorem Constantinopolitanae ecclesiae, ut exeant de regia civitate; si autem in eodem proposito improbe perduraverint, etiam invitos eos eiici per eundem defensorem ut ad sua loca perveniant.

XXIV. Quae semel consecrata fuerint monasteria cum iudicio sui episcopi manere in perpetuo et pertinentes ad eas res conservari ipsi monasterio et non ulterius posse ea fieri secularia habitacula: qui vero permiserint haec fieri, subiaceant his condemnationibus, quae per canones constitutae sunt.

XXV. Quoniam quidam metropolitanorum, sicut ad nos perlatum est, negligunt creditos sibi greges, et differunt ordinationes facere episcoporum, placuit sanctae synodo intra tres menses fieri ordinationes episcoporum, nisi forte inexcusabilis necessitas coegerit ordinationis tempus amplius propagari: si autem quis episcoporum haec non observaverit, ipsum debere ecclesiasticae condemnationi subiacere: reditus vero eiusdem viduatae ecclesiae integros reservari apud oeconomum eiusdem ecclesiae.

XXVI. Quia in quibusdam ecclesiis sicut ad nos pervenit, sine oeconomo episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit omnes ecclesias episcopos habentes habere et oeconomos de proprio clero, qui gubernent ecclesiae res cum arbitrio sui episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum et ex hoc eveniat dispergi eiusdem ecclesiae res et sacerdotali dignitati obtrectatio generetur: si vero quis haec non observaverit, divinis subiaceat regulis.

XXVII. Eos qui sibi rapiunt uxores vel eos qui eis auxilium praestiterint, statuit sancta synodus, siquidem clerici fuerint, cadere de proprio gradu: si vero laici, anathema esse.

Paschasius episcopus civitatis Lillibitanae, vicem agens beatissimi episcopi Leonis, definiens subscripsi. Lucensius episcopus civitatis Asculitanae, item vicem agens sanctissimi Leonis episcopi, definiens subscripsi. Bonifacius presbyter urbis Romae, vicem agens apostolicae sedis, definiens subscripsi. Anatholius episcopus Constantinopolitanae civitatis Romae novae definiens subscripsi. Maximus episcopus Antiochenus definiens subscripsi. Iuvenalis episcopus Hierosolymitanus definiens subscripsi. Thalasius episcopus Cappadociae Caesariensis definiens subscripsi. Quintilius episcopus Heracliae Macedonensis, vicem agens sanctissimi viri Anastasii civitatis Thessalonicensis, definiens subscripsi. Stephanus episcopus Ephesitanus definiens subscripsi. Lucianus episcopus Byzensis, vicem agens sanctissimi episcopi Cyriaci Heracliae Thraciensis, definiens subscripsi. Eusebius episcopus Galathiae Ancyrensis definiens subscripsi. Diogenes episcopus Cyzizensis definiens subscripsi. Petrus

episcopus Corithensis definiens subscripsi. Florus episcopus Sardiensis definiens subscripsi. Eunomius episcopus Nicomediensis definiens subscripsi. Anastasius episcopus Niciensis definiens subscripsi. Eleutherius episcopus Chalcedonensis definiens subscripsi. Item omnes episcopi sexcenti et triginta definientes subscripserunt.

Et postquam recitatum est, piissimus imperator ad sanctum concilium dixit: Dicat sanctum concilium, si ex consensu omnium episcoporum definitio, quae nunc lecta est, prolata sit. Omnes reverentissimi episcopi responderunt: Omnes sic credimus, una fide, una sententia, omnes hoc idem sentimus, omnes consentientes subscripsimus, omnes orthodoxi sumus, haec est fides apostolorum, haec est fides recte credentium, haec est fides quae orbem terrarum salvavit. Marciano, novo Constantino, novo Paulo, novo David, imperatori, piissimae dominae augustae, vita eis. Et post has voces piissimus et fidelissimus imperator ad sanctam synodum dixit: Veneranda catholica fides a sancta universali synodo secundum patrum expositionem manifestata est: et si laborem vestrae reverentiae et convicium fecimus, maximas gratias agimus omnipotenti deo, quia multorum errantium circa fidem amputata discordia in unam eandemque fidem omnes nunc convenimus, sperantes celebrem vestris precibus et meliorem super omnes nos pacem a deo donari. Sancta synodus iterum exclamavit: Haec digna vestri imperii, haec propria vestri imperii, haec correctio vestri imperii, digne fidei, digne Christo, digne imperii, et imperii et fidei: propterea pacificatur orbis terrae. Et post has voces piissimus et fidelissimus imperator ad sanctam synodum dixit: Venerandam catholicam fidem a sancta et universali synodo secundum patrum expositionem manifestam iuxta legem et convenientem esse nostra tranquillitas probavit, omnem in posterum contentionis occasionem circa suam fidem amputari. Si quis igitur idiota vel militarius seu clericus publice de fide turbam congregans sub obtentu dispositionis tumultum fecerit, siquidem idiota praescriptus expellatur a regia urbe, militarius vero seu clericus gradus sui periculum sustinebunt et aliis poenis subiacebunt.

Incipit edictum Martiani imperatoris in confirmatione concilii Chalcedonensis.[1]

Imperatores Valentinianus et Marcianus augusti universis populis. Tandem aliquando quod summis votis atque studiis optabamus evenit, remota est de orthodoxa christianorum lege contentio, tandem remedia culpabilis erroris inventa sunt et discors populorum sententia in unum consensum concordiamque convenit. E diversis enim provinciis religiosissimi sacerdotes Chalcedona venerunt iuxta nostra praecepta, et quid observari in religione debeat perspicua definitione docuerunt. Discessit igitur iam profana contentio, nam vere impius atque sacrilegus est qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suae vel aliquid tractandum relinquit: extremae quippe dementiae est in medio et perspicuo die commentitium lumen inquirere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit mendacium quaerit. Nemo itaque vel clericus vel militans et alterius cuiuslibet conditionis de fide christiana publice terminata coadunatis et audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus et perfidiae occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religiosissimae synodi, si quis semel iudicata et recte disposita revolvere et publice disputare contendit, quum ea quae nunc de christiana fide statuta sunt iuxta apostolicas expositiones et instituta sanctorum patrum trecentorum decem et octo et centum quinquaginta definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis poena non deerit, quia non solum contra fidem bene compositam veniunt, sed etiam iudaeis et paganis et huiuscemodi certamine profanant veneranda misteria. Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, a consortio clericorum removebitur; si vero militia praeditus sit, cingulo expoliabitur; ceteri etiam huius criminis rei de hac sanctissima urbe pellentur pro vigore iudiciario, etiam competentibus suppliciis subiugandi. Constat enim hinc haereticae insaniae exordia fomitemque praeberi, dum publice quidam disputant atque contendunt: universi ergo quae a sancta synodo Chalcedonea statuta sunt custodire debebunt, nihil postea dubitaturi. Hoc itaque nostrae commoniti sinceritatis edicto abstinete profanis vocibus et ulterius desinite de divinis disputare quod nefas est, quia non solum divino iudicio peccatum hoc, prout credimus, punietur, verum etiam legum et iudicum auctoritate coercebitur. Explicit. Proposita IV.[2] Kalend. Februarii Constantinopoli Patricio[3] consule.

Incipit sacrum Valentinii et Marciani augustorum post concilium Calcidonense edictum in affirmatione eiusdem concilii et damnatione hereticorum.[4]

Imperatores Valentinianus et Martianus Augusti Palladio praefecto praetorii.

Divinae semper potentiae referendae atque agendae sunt gratiae, quia auctores haeresisque occulta nec latere concedit nec durare impunita permittit. Quorum unum malorum laedendi habet plurimam facultatem, alterum praecavendi ceteris praestat exemplum. Curae igitur esse divinitati hominum actus et maxime reverentiam religionis, proxime in confirmanda catholica fide evi-

[1] *Inscript. sec. cod. Andeg.* [2] *Sic Andeg.; Hisp.* coercebitur. VII. Kal. *etc.* [3] *Sic Andeg.; Hisp.:* Sporacio. [4] *Inscript. sec. Andeg.*

denter apparuit, quum Eutychem, sceleratorum dogmatum sectatorem, nec latere ut diu latuerat, siniit, nec patefacto scelere passa est poenam sceleris evitare. Sententiis itaque divinis humanisque damnatus, synodicum decretum, ut merebatur, excepit, reus divinitati cui faciebat iniuriam, reus hominibus, quos decipere conabatur. Proxime etenim innumerabiles ex toto pene orbe beatissimi episcopi Chalcedone congregati improba praedicti Eutychetis una cum synodo eius causa habita expuleruntcommenta, secuti sanctorum definita maiorum quae vel apud Nicaeam a trecentis decem et octo constituta sunt vel in hac postea alma urbe a centum quinquaginta sunt episcopis declarata vel apud Ephesum, quum Nestorii est error exclusus, praesidentibus Caelestino Romanae urbis et Cyrillo Alexandrinae civitatis episcopis. Ea igitur quae sunt iuxta pristinam disciplinam a venerabili synodo Chalcedone definita illa fide qua deum colimus, per omnia servanda censuimus atque censemus; quia valde consequens est sexcentorum triginta sacerdotum pura mente deum colentium definita, quae pro orthodoxorum fide sacrosancta secundum patrum regulas processerunt, summa cum veneratione conservare. Quoniam principalis providentiae est omne malum inter initia opprimere et serpentem morbum legum medicina resecare, hac lege decernimus eos qui Eutychetis errore decipiuntur ad exemplum Appollinariorum quos Eutyches sequutus est quosque venerabiles patrum regulae, id est ecclesiastici canones et divorum principum sacratissimae sanctiones condemnant, nullum episcopum, nullum habere presbyterum, nullos creare vel appellare clericos, ipsumque Eutychem nomine presbyteri quo et indignus est et spoliatus est, in totum carere. Si qui tamen contra definita nostra episcopos, presbyteros ceterosque clericos ausi fuerint creare, tam factos quam facientes vel praesumentes sibi clericorum gradus, bonorum amissione perculsos exilio perpetuo praecipimus contineri: coeundi vel colligendi vel congregandi monachos aut aedificandi monasteria nullum iubemus eos habere licentiam: loca in quae forte ausi convenire aliquando tentaverint confiscari, si tamen domino loci sciente convenerint; quod si ignaro auctore conductoreve loci fustibus caesos deportationem subire censemus, ipsos praeterea nihil ex testamento cuiusquam capere, nihil eis qui eiusdem erroris sint relinquere testamento, ad nullam eos patimur aspirare militiam, nisi forte ad cohortalinam vel limitaneam. Si quis etiam extra praedictam militiam inventus fuerit militare vel quia ignorabatur eius in religione perversitas vel quia post adeptum cingulum ad hunc devenit errorem, solutus militia infidelitatis suae fructum hunc habeat, ut optimorum et palatii communione privetur, nec alibi quam in qua natus est vico vel civitate versetur: quod si qui eorum in hac alma urbe, quod credi nefas est, geniti sunt et damnati, tam de hac civitate venerabili quam sacratissimo comitatu et omni excludantur metropolitana civitate. Et haec quidem generaliter circa omnes constituimus, qui hac labe polluti sunt vel polluentur. Eos autem qui antehac clerici orthodoxorum fidei et monachi quidam qui Eutychis habitavere diversorium, neque enim monasterium dicendum est, quod religionis habuit inimicos, qui adhuc usque insaniae processerunt relicto venerabilis religionis cultu et synodico decreto quod totius pene orbis Chalcedone coadunati definivere sacerdotes, infaustam Eutichetis sequuntur assertionem, quia vera luce deserta tenebras eligendas esse crediderunt, omnibus poenis quae vel hac vel praecedentibus legibus adversus haereticos definitae sunt iubemus teneri, imo extra Romanum expelli solum, sicut praecedentes religiosissimae constitutiones de Manichaeis constituere, ne eorum venenatis fraudibus sceleratisque commentis innocentum vel infirmorum animi decipiantur. Comperimus praeterea quaedam eos in contumeliam religionis et in invidiam venerabilis synodicae definitionis fuisse mentitos, conscriptisque libris et chartarum tomis plura finxisse, quae eorum insaniam adversus veram fidem aperte signarent, atque ideo praecipimus ubicumque huiusmodi scripta repertà fuerint ignibus concremari, eos vero qui vel scripserint vel aliis legenda tradiderint docendi studio vel discendi censemus deportatione puniri; delenda est enim haec infausta haeresis, sicut pridem edictis serenitatis nostrae continetur. Omnibus adimimus facultatem, quia ultimo supplicio coercebuntur qui illicita docere tentaverint, eos vero qui sequendi studio audierint scelerata disserentem denarum librarum auri mulctatione compescimus. Ita enim materia subtrahetur erroris, si peccatorum et doctor defuerit et auditor, Palladi parens carissime atque amantissime. Illustris itaque et magnifica auctoritas tua edictis propositis omnibus faciat nota quae iussimus, cognoscentibus moderatoribus provintiarum eorumque officiis, defensoribus etiam civitatum: quod si ea, quae vera fide et sancto proposito custodienda censuimus, aut neglexerint aut permiserint temerari, denarum librarum auri mulctatione perculsi, ut religionis legumque proditores etiam de aestimatione laborabunt. Datum XV. Kal. August. Constantinopoli Sporacio cons. et qui fuerit nuntiatus.

Incipit alia Martiani augusti adversus supra memoratos hereticos.[1]

Imperator Marcianus augustus Palladio praefecto praetorii.

Licet iam iamque sacratissima constitutione mansuetudinis meae cautum ac definitum sit, quae in eos severitas exercenda sit,

[1] *Sec. Andeg.*

qui Eutychetis vel Apollinaris haereticam perversitatem sequuti a religione et fide catholica deviarunt, Alexandrinae tamen urbis cives atque habitatores tantis sunt Apollinaris infecti venenis, ut necessarium fuerit ea quae ante iam sanximus repetita etiam nunc lege decernere. Oportet enim ut sit numerosa severitas sanctionum, ubi est licentia crebra culparum custodienda: praeterea orthodoxae fidei cura tanto a serenitate mea adhiberi impensior debet, quanto res humanas divina praecedunt. Quicumque ergo vel in hac sacra urbe vel in Alexandrina civitate vel in omni Egyptiaca dioecese diversisque aliis provinciis Eutychetis profanam perversitatem sequuntur et ita non credunt ut trecenti decem et octo sancti patres tradiderunt catholicam fidem in Nicaea civitate fundantes, centum quoque et quinquaginta alii venerabiles episcopi qui in hac alma urbe Constantinopolitana postea convenerunt, sicut Athanasius et Theophilus et Cyrillus sanctae recordationis episcopi Alexandrinae civitatis credebant, quos etiam Ephesitana synodus cui beatae memoriae Cyrillus praefuit, in qua Nestorii error expulsus est, in universos sequuta est, quos et nuper venerabilis Chalcedone synodus est sequuta, prioribus conciliis sacerdotum ex omni prorsus parte consentientibus, nihilque adimens a sacrosancto symbolo neque adiiciens sed Eutychetis dogmata funesta condemnans: sciant se esse haereticos Apollinaristas; Apollinaris enim facinorosissimam sectam Eutyches et Dioscorus mente sacrilega sequuti sunt. Ideoque omnes hi qui Apollinaris vel Eutychetis perversitatem sequuntur illis poenis quae a divorum retro principum constitutionibus contra Apollinaristas vel serenitatis nostrae postmodum sanctione contra Eutychianistas vel hac ipsa augustissima lege contra eosdem decreta sunt, noverint se esse plectendos. Idcirco Apollinaristae, hoc est Eutichianistae, quibus etsi est in appellatione diversitas, est tamen in haeresis pravitate coniunctio et dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium, sive in hac alma urbe diversisque provinciis vel in Alexandrina civitate sive intra Egyptiacam dioecesim sunt, neque ita credunt quod praedicti venerabiles patres credebant, neque viro reverentissimo Alexandrinae urbis antistiti Proterio fidem orthodoxam tenenti communicant: secundum sacratissimas divorum retro principum constitutiones quae de Apollinaristis promulgatae sunt, non habeant potestatem faciendi testamentum nec condendae ultimae voluntatis, neque id adquirant quod ipsis ex testamento cuiusquam fuerit derelictum, nihil etiam ex donatione aliqua consequantur, sed si quid in ipsos vel liberalitate vel viventis vel morientis fuerit voluntate collatum, id protinus fisco nostro addicatur: ipsi vero in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo et iure transfundant. Episcopos vero vel presbyteros aliosque clericos illis creare et habere non liceat, scientibus tam his Eutychianistis vel Apollinaristis qui ausi fuerint cuiquam episcopi vel presbyteri vel clerici nomen imponere, quam his qui conati fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, poenam se exilii cum facultatum suarum amissione subituros. Eos vero qui antehac catholicae Romae ecclesiarum clerici vel orthodoxae fidei monachi fuerint et relicto vero et orthodoxo omnipotentis dei cultu, Apollinaris vel Eutychetis haeresim et dogmata abominanda sectati sunt vel post haec sectabuntur, omnibus poenis quae vel prioribus legibus adversus haereticos constitutae sunt, iubemus teneri et extra ipsum quoque Romani imperii solum pelli, sicut de Manichaeis praecedentium legum instituta sanxerunt. Universi praeterea Apollinaristae vel Eutychianistae non ecclesias, non monasteria sibi constituant, parasynaxes et conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant, neque ad domum neque ad possessionem cuiusquam neque ad monasterium vel ad quemcumque locum operatores sectae funestissimae congregentur. Quod si fecerint et hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examinatione iudicis approbatam domus vel possessio in quam convenerint fisco sine dilatione societur, monasterium vero eius civitatis orthodoxae ecclesiae in cuius territorio est, iubemus addici; si vero ignorante domino, sciente vero qui pensiones domus exigit vel conductore vel procuratore vel actore praedii parasynaxes et conventicula interdicta convenerint, conductor vel procurator sive auctor vel quicumque in domum vel possessionem vel monasterium receperint ac passi fuerint illicitas parasynaxes conventusque celebrari: si vilis et abiectae conditionis sunt, fustibus publice et in poenam suam et in aliorum exerceantur exemplum: si honestae vero personae sunt, decem libras auri mulctati nominis fisco nostro cogantur inferre. Nullum praeterea Apollinaristam vel Eutychianistam ad aliquam iubemus aspirare militiam, nisi ad cohortalinam vel limitaneam; si qui vero extra cohortalinam vel limitaneam inventi fuerint militare, soluto cingulo honestorum hominum et palatii communione priventur, nec in aliqua nisi in ea in qua nati sunt civitate vel vico ac regione versentur; si qui vero in hac alma urbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu quam omni per provinciam metropolitana civitate pellantur. Nulli insuper Eutychianistae vel Apollinaristae publice vel privatim coetus et circulos contrahendi et de errore haeretico disputandi aut perversitatem facinorosi dogmatis asserendi tribuatur facultas: nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem synodum liceat aliquid vel dictare vel scribere vel legere atque emittere aut aliorum super eadem re scripta proferre: nemo huiusmodi habere libros et sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur, eos vero qui discendi studio audierint de infausta haeresi disputantes,

decem librarum auri quae fisco nostro inferendae sunt, iubemus subire dispendium. Omnes vero huiuscemodi chartae ac libri qui funestum Eutychetis hoc est Apollinaris dogma fuerint complexi, incendio concrementur, ut facinorosae perversitatis vestigia ipsa flammis ambusta depereant; aequum namque est ut immanissima sacrilegia par poenae magnitudo percellat, Palladi parens carissime atque amantissime. Illustris igitur et magnifica auctoritas tua quae hac sacratissima constitutione decrevimus in hac alma urbe diversisque provinciis ac praecipue in Alexandrina civitate et per universam Aegyptiacam dioecesim edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat pervenire, ut cuncta quae statuitur in eos qui rei fuerint deprehensi severitas protinus exerceatur, scientibus moderatoribus provinciarum eorumque apparitoribus, defensoribus etiam civitatum. Quod si ea quae legis huius religiosissima sanctione custodienda decrevimus aut neglexerint aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctati fisco cogantur inferre, insuper etiam existimationis suae periculum sustinebunt. Ea quoque quae de paganis per omne Romanum imperium aequaliter valitura perennitatis nostrae lege decrevimus, instantissime in eos exerceantur quos constiterit profanos ritus et simulacrorum impios cultus et interdicta sibi sacrilegia celebrare. Datum sub die Kal. Aug. Constantinopoli divo Valentiniano VIII. et Antemio vv. cc. conss.

EPISTOLA FORMATA ATTICI EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Graeca elementa litterarum numeros etiam exprimere nullus qui vel tenuiter Graeci sermonis notitiam habet ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere praesumeretur, hoc a patribus trecentis decem et octo Nicaea congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut formatae epistolae hanc calculationis seu supputationis habeant rationem, id est, ut assumantur in supputatione prima Graeca elementa, patris et filii et spiritus sancti, hoc est Π, Υ, Α: quae elementa et octogenarium et quadringentesimum et primum significant numerum: Petri quoque apostoli prima littera, id est Π, qui numerum octogenarium significat, eius quoque qui scribit epistolam prima littera, cuius scribitur secunda littera, accipientis tertia, littera civitatis quoque de qua scribitur quarta et indictionis quaecumque est temporis, idem qui fuerit numerus assumatur: atque ita his omnibus Graecis litteris quae, ut diximus, numeros exprimunt in unum ductis, unam quaecumque collecta fuerit summam epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressum, addat praeterea separatim in epistola nonagenarium et nonum numerum qui secundum Graeca elementa significant Ϟ Θ.

Hucusque Grecorum concilia.[1]

DEHINC LATINORUM SEQUUNTUR.[2]

CONCILII CARTAGINENSIS AFRICE PRIMI INCIPIUNT TITULI.[3]

I. Ut baptismus in trinitate susceptus non iteretur.
II. De martyrum sepulchris et honorificentia.
III. Ut clerici vel sanctimoniales faeminae cum extraneis viris vel feminis non habitent.
IV. Ut cum viduis vel viduabus extraneae personae non commorentur.
V. Ut clerici et laici in alterius ecclesia non ordinentur.
VI. Ut clerici actus secularium vel procurationes non suscipiant.
VII. Ut clerici vel laici in aliena ecclesia non communicent sine litteris episcopi sui.
VIII. Ut implicati negotiis alienis nisi antea reddita ratione clerici non ordinentur.
IX. Ut laici clericos actores vel ratiocinatores sibi non constituant.
X. Ne episcopus alterius episcopi plebes aut fines usurpet.
XI. De clericis contumacibus et de numero iudicantium episcopum, presbyterum et diaconum.
XII. Ut pacta inter episcopos inita custodiantur.
XIII. Ut non liceat clericis foenerari.
XIV. Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici vero honore priventur.

[4]Dilectissimis fratribus et coepiscopis diversarum provinciarum Numidiae et Mauritaniae utriusque, maetropolis et provinciae consularis Aurelius, Mizonius et ceteri episcopi.[4]

Ecclesiastice utilitatis causa dum in Carthaginensi[5] urbe convenerimus[6] in unum a plerisque suggestum est quod ea quae in concilio Ypponiensi iamdudum maturata sunt et legitime ad corrigendam disciplinam salubriter gesta et statuta

[1] & [2] & [3] *Sec. Andegav.* [4] *Editum ex codice Andegavensi adhibito codice Carnotensi* 140 (*C*) *s. XI. Exhibetur quoque in codicibus Vindocin.* 91. *s. XI. et Ottobonian.* 93. *s. XI/XII.* [5] *C:* Carthaginiensi. [6] *C:* conveneremus.

noscuntur, effrenata temeritate quosdam minime custodire. Ad huiuscemodi[1] vero excusandos excessus illud aliquibus praetendi, quod ea quae iamdudum legibus statuta sunt ignorantes praetermiserint: ob quam rem haec communi consilio per universam provinciam Byzacenam in notitiam cunctis deducenda censuimus, ut abhinc quisquis decretorum temerator extiterit, sciat se status sui operatum fuisse iacturam. Statuta quoque Ypponiensis[2] concilii breviata et quaedam[3] eorum in conciliis Carthaginensibus cum Byzacenis[4] episcopis collata ac diligentius pertractata his VII conciliis interpolavimus ordinabiliterque distinximus. Brevem vero statutorum ante singula concilia in quo omnia videntur esse complexa et quaedam diligentius constituta huic epistolae subdidimus, ut compendio quae decreta sunt recensentes sollicitius observare curemus. Optamus vos fratres in deo semper bene valere et nostri sine intermissione memores esse atque gaudere semper in domino. Explicit.

INCIPIT PRAEFATIO.[5]

Quum Gratus episcopus Carthaginis in concilio una cum collegis suis consedisset et qui ex diversis provinciis Africanis ad Carthaginem convenerunt, Felix Baianensis, Fortunatianus Capsitanus, Crescentis Bagensis, Vindicius Lacubacensis, Abundantius Adrumetinus, Privatus Beieiselitanus, Gaudentius Turretamalliensis, Epartius Sicensis, Quietus Uticensis, Romulus Tebestinus et ceteri quorum manus continentur, idem Gratus episcopus dixit: Gratias deo omnipotenti et Christo Iesu, qui dedit malis schismatibus finem et respexit ecclesiam suam, ut in eius gremium erigeret universa membra dispersa, qui imperavit religiosissimo Constantio imperatori, ut votum gereret unitatis et mitteret ministros operis sancti famulos dei Paulum et Macarium. Ex dei ergo nutu congregati ad unitatem, ut per diversas provincias concilia celebraremus et universae provinciae Africae hodierna die concilii gratia Carthaginem veniretur, unde considerantibus vobis cum mediocritate mea tractentur tituli necessarii, de quibus necesse est nos memores praeceptorum divinorum et magisterii scripturarum sanctarum contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

I. Ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis, et sanctitatem vestram postulo ut mentis vestrae placita producatis ad descendentem in aquam et interrogatum in trinitate secundum evangelii fidem et apostolorum doctrinam et confessum bonam conscientiam in deum de resurrectione Iesu Christi, liceat iterum interrogari in eadem fide et in aqua iterum intingi? Universi episcopi dixerunt: Absit; illicitam enim esse sancimus rebaptizationem et satis esse alienam a sincera fide et a catholica disciplina. [6]Gratus episcopus dixit: Magna beatitudo a deo patre per Christum dominum concessa est tempori nostro, ut liceat religiosis mentibus insinuare ecclesiasticam disciplinam, ut auditores percipientes regulam rectam et deo placeant et praemia meritorum bonorum percipiant, ut in ipsis deus in omnibus et pro omnibus honoretur. Discussus est titulus necessarius rebaptizationis, in quo plus schismatis rabies delitescebat et adhibita moderatione legis vigor et auctoritas custodita est: illud sane sapientissimis vestris sensibus insinuare contendo, licet vestra prudentia sit instructa et a deo docta et mereatur in pace et unitate consequi desuper munera larga, tamen et ego unus ex vobis et qui parem vobiscum sollicitudinem gero propter ecclesiasticum ordinem illud insinuare curabo.

II. Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque passiva corpora quae sepulturae tantum propter misericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigant aut insania praecipitatos aut alia ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti quo martyria celebrantur, martyrum nomen appellent: aut si quis in iniuriam martyrum claritati eorum adiungat insanos, placet eos, si laici sunt, ad poenitentiam redigi: si autem sunt clerici, post commonitionem et post cognitionem honore privari. Universi dixerunt: Recte statuit sanctitas vestra; hoc et singulis conciliis statutum est.

[7]III. Gratus episcopus dixit: Et illud praecipue, si videtur vestrae dilectioni, cavendum est, ut pastoris curam quantum debet et potest regalis providentia tota praemuniat, ut nullis liceat extraneis ab affectu carnali abstinentibus diverse pariter commorari; occasiones enim amputandae sunt peccatorum et tollendae omnes suspiciones quibus subtilitas diaboli sub praetextu caritatis et dilectionis incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur et nulla sanctimoniae vel virginitati deserviens propter blasphemiam ecclesiae, si

[1] *C:* huiusmodi. [2] *C:* Ypponigensis. [3] *C:* quemdam. [4] *C:* Bizanis. [5] *Sic in Andeg. Text. concilii des. ex ed. cit. Hisp.* [6] *In Hisp. incip. cap. II., in codd. A* 1 *et ed. Merl. eadem divisio ac in textu.* [7] *Inc. in Hisp. cap. III.*

vobis placet, in una domo penitus commorari non debet. Universi dixerunt: Qui nolunt nubere et pudicitiae meliorem eligunt partem, vitare debent non solum habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum: hoc ergo et lex iubet et sanctitas vestra commendat, hoc et in singulis conciliis a nobis statutum est. Gratus episcopus dixit: Ergo persuasio interdum prudentes solet arcere a peccatis, cum imprudentes debet metus huiusmodi constringere, si sanum consilium respuunt et salutare mandatum. Si ergo laici sunt, post commonitionem si contempserint, a communione separentur; si clerici sunt, honore priventur. Universi dixerunt: Placet, placet.

IV. Gratus episcopus dixit: Etsi infinita sunt, quae lege praescripta sunt proficientia disciplinae et unusquisque nostrum tractatu assiduo et commonitione frequenti per singulas quasque species proficientes ad disciplinam poterit populis intimare, tamen aliqua ex his propter blasphemiam suggerenda sunt a nobis et in concilio statuenda: si videtur vobis pari sententia teneantur etiam hi qui cum viduis commorantur et nulla secum germanitate coniuncti sunt. Universi dixerunt: Iuxta viduos et viduas eadem lex maneat et sententia.

V. Privatus episcopus Beieisilitanus dixit: Suggero sanctitati vestrae, ut statuatis non debere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui neque apud se detinere, sed neque laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est. Gratus episcopus dixit: Haec observata res pacem custodit, nam et memini sanctissimi concilii Sardicensis similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem sibi usurpet, sed si forte erit necessarium ordinationi ut de vicino homo sit necessarius, petat a collega suo et consensum habeat.

VI. Nicasius episcopus Culusitanus dixit: Credo placere suggestionem meam sanctitati vestrae et displicere vobis, ut qui serviunt deo et annexi sunt clero, accedant ad actus et administrationem vel procurationem domorum. Gratus episcopus dixit: Et apostolorum statuta sunt quae dicunt: Nemo militans deo ingerit se negotiis secularibus; proinde aut clerici sint sine actionibus domorum aut actores sine officio clericorum. Universi dixerunt: Hoc observemus.

VII. Cassianus Usulensis episcopus dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque clericus vel laicus non communicent in aliena plebe sine litteris episcopi sui. Gratus episcopus dixit: Nisi hoc observatum fuerit communio fiet passiva; nam si cum litteris receptus fuerit, et concordia inter episcopos servatur, ut nemo subtilis alterius fugiens communionem ad alium latenter accedat. Universi dixerunt: Omnibus provides et clero et laicis consulens.

VIII. Magnus episcopus Astuagensis dixit: Quid dilectioni vestrae videtur, procuratores et actores, tutores etiam seu curatores pupillorum si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit: Si post deposita universa et reddita ratiocinia actus vitae ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debeant et cum laude cleri, si postulatus fuerit honore munerari; si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerit ordinatus, ecclesia infamatur. Universi dixerunt: Recte omnia statuit sanctitas tua; ideo quae tua est et nostra est quoque sententia.

IX. Mettun Cannensis episcopus dixit: Recte statutum est, ut obnoxii alienis negotiis non ordinentur; tamen si dimissi et gratias referre debent et a clericorum iniuria temperare, et ipsis non liceat vel dominis clericos nostros eligere apothecarios vel ratiocinatores. Gratus episcopus dixit: Nulli dubium est quod omnes vel domini vel procuratores vel quicumque praesunt, quum audierint saluberrima instituta concilii et sibi esse consultum nec impeditum, propriam inhibebunt iniuriam in clericis nostris; quod si in iniuriam constitutionis imperatoriae clericos inquietandos putaverint, et defensio ecclesiastica non deerit et pudor publicus vindicabitur. Universi dixerunt: Saluberrimae provisiones debuerunt tanto condi concilio.

X. Felix episcopus Baiensis dixit: Nullus debet collegae facere iniuriam, multi enim et transcendunt sua et usurpant alienas plebes ipsis invitis. Gratus episcopus dixit: Avaritiae cupiditatem radicem omnium malorum esse nemo est qui dubitet: proinde inhibendum est, ne quis alienos fines usurpet aut transcendat episcopum collegam suum et usurpet alterius plebes sine eius petitu, quia inde cetera mala omnia generantur. Universi dixerunt: Placet, placet.

XI. Elpidephorus Cuiculitanus episcopus dixit: Statuat sanctitas vestra ut clerici qui superbi vel contumaces sunt, coerceantur: qui minores sunt et maioribus irrogaverint iniurias, metum habeant disciplinae. Gratus episcopus dixit: Manifestum est illum non esse dei, qui humilitatem condemnat, sed diaboli qui superbiae inventor et princeps est: unde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in maiorem natu vel aliquam causam habuerit, a tribus vicinis episcopis, si diaconus est qui arguitur; si presbyter est, a sex, si episcopus a duodecim consacerdotibus audiatur. Universi episcopi dixerunt: Contundi debet contumacia et superbia in omnibus frangi, causae vero pro personis ab statuto numero audiantur.

XII. Antigonus episcopus Maginensis dixit: Gravem iniuriam patior, et credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam et computare communem iniuriam. Optantius quum se repraesentaret, pactum mecum habuit et divisum est, quod ad se illiciat

populorum imperitorum animos[1] contra disciplinam, contra evangelicam traditionem, contra placita pacis: nam si sibi posse contingere arbitrarentur, nunquam profecto in fratrem aliquis deliquisset, unde aut inita pacta sui obtineant firmitatem aut conventus, si se non cohibuerit, ecclesiasticam sentiet disciplinam. Universi dixerunt: Pax servetur, pacta custodiantur.

XIII. Abundantius episcopus Adrumetinus dixit: In nostro concilio statutum est, ut non liceat clericis foenerari: quid etiam sanctitati tuae et huic concilio videtur praesenti placito designetur. Gratus episcopus dixit: Novella suggestio: quae vel obscura sunt vel sub genere latent, inspecta a nobis formam accipient; ceterum de quibus apertissime divina scriptura sanxit non ferenda sententia est, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis deprehenditur, id multo magis debet in clericis praedamnari. Universi dixerunt: Nemo contra prophetas, nemo contra evangelia facit sine periculo.

XIV. Gratus episcopus dixit: Iuxta statuta concilii et meae mediocritatis sententiam placet facere rerum omnium conclusionem: universi tituli designati et digesti teneant sententias suas. Sane credo vos tenere multis conciliis a patribus nostris et traditione esse damnatam et rebaptizationis impietatem esse puniendam; quas res etiam nostro concilio credo iam terminum accepisse. Reliqua vero quae vel facta vel dicta superius comprehensa sunt vel aliis conciliis conscripta secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruperit vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si clericus est, honore privetur. Universi dixerunt: Placet, placet. Gratus episcopus dixit: Superest iam ut placita omnium nostrorum quae ad consensum vestrum sunt scripta, vestra quoque subscriptione firmetis. Universi dixerunt: Et consensisse nos concilii huius scripta testantur et subscriptione nostra consensus declarabitur noster. Et subscripserunt.

INCIPIUNT GESTA CONCILII CARTAGINENSIS SECUNDI HABITA ERA CCCCXXVIII.[2]

I. Ut trinitas et credatur et praedicetur.
II. Ut castitas a levitis et sacerdotibus custodiatur.
III. Ut chrisma et benedictio puellarum et reconciliatio poenitentium a presbyteris non fiat.
IV. Ut presbyter poenitentem iussus ab episcopo suo reconciliet.
V. Ut dioecesis quae episcopum numquam habuit, non habeat.
VI. Ut qui criminibus implicati sunt, clericos non accusent.
VII. Ut qui excommunicatum alterius susceperit, excommunicetur.
VIII. Ut excommunicatus presbyter si sacrificare praesumpserit, anathematizetur.
IX. Ut si presbyter inconsulto episcopo agendam celebraverit, honore privetur.
X. Quanti debeant iudicare sacerdotem atque levitam.
XI. Ut nullus parochiam alienam praesumat.
XII. Ut sine consulto metropolitani nullus ordinetur episcopus.
XIII. Ut episcopus qui contra professionem suam habitam venerit deponatur.

Gloriosissimo imperatore Valentiniano augusto quarto et Neoterio, viris clarissimis consulibus, Carthagine in basilica perpetua restituta quum Geneclius episcopus una cum Victore Abdiritano et alio Victore Puppianensi et ceteris coepiscopis suis provinciarum diversarum consedissent,

I. Geneclius episcopus dixit: Omnipotenti deo gratias refero, qui permisit ut secundum commune consilium habitum in praeterito et iuxta tenorem petitionis litterarum mearum ad Carthaginem pro fide atque utilitate ecclesiastica veniretis, etsi non omnes, tamen quoniam totum caritas persuadet, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum spiritu videantur esse coniuncti, idcirco deo propitio, quia praesentes estis pari professione fides ecclesiastica quae per nos traditur in hoc coetu glorioso primitus confitenda est, tunc demum ordo ecclesiasticus singulorum et consensu omnium adstruendus ad corroborandas fratrum et coepiscoporum nuper promotorum mentes de his quae proponenda sunt, quae a patribus certa dispositione accepimus, ut trinitatem quam nostris in sensibus consecratam retinemus patris et filii et spiritus sancti unitatem, quae nullam noscitur habere differentiam sicut didicimus, ita dei populos instruamus. Ab universis episcopis dictum est: Plane sic accepimus, sic tenemus, sic docemus fidem apostolicam sequentes.

II. Epigonius episcopus Bullensium regio-

[1] *Hisp. hunc locum, quem sec. Andeg. in textu protuli, ita exhibet:* pactum mecum habuit et divisimus plebes, manus nostrae tenentur et pittacia: contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas et susurrat populis ut illum patrem, me vitricum nominent. Gratus episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se illiciant populorum imperitorum animos. *Ceter. codd. Ps.-Isid. class. A1, A/B, B, C et edit. Merl. cum Andeg. concordant.* [2] *Sic in Andeg. Text. et rubricae praem. desumt. ex ed. cit. Hisp.*

num dixit: Quum praeterito concilio de continentia et castitate tractaretur, gradus isti tres qui constrictione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt: episcopus, inquam, presbyter et diaconus tractatu pleniori, ut pudicitiam custodiant doceantur. Geneclius episcopus dixit: Ut superius dictum est, decet sacrosanctos antistites et dei sacerdotes necnon et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus quo possint simpliciter quod a domino postulant impetrare et quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus. Ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet, ut episcopus, presbyter et diaconus pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altario inserviunt.

III. Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Si iubet sanctitas vestra, suggero, nam memini praeteritis conciliis fuisse statutum, ut chrisma vel reconciliatio poenitentum necnon et puellarum consecratio a presbyteris non fiat; si quis autem emerserit hoc facere, quid de eo statuendum sit? Geneclius episcopus dixit: Audivit dignatio vestra suggestionem fratris et coepiscopi nostri Numidii, quid ad haec dicitis? Ab universis episcopis dictum est: Chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam in publica missa presbytero non licere, hoc omnibus placet.

IV. Geneclius episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus et se reconciliari divinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem eius praecepto reconciliare; quam rem debemus salubri consilio corroborare. Ab universis episcopis dictum est: Placet omnibus quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.

V. Felix episcopus Selemselitanus dixit: Etiamsi hoc placet sanctitati vestrae, insinuo, ut dioeceses quae numquam episcopos habuerunt, non habeant, et illa dioecesis quae aliquando habuit, habeat proprium: et si accedente tempore, crescente fide, dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, cum eius videlicet voluntate, in cuius potestate dioecesis constituta est, habeat episcopum: secundum autem hanc prosequutionem sanctitatis vestrae est aestimare quid fieri debeat. Geneclius episcopus dixit: Si placet, insinuatio fratris et coepiscopi nostri Felicis ab omnibus confirmetur. Ab universis episcopis dictum est: Placet, placet.

VI. Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Praeterea sunt quamplurimi non bonae conversationis qui existimant maiores natu vel episcopos passim vageque in accusatione pulsandos: debent tam facile admitti contra apostolicam regulam necne? Geneclius episcopus dixit: Placet ergo caritati vestrae, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est vocem adversus maiorem natu non habeat accusandi? Ab universis episcopis dictum est: Si criminosus est, ut non admittatur, omnibus placet.

VII. Felix episcopus Selemselitanus dixit: Illud autem suggero vestrae sanctitati, ut hi qui pro facinoribus suis de ecclesia pelluntur et ausi fuerint ad comitatum pergere aut ad iudicia publica prosilire aut forsitan ecclesiae catholicae limina attentare episcopus vel clericus cuiuslibet plebis, de his quid censetis? Epigonius episcopus Bullensium regionum dixit: Si quis episcopus communionem tenens catholicam huiusmodi hominem vanis blandimentis incederit, sciat cum iisdem reiectis se esse depravatum, transiens in sortem eorum. Geneclius episcopus dixit: Ergo recte suggerunt fratres et coepiscopi, ut qui facinorum merito suorum ab ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo vel clerico fuerint communione suscepti, etiam ipse pari cum eisdem crimine teneatur obnoxius? Ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet.

VIII. Felix episcopus Selemselitanus dixit: Nec illud praetermittendum est, ut si quis forsitan presbyter ab episcopo suo correptus aut excommunicatus, tumore vel superbia inflatus, putaverit separatim domino sacrificia offerenda vel aliud erigendum altare contra ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit agendum, non exeat impunitus. Geneclius episcopus dixit: Necessario disciplinae ecclesiasticae et fidei congrua sunt quae frater noster Felix prosequutus est: proinde quid exinde videtur vestrae dilectioni, edicite. Ab universis episcopis dictum est: Si quis presbyter a praeposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri ut ab ipsis eius causa possit audiri ac per ipsos suo episcopo reconciliari; quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium deo obtulerit, loco amisso anathema habeatur: nihilominus et de civitate in qua fuerit, longius depellatur, ne vel ignorantes vel simpliciter viventes serpentina fraude decipiat. Secundum apostolum ecclesia una est, una fides, unum baptisma: et si querimoniam iustam adversus episcopum habuerit, inquirendum erit.

IX. Numidius episcopus Maxulitanus dixit: In quibusdam locis sunt presbyteri qui aut ignorantes simpliciter aut dissimulantes audaciter praesente et inconsulto episcopo quam plurimis in domiciliis agant agendam, quod disciplinae et incongruum esse cognoscit sanctitas vestra. Geneclius episcopus dixit: Fratres et coepiscopi nostri dignae suggestioni tuae respondere non morentur. Ab universis episcopis dictum

est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

X. Felix episcopus Selemselitanus dixit: Etiam hoc adiicio secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus, quod non optamus, reatum aliquem incurrerit et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregare: ne in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur et a sex presbyteris et a tribus diaconibus[1] cum proprio suo episcopo. Geneclius episcopus dixit: Quid ad haec dicit sanctitas vestra? Ab universis episcopis dictum est: Dignum est a nobis veterum statuta debere servari.

XI. Victor episcopus Abdiritanus dixit: Roboranda est ecclesiastica disciplina, ne quisquam episcoporum alterius plebis vel dioecesim sua importunitate pulsare terminosque sibi statutos conetur excedere: qui hoc facere tentaverit quemadmodum coercendus est? Geneclius episcopus dixit: Et lex sancta prohibet et ipsa veritas non sinit quemquam alienum concupiscere; proinde quid etiam vobis omnibus placet, propria voce signate. Ab universis episcopis dictum est: Placet ut secundum divinae legis auctoritatem nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

XII. Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Aliqui episcopi usurpatione quadam existimant contempto primate cuiuslibet provinciae suae ad desiderium populi episcopum ordinare neque litteris ad se primae cathedrae manantibus neque potestate accepta: de hoc quid statuit sanctitas vestra? Geneclius episcopus dixit: Quoniam communis est honorificentia quae debet unicuique servari, de hoc ipso, fratres, vestrum est pronuntiare. Ab universis episcopis dictum est: Placet omnibus, ut inconsulto primate cuiuslibet provinciae tam facile nemo praesumat, licet cum multis in quocumque loco sine eius, ut dictum est, praecepto episcopum non debere ordinare: si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis praecepto ordinare debeant.

XIII. Geneclius episcopus dixit: Omnia ergo quae a coetu gloriosissimo statuta sunt, placet omnibus custodiri? Ab universis episcopis dictum est: Placet, placet, custodiantur ab omnibus. Geneclius episcopus dixit: Si, quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata, quid statuitis? Ab universis episcopis dictum est: Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc coetu separavit. Geneclius episcopis dixit: Gratulor, deo nostro praestante quod pro statu ecclesiae catholicae cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus; et ideo quae ab omnibus sunt dicta, propria debemus subscriptione roborare. Ab universis episcopis dictum est: Fiat, fiat. Et subscripserunt.

INCIPIT CONCILIUM CARTHAGINENSE TERTIUM HABITUM AB EPISCOPIS NUMERO XCVII ERA CCCCXXXV.[2]

[1] *Sic codd. Andeg., Ottobon.; Hisp.:* a sex presbyter et a tribus diaconus: *sic quoque Vatican.* 630 *postea corr.* [2] *Sec. Andeg.; Hisp.:* numero XLVI aera CCCCXXXVI. *Text. des. ex Hisp., praemissis titulis ut in Ps.-Isid.*

Caesario et Attico viris clarissimis consulibus V. Kal. Septembr. Carthagine in secretario basilicae restitutae quum Aurelius episcopus una cum coepiscopis suis consedisset, adstantibus etiam diaconibus, constituta sunt haec quae in praesenti concilio definita sunt.

I. Placuit igitur in principio propter errorem qui saepe solet oboriri, ut omnes Africanae provinciae episcopi observationem diei paschalis ab ecclesia Carthaginensi curent accipere.

II. Similiter placuit, ut propter causas ecclesiasticas quae ad perniciem plebium saepe veterascunt singulis quibusque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciae quae primas sedes habent de conciliis suis binos aut quantos elegerint episcopos legatos mittant, ut et minus invidiosi minusque hospitibus sumptuosi existant et in congregato conventu plena possit esse auctoritas: de Tripoli autem propter inopiam episcoporum unus episcopus veniat.

III. Item placuit, ut ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse poeniteant.

IV. Item placuit, ut ante viginti quinque annos aetatis nec diacones ordinentur, nec virgines consecrentur, et ut lectores populum non salutent.

V. Item placuit, ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum salis, quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, nec catechumenos oportet mutare.

VI. Item placuit, ut corporibus defunctorum eucharistia non detur, dictum est enim a domino: Accipite et edite! cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Deinde cavendum est etiam, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, quibus nec eucharistia dari animadverterit.

VII. Aurelius episcopus dixit: Quisquis episcoporum accusatur, ad primates provinciae ipsius causam deferat accusator, nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam primae sedis litteris evocatus die statuta minime occurrerit, hoc est infra spatium mensis ex ea die qua eum litteras accepisse constiterit: quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causae suae dicendae intra alterum mensem integram habeat facultatem, verum tamdiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem nec ad concilium universale anniversarium occurrere voluerit, ut vel ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis suae sententiam dixisse iudicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parochia communicet; accusator autem eius, si nunquam diebus causae dicendae defuerit, a communione non removeatur. Si vero aliquando defuerit subtrahens se, restituto in communionem episcopo removeatur a communione accusator, ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causae peragendae, si se ad diem occurrere non noluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero placuit, ut quum agere coeperit in episcoporum iudicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur nisi proprias causas, non tamen si ecclesiasticas asserere voluerit.

VIII. Si autem presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum una secum in presbyteri nomine episcopi sex, in diaconi tres, ipsorum causam

discutiant, eadem dierum et dilatione et a communione remotionum et discussione personarum inter accusatores et eos qui accusantur forma servata: reliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat.

IX. De diversis ordinibus ecclesiae servientibus, ut si quis in causam criminis incurrerit et abnuerit iudicium ecclesiasticum debeat periclitari, et ut filii sacerdotum spectacula saecularia non adeant. [1] Item placuit, quisquis episcoporum, presbyterorum et diaconorum seu clericorum, quum in ecclesia ei crimen fuerit intentum vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali actione: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Siquidem enim ad eligendos iudices undique ecclesiae consortio iudicat [2], qui de universa ecclesia male sentiendo de iudicio seculari poscit auxilium, quum privatorum christianorum causa apostolus etiam ad ecclesiam deferri atque ibi determinari praecipiat.

X. Hoc etiam placuit, ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati: sane si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam a pauciori numero quam constitutum est, non liceat provocari.

XI. Ut filii sacerdotum vel clericorum spectacula saecularia non exhibeant, sed nec spectent, quandoquidem quidem ab spectando etiam omnes laici prohibeantur: semper enim christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant.

XII. Item placuit, ut filii vel filiae episcoporum vel quorumlibet clericorum gentilibus vel haereticis aut schismaticis matrimonio non coniungantur.

XIII. Ut episcopi vel clerici in eos qui catholici christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum nihil conferant.

XIV. Ut episcopi vel clerici filios suos a sua potestate per mancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint et aetate securi, ut possint ad eos iam propria pertinere peccata.

XV. Item placuit, ut episcopi, presbyteri et diaconi vel clerici non sint conductores aut procuratores privatorum, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quaerant, quia respicere debent scriptum esse: Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus.

XVI. Ut nullus clericorum amplius recipiat quam cuiquam quod accommodaverit: si pecuniam, pecuniam accipiat, si speciem, speciem quantum dederit accipiat: et quicquid aliud tantum quantum dederit.

XVII. Ut cum omnibus omnino clericis extraneae faeminae non cohabitent, sed solae matres, aviae et materterae, amitae, sorores et filiae fratrum aut sororum et quaecumque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant, vel si filii eorum iam ordinatis parentibus uxores acceperunt, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

XVIII. Ut episcopi, presbyteri et diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum christianos catholicos fecerint.

XIX. Placuit ut lectores quum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.

XX. Placuit, ut a nullo episcopo usurpentur plebes alienae, nec aliquis episcoporum supergrediatur in dioecesim collegae sui.

XXI. Ut clericum alienum nisi concedente eius episcopo nemo audeat retinere vel promovere in ecclesia sibi credita, clericorum autem nomen etiam lectores et psalmistae et ostiarii retinent.

XXII. Ut nullus ordinetur clericus nisi probatus vel episcoporum examine vel populi testimonio.

XXIII. Ut nemo in precibus vel patrem pro filio vel filium pro patre nominet, et quum ad altare assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio; et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas instructioribus fratribus contulerit.

XXIV. Ut in sacramentis corporis et sanguinis domini nihil amplius offeratur quam ipse dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquae mixtum, nec amplius in primitiis offeratur quam de uvis et frumentis.

XXV. Ut clerici vel continentes ad viduas vel virgines nisi ex iussu vel permissu episcoporum aut presbyterorum non accedant: et hoc non soli faciant, sed cum conclericis vel cum his cum quibus episcopus aut presbyter iusserit; nec ipsi episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi faeminas, sed ubi aut clerici praesentes sunt aut graves aliqui christiani.

XXVI. Ut primae sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum aut summus sacerdos aut aliquid huiusmodi, sed tantum primae sedis episcopus.

[1] *Quae omnia inde ab initio cap. in cod. Ps. A1, A/B, B, C leguntur, in ed. Hisp. cit. omittuntur.* [2] *Sic locus corruptus exhibetur in Andeg. ceterisque codd. A1, A/B. In codd. B, C et ed. Merl.* Siquidem ad — sibi de ecclesiae consortio dubitat vileque ecclesiae consortium iudicat; *Hisp.:* Cui enim ad eligendos iudices undique patet auctoritas, ipse se indignum ecclesiae consortio iudicat, qui de universa ecclesia male sentiendo etc.

XXVII. Ut clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate.

XXVIII. Ut episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primae sedis episcopo suae cuiusque provinciae, ut ab eo praecipue possit sumere formatam vel commendationem.

XXIX. Ut sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur; nam si aliquorum meridiano tempore defunctorum sive episcoporum sive ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt iam pransi inveniuntur.

XXX. Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant: populi etiam ab huiusmodi conviviis quantum fieri potest prohibeantur.

XXXI. Ut poenitentibus secundum peccatorum differentiam episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur.

XXXII. Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente episcopo necessitate cogente: cuiuscumque autem poenitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam ecclesiam commoverit, ante absidam manus ei imponatur.

XXXIII. Ut virgines sacrae si a parentibus a quibus custodiebantur privatae fuerint, episcopi providentia vel presbyteri ubi episcopus absens est, monasterio virginum vel gravioribus faeminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagando ecclesiae laedant opinionem.

XXXIV. Ut aegrotantes, si pro se respondere non possunt, quum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur: similiter et de poenitentibus agendum est [1].

XXXV. Ut scenicis atque histrionibus certisque huiusmodi personis vel apostaticis conversis vel reversis ad deum gratia vel reconciliatio non negetur.

XXXVI. Ut presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero numquam conficiat.

XXXVII. Ut clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum iustas episcopus loci vel presbyteres locorum perviderint.

XXXVIII. Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes vel translationes episcoporum. Nam Crisconius Villaregiensis episcopus plebe sua derelicta Tubuniensem invasit ecclesiam et usque hodie commonitus secundum quod statutum fuerat relinquere eandem quam invaserat plebem contempsit. Adversus istum quae pronuntiata fuerant confirmata quidem audivimus, sed petimus secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quoniam necessitate ipsa cogente liberum nobis sit rectorem provinciae secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire, ut qui miti admonitioni vestrae adquiescere noluit et emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Servata forma disciplinae non aestimabitur appetitus, si a vestra caritate modeste conventus recedere detractaverit, quum fuerit suo contemptu et contumacia faciente etiam auctoritate iudiciaria conventus. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Hoc ergo omnibus placet? Ab universis episcopis dictum est: Iustum est, placet.

XXXIX. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, ut quia proxime fratres nostri Numidiae duo episcopi ordinare praesumpserunt pontificem, non nisi a duodecim censeatis episcoporum celebrari ordinationes. Aurelius episcopis dixit: Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant qui fuerint a metropolitano ordinati ad episcopum ordinandum; propterea quia in Tripoli forte et Arzuge interiacere videantur barbarae gentes. Nam et in Tripoli, ut asseritur, episcopi sunt quinque tantum et possunt forte de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari; difficile est enim ut de quolibet numero omnes possint occurrere. Numquid debet hoc ipsum impedimento esse ecclesiasticae utilitati? Nam et in hac ecclesia dignata est sanctitas vestra convenire crebro ac pene per diem dominicam ordinandos habemus: numquidnam frequenter potero duodecim vel decem vel non multo minus advocare episcopos, sed facile est mihi duos adiungere meae parvitati episcopos vicinos, quapropter cernit mecum caritas vestra hoc ipsum observari non posse.

XL. Et illud est statuendum, ut quando ad eligendum episcopum convenerimus si qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta sunt apud nos, non praesumant ad purgandum eum qui ordinandus est tres iam, sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres et in eadem plebe cui ordinandus est discutiantur primo personae contradicentium, postremo illa etiam quae obiiciuntur pertractentur; et quum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestrae sanctitatis animo concordat, roboretur vestrae dignitatis responsione. Ab universis episcopis dictum est: Satis placet.

XLI. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Quoniam de concilio quaedam tractata noscuntur, addimus etiam de die paschae nobis esse mandatum, ut de ecclesia semper Carthaginensi, sicut praedictum est, instruamur et non sub angusto temporis spatio. Aurelius episcopus dixit: Si sancti-

[1] *In Hisp. desunt verba:* similiter etc.; *adduntur in cod. Andeg. ceterisque Ps.-Is.*

tati vestrae videtur, quoniam nos spopondisse iam superius meminimus, ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus et quum convenerimus in unum, tunc divulgabitur sanctus paschae dies per legatos qui adfuerint concilio. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Nunc de praesenti coetu petimus, ut litteris provinciam nostram de hac die informare dignemini. Aurelius episcopus dixit: Ita fiat necesse est.

XLII. Epigonius episcopus dixit: Multis in conciliis hoc statutum est a coetu sacerdotali, ut plebes quae in dioecesibus ab episcopis retinentur quae episcopos numquam habuerunt, non nisi cum voluntate eius episcopi a quo tenentur proprios accipiant rectores, id est episcopos; at vero quia nonnulli dominatu quodam adepto communionem fratrum abhorrent, vel certe quum depravati fuerint, quasi in quadem arce tyrannica sibi dominatum vindicant, quod plerique tumidi atque stolidi adversus episcopos suos cervices erigunt presbyteri vel conviviis sibi conciliantes plebem vel certe persuasu maligno, ut illicito favore eosdem velint sibi collocare rectores, quod quidem insigne mentis tuae tenemus votum, frater religiose Aureli, quia haec saepe oppressisti non curando tales petitores, sed propter eorum malos cogitatus et prave concinnata concilia hoc dico: Non debere rectorem accipere eam plebem quae in dioecesim semper subiacuit, nec unquam proprium episcopum habuit; quapropter si universo sanctissimo coetui placet, hoc quod prosequutus sum, confirmetur. Aurelius episcopus dixit: Fratres et consacerdotes nostri, prosequutioni non obsisto, sed hoc me et fecisse et facturum esse confiteor.

XLIII. Circa eos sane qui fuerint concordes, non solum circa ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne sacerdotale consortium, sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis, quas decipiunt, ut dictum est, earum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosae vitae homines vel certe inflati et ab hoc consortio separati, qui putant propriae plebi incubandum et nonnunquam conventi ad concilium venire detractant, sua forte ne prodantur flagitia metuentes; dico, si placet, circa hoc non tantum dioeceses non esse servandas, verum etiam et de propria ecclesia, quae illis male faverit, omnimodo adnitendum, ut etiam auctoritate publica reiiciantur atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur: oportet enim ut qui universis fratribus ac toto concilio inhaeserit, non solum sua iure integro, sed et dioeceses possideat; at vero qui sibimet putant plebes suas sufficere fraterna dilectione contempta, non tantum dioeceses amittant, sed, ut dixi, etiam propriis publica careant auctoritate, ut rebelles. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Summa provisio sanctitatis tuae cohaesit mentibus singulorum et puto omnium responsione ea qua prosequi dignatus es roboranda. Universi episcopi dixerunt: Placet, placet.

XLIV. Epigonius episcopus dixit: In multis conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum est vestra prudentia, fratres beatissimi, ut clericum alienum nullus sibi praeripiat episcopus praeter eius arbitrium cuius fuerit clericus: dico autem Iulianum qui ingratus est dei beneficiis per meam parvitatem in se collatis ita temerarium et audacem extitisse, ut eum qui a me baptizatus est cum esset puer, mihi ab eodem commendatus, quumque multis annis a me aleretur atque incresceret, hunc, ut dixi, baptizatum in ecclesia mea per manum paupertatis meae, idem in dioecesi Appaliensi lector esse coeperat, immo annis ferme duobus legerat, nescio quo contemptu humilitatis meae idem Iulianus arripuit quem dicat quasi proprium civem sui loci Babtizaritani me inconsulto usurpare; nam et diaconum illum ordinavit, hoc scilicet pateat, haec licentia nobis, beatissimi fratres, si minus tam imprudens cohibeatur, ne se misceat communioni cuiusquam. Numidius episcopus dixit: Si non postulata neque consulta tua dignatione id videtur fecisse Iulianus, iudicamus omnes inique factum vel indigne: quapropter nisi idem Iulianus correxerit errorem suum et cum satisfactione eundem clericum quem fuerat ausus ordinare, revocaverit tuae plebi, contra statuta concilii faciens, contumaciae suae separatus a nobis excipiet iudicium. Epigonius episcopus dixit: Aetate pater, ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, frater et collega noster Victor vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

XLV. Aurelius episcopus dixit: Sermonem meum admittite, fratres: contingit nonnumquam ut postulentur ab ecclesiis quae praepositis egent vel presbyteris vel episcopis, et tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam episcopum eius atque ei inculcem quod eius clericus a qualibet ecclesia postuletur: sed forte in hodierno non reluctati sunt et ne quando contingat ut reluctentur quum fuerint a me in hac causa postulati, quem scitis multarum ecclesiarum et ordinandorum curam sustinere. Iustum est ergo ut quemlibet consacerdotum conveniam cum duobus e consortio nostro vel tribus testibus: si vero indevotus extiterit, quid censet caritas vestra faciendum? ego enim cunctarum ecclesiarum dignatione dei, ut scitis, fratres, sollicitudinem sustineo. Numidius episcopus dixit: Fuit haec semper licentia huic sedi, unde vellet et de cuius nomine fuisset conventus pro desiderio cuiusquam ecclesiae ordinaret episcopum. Epigonius episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem; minus enim praesumis, frater, quum te bonum et clementem omnibus reddis, habes enim hoc in arbitrio: satis est ut satisfaciat personae

uniuscuiusque episcopi in prima tantummodo conventione. Si autem quod licet huic sedi vindicandum sibi fuerit arbitratus, necesse habes tu omnes ecclesias suffulcire: unde tibi non potestatem damus, sed tuae assignamus, ut liceat voluntati tuae et semper tenere quem voles, ut praepositos plebibus vel ecclesiis constituas qui fuerint postulati et unde voles. Postumianus episcopus dixit: Deinde qui unum habuerit, numquid debet illi unus ipse presbyter auferri? Aurelius episcopus dixit: Sed episcopus unus esse potest, per quem dignatione divina presbyteri multi constitui possint; unus autem episcopus difficile invenitur constituendus: quapropter si necessarium episcopus quis habuerit presbyterum et unum, ut dixisti frater, habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debebit. Postumianus episcopus dixit: Ergo si habet alius abundantes clericos, debet mihi alia plebs subvenire? Aurelius episcopus dixit: Sane quomodo tu ecclesiae alteri subveneris, persuadebitur illi qui plures habet clericos, ut unum tibi ordinandum largiatur.

XLVI. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Audivimus constitutum, ut dioeceses non mereantur episcopos accipere, nisi cum consensu eius sub quo fuerant constitutae; sed in provincia nostra quum aliqui forte in dioecesi, concedente eo episcopo in cuius potestate fuerant constitutae, ordinati sunt episcopi, etiam dioeceses sibi vindicare: hoc et corrigi caritatis vestrae indicio et inhiberi debet de cetero. Epigonius episcopus dixit: Singulis episcopis servatum est quod decebat, ut ex massa dioecesium nulla carperetur, ut proprium episcopum habuisset, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi. Sufficiat enim si consenserit ut eadem dioecesis permissa proprium tantum episcopum habeat, ceteras sibi non vindicet dioeceses, quae excepta de fasce multarum sola meruit honorem episcopatus suscipere. Aurelius episcopus dixit: Non dubito caritati vestrae omnium placere eum in dioecesi, concedente episcopo qui matricem tenuit, solam eandem retinere plebem in qua fuit ordinatus.

XLVII. Sunt autem canonicae scripturae, id est 1. Genesis, 2. Exodus, 3. Leviticus, 4. Numeri, 5. Deuteronomium, 6. Iesu Nave, 7. Iudicum, 8. Ruth, 9. Regnorum libri IV, 10. Paralipomenon libri II, 11. Iob, 12. Psalterium Davidicum, 13. Salomonis libri V, 14. libri XII Prophetarum, 15. Esaias, 16. Ieremias, 17. Ezechiel, 18. Daniel, 19. Tobias, 20. Iudith, 21. Esther, 22. Esdrae libri II, 23. Machabaeorum libri II; novi autem testamenti: 24. Evangeliorum libri IV, 25. Actuum apostolorum liber I, 26. Pauli apostoli epistolae XIII, eiusdem ad Hebraeos I, 27. Petri II, Ioannis III, Iudae I, Iacobi I, apocalypsis Ioannis liber I. Fiunt igitur libri XXVII, ita ut de confirmando isto canone ecclesiae transmarinae consulantur. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniversarii dies eorum celebrantur.

XLVIII. De Donatistis placuit ut consulamus fratres et consacerdotes nostros Siricium et Simplicianum de solis infantibus qui baptizantur penes eosdem, ne quod suo non fecerunt iudicio quum ad ecclesiam dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illis error impediat, ne promoveantur sacri altaris ministri. Quibus insertis Honoratus et Urbanus episcopi, legati provinciae Mauritaniae Sitiphensis, dixerunt: Iam dudum quum apud sanctitatem vestram allegaremus scripta, dilati sumus ea contemplatione quod fratres nostri advenire possent de Numidia legati, sed quia non parvi dies sunt quibus expectati minime venerunt, ultra praetermittere quae nobis mandata sunt a nostris coepiscopis non oportet: atque ideo, fratres, suggestionem nostram libenter admittite. De fide enim Nicaeni tractatus audivimus, verum et de sacrificiis inhibendis post prandium, ut a ieiunis, sicut dictum est, offerantur, et tunc et nunc firmatum est.

XLIX. Placuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi vel quicumque clerici qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quaecumque praedia nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in ecclesiam eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicuius vel successione cognationis venerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni tamquam reprobi iudicentur.

L. Aurelius episcopus dixit: Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si omnia cum animo vestro convenerint, sermone vestro cuncta roborate. Universi episcopi dixerunt: Omnibus nobis haec placuerunt, et haec nostra subscriptione firmabimus. Et subscripserunt: Aurelius episcopus Ecclesiae Carthaginis huic decreto consensi et relecto subscripsi, Epigonius episcopus plebis Bullensis regionis subscripsi, Augustinus episcopus plebis Hipponensium subscripsi. Similiter et omnes episcopi XLIV subscripserunt.

CONCILIUM CARTHAGINENSE QUARTUM HABITUM AB EPISCOPIS NUMERO CCXIV ERA CCCCXXXVI.[1]

I. Qualiter debeant ordinari episcopi.
II. Qualiter consecrentur episcopi.
III. Qualiter presbyteri ordinentur.
IV. Quemadmodum diaconi constituantur.

[1] *Sec. cod. Andeg.; textus des. ex ed. cit. coll. Hisp.*

[1] *In Hisp. rubr. c. LXIII. rubricae cap. LXII. anteponitur, Pseudo-Isidor. codd. eundem ordinem ac textus servant.*

Honorio augusto quarto et Eutychiano consulibus VI. Idus Novembris, quum Aurelius episcopus in concilio universali Carthagine in secretario cum omnibus consacerdotibus suis consedisset, placuit cum eo cunctis qui fuerunt in eadem sancta synodo constituere haec quae ad ordines ecclesiasticos canonicis sunt necessaria disciplinis, ubi in principio constitutum est quales debeant ordinari episcopi.

I. Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur; igitur si natura prudens est, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis, si hominibus affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, et ante omnia si fidei documenta verbis duplicibus asserat, id est patrem et filium et spiritum sanctum unum deum esse confirmans totamque in trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem praedicans, si singulam quamque in trinitate personam plenum deum et totas tres personas unum deum, si incarnationem divinam non in patre neque in spiritu sancto factam, sed in filio tantum credat, ut qui erat in divinitate dei patris filius ipse fieret in homine hominis matris filius, deus verus ex patre et homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens et animam humanam rationalem simul in eo, ut utriusque naturae, id est homo et deus, una persona, unus filius, unus Christus, unus dominus, creaturarum omnium quae sunt et auctor et dominus, et creator cum patre et spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae receptione et vera animae resumptione in qua veniet iudicare vivos et mortuos. Quaerendum etiam ab eo, si novi et veteris testamenti, id est legis et prophetarum et apostolorum unum eumdemque credat auctorem et deum, si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quaerendum etiam ab eo, si credat huius quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quae in carne gesserunt, vel poenas vel praemia, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si poenitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum quam illa quae voluntarie admissa sunt dimittantur, si extra ecclesiam catholicam nullus salvetur. Quum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc consensu clericorum et laicorum ex conventu totius provinciae episcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate vel praesentia ordinetur episcopus, suscepto in nomine Christi episcopatu, non suae dilectioni nec suis motibus, sed his patrum definitionibus adquiescens; in cuius ordinatione etiam aetas requiratur quam sancti patres exemplo salvatoris in praelegendis episcopis constituerunt.

Dehinc disponitur qualiter ecclesiastica officia ordinentur.

II. Episcopus quum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant evangeliorum codicem super caput et cervicem eius et uno super eum fundente benedictionem reliqui episcopi omnes qui adsunt manibus suis caput eius tangant.

III. Presbyter quum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super eius caput tenente etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

IV. Diaconus quum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

V. Subdiaconus quum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum, de manu vero archidiaconi orciolum cum aqua et aquamanile et manutergium.

VI. Acolythus quum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat cereoferarium cum cereis, ut sciat se ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari; accipiat et orciolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

VII. Exorcista quum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi dicente sibi episcopo: Accipe et commenda et habeto petestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatum sive catechumenum.

VIII. Lector quum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam atque ingenium; post haec spectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus est dicens ad eum: Accipe et esto verbi dei relator, habiturus, si fideliter et

utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum dei ministraverunt.

IX. Ostiarius quum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves ecclesiae de altario dicens: Sic age quasi redditurus deo rationem pro his rebus quae istis clavibus recluduntur.

X. Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide quod ore cantas corde credas, ut quod corde credis operibus probes.

XI. Sanctimonialis virgo quum ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniae aptis.

XII. Viduae vel sanctimoniales quae ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, instructae sint ad officium, ut possint aperto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori ad interrogata respondeant, et qualiter accepto baptismate vivant.

XIII. Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur, qui quum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

XIV. Ut episcopus non longe ab ecclesia hospitiolum habeat.

XV. Ut episcopus vilem supellectilem et mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide et vitae meritis quaerat.

XVI. Ut episcopi libros gentilium non legant, haereticorum autem pro necessitate et tempore.

XVII. Ut episcopus gubernationem viduarum et pupillorum ac peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum vel archidiaconum agat.

XVIII. Ut episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat.

XIX. Ut episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.

XX. Ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut lectioni et orationi et verbo dei praedicationi tantummodo vacet.

XXI. Ut episcopus ad synodum ire satis gravi necessitate inhibeatur, sic tamen ut in persona sua legatum mittat suscepturus salva fidei veritate quicquid synodus statuerit.

XXII. Ut episcopus absque consilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam et testimonium quaerat.

XXIII. Ut episcopus nullius causam audiat absque praesentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum suorum praesentia confirmetur.

XXIV. Sacerdote verbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

XXV. Dissidentes episcopos, si non timor dei, synodus reconciliet.

XXVI. Studendum episcopo, ut dissidentes fratres, sive clericos sive laicos, ad pacem magis quam ad iudicium cohortetur.

XXVII. Ut episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus; sane si id utilitas ecclesiae faciendum poposcerit decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto per sententiam synodi transferatur, nihilominus alio in loco eius episcopo subrogato; inferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.

XXVIII. Irritam esse iniustam episcoporum damnationem, idcirco a synodo retractandam.

XXIX. Episcopus si clerico vel laico crimen infigerit, deducatur ad probationem in synodo.

XXX. Caveant iudices ecclesiae ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, immo et causam in synodo pro facto dabunt.

XXXI. Ut episcopus rebus ecclesiae tanquam commendatis non tanquam propriis utatur.

XXXII. Irrita erit episcoporum donatio vel venditio vel commutatio rei ecclesiasticae absque conniventia et subscriptione clericorum.

XXXIII. Episcopi vel presbyteri si causa visitandae ecclesiae alterius episcopi ad ecclesiam veniant, in gradu suo suscipiantur et tam ad verbum faciendum, quam ad oblationem consecrandam invitentur.

XXXIV. Ut episcopus quolibet loco sedens stare presbyterum non patiatur.

XXXV. Ut episcopus in ecclesiae consessu presbyterorum sublimior sedeat, intra domum vero collegam se presbyterorum esse cognoscat.

XXXVI. Presbyteri qui per dioeceses ecclesias regunt non a quibuslibet episcopis, sed a suis nec per iuniorem clericum, sed aut per seipsos aut per illum qui sacrarium tenet ante paschae solemnitatem chrisma petant.

XXXVII. Diaconus ita se presbyteri ut episcopi ministrum esse cognoscat.

XXXVIII. Ut diaconus praesente presbytero eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogit, iussus eroget.

XXXIX. Ut diaconus quolibet loco iubente presbytero sedeat.

XL. Ut diaconus in conventu presbyterorum interrogatus loquatur.

XLI. Ut diaconus tempore tantum oblationis et lectionis alba induatur.

XLII. Clericum inter tentationes officio suo incubantem gradibus sublimandum.

XLIII. Christianum catholicum qui pro catholica fide tribulationes patitur, omni honore a sacerdotibus honorandum, etiam et quotidianus victus ei ministretur.

XLIV. Clericus nec comam nutriat nec barbam radat.
XLV. Clericus professionem suam etiam habitu et incessu probet, et ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quaerat.
XLVI. Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.
XLVII. Clericus per plateas et andronas, nisi certa et maxima officii sui necessitate, non ambulet.
XLVIII. Clericus qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.
XLIX. Clericus qui absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur.
L. Clericum inter tentationes ab officio suo declinantem vel negligentius agentem ab ipso officio removendum.
LI. Clericus quamlibet verbo dei eruditus artificio victum quaerat.
LII. Clericus victum et vestimentum sibi artificio vel agricultura absque officii sui duntaxat detrimento praeparet.
LIII. Omnes clerici qui ad operandum invalidi sunt, et artificiola et litteras discant.
LIV. Clericus invidens fratrum profectibus, donec in vitio est, non promoveatur.
LV. Ut episcopi accusatores fratrum excommunicent, et si emendaverint vitium, recipiant eos ad communionem, non ad clerum.
LVI. Clericus qui adulationibus et proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.
LVII. Clericus maledicus maximeque in sacerdotibus cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur nec unquam ad officium absque satisfactione revocetur.
LVIII. Eius qui frequenter litigat et ad causandum facilis est, testimonium nemo absque gravi examine recipiat.
LIX. Discordantes clericos episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat, inobedientes synodus per audientiam damnet.
LX. Clericum scurrilem et verbis turpibus iocularem ab officio retrahendum.
LXI. Clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum; si perstiterit in vitio, excommunicandum.
LXII. Clericum inter epulas cantantem supradictae sententiae severitate coercendum.[1]
LXIII. Clericum qui tempore indicti ieiunii absque inevitabili necessitate ieiunium rumpit, minorem habendum.[2]
LXIV. Qui dominico die studiose ieiunat, non credatur catholicus.
LXV. Paschae solemnitas uno die et tempore celebranda.
LXVI. Clericus qui episcopi circa se districtionem iniustam putat, recurrat ad synodum.
LXVII. Seditionarios numquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios nec iniuriarum suarum ultores.
LXVIII. Ex poenitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur; si per ignorantiam episcopi factus fuerit, deponatur a clero, quia ordinationis tempore non prodidit se fuisse poenitentem; si autem sciens episcopus ordinaverit, etiam ipse ab episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.
LXIX. Simili sententiae subiacebit episcopus, si sciens ordinaverit clericum eum qui viduam aut repudiatam uxorem habuit vel secundam.
LXX. Clericus haereticorum aut schismaticorum tam convivia quam sodalitates aequaliter vitet.
LXXI. Conventicula haereticorum non ecclesias, sed conciliabula appellanda.
LXXII. Cum haereticis neque orandum, neque psallendum.
LXXIII. Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicetur.
LXXIV. Ut sacerdos poenitentiam imploranti absque personae acceptione poenitentiae leges iniungat.
LXXV. Ut negligentiores poenitentes tardius recipiantur.
LXXVI. Is qui poenitentiam in infirmitate positus petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt et accipiat poenitentiam; et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius eucharistia; si supervixerit admoneatur a supradictis testibus petitioni suae satisfactum et subdatur statutis poenitentiae legibus, quamdiu sacerdos qui poenitentiam dedit, probaverit.
LXXVII. Poenitentes qui in infirmitate sunt viaticum accipiant.
LXXVIII. Poenitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.
LXXIX. Poenitentes qui attente leges poenitentiae exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.
LXXX. Omni tempore ieiunii manus poenitentibus a sacerdotibus imponatur.
LXXXI. Mortuos ecclesiae poenitentes efferant et sepeliant.
LXXXII. Poenitentes etiam diebus remissionis genua flectant.
LXXXIII. Pauperes et senes ecclesiae plus ceteris honorandos.
LXXXIV. Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum dei, sive gentilem sive haereticum sive iudaeum, usque ad missam catechumenorum.
LXXXV. Baptizandi nomen suum dent, et dum sub abstinentia vini et carnium ac ma-

[1] & [2] *Sec. Andeg. Cf. adnot. ad rubr. LXII. et LXIII.*

nus impositione crebro examinantur, baptismum percipiant.
LXXXVI. Neophiti aliquandiu et lautioribus epulis et spectaculis vel coniugalibus abstineant.
LXXXVII. Catholicus qui causam sive iustam sive iniustam ad iudicium alterius fidei iudicis provocat, excommunicetur.
LXXXVIII. Qui die solemni praetermisso ecclesiae conventu ad spectacula vadit, excommunicetur.
LXXXIX. Auguriis vel incantationibus servientem a conventu ecclesiae separandum, similiter et iudaicis superstitionibus vel feriis inhaerentem.
XC. Omni die exorcistae energumenis manus imponant.
XCI. Pavimenta domorum dei energumeni verrant.
XCII. Energumenis in domo dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.
XCIII. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophilacio recipiantur.
XCIV. Eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus refutanda.
XCV. Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis aut cum difficultate reddunt tanquam egentium necatores excommunicentur.
XCVI. Quaerendum in iudicio, cuius sit conversationis et fidei is qui accusat et is qui accusatur.
XCVII. Vir qui religiosis feminis praeponendus est ab episcopo loci probetur.
XCVIII. Laicus praesentibus clericis nisi ipsis rogantibus docere non audeat.
XCIX. Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non audeat.
C. Mulier baptizare non praesumat.
CI. Viduae adolescentes quae corpore debiles sunt, sumptu ecclesiae cuius viduae sunt, sustententur.
CII. Ad reatum episcopi pertinet vel presbyteri qui parochiae praeest, si sustentandae vitae praesentis causa adolescentiores viduae vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subiiciantur.
CIII. Viduae quae stipendio ecclesiae sustentantur, tam assiduae in dei opere esse debent, ut et meritis et orationibus suis ecclesiam adiuvent.
CIV. Sicut bonum castitatis praemium, ita et maiore observantia et praeceptione constituendum est, ut si quae viduae, quamlibet adhuc in minoribus annis positae et immatura aetate a viro relictae, se devoverint deo et veste laicali abiecta sub testimonio episcopi et ecclesiae religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias seculares transierint, secundum apostolum Paulum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis quam deo voverunt irritam facere ausae sunt. Tales ergo personae sint a christianorum communione alienae, quae etiam nec in convivio cum christianis communicent: nam si adulterae coniuges reatu sunt suis viris obnoxiae, quanto magis viduae quae deo religiositatem voverant crimine adulterii notabuntur, si devotionem quam spontanee deo obtulerunt libidinosa voluptate corruperint atque ad secundas nuptias transitum fecerint? quae etsi violentia irruente ab aliquo praereptae fuerint ac postea delectatione libidinis permanere in coniugium raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensae teneantur obnoxiae. De talibus enim sic ait apostolus: Quum enim luxuriatae fuerint, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt [1]. Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginensis subscripsi; Donatianus Teleptensis primae sedis episcopus subscripsi; Augustinus Hipponae regionis episcopus subscripsi; similiter omnes episcopi subscripserunt.

CONCILIUM CARTAGINENSE AFFRICE QUINTUM HABITUM AB EPISCOPIS LXXIV ERA CCCCXXXVIII.[2]

I. De clericis ad testimonium non pulsandis.
II. De clericis pro crimine suo damnatis.
III. De sacerdotibus et levitis, ut ab uxoribus se contineant.
IV. De rebus ecclesiae inconsulto metropolitano episcopo non alienandis.
V. Ut nullus episcopus relicta cathedra in dioecesi resideat.
VI. De his qui nullo testimonio se baptizatos noverunt ut baptizentur.
VII. De tempore paschali seu concilii.
VIII. De intercessoribus ne cathedram morientis episcopi diu retineant.
IX. De defensore ecclesiarum a principe postulando.
X. Ut episcopi ad diem concilii recurrant.
XI. Ut lapsis sacerdotibus manus eis sicut laicis non ponantur.
XII. De clericis excommunicatis quamdiu eis asserere liceat.
XIII. De clericis vel monachis ab alio episcopo ordinatis.[3]
XIV. De basilicis quae sine martyrum reliquiis dedicatae sunt.
XV. De idolatriis destruendis.

Post consulatum Flavii Stiliconis viri clarissimi die XVII. Kal. Iul. Carthagine in secretario basilicae restitutae quum Aurelius episcopus una cum coepiscopis suis conse-

[1] *Cap. CV. ed. coll. Hisp. quod etiam in plerisque manuscriptis coll. Hisp. omittitur, neque in Ps.-Is. exhibetur.* [2] *Sec. Andeg. Rubricae et text. sec. ed. cit. Hisp.* [3] *Titulus et text. c. XIV. Hisp.:* de episcopis qui infidelibus res suas relinquunt *in omnibus Pseudo-Isid. deest.*

disset adstantibus diaconibus, constituta sunt haec quae in subsequenti concilio definita sunt:

I. In principio statuendum est, ut si quis forte in ecclesia quamlibet causam iure apostolico ecclesiis imposito agere voluerit et fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum in iudicium ad testimonium devocari eum, qui cognitor vel praesens fuit, ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

II. Et illud statuendum, ut si quis cuiuslibet honoris clericus iudicio episcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab ecclesiis quibus praefuit sive a quolibet homine defensari, interposita poena damni pecuniae atque honoris, a quo nec aetatem nec sexum excusandum esse praecipiant.

III. Praeterea, quum de quorumdam clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit episcopos, presbyteros et diaconos secundum priorum statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio: ceteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque consuetudinem observari debere.

IV. Placuit etiam, ut rem ecclesiae nemo vendat: quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati provinciae, ut cum statuto numero episcoporum, utrum faciendum sit arbitretur; quod si tanta urget necessitas ecclesiae, ut non possit ante consulere, saltem post factum curet hoc statim agere vel vicinis episcopis hoc antea indicare et ad concilium referre easdem ecclesiae necessitates: quod si non fecerit, reus concilii venditor teneatur honore amisso.

V. Rursum placuit ut nemini sit facultas relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre, vel in re propria diutius quam oportet constitutum curam vel frequentationem propriae cathedrae negligere.

VI. Item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere absque ullo scripulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari: hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt; [1] similiter et de ecclesiis, quotiens super earum consecratione haesitatur, agendum est, id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur.

VII. Item placuit ut dies venerabilis paschae formatarum subscriptione omnibus intimetur, dies vero concilii X. Kal. Novembris servetur et scribendum ad singularum quarumque provinciarum primates, ut quando apud se concilium congregant istum diem non impediant.

VIII. Item constitutum est, ut nulli intercessori licitum sit cathedram cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam ut intra annum eisdem episcopum provideat, quod si neglexerit anno exempto interventor alius tribuatur.

IX. Ab imperatore autem universis visum est postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione agitatur ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione deligantur.

X. Item placuit ut quotiescumque concilium congregandum est, episcopi qui neque aegritudine neque alia graviori necessitate impediuntur competenter occurrant primatibusque suarum provinciarum intimetur, ut de universis episcopis vel duae vel tres turmae fiant ac de singulis turmis vicissim quotquot electi fuerint ad diem concilii instantissime occurrant; quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractatoria conscribant, vel si post adventum tractatoriae aliquae necessitates repente forsitan ortae fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint, ab ecclesiae communione debere esse contemptos.

XI. Item confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in alia graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit removere, non eis manus vel tanquam poenitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur, neque unquam permittendum, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

XII. Rursum constitutum est, ut quoties clericis convictis et confessis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur vel propter ecclesiae opprobrium aut insolentem insultationem haereticorum atque gentilium, si forte causae suae adesse voluerint et innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant; si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.

XIII. Item placuit, ut si quis de alterius monasterio repertum vel ad clericatum promovere voluerit, vel in suo monasterio maiorem monasterii constituere, episcopus qui hoc fecerit, a ceterorum communione seiunctus, suae tantum plebis communione contentus sit et ille neque clericus neque praepositus perseveret.

XIV. Item placuit ut de altaribus quae passim per agros aut vias tamquam memoriae martyrum constituuntur in quibus nullum corpus aut reliquiae martyrum conditae probantur, ab episcopis qui iisdem locis

[1] *Verba inde a:* similiter *usque ad finem in ed. coll. Hisp. non leguntur, exhibentur tamen in Andeg. ceterisque Pseudo-Isidor.*

praesunt, si fieri potest, evertantur: si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententent, ut qui recte sapiunt nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliquae reliquiae sunt aut origo alicuius habitationis vel passionis fidelissima origine traditur: nam quae per somnia et inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnimodo improbentur.

XV. Item placuit ab imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiae idolatriae non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omnimodo deleantur. Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginis his supra comprehensis in nostro concilio statutis subscripsi; similiter septuaginta tres episcopi subscripserunt.

CONCILIUM CARTAGINENSE AFFRICE SEXTUM GESTUM ERA CCCCLVII AB EPISCOPIS CCVII.

IN HOC CONCILIO ACTUM EST UT NICAENUM CONCILIUM AB EPISCOPIS ORIENTALIBUS PETERETUR, CUI SYNODO INTERFUIT LEGATIO ECCLESIAE ROMANAE, FAUSTINUS SCILICET EPISCOPUS, PHILIPPUS ET ASELLUS PRESBYTERI.[1]

I. Alloquutio Aurelii episcopi ad synodum.[2]
II. Responsio Faustini episcopi legati Romanae ecclesiae de his quae in ecclesia partim canone, partim consuetudine sunt firmata.
III. De commonitorio Romani papae recitato.
IV. Alipii episcopi responsio pro veris exemplaribus Nicaeni concilii perquirendis.
V. Ubi Faustinus episcopus dicit, ut Romano papae synodus pro inquirenda Nicaenae synodi veritate notescat.
VI. De sententia Sardicensis concilii recitata postulante Novato episcopo.
VII. Ubi Augustinus episcopus cum synodo Nicaenum concilium conservare promittit.
VIII. Ubi Faustinus episcopus pro dubietate recitati capituli Romano papae petit scribendum.
IX. Ubi synodus exemplaria Nicaeni concilii magis ab Orientalibus episcopis expetenda decrevit.
X. Professio fidei Nicaeni concilii.
XI. Rescriptum episcopi Romae, Alexandriae, Constantinopolitani, cum exemplaribus Nicaeni concilii Africanae synodo constitutis.
XII. Scripta Africani episcopi ad Bonifacium urbis Romae episcopum.
XIII. Scripta Africani concilii ad Coelestinum urbis Romae episcopum.[3]

Post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii XII. et Theodosii VIII. augustorum, VIII. Kal. Iun. Carthagine in secretario basilicae Fausti quum Aurelius papa una cum Valentino primae sedis provinciae Numidiae Faustinoque ecclesiae Potentinae provinciae Italiae Piceni legato ecclesiae Romanae, sed et legatis diversarum provinciarum Africanarum, id est Numidiarum duarum, Byzacenae, Mauritaniae Sitiphensis et Mauritaniae Caesariensis, sed et Tripolis et Vincentio Culusitano, Fortunatiano et ceteris episcopis provinciae proconsularis ducentis decem et septem, necnon Philippo et Asello presbyteris atque legatis Romanae ecclesiae consedisset, adstantibus diaconibus Aurelius episcopus dixit:

I. Post diem constitutum concilii, ut recordamini, fratres beatissimi, multi flagitati sunt expectantes fratres nostros qui nunc ad praesentem synodum legati advenerunt quae gestis necesse est socientur, qua de re domino nostro de tantae congregationis coetu gratias referimus. Superest ut tam exemplaria Nicaeni concilii quae nunc habemus et a patribus constituta sunt, quam etiam hic a decessoribus nostris eandem synodum firmantes, vel quae secundum eam formam per omnes clericorum gradus a summo usque in ultimum salubriter ordinata sunt in medium proferantur. Ab universo concilio dictum est: Proferantur. Daniel notarius recitavit: Nicaeni concilii fidei professio vel statuta ita se habent.

II. Haec quum audisset Faustinus episcopus plebis Potentinae provinciae Italiae Piceni legatus Romanae ecclesiae dixit: Iniuncta nobis sunt a sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra beatitudine tractanda, sicuti et gestis superioribus meminimus, hoc est de Nicaenis canonibus ut conserventur et constitutio eorum et consuetudo, quia et aliqua ordine et canone teneantur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo si placet beatitudini vestrae tractemus, ut et ad sedem venerandam rescriptis vestris intimare possitis, atque nos admonuisse apud venerabilem papam evidenter clareat, licet et capitula actionum iam inserta sint gestis: de ipsis ergo, ut superius dixi, quid vestrae beatitudini placeat agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medium, ut scire possit vestra beatitudo quid in eo contineatur, ut ad singula respondeatur.

III. Aurelius episcopus dixit: Proferatur commonitorium quod fratres et consacerdotes nostri actis nuper allegaverunt et cetera quae acta sunt vel quae agenda sunt

[1] *Sec. Andeg.* [2] *Text. rubr. et can. des. ex ed. cit. Hisp.* [3] *Rubr. XI—XIII. sec. Ottobon. et Andeg., Andeg. omisit rubricam XII.*

Subsequenter Daniel notarius recitavit commonitorium. Fratri Faustino et filiis Philippo et Asello presbyteris Zosimus episcopus: Vobis commissa negotia non latent, vos ita ac si nostra ibi, immo quia nostra ibi in vobis praesentia est, cuncta peragite, maxime quum et hoc nostrum possitis habere mandatum et verba canonum quae in pleniorem firmitatem huic commonitorio inseruimus: ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Nicaeno, quum de episcoporum appellatione decernerent. Placuit autem ut si episcopus accusatus fuerit et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius et de gradu suo deiecerint eum, et appellasse episcopus videatur, et confugerit ad beatissimum ecclesiae Romanae episcopum, et voluerit audiri et iustum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et iuxta fidem veritatis definiant; quod si quis rogat causam suam iterum audiri et deprecatione sua moverit episcopum Romanum ut e latere suo presbyterem mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid existimet; et si decreverit mittendos esse qui praesentes cum episcopis iudicent, habentes auctoritatem eius a quo destinati sunt, erit in eius arbitrio; si vero crediderit sufficere episcopos ut negotio terminum imponant, faciat quod sapientissimo consilio suo iudicaverit.

IV. Et quum recitaret Alipius episcopus Tagastensis legatus provinciae Numidiae dixit: De hoc iam superioribus etiam litteris concilii nostri rescripsimus et id nos servaturos profitemur quod in Nicaeno concilio constitutum est: adhuc tamen movet, quoniam quum inspiceremus graeca exemplaria huius synodi Nicaenae, ista ibi nescio qua ratione minime invenimus, unde petimus venerationem tuam, sancte papae Aureli, ut quia hoc authenticum concilium Nicaenum in urbe dicitur esse Constantinopolitana aliquos cum scriptis tuae sanctitatis mittere digneris, et non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum episcopum, sed etiam ad Alexandrinum et Antiochenum venerabiles sacerdotes qui hoc nobis concilium sub adstipulatione litterarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur, quia nos ita, ut frater Faustinus attulit, minime invenimus: ista tamen nos paulisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant profitemur. Petendus est autem litteris nostris etiam venerabilis ecclesiae Romanae episcopus Bonifacius, ut ipse quoque dignetur ad memoratas ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria praedicti Nicaeni concilii secundum eius possint scripta perferre. Nunc autem memorati Nicaeni concilii qualia exemplaria habemus his gestis sociamus.

V. Faustinus episcopus, legatus ecclesiae Romanae, dixit: Nec vestra sanctitas praeiudicat ecclesiae Romanae sive de hoc capitulo sive de aliis, quia dicere dignatus est frater noster et coepiscopus Alipius dubios esse canones, sed haec ipsa ad sanctum ac beatissimum papam nostrum scribere dignemini, ut et ipse integros canones inquirens cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficit autem ut et ipse beatissimus episcopus urbis Romae sicut et vestra sanctitas apud se tractat, ita et ipse inquirat, ne contentio inter ecclesias nasci videatur, sed magis caritate fraterna deliberare possitis ipso rescribente quid melius observari debeat. Aurelius episcopus dixit: Praeter ista quae deprompsimus actis necesse est, ut etiam nostrae parvitatis litteris sancto fratri et consacerdoti nostro Bonifacio singula quae tractamus plenissime intimemus; ergo si omnibus placet, prosequutio nostra ore omnium condiscamus. Universum concilium dixit: Placet.

VI. Novatus episcopus legatus Mauritaniae Sitiphensis dixit: Nunc meminimus in hoc praesenti commonitorio lectum etiam de presbyteris sive diaconibus contineri, qualiter audiri ab episcopis suis vel a finitimis debeant, quod in Nicaeno concilio minime legimus: unde hoc ipsum iubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius episcopus dixit: Recitetur ad locum etiam hoc quod deposcitur. Daniel notarius recitavit: De appellationibus autem clericorum, id est minoris loci et ipsius synodi certa responsio, de qua re quid acturi sitis, credimus inserenda, quod taliter dictum est, ex Sardicensi concilio. Osius episcopus dixit: Quid me adhuc moveat reticere non debeo, si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconem suum et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem, habeat potestatem eiectus ut finitimos interpellet episcopos, ut causa eius audiatur et diligentius tractetur quia non oportet ei negari audientiam roganti, et ille episcopus qui aut iuste aut iniuste reiecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur eius aut emendetur sententia et cetera.

VII. Quumque recitaretur, Augustinus episcopus ecclesiae Hipponiregiensis legatus provinciae Numidiae dixit: Et hoc nos servaturos profitemur, salva diligentiore inquisitione concilii Nicaeni. Aurelius episcopus dixit: Si hoc etiam omnium vestri caritati placet, responsione firmate. Universum concilium dixit: Omnia quae in Nicaeno concilio statuta sunt, nobis omnibus placent. Iucundus episcopus ecclesiae Suphetulae legatus provinciae Byzacenae dixit: Quod statutum est in Nicaeno concilio, violari a quoquam nullatenus potest.

VIII. Faustinus episcopus legatus ecclesiae Romanae dixit: Adhuc secundum profes-

sionem sanctitatis vestrae tam sancti Alipii quam etiam fratris nostri Iucundi aliqua firmari credo, aliqua infirmari, quod non debet, quum iam in dubium ipsi canones venerint: ergo ut placet et nobis et beatitudini vestrae ad sanctum et venerabilem ecclesiae Romanae episcopum vestra scribere dignetur sanctitas, ut et ipse quod sanctus Augustinus statuere dignatus est, deliberare possit, utrumnam et hoc constituendum sit ac retinendum, hoc est, de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, iustum est ut beatissimae Romanae sedis episcopus informari debeat, si tamen approbatis canonibus hoc invenire poteritis.

IX. Aurelius episcopus dixit: Etiam quae dudum vestrae caritati intimavimus, nunc patimini exemplaria statutorum Nicaeni concilii, sed et quae hic salubriter a nostris decessoribus secundum eiusdem concilii formam vel quae nunc a nobis ordinata sunt, recitari et gestis inseri. Omne concilium dixit: Exemplaria fidei et statuta Nicaenae synodi quae ad nostrum concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuae sanctitatis qui interfuit, Cecilianum episcopum allata sunt, sed et quae patres ea exemplaria sequentes hic constituerunt vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt, ita, ut superius dictum est, venerabilibus viris Antiochenae et Alexandrinae, sed et Constantinopolitanae ecclesiarum episcopis scribere vestra beatitudo dignetur, ut exemplaria verissima concilii Nicaeni sub adstipulatione litterarum suarum dirigant, quo declarata veritas ea capitula quae in commonitorio praesens frater et coepiscopus noster Faustinus, sed et compresbyteri Philippus et Asellus secum attulerunt aut ibidem reperta a nobis firmabuntur, aut si non inveniuntur collecta synodo de hoc in sequenti tractabimus. Daniel notarius Nicaeni concilii professionem fidei vel eius statuta recitavit in concilio Africano.

Professio fidei Nicaeni concilii.

X. Credimus in unum deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum filium dei, natum de patre unigenitum, hoc est de substantia patris, deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, natum, non factum, unius substantiae cum patre, quod Graeci dicunt homousion, per quem omnia facta sunt, sive quae in coelo sive quae in terra; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, homo factus passus est et resurrexit tertia die, ascendit in coelos, sedet ad dexteram patris, inde venturus iudicare vivos et mortuos: et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, et quia ex nullis extantibus factus est aut ex aliqua substantia vel natura, dicentes mutabilem et convertibilem filium dei: hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia.

Epistola ad Bonifacium urbis Rome episcopum ab Aurelio et reliquis Affricane provintie episcopis superius denominatis Romane ecclesie legatis pro eo ipso concilio directa.[1]

Domino beatissimo et honorabili fratri Bonifacio Aurelius, Valentinus primae sedis provinciae Numidiae et ceteri qui praesentes adfuimus numero ducenti decem et septem ex omni concilio Africae.

Quoniam domino placuit, ut de his quae nobiscum egerunt sancti fratres nostri coepiscopus Faustinus et compresbyteri Philippus et Asellus, non beatae memoriae episcopo Zosimo a quo ad nos mandata et litteras attulerunt, sed tuae venerationi, qui in eius loco es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet: ea breviter insinuare debemus quae utrorumque concordia terminata sunt, non ea quae prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus salva quidem caritate, non tamen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis deliberantes quae nunc ad causam pertinent; quamquam et ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius quod videret pacatius terminatum. Domine frater, Apiarius prebyter, de cuius et ordinatione et excommunicatione et provocatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam totius Africae ecclesiae non leve scandalum de omnibus erroribus suis veniam petens, communioni est restitutus: prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est sine ulla dubitatione correxit; quia vero paci et quieti ecclesiae non tantum ad praesens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa praecesserunt, ut vel similia vel etiam graviora, deinceps praecaveri oporteret: placuit nobis, ut de Siccensi ecclesia retento scilicet honore gradus sui presbyter removeretur Apiarius, et accepto epistolio ubicumque alibi vellet et posset presbyterii munere fungeretur, quod eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine difficultate concessimus. Sane priusquam haec causa isto termino clauderetur inter alia quae diuturnis disceptationibus versabamur, quia ratio ipsa poscebat, ut apud acta ecclesiastica a fratribus nostris Faustino coepiscopo et Philippo atque Asello compresbyteris quaereremus, ut promerent quidquid eis nobiscum agendum fuisset iniunctum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosequuti sunt verbis, sed quum id potius flagitaremus quid in litteris ferrent commonitorium protulerunt, quod recitatum

[1] *Inscript. epistolae des. ex cod. Andeg., cum quo Hisp. fere in omnibus ceterique codd. A1 concordant. Numeri capitum in iisdem codicibus epistolis sequentibus non apponuntur.*

nobis etiam gestis quae secum ad vos deferunt, est allegatum: in quo eis quatuor quaedam nobiscum gerenda mandata sunt, unum de appellationibus episcoporum ad Romanae ecclesiae sacerdotem; alterum ne ad comitatum episcopi importune navigent; tertium de retractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano episcopo excommunicando vel etiam Romam evocando, nisi ea quae videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium de primo et tertio, id est, ut Romam liceat episcopo provocare et ut clericorum causae apud provinciarum suarum episcopos finiantur, iam priori anno etiam litteris nostris ad eundem venerabilis memoriae Zosimum episcopum datis insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla eius iniuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum concilii Nicaeni. Et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicaeam a patribus acta vel constituta sunt, sic ea a nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista quae in commonitorio attulerunt, facias exerceri. Item istud, si episcopus accusatus fuerit et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius et de suo gradu deiecerint eum, et appellasse videtur et confugerit ad beatissimum Romanae ecclesiae episcopum, et voluerit audiri et iustum putaverit, ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter requirant omnia et iuxta fidem veritatis definiant: quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyteres mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid aestimet; et si decreverit mittendos esse qui praesentes cum episcopis iudicent habentes auctoritatem eius a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio: si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio iudicaverit. Item de presbyteris et diaconibus: si episcopus quis iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem, habeat potestatem eiectus, ut finitimos interpellet episcopos et causa eius audiatur et diligentius quia oportet ei negari audientiam roganti; et ille episcopus qui aut iuste aut iniuste reiecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, ut aut probetur eius aut emendetur sententia. Haec utique ad adventum verissimorum exemplariorum Nicaeni concilii inserta gestis sunt, quae si ibi quemadmodum constituta sunt et quemadmodum ipso quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt commonitorio continentur, eo ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia qualia commemorare iam nolumus vel tolerare cogeremur vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adiuvante misericordia dei nostri, quod tua sanctitate Romanae ecclesiae praesidente non sumus iam istum typum passuri, et servabuntur erga nos ea quae nobis etiam non dissidentibus custodiri debeant cum fraterna caritate secundum sapientiam atque iustitiam quam tibi donavit altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda, si forte aliter se habeant canones concilii Nicaeni. Quamvis enim plurimos codices legerimus, sed nusquam in Nicaeno concilio in latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto commonitorio directa sunt, inde quia hic in nullo codice ea potuimus invenire, ex Orientalibus ecclesiis ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri magis nobis desideramus afferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium sacerdotes, hoc est ecclesiae Antiochenae, Alexandrinae et Constantinopolitanae et si aliis etiam placuerit tuae sanctitudini, ut inde ad nos idem canones apud Nicaeam civitatem a patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus ecclesiis in domini adiutorio conferente. Quis enim dubitet exemplaria esse verissima concilii in Graecia Nicaeni congregati, quae tam de diversis locis et de nobilibus Graecis ecclesiis allata et comparata concordant? Quod donec fiant haec quae in commonitorio supradicto a nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanae ecclesiae sacerdotem et de clericorum causis apud provinciarum suarum episcopos terminandis nos usque ad probationem servaturos esse profitemur et beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam in dei voluntate confidimus. Cetera vero quae in nostra synodo gesta vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus episcopus, Philippus et Asellus presbyteri secum detulerunt, si dignatus fueris tuae nota facient sanctitati. Et subscripta alia manu: Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat, beatissime frater. Amen. Aurelius episcopus Carthaginis, Alipius, Augustinus, Possidius, Marinus et ceteri episcopi ducenti decem et septem subscripserunt.

Incipiunt rescripta ad concilium Africanum Cyrilli Alexandrini episcopi, ubi authentica Nicaeni concilii translata de Graeco per Innocentium presbyterum transmiserit, quae et epistolae cum eodem concilio Niceno per memoratum presbyterum Innocentium et Marcellum subdiaconum ecclesiae Carthaginensis sancto Bonifacio episcopo Romanae ecclesiae, die sexta Kal. Decembr. sunt directe.[1]

Dominis honorabilibus sanctis fratribus et coepiscopis Aurelio, Valentino, sed et omni

[1] *Inscript. sec. Andeg., qui cum Hisp. et ed. Merlini paucis exceptis convenit.*

sanctae congregationi in Carthaginensi synodo congregatae CYRILLUS salutans in domino caritatem vestram.

Scripta venerationis vestrae multam habentia querimoniam cum omni laetitia per filium nostrum Innocentium presbyterum suscepimus, quibus a nobis speratis, ut de scrinio nostrae ecclesiae verissima exemplaria ex authentica synodo apud Nicaeam civitatem metropolim Bithyniae a sanctis patribus constituta atque firmata sub nostrae fidei professione vestrae dilectioni porrigamus. Unde, domini honorabiles fratres, salute praeeunte necesse habui per hunc latorem filium nostrum Innocentium fidelissima exemplaria ex authentica synodo in Nicaea civitate Bithyniae habita vestrae caritati dirigere: quod et in ecclesiastica historia requirentes invenietis. De pascha, ut scribitis, nuntiamus vobis, XVIII. Kal. Maias nos futura indictione celebrare. Et alia manu: Deus et dominus noster vestram congregationem custodiat, quod optamus, carissimi fratres. Amen.

Epistola Attici episcopi Constantinopolitani ad eosdem.[1]

Dominis sanctis merito beatissimis fratribus et coepiscopis Aurelio, Valentino vel ceteris carissimis in synodo apud Carthaginem habita constitutis Atticus episcopus.

Per filium nostrum Marcellum subdiaconum vestrum scripta vestrae dilectionis cum omni gratulutione suscepi, domino gratias agens quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui, domini beatissimi fratres. Scribitis sane, ut verissimos canones apud Nicaeam civitatem metropolim Bithyniae a patribus constitutos sub fidei adstipulatione dirigam: et quis est qui communem fidem vel statuta a patribus firmata suis fratribus deneget? Qua de re per eundem filium meum Marcellum subdiaconum vestrum nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicaea civitate a patribus, canones integros, ut iussistis, direxi, petens ut pro me plurimum vestra sancta congregatio orare iubeat. Et alia manu: Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sanctissimi fratres.

Incipiunt exemplaria concilii Niceni directa sub die VI. Kal. Decembr. post consulatum gloriosissimorum imperatorum, Honorii XII. et Theodosii VIII. augustorum, BONIFACIO urbis Rome episcopo.[2]

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium necnon et invisibilium creatorem: et in unum dominum nostrum Iesum Christum filium dei, natum ex patre unigenitum, hoc est ex substantia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non creatum, eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt, coelestia et terrena; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, et homo factus passus est et resurrexit tertia die, ascendit in coelum, venturus inde iudicare vivos et mortuos: et in spiritum sanctum. Eos vero qui dicunt: Erat tempus quando non erat et quia ex nihilo factus vel ex alia substantia vel essentia esse aut mutabilem aut convertibilem filium dei dicunt, anathematizat catholica et apostolica ecclesia.

Cui symbolo fidei etiam exemplaria statutorum eiusdem annexa sunt quae in magna et sancta synodo apud Nicaeam civitatem metropolim Bithyniae constituta sunt et de Graeco translata sunt a Philone et Evaristo Constantinopolitano.

[3]I. Si quis per languorem a medicis sectus est aut a barbaris abscissus, iste remaneat in clero. Si quis autem sanus se abscidit, istum in clero positum abstinere oportet et de cetero nullum talium debere promoveri: sicut autem hoc manifestum, quod de his qui hanc rem excogitant audentque se abscidere dictum sit, sic eos qui a barbaris aut a dominis castrati sunt, inveniuntur digni, tales ad clerum applicat canon.

II. Quia multa aut ex necessitate aut aliter festinantibus hominibus facta sunt contra canonem ecclesiasticum, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem et in parvo tempore catechizati statim ad spirituale lavacrum ducantur et simul cum baptizati fuerint promoveantur ad episcopatum aut ad presbyterium, bene habere placuit de cetero nihil tale fieri: nam et tempore opus est ei qui catechizatur et post baptisma approbatio amplior; manifesta etenim est apostolica scriptura quae dicit: Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli; si autem procedente tempore aliquod animae peccatum inveniatur circa huiusmodi personam et convincatur a duobus aut tribus testibus, iste cesset a clero. Si quis autem praeter haec facit, quasi adversus magnum concilium superveniens ipse periclitabitur de clero.

III. Interdixit omnimodo sanctum concilium neque episcopum neque presbyterum neque diaconum neque ex toto eum qui in clero est, habere secum subintroductam secum, nisi forte matrem aut sororem aut etiam thiam aut materteram aut eas solas personas quae refugiunt omnem suspicionem.

IV. Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt intra provinciam episcopis ordinari: si autem hoc difficile aut propter urgentem necessitatem aut propter longitudinem itineris, omnismodis tres in unum convenientes, consentientibus et his qui absentes sunt episcopis et respondentibus per scriptum, tunc manus impositio-

[1] *Sec. cod. cit.* [2] *Inscript. sec. cod. cit.*, *cum quo Hisp. concordat.* [3] *Tituli capitum in edit. Merl. praemissi ante text. et in collect. Hisp. ante singula capita prolata omittit cod. Andeg.*

nem fieri. Confirmatio autem eorum quae fiunt danda est unicuique suae provinciae metropolitano.

V. De eis qui excommunicantur, sive de clero sint sive de laico agmine, ab episcopis per singulas provincias obtineat sententia iuxta canones eos qui ab aliis abiiciuntur, ab aliis non recipiendos. Requiratur autem ne pusillanimitate aut pertinacia aut alia aliqua episcopi molestia excommunicati sint. Ut ergo hoc decentius inquiratur bene haberi placuit, singulis annis per singulas provincias bis in anno concilia fieri, ut omnibus simul episcopis in unum congregatis tales quaestiones inquirantur, et ita qui manifeste offenderunt episcopum, rationabiliter excommunicati apud omnes esse putentur, quandiu aut in communi aut episcopo placeat humaniorem pro his ferre sententiam. Concilia autem fiant, unum quidem ante quadragesimam, ut omni pusillanimitate sublata munus mundum offeratur deo, secundum autem circa tempus autumni.

VI. Antiqui mores obtineant qui apud Aegyptum sunt, Lybiam et Pentapolim, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat sollicitudinem, quia et urbis Romae episcopo similis mos est: similiter autem et circa Antiochiam et in ceteris provinciis privilegia propria reserventur metropolitanis ecclesiis. Omnino autem manifestum est illud, quia si quis praeter consilium metropolitani factus fuerit episcopus, talem concilium magnum definivit non debere esse episcopum: si vero communi omnium decreto rationabili et secundum canonem ecclesiasticum duo aut tres propter proprias inimicitias contradixerint, obtineat sententia plurimorum.

VII. Quia consuetudo obtinuit et traditio antiqua, ut Aeliae episcopus honoretur, habeat ordinem honoris, salva tamen dignitate metropolitani eiusdem provinciae.

VIII. Aliquando vero accedentibus ad catholicam ecclesiam placuit sanctae et magnae synodo eos ordinatos sic manere in clero; ante omnia autem haec profiteri ipsos per scripturam oportet, quod consentiant et sequantur catholica et apostolica dogmata: hoc est et bigamis communicare et his qui in persequutione lapsi sunt, circa quos et tempus constitutum est et dies definitus, ut sequantur in omnibus, quae placuerunt catholicae ecclesiae episcopo aut presbytero. Ubicumque autem omnes sive in castellis sive in civitatibus ipsi soli inventi fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, sint in eodem habitu; quotquot autem catholicae ecclesiae episcopo aut presbytero extante accedunt, manifestum quia episcopus ecclesiae habebit dignitatem episcopi, qui autem nominatur apud eos episcopus presbyteri honorem habebit, nisi forte placuerit episcopo honoris eum nomine frui; sin vero non hoc ei placuerit, providebit ei locum aut chorepiscopatus aut presbyterii, ut in clero omnino esse videatur, quatenus non in civitate duo episcopi sint.

IX. Si qui sine examinatione promoti sunt presbyteri aut episcopi aut quum discutiuntur confessi sunt quae peccaverunt, vel si ab aliis evincantur et praeterea confitentibus contra canonem moti homines manus eis imposuerunt, tales canon non suscipit, sed abiicit; hoc enim quod irreprehensibile est defendit catholica ecclesia.

X. Quicumque ordinati sunt per ignorantiam aut dissimulationem ordinantium hi qui lapsi sunt, hoc non praeiudicat canoni ecclesiastico; cogniti etenim deponuntur.

XI. De his qui praevaricati sunt praeter necessitatem aut praeter oblationem facultatum aut praeter periculum, vel tale aliquod quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit sancto concilio, licet indigni sint, humanitate tamen subveniri eis. Quotquot igitur sincere poenitent, tres annos inter audientes sint; qui lapsi sunt fideles et septem annos succumbant; duobus vero annis absque oblatione communicent orationibus populi.

XII. Quicumque vocati sunt per gratiam et primordia demonstrantes bona deposuerunt cingulum militiae, postea vero ad proprium vomitum revoluti sunt, ita ut aliqui et pecuniam conferant et beneficiis militiam repetant, isti decem annos succumbant post triennium auditionis tempus. In omnibus autem his oportet discutere voluntatem et speciem poenitentiae; quotquot enim timore et lacrymis et perseverantia et bonis operibus conversionem opere non simulatione demonstrant, isti adimplentes tempus constitutum auditionis orationibus merito communicabunt et postea licebit episcopo humanius de his aliquid cogitare: qui autem indiscrete tulerunt et ingressum sibi sufficere arbitrati sunt ad conversionem, omne compleant tempus.

XIII. De exeuntibus de corpore vetus et canonica lex custodiatur et nunc, ut ii qui mori parantur novissimo iuvamine non priventur; sin vero desperati communione sumpta et oblatione percepta iterum convalescant, sint inter eos qui orationibus tantum communicant. Omnino autem morituro petenti sibi dari gratiam episcopus probabiliter ei oblationem contradat.

XIV. Placuit sanctae et magnae synodo, ut triennio audiant tantum, post haec orent cum catechumenis.

XV. Propter grandem tumultum et seditiones quae factae sunt, placuit omnismodis auferri consuetudinem quae est contra canonem: si inventi fuerint in aliquibus partibus de civitate in civitatem migrantes, nec episcopum nec presbyterum neque diaconum liceat; si quis autem post sancti et magni concilii definitonem tale aliquid attentaverit aut sese dederit negotio, cassabitur omnimodo huiusmodi machinatio et restituetur ecclesiae in qua aut episcopus aut presbyter aut diaconus fuerat ordinatus.

XVI. Si qui facile se periculis ingerentes neque timorem dei ante oculos habentes neque ecclesiasticum canonem scientes discedunt ab ecclesia presbyteri aut diaconi aut quicumque sunt in canone constituti, isti nullo modo suscipi debeant ab alia ecclesia, sed omnem eis necessitatem imponi oportet ut ad proprias parochias revertantur; pertinaces autem excommunicatos esse oportet. Si autem aliquis ausu temerario subripuerit ad alterum pertinentem et ordinaverit in sua ecclesia, non consentiente episcopo a quo discesserat clericus qui in canone continetur, infirma sit huiusmodi manus impositio.

XVII. Quoniam plures in canone constituti cupiditatem et lucra turpia sectantur oblitique sacrae scripturae dicentis: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, quum foenerantur aliis centesimas exigunt, iuste statuit sanctum et magnum concilium, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens et aliud aliquid excogitans turpis lucri gratia, abiiciatur a clero et alienus a canone sit.

XVIII. Pervenit ad sanctum et magnum concilium quod in quibusdam locis aut civitatibus presbyteris gratiam diaconi porrigant, quod neque canon neque consuetudo tradidit, ut qui potestatem offerendi non habent his qui offerunt porrigant corpus Christi: sed etiam hoc quoque innotuit quod quidam diaconi ante episcopus contingant eucharistiam. Omnia igitur haec amputentur et maneant diaconi in proprio ordine, scientes quod episcoporum quidem ministri sunt, presbyteris autem inferiores existunt, accipiant autem ex ordine eucharistiam post presbyteros episcopo eis dante aut presbytero: sed nec sedere eis in medio presbyterorum liceat, praeter canonem enim et praeter ordinem est hoc, si fiat. Si quis autem obtemperare noluerit post hanc definitionem, cesset a diaconio.

XIX. De Paulianistis refugientibus ad ecclesiam catholicam definitio prolata est rebaptizari eos omnino: si qui vero ex eis praeterito tempore fuerunt in clero, si quidem sine querela et reprehensione fuerint, post baptismum ordinentur ab episcopo ecclesiae: sin vero discussio eos minus idoneos invenerit, deponi eos convenit. Similiter autem et de diaconibus et omnino de his qui in eodem canone conversantur, eadem forma servabitur. Meminimus autem de diaconissis quae in eadem specie sunt, quia manus impositionem aliquam non habent, ut omnino inter laicas computentur.

XX. Quoniam sunt quidam qui die dominico flectunt genua et diebus pentecostes, placuit de hoc sanctae et magnae synodo cunctos in omnibus locis consonanter et consentienter stantes dominum orare debere.

Expliciunt constituta Niceni concilii, sed et observationes eius. Ut nulla de reliquo varietas oriatur in ecclesiis sanctum concilium traditis omnibus et rite dispositis ut ecclesiarum pax et fides in Orientis atque Occidentis partibus una eademque servetur, haec ecclesiastica statuta necessario credimus inserenda.[1]

Incipit epistola concilii Affricani ad papam Celestinum urbis Rome episcopum.[2]

Domino dilectissimo et honorabili fratri Caelestino Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Servus-Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Ianuarius, Optatus, Celticius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus et ceteri qui in universali Africano concilio Carthagine adfuimus.

Optaremus si, quemadmodum sanctitas tua de adventu Apiarii laetatos vos fuisse missis per compresbyterum nostrum Leonem litteris intimavit, ita nos quoque de eius purgatione haec scripta cum laetitia mitteremus: esset profecto et nostra et vestra modo alacritas certior nec praepropera videretur, quae adhuc de audiendo quam de audito praecesserat. Adveniente sane ad nos sancto fratre et coepiscopo nostro Faustino concilium congregavimus et credimus ideo cum illo missum, quoniam sicut per eius operam presbyterio antea redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus a Tabracenis obiectis eo laborante purgari; cuius tanta ac tam immania flagitia decursum nostri concilii examen invenit, ut memorati patrocinium potius quam iudicium ac defensoris magis operam quam disceptatoris iustitiam superarent. Nam primum quantum obstiterit omni congregationi diversas iniurias ingerendo, quasi ecclesiae Romanae asserens privilegia et volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderit, quod minime tamen licuit, quod etiam gestorum melius lectione cognosces, triduano tamen laboriosissimo agitato iudicio, quum diversa eidem obiecta afflictissimi quaereremus vel moras coepiscopi nostri Faustini vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, deus iudex iustus, fortis et longanimis magno compendio resecavit. Tetriore quippe ac putidiore obstinatione compressa, quae tantum libidinum coenum impudentia negationis volebat obruere, deo nostro eius conscientiam coarctante et occulta quae in illius corde tanquam in volutabro criminum iam damnabat etiam hominibus publicante, repente in confessionem cunctorum obiectorum flagitiosorum dolosus negator erupit et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum et credebamus et

[1] *Verba inde ab:* Expliciunt *sec. Andeg., qui simul cum ceteris codd. A* 1 *quibusdam in rebus a textu coll. Hisp. et ed. Merl. abhorret.* [2] *Inscript. sec. Andeg.*

optabamus de tam pudendis posse purgari maculis, convertit in gemitus, nisi quoniam istam nostram moestitiam uno tantum solatio mitigavit, quod et nos labore diuturnioris quaestionis absolvit et suis vulneribus qualemcumque medelam etsi in vita hac suae conscientiae reluctante confessione providit, domine frater. Praefato itaque debitae salutationis officio impendiosius deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicaeno concilio definitum facile advertat venerabilitas tua: nam etsi de inferioribus clericis vel de laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi a tua sanctitate praepropere vel indebite videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque et consequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia et nulla patrum definitione hoc ecclesiae derogatum est Africanae et decreta Nicaena sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeque viderunt quaecumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique providentiae gratiam sancti spiritus defuturam qua aequitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur et constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suae provinciae vel etiam universale provocare; nisi forte quisquam est qui credat unicuilibet posse deum nostrum examinis inspirare iustitiam et innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariae personae vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam a tuae sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum synodo constitutum: quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum tamquam ex parte Nicaeni concilii exinde transmisistis in conciliis verioribus, quae accipiuntur Nicaeni a sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinae ecclesiae et a venerabili Attico Constantinopolitano antistite ex authentico missis, quae etiam ante hoc per Innocentium presbyterum et Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriae Bonifacio episcopo decessori vestro a nobis per eosdem transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exequutores etiam clericos vestros aliquibus petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum thyphum seculi in ecclesiam Christi quae lucem simplicitatis et humilitatis diem domini videre cupientibus refert, videamus inducere. Nam de fratre nostro Faustino, amoto iam pro suis nefandis nequitiis de Christi ecclesia dolendo Apiario securi sumus, quod eum in pravitate ac moderatione tuae sanctitatis salva fraterna caritate ulterius in Africa minime patiatur. Et alia manu: Dominus deus noster sanctitatem vestram aevo longiore orantem pro nobis custodiat, domine frater.

INCIPIT CONCILIUM CARTAGINENSE AFFRICE VII. XIX EPISCOPORUM.[1]

I. De excommunicatis ut ad clericorum accusationem non admittantur.
II. De personis quibus clericorum accusatio interdicitur.
III. De his qui primum crimen obiectum non probaverint ut ad cetera non admittantur.
IV. De personis quae adversus clericos testimonium dicere prohibentur.
V. De eo quem solo suo testimonio praesumpserit episcopus excommunicandum.

Post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii XII. et Theodosii VIII. augustorum IV. Kal. Iul. Carthagine in secretario basilicae restitutae quum Aurelius episcopus una cum Faustino ecclesiae Potentinae provinciae Italiae Piceni legato Romanae ecclesiae, Vincentio Culusitano, Fortunatiano Neapolitano, Mauriano Uziparensi, Adeodato Simidicensi, Pentadio Carpitano, Rufiniano Muzensi, Praetexato Sicilibensi, Quodvultdeo Ucrensi, Candido Abbiritano, Galloniano Uticensi legatis provinciae proconsularis, Alipio Tagastensi, Augustino Hipponiregiensi et Possidio Calamensi legatis provinciae Numidiae, Maximiano Aquiregiensi, Iucundo Suphetulensi et Hilario Orreocellensi legatis provinciae Byzacenae, Novato Sitiphensi et Leone Optensi legatis provinciae Mauritaniae Sitiphensis, Ninello Russurensi, Laurentio Icositano et Numeriano Rusgunmensi legatis provinciae Mauritaniae Caesariensis, ab universali concilio iudicibus delectis adstantibus diaconibus consedisset et quibusdam peractis multi episcopi ceterorum peragendorum moras se conquererentur sustinere non posse et ad proprias ecclesias festinarent: placuit universo concilio, ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque provinciis, qui propter alia peragenda residerent, et factum est ut hi adessent quorum subscriptiones eos adfuisse testantur.

I. Placuit itaque omnibus quoniam superioribus conciliorum decretis de personis quae

[1] *Sec. Andeg., qui tamen legit:* Affrice VI. *Textus sec. ed. cit. coll. Hisp.*

admittendae sunt ad accusationem clericorum iam constitutum est et quae personae non admittantur non expressum est, idcirco definimus eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus sive laicus, accusare voluerit.

II. Item placuit, ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicae non admittunt, omnes etiam infamiae macula aspersi, id est, histriones ac turpitudinibus subiectae personae, haeretici etiam sive pagani sive iudaei, sed tamen omnibus quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentiam non negandam.

III. Item placuit, quotiescumque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerit probare non valuerint, ad cetera iam non admittantur.

IV. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti praecepti sunt vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit; ad testimonium autem intra annos quatuordecim aetatis suae non admittantur.

V. Item placuit, ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum atque ille neget, non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur; et si scripulo propriae conscientiae se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit ei episcopo, ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest.

Et subscripserunt Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginis, Faustinus Potentinae provinciae Piceni, Alipius Tagastensis legatus provinciae Numidiae, Augustinus Hipponiregiensis legatus provinciae Numidiae, Possidius Calamensis episcopus legatus provinciae Numidiae, Novatus Sitiphensis legatus, Leo Optensis legatus provinciae Mauritaniae Sitiphensis, Maurianus Uziparensis, Rufinianus Muzensis, Quodvultdeus Ucrensis, Candidus Abbiritanus Germanicianorum, Gallonianus Uticensis, Maximianus Aquiregiensis legatus provinciae Byzacenae, Iucundus Suphetulensis legatus provinciae Byzacenae, Hilarius Orreocellensis legatus provinciae Byzacenae, Maximianus Suphetanus legatus provinciae Byzacenae, Ninellus Russurrensis legatus provinciae Caesariensis, Laurentius Icositanus legatus provinciae Caesariensis, Numerianus Rusgunmensis legatus provinciae Caesariensis, Philippus presbyter ecclesiae Romanae, Asellus presbyter legatus ecclesiae Romanae.

INCIPIUNT TITULI CONCILII MILEVITANI.[1]

I. Contra Pelagianos qui dicunt etiam sine peccato mori potuisse Adam.

II. Quod iuxta apostoli testimonium etiam parvuli qui nihil peccati adhuc commiserunt omnes in peccatorum remissionem veraciter baptizentur.

III. Quod gratia dei non solum peccata dimittat, sed etiam adiuvet ne committantur.

IV. Quod per gratiam dei sciamus quid facere debeamus et diligere ut faciamus.

V. Quod gratia dei praestet ut lex impleatur, non, sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia dei difficilius possit impleri.

VI. Quod iuxta sententiam Ioannis evangelistae nemo sit qui esse possit sine peccato.

VII. Quod unicuique etiam iusto non solum pro aliis, sed pro semetipso dicere oporteat: Dimitte nobis debita nostra.

VIII. Quod a sanctis veraciter dicitur: Dimitte nobis debita nostra.

IX. Ut in communes causas ecclesiae generale concilium congregari oporteat: in privatis vero causis speciale uniuscuiusque provinciae.

X. Ut epistolas ad concilium devocandum metropolitanus subscribat et dirigat.

XI. Ut de haereticis et infidelibus quidquid in concilio constituitur a principe impetretur.

XII. Ut preces et orationes compositae, nisi probatae fuerint in concilio, non dicantur.

XIII. Ut posteriores anterioribus episcopis deferant nec inconsultis primatibus suis aliquid agere praesumant.

XIV. Ut episcopi pro tempore consecrationis suae litteras ab ordinatoribus habeant.

XV. Ut ubi quis primum legerit, ibi permaneat clericus.

XVI. Ut pro causis ecclesiarum exsequutores vel advocati a principe postulentur.

XVII. Ut neque dimissus neque dimissa alteri coniungantur.

XVIII. De his qui in sua provincia non communicant et alibi communicant.

XIX. De clericis qui apud principem seculare iudicium aut synodale imploraverint.

XX. Ut sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, et qualiter fiant formatae.

XXI. De episcopis qui quod repetere poterant, praetermissa synodo invaserint.

XXII. De clericis qui de iudicio episcoporum suorum conqueruntur.

XXIII. De his qui apud haereticos poenitentiam acceperunt, quomodo ab ecclesia recipiantur.

XXIV. De episcopis negligentibus adversus haereticos.

XXV. De quibus supra.

[1] *Sec. Andeg. Text. ex coll. Hisp. ed. cit.*

XXVI. De virginibus quae infra viginti quinque annos necessitate cogente velantur.

XXVII. De episcopis qui post acta Carthaginensi synodo retenti sunt ad reliqua peragenda.

Gloriosissimis imperatoribus Arcadio V. et Honorio V. augusto consulibus, VI. Kal. Septembr. in civitate Milevitana, in secretario basilicae ipsius quum Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginensis in concilio universali consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Quoniam ecclesiae sanctae unum est corpus omniumque membrorum caput est unum, factum est volente domino, ut ad hanc ecclesiam veniremus delectionis et fraternitatis gratia invitati: unde quaeso caritatem vestram, quia ita credendum est, quod noster accessus ad vos nec superfluus nec insuavis est cunctis; ideoque pariter quaedam de causis fidei, unde nunc quaestio Pelagianorum imminet, in hoc coetu sanctissimo primitus tractentur, deinde subsequantur et aliqua quae disciplinae ecclesiasticae necessaria existunt.

I. Placuit igitur omnibus episcopis qui fuerunt in hac sancta synodo, constituere haec quae in praesenti concilio definita sunt, ut quicumque dicit: Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.

II. Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere orginalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem quidem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est quod ait apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissione veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.

III. Item placuit ut quicumque dixerit gratiam dei, qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium ut non committantur, anathema sit.

IV. Item quisquis dixerit eandem gratiam dei per Iesum Christum dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non per illam autem nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Quum enim dicat apostolus: Scientia inflat, caritas vero aedificat, valde impium est ut credamus ad eam quae inflat nos habere gratiam Christi et ad eam quae aedificat non habere, quum sit utrumque donum dei et scire quid facere debeamus et diligere ut faciamus, ut aedificante caritate scientia non possit inflare. Sicut autem de deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est: Caritas ex deo est.

V. Item placuit ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium facilius possimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere.

VI. Item placuit, quod ait sanctus Ioannes apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim apostolus et adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et iustus qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate, ubi satis apparet hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici; poterat enim apostolus dicere: Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus et humilitas in nobis non est; sed quum ait: Nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est, satis ostendit eum qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui sed falsum.

VII. Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione dominica, ideo dicere sanctos: Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: Dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et iustus erat apostolus qui dicebat: In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est omnes, nisi ut ista sententia conveniret et psalmo ubi legitur: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens; et in oratione sapientissimi Salomonis: Non est homo qui non peccet tibi; et in libro sancti Iob: In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Unde etiam Daniel sanctus et iustus

quum in oratione pluraliter diceret: Peccavimus, iniquitatem fecimus, et caetera, quae ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt hoc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis, posteaquam dixit: Quum orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei deo meo, noluit dicere peccata nostra, sed et populi sui dixit et sua, quoniam futuros istos qui tam male intelligerent, tamquam propheta praevidit.

VIII. Item placuit, ut quicumque verba ipsa dominicae orationis ubi dicimus: Dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem et non hominibus, sed ipsi domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, quae sibi dimittantur se debita non habere?

Hucusque de fide capitula contra Pelagianos, nunc regulae tractantur ecclesiasticae.

IX. Item primitus placuit ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est totius Africae undecumque ad hanc sedem pro concilio datae litterae fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia ubi opportunitas persuaserit, causae autem quae communes non sunt, suis provinciis iudicentur.

X. Placuit etiam petitu omnium episcoporum ut epistolis omnibus de concilio dandis sanctitas tua sola subscribat.

XI. Placuit et illud adversus haereticos vel paganos vel eorum superstitiones: legati missi de hoc a glorioso concilio quidquid utile praeviderint, de gloriosissimis principibus impetrent.

XII. Placuit etiam et illud, ut preces vel orationes seu missae quae probatae fuerint in concilio, seu traditiones sive commendationes seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliqua ex his omnino dicantur in ecclesia, nisi quae a prudentioribus tractata et comprobata in synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam vel per studium sit compositum.

XIII. Valentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiae vestrae, prosequar ea quae necessaria sunt ecclesiasticae disciplinae. Scimus enim in hac ecclesia Carthaginensi inviolate semper permansisse ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet anteponere, sed officiis legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationabiliter semper acciperetur. Hunc ordinem iubeat sanctitas vestra melius vestris interloquutionibus roborare. Aurelius episcopus dixit: Non decuerat quidem ut haec repeteremus, nisi forte existerent inconsideratae mentes quorumdam quae ad haec statuenda nostros acuerent sensus; sed communis haec causa est quam insinuavit frater et coepiscopus noster, ut unusquisque nostrum sibi decretum adeo cognoscat, ut posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis primatibus aliquid agere praesumant. Qua de re oportet eos qui putaverint spretis maioribus aliquid praesumendum competenter esse ab omni concilio coercendos. Universi episcopi dixerunt: Hic ordo et a patribus et a maioribus servatus est et a nobis deo propitio servabitur.

XIV. Deinde placuit ut quicumque deinceps ordinantur, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

XV. Item placuit ut quicumque in ecclesia primum vel semel legerit ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

XVI. Placuit praeterea, ut exequutores in omnibus desideriis quae habet ecclesia ab imperatore postulentur qui singulis ecclesiis impartiantur. Placuit etiam, ut petatur a gloriosissimis imperatoribus, ut iubeant iudicibus dare petitos sibi defensores scholasticos qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum ecclesiasticarum, ut more sacerdotum provinciae idem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum callide obrepentibus vel ad necessaria suggerenda ingredi iudicum secretaria.

XVII. Placuit quoque secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, ut neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri coniungatur, sed ita maneant aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint ad poenitentiam redigantur, in qua causa legem imperialem petendam promulgari.

XVIII. Placuit, ut quicumque non communicans in propria provincia in aliis provinciis vel in transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel clericatus excipiat.

XIX. Placuit, ut quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit[1], honore proprio privetur: si autem episcopale iudicium ab imperatore postulaverit, nihil ei obsit.

XX. Placuit, ut quicumque clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab episcopo suo accipiat: qui si sine formata voluerit pergere, a communione removeatur. Quod si alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud episcopum loci eius ipsam necessitatem et de

[1] *Sic Andeg., codd. Ps.-Is. A1, A/B, ed. coll. Hisp.: codd. Ps.-Isid. B, C et ed. Merl.:* ut quicumque ad imperatorem cognitionem iudiciorum publicorum ab episcopis petierit.

hoc rescripta eiusdem episcopi perferat. Formatae autem quae a primatibus vel a quibusque episcopis propriis dantur, habeant diem paschae. Quod si adhuc eiusdem anni paschae dies incertus est, ille praecedens adiungatur quomodo solet post consulatum in publicis gestis adscribi.

XXI. Item placuit, ut episcopi quascumque ecclesias vel plebes quas ad suam cathedram existimant pertinere non ita repetierint ut causas suas episcopis iudicantibus agant, sed alio retinente irruerint sive nolentibus sive volentibus plebibus, causae suae detrimentum patiantur: et quicumque hoc iam fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat, quem constiterit praetermissis iudiciis ecclesiasticis irruisse, nec sibi quisque blandiatur, si a primatu ut retineat litteras, impetrarit; sed sive habeat litteras sive non habeat, conveniat eum qui tenet et eius litteras accipiat, ut appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quaestionem retulerit, per episcopos iudices causa finiatur, sive quos eis primatus dederint sive quos ipsos vicinos cum consultu primatis delegerint.

XXII. Item placuit, ut presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de iudiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant et inter eos quidquid est finiant adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum; quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana concilia vel ad primatus provinciarum suarum: ad transmarina autem qui putaverint appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiantur.

XXIII. Placuit, ut quicumque conversus ab haereticis dixerit se apud eos poenitentiam accepisse, unusquisque catholicus episcopus requirat, ubi et ob quam causam apud eosdem haereticos poenitentiam susceperit, ut quum certis documentis hoc ipsum sibi approbaverit pro qualitate peccati, sicut eidem episcopo catholico visum fuerit, tempus poenitentiae vel reconciliationis decernat.

XXIV. Item placuit, ut quicumque negligunt loca ad suam cathedram pertinentia in catholicam unitatem lucrari, conveniantur a diligentibus vicinis episcopis, ut id agere non morentur; quod si intra sex menses a die conventionis non effecerint, qui potuerit lucrari ea ad ipsum pertineant: ita sane, ut si ille ad quem pertinuisse videbantur, probare potuerit magis illius electam negligentiam ab haereticis ut impune ibi sint et suam diligentiam fuisse praeventam, ut eo modo eius cura sollicitior vitaretur, quum hoc iudices episcopi cognoverint suae cathedrae loca restituant. Sane si episcopi inter quos causa versatur diversarum sunt provinciarum, ille primatus det iudices in cuius provincia est locus de quo contenditur: si autem ex communi placito vicinos iudices elegerint, aut unus eligatur aut tres, ut, si tres elegerint aut omnium sententiam sequatur aut duorum; a iudicibus autem quos communis consensus elegerit, non liceat provocare: et quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare iudicibus, quum hoc primae sedis episcopo fuerit prolatum, det litteras ut nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

XXV. Si in matricibus cathedris episcopus negligens fuerit adversus haereticos, conveniatur a vicinis episcopis diligentibus, et ei sua negligentia demonstretur, ut se excusare non possit; quod si ex die quo convenitur intra sex menses in eius provincia exequutio fuerit et non eos ad unitatem catholicam convertendos curaverit, non ei communicetur donec impleat; si autem probatum fuerit eum de communione illorum fuisse mentitum dicendo eos communicasse quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam episcopatum amittat.

XXVI. Item placuit, ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis, quum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo in mortis periculo scripulo compuncta fuerit ne non velata fuerit, aut exigentibus parentibus aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem intra viginti quinque annos aetatis, non ei obsit concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

XXVII. Item placuit ne diutius universi episcopi qui ad concilium congregati sunt tenerentur ab universo concilio iudices ternos de singulis provinciis eligi; et electi sunt de provincia Carthaginensi Vincentius, Fortunatianus et Clarus, de provincia Numidiae Alipius Augustinus et Restitutus, de provincia Byzacena cum sancto sene Domitiano primatu Cresconius, Iucundus et Aemilianus, de Mauritania Sitiphensi Severianus, Casiatticus et Donatus, de provincia Tripolitana Plautius qui ex more legatus unus est missus. Qui omnes cum sancto sene Aurelio universa cognoscant, a quo petiit universum concilium, ut cunctis sive gestis quae confecta iam sunt seu episcopis ipse subscribat. Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginensis subscripsit, Donatianus Teleptensis primae sedis subscripsit. Similiter et omnes episcopi subscripserunt.

Expliciunt Africe concilia.[1]

[1] *Sec. Andeg.*

DEHINC SEQUUNTUR GALLIE CONCILIA.[1]

ARELATENSE PRIMUM.[2] TITULI EIUSDEM CONCILII.[3]

Domino et sanctissimo Silvestro episcopo coetus episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi, quid decreverimus communi consilio caritati tuae significamus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant.

I. De observatione paschae domini, ut uno die et uno tempore per omnem orbem observetur et iuxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

II. De his qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent.

III. De his qui arma proiiciunt in pace, placuit abstineri eos a communione.

IV. De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agitant a communione separari.

V. De theatricis, et ipsos placuit, quamdiu agunt, a communione separari.

VI. De his qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

VII. De praesidibus qui fideles ad praesidatum prosiliunt ita placuit, ut quum promoti fuerint litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen ut quibuscumque locis gesserint ab episcopo eiusdem loci cura de illis agatur, ut quum coeperint contra disciplinam publicam agere, tum demum a communione excludantur, similiter et de his fiat qui rempublicam agere volunt.

VIII. De Arianis qui propria lege sua utuntur, ut rebaptizentur, placuit: si ad ecclesiam aliqui de hac haerese venerint, interrogent eos symbolum, et si perviderint eos in patre et filio et in spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant spiritum sanctum. Quod si interrogati non responderint hanc trinitatem, baptizentur.

IX. De his qui confessorum litteras afferunt, placuit ut sublatis eis litteris alias accipiant communicatorias.

X. De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et idem sunt adolescentes fideles et prohibentur nubere, placuit quantum possit consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulterae sint, ut non alias accipiant.

XI. De puellis fidelibus quae gentilibus iunguntur, placuit ut aliquanto tempore a communione separentur.

XII. De ministris qui foenerant, placuit eos iuxta formam divinitus datam a communione abstineri.

XIII. De his qui scripturas tradidisse dicuntur vel vasa dominica vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicumque eorum in actis publicis fuerit detectus non verbis nudis ab ordine cleri amoveatur: nam si idem aliquos ordinasse fuerint deprehensi et de his qui ordinaverunt, ratio subsistit, non tamen illis obsistat ordinatio. Quoniam multi sunt qui contra ecclesiam repugnare videntur, et per testes redemptos putant se excusatione admitti debere, omnino non admittantur, nisi, ut supra diximus, actis publicis docuerint.

XIV. De his qui falso accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare, sed falsum testem iuxta scripturam impunitum non licere esse.

[1] & [2] & [3] *Sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. coll. Hisp. cit. Concil. Telept. ibid. insertum nullo in codice Ps.-Isidoriano hoc in loco exhibetur.* [4] *Ceteri codd. A1, excepto Andeg., codd. A/B, B, C inserunt rubricam:* XIX. Ut presbyteri sine conscientia episcoporum suorum nihil faciant.

XV. De diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.
XVI. De his qui pro delicto suo a communione separantur, ita placuit, ut in quibuscumque locis fuerant exclusi, eodem loco communionem consequantur.
XVII. Ut nullus episcoporum alium episcopum conculcet.
XVIII. De diaconibus urbicis, ut non aliquid per se praesumant, sed honor presbyteris reservetur. Ut presbyteri sine conscientia episcoporum nihil faciant. [1]
XIX. De peregrinis episcopis qui in urbem solent venire, placuit illis locum dari ut offerant.
XX. De his qui usurpant sibi soli debere episcopum ordinare, placuit ut nullus hoc sibi praesumat, nisi assumptis sibi aliis septem episcopis; si tamen non poterit septem, infra tres non audeat ordinare.
XXI. De presbyteris aut diaconibus qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt et ad alia loca transtulerunt se, placuit ut his locis ministrent: ut si relictis locis suis ad alium locum se transferre voluerint, deponantur.
XXII. De his qui apostatant et nunquam se ad ecclesiam repraesentant nec quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate arrepti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus poenitentiae.

INCIPIT CONCILIUM ARELATENSE SECUNDUM.[2]

INCIPIUNT TITULI EIUSDEM CONCILII.[3]

I. De neophytis clerici ne ordinentur.
II. Qualiter coniugati ad sacerdotium promoveantur.
III. Ut nullus clericus aut diaconus in solatio suo extraneam habeat mulierem.
IV. Ut nullus clericus in cellario vel secreto intromittat puellam.
V. Ut episcopus quum ordinatur cum consensu metropolitani, tres eum ordinent episcopi.
VI. De episcopo qui sine conscientia metropolitani fuerit ordinatus.
VII. De his qui seipsos abscidunt.
VIII. De his qui excommunicatos alterius suscipiunt.
IX. Ut Novatiani in communionem non recipiantur.
X. De his qui in persequutione praevaricati sunt.
XI. De his qui poenis victi sacrificare compulsi sunt.
XII. De his qui in poenitentia positi vita excesserunt.
XIII. Ut ne quis qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam.
XIV. Ne clericus usuras accipiat.
XV. Ne diaconus coram presbytero sedeat vel eucharistiam tradat.
XVI. Ut Photiniani et Paulianistae baptizentur.
XVII. De haereticis baptizatis.
XVIII. Ut metropolitani arbitrio synodus congregetur.
XIX. Ut nulli episcopo liceat a synodo decedere.
XX. De aurigis et theatricis fidelibus.
XXI. Si post acceptam poenitentiam quis nupserit.
XXII. Ut poenitentia coniugatis ex consensu detur.
XXIII. De sacerdotibus qui idolatriam non everterint.
XXIV. De accusatoribus fratrum.
XXV. De apostatis si non revertantur.

[4]Ex Sicilia Syracusanorum Sixtus episcopus et Florus diaconus: ex provincia Campaniae civitatis Protinus episcopus et Agrippa Tutilaque diacones: ex provincia Apuliae Pardus episcopus et Crescens diaconus: ex provincia Dalmaciae Theodorus episcopus et Agathon diaconus: ex urbe Roma quos Sylvester episcopus misit, Claudianus et Avitus presbyteres, Eugenius et Cyriacus diacones: ex provincia Italiae Orosius episcopus, Nazareus lector: ex provincia Viennensium civitatis Arelatae Marinus episcopus, Salamas presbyter, Nicatius Afer, Ursinus et Petrus diacones: ex provincia qua supra Viennensium Verus episcopus, Beclas exorcista ex civitate Vasione Damnas episcopus et Victor exorcista: ex civitate Aurasicorum Laustinus presbyter: ex Porta Innocentius diaconus, Agapius exorcista: ex provincia Galliae civitatis Rhemorum Imbethausius episcopus, Primigenius diaconus: ex civitate Rothomagensium Avidianus episcopus, Nicetius diaconus: ex civitate Augustoduni Petius episcopus, Amandus presbyter, Philomatius diaconus: ex civitate Leudona Votius episcopus, Petulius exorcista: ex civitate Agrippina Maternus episcopus, Marinus diaconus: ex provincia Aquitanica civitatis

[1] *Text. c. XVIII. sec. Andeg., cum quo ceteri Ps.-Isid. concordant excepto eo, quod verbis* ut presbyteri *num. XIX. apponunt, ita ut XXIII capp. concilii exhibeantur; in ed. cit. coll. Hisp. cap. XVIII. ita profertur:* de diaconibus urbicis ut non tantum sibi praesumant — reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant. [2] & [3] *Sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [4] *Haec omnia usque ad initium cap. I. in omnibus Pseudo-Isid. et omnibus codd. purae Hispanae hoc loco exhibentur, non in fine concilii anterioris, ubi editores edit. Matr. ea posuerunt.*

Vagalum Genialis episcopus: ex civitate Burdegala Orientalis episcopus, Flavius diaconus: ex civitate Trevirorum Agricius episcopus, Felix exorcista: ex civitate Tolosa Martinus episcopus, Leoncius diaconus: ex provincia Britanniae Eburius episcopus: ex civitate Lugdunensium Restitutus episcopus: ex civitate Clunia Adelphus episcopus, Soter presbyter: ex civitate Rhemorum Liberius episcopus, Florentius diaconus: ex civitate Baetica Sabinus presbyter: ex civitate Ursulentium Natalis presbyter, Cytherius diaconus: ex civitate Tarracona Probatius presbyter, Castorius diaconus: ex civitate Caesaraugusta Clementius presbyter, Rufinus exorcista: ex civitate Bastigentium Termarius presbyter, Victor lector: ex provincia Mauritaniae Caesariensis Fortunatus episcopus, Deuterius diaconus: ex provincia Sardiniae Quintus episcopus, Ammonius presbyter: ex provincia Africae Caecilianus episcopus, Sperantius diaconus: ex civitate Onina Lampadius episcopus: ex civitate Utica Victor episcopus: ex civitate Beneventina Anastasius episcopus: ex civitate Turbustana Faustus episcopus: ex civitate Cocofeltis Surgentius episcopus: ex provincia Numidiae Victor episcopus: ex civitate Virensium Vitalis episcopus: ex porto urbis Romae Gregorius episcopus: ex Centumcellis Epictetus episcopus: ex civitate Ostiensi Leontius et Macarius presbyteres.

I. Ordinari ad diaconatus ac sacerdotii officium neophytum non debere.

II. Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in coniugii vinculo constitutum, nisi fuerit praemissa conversio.

III. Si quis clericus a gradu diaconatus in solatio suo mulierem praeter aviam, matrem, sororem, filiam, neptem vel conversam secum uxorem habere praesumpserit, a communione alienus habeatur; par quoque et mulierem, si se separare noluerit, poena percellat.

IV. Nullus diaconus vel presbyter vel episcopus ad cellarii secretum intromittat puellam vel ingenuam vel ancillam.

V. Ut episcopum sine metropolitano vel epistola metropolitani vel tribus comprovincialibus non liceat ordinari, ita ut alii comprovinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent: quod si inter partes aliqua fuerit nata dubitatio, maiori numero metropolitanus in electione consentiat.

VI. Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus iuxta magnam synodum esse episcopum non debere.

VII. Hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad clericatum pervenire non posse.

VIII. Si quis excommunicatum alterius sive clericum sive secularem recipere post interdictum praesumpserit, noverit se reum fraternitatis factum causam in concilio redditurum.

IX. Novatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta poenitentiae credulitate praeteritum damnet errorem.

X. De his qui in persequutione praevaricati sunt, si voluntarie fidem negaverunt, hoc de eis Nicaena synodus statuit, ut quinque annis inter catechumenos exeant, et duobus inter communicantes, ita ut communionem inter poenitentes non praesumant; in potestate tamen vel arbitrio sit episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere et agere poenitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat.

XI. Si qui vero dolore victi et pondere persequutionis negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos et triennio inter poenitentes habeantur a communione suspensi.

XII. De his qui in poenitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo quod honoravit poenitentiam, oblatio illius recipiatur.

XIII. Nullus cuiusque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus quacumque occasione faciente, propriam relinquat ecclesiam, sed omnismodis aut excommunicetur aut redire cogatur. Quod si aliquo commorationis tempore invito episcopo suo in aliena ecclesia habitans ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV. Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram aut conductor alienae rei voluerit esse aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero a communione alienus fiat.

XV. In secretario diacono inter presbyteres sedere non liceat, vel corpus Christi praesente presbytero tradere non praesumat: quod si fecerit, ab officio diaconatus abcedat.

XVI. Photinianos vero sive Paulianistas secundum patrum statuta baptizari oportet.

XVII. Bonitiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in trinitate manifestum est, dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in ecclesia recipi sufficit.

XVIII. Ad Arelatensis episcopi arbitrium synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse concilium atque conventum; si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam sua vice dirigat.

XIX. Si quis autem adesse neglexerit aut coetum fratrum, antequam concilium dissolvatur, crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

XX. De agitatoribus sive theatricis qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agunt, a communione separari.

XXI. Poenitentes quae defuncto viro aliis nubere praesumpserint vel suspecta vel

interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab ecclesiae liminibus arceantur: hoc etiam et de viro in poenitentia posito placuit observari.

XXII. Poenitentiam coniugatis nonnisi ex consensu dandam.

XXIII. Si in alicuius presbyteri territorio infideles aut faculas accendunt aut arbores, fontes vel saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat: dominus aut ordinatur rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione privetur.

XXIV. Eos qui falso fratribus capitalia obiecisse convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, sicut magna synodus ante constituit, nisi digna satisfactione poenituerint.

XXV. Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant et ad seculum redeunt et postmodum poenitentiae remedia non requirunt, sine poenitentia communionem penitus non accipiant; quos etiam iubemus ad officium clericatus non admitti et quicumque ille post poenitentiam habitum secularem non praesumat: quod si praesumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

INCIPIT CONCILIUM ARELATENSE TERTIUM XIV EPISCOPORUM HABITUM ERA CCCCLXI.[1]

I. Ut diaconus ante XXV et sacerdos ante XXX annos non ordinetur.

II. Ut digami vel poenitentes vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non promoveantur.

III. Ut laicus ante annum conversionis non ordinetur.[2]

IV. De clericis alienis qui sunt ab aliis defensi.

Marciano augusto regnante Opilione et Vincomalone consulibus VIII. Id. Iul. quum in voluntate dei ad dedicationem basilicae sanctae Mariae in Arelatensi civitate sacerdotes domini convenissent, congruum eis et rationabile visum est, ut primum de observandis canonibus attentissima sollicitudine pertractantes, qualiter ab ipsis ecclesiasticae regulae servarentur, salubri consilio definirent.

I. Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscitur, ne forte quorumcumque importunis et inordinatis precibus sacerdotes domini fatigentur, et ea quae toties sunt praecepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt: ut nullus episcoporum diaconem antequam viginti et quinque annos impleat, ordinare praesumat, episcopatus vero vel presbyteratus honorem nullus laicus ante praemissam conversionem vel ante triginta aetatis annos accipiat.

II. Nullus poenitentem, nullus digamum vel internuptarum maritos in praedictis honoribus audeat ordinare. Et licet haec iam prope omnium canonum instituta contineat, tamen ne cuicumque sacerdotum supplicantum, sicut iam diximus, importunitas vel suggestio iniqua subripiat, necesse fuit ut nunc severiorem regulam sibi velint domini sacerdotes imponere: et ideo quicumque ab hac die contra ea quae superius sunt comprehensa clericum ordinare praesumpserit, ab ea die qua hoc ei potuerit approbari anno integro missas facere non praesumat: quam rem si quis observare noluerit et contra consensum fratrum faciens missas celebrare praesumpserit, ab omnium fratrum caritate noverit se alienum; quia dignum est ut severitatem ecclesiasticae disciplinae sentiat qui salubriter a sanctis patribus instituta observare contemnit.

III. Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui patres ordinaverint observanda, tamen quia accrescente ecclesiarum numero necesse est nobis plures clericos ordinare, hoc inter nos sine praeiudicio dumtaxat canonum constitit antiquorum, ut nullus metropolitanorum cuicumque laico dignitatem episcopatus tribuat, sed nec reliqui pontifices presbyterii vel diaconatus honorem conferre praesumant, nisi anno integro fuerit praemissa conversio.

IV. Et si forte aliquis clericorum regulam disciplinae ecclesiasticae subterfugiens fuerit evagatus, quicumque eum susceperit et non solum pontifici suo non reconciliaverit, sed magis defensare praesumpserit, ab ecclesiae communione privetur.

Caesarius in Christi nomine episcopus definitionem hanc sanctorum fratrum meorum vel mean relegi et subscripsi; Contumeliosus episcopus consensi et subscripsi; Philacrius episcopus subscripsi; Praetextatus episcopus subscripsi; Maximus episcopus subscripsi; Iulianus episcopus subscripsi; Florentius episcopus subscripsi; Cyprianus episcopus subscripsi; Montanus episcopus subscripsi; Florentius episcopus subscripsi; Cyprianus episcopus subscripsi; Coelestinus episcopus subscripsi; Porcianus episcopus subscripsi; Eucherius episcopus subscripsi; Cataphronius presbyter directus a dominis meis Agricio et Severo episcopis consensi et subscripsi; ego Desiderius presbyter directus a domino meo Ioanne episcopo consensi et subscripsi; Leontius presbyter directus a domino meo Constantino episcopo subscripsi; ego Hemeterius directus a domino meo Galliciano episcopo consensi et subscripsi.

[1] *Inscript. sec. Andeg.; text. ex ed. cit. coll. Hisp.* [2] *Hisp. a codd. Ps.-Is. in eo abhorret, quod rubricam et textum cap. III. anteponit capiti II.*

INCIPIT VALENTINUM CONCILIUM XXX EPISCOPORUM HABITUM ERA CCCCXIII.[1]

I. De digamis ne consecrentur.

II. Ut deo devota, si maritaverit vel moechaverit, poenitentiae deputetur.

III. Ut qui baptizati idola volunt vel incesto polluti sunt, agant poenitentiam.

IV. Ut sacerdos vel levita, si de se crimen aliquod confitetur, deponatur.

Dilectissimis fratribus per Gallias et quinque provincias constitutis episcopis Faegadius, Eumerius Florentius, Artemius, Aemilianus, Britto, Iustus, Euphodius, Rhodamius, Eortius, Cretus, Concordius, Constantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Urbanus, Simplicius et Vincentius episcopi in domino salutem.

Transactis Valentinae omnibus et in dei nomine in statu meliori compositis quae fuerant coepta causa discidii, quorumdam fuit pátrum utilis et religiosa suggestio retractandum etiam de his quae nec recipere possumus ob ecclesiae sanctitatem, nec tamen usurpatae consuetudinis causa damnare, ita enim per omnes ecclesias eiusmodi vitii germen inolevit, ut ad plena remedia non facilis sit recursus, certe non sine verecundia eorum quos causa contigit: quocirca fratres librato diu moderatoque consilio ea cautelae ratio servata est, quae et scandala submoveret et sanctitatem ecclesiae custodiret.

I. Sedit igitur neminem post hanc synodum, qua eiusmodi illicitis vel sero succurritur, digamos aut internuptarum maritos ordinari clericos posse, nec requirendum utrumne initiati sacramentis divinis, anne gentiles hac se infelici sorte necessitate macularint.

II. De puellis vero quae se voverint, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut poenitentia his nec statim detur, et quum data fuerit, nisi plene satisfecerint deo in quantum ratio poposcerit, earum communio differatur.

III. Circa eorum vero personas qui se post unum et sanctum lavacrum vel profanis sacrificiis daemonum vel incesta lavatione polluerint, eam censurae formam duximus esse servandam, ut his iuxta synodum Nicaenam satisfactionis quidem aditus non negetur, nec infelicibus lacrymis vel solatii ianua desperatione claudatur, acturi poenitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt, qui ius eius et solus obtinet et tam dives misericordiae est, ut nemo desperet; deus enim mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum.

IV. Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiae utilitate censuimus, ut sciretis quicumque sub ordinatione vel diaconatus vel presbyterii vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos reos scilicet vel veri confessione vel mendacio falsitatis: neque enim absolvi potest in his qui in se ipsos dixerint quod dictum in alios puniretur, quum omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit. Divina pietas vos in aeternum custodiat, dilectissimi fratres.

Item alia eorundem quorum supra.

Dilectissimis fratribus, clero et plebi ecclesiae Foroiuliensis Faegadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Aemilianus, Britto, Iustus, Euphodius, Rhodamius, Eortius, Constantius, Paulus, Cretus, Concordius, Antherius, Neoterius, Nicetius, Urbanus, Felix, Simplicius et Vincentius, episcopi in domino salutem.

Quamvis ea Benedictus frater de sanctissimi Accepti persona suggerit quae prudenti et christiano viro sunt condigna, quumque quo studio omnium vestrum ad honorem sacerdotii poscatur edixerit, tamen quia in synodo iam sederat ordinationes huiusmodi submovendas quae sine scandalo esse non possint, non potuimus praestare uni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus multos verecundia et nonnullos suscipiendi sacerdotii metu trepidos, quae utique signa sunt sanctitatis falsa in se reiiciendi honoris causa dixisse, tamen quia omnium fere ad ea quae sunt peiora proclive iudicium est et materies disputationum obtrectatione sacerdotum dei quaeritur, sedit in synodo, ut quisquis de se vel vera vel falsa dixisset, fides ei quam suismet testimoniis confirmaret, haberetur, submovendos protinus ab eo gradu quem ab omni scandalo liberum esse licet. Divina vos pietas in aeternum protegat.

CONCILIUM TAURINANTIUM.[2]

I. Ut qui approbaverit suam civitatem metropolim fuisse, teneat primatum.

II. Ut episcopi qui contra statuta faciunt, honore priventur.

III. De laicis qui in clericos crimen intendunt.

IV. De clericis qui per culpam ab episcopo suo excommunicantur.

V. De eo qui se ab haereticis separare voluerit ut ab ecclesia catholica suscipiatur.

VI. Ut alterius clericum non promoveat alter, nec abiectum recipiat.

VII. De his qui contra interdictum sunt ordinati vel in honore filios genuerunt.

[1] *Inscript. sec. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [2] *Inscript. sec. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

Fratribus dilectissimis per Gallias et quinque provincias constitutis sancta synodus quae convenit in urbe Taurinantium.

Quum ad postulationem provinciarum Galliae sacerdotes convenissemus ad Taurinantium civitatem atque in eiusdem urbis ecclesia auctore vel medio domino sederemus, auditis allegationibus episcoporum, eorum videlicet qui ad iudicium nostrum fuerant congregati, de singulis negotiis haec sententiae forma processit, ita ut pacis bono statuta canonum servarentur et plurimorum contentionibus adhiberetur utilis medicina.

I. Nam quum primo omnium vir sanctus Proculus Massiliensis episcopus civitatis se tamquam metropolitanum ecclesiis quae in secunda provincia Narbonensi positae videbantur diceret praeesse debere atque per se ordinationes in memorata provincia summorum fieri sacerdotum, siquidem assereret easdem ecclesias vel suas parochias fuisse vel episcopos a se in eisdem ecclesiis ordinatos, e diverso eiusdem regionis episcopi aliud defensarent ac sibi alterius provinciae sacerdotem praeesse non debere contenderent: id iudicatum a sancta synodo contemplatione pacis atque concordiae, ut non tam civitati eius quae in altera provincia sita est, cuius magnitudinem penitus nesciremus, quam ipsi potissimum deferretur, ut tamquam pater filiis honore primatus assisteret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate provinciae minime tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Haec ipsi tantum in diem vitae eius forma servabitur, ut in ecclesiis provinciae secundae Narbonensis quas vel suas parochias vel suos discipulos fuisse constiterit ordinatos, primatus habeat dignitatem. Illud a partibus suis observandum quod licet ex superfluo non tamen inutiliter commonetur, ut ipse sanctus Proculus tamquam pius pater consacerdotes suos honoret ut filios et memoratae provinciae sacerdotes tamquam boni filii eundem habeant ut parentem, et invicem sibi exhibeant caritatis affectum, impleto hoc quod ait beatus apostolus: Honore mutuo praevenientes, non alta sapientes sed humilibus consentientes. Illud deinde inter episcopos urbium Arelatensis et Viennensis qui de primatus honore apud nos certabant a sancta synodo definitum est, ut qui ex his approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciae honorem primatus obtineat et ipse iuxta canonum praeceptum ordinationum habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliore decretum est, ut si placet memoratarum urbium episcopis, unaquaeque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates atque eas ecclesias vindicet quas oppidis suis proximas magis esse constiterit, ita ut memores unanimitatis atque concordiae non alter alterum longius sibi usurpando quod est alii proprium inquietet.

II. Gestorum quoque serie conscribi placuit ad perpetem disciplinam quod circa Octavium, Ursionem, Remigium ac Tryferium episcopos sancta synodus decrevit, qui in usurpationis quamdam de ordinatione sacerdotum invidiam vocabantur, quod hactenus his videtur indultum, ut de cetero hac auctoritate commoniti nihil usurpare conentur, siquidem ea se ab hac causa excusatione defenderint, qua dicerent prius se non esse conventos. Proinde iudicavit synodus, ut si quis ex hoc fecerit contra statuta maiorum, sciat is qui ordinatus fuerit sacerdotii se honore privandum et ille qui ordinaverit auctoritatem se in ordinationibus vel in conciliis minime retenturum. Non solum autem circa memoratos episcopos haec sententia praevalebit, sed et circa omnes qui simili errore decepti ordinationes huiusmodi perpetrarint.

III. De Palladio autem laico, qui Spano presbytero non leve crimen intenderat, inter quos episcopus Tryferius eiusdem criminis causas se recognovisse testatus est, id concilii decrevit auctoritas, ut idem Palladius in eadem sententia maneret, qua cognitionis tempore a Tryferio fuerat sacerdote mulctatus, in hoc ei humanitate servata concilii, ut ipse Tryferius in potestate habeat, quando voluerit ei relaxare.

IV. Statuit quoque de Exuperantio presbytero sancta synodus, qui in iniuriam sancti episcopi sui Tryferii gravia et multa congesserat et frequentibus eum contumeliis provocarat, ita ut nonnulla fecerit contra ecclesiasticam disciplinam, propter quam causam ab eo fuerat dominica communione privatus, ut in eius sit arbitrio restitutio ipsius in cuius potestate fuit eius abiectio; hoc est, ut quando vel idem Exuperantius satisfecerit vel episcopo Tryferio visum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.

V. Illud praeterea decrevit sancta synodus, ut quoniam legatos episcopi Galliarum qui Felici communicant destinarunt, ut si quis ab eius communione se voluerit sequestrare, in nostrae pacis consortium suscipiatur iuxta litteras venerabilis memoriae Ambrosii episcopi vel Romanae ecclesiae sacerdotis dudum latas, quae in concilio legatis praesentibus recitatae sunt.

VI. Nec illud praetermittendum fuit quod synodi sententia definitum est, ut clericum alterius secundum statuta canonum nemo suscipiat neque suae ecclesiae in alio gradu audeat ordinare, neque abiectum recipiat in communione.

VII. Hi autem qui contra interdictum sunt ordinati vel in ministerio filios genuerunt, ne ad maiores gradus ordinum permittantur, synodi decrevit auctoritas.

Incolumes vos dominus noster aevo longissimo conservare dignetur, domini dilectissimi fratres.

INCIPIT CONCILIUM REGIENSE XIII EPISCOPORUM HABITUM ERA CCCCLXXVI.[1]

I. Ut non habeatur episcopus a duobus episcopis ordinatus.
II. Ut a duobus episcopis ordinatus aliquando episcopus esse possit.
III. De haereticis et schismaticis episcopis, si ad catholicam fidem venerint, quid observent.
IV. Ut presbyter et benedicat et confirmet neoplytum.
V. Ut episcopus, qui sepelierit episcopum, curam habeat ecclesiae ipsius.
VI. Ut absque metropolitano nullus ordinetur episcopus.
VII. Ut bis in anno concilium fiat.[2]

Sub imperatoribus Theodosio minore et Valentiniano, Theodosio septies decies et Festo consulibus, quum in voluntate domini apud Regiensem ecclesiam convenissemus et transgressionis apud Ebrudunensem ecclesiam habitae remedium quaereretur, qua sacris ecclesiae canonibus et reverendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium praesentia, absque comprovincialium litteris, sine metropolitani auctoritate irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus praesumptam esse clarebat, non minus doloris de praesumentium lapsu quam de ecclesiae ipsius convulsione in pectoribus omnium diutina collatione versatum est. Primum itaque quia non ulciscendi, sed remediandi studium nutu domini universorum pectora prorsus sacerdotali consilio insederat, canonum in sermonibus singulis pro pietate perspecta patuit, quod sicut reproba quae praesumpta essent in irritum devocanda, ita eos qui reproba praesumpsissent, quamvis confundere censura cogeret caritati liceret absolvere; praesertim quum hi qui tam perversa incidissent a primo lapsus ipsius die adhibitis passim precibus culpam poenitentes aut ignorantiae aut circumscriptioni imputassent; quia etsi inveniale crederetur sacerdotem sacerdotalia statuta nescisse, levius tamen erat quam si ore impudenti fateretur se nota calcasse.

I. Itaque eos qui tam incondita ac tam instabilia usurpaverant, placuit misericordiae et caritatis occursu ita in communionem dilectionemque recipi, ut scirent secundum recentem et saluberrimam Taurinatis synodi definitionem ad perpetuam vitae istius suffusionem nullis se de cetero ordinationibus, nullis ordinariis interfuturos esse conciliis, quia nihil salubre ab illis statuendum expectaretur, quia tantae corruptionis tam detestanda exempla praebuerant. Ebrudunensi ecclesiae ante omnia mature visum est consulendum, quia quatuor de biennium mensibus sacerdote legitimo destituta hoc gravius aegrotaverat, ut clerus innocens ac disciplinae, ut probatum est, memor quorumdam laicorum insolentia ac varia perturbatione vexatus etiam in sacerdotibus ac ministris minas ac iurgia et vim acerbissimam periculose perniciosa nuper caede pertulerat nec poterat differri bonorum ac disciplinae memorum spectatio, ne viderentur contumacium et inquietorum vota palpari, quorum conspirationes machinationesque et in praeteritum quantum deprehendi possint animadversione ecclesiastica puniendae et in futurum anticipandae erant. Itaque ordinationem quam canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam esse censuimus, in qua praetermissa trium praesentia, nec expetitis comprovincialium litteris, metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil quod episcopum faceret, ostensum est.

II. Itaque placuit in voluntate domini, remoto hoc qui perperam assumptus erat episcopus, fieri omnino fratrum constitutionem ecclesiastica traditione servata: verum quia haec sancta synodus non disciplinae tantum curam, sed et misericordiae gessit, quumque occurreret, quod se Armentarius diebus proximis eidem ecclesiae multa assentatorum insolentia retulisset, occurrebat tamen quod ante admonitionem discessisset quod a nonnullis sacerdotum in hoc ipsum confirmatus se etiam privatae domui reddidisset, quod epistolas ad clerum ipsum emiserat, quibus episcopatum quem se non indeptum agnoscebat appetere nuntiaverat, eradi nomen suum petens, et hoc ipsum quod instabiliter in se praesumptum erat, iam tunc inordinatum et irritum futurum protestatum esse confirmans; in illam potius partem declinata est sententia, ut iuveni educato in timore domini plus suffragaretur, quod in actu vitiosissimo interdum sana sensisset, quam quod iuvenilibus titillationibus aliqua in parte cessisset. Itaque praetermissis his quae regressu ipsius eum absque ullius excusationis effugio culpae societatis respexerant, velut innocentem eundem praeterire sacerdotes domini qui huic concilio aderant damnatione vacuum maluerunt de indulto eidem peregrini vel coepiscopi nomine.

III. Quod ergo in quibusdam schismaticis recipiendis Nicaenum concilium statuit a singulis per territoria sua, hoc etiam praesens conventus in hoc statuit ab omnibus debere servari, id est, ut cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis consilia dictaverint, liceat ei unam parochiarum suarum ecclesiam cedere in qua aut coepisco-

[1] *Inscript. sec. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [2] *Quam rubricam soli codd.* A1 *et* A/B, *non codd.* B, C, *neque ed. Merl. exhibent.*

pi[1] nomine, ut idem canon loquitur, aut peregrina, ut aiunt, communione frueretur. Primum itaque statuitur, ut hoc in qualibet provincia praeterquam in Alpina maritima liceat, quam si aliqua in parte accesserit, ut malorum incitator et quietis impatiens damnationi quam in se provocaverat subiacebit; sed si quis eidem quidquam ex his quae statuta sunt transgredienti communicaverit, a communione omnium fiat alienus: deinde ut quolibet in loco praeterquam in publico ageretur, ne quisquam ei laicus decernatur, quem curiae et civitatis species aut ordo nobilitat: additur ne unquam in civitatibus vel sub episcoporum absentia offerre praesumat, nec ordinare vel ultimum clericum, nec in ea quidem ecclesia, quae illi cuiuscunque misericordia fuerit attributa, nec ulli episcoporum vel succedente aetate assumpto in rudimentis suis huic in aliquo quasi pro aetatis reverentia cedere liceat, nec usquam ipsi quidquam de episcopalibus officiis usurpare, praeterquam in ecclesia quam cuiusquam misericordia fuerit indeptus, in qua ei solum neophytos confirmare et ante presbyteros offerre conceditur. Quod si unquam aliquid caritate alterius provocatus de habitationis commutatione variaverit, non aliter in alia ecclesia requiem accipiat, quam priori habuit renuntiaverat, nec omnino unquam duarum ecclesiarum gubernationem obtineat, cui etiam in ea quae ipsi ceditur ministros a civitatis episcopo necesse est ordinari. Sane quia ministrorum mentio facta est et nonnulli ab ipso inventi excommunicati temere in clero provecti dicerentur, statutum est eos qui ita assumpti essent deponendos; quibus autem nulla conversationis macula praeiudicaret, prout Ebrudunensi sacerdoti constituendo visum est, aut in ecclesiae suae ministerio tenendos, aut ad ipsum quocumque habitasset transferendos, plebi quam acciperet ex constitutionis huius permissione benedicere, ut supra definitum est, et in una eademque ecclesia neophytos confirmare. In castellis ac vicis totum illi ante presbyteros sicubi venerit liceat quod in civitatibus omnino praescribitur.

IV. Et inter minutas has discussiones visum est omni presbytero per familias, per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas iam provincias habere occurrit, huic etiam in ecclesiarum plebibus per loca tamen magis quam per urbes hoc idem visum est esse tribuendum: in ecclesia quoque qua ordinatus fuerit consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum ius habebit, et per omnia ut sit multae indulgentiae testimonium semper se inferiorem episcopo, superiorem presbytero agat, mandatis votisque omnium sanctorum prosequentibus vivat in timore domini et episcopum suum[2] colat, deo serviat, synodi circa se benevolentiae gratias agat, semperque indignum se indultis et negatis imparem esse fateatur.

V. In commune autem omnes qui convenerant sacerdotes sibimetipsis contra huiusmodi scandala praecavendum censuerunt. Itaque propter huiusmodi temeritatem tali definitione consultum est, ut de cetero observaretur, ne quis ad eam ecclesiam quae episcopum perdidisset, nisi vicinae ecclesiae episcopus exequiarum tempore accederet, qui tamen statim ecclesiae ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in novitatibus clericorum subversioni liceret: itaque quum tale aliquid accidit, vicinis vicinarum ecclesiarum inspectio, descriptio recensioque mandatur.

VI. Haec autem omnia exequiarum tempore usque ad septimam defuncti diem aget, eximiae ecclesiae referens mandatum metropolitani, simul cum omnibus sanctis episcopis sepeliretur, nec quisquam ad ecclesiam quae summum amiserat sacerdotem nisi metropolitani litteris invitatus, ne a plebe decipiatur, accedat et vim pati voluisse videatur.[3]

Ego Hilarius episcopus iuxta id quod universis sanctis episcopis meis qui mecum subscripserunt placuit, statuta patrum sequutus his definitionibus subscripsi sub die XIII. Kal. Decembr. Theodosio Augusto XVII. et Festo consule honesto. Ego Severianus episcopus huic definitioni interfui et subscripsi die consulatus suprascripti. Ego Audentius episcopus his statutis interfui die consulatus suprascripti. Ego Iulius episcopus his statutis interfui et subscripsi die consulatus suprascripti. Ego Arcadius episcopus his definitionibus interfui et subscripsi die consulatus suprascripti. Ego Auspicius episcopus his definitionibus interfui et subscripsi die consulatus suprascripti Ego Severus episcopus his definitionibus interfui et subscripsi die consulatus suprascripti. Ego Valerius episcopus his definitionibus interfui et subscripsi d. cons. supr. Ego Nectarius episcopus his definitionibus interfui et subscripsi d. c. s. Ego Asclepius episcopus his definitionibus interfui et subscripsi d. c. s. Ego Theodorus episcopus his definitionibus interfui et subscripsi d. c. s. Ego Maximus his definitionibus interfui et subscripsi d. c. s. Ego Vincentius presbyter episcopi Constantiani ab eodem ordinatus interfui et subscripsi d. c. s.

[1] *Sic Hisp. cod. Andeg. ceterique Ps.-Isid. A1 et A/B; codd. B et C et ed. Merl.:* chorepiscopi. [2] *Pro* episcopum suum, *quod est in Andeg. ceterisque Pseudo-Is. et ed. Merl., in codd. Hisp.* quietem. [3] *Canones VII. et VIII. concilii, quos editores Matritentes tantum uno in codice Hispanae invenerunt, desunt in omnibus Ps.-Isidorianis.*

INCIPIT CONCILIUM ARAUSICUM XVI EPISCOPORUM HABITUM ERA CCCCLXXIX.[1]

I. Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur.
II. De haereticis si in mortis discrimine convertantur.[2]
III. De poenitentibus qui de corpore exeunt.
IV. De clericis poenitentiam volentibus.
V. De his qui ad ecclesiam confugiunt, ne tradantur.
VI. De mancipiis confugientibus ad ecclesiam.
VII. De libertis qui ecclesiae commendati sunt ne opprimantur.
VIII. De his qui clericum alienum ordinare praesumunt.
IX. De his qui cives alienos ordinaverunt.
X. De episcopis qui non in possessione sua, sed in aliena dioecesi basilicam construxerunt.
XI. De episcopis qui excommunicatum alterius suscipiunt.
XII. De his qui subito obmutescunt, quod et baptismum et poenitentiam accipere possunt.
XIII. De his qui mente desipiunt.
XIV. De energumenis baptizatis.
XV. Ut energumeni et catechumeni de baptismo consulantur.
XVI. Ut energumeni ad clerum non promoveantur.
XVII. Ut in unum propositio sacramenti consecretur.
XVIII. Ut evangelia catechumeni non[3] audiant.
XIX. Ut catechumeni ad baptisteria non accedant.
XX. Ut catechumeni cum fidelibus benedictionem non accipiant.
XXI. Ut duo episcopi episcopum non faciant.
XXII. Ut clerici coniugati, nisi continentiam profiteantur, diacones non fiant.
XXIII. De his qui post acceptum diaconium incontinentes inveniuntur.
XXIV. De incontinentibus clericis.
XXV. De viris probatis.
XXVI. De diaconissis non ordinandis.
XXVII. De faeminis quae viduitatem professae sunt coram episcopo.
XXVIII. De his qui professi sunt castitatem, si praevaricaverint.
XXIX. Ut nullus episcopus de concilio sine consensu discedat aut ad concilium ire excuset.

I. Nullum ministrorum qui baptizandi recipit officium sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quos chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, ut non praeiudicans quidquam, sed ut necessaria habeatur repetita chrismatio.

II. Haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbytero cum chrismate et benedictione consignari placet.[4]

III. Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt, ut si supervixerint, stent in ordine poenitentium, ut ostensis necessariis poenitentiae fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione accipiant.

IV. Poenitentiam desiderantibus clericis non negandam.

V. Eos qui ad ecclesiam confugerint tradi non oportere, sed loci sancti reverentia et intercessione defendi.

VI. Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

VII. In ecclesia manumissos vel per testamentum ecclesiae commendatos, si quis in servitutem vel obsequium vel ad coloniariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coercebitur.

VIII. Si quilibet consistentem alibi clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet, sic quoque non sine consultatione eius episcopi cum quo ante habitavit; nec eum qui fortasse non sine causa diu ab alio non ordinatus est, ordinare praesumat.

IX. Si quis autem alienos cives aut alibi consistentes ordinaverint, ne inordinati in ullo accusentur aut ad se eos revocent aut gratiam ipsi eorum impetrent cum quibus habitent.

X. Si quis episcoporum in alienae civitatis territorio ecclesiam aedificare disponit vel pro fundi sui aut ecclesiastici vel pro quacumque suorum opportunitate permissa licentia aedificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non praesumat dedicationem, quae illi omnismodis reservatur in cuius territorio ecclesia assurgit, reservata aedificatori episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre ipsos ordinet is cuius territorium est, vel si ordinati iam sunt ipsos habere acquiescat, et omnis ecclesiae ipsius gubernatio ad eum, in cuius civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit. Quod si etiam secularium quicumque ecclesiam aedificaverit et alium

[1] *Inscript. sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [2] *In coll. Hisp. tit. cap. II. anteponitur capiti I.; cod. Andeg. ceterique Ps.-Isid. ut text.* [3] *Verbum* non *inserunt Andeg. ceterique Ps.-Isid.* [4] *Cf. quae adnotavi ad rubric. cap. I. et II.*

magis quam eum in cuius territorio aedificat invitandum putaverit, tam ipse cui contra constitutionem ac disciplinam gratificare vult, quam omnes episcopi qui ad huiusmodi dedicationem invitantur a conventu abstinebunt; si quis excesserit, in reatum devocabitur, si quis excesserit, ordinem recognoscat.

XI. Placuit in reatum venire episcopum qui admonitus de excommunicatione cuiuscumque sine reconciliatione eius qui eum excommunicavit ei communicare praesumpserit, ut integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de iustitia vel iniquitate excommunicationis proximae synodo reserventur.

XII. Subito obmutescens, prout statutum est, baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet aut praesentis in suo nutu.

XIII. Amentibus quaecumque sunt pietatis conferenda.

XIV. Energumeni baptizati, si de purgatione sua curent et sese sollicitudini clericorum tradant monitisque obtemperant, omnismodis communicent sacramenti ipsius virtuti vel muniendi ab incursu daemonii quo infestantur vel purgandi quorum iam ostenditur vita purgatior.

XV. Energumenis et catechumenis in quantum vel necessitas exegerit vel opportunitas praemiserit, de baptismate consulendum.

XVI. Qui palam aliquando arrepti sunt non solum non assumendi sunt ad ullum ordinem clericatus, sed et si iam aliqui ordinati sunt ab imposito officio repellendi.

XVII. Cum capsa et calix inferendus est et admixtione eucharistiae consecrandus.

XVIII. Placuit catechumenis non legi evangelium in ecclesia.

XIX. Catechumeni nonnumquam admittendi sunt etiam inter domesticas orationes.

XX. Segregandi informandique sunt catechumeni, ut se revocent et signandos vel benedicendos semotim offerant ac fideles [1].

XXI. In nostris provinciis placuit de praesumptoribus, ut sicubi contigerit duos episcopos episcopum invitum facere auctoribus damnatis, unius eorum ecclesiae ipse qui vim passus est, substituatur: si tamen vita respondet et alter deiecti loco nihilominus ordinetur: si voluntarium duo fecerint, et ipse damnabitur, quo cautius ea quae sunt antiquitus statuta serventur.

XXII. Sedit praeterea, ut non deinceps ordinentur diacones coniugati, nisi qui prius conversionis proposito confessi fuerint castitatem.

XXIII. Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore suo incontinens invenitur, ab officio abiiciatur.

XXIV. De his autem qui prius ordinati hoc ipsum inciderint, Taurinatis synodi sequendam esse sententiam qua iubentur non ulterius promoveri.

XXV. De idoneis autem et probatioribus viris, quos clericatui alligari ipsa vitae gravitas cogit, si forte inciderunt in duplicata matrimonia, ut non ultra subdiaconatum vel ecclesiasticas capiant dignitates.

XXVI. Diaconissae omnismodis non ordinandae; si quae iam sunt, benedictioni quae populo impenditur capita submittant.

XXVII. Viduitatis servandae professionem coram episcopo in secretario habitam imposita ab episcopo veste viduali non esse violandam: eius vero raptorem vel ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam.

XXVIII. In utroque sexu desertores professae castitatis praevaricatores habendi, et omnibus per poenitentiam legitimam consulendum.

XXIX. Haec quae subscribimus eorum quoque concordia qui consensus dederunt rata deinceps inter nos ac nostros haberi volumus et habenda sancimus, non ita praetereuntes eos qui synodo aut per se aut per consensus suos vel ad vicem sui per legatos destinando adesse detrectant: ut sibi supra nos illi placeant qui patrum statuta despiciunt, quibus bis in anno, quod nobis temporum qualitate difficile est, sanctam est convenire; adiicientes quod similibus deinceps paginis pro salubritate ac remediis ecclesiasticis congregandi adiicere optamus, ut nullus conventus sine alterius conventus denuntiatione solvatur. Itaque sequenti anno, si domino ac deo nostro Iesu Christo permittente conceditur, die XV. Kal. Novembr. Iustiniano in Aurasico territorio conventum habebimus: qui ideo tanto prius per conventum ipsum denunciatur, ut tam excusationis libertas quam invitationis necessitas non sit. De die enim et loco per nos ipsos commonebimur singuli nobiscum, in exemplaribus ea quae per nos sunt constituta referentes: reliquos qui defuerunt, beatissimi fratris nostri Hilarii sollicitudini relinquimus datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos. Post omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanae, ut si quis episcopus per infirmitatem, debilitatem vel aliquam hebetudinem sensus inciderit aut officium oris amiserit, ea quae non nisi per episcopos geruntur, non sub praesentia sua presbyteros agere permittat, sed episcopum evocet cui quod in ecclesia agendum fuerit, imponat. Ego Hilarius episcopus subscripsi. Ego Claudius episcopus subscripsi. Ego Constantianus episcopus subscripsi. Ego Audentius episcopus subscripsi. Ego Agrestius episcopus subscripsi. Ego Iulius episcopus subscripsi. Ego Auspicius episcopus sub-

[1] *Cap. XVIII—XX. sec. Andeg., cum quo ceteri codd. Ps.-Isid. conveniunt; longiora mutato sensu capitula Hisp. exhibet.*

scripsi. Ego Theodorus episcopus subscripsi. Ego Maximus episcopus subscripsi. Ego Eucherius episcopus subscripsi, sanctorum sacerdotum comprovincialium meorum super his expectaturus assensum. Ego Nectarius episcopus subscripsi. Ego Iustus episcopus subscripsi. Ego Gevetius episcopus subscripsi. Ego Augustalis episcopus subscripsi. Ego Ingenius episcopus subscripsi. Ego superventor Salonius episcopus subscripsi; pro patre meo episcopo Claudio subscripsi et recognovi.

INCIPIT CONCILIUM VASENSE EDITUM ERA CCCCLXXX.[1]

I. Ut Gallicani episcopi in Gallias non discutiantur.
II. De poenitentibus subito mortuis ut oblationes eorum recipiantur.
III. Ut ab alterius episcopi chrisma nullus accipiat.
IV. Ut qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.
V. Ut qui sententiae episcopi sui non acquiescit, recurrat ad synodum.
VI. Ut excommunicatus humiliet semetipsum, ut festinius reconcilietur.
VII. Ut accusatores de levibus causis non audiantur, de criminalibus vero discutiantur.
VIII. Ut episcopus alienum clericum peccantem redarguat.
IX. Ut qui expositum invenerit, ecclesiam contestetur.
X. Ut qui praeter constitutum expositum reposcit, ut homicida habeatur.

I. Placuit ergo tractatu habito episcopos de Gallicanis provinciis venientes intra Gallias non discutiendos, sed solum sufficere si nullus communioni alicuius interdixerit; quia inter circumhabitantes ac sibi pene invicem notos non tam testimonio indigent probi, quam denotatione et denunciationibus depravati.

II. Pro his qui poenitentia accepta in bono vitae cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut itineribus praeveniuntur, oblationem recipiendam et eorum funera ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam; quia nefas est eorum commemorationem excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis indicant ac purgatiores restitui desiderant: absque sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.

III. Per singula territoria presbyteri vel ministri ab episcopis, non prout libitum fuerit a vicinioribus, sed a suis propriis per annos singulos petant chrisma appropinquante solemnitate paschali, nec per quemcumque ecclesiasticum: sed si qua necessitas aut ministrorum occupatio est per subdiaconum, quia inhonorum est inferioribus summa committi: optimum autem est ut ipse suscipiat qui in tradendo usurus est; si quid autem obstat saltem is cuius officii est sacrarium disponere et sacramenta suscipere.

IV. Qui oblationes defunctorum retinent et ecclesiis tradere demorantur, ut infideles ab ecclesia abiiciendi, quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc pietatis divinae exacerbationem, qua et fideles de corpore recedentes votorum plenitudine et pauperes collatu alimoniae et necessaria sustentatione fraudantur: hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes iudicium dei habendi sunt, unde et quidam patrum in hoc scriptis suis inseruit congruente sententia qua ait: Amico quippiam rapere furtum est, ecclesiae fraudare sacrilegium.

V. Si quis episcopi sui sententiae non acquiescit, recurrat ad synodum.

VI. Ex epistola sancti Clementis utilia quaeque praesenti tempore ecclesiis necessaria sunt honorifice proferenda, et cum reverentia ab omnibus fidelibus ac praecipue clericis recipienda, ex quibus quid specialiter placuit praeter venerandam antiquitatem statutis praesentibus roboramus, quod supradictus beatus martyr de beatissimi apostoli Petri constitutione commemorat dicens: Quaedam autem etiam ex vobis ipsis intelligere debetis, si qua sunt quae ipse praeter insidias hominum malorum non potest evidentius et manifestius proloqui, verbi gratia, inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse, sed prudenter observare debetis et voluntati eius videlicet qui ecclesiae curam gerit absque commonitione obsecundare et averti ab eo cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum sibi gratiam reparare, festinet citius reconciliari ei qui omnibus praeest, et per hoc redit ad salutem, quum obedire coeperit monitis praesidentis: et cetera quae in sequentibus denotant amicos eorum qui veritati inimici sunt. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, sed et fidelium populus ad culpam sibi ascribendum, si quis in hoc vitium malorum confutatur et disciplinae subversor agnocitur.

VII. Placuit praeterea accusandi licentiam etiam in nostri ordinis, si qua existit, levitate comprimere, ut episcopus si quem iudicat

[1] *Sec. Andeg., qui legit* Vasasense *pro* Vasense, *quod est in Ottobon. ceterisque codd.* Al. *Text. sec. ed. cit. Hisp.*

abstinendum, si pro humiliatione et correctione fratris assurgit exorari a ceteris, acquiescat fratri de quo agitur, correptione et comminatione adhibita: sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum, accusatori se discutiendum sciat; fas est enim ut quae uni probantur, probentur omnibus.

VIII. Quod si se tantum episcopus alieni sceleris conscium novit, quamdiu probare non potest nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem eius secretis correptionibus elaboret; qui si correptus pertinacior fuerit et se communioni publice ingesserit, etiamsi episcopus in redarguendo illo quem reum iudicat probatione deficiat indemnatus, licet de his qui nihil sciunt secedere ad tempus pro persona maioris auctoritatis iubeatur, illo quandiu probare nihil potest in communione omnium praeterquam eius qui eum reum iudicat permanente.

IX. De expositis quia conclamata ab omnibus querela processit eos non misericordiae iam, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu quamvis infelix a praeceptis misericordiae mens humana detrectat, id servandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum, piissimorum augustissimorumque principum quisquis expositum colligit ecclesiam contestetur, contestationem colligat, nihilominus de altario dominico die minister annuntiet, ut ecclesia sciat expositum esse collectum, ut intra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis se probaverit agnovisse: collectori pro ipsorum decem dierum misericordia prout maluerit aut praesens ab homine aut in perpetuum cum deo gratia persolvenda.

X. Sane si post hanc diligentissimam sanctionem expositorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit, ut homicida habendus est [1].

INCIPIT CONCILIUM AGATENSE XXV EPISCOPORUM HABITUM ERA DXXIV.[2]

I. De digamis clericis ut non ministrent.
II. De contumacibus clericis et ad officium tardis.
III. De episcopis qui vel innocentes vel pro minimis causis aliquos excommunicant.
IV. De his qui suas vel propinquorum oblationes ecclesiae fraudant.
V. Si clericus furtum ecclesiae fecerit.
VI. Si episcopo a quibuslibet quidquam fuerit derelictum.
VII. De rebus ecclesiae quomodo ab episcopis habeantur, et de servis ecclesiae qualiter ab episcopo manumittantur.
VIII. De clericis qui ad seculares confugiunt.
IX. De presbyteris et diaconibus qui ad coniugalem coitum revertuntur.
X. Ut nullus clericorum cum extraneis foeminis habitet.
XI. Ut nullus clericus in cellario vel secreto foeminam intromittat.
XII. Ut omnibus diebus quadragesimae sabbato ieiunetur.
XIII. Ut symbolum ante octo dies paschae competentibus praedicetur.
XIV. Ut altare et ungatur et benedicatur.
XV. Qualiter maiores, qualiter minores poenitentiam accipiant.
XVI. Qua aetate diacones ordinentur.
XVII. Qua aetate episcopi vel presbyteres consecrentur.
XVIII. De laicis quibus temporibus communicare debeant.
XIX. De sanctimonialibus qua aetate velentur.
XX. De clericis qui comam nutriunt.
XXI. Ut solemnitates maiores in civitatibus celebrentur.
XXII. Ut non liceat presbytero vel clerico rem ecclesiae vendere vel donare.
XXIII. Ut clericus iunior seniori non praeponatur.
XXIV. De expositis inventis.
XXV. De secularibus qui suas coniuges derelinquunt.
XXVI. Ut si voluntarie clericus damnum ecclesiae fecerit et satisfaciat et excommunicetur.
XXVII. Ut monasterium inconsulto episcopo nullus construat et de monachis.
XXVIII. Ut monasterium puellarum procul a monachis construatur.
XXIX. De libertis ut in necessitate ab ecclesia tueantur.
XXX. Ut post antiphonas orationes dicantur.
XXXI. De his qui per odium ad pacem non revertuntur.
XXXII. Ut clericus inconsulto episcopo ad iudicem secularem non pergat.
XXXIII. Si episcopus heredes non habens ecclesiam cui praefuit haeredem non fecerit.
XXXIV. De iudaeis qui converti cupiunt, qualiter suscipiantur.
XXXV. Si episcopus a metropolitano admonitus pro synodo vel ordinatione episcopali venire distulerit.
XXXVI. Ut stipendia clericorum iuxta meritum distribuantur.
XXXVII. De homicidis et falsis testibus.
XXXVIII. Ut sine epistola episcopi sui non liceat clericum vel monachum proficisci, et de monachis vel abbatibus.
XXXIX. Ut clerici nuptialia vitent convivia.
XL. Ut christiani iudaeorum vitent convivia [3].
XLI. Ut clericis vetetur ebrietas.
XLII. De sortilegis vel auguria observantibus, ut ab ecclesia separentur.

[1] *Concilium II. Vasense hic in Hisp. exhibitum in omnibus Ps.-Isidor. omittitur.* [2] *Sec. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [3] *Haec rubrica omittitur in Andeg. et Ottob.*

Anno vicesimo secundo Alarici regis sub die III. Id. Septembr. quum in nomine domini in civitate Agathensi convenissemus in sancti Andreae basilica, consedimus de disciplina et ordinationibus clericorum atque pontificum vel de ecclesiarum utilitatibus tractaturi: in primo id placuit, ut canones et statuta patrum per ordinem legerentur, quibus lectis

I. placuit ut de digamis aut internuptarum maritis, quamquam aliud patrum statuta decreverint, ut qui hucusque ordinati sunt, habita miseratione presbyterii vel diaconatus nomen tantum obtineant, officium vero consecrandi presbyteri et ministrandi huiusmodi diacones non praesumant.

II. Contumaces vero clerici, prout dignitatis ordo permiserit ab episcopis corrigantur, et si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint aut ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita ut, quum eos poenitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.

III. Episcopi vero si sacerdotali moderatione postposita innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicare praesumpserint et ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicinis episcopis cuiuslibet provinciae litteris moneantur et si parere noluerint, communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis non denegetur, ne fortasse in excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte praeveniantur.

IV. Clerici etiam vel seculares qui oblationes parentum aut donatas aut testamentis relictas retinere perstiterint aut id quod ipsi donaverint ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit, velut necatores pauperum quousque reddant ab ecclesiis excludantur.

V. Si quis clericus furtum ecclesiae fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

VI. Pontifices vero quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis dumtaxat aliquid aut cum ecclesia aut sequestratim aut dimittitur aut donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animae suae, non pro commodo sacerdotis probatur offerre, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum ecclesiae inter facultates ecclesiae computabunt, quia iustum est, ut sicut sacerdos habet quod ecclesiae dimissum est, ita et ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti: sane quidquid per fideiscommissum aut sacerdoti aut ecclesiae fortasse dimittitur cuicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas ecclesia computare aut retinere non poterit.

VII. Casellas vero vel mancipiola ecclesiae episcopi, sicut prisca canonum praecepit auctoritas vel vasa ministerii, quasi commendata fideli proposito integro ecclesiae iure possideant, id est ut neque vendere neque per quoscumque contractus res unde pauperes vivunt alienare praesumant; quod si necessitas certa compulerit, ut pro ecclesiae aut necessitate aut utilitate vel in usufructu vel indirecta venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres com-

[1] & [2] *Hae rubricae omittuntur in Andeg. et Ottob.*

provinciales vel vicinos episcopos causa quae necesse sit vendendi primitus comprobetur et habita discussione sacerdotali eorum subscriptione quae facta fuerit venditio roboretur, aliter facta venditio vel transactio non valebit. Sane si quos de servis ecclesiae bene meritos sibi episcopus libertati donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri cum eo quod eis manumissor in libertatem contulerit, quod tamen iubemus viginti solidorum numerum, modum in terrula, vineola vel hospitiolo tenere; quod amplius datum fuerit post manumissoris mortem ecclesia revocabit, minusculas vero res aut ecclesiae minus utiles paregrinis vel clericis salvo iure ecclesiae in usum perstare permittimus.

VIII. Id etiam placuit, ut clericus si relicto officio suo propter districtionem ad secularem fortasse confugerit et is ad quem recurrit solatium defensionis impenderit, cum eodem de ecclesiae communione pellatur.

IX. Placuit etiam, ut si diaconi aut presbyteri coniugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, papae Innocentii ordinatio vel Syricii episcopi auctoritas conservetur; quod si ad aliquos formula illa ecclesiastica vitae pariter et disciplinae quae a Syricio episcopo ad provincias commeavit non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere et ita gradus suos in quibus inventi fuerint sic retineant, ut ad potiora eis non liceat ascendere: quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent non amittant. Si qui autem scisse formam vivendi dimissam a sancto Syricio episcopo deteguntur neque statim cupiditatis libidines abiecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam praeponendam arbitrati sunt voluptatem.

X. Id etiam ad custodiendam vitam et famam speciali ordinatione praecipimus, ut nullus clericorum extraneae mulieri qualibet collatione aut familiaritate iungatur: et non solum in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantum, sorore, filia aut nepte, si habuerit aut voluerit vivendi liberam habeat potestatem: de quibus nominibus nefas est aliud quam natura constituit suspicari.

XI. Ancillas vel libertas a cellario vel a secreto ministerio et ab eadem mansione in qua clericus manet, placuit removeri.

XII. Placuit etiam, ut omnes ecclesiae, exceptis diebus dominicis in quadragesima, etiam die sabbati, sacerdotali ordinatione et districtionis comminatione ieiunent.

XIII. Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est ante octo dies dominicae resurrectionis publice in ecclesia competentibus tradi.

XIV. Altaria vero placuit non solum unctione chrismatis sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

XV. Poenitentes tempore quo poenitentiam petunt impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur, et si aut comas non deposuerint aut vestimenta non mutaverint, abiiciantur et nisi digne poenituerint non recipiantur; iuvenibus etiam poenitentia non facile committenda est propter aetatis fragilitatem, viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum.

XVI. Episcopus vero benedictionem diaconatus minoribus quam viginti et quinque annorum penitus non committat: sane si coniugati iuvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur.

XVII. Presbyterum vero vel episcopum ante triginta annos, id est antequam ad viri perfecti aetatem perveniant, nullus metropolitanorum ordinare praesumat, ne per aetatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur.

XVIII. Seculares vero qui in natali domini, pascha, pentecoste non communicaverint, catholici non credantur nec inter catholicos habeantur.

XIX. Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum aetatis suae quadragesimum non velentur.

XX. Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondantur; vestimenta vel calceamenta eis etiam, nisi quae religionem deceant, uti aut habere non liceat.

XXI. Si quis etiam extra parochias in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi missas teneant propter fatigationem familiae iusta ordinatione permittimus: pascha vero, natale domini, epiphaniam, ascensionem domini, pentecosten et natali sancti Ioannis Baptistae vel si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parochiis teneant. Clerici vero si qui in his festivitatibus quas supra diximus in oratoriis his, nisi iubente aut permittente episcopo, facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.

XXII. Et licet superfluum sit de re nota et antiquis canonibus prohibita iterato aliquid definire, tamen quo facilius cupiditas aut improbitas reprimatur, id statuimus quod omnes iubent, ut civitatenses sive dioecesani presbyteri vel clerici salvo iure ecclesiae, rem ecclesiae, sicut permiserint episcopi, teneant, vendere aut donare penitus non praesumant; quod si fecerint, et facta venditio non valebit et de facultatibus, si quas habent proprias, indemnem ecclesiam reddant et communione priventur.

XXIII. Episcoporum etiam quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullum praeponat, nisi fortasse elatus superbia, quod pro necessitate ecclesiae episcopus iusserit implere contemnit. Sane si officium archidiaconatus propter simpliciorem naturam implere aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat et ordinationi ecclesiae quem elegerit episcopus praeponatur.

XXIV. De expositis id observandum quod iamdudum synodus sancta constituit.

XXV. Hi vero seculares qui coniugale consortium culpa graviore dimittunt vel etiam dimiserunt, et nullas causas discidii probabiliter proponentes propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena praesumant, si antequam apud episcopos comprovinciales discidii causas dixerint et prius uxores quam iudicio damnentur abiecerint, a communione ecclesiae et a sancto populi coetu, pro eo quod fidem et coniugia maculant, excludantur.

XXVI. Si qui vero de clericis documenta quibus ecclesiae possessio firmatur aut subripere aut negare aut adversariis fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione praesumpserint, quidquid per absentiam documentorum damni ecclesiae illatum est de propriis facultatibus reddant et communione priventur; hi etiam qui in damnum ecclesiae instrumenta ecclesiae impie sollicitati a traditoribus susceperint.

XXVII. Monasterium novum, nisi episcopo aut permittente aut probante, nullus incipere aut fundare praesumat. Monachi vero vagantes ad officium clericatus, nisi eis testimonium abbas suus dederit nec in civitatibus nec in parochiis ordinentur. Monachum, nisi abbatis sui aut permissu aut voluntate ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas suscipere aut retinere praesumat, sed ubicumque fuerint abbati suo auctoritate canonum revocentur. Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate abbatis praesumat episcopus.

XXVIII. Monasteria puellarum longius a monasterio monachorum aut propter insidias diaboli aut propter obloquutiones hominum collocentur.

XXIX. Libertos legitime a dominis suis factos, ecclesia, si necessitas exigerit, tueatur; quod si quis ante audientiam aut pervadere aut expoliare praesumpserit, ab ecclesia repellatur.

XXX. Et quia convenit ordinem ecclesiae ab omnibus aequaliter custodiri, studendum est ut, sicut ubique fit, et post antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur et hymnos matutinos vel vespertinos diebus omnibus decantari, et in conclusionem matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dici, et plebem collecta oratione ad vesperam ab episcopo cum benedictione dimitti.

XXXI. Placuit etiam, ut sicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua inter se lite dissenserint et ad pacem revocare diutina intentione nequiverint, a civitatis primitus sacerdotibus arguantur: qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de ecclesiae coetu iustissima excommunicatione pellantur.

XXXII. Clericus nequaquam praesumat apud secularem iudicem episcopo non permittente pulsare, sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere. Si quis vero secularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit et evictus fuerit, ecclesiae liminibus et a catholicorum communione, nisi digne poenituerit, arceatur.

XXXIII. Episcopus qui filios aut nepotes non habens alium quam ecclesiam reliquit haeredem, si quid de ecclesia, non in ecclesiae causa aut necessitate praesumpsit, quod distraxit aut donavit, irritum habeatur: qui vero filios habet, de bonis quae reliquit ab haeredibus eius indemnitatibus ecclesiae consulatur.

XXXIV. Iudaei quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem catholicam venire voluerint, octo mensibus inter catechumenos ecclesiae limen introeant, et si pura fide venire noscuntur, tunc demum baptismatis gratiam consequantur; quod si casu aliquo quis periculum infirmitatis intra praescriptum tempus incurrerit et desperatus fuerit, baptizetur.

XXXV. Si metropolitanus episcopus ad comprovinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos ad ordinationem summi pontificis aut ad synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis aut praeceptione regia ad constitutam diem adesse non differant: qui si defuerint, sicut prisca canonum praecepit auctoritas, usque ad proximam synodum a caritate fratrum et ecclesiae communione priventur.

XXXVI. Clerici etiam omnes qui ecclesiae fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum vel ordinationem a sacerdotibus consequantur.

XXXVII. Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi poenitentiae satisfactione crimina admissa diluerint.

XXXVIII. Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi, in monachis quoque praesentis sententiae forma servetur: quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri. Servandum quoque de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores aut propter infirmitatis necessitatem asperior

ab abbatibus regula remittatur: quod ita demum fiet ut intra eadem monasterii septa manentes, tamen sub abbatis potestate, separatas habere cellulas permittantur: abbatibus quoque singulis diversas cellulas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

XXXIX. Presbyteri, diacones, subdiacones vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, neque his coetibus admisceantur ubi amatoria cantantur et turpia aut obscoeni motus corporum, choris et saltationibus efferuntur, ne auditus et obtutus sacris mysteriis deputatus turpium spectaculorum atque verborum contagione polluatur.

XL. Omnes deinceps clerici sive laici iudaeorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquis excipiat, quia quum apud christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a christianis sumi, quum ea quae apostolo permittente nos sumimus, ab illis iudicentur immunda, ac si inferiores incipiant esse christiani quam iudaei, si nos quae ab illis apponuntur utamur, illi vero a nobis oblata contemnant.

XLI. Ante omnia clericis vetetur ebrietas, quae omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum aut corporali subdendum supplicio.

XLII. Ac ne id fortasse videatur omissum quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti clerici vel laici student auguriis et sub nomine fictae religionis, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur aut quarumcumque scripturarum inspectione permittunt: hoc quicumque clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

XLIII. De poenitentibus id placuit observari quod sancti patres nostri in synodali sententia statuerunt, ut nullus de his clericus ordinetur et qui iam sunt per ignorantiam ordinati aut sicut bigami aut internuptarum mariti locum teneant. Ordinare diacones aut consecrare altare presbyter non praesumat.

XLIV. Benedictionem super plebem in ecclesia fundere aut poenitentem in ecclesia benedicere presbytero penitus non licebit.

XLV. Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiae minus utiles aut longe positas parvas episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.

XLVI. Fugitivos etiam domos suas aut familias deserentes, qui etiamsi revocati fuerint, teneri non possunt, simili ratione ab episcopis si voluerint aut si ita illi meruerint, distrahantur.

XLVII. Missas die dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat: qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur.

XLVIII. Quidquid episcopus de suo proprio habet, ad haeredes suos si voluerit derelinquat, quidquid vero de provisione ecclesiae sive de agris sive de frugibus sive de oblationibus, omnia in iure ecclesiae reservare censuimus.

XLIX. Diaconus vel presbyter in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissis, ut superius comprehensum est, emutilare praesumant: quod si facere voluerint convicti in concilio et ab honore depositi, de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare voluerit, si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud stare licebit; ita tamen libertos quos sacerdotes, presbyteres, diacones de ecclesia sibi commissa facere voluerint actus ecclesiae prosequi iubemus: quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. Si episcopus, presbyter vel diaconus crimen capitale commiserint aut chartam falsaverint aut testimonium falsum dixerint, ab officii honore depositi in monasterium retrudantur et ibi tantummodo quandiu vixerint laicam communionem accipiant.

LI. Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici iuris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantum de iuris proprii facultate suppleverit.

LII. Presbyter aut diaconus vel clericus sine antistitis sui epistolis ambulans communionem ei nullus impendat.

LIII. Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici iuris possessione distraxerit inane habeatur et vacuum, venditori comparantis actione vertente.

LIV. Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad ecclesiae nomen scripturam faciat aut ab eius quam tenuit ecclesiae ordinatione discedat.

LV. Episcopis, presbyteris, diaconibus ad venandum canes aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus, si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus abstineatur, uno diaconus ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. In venditionibus, quas abbates facere praesumpserint, haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbatibus non liceat manumitti: iniustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque episcopi notitia prohibemus institui.

LIX. Clerici quodlibet etiam quantacumque diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in ius proprium praescriptione temporis non vocetur, dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias quum ordinati sunt facere debuisse aut diu retentas facultates proprietati suae posse transcribere.

LX. Lapsis, id est qui in catholica fide baptizati sunt, praevaricatione damnabili post in haeresem transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas, quibus nos annorum multitudine breviata poenitentiam biennii conditione infrascriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertia die sine relaxatione ieiunent et ecclesiam studeant frequentare, in poenitentium loco standi et orandi humilitatem noverint observandam, ut etiam ipsi quum catechumeni egredi commonentur abscedant. Hoc si observare voluerint constituto tempore admittendis ad altarium observatio relaxetur; quod si ardua vel dura forte putaverint, statuta praeteritorum canonum implere debebunt.

LXI. De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniae reservamus, nisi quum adulterium separatione sanaverint; incestos vero nullo coniugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est: hos enim esse censemus, si quis relictam fratris quae pene prius soror extiterat carnali coniunctione polluerit, si quis fratris germanam uxorem accipiat, si quis novercam duxerit, si quis consobrinae se sociaverit, si quis relictae vel filiae avunculi misceatur aut patrui[1] filiae vel privignae suae aut qui ex propria consanguinitate aliquam aut quam consanguineus habuit concubitu polluat aut duxerit uxorem. Quos omnes et olim atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus et inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere et orare praecipimus, quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta, non dissolvamus. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.

LXII. Si quis servum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione vel poenitentia biennii reatum sanguinis emundabit.

LXIII. Si, ut supra cives superiorum solemnitatum noti paschae ac natalis domini festivitati sicut episcopus interesse neglexerint, in quibus civitatibus positos accipiendae communionis vel benedictionis desiderio noverint, triennio communione priventur ecclesiae.

LXIV. Si quis in clero constitutus ab ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, id est nativitate domini, sancta epiphania, pascha vel pentecoste, dum potius secularibus lucris student quam servitio suo parere, convenit ut triennio communione suspendatur: similiter diaconus vel presbyter si tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.

LXV. Quoniam non oportet diaconem sedere praesente presbytero, sed ex iussione presbyteri sedeat: similiter autem honorificetur diaconus a ministris inferioribus et omnibus clericis.

LXVI. Quoniam non oportet ministros licentiam habere in secretarium, quod Graeci diaconicon appellant, ingredi et vasa contingere dominica.

LXVII. Quoniam non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profitentur christianos futuros esse catholicos.

LXVIII. Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos magos aut incantatores esse aut facere quae dicunt phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum: hos autem qui talibus utuntur, proiici ab ecclesia iussimus.

LXIX. Seditionarios numquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios vel iniuriarum suarum ultores.

LXX. Clericum scurrilem et verbis turpibus iocularem ab officio retrahendum.

LXXI. Synodum etiam secundum constituta patrum etiam annis singulis placuit congregari: et quia in nomine domini omnibus salubriter constitutis synodus cum pace dimittitur, gratias deo agimus orantes eius clementiam, ut haec eadem facere in honorem domini multos per annos possimus.

Ego Caesarius in Christi nomine episcopus iuxta id quod universis sanctis coepiscopis meis qui mecum subscripserunt, placuit instituta patrum sequutus, his definitionibus annuens sub die V. Kal. Septembr. subscripsi; similiter et alii subscripserunt.[2]

INCIPIT CONCILIUM AURELIANENSE TRIGINTA III EPISCOPORUM.[3]

I. De homicidis et adulteris et furibus si ad ecclesiam confugerint.

II. De raptoribus si ad ecclesiam confugerint.

III. De servis si ad ecclesiam confugerint.

[1] *Inde a verbis:* patrui filiae *etc. textus desumt. ex cod. Andeg., qui cum ceteris Ps.-Isid. hac in re multum abhorret a textu coll. Hisp.* [2] *Verba:* similiter et alii subscripserunt *in Ps.-Isid. codd. omnibus pro ceteris subscriptionibus in Hisp. exhibitis inveniuntur.* [3] *Sec. cod. Andeg.; text. desumt. ex ed. cit. coll. Hisp.*

Quum auctore domino in Aurelianensi urbe fuisset concilium summorum antistitum congregatum, communi omnium collatione complacuit, ut hoc quod verbo statuerunt, etiam scripturae testimonio roborarent.

I. Id constituimus observandum quod ecclesiastici canones decreverunt et lex Romana constituit, ut ab ecclesiae atriis vel domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat, sed nec alteri consignari, nisi ad evangelia datis sacramentis de morte et debilitate et omni poenarum genere sint securi: ita ut ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conveniat. Quod si sacramenta sua convictus fuerit violasse, reus periurii non solum a communione ecclesiae vel omnium clericorum, verum etiam et a catholicorum convivio separetur. Quod si cui reus est, noluerit sibi intentione faciente componi, et ipse reus de ecclesia actus timore discesserit, ab ecclesiae clericis non quaeratur.

II. De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta convenerit et foeminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris et raptor mortis vel poenarum impunitate concessa ad serviendi conditionem subiectus sit aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quae rapitur patrem habere constiterit et puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, et raptor a patre superioris conditionis satisfactioni teneatur obnoxius.

III. Servus qui ad ecclesiam pro qualibet culpa confugerit, si a domino omissa culpa sacramentum susceperit, statim ad servitium domini sui redire cogatur; sed posteaquam dato sacramento domino suo fuerit consignatus, si aliquid poenae pro eadem culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu ecclesiae et praevaricatione fidei a communione et convivio catholicorum extraneus habeatur. Si vero servus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

IV. Si quis ab episcopo suo vel de ecclesia vel de proprio iure crediderit aliquid ad repetendum, nihil convicii aut criminationis obiiciens, eum pro sola conventione a communione ecclesiae non liceat submoveri.

V. Si servus absente aut nesciente domino, episcopo sciente quod servus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso clericatus officio permanente episcopus eum domino dupli satisfactione compenset. Si vero episcopus eum servum nescierit, qui testimonium perhibent aut eum supplicaverint ordinari simili redhibitioni teneantur obnoxii.

VI. Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserint, simul officio et communione pellantur.

VII. De his qui suscepta poenitentia religionem suae professionis obliti ad secularia relabuntur, placuit eos et a communione suspendi et ab omnium catholicorum convivio separari. Quod si post interdictum cum eo quisquis praesumpserit manducare, et ipse communione privetur.

VIII. Si presbyter vel diaconus pro reatu suo se ab altaris communione sub poenitentis professione submoverit, sic quoque si alii defuerint et causa certae necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

IX. Si se cuicumque mulier duplici coniugio presbyteri vel diaconi relicta coniunxerit aut castigati separentur, aut certe si in criminum intentione perstiterint pari excommunicatione plectantur.

X. Antiquos canones relegentes priora sta-

tuta credimus renovanda, ut de his quae in altario oblationes fidei conferuntur, medietatem sibi episcopus vindicet et medietatem sibi dispensandam secundum gradum clerus accipiat, praediis de omni commoditate in episcoporum potestate durantibus.

XI. De his quae parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicumque fideles obtulerint antiquorum canonum statuta serventur, ut omnia in episcopi potestate consistant: de his tamen quae in altario accesserint, tertia fideliter episcopo deferatur.

XII. Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum et vestimentum in quantum possibilitas habuerit, largiatur.

XIII. Omnes autem basilicae quae per diversa loca constructae sunt vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in eius episcopi in cuius territorio sitae sunt, potestate consistant.

XIV. Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neve quisque amissa uxore sorori audeat sociari: quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur.

XV. Abbates pro utilitate religionis in episcoporum potestate consistant, et si quid extra regulam fecerint ab episcopis corrigantur: qui semel in anno in loco ubi epicopus elegerit accepta vocatione conveniant. Monachi autem abbatibus omni obedientia et devotione subiaceant. Quod si quis per contumaciam extiterit indevotus ac per loca aliqua evagari aut peculiare aliquid habere praesumpserit, omnia quae adquisierit, ab abbatibus auferantur secundum regulam monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio episcopi tamquam fugaces sub custodia revocentur, et reum se ille abbas futurum esse cognoscat qui in huiusmodi personis non regulari animadversione distrinxerit vel qui monachum susceperit alienum.

XVI. Monacho orarium in monasterio vel zancas habere non liceat.

XVII. Monachus si in monasterio conversus vel pallium comprobatus fuerit accepisse, et postea uxori fuerit sociatus, tantae praevaricationis reus numquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.

XVIII. Nullus monachus congregatione monasterii derelicta ambitionis et vanitatis impulsu cellulam sibi construere sine episcopi permissione vel abbatis sui voluntate praesumat.

XIX. Si episcopus humanitatis intuitu mancipiola, vineolas vel terrulas clericis vel monachis vel quibuslibet praestiterit excolendas vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum ecclesia praeiudicium patiatur nec seculari lege praescriptio quae ecclesiae aliquid impediat opponatur.

XX. Id a sacerdotibus omnibus est decretum, ut ante paschae solemnitatem non quinquagesima sed quadragesima teneatur.

XXI. Ut nulli civium paschae, natalis domini vel quadragesimae solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

XXII. Quum ad celebrandas missas in dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam missae solemnitas compleatur, et ubi episcopus defuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

XXIII. Rogationes, id est litanias ante ascensionem domini placuit celebrari, ita ut praemissum triduanum ieiunium post dominicae ascensionis solemnitatem solvatur, per quod triduum servi et ancillae ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat, quo triduo omnes abstineant et quadragesimalibus cibis utantur.

XXIV. Clerici vero qui ad opus sanctum adesse contempserint, secundum arbitrium episcopi ecclesiasticam suscipiant disciplinam.

XXV. De familiaritate extranearum mulierum tam episcopi quam presbyteri vel diaconi praeteritorum canonum statuta custodiant.

XXVI. Si quis clericus, monachus vel secularis divinationem vel auguria observanda vel sortes quas mentiuntur esse sanctorum quibuscumque putaverint intimandas, cum his qui eis crediderint ab ecclesiae communione pellantur.

XXVII. Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiae cui proximus fuerit, die dominico deesse non liceat;[1] similiter et alii qui mecum scripserunt, numero triginta et tres[2].

Hucusque Gallie ecclesiasticarum gestarum regulae dispositae sunt.[3]

DEINDE SEQUITUR CONCILIUM ELIBERRITANUM DECEM ET NOVEM EPISCOPORUM CONSTANTINI TEMPORIBUS GESTUM EODEM TEMPORE QUO NICENA SYNODUS HABITA EST.[4]

I. De his qui post baptismum idolis immolaverunt.

II. De sacerdotibus gentilium qui post baptismum immolaverunt.

[1] *Subscriptiones in coll. Hisp. exhibitae in Ps.-Isid. omitt.* [2] *Quae verba pro subscriptionibus in codd. Andeg. et ceteris Ps.-Isid. leguntur.* [3] & [4] *Sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. Cetera concilia Galliae in Hisp. exhibita desunt in omnibus Ps.-Isid.*

III. De eisdem si idolis munus tantum dederunt.
IV. De eisdem si catechumeni adhuc immolant quando baptizentur.
V. Si domina per zelum ancillam occiderit.
VI. Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.
VII. De poenitentibus moechiae si rursus moechaverint.
VIII. De foeminis quae relictis viris suis aliis nubunt.
IX. De foeminis quae adulteros maritos relinquunt et aliis nubunt.
X. De relicta catechumeni si alterum duxerit.
XI. De catechumena si graviter aegrotaverit.
XII. De mulieribus quae lenocinium fecerint.
XIII. De virginibus deo sacratis si adulteraverint.
XIV. De virginibus secularibus si moechaverint.
XV. De coniugio eorum qui ex gentilitate veniunt.
XVI. De puellis fidelibus, ne infidelibus coniungantur.
XVII. De his qui filias suas sacerdotibus gentilium coniungunt.
XVIII. De sacerdotibus et ministris si moechaverint.
XIX. De clericis negotia vel nundinas sectantibus.
XX. De clericis et laicis usurariis.
XXI. De his qui tardius ad ecclesiam accedunt.
XXII. De catholicis in haeresem transeuntibus, si revertantur.
XXIII. De temporibus ieiuniorum.
XXIV. De his qui in peregre baptizantur, ut ad clerum non veniant.
XXV. De epistolis communicatoriis confessorum.
XXVI. Ut omni sabbato ieiunetur.
XXVII. De clericis ut extraneas foeminas in domo non habeant.
XXVIII. De oblationibus eorum qui non communicant.
XXIX. De energumenis qualiter habeantur in ecclesia.
XXX. De his qui post lavacrum moechati sunt, ne subdiacones fiant.
XXXI. De adolescentibus qui post lavacrum moechati sunt.
XXXII. De excommunitatis presbyteris, ut in necessitate communionem dent.
XXXIII. De episcopis et ministris, ut ab uxoribus abstineant.
XXXIV. Ne cerei coemeteriis incendantur.
XXXV. Ne foeminae in coemeteriis pervigilent.
XXXVI. Ne picturae in ecclesia fiant.
XXXVII. De energumenis baptizandis.
XXXVIII. Ut in necessitate et fideles baptizent.
XXXIX. De gentilibus si in discrimine baptizari expetunt.
XL. Ne id quod idolothytum est fideles accipiant.
XLI. Ut prohibeant domini idola colere servis suis.
XLII. De his qui ad fidem veniunt, quando baptizentur.
XLIII. De celebratione pentecostes.
XLIV. De meretricibus paganis si convertantur.
XLV. De catechumenis qui ecclesiam non frequentant.
XLVI. De fidelibus si apostataverint quamdiu poeniteant.
XLVII. De eo qui uxorem habens saepius moechatur.
XLVIII. De baptizatis ut nihil accipiat clerus.
XLIX. De frugibus fidelium ne a iudaeis benedicantur.
L. De christianis qui cum iudaeis vescuntur.
LI. De haereticis ut ad clerum non promoveantur.
LII. De his qui in ecclesia libellos famosos ponunt.
LIII. De episcopis qui excommunicato alieno communicant.
LIV. De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt.
LV. De sacerdotibus gentilium qui iam non sacrificant.
LVI. De magistratibus et duumviris.
LVII. De his qui vestimenta ad ornandam pompam dederunt.
LVIII. De his qui communicatorias litteras portant, ut de fide interrogentur.
LIX. De fidelibus ne ad capitolium causa sacrificandi ascendant.
LX. De his qui destruentes idola occiduntur.
LXI. De his qui duabus sororibus copulantur.
LXII. De aurigis et pantomimis si convertantur.
LXIII. De uxoribus quae filios ex adulterio necant.
LXIV. De foeminis quae usque ad mortem cum alienis viris adulterant.
LXV. De adulteris uxoribus clericorum.
LXVI. De his qui privignas suas ducunt.
LXVII. De coniugio catechumenae foeminae.
LXVIII. De catechumena adultera quae filium necat.
LXIX. De viris coniugatis postea in adulterium lapsis.
LXX. De foeminis quae consciis maritis adulterant.
LXXI. De stupratoribus puerorum.
LXXII. De viduis moechis si eumdem postea maritum duxerint.
LXXIII. De delatoribus.
LXXIV. De falsis testibus.
LXXV. De his qui sacerdotes vel ministros accusant nec probant.
LXXVI. De diaconibus si ante honorem peccasse probantur.
LXXVII. De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.
LXXVIII. De fidelibus coniugatis si cum iudaea vel gentili moechatae sint.
LXXIX. De his qui tabulam ludunt.
LXXX. De libertis.
LXXXI. De foeminarum epistolis.

Quum consedissent sancti et religiosi episcopi in ecclesia Eliberitana, hoc est Felix episcopus Accitanus, Osius episcopus Cordubensis, Sabinus episcopus Hispalensis, Camerimnus episcopus Tuccitanus, Sinagius episcopus Epagrensis, Secundinus episcopus Castulonensis, Pardus episcopus Mentesanus, Flavianus episcopus Eliberitanus, Cantonius episcopus Urcitanus, Liberius episcopus Emeritensis, Valerius episcopus Caesaraugustanus, Decentius episcopus Legionensis, Melantius episcopus Toletanus, Ianuarius episcopus de Fibularia, Vincentius episcopus Ossonobensis, Quintianus episcopus Elborensis, Succesus episcopus de Eliocroca, Eutychianus episcopus Bastitanus, Patricius episcopus Malacitanus, residentibus etiam triginta sex presbyteris adstantibus diaconibus[1] et omni plebe episcopi universi dixerunt:

I. Placuit inter eos qui post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idolaturus accesserit et fecerit quod est crimen capitale, quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere.

II. Flamines qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverunt, eo quod geminaverint scelera accedente homicidio vel triplicaverint facinus cohaerente moechia, placuit eos nec in finem accipere communionem.

III. Item flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederunt, eo quod se a funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in finem eis praestare communionem, acta tamen legitima poenitentia: item ipsi si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne illusisse de dominica communione videantur.

IV. Item flamines si fuerint catechumeni et se a sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.

V. Si qua foemina furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit: si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, acta legitima poenitentia ad communionem placuit admitti; quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

VI. Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idolatria perficere scelus non potuit, nec in finem impertiendam esse illi communionem.

VII. Si quis forte fidelis post lapsum moechiae post tempora constituta acta poenitentia denuo fuerit fornicatus, placuit nec in finem habere eum communionem.

VIII. Item foeminae quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in finem accipiant communionem.

IX. Item foemina fidelis quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquit de seculo exierit, nisi forsitan necessitas infirmitatis dare compulerit.

X. Si ea quam catechumenus relinquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti: hoc et circa foeminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis, quae ducitur ab eo qui uxorem inculpatam relinquit, et quum scierit illum habere uxorem quam sine causa reliquit, placuit in finem huiusmodi dari communionem.

XI. Intra quinquennii autem tempora catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit non denegari.

XII. Mater vel parens vel quaelibet fidelis si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in finem accipere communionem.

XIII. Virgines quae se deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini servierint non intelligentes quid admiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae omni tempore vitae suae huiusmodi foeminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.

XIV. Virgines quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverunt duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine poenitentia reconciliari debebunt, vel si alios cognoverint viros, eo quod moechatae sunt, placuit per quinquennii tempora acta legitima poenitentia admitti eas ad communionem oportere.

XV. Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines christianae, ne aetas in flore tumens in adulterium animae resolvatur.

XVI. Haeretici si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas, sed neque iudaeis neque haereticis dare placuit, eo quod nulla possit esse societas fideli cum infidele: si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

XVII. Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem.

XVIII. Episcopi, presbyteres et diacones, si in ministerio positi detecti fuerint, quod sint moechati, placuit propter scandalum et propter profanum crimen nec in finem eos communionem accipere debere.

XIX. Episcopi, presbyteres et diacones de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias quaestuosas

[1] *In Hisp. nomina presbyterorum, quae in Pseudo-Isid. desunt, inveniuntur.*

nundinas sectentur: sane ad victum sibi conquirendum aut filium aut libertum aut mercenarium aut amicum aut quemlibet mittant, et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

XX. Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari et abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras et promiserit correptus iam se cessaturum nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui: si vero in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia sciat se esse proiiciendum.

XXI. Si quis in civitate positus tres dominicas ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineatur, ut correptus esse videatur.

XXII. Si quis de catholica ecclesia ad haeresim transitum fecerit rursusque recurrerit, placuit huic poenitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum: qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post decem annos praestari communio debet. Si vero infantes fuerint transducti quod non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

XXIII. Ieiunii superpositiones per singulos menses placuit celebrari exceptis diebus duorum mensium Iulii et Augusti propter quorumdem infirmitatem.

XXIV. Omnis qui in peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

XXV. Omnis qui attulerit litteras confessorias sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriae ei dandae sunt litterae.

XXVI. Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones celebremus.

XXVII. Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem dicatam deo tantum secum habeat, extraneam vero nequaquam habere placuit.

XXVIII. Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munus accipere non debere.

XXIX. Energumenus qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum ut sua manu in ecclesia ministret.

XXX. Subdiacones eos ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerint moechati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum promoveantur, vel si qui sunt in praeteritum ordinati, amoveantur.

XXXI. Adolescentes qui post fidem lavacri salutaris fuerint moechati, quum duxerint uxores acta legitima poenitentia, placuit ad communionem eos admitti.

XXXII. Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Nec est presbyterorum aut diaconorum communionem talibus praestare debere, nisi eis iusserit episcopus[1].

XXXIII. Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis et non generare filios. Quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

XXXIV. Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.

XXXV. Placuit prohiberi ne foeminae in coemeterio pervigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis latenter scelera committunt.

XXXVI. Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur.

XXXVII. Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. Si fideles fuerint, dandam esse communionem. Prohibendum etiam ne lucernas hi publice accendant: si facere contra interdictum voluerint, abstineantur a communione.

XXXVIII. Loco peregre navigantes aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.

XXXIX. Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi et fieri christianos.

XL. Prohiberi placuit, ut quum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit accepto non ferant. Si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos.

XLI. Admoneri placuit fideles, ut quantum possunt prohibeant, ne idola in domibus suis habeant: si vero vim metuunt servorum vel seipsos puros conservent. Si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

XLII. Eos qui ad primam fidem credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium temporum placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio velocius subvenire periclitanti vel gratiam postulanti.

XLIII. Pravam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem pentecostes celebremus, ne, si quis non fecerit, quasi novam haeresem induxisse notetur.

XLIV. Meretrix quae aliquando fuerit et

[1] *Text. cap. XXXII. sec. cod. Andeg., cum qua concordant ceteri codd. A1, A/B, B, C; Hisp. capitulum aliter conceptum exhibet.*

postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

XLV. Qui aliquando fuerit catechumenus et per infinita tempora numquam ad ecclesiam accesserit: si eum de clero quisque cognoverit esse christianum aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, quod veterem hominem dereliquisse videatur.

XLVI. Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idolator, post decem annos placuit communionem accipere.

XLVII. Si quis fidelis habens uxorum non semel sed saepe fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus: quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio; si resuscitatus rursus fuerit moechatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

XLVIII. Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concha non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur, neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel clericis.

XLIX. Admoneri placuit possessores ut non patiantur fructus suos quos a deo percipiunt cum gratiarum actione a iudaeis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem; si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abiiciatur.

L. Si vero quis clericus vel fidelis cum iudaeis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstineri, ut debeat emendari.

LI. Ex omni haerese fidelis si venerit, minime est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in praeteritum ordinati, sine dubio deponantur.

LII. Hi qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.

LIII. Placuit cunctis, ut ab eo episcopo quis recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo quis fuerit. Quod si alius episcopus praesumpserit eum admitti illo adhuc minime faciente vel consentiente a quo fuerit communione privatus, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo praestaturum.

LIV. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur; si tamen idem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, erunt excusati parentes: si in eisdem fuerit vitium et polluerint se, superior sententia servetur.

LV. Sacerdotes qui tantum coronas portant nec sacrificant nec de suis sumptibus aliquid ad idola praestant, placuit post biennium accipere cummunionem.

LVI. Magistratus vero uno anno quo agit duumviratum, prohibere placet ut se ab ecclesia cohibeat.

LVII. Matronae vel earum mariti vestimenta sua ad ornandum seculariter pompam non dent, et si fecerint triennii abstineantur.

LVIII. Placuit ubique et maxime in eo loco in quo prima cathedra constituta est episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant suo testimonio comprobata.

LIX. Prohibendum ne quis christianus, ut gentilis, ad idolum capitolii causa sacrificandi ascendat et videat: quod si fecerit pari crimine teneatur; si fuerit fidelis, post decem annos acta poenitentia recipiatur.

LX. Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quatenus in evangelio scriptum non est neque invenietur sub apostolis umquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

LXI. Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

LXII. Si auriga aut pantomimus credere voluerint, placuit ut prius artibus suis renuntient et tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius non revertantur: qui si facere contra interdictum tentaverint, proiiciantur ab ecclesia.

LXIII. Si qua per adulterium absente marito suo conceperit idque post facinus occiderit, placuit ei nec in finem dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.

LXIV. Si qua usque in finem mortis suae cum alieno viro fuerit moechata, placuit nec in finem dandam ei esse communionem: si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat ad communionem acta legitima poenitentia.

LXV. Si cuius clerici uxor fuerit moechata et scierit eam maritus suus moechari et non eam statim proiecerit, nec in finem accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonae conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.

LXVI. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem.

LXVII. Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comatos aut viros cinerarios habeat: quaecumque hoc fecerint a communione arceantur.

LXVIII. Catechumena si per adulterium conceperit, et praefocaverit, placuit eam in fine baptizari.

LXIX. Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennium agere debere poenitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dari communionem; hoc et circa foeminas observandum.

LXX. Si cum conscientia mariti uxor fuerit moechata, placuit nec in finem dandam ei esse communionem: si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam quum sciret adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit.

LXXI. Stupratoribus puerorum nec in finem dandam esse communionem.

LXXII. Si qua vidua fuerit moechata et eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima poenitentia placuit eam communioni reconciliari. Si alium duxerit relicto illo, nec in finem dandam esse communionem; vel si fuerit ille fidelis quem accepit, communionem non accipiet, nisi post decem annos acta legitima poenitentia, vel si infirmitas coegerit, velocius dari communionem.

LXXIII. Delator si quis extiterit fidelis et per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem; si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem: si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittetur ad baptismum.

LXXIV. Falsus testis, prout est crimen, abstinebitur: si tamen non fuerit mortale quod obiecit et probaverit quod tacuerit, biennii tempore abstinebitur: si autem non probaverit, convento clero placuit per quinquennium abstineri.

LXXV. Si quis autem episcopum vel presbyterum vel diaconum falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec in finem dandam ei esse communionem.

LXXVI. Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima poenitentia post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta poenitentia accipere communionem laicam debere.

LXXVII. Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quod si ante de seculo recesserint, sub fide qua quis crediderit poterit esse iustus.

LXXVIII. Si quis fidelis habens uxorem cum iudaea vel gentili fuerit moechatus, a communione arceatur. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta legitima poenitentia poterit dominicae sociari communioni.

LXXIX. Si quis fidelis aleam id est tabulam luserit nummis, placuit eum abstineri; si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.

LXXX. Prohibendum ut liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad clerum non promoveantur.

LXXXI. Ne foeminae suo potius absque maritorum nominibus laicis scribere audeant quae fideles sunt, vel litteras alicuius pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

CONCILII TARRACONENSIS DECEM EPISCOPORUM HABITI ERA CLIV. INCIPIUNT TITULI.[1]

I. Ut etiam ad proximas sanguinis clerici cum testimonio vadant.

II. Ut clerici emendi vilius vel vendendi carius non permittantur.

III. Ut clerici si solidum praestiterint sine usura recipiant.

IV. Ut nullus episcopus vel infra positus die dominica causas iudicare praesumat.

V. Ut qui in metropolitana civitate non ordinatur episcopus post duos menses se metropolitano praesentet.

VI. Ut episcopus qui a metropolitano commonitus ad synodum non venerit, excommunicetur.

VII. Ut dioecesani clerici septimanas teneant et die sabbati omnes in unum conveniant.

VIII. Ut annis singulis episcopi dioecesem visitent et ut non plus quam tertiam partem de parochiis accipiant.

IX. De clericis et ostiariis qui adulteris mulieribus admiscentur, ut a clero proiiciantur.

X. Ut nullus episcopus pro iudiciis munera accipiat.

XI. Ut monachus missus alicubi ministerium clericatus agere non praesumat nec negotiator nec exequutor existat.

XII. Ut si episcopus intestatus obierit, inventarium de rebus eius clerici faciant et nullus exinde aliquid auferat.

XIII. Ut episcopus dioecesanos presbyteros et quosdam ex laicis convenire ad synodum litteris moneat.

IN NOMINE CHRISTI HABITA SYNODUS TARRACONE ANNO VI. THEODORICI REGIS CONSULATU PETRI SUB DIE OCTAVO IDUS NOVEMBRIS.

Antiqua patrum statuta de his censuisse videntur, quae in tempore aut ad illos relata pervenerunt aut certe acta testimonio proprio comprobaverunt: cuius rei et nos sequentes exemplum illa quae nunc fiunt placuit observanda decernere, ut praeterita absque ambage custodiantur et praesentia observatione sint firma. Igitur quum in unum pariter convenissemus in urbem Tarraconensem quae est metropolitana observatione fundata, titulos subter annexos conscripsimus observandos.

I. De his quibus cura pro parentelae proximitate habere permittitur, ut ea cautela earum necessitates sustentent, ut pietatis beneficia quae eis sunt necessaria a longius praebeant: ipsi vero pro visendis eis quum ingressi fuerint celeri salutatione recur-

[1] *Sec. cod. Andeg. Pro* era CLIV. *legendum est:* era DLIV. *Text. desûmt. ex ed. cit. Hisp.*

rant, nec ibi faciant mansionem: qui tamen quum ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide et aetate probatum adhibeant secum. Si quis haec a nobis statuta contempserit: si clericus est, loci sui dignitate privetur; si vero religiosus vel monachus, in cella monasterii reclusus poenitentiae lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis et aquae victum ex abbatis ordinatione percipiat.

II. Sicut canonum statutis firmatum est, quicumque in clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non utatur: certe si haec voluerit exercere, cohibeatur a clero.

III. Si quis vero clericus solidum in necessitate praestiterit, hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causa tempore statuto decretum est venundari. Ceterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit sine ullo augmento recipiat.

IV. Ut nullus episcoporum aut presbyterorum vel clericorum die dominico propositum cuiuscumque causae negotium audeat iudicare, nisi hoc tantum ut deo statuta solemnia peragant: ceteris vero diebus conniventibus personis illa quae iusta sunt habeant licentiam iudicandi excepto criminalia negotia.

V. Si quis in metropolitana civitate non fuerit episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione per metropolitani litteras honorem fuerit episcopatus adeptus, id optimum esse decrevimus, ut postmodum statuto tempore, id est impletis duobus mensibus se metropolitani sui repraesentet aspectibus, ut ab illo monitis ecclesiasticis instructus, plenius quod observare debeat recognoscat. Quod si forte hoc implere neglexerit, in synodo increpatus a fratribus corrigatur; quod si infirmitate aliqua ne hoc impleat fuerit praepeditus, hoc suis litteris metropolitano indicare procuret.

VI. Si quis episcoporum commonitus a metropolitano ad synodum nulla gravi intercedente necessitate corporali venire contempserit, sicut statuta patrum sanxerunt, usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communione privetur.

VII. De dioecesanis ecclesiis vel clero id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi, qui ibi constituti sunt cum clericis septimanas observent, id est, ut presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei diaconus similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die sabbati ad vesperas sit paratus, quo facilius die dominico solemnitas cum omnium praesentia celebretur: ita tamen, ut omnibus diebus vespera et matutina celebrentur, quia desistente clero, quod est pessimum, comperimus in basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sane negligentiae vitio haec implere noluerint, noverint se secundum statuta canonum pro modo personarum canonicae disciplinae subdendos.

VIII. Multorum casuum experientia magistrante reperimus nonnullas dioecesanas esse ecclesias destitutas: ob quam rem id constitutione decrevimus, ut antiquae consuetudinis ordo servetur et annuis vicibus ab episcopo dioeceses visitentur, ut si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius repararetur, quia tertia ex omnibus per antiquam traditionem ut accipiatur ab episcopis novimus statutum.

IX. Si quis lectorum adulterae mulieri voluerit misceri vel adhaerere consortio, aut relinquat adulteram aut a clero habeatur extraneus: simili sententia ostiariorum manebit scola[1].

X. Observandum quoque decrevimus, ne quis sacerdotum vel clericorum more secularium iudicum audeat accipere pro impensis patrociniis munera, nisi forte in ecclesia oblata gratuita, quae non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata: quia si ista probantur accipere, veluti exactores foenoris aut usurarum possessores secundum statuta patrum se noverint degradandos.

XI. Monachi a monasterio foras egredientes ne aliquod ministerium ecclesiasticum praesumant agere prohibemus, nisi forte cum abbatis imperio: similiter ut nullus eorum, id est monachorum, forensis negotii susceptor vel exequutor existat, nisi id quod monasterii exposcit utilitas, abbate sibi nihilominus imperante, canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.

XII. Sicubi defunctus fuerit episcopus intestatus, post depositionem eius a presbyteris et diaconibus de rebus ipsius breve fideliter conscribatur a minimo usque ad maximum, id est de utensilibus vel omni supellectile, ita tamen, ut si quis exinde vel praesumpsisse vel occulte fuerit tulisse convictus, secundum furti tenorem restituat universa.

XIII. Epistolae tales per fratres a metropolitano sunt dirigendae, ut non solum a cathedralibus ecclesiis presbyteros, verum etiam de dioecesanis ad concilium trahant et aliquos de filiis ecclesiae secularibus secum adducere debeant. Ioannes in Christi nomine episcopus Tarraconensis civitatis constitutionibus a nobis conscriptis subscripsi. Paulus in Christi nomine episcopus Emporitanae civitates subscripsi. Frontinianus subscripsi. Agricius subscripsi. Orontius subscripsi. Vincentius subscripsi. Ursus subscripsi. Cynidius subscripsi. Nibridius subscripsi[2].

[1] *Sic in Andeg.; cod. Vat.* 630: simili sententia ostiariorum manebit sententia. *Ed. Merl. et Cod. Par. corps législatif:* simili sententia ostiariorum punietur lascivia. *Hisp.:* similis sententia ostiariorum manebit scholam. [2] *Pleniores subscriptiones quam in textu sec. codd. Ps.-Isid. exhibitae leguntur in coll. Hisp.*

IN NOMINE CHRISTI INCIPIT SINODUS HABITA GERUNDA

ANNO VII. THEODORICI REGIS, VI. IDUS IUNII, AGAPETO V. C. CONSULE.[1]

I. Ut unaquaeque provincia in officio ecclesiae unum ordinem teneat.

De institutione missarum ut quomodo in metropolitana ecclesia fiunt, ita in dei nomine in omni Tarraconensi provincia tam ipsius missae ordo quam psallendi vel ministrandi consuetudo servetur.

II. Ut litaniae post pentecosten a quinta feria usque in sabbatum celebrentur.

De litaniis ut expleta solemnitate pentecostes sequens septimana a quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur.

III. De secundis litaniis faciendis calendis Novembribus.

Item secundae litaniae faciendae Kal. Novembr., ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus dominica intercesserit, in alia hebdomada secundum prioris abstinentiae observantiam a quinta feria incipiantur et in sabbato vespere missa facta finiantur: quibus tamen diebus a carnibus et a vino decrevimus abstinendum.

IV. Ut pascha tantum et natali domini baptismus detur, exceptis his qui in languore consistunt.

De catechumenis baptizandis id statutum est ut quia in paschae solemnitate vel pentecostes ad baptizandum veniunt, ceteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumque tempore convenit baptismum non negari.[2]

V. Ut unius diei infans si in discrimine est baptizetur.

De parvulis vero qui nuper materno utero editi sunt, placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt, si oblata fuerint, baptizentur.

[3]VI. Ut coniugati ab episcopo usque ad subdiaconum non sine testimonio vivant.

De conversatione vitae a pontifice usque ad subdiaconem post suscepti honoris officium si qui ex coniugatis fuerint ordinati, ut sine testimonio alterius fratris non utantur auxilio: cum sorore iam ex coniuge facta non habitent; quod si habitare voluerint, alterius fratris utantur auxilio cuius testimonio vita eorum debeat clarior apparere.

VII. Ut qui sive uxoribus ordinentur extraneas in domo non habeant.

De his qui vero sine coniugibus ordinantur et familias domus habent, habito secum pro vitae conversatione fratre in testimonium, non per quamcumque foeminei sexus personam eius substantia gubernetur, nisi aut per puerum aut per amicum suam domum debet ordinare: si vero matrem in domo habuerit aut sororem, secundum priorum canonum statuta per earum personas eius debet contutari substantia.

VIII. De laicis qui viduam aut dimissam acceperint, ut in clerum non admittantur.

Si quis vero de laicis post uxorem aliam cuiuscumque conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

IX. De his qui publice poenitentiam non accipiunt, sed tantum viaticum, ut in clero promoveantur.

Is vero qui aegritudinis languore depressus ponitentiae benedictionem, quod viaticum deputamus per communionem acceperit et postmodum revalescens caput poenitentiae in ecclesia publice non subdiderit, si prohibitis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

X.[4] Ut omnibus diebus vespertinis et matutinis oratio dominica dicatur.

Ita nobis placuit ut omnibus diebus, ut post matutinos et vesperas oratio dominica a sacerdote proferatur. Ioannes in Christi nomine episcopus subscripsi. Frontinianus i. Chr. n. episcopus subscripsi. Paulus i. Chr. n. episcopus subscripsi. Agripius i. Chr. n. episcopus subscripsi. Cynidius i. Chr. n. episcopus subscripsi. Nibridius i. Chr. n. episcopus subscripsi. Orontius i. Chr. n. episcopus subscripsi.

CONCILII CAESARAUGUSTANI XXX EPISCOPORUM INCIPIUNT TITULI.[5]

I. Ut foeminae fideles a virorum alienorum coetibus separentur.
II. Ut diebus dominicis nullus ieiunet nec diebus quadragesimae ab ecclesia absentet.
III. Ut qui eucharistiam in ecclesia accipit et ibi eam non sumit, anathematizetur.
IV. Ut tribus hebdomadis quae sunt ante epiphaniam ab ecclesia nemo recedat.
V. Ut qui a suis episcopis privantur, ab aliis non recipiantur.
VI. Ut clericus qui propter licentiam monachus vult esse, excommunicetur.
VII. Ut doctoris sibi nomen non imponat, cui concessum non est.
VIII. Ut ante quadraginta annos sanctimoniales virgines non velentur.

[1] *Sec. cod. Andeg., in quo rubricae non praemittuntur, sed capitulis singulis anteponuntur; text. sec. ed. cit. coll.* [2] *Sec. Andeg., cum quo ceteri codd.* A1, *A/B, B, C concordant.* [3] *Cap. VI. deest in plurimis codd. Pseudo-Isid., velut in Ottobon., Vat.* 630, *codd. B, C; in Andegav. exhibetur.* [4] *Cap. X. Pseudo-Isidor. in Hisp. est XI.; cap. X. Hisp. omittitur in omnibus Ps.-Isid.* [5] *Sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. coll. Hisp.*

Quarto Nonas Octobris Caesaraugusta in secretario residentibus episcopis Fitadio, Delfino, Eutychio, Ampelio, Auxentio, Lucio, Itacio, Splendonio, Valerio, Symposio, Cartherio et Idacio ab universis dictum est: Recitentur sententiae. Lucius episcopus legit:

I. Ut mulieres omnes ecclesiae catholicae et fideles a virorum alienorum lectione et coetibus separentur, vel ad ipsas legentes aliae studio vel docendi vel discendi conveniant, quoniam hoc apostolus iubet. Ab universis episcopis dictum est: Anathema futuros qui hanc concilii sententiam non observaverint.

II. Item legit: Ne quis ieiunet die dominica causa temporis aut persuasionis aut superstitionis, et quadragesimarum die ab ecclesiis desint, nec habitent latibula cubiculorum ac montium qui in his suspicionibus perseverant, sed exemplum et praeceptum custodiant sacerdotum, et ad alienas villas agendorum conventuum causa non conveniant. Ab universis episcopis dictum est: Anathema sit qui hoc commiserit.

III. Item legit: Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam in ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum. Ab universis episcopis dictum est: Placet.

IV. Item legit: Viginti et uno die quo a XVI. Kal. Ianuar. usque in diem epiphaniae qui est VIII. Idus Ianuar. continuis diebus nulli liceat de ecclesia absentare nec latere in domibus nec secedere in villam nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam: quod qui non observaverit de susceptis, anathema sit in perpetuum. Ab universis episcopis dictum est: Anathema sit.

V. Item lectum est: Ut hi qui per disciplinam aut sententiam episcopi ab ecclesia fuerint separati ab aliis episcopis non sint recipiendi; quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem. Ab universis episcopis dictum est: Qui hoc commiserit episcoporum, non habeat communionem.

VI. Item legit: Si quis clericus propter luxum vanitatemque praesumptam de officio sponte suo discesserit ac velut observatiorem legis in monacho videri voluerit esse quam clericum, ita de ecclesia repellendum, ut nisi rogando atque observando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis episcopis dictum est: Ita fiat.

VII. Item lectum est: Ne quis doctoris nomen sibi imponat praeter has personas quibus concessum est, secundum quod scriptum est. Ab universis episcopis dictum est: Placet.

VIII. Item lectum est: Non velandas esse virgines quae se deo voverint, nisi quadraginta annorum probata aetate, quam sacerdos comprobaverit. Ab universis episcopis dictum est: Placet.[1]

INCIPIT CONCILIUM HELERDENSE VIII EPISCOPORUM GESTUM ERA XXX.[2]

I. De his clericis qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est ut qui altario ministrant et Christi sanguinem tradunt vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine etiam hostili abstineant; quod si in hoc inciderint, duobus annis, tam officio quam communione priventur, ita ut his duobus annis vigiliis, ieiuniis, orationibus et eleemosynis pro viribus quas dominus donaverit expientur, et ita demum officio vel communioni reddantur, ea tamen ratione ne ulterius ad officia potiora promoveantur. Quod si infra praefinitum tempus negligentiores circa salutem suam extiterint, protelandi ipsius poenitentiae tempus in potestate maneat sacerdotis.

II. Hi vero qui male conceptos ex adulterio

[1] *Concilia II. et III. Caesaraugustana quibusdam in codd. Hisp. exhibita desunt in omnibus Ps.-Isid.* [2] *Sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

factos vel editos necare studuerint vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitae suae fletibus et humilitati insistant. Si vero clerici fuerint[1], officium eis ministrandi recuperare non liceat, attamen in choro psallentium a tempore receptae communionis intersint ipsis beneficiis[2]. In exitu tantum, si facinora sua omni tempore vitae suae defleverint, communio tribuatur.

III. De monachis id observari placuit, quod synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse, hoc tantummodo adiiciendum, ut pro ecclesiae utilitate quos episcopus probaverit in clericatus officium cum abbatis voluntate debeant ordinari. Ea vero quae in iure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo dioecesana lege ab episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam a se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam sub monasterii specie ubi congregatio non colligitur vel regula ab episcopo non constituitur, eam a dioecesana lege audeat segregare.

IV. De his qui se incesti pollutione commaculant, placuit ut quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere ulli christianorum, sicut apostolus ait vel iussit, oportet.

V. Hi qui altario dei deserviunt, si subito flenda carnis fragilitate corruerint et domino respiciente digne poenituerint, ita ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab ecclesiae corpore segregare, ita tamen, ut sic officiorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri; quod si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu percipiant.

VI. Qui poenitenti viduae vel virgini religiosae vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrare noluerit, pariter a communione et a christianorum consortio segregetur: si vero illa quae vim pertulit ad sanctam religionem redierit, in illo solo quoadusque publice poeniteat data sententia perseverat.

VII. Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio uno anno a communione corporis et sanguinis domini segregatus reatum suum eleemosynis, fletibus et quantis potuerit ieiuniis, absolvat: ad caritatem vero, quae operit multitudinem peccatorum, celeriter festinet venire.

VIII. Nullus clericorum servum aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem extrahere audeat vel flagellare praesumat; quod si fecerit, donec digne poeniteat, a loco cui honorem non dedit segregetur.

IX. De his qui in praevaricatione rebaptizati sine aliqua necessitate vel tormento delapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicaenae synodi statuta serventur quae de praevaricatoribus censita esse noscuntur, id est, ut septem annis inter catechumenos orent et duos inter catholicos, et postea moderatione et clementia episcopi fidelibus in oblatione et eucharistia communicent.

X. Qui iubente sacerdote pro quacumque culpa ab ecclesia exire contempserint, pro noxa contumaciae tardius accipiatur ad veniam.

XI. Si clerici in mutuam caedem prorupeerint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a pontifice districtius vindicetur.

XII. Qui contra decreta canonum indiscrete clericos usque nunc ordinaverunt, eis dominus vel sancta et ecclesiastica caritas ignoscat. Amodo vero si in tali ausu proruperint, decretum canonum quod circa eorum personas statutum est, id est, ut nullum ordinare audeant observetur, vel qui deinceps ordinati fuerint, deponantur; hi vero qui tales hactenus ordinati sunt, nullo tempore promoveantur.

XIII. Catholicus qui filios suos in haeresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in ecclesia nullatenus recipiatur.

XIV. Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

XV. Familiaritatem extranearum mulierum licet ex toto sancti patres antiquis monitionibus praeceperint ecclesiis evitandam, id nunc tamen nobis visum est, ut qui talis probabitur, post primam et secundam commonitionem si emendare neglexerit, donec in vitio perseverat, officii sui dignitate privetur; quod si se deo iuvante correxerit, sancto ministerio restauretur.

XVI. Licet de re huiuscemodi quam constituere salubri ordinatione decernimus, prisca auctoritas canonum nequaquam siluerit, sed evidenti sanctione praeceperit ut cuiuscumque ecclesiae pontifice defuncto non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem quas obiens derelinquit, quisquam irruat domumque subvertat, sed sacerdos qui exequiarum tempore adest omnia quae ad utilitatem et conversationem pertinent debeat diligenti circumspectione munire: tamen quia haec ipsa sanctio, quod peius est, a multis clericis cognoscitur violari, ita ut occumbente sacerdote expectorato affectu totaque disciplinae severitate posthabita immaniter quae in domo pontificali reperiuntur invadant et abradant: id nunc omnes huius

[1] *Verba:* si vero elerici fuerint *omittuntur in Hispan.; desumta ex cod. Andegav., cum quo Ottobon. ceterique codd. A1, A, B, B, C concordant.* [2] *Sic Andeg. codicesque citt.; Hisp.* veneficis.

placiti vel constituti inter nos censura placuit custodire, ut defuncto antistite vel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum cuiuslibet ordinis, officii gradusve sit, quidquam de domo praesumat vel de utilitate quae instrumenti domus esse noscitur, id est mobili vel immobili rei ecclesiasticae conetur invadere, nihil furto, nihil vi, nihil dolo supprimens, auferens atque abscondens, sed is cui domus commissa est subiunctis sibi cum consilio cleri uno vel duobus fidelissimis, omnia usque ad tempus pontificis substituendi debeat conservare vel his qui in domo inveniuntur clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus antistes suscepta ea, prout decessor suus ordinavit vel huic deus imperaverit uti cum his debeat quos cognoverit disciplinae et caritati decessoris sui fideliter paruisse. Quod si quisquam post haec cuiuslibet ordinis, ut superius dictum est, clericus quacumque occasione de domo ecclesiae vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse vel fortisan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur et vix quoque peregrina ei communio animae concedatur: quia durum est ut hi quos constat in servitio domini cum primae sedis antistite desudasse, illorum qui suarum rerum incubatores vel utilitatibus servientes atque vacantes fuisse noscuntur despectibus aliquatenus crucientur. Sergis in Christi nomine episcopus has constitutiones, secundum quod nobis cum fratribus nostris deo inspirante complacuit, relegi et subscripsi; Iustus in Christi nomine his constitutionibus interfui et subscripsi; Carontius in in Christi nomine his constitutionibus interfui et subscripsi; Ioannes in Christi nomine episcopus his constitutionibus interfui et subscripsi; Paternus in Christi nomine ecclesiae catholicae Barcinonensis episcopus adquievi et subscripsi; Maurilio in Christi nomine ecclesiae catholicae Dertosanae episcopus adquievi et subscripsi; Taurus in Christi nomine ecclesiae Egarensis episcopus his definitionibus interfui et subscripsi; Februarius in Christi nomine episcopus Ilerdensis his constitutionibus interfui et subscripsi; Gratus in Christi nomine presbyter directus a domino meo Staphylio episcopo his constitutionibus interfui et subscripsi.

INCIPIT VALENTINUM CONCILIUM VI EPISCOPORUM HABITUM ERA DXXXIII.[1]

I. Ut evangelium post apostolum legatur.
II. Ut defuncto episcopo de rebus ipsius vel ecclesiae nullus quidquam praesumat.
III. Ut propinqui morientis episcopi de rebus eius nihil usurpent sine metropolitani et comprovincialium conscientia.
IV. De exequiis morientis episcopi, qualiter humetur.
V. De vagis et inobedientibus clericis.
VI. Ut clericum alienum nullus ordinet, nec sit clericus qui non spoponderit locum ubi sit delegatus.

I. Anno quinto decimo Theodorici regis sub die secundo Non. Decembr. in nomine domini nostri Iesu Christi Valles in concilio congregati dum de ecclesiastica regula tractaremus antiquos canones relegentes, inter cetera hoc esse censuimus observandum, ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem vel missam catechumenorum in ordine lectionum post apostolum legantur, quatenus salutaria praecepta domini nostri Iesu Christi vel sermonem sacerdotis non solum fideles, sed etiam catechumeni ac poenitentes, sed et omnes qui e diverso sunt, audire licitum habeant: sic enim pontificum praedicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus.

II. Hoc etiam placuit, ut episcopo a seculo iubente domino accersito clerici ab omni omnino supellectili vel quacumque in domo ecclesiae vel episcopi in libris, speciebus, utensibilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus vel omni omnino re, rapaces manus abstineant et nihil latronum more diripiant. Qui si nec canonum auctoritate cohibiti fuerint omnia quae pervaserint metropolitani vel omnium comprovincialium sacerdotum districtione coacti in pristinum statum redintegrare cogantur, ut nihil antistiti vel dispensatori futuro necessariorum sub hac iusta constitutione depereat. Quod ut confidentius iustitia manente servetur secundum Regiensis synodi constituta episcopo a corpore recedente vicinior illi accedat episcopus, qui ex more exequiis celebratis, statim ecclesiae ipsius curam districtissime gerat, ne quid ante ordinationem futuri pontificis inhiantium clericorum subversioni vel direptioni iam liceat, ita ut de repertis omnibus inspectior censitio descriptioque fidelissima, si fieri potest, intra octavas defuncti sub diligentia praesentis episcopi peragatur; dehinc ad metropolitani notitiam habita ordinatio vel descriptio deferatur, ut eius electione talis persona ordinandae domus ecclesiasticae procuretur, quae valeat consueta clericis stipendia dispensare et creditarum sibi rerum, si forsitan tarditas in episcopo ordinando successerit, metropolitano congruis temporibus possit rationem, ut sub hac salubri constitutione clerici stipendiis suis omnino contenti labores non diripiant episcopi decedentis et ad vacuam ecclesiae domum futurus pontifex non sine dolore succedat, sed magis de

[1] *Inscript. sec. cod. Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

praedecessoris sui dimisso possit et ipse gaudere et aliis ministrare.

III. Simili quoque modo parentibus et propinquis decedentis episcopi, si intestatus obierit denuntietur, ut sine metropolitani vel comprovincialium sacerdotum conscientia nihil de rebus defuncti occupare pertentent, ne forte in haereditariis rebus etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vel permixta usurpent, sed aut usque ad ordinationem futuri expectent antistitis aut certe si longum fuerit ad metropolitani, ut dictum est, ordinationem recurrant. Si quis autem immemor divini timoris contra haec sancita synodica clericus quisque vel laicus venire improba mente tentaverit et communione et consortio privetur ecclesiae, quia durum est ut ad illam conveniat quam expoliare non metuit, nisi forte spiritu meliori correptus dum a praesumptione cessaverit, recuperet indulgentiam. Si autem rationabiliter modesteque unusquisque repetat quod sibi iure debetur, ei absque aliqua animadversione a metropolitano vel cui iniunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hoc etiam omnes canone constringendi, qui tam in praeteritum res ecclesiae vel episcopi usurpantes diripuerunt.

IV. Illud etiam provido consilio decernentes, ut quia saepe sanctorum antistitum per absentiam commendatoris episcopi exequiae differuntur, ita ut veneranda pontificis membra dum tardius funerantur iniuriae omnino subiaceant, episcopus qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet invitatus occurrere, infirmum magis et adhuc in corpore positum admonitus visitare non differat, ut aut de revelatione consacerdotis amplius gaudeat aut certe de ordinatione domus suae fratrem admoneat eiusque probabilem voluntatem in effectum transmittat ac recendentem a seculo post oblatum in eius commendationem sacrificium deo, mox sepulturae tradat diligentissime et superius constituta canonica non differat adimplere. Si autem, ut fieri solet, antistes obitu repentino discesserit et collimitanei sacerdotes de longinquo minime adesse potuerint, uno die tantum cum nocte exanimatum corpusculum sacerdotis non sine fratrum ac religiosorum frequentia vel psallentium excubatione servatum a presbyteris cum omni diligentia in loco conditura seorsum non statim humetur, sed honorifice commendetur, donec sine mora invitato undecumque pontifice, ab ipso ut condecet solemniter tumuletur, ut et iniuriae tollatur occasio et mos antiquus in sepeliendis sacerdotibus servetur.

V. Hoc etiam placuit, ut vagus atque instabilis clericus sive etiam in diaconii ministerio vel presbyterii officio constitutus, si episcopi a quo ordinatus est praeceptis non obedierit, ut in delegata sibi ecclesia officium dependat assiduum quousque in vitio permanserit, et communione et honore privetur.

VI. Ut nullus alienum clericum secundum decreta canonum sine consensu episcopi audeat ordinare, sed nec illum sanctorum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non spoponderit, ut per hoc nullus a regula vel disciplina ecclesiastica deviare permittatur impune.

Celsinus in Christi nomine episcopus subscripsi. Iustinianus in Christi nomine episcopus subscripsi. Reparatus in Chr. n. episcopus subscripsi. Setabius in Chr. n. episcopus subscripsi. Benagius in Chr. n. episcopus subscripsi. Ampelius in Chr. n. episcopus subscripsi. Sallustius in Chr. n. archidiaconus vicarius domini mei Marcelli episcopi subscripsi.

TOLETANI CONCILII X ET VIII EPISCOPORUM INCIPIUNT TITULI.[1]

[1] *Inscript. sec. Andeg.; text. sec. ed. cit. Hisp.*

ritum acceperit, in fine tantum communicet[1].

XIX. Si sacerdotis vel diaconi filia religiosa peccaverit, in fine tantum communicet.

XX. Ut praeter episcopum nullus chrisma conficiat.

XXI. De regulis fidei catholicae contra Priscillianos.

Convenientibus episcopis in ecclesia Toleto — id est Patruinus, Marcellus, Aphrodisius, Alacianus, Iucundus, Severus, Leonas, Hilarius, Olympius, Florus, Osticius, Asturius, Lampius, Serenus, Leporius, Eustochius, Aurelianus, Lampadius, Exuperantius de Gallaecia Lucensis conventus municipii Celenis, omnes decem et novem: isti sunt qui et in aliis gestis adversus Priscilliani sectatores et haeresem quam adstruxerat libellarem direxere sententiam —, consedentibus presbyteris, adstantibus diaconibus et ceteris qui intererant concilio congregatis, Patruinus episcopus dixit: Quoniam singuli coepimus in ecclesiis nostris facere diversa, et inde tanta scandala sunt, quae usque ad schisma perveniunt, si placet, communi concilio decernamus quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum. Mihi autem placet constituta primitus Nicaeni concilii perpetuo esse servanda, nec ab his esse recedendum. Episcopi dixerunt: Hoc omnibus placet, ita ut, si quis cognitis gestis concilii Nicaeni aliud quam statutum est facere praesumpserit et non in eo perseverandum putaverit, tunc excommunicatus habeatur, nisi per correptionem fratrum emendaverit errorem.

I. Placuit, ut diacones vel integri vel casti sint et continentis vitae, etiam si uxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen ut si qui etiam ante interdictum quod a prioribus ante nos episcopis[2] constitutum est incontinenter cum uxoribus vixerint, presbyterii honore non cumulentur; si quis vero ex presbyteris ante interdictum filios susceperit, de presbyterio ad episcopatum non admittatur.

II. Item placuit, ut de poenitente non admittatur ad clerum, nisi tantum necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios deputetur vel inter lectores, ita ut evangelia aut apostolum non legat. Si qui autem ante ordinati sunt subdiacones, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant aut sacra non contingant. Ex poenitente vero dicimus de eo qui post baptismum aut pro homicidio aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens sub cilicio divino fuerit reconciliatus altario.

III. Item constituit sancta synodus, ut lector fidelis si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur aut forte subdiaconus.

IV. Subdiaconus autem defuncta uxore si aliam duxerit, et ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur et habeatur inter ostiarios vel lectores, ita ut evangelium et apostolum non legat, propterea ne qui ecclesiae servierit publicis officiis servire videatur; qui vero tertiam, quod nec dicendum aut audiendum est, acceperit, abstentus biennio postea inter laicos reconciliatus per poenitentiam communicet.

V. Presbyter vel diaconus vel subdiaconus vel quilibet ecclesiae deputatus clericus, si intra civitatem non fuerit vel in loco in quo est ecclesia aut castellum aut vicus aut villa, et ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab episcopo noluerit promereri.

VI. Item ne qua puella dei aut familiaritatem habeat cum confessore aut cum quolibet laico sive sanguinis alieni aut convivium sola, nisi ubi sit seniorum frequentia aut honestorum aut viduarum honestarumque, ubi honeste confessor quilibet cum plurimorum testimonio convivio interesse possit; cum lectoribus autem in ipsorum domibus non admittendas penitus nec videndas, nisi forte consanguinea soror sit vel uterina.

VII. Placuit ut si cuicumque clericorum uxores peccaverint, ne forte licentiam peccandi plus habeant, accipiant mariti earum hanc potestatem praeter necem custodiendi, ligandi in domo sua, ad ieiunia salutaria non mortifera cogentes, ita ut invicem sibi clerici pauperes auxilium ferant, si servitia forte non habeant; cum uxoribus autem ipsis quae peccaverint, nec cibum sumant, nisi forte ad timorem dei acta poenitentia revertantur.

VIII. Si quis post baptismum militaverit et chlamydem sumpserit aut cingulum, etiam si gravia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconii dignitatem non accipiat.

IX. Nulla professa vel vidua absente episcopo vel presbytero in domo sua antiphonas cum confessore vel servo suo faciat; lucernarium vero nisi in ecclesia non legatur, aut si legitur in villa, praesente episcopo vel presbytero vel diacono legatur.

X. Clericos, si obligati sunt vel pro aequatione vel genere alicuius domus, non ordinandos nisi probatae vitae fuerint et patronorum consensus accesserit.

XI. Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperiorem aut religiosum expoliaverit et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat et is contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes

[1] *Rubr. omitt. in cod. Andeg. et Vatic.* 630. *Exhibetur tamen aliis in codd., velut Ottobon., codd. B et C.* [2] *Pro verbis* a prioribus ante nos episcopis *in cod. Andeg. exhibitis Hisp.:* per Lusitanos episcopos, *quae nullo in cod. Ps.-Is. leguntur. Quidam Ps.-Isid. class. A* 1, *velut Ottobon., codd. A/B, B, C:* per priores ante nos episcopos.

provinciae episcopos et quoscumque audire potuerint, ut excommunicatus habeatur donec audiatur ut reddat aliena.

XII. Item ut liberum ulli clerico sit discedere ab episcopo suo et alteri episcopo communicare, nisi forte ei quem episcopus alius libenter habeat de haereticorum schismate discedentem et ad fidem catholicam revertentem. Si quis autem de catholicis discesserint et in communione eorum vel palam vel occulte qui vel excommunicati sunt vel per sententiam iam notati fuerint inventi, habeant illorum ad quos ire voluerunt, etiam in damnatione consortium.

XIII. De his qui intrant in ecclesiam et apprehenduntur numquam communicare, admoneantur, ut si non communicant, ad poenitentiam accedant; si communicant, non semper abstineant; si non fecerint, abstineant.

XIV. Si quis autem acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.

XV. Quisquis laicus abstinetur, ad hunc vel ad domum eius clericorum vel religiosorum nullus accedat, similiter et clericus, si abstinetur, a clericis evitetur; si quis cum illo colloqui aut convivare fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur: sed hoc pertineat ad eos clericos qui eius sunt episcopi et ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abstinetur, sive laico quolibet sive clerico.

XVI. Devotam peccantem non recipiendam in ecclesiam nisi peccare desierit, et si desinens egerit aptam poenitentiam decem annis, recipiat communionem; prius autem quam in ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius convivium christianae mulieris accedat; quod si admissa fuerit, etiam haec quae eam receperit habeatur abstenta: corruptorem etiam par poena constringat. Quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam, nisi adhuc vivente ipso marito caste vivere coeperit aut postquam ipse discesserit.

XVII. Si quis habens uxorem fidelis concubinam habeat, non communicet: ceterum is qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habeat, a communione non repellatur; tamen aut unius mulieris aut uxoris aut concubinae, ut ei placuerit, sit coniunctione contentus; alias vero vivens abiiciatur, donec desinat et per poenitentiam revertatur.

XVIII. Si qua vidua episcopi aut presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat; numquam communicet, morienti tantum ei sacramenta subveniant.

XIX. Episcopi sive presbyteri sive diaconi filia, si devota fuerit et peccaverit et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communione habeantur alieni, pater vero causas in concilio se noverit praestaturum, mulier autem non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit poenitentiam; si autem vivente eo recesserit et poenituerit et petierit communionem, in ultimo die vitae deficiens accipiat communionem.

XX. Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi episcopum chrisma conficere et per dioeceses destinare, ita ut de singulis ecclesiis ad episcopum ante diem paschae diaconi destinentur aut subdiaconi ut confectum chrisma ab episcopo destinatum ad diem paschae possit occurrere. Episcopum sane certum est omni tempore licere chrisma conficere, sine conscientia autem episcopi nihil penitus faciendum. Statutum vero est diaconem non chrismare, sed presbyterum absente episcopo, praesente vero si ab ipso fuerit praeceptum. Huiusmodi constitutionem meminerit semper archidiaconus vel praesentibus vel absentibus episcopis suggerendam, ut eam aut episcopi custodiant aut presbyteri non relinquant.

Patruinus episcopus subscripsi; Marcellus episcopus subscripsi; Aphrodisius episcopus subscripsi; Licinianus episcopus subscripsi; Iucundus episcopus subscripsi; Severus episcopus subscripsi; Leonas episcopus subscripsi; Hilarius episcopus subscripsi; Olympius episcopus subscripsi; Orticius episcopus subscripsi; Asturius episcopus subscripsi; Lampius episcopus subscripsi; Serenus episcopus subscripsi; Florus episcopus subscripsi; Leporius episcopus subscripsi; Eustochius episcopus subscripsi; Aurelianus episcopus subscripsi; Lampadius episcopus subscripsi; Exuperantius episcopus subscripsi.

XXI.[1] Regulae fidei contra omnes haereses et quam maxime contra Priscillianos, quas episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani et Baetici fecerunt et cum praecepto papae urbis Leonis ad Balconium episcopum Galleciae transmiserunt. Ipsi etiam et suprascripta viginti canonum capitula statuerunt in concilio Toletano.

Credimus in unum verum deum patrem, et filium, et spiritum sanctum, visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra: hunc unum deum et hanc unam esse divinae substantiae trinitatem. Patrem autem non esse ipsum filium, sed habere filium qui pater non sit; filium non esse patrem, sed filium dei de patris esse natura; spiritum quoque paraclitum esse, qui nec pater sit ipse nec filius, sed a patre filioque procedens. Est ergo ingenitus pater, genitus filius, non genitus paraclitus sed a patre filioque procedens. Pater est

[1] *Non numeratur in Hisp., sed in codd. Ps.-Is.*

cuius vox haec est audita de caelis: Hic est filius meus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Filius est qui ait: Ego a patre exivi et a deo veni in hunc mundum. Paraclitus spiritus est de quo filius ait: Nisi abiero ego ad patrem, paraclitus non veniet ad vos. Hanc trinitatem personis distinctam substantiam unitam virtute et potestate et maiestate indivisibilem, indifferentem, praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam vel angeli vel spiritus vel virtutis alicuius quae deus credatur. Hunc igitur filium dei deum natum a patre ante omne omnino principium sanctificasse uterum Mariae virginis, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse, duabus dumtaxat naturis, id est deitatis et carnis, in unam convenientibus omnino personam, id est dominum nostrum Iesum Christum; nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque verum; hunc et esurisse et sitisse et doluisse et flevisse et omnes corporis iniurias pertulisse: postremo a iudaeis crucifixum et sepultum et tertia die resurrexisse; conversatum postmodum cum discipulis suis quadragesima post resurrectionem die ad caelum ascendisse: hunc filium hominis etiam dei filium dici, filium autem dei deum hominis filium appellari. Resurrectionem vero futuram humanae credimus carni, animam autem hominis non divinam esse substantiam aut dei partem, sed creaturam dicimus divina voluntate creatam. I.[1] Si quis autem dixerit aut crediderit a deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque eius omnia instrumenta, anathema sit. II. Si quis dixerit atque crediderit deum patrem eumdem esse filium vel paraclitum, anathema sit. III. Si quis dixerit vel crediderit dei filium eumdem esse patrem vel paraclitum, anathema sit. IV. Si quis dixerit vel crediderit paraclitum vel patrem esse vel filium, anathema sit. V. Si quis dixerit vel crediderit carnem tantum sine anima a filio dei fuisse susceptam, anathema sit. VI. Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit. VII. Si quis dixerit vel crediderit deitatem Christi convertibilem fuisse vel passibilem, anathema sit. VIII. Si quis dixerit vel crediderit alterum deum esse priscae legis, alterum evangeliorum, anathema sit. IX. Si quis dixerit vel crediderit ab altero deo mundum factum fuisse, et non ab eo de quo scriptum est: In principio fecit deus caelum et terram, anathema sit. X. Si quis dixerit vel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit. XI. Si quis dixerit vel crediderit animam humanam dei portionem vel dei esse substantiam, anathema sit. XII. Si quis dixerit vel crediderit alias scripturas praeter quas ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit. XIII. Si quis dixerit vel crediderit deitatis et carnis unam esse in Christo naturam, anathema sit. XIV. Si quis dixerit vel crediderit esse aliquid quod se extra divinam trinitatem possit extendere, anathema sit. XV. Si quis astrologiae vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit. XVI. Si quis dixerit vel crediderit coniugia hominum quae secundum legem divinam licet habentur, execrabilia esse, anathema sit. XVII. Si quis dixerit vel crediderit carnes avium seu pecudum quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione corporum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit. XVIII. Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur vel profitetur, ut aliud in salutari baptismo contra sedem sancti Petri faciant, anathema sit[2].

INCIPIT TOLETANA SINODUS SECUNDA VIII EPISCOPORUM.[3]

Quum in voluntate domini apud Toletanam urbem sanctorum episcoporum praesentia convenisset et de institutis patrum canonumque decretis commemoratio haberetur, id nobis in unum positis placuit, ut si qua in antiquis canonibus minime commemorata sunt salubri tractatu ac diligenti consideratione instituantur. Si qua vero in anterioribus conciliis sunt decreta, sed abusione temporum hactenus sunt neglecta, redivivae ordinationis censuram obtineant, quatenus dum in his quae ad cultum fidei pertinent, studium religiosae impendimus observationis, dei nostri misericordiam facilius impetremus.

I. De his quos voluntas parentum a primis infantiae annis in clericatus officio mancipărit, hoc statuimus observandum, ut mox detonsi vel ministerio electorum quum traditi fuerint, in domo ecclesiae sub episcopali praesentia a praeposito sibi debeant erudiri; at ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo per-

[1] *Cod. Andeg. et ceteri A1 et Hisp. numeros I—XVIII. exhibent, qui in ed. Merl. desunt.* [2] *Quae in edit. Merl. sequuntur:* Explicit regula fidei etc. *neque in Hisp. neque in cod. Andeg. neque in codd. A1, B, C leguntur.* [3] *Inscript. sec. Andeg.; text. des. ex coll. Hisp. ed. cit.*

scrutetur: quibus si gratia castitatis deo inspirante placuerit et professionem castimoniae suae absque coniugali necessitate se spoponderint servaturos, hi tamquam appetitores arctissimae vitae lenissimo domini iugo subdantur ac primum subdiaconatus ministerium habita probatione professionis suae a vicesimo anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac inoffense vicesimum et quintum annum aetatis suae peregerint, ad diaconatus officium, si scienter implere posse ab episcopo comprobantur, promoveri: cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores ad terrenas nuptias aut ad furtivos concubitus ultra recurrant. Quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur et ab ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab apostolis sententiam auferre non possumus, ita ut quum provectae aetatis in coniugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus aspirent.

II. Similiter placuit custodiri ne qui de his qui tali educatione imbuuntur qualibet occasione cogente propriam relinquentes ecclesiam ad aliam transire praesumant, episcopus vero qui eum suscipere absque conscientia proprii sacerdotis fortasse praesumpserit, totius fraternitatis se reum esse noverit, quia durum est ut eum quem alius rurali sensu ac squalore infantiae exuit, alius suscipere aut vindicare praesumat.

III. Illud vero praeterea speciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua concilia in universis canonibus siluerunt, ut nullus clericorum a gradu subdiaconatus et supra in consortii familiaritate habeat mulierem vel ingenuam vel libertam aut ancillam, sed si sunt ei huiuscemodi servitia, matri vel sorori aliaeque propinquitati contradat et quidquid suis manibus profecerint, proprio domino deferatur; aut si propinquitas memorata deest, alia domus ad earum habitaculum requiratur, dummodo nulla occasio introeundi domum clerici foeminae permittatur, unde aut laqueum possit incurrere aut noxialis fama innocenti fortasse possit inuri. Sane si deinceps post hanc datam admonitionem quisquis harum consortio frui voluerit, noverit se non solum a clericatus officio retrahi vel ecclesiae foribus pelli, sed etiam ab omnium catholicorum clericorum vel laicorum communione privari, nulla prorsus vel colloquii consolatione relicta quatenus malae consuetudinis abrasa rubigo in posteros radicis suae veneno serpere non possit.

IV. Si quis sane clericorum agella vel vineolas in terris ecclesiae sibi fecisse probatur sustentandae vitae causa, usque ad diem obitus sui possideat, post suum vero de hac luce discessum iuxta priorum canonum constitutiones ius suum ecclesiae sanctae restituat, nec testamentario successorio iure cuiquam haeredum prohaeredumve relinquat, nisi forsitan cui episcopus pro servitiis ac praestatione ecclesiae largiri voluerit.

V. Nam et haec salubriter praecavenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem eius: nec sine denuntiatione sententiae, nam paulo post infert et dicit: Anima quae fecerit de abominationibus istis quidpiam, peribit de medio populi sui. Si quis ergo huius decreti nostri temerator extiterit ac vetitum violare praesumpserit, tanto graviori se mulctandum sententia recognoscat, quanto eam propinquiorem cui copulari se maluit suae originis esse non ambigit, tantoque annosioris excommunicationis tempore et a Christi corpore et fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus. Huius institutionis regulam qui subscribimus irrefragabili auctoritate nos spondemus servaturos. Si quis autem tam nostram vel eorum qui nunc sanctae synodo ex hac provincia defuerunt, huic tam salubri ordinationi obviare praesumpserit vel solerter adimplere neglexerit, convictus totius fraternae caritatis aliquandiu habeatur extraneus. Sane iuxta priorum canonum decreta concilium apud fratrem nostrum Montanum episcopum si dominus voluerit futurum pronuntiamus, ita ut frater et coepiscopus noster Montanus qui in metropoli est ad comprovinciales nostros domini sacerdotes litteras de congreganda synodo adveniente tempore debeat destinare. Nunc ergo in nomine domini finitis his quae in collationem venerunt, gratias agimus omnipotenti deo, deinde domino glorioso Amalarico regi divinam clementiam postulantes, ut innumeris annis regni eius ea quae ad cultum fidei perveniunt peragendi nobis licentiam praestet. Amen.

Montanus in Christi nomine episcopus his constitutionibus acquievi, relegi et subscripsi die et anno quo supra. Pancarius episcopus his constitutionibus acquievi et relegi et subscripsi die et anno quo supra. Canonius episcopus his constitutionibus adquievi, relegi et subscripsi d. et a. q. s. Paulus episcopus his constitutionibus adquievi, relegi et subscripsi d. et a. q. s. Domitianus episcopus his constitutionibus adquievi, relegi et subscripsi d. et a. q. s. Marcianus in Christi nomine episcopus ob causam fidei catholicae in Toletana urbe exilio deputatus sanctorum fratrum meorum constitutionibus interfui, relegi et subscripsi d. et a. q. s. Nibridius in Christi nomine episcopus ecclesiae catholicae Egarensis hanc constitutionem consacerdotum meorum in Toletana urbe habitam, quum post aliquantum temporis advenissem salva auctoritate priscorum canonum relegi, probavi et subscripsi. Iustus

in Christi nomine ecclesiae catholicae Urgelitanae episcopus hanc constitutionem consacerdotum meorum in Toletana urbe habitam, quum post aliquantum temporis advenissem, salva auctoritate priscorum canonum relegi, probavi et subscripsi [1].

INCIPIT TOLETANA SINODUS TERTIA XX DUORUM EPISCOPORUM IN QUA ARRIATICA HERESIS IN ISPANIA CONDEMPNATUR.[2]

In nomine domini nostri Iesu Christi anno regnante quarto gloriosissimo atque piissimo et deo fidelissimo domino Recaredo rege, die VIII. Id. Maiar. era DCXXVII. haec sancta synodus habita est in civitate regia Toletana ab episcopis totius Hispaniae vel Galliae qui infra scripti sunt.

Quum pro fidei suae sinceritate idem gloriosissimus princeps omnes regiminis sui pontifices in unum convenire mandasset, ut tam de eius conversione quam de gentis Gothorum innovatione in domino exultarent et divinae dignationi pro tanto munere gratias agerent, sanctissimus idem princeps sic venerandum concilium alloquitur dicens: Non incognitum reor esse vobis, reverentissimi sacerdotes, quod propter instaurandam disciplinae ecclesiasticae formam ad nostrae vos serenitatis praesentiam devocaverim: et quia decursis retro temporibus haeresis imminens in tota ecclesia catholica agere synodica negotia denegabat, deus cui placuit per nos eiusdem haeresis obicem depellere, admonuit instituta de more ecclesiastica reparare. Ergo sit vobis iucunditatis, sit gaudii quod mos canonicus prospectu dei per nostram gloriam ad paternos reducitur terminos; prius tamen admoneo pariter et exhortor ieiuniis vos et vigiliis atque orationibus operam dare, ut ordo canonicus quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diuturna oblivio, quae aetas nostra se nescire fatetur, divino vobis rursus dono patefiat. Ad haec autem gratias deo agentes et religiosissimo principi universo concilio in laudibus acclamante, triduanum est exinde praedicatum ieiunium. Sed quum die octavo Id. Maiar. in unum coetum dei sacerdotes adessent et oratione praemissa unusquisque sacerdotum competenti loco resedisset, ecce in medio eorum adfuit serenissimus princeps seque cum dei sacerdotibus orationi communicans, divino deinceps flamine plenus sic ad loquendum exorsus est dicens: Non credimus vestram latere sanctitatem quanto tempore in errore Arianorum laborasset Hispania et non multos post discessus genitoris nostri dies, quibus nos vestra beatitudo fidei sanctae catholicae cognovit esse sociatos, credimus generaliter magnum et aeternum gaudium habuisse, et ideo, venerandi patres, ad hanc vos peragendam congregari decrevimus synodum, ut de omnibus nuper advenientibus ad Christum ipsi aeternas gratias domino deferatis. Quidquid vero verbis apud sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide atque spe nostra quam gerimus in hunc tomum conscripta atque allegata notescimus; relegatur enim in medio vestri et iudicio synodali examinata per omne successivum tempus gloriosa nostra eiusdem fidei testimonio decorata clarescat. Susceptus est autem ab omnibus dei sacerdotibus offerente rege sacrosanctae fidei tomus et pronuntiante notario clara voce recensitus est ita:

Quamvis deus omnipotens pro utilitatibus populorum regni nos culmen subire tribuerit et moderamen gentium non paucarum regiae nostrae curae commiserit, meminimus tamen nos mortalium conditione praestringi nec posse felicitatem futurae beatitudinis aliter promereri, nisi nos cultui verae fidei deputemus et conditori nostro saltem confessione qua dignus ipse est placeamus. Pro qua re quanto subditorum gloria regali extollimur, tanto providi esse debemus in his quae ad deum sunt vel nostram spem augere vel gentibus a deo nobis creditis consulere. Ceterum quid pro tantis beneficiorum collationibus omnipotentiae divinae valemus tribuere, quando omnia ipsius sunt et bonorum nostrorum nihil egeat, nisi ut in eum sic tota devotione credamus, quemadmodum per scripturas sacras se ipse intelligi voluit et credi praecepit, id est ut confiteamur esse patrem qui genuit ex substantia sua filium sibi coaequalem et coaeternum, non tamen ut ipse idem sit natus et genitor, sed persona alius sit pater qui genuit, alius sit filius qui fuerit generatus, unius tamen uterque substantiae divinitate subsistat: pater ex quo sit filius, ipse vero ex nullo sit alio, filius qui habeat patrem, sed sine initio et diminutione in ea qua patri coaequalis et coaeternus est divinitate subsistat. Spiritus aeque sanctus confitendus a nobis et praedicandus est a patre et filio procedere, et cum patre et filio unius esse substantiae: tertiam vero in trinitate spiritus sancti esse personam, qui tamen communem habeat cum patre et filio divinitatis essentiam. Haec enim sancta trinitas unus est deus, pater et filius et spiritus sanctus, cuius bonitate omnis licet bona sit condita creatura, per assumptam tamen a filio humani habitus formam a damnata progenie reformamur ad beatitudinem pristinam. Sed sicut verae salutis indicium est trinitatem in unitate et unitatem in trinitate sentire, ita erit consummatae iustitiae, si eamdem fidem intra universalem ecclesiam teneamus et apostolica monita in apostolico positi fundamento servemus. Vos tamen dei sacerdotes meminisse oportet, quanta hucusque ecclesia dei catholica per Hispanias adversae partis molestiis

[1] *Epistolae duae Montani episcopi quae in quibusdam codd. coll. Hisp. hic leguntur, in omnibus Pseud.-Isidor. omittuntur.* [2] *Inscript. sec. Andeg.; text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.*

laboraverit, dum et catholici constanter fidei suae tenerent et defenderent veritatem, et haereses pertinaciori animositate propriae niterentur perfidiae: me quoque ut re ipsa conspicitis calore fidei accensum in eo dominus excitavit, ut depulsa obstinatione infidelitatis et discordiae submoto furore populum qui sub nomine religionis famulabatur errori, ad agnitionem fidei et ecclesiae catholicae consortium revocarem. Adest enim omnis gens Gothorum inclyta et fere omnium gentium genuina virilitate opinata, quae licet suorum pravitate doctorum a fide hactenus vel unitate ecclesiae fuerit catholicae segregata, toto nunc tamen modo assensu concordans eius ecclesiae communioni participatur, quae diversarum gentium multitudinem materno sinu suscipit et caritatis uberibus nutrit, de qua propheta canente dicitur: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Nec enim sola Gothorum conversio ad cumulum nostrae mercedis accessit, quinimmo et Suevorum gentis infinita multitudo, quam praesidio coelesti nostro regno subiecimus; alieno enim licet in haeresim deductam vitio, nostro tamen ad veritatis originem studio revocavimus. Proinde, sanctissimi patres, has nobilissimas gentes quae lucris per nos dominicis applicatae sunt, quasi sanctum et placabile sacrificium per vestras manus aeterno deo offero. Erit enim mihi immarcescibilis corona vel gaudium in retributione iustorum, si hi populi qui nostra ad unitatem ecclesiae solertia transcucurrerunt fundati in eadem et stabiliti permaneant. Sicut enim divino nutu nostrae curae fuit hos populos ad unitatem Christi ecclesiae pertrahere, ita sit vestrae docibilitatis catholicis eos dogmatibus instruere, quo in toto cognitione veritatis instructi noverint ex solido errorem haeresis perniciosae respuere et verae fidei tramitem ex caritate retinere vel catholicae ecclesiae communionem desiderio avidiori complecti. Ceterum sicut facile ad veniam pervenisse confido, quod nescia hucusque tam clarissima erraverit gens, ita gravius esse non dubito, si agnitam veritatem dubio corde teneant atque a patenti lumine, quod absit, oculos suos avertant: unde valde pernecessarium esse prospexi vestram in unum convenire beatitudinem, habens sententiae dominicae fidem quae dicit: Ubi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam sanctae trinitatis divinitatem huic sancto interesse concilio, et ideo tamquam ante conspectum dei ita in medio vestri fidem meam protuli conscius admodum sententiae dicentis: Non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam a congregatione multa: vel apostolum Paulum Timotheo discipulo praecipientem audivi: Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam in qua vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Vera est enim redemptoris nostri ex evangelio sententia qua confitentem se coram hominibus confiteri dicit coram patre et negantem se esse negaturum. Expedit enim nobis id ore confiteri quod corde credimus, secundum coeleste mandatum quo dicitur: Corde creditur ad iustitiam, oris autem confessio fit ad salutem. Proinde sicut anathematizo Arium cum omnibus dogmatibus et complicibus suis, qui unigenitum dei filium a paterna degenerem asserebat esse substantia nec a patre genitum, sed ex nihilo dicebat esse creatum, vel omnia concilia malignantium quae adversus sanctam synodum Nicaenam extiterunt: ita in honorem et in laudem fidem sanctam Nicaeni observo et honoro concilii quam contra eumdem rectae fidei pestem Arium trecentorum decem et octo sancta episcopalis scripsit synodus. Amplector itaque et teneo fidem centum quinquaginta episcoporum Constantinopoli congregatorum, quae Macedonium spiritus sancti substantiam minorantem et patris et filii unitatem et essentiam segregantem iugulo veritatis interemit; primae quoque Ephesinae synodi fidem, quae adversus Nestorium eiusque doctrinam lata est, credo pariter et honoro; similiter et Chalcedonensis concilii fidem quam plenam sanctitate et eruditione adversus Eutychem et Dioscorum protulit, cum omni ecclesia catholica reverenter suscipio; omnium quoque orthodoxorum venerabilium sacerdotum concilia quae ab his suprascriptis quatuor synodis fidei puritate non dissonant, pari veneratione observo. Properet ergo reverentia vestra fidem hanc nostram canonicis applicare monumentis et ab episcopis vel religiosis aut gentis nostrae primoribus solerter fides quam in ecclesia catholica deo crediderunt audire; quam rem notatam apicibus vel eorum subscriptionibus roboratam futuris olim temporibus in testimonium dei atque omnium fidelium reservate, ut hae gentes quarum in dei nomine regia potestate praecellimus et quae deterso antiquo errore per unctionem sacrosancti chrismatis vel manus impositionem paraclitam intra dei ecclesiam perceperunt spiritum, quem unum et aequalem cum patre et filio confitentes eiusque dono in sinu ecclesiae sanctae catholicae collocatae sunt, si eorum aliqui hanc rectam et sanctam confessionem nostram minime credere voluerint, iram dei cum anathemate aeterno percipiant et de interitu suo fidelibus gaudium et infidelibus sint in exemplum. Huic vero confessioni meae sanctas suprascriptorum conciliorum constitutiones contexui et testimonio divino tota cordis simplicitate subscripsi.

Fides a sancto Nicaeno concilio edita.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, et cetera [1].

[1] *Codd. Ps.-Isid. et plerique codd. purae Hispanae integrum hoc symbolum exhibent: cum iam superius prolatum sit, hic id non repetii.*

Fides quam exposuerunt CL patres consona magnae Nicaenae synodo.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, et cetera [1].

Tractatus Chalcedonensis concilii.

Suffecerat quidem ad plenissimam pietatis, et reliqua [2]. Ego Recaredus rex fidem hanc sanctam et veram confessionem quam una per totum orbem catholica confitetur ecclesia corde retinens, ore affirmans, mea dextera deo protegente subscripsi. Ego Baddo gloriosa regina hanc fidem credidi et suscepi, mea manu de toto corde subscripsi.

Tunc acclamatum est laudibus dei et in favore principis ab universo concilio: Gloria deo patri et filio et spiritui sancto, cui cura est pacem et unitatem ecclesiae sanctae catholicae providere; gloria domino nostro Iesu Christo, qui pretio sanguinis sui ecclesiam catholicam ex omnibus gentibus congregavit; gloria domino nostro Iesu Christo qui tam illustrem gentem unitati fidei verae copulavit et unum gregem et unum pastorem instituit. Cui a deo aeternum meritum, nisi vero catholico Recaredo regi? Cui a deo aeterna corona, nisi vero orthodoxo Recaredo regi? Cui praesens gloria et aeterna, nisi vero amatori dei Recaredo regi? Ipse novarum plebium in ecclesia conquisitor, ipse mereatur veraciter apostolicum meritum qui apostolicum implevit officium. Ipse sit deo et hominibus amabilis, qui tam mirabiliter deum glorificavit in terris, praestante domino Iesu Christo qui cum deo patre vivit et regnat in unitate spiritus sancti in secula seculorum. Amen.

Fidei confessio episcoporum, presbyterorum vel primorum Gothicae gentis, qui infra scripserunt.

Praecipiente autem universo venerabili concilio atque iubente unus episcoporum catholicorum ad episcopos et religiosos vel maiores natu ab haerese Ariana conversos eiusmodi alloquutione exorsus est dicens: Officii nostri cura et fidelissimi atque gloriosissimi principis admonitione propellimur, diligenter a vestra caritate perquirere, vel quid damnetis in haerese aut quid intra dei sanctam catholicam credatis ecclesiam; nam sicut dicente psalmista didicimus: Incipiente domino in confessione, optimum est vestraeque saluti conveniens palam confiteri quod creditis et sub auditu universorum anathematizare quod respuitis. Tunc prorsus optime poteritis evangelicae atque apostolicae fidei participes fieri, si eamdem fidem catholicam ex confessione catholica incipiatis vel propria subscriptione firmetis, et sicuti deo iam de bona consensione cogniti estis conscientia, ita et proximis vos fidei sanctae adstipulatione monstretis: eo itaque fiet, ut et vos Christi esse corporis membra significetis et nostra exiguitas nihil dubium, nihil infidum unquam de vestra suspicetur fraternitate, dum patuerit vos tabem perfidiae Arianae cum omnibus dogmatibus, regulis, officiis, communione, codicibus praedemnare et detestandae haereseos expoliati contagione, innovati quodammodo intra ecclesiam dei splendide habitu verae fidei clareatis. Tunc episcopi omnes una cum clericis suis primoresque gentis Gothicae pari consensione dixerunt: Licet hoc quod fraternitas atque paternitas vestra a nobis cupit audire vel fieri, iam olim conversionis nostrae tempore egerimus, quando sequuti gloriosissimum dominum nostrum Recaredum regem ad dei ecclesiam transivimus et perfidiam Arianam cum omnibus superstitionibus suis anathematizavimus pariter et abiecimus. Nunc vero caritatem et devotionem quam vel deo vel ecclesiae sanctae catholicae meminimus nos debere, non tantum haec eadem quae petitis promptissime agere properamus, sed et si qua adhuc congrua fidei esse prospicitis nobis de caritate persuadete; nos etenim semel rectae fidei amor in eam devotionem advexit, ut omne quod nobis verius fraternitas vestra patefecerit teneamus et liberali fateamur confessione. I. Omnis ergo qui fidem et communionem ab Ario venientem et hucusque a nobis retentam adhuc tenere desiderat et de tota cordis intentione non damnat, anathema sit. II. Quicumque filium dei dominum Iesum Christum negaverit a paterna substantia sine initio genitum et aequalem patri esse vel consubstantialem, anathema sit. III. Quicumque spiritum sanctum non credit aut non crediderit a patre et filio procedere, eumque non dixerit coaeternum esse patri et filio et coessentialem, anathema sit. IV. Quicumque in patre et filio et in spiritu sancto et personas non distinguit et unius divinitatis substantiam non agnoscit, anathema sit. V. Quicumque filium dei dominum nostrum Iesum Christum et spiritum sanctum esse patre minores asseruerit et gradibus separaverit creaturamque esse dixerit, anathema sit. VI. Quicumque patrem et filium et spiritum sanctum unius substantiae, omnipotentiae et aeternitatis esse non crediderit, anathema sit. VII. Quicumque nescire filium dei quae pater sciat dixerit, anathema sit. VIII. Quicumque initium filio dei et spiritui sancto deputaverit, anathema sit. IX. Quicumque filium dei secundum divinitatem suam visibilem aut passibilem ausus fuerit profiteri, anathema sit. X. Quicumque spiritum sanctum sicut patrem et filium verum deum et omnipotentem esse non credit, anathema sit. XI. Quicumque alibi fidem et communionem catholicam praeter ecclesiam universalem esse credit, illam dicimus ecclesiam quam Nicaeni et Constantinopolitani et primi Ephesini et Chalcedonensis concilii decreta tenet pariter et honorat, anathema sit. XII. Quicumque patrem et filium et spiritum sanctum honore

[1] & [2] *Codd. Ps.-Isid. et plerique codd. purae Hispanae integras has res exhibent: cum iam superius prolatae sint, hic eas non repetii.*

et gloria et divinitate separat aut disiungit, anathema sit. XIII. Quicumque filium dei et spiritum sanctum cum patre non crediderit esse glorificandos et honorandos, anathema sit. XIV. Quicumque non dixerit: Gloria et honor patri et filio et spiritui sancto, anathema sit. XV. Quicumque rebaptizandi sacrilegium opus bonum esse credit aut crediderit, agit aut egerit, anathema sit. XVI. Quicumque libellum detestabilem duodecimo anno Leovigildi regis a nobis editum, in quo continetur Romanorum ad haeresem Arianam transductio et in quo gloria patri per filium in spiritu sancto male a nobis instituta continetur, hunc libellum si quis pro vero habuerit, anathema sit in aeternum. XVII. Quicumque Ariminense concilium non ex toto corde respuerit et damnaverit, anathema sit. XVIII. Confitemur enim nos ex haerese Ariana toto corde, tota anima et de tota mente nostra ad ecclesiam catholicam fuisse conversos. Nulli dubium est, nos nostrosque successores errasse in haerese Ariana et fidem evangelicam atque apostolicam nunc intra ecclesiam catholicam didicisse. Proinde fidem sanctam quam praefatus religiosissimus dominus noster patefecit in medio concilii et manu sua subscripsit, hanc et nos tenemus, hanc confitemur pariter et suscipimus, hanc in populis praedicare atque docere promittimus. Haec est vera fides quam omnis ecclesia dum per totum mundum tenet catholicam esse creditur et probatur. Cui haec fides non placet aut non placuerit, sit anathema maranatha in adventu domini nostri Iesu Christi. XIX. Qui fidem spernit Nicaeni concilii anathema sit. XX. Qui fidem concilii Constantinopolitani centum quinquaginta episcoporum veram esse non dixerit, anathema sit. XXI. Qui fidem Ephesinae synodi primae et Chalcedonensis non tenet et non delectatur, anathema sit. XXII. Qui concilia omnium orthodoxorum episcoporum consona conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani primi, Ephesini et Chalcedonensis non recipit, anathema sit. XXIII. Proinde damnationem hanc perfidiae et communicationis Arianae et omnium conciliorum haeresem Arianam foventium cum anathemate eorum propria manu subscripsimus: constitutiones vero sanctorum conciliorum Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis quas gratissima aure audivimus et consensione nostra veras esse probavimus, de toto corde et de tota anima et de tota mente nostra subscripsimus, nihil ad cognitionem veritatis lucidius arbitrantes quam quod supradictorum conciliorum continent auctoritates. De trinitate autem et unitate patris et filii et spiritus sancti nihil his verius, nihil lucidius unquam potest vel poterit demonstrari, de mysterio incarnationis unigeniti filii dei pro salute humani generis quo et vera probatur humanae naturae sine peccati contagione susceptio et permanet incorruptae in eo divinitatis plenitudo, dum et natura utraque non deperit et una fit ex utraque domini nostri Iesu Christi persona, satis plena in his conciliis probatur patefieri veritate et a nobis creditur omni remota dubitatione. Si qui unquam hanc fidem sanctam depravare, corrumpere, mutare tentaverint aut ab eadem fide vel communione catholica, quam nuper sumus deo miserante adepti, egredi, separari vel dissociari voluerint, sint deo et universo mundo criminі infidelitatis in aeternum obnoxii. Floreat autem ecclesia sancta catholica per omnem mundum pacatissime et emineat doctrina sanctitate et potestate. Si qui intra eam fuerint, crediderint, communicaverint, hi audiant ad dexteram patris positi: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. Si qui autem ab ea recesserint eiusque detraxerint fidei et communionem respuerint, hi audiant ore divino in die iudicii: Discedite a me, maledicti, nescio vos, ite in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius. Sint ergo damnata in coelo et in terra, quaecumque per hanc catholicam fidem damnantur, et sint accepta in coelo et in terra, quaecumque in hanc fidem accipiuntur, regnante domino nostro Iesu Christo, cui cum patre et spiritu sancto est gloria in secula seculorum. Amen.

Fides a sancto Nicaeno concilio edita.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, et reliqua [1].

Fides quam exposuerunt CL patres consona magnae Nicaenae synodo.

Credimus in unum deum omnipotentem, et reliqua [2].

Tractatus Chalcedonensis concilii.

Suffecerat quidem ad plenissimam pietatis agnitionem et confirmationem cautissimum hoc divinae gratiae symbolum, ut supra. Ugnas in Christi nomine episcopus anathematizans haeresis Arianae dogmata superius damnata fidem hanc sanctam catholicam quam in ecclesiam catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde subscripsi. Murila in Christi nomine episcopus anathematizans haeresis Arianae dogmata, ut supra. Ubiligisclus in Christi nomine episcopus anathema. Sunnila in Christi nomine episcopus anathema. Gardingus in Christi nomine episcopus civitatis Tudensis anathema. Bechila in Christi nomine episcopus civitatis Lucensis anathema. Arvitus in Christi nomine civitatis Portucalensis episcopus anathema. Froisclus in Christi nomine episcopus civitatis Dertosanae anathema.[3] Similiter

[1] & [2] *Integra symbola, quae exhibentur in codd. plerisque Hisp. et in codd. Ps.-Isid., hic non repetii, cum iam supra prolata sint.* [3] *Pleniores Hispana pura subscriptiones, repetens omnia quae in prima subscriptione inveniuntur, exhibet.*

et reliqui presbyteri et diacones ex haerese Ariana conversi subscripserunt. Signum Gussini viri illustris proceris. Fonsa vir illuster anathematizans subscripsi. Afrila vir illuster anathematizans subscripsi. Aila vir illuster anathematizans subscripsi. Ella vir illuster subscripsi. Similiter et omnes seniores Gothorum subscripserunt.

Post confessionem ergo et subscriptionem omnium episcoporum et totius gentis Gothicae seniorum gloriosissimus dominus noster Recaredus rex pro reparandis simul et confirmandis disciplinae ecclesiasticae moribus dei sacerdotes taliter affatus est dicens: Regia cura usque in eum modum protendi debet et dirigi, quousque plenam constet veritatis et scientiae capere rationem. Nam sicut in rebus humanis gloriosius eminet potestas regia, ita et prospiciendae commoditati comprovincialium maior debet esse et providentia. Ac nunc, beatissimi sacerdotes, non in eis tantummodo rebus diffundimus solertiam nostram, quibus populi sub nostro regimine positi pacatissime gubernentur et vivant, sed etiam in adiutorio Christi extendimus nos ad ea quae sunt coelestia cogitare et quae populos fideles efficiant satagimus non nescire. Caeterum si totis nitendum est viribus humanis moribus modum ponere et insolentium rabiem regia potestate refrenare, si quieti et paci propagandae opem debemus impendere, multo magis est adhibenda sollicitudo desiderare et cogitare divina, inhiare sublimia et ab errore retractis populis veritatem eis serena luce ostendere: sic enim agit qui multiplici bono se a deo remunerari confidit: sic enim audit qui super id quam quod ei committitur auget, dum illi dicitur: Quidquid supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Ergo quia iam fidei nostrae et confessionis formam plena serie vestra beatitudo recensuit simulque et sacerdotum nostrorumque procerum fides atque confessio sanctitati vestrae perpatuit, hoc adhuc necessario pro firmitate catholicae fidei nostra deo supplex instituere decrevit auctoritas, ut propter roborandam gentis nostrae novellam conversionem omnes Hispaniarum et Galliae ecclesiae hanc regulam servent: ut omnes sacrificii tempore ante communionem corporis Christi vel sanguinis iuxta Orientalium partium morem unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant symbolum, ut primum populi quid credulitate teneant fateantur, et sic corda fide purificata ad Christi corpus et sanguinem percipiendum exhibeant. Dum enim constitutio haec fuerit perenniter conservata in dei ecclesia et fidelium ex solido corroboratur credulitas et perfidia infidelium confutata ad id quod repetitum saepius recognoscit facillime inclinatur: nec se quisquam iam de ignorantia fidei excusabit a culpa, quando universorum ore cognoscit, quid catholica teneat et credat ecclesia. Omnibus ergo capitulis quae adhuc per vestram sanctitatem regulis ecclesiasticis adiicienda sunt hoc pro fidei sanctae reverentia et firmitate proponite, quod de proferendo symbolo nostra deo docente decrevit serenitas. De cetero autem pro inhibendis insolentium moribus mea vobis consentiente clementia sententiis terminate districtioribus et firmiori disciplina quae facienda non sunt, prohibete et quae fieri debent immobili constitutione firmate.

Capitula quae in dei nomine sancta synodus constituit.

I. Ut conciliorum statuta et praesulum Romanorum decreta custodiantur.
II. Ut in omnibus ecclesiis die dominica symbolum recitetur.
III. Ut ne quis extra necessitatem rem ecclesiae alienet.
IV. Ut liceat episcopo unam ex parochiis basilicam monasterium facere.
V. Ut sacerdotes et levitae caste cum suis uxoribus vivant.
VI. Ut servus ecclesiae ab episcopo manumissus a patrocinio ecclesiae nunquam discedat et ut liberti aliorum ab episcopo defendantur.
VII. Ut ad mensam episcopi scripturae divinae legantur.
VIII. Ut clericus de familia fisci a principe non donetur.
IX. Ut ecclesiae Arianorum ad catholicum episcopum in cuius dioecesi sunt permaneant.
X. Ut viduis pro castitate violentiam nullus inferat et ut mulier invita virum non ducat.
XI. Ut poenitens poenitentiam agat.
XII. De his qui poenitentiam poscunt, si vir est prius tondeatur, si foemina prius habitum mutet.
XIII. Ut clerici qui seculares iudices appetunt, excommunicentur.
XIV. De iudaeis.
XV. Ut servi fisci qui ecclesiam construunt dotem faciant et a principe confirmetur.
XVI. Ut episcopi cum iudicibus idola destruant et ut domini idolatriam servis prohibeant.
XVII. Ut episcopus cum iudicibus necatores filiorum acriori disciplina corripiat.
XVIII. Ut semel in anno synodus fiat et iudices et actores fisci praesentes sint.
XIX. Ut ecclesia cum rebus eius ad episcopi ordinationem pertineat.
XX. Ut episcopus angarias vel indictiones in dioecese non imponat.
XXI. Ut non liceat iudicibus clericos vel servos ecclesiae in suis angariis occupare.
XXII. Ut religiosorum corpora psallendo tantum deducantur. Ut in sanctorum natalitiis ballematiae prohibeantur.

I. Post damnationem haeresis Arianae et fidei sanctae catholicae expositionem hoc sanctum praecepit concilium: ut quia in nonnullis vel haeresis vel gentilitatis necessitate per Hispaniarum ecclesias canonicus praetermissus est ordo, dum et licentia abundaret transgrediendi et disci-

plinae optio negaretur, dumque omnis excessus haeresis foveretur patrocinio ut abundantiam mali temperet disctrictio disciplinae, pace ecclesiae Christi misericordia reparata, omne quod priscorum canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum et agatur omne quod praecepit fieri; maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta simul et synodicae sanctorum praesulum Romanorum epistolae: nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra vetita canonum aspiret indignus; nihil ex hoc fiat quod sancti patres spiritu dei pleni sanxerunt debere non fieri, et qui praesumpserit severitate priorum canonum distringatur.

II. Pro reverentia sanctissimae fidei et propter corroborandas hominum invalidas mentes[1] consultu piissimi et gloriosissimi Recaredi regis constituit synodus, ut per omnes ecclesias Hispaniae, Galliae vel Gallaeciae secundum formam Orientalium ecclesiarum concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum symbolum fidei recitetur ut priusquam dominica dicatur oratio voce clara a populo praedicetur, quo fides vera manifestum testimonium habeat et ad Christi corpus et sanguinem praelibandum pectora populorum fide purificata accedant.

III. Haec sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiae, quoniam et antiquioribus canonibus prohibetur. Si quid vero quod utilitatem non gravet ecclesiae pro suffragio monachorum ad suam parochiam pertinentium dederint, firmum maneat; peregrinorum vero vel clericorum et egenorum necessitati salvo iure ecclesiae praestare permittuntur pro tempore quo potuerint.

IV. Si episcopus unam de parochitanis ecclesiis suis monasterium dicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi; qui etiam si de rebus ecclesiae pro eorum substantia aliquid quod detrimentum ecclesiae non exhibeat eidem loco donaverit, sit stabile: rei enim bonae statuendae sanctum concilium dat assensum.

V. Compertum est a sancto concilio episcopos, presbyteres et diacones venientes ex haerese carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cetero fiat, hoc praecipitur, quod et prioribus canonibus terminatur: ut non liceat eis vivere libidinosa societate, sed manente inter eos fide coniugali communem utilitatem habeant et non sub uno conclavi maneant, vel certe si suffragat virtus in aliam domum suam uxorem faciat habitare, ut castitas et apud deum et homines habeat testimonium bonum. Si quis vero post hanc conventionem obscene cum uxore elegerit vivere, ut nec[2] lector habeatur; qui vero semper sub canone ecclesiastico iacuerint, si contra veterum imperata in suis cellulis mulieres quae infamem suspicionem possunt generare, consortium habuerint, illi canonice quidem distringantur, mulieres vero ipsae ab episcopis venundatae, pretium ipsum pauperibus erogetur[3].

VI. De libertis autem hoc praecepit sancta synodus, ut si qui presbyteri vel diaconi ab episcopis facti sunt[4] secundum modum quo canones antiqui dant licentiam, sint liberi, et tamen a patrocinio ecclesiae tam ipsi quam ab eis progeniti non recedant. Ab aliis quoque libertati traditi et ecclesiis commendati patrocinio episcopali regantur et ne cuiquam donentur a principe hoc episcopus postulet.

VII. Pro reverentia dei sacerdotum id universa sancta constituit synodus, ut quia solent crebro mensis otiosae fabulae interponi, in omni sacerdotali convivio lectio scripturarum divinarum misceatur: per hoc enim et animae aedificantur ad bonum et fabulae non necessariae prohibentur.

VIII. Iubente autem atque consentiente domino piissimo Recaredo rege id praecepit sacerdotale concilium, ut clericos ex familia fisci nullus audeat a principe donatos expetere, sed reddito capitis sui tributo ecclesiae dei cui sunt alligati usque dum vivent, regulariter administrent.

IX. Decreto huius concilii hoc statuitur, ut ecclesiae quae fuerunt in haeresi Ariana, nunc autem sunt catholicae, ad eos episcopos cum suis rebus pertineant, ad quos parochiae ipsae in quibus ecclesiae fundatae sunt, pertinere videntur.

X. Pro consulto castitatis, quod maxime hortamento concilii proficere debet, annuente gloriosissimo domino nostro Recaredo rege, hoc sanctum affirmat concilium, ut viduae, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur; quod si priusquam profiteantur continentiam nubere elegerint, illis nubant quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio et de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum vel suam cogantur maritos accipere: si quis vero propositum castitatis viduae vel virginis impedierit, a sancta communione et a liminibus ecclesiae habeatur extraneus.

XI. Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias non secundum canonem, sed foedissime pro suis peccatis homines agere poenitentiam, ut quotiescumque peccare voluerint, toties a presbytero se reconciliari expostulent: ideo pro coer-

[1] *Quae post haec verba in ed. Merlini inserta exhibentur, nullo in codice Pseudo-Isidoriano inveni.* [2] *In codd. Hisp. omittitur* nec; *cod. Andeg., Ottobon.:* neglector; *codd. A/B, B, C ut textus:* nec lector. [3] *Sic cum Hispan. concordantes omnes codd. Ps.-Isid.; ed. Merl.:* mulierum vero res ab episcopis venundentur *etc.* [4] *Init. cap. in Ps.-Isid. abhorrens a textu Hisp. sec. cod. Andeg.*

cenda tam execrabili praesumptione, id a sancto concilio iubetur, ut secundum formam canonum antiquorum detur poenitentia, hoc est, ut prius eum quem sui poenitet facti a communione suspensum faciat inter reliquos poenitentes ad manus impositionem crebro recurrere; expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat: hi vero qui ad propria vitia vel infra poenitentiae tempus vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum severitatem damnentur.

XII. Quicumque ab episcopo vel presbytero sanus vel infirmus poenitentiam postulat, id ante omnia episcopus observet et presbyter, ut si vir est sive sanus sive infirmus, prius eum tondeat aut in cinere et cilicio habitum mutare faciat[1] et sic poenitentiam ei tradat. Si vero mulier fuerit, non accipiat poenitentiam, nisi prius aut velata fuerit[2] aut mutaverit habitum; saepius enim laicis cum feminis tribuendo desidiose poenitentiam, ad lamentanda rursus facinora post acceptam poenitentiam relabuntur.

XIII. Diuturna indisciplinatio et licentiae inoleta praesumptio usque adeo illicitis ausibus aditum patefecit, ut clerici conclericos suos relicto pontifice suo ad iudicia publica pertrahant. Proinde statuimus, hoc de cetero non praesumi, sed si quis hoc praesumpserit facere, et causam perdat et a communione efficiatur extraneus.

XIV. Conventus noster hoc[3] canonibus inserendum praecepit, ut iudaeis non liceat christianas habere uxores vel concubinas neque mancipium christianum in usus proprios comparare; sed et si qui filii ex tali coniugio nati sunt, assumendos esse ad baptisma; nulla officia publica eos opus est agere per quae eis occasio tribuatur poenam christianis inferre: si qui vero christiani ab eis iudaico ritu sunt maculati vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem et religionem redeant christianam.

XV. Si qui ex servis fiscalibus fortasse ecclesias construxerint easque de sua paupertate ditaverint, hoc procuret episcopus prece sua auctoritate regia confirmari.

XVI. Quoniam pene per omnem Hispaniam sive Galliam idolatriae sacrilegium inolevit, hoc cum consensu gloriosissimi principis sancta synodus ordinavit, ut omnis sacerdos in loco suo una cum iudice territorii sacrilegium memoratum studiose perquirat et exterminare inventum non differat; homines vero qui ad talem errorem concurrunt, salvo discrimine animae, qua potuerint animadversione coerceant: quod si neglexerint, sciant se utrique excommunicationis periculum esse subituros. Si qui vero domini extirpare hoc malum a possessione sua neglexerint vel familiae suae prohibere noluerint, ab episcopo et ipsi a communione pellantur.

XVII. Dum multae querelae ad aures sancti concilii deferrentur, inter cetera tantae crudelitatis est opus nuntiatum, quantum ferre consedentium aures sacerdotum non possent, ut in quibusdam Hispaniae partibus filios suos parentes interimant fornicationis avidi, nescii pietatis: quibus si taedium est filios numerosius augere, prius seipsos debent castigare a fornicatione: nam dum causa propagandae prolis sortiantur coniugia, hi et parricidio et fornicationi tenentur obnoxii, qui foetus necando proprios docent se non pro filiis, sed pro libidine sociari. Proinde tamen nefas ad cognitionem gloriosissimi domini nostri Recaredi regis perlatum est, cuius gloria dignata est iudicibus earumdem partium imperare, ut hoc horrendum facinus diligenter cum sacerdote requirant et adhibita severitate prohibeant: ergo et sacerdotes locorum haec sancta synodus dolentius convenit, ut idem scelus cum iudice curiosius quaerant et sine capitali vindicta acriori disciplina prohibeant.

XVIII. Praecipit haec sancta et venerabilis synodus, ut stante priorum auctoritate canonum, quae bis in anno praecepit congregari concilia, consulta itineris longitudine et paupertate ecclesiarum Hispaniae, semel in anno in locum quem metropolitanus elegerit episcopi congregentur. Iudices vero locorum vel actores fiscalium patrimoniorum ex decreto gloriosissimi domini nostri simul cum sacerdotali concilio autumnali tempore die Kal. Novembr. in unum conveniant, ut discant, quam pie et iuste cum populis agere debeant,[4] ne in angariis aut in operationibus superfluis sive privatum onerent sive fiscalem gravent. Sint etenim prospectatores episcopi secundum regiam admonitionem, qualiter iudices cum populis agant, ut aut ipsos praemonitos corrigant aut insolentias eorum auditibus principis innotescant: quod si correptos emendare nequiverint, et ab ecclesia et a communione suspendant; a sacerdote vero et a senioribus deliberetur, quod provincia sine suo detrimento praestare debeat iudicium. Concilium autem non solvatur, nisi locum prius elegerint quo succedenti tempore iterum ad concilium veniatur, ut iam non necesse habeat metropolitanus episcopus pro congregando concilio litteras destinare, si in priori concilio tempus omnibus denuntietur et locus.

XIX. Multi contra canonum constituta sic ecclesias quas aedificaverint postulant

[1] & [2] *Verba:* aut in cinere — mutare faciat, *et:* nisi prius aut velata fuerit *in codd. purae Hisp. omissa leguntur in Ps.-Isid.* [3] *Sic Andeg. et Ps.-Isid.; Hisp.:* suggerente concilio id gloriosissimus dominus noster. [4] *Quae post haec verba in ed. Merl. inseruntur, neque in Hisp. neque ullo codice Pseudo-Isidor. leguntur.*

consecrari, ut dotem quam ei ecclesiae contulerint censeant ad episcopi ordinationem non pertinere, quod factum et in praeterito displicet et in futurum prohibetur; sed omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem et potestatem pertineant.

XX. Multorum querela hanc constitutionem exegit, quia cognovimus episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed et crudeliter desaevire, et dum scriptum sit: Forma estote gregis neque dominantes in clero, exactiones dioecesi suae vel damna infligunt: ideo excepto quod veterum constitutiones a parochiis habere iubent episcopos, alia quae hucusque praesumpta sunt denegentur, hoc est neque in angariis presbyteres aut diacones neque in aliquibus fatigent indictionibus, ne videamur in ecclesia dei exactores potius quam dei pontifices nominari. Hi vero clerici tam locales, quam dioecesani qui se ab episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad metropolitanum deferre non differant, qui metropolitanus non moretur eiusmodi praesumptiones districte coercere.

XXI. Quoniam cognovimus in multis civitatibus ecclesiarum servos et episcoporum vel omnium clericorum a iudicibus vel actoribus publicis in diversis angariis fatigari, omne concilium a pietate gloriosissimi domini nostri poposcit, ut tales deinceps ausus inhibeat, sed servi suprascriptorum officiorum in eorum usibus vel ecclesiae elaborent: si quis vero iudicum aut actorum clericum aut servum clerici vel ecclesiae in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, a communione ecclesiastica cui impedimentum facit efficiatur extraneus.

XXII. Religiosorum omnium corpora qui divina vocatione ab hac vita recedunt cum psalmis tantummodo et psallentium vocibus debere ad sepulchra deferri; nam funebre carmen quod vulgo defunctis cantari solet vel peccatoribus se proximos aut familias cedere omnino prohibemus. Sufficiat autem quod in spe resurrectionis christianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum; prohibet enim nos apostolus nostros lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolo vos contristari, sicut et ceteri qui spem non habent. Et dominus non flevit Lazarum mortuum, sed ad huius vitae aerumnas ploravit resuscitandum. Si enim potest hoc episcopus, omnes christianos agere prohibere non moretur. Religiosis tamen omnino aliter fieri non debere censemus. Sic enim christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

XXIII. Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent officia divina attendere, saltationibus et turpibus invigilent canticis, non solum sibi nocentes, sed et religiosorum officiis perstrepentes. Hoc enim ut ab omni Hispania depellatur, sacerdotum et iudicium a concilio sancto curae committitur.

Edictum regis in confirmationem concilii.

Gloriosissimus et piissimus dominus noster Recaredus rex: Universorum sub regni nostrae potestate consistentium amatores nos suos divina faciens veritas nostris principaliter sensibus inspiravit, ut causa instaurandae fidei ac disciplinae ecclesiasticae episcopos omnes Hispaniae nostro praesentandos culmini iuberemus. Praecedenti autem diligenti et cauta deliberatione sive quae ad fidem conveniunt seu quae ad morum correctionem respiciunt, cum omni sensus maturitate et intelligentiae gravitate constant esse digesta. Nostra proinde auctoritas id omnibus hominibus ad regnum nostrum pertinentibus iubet, ut si qua definita sunt in hoc sancto concilio habito in urbe Toletana anno regni nostri feliciter quarto, nulli contemnere liceat, nullus praeterire praesumat. Capitula enim quae sensibus nostris placita et disciplinae congrua a praesenti conscripta sunt synodo, in omni auctoritate sive clericorum sive laicorum sive quorumcumque omnium observentur et maneant, id est:[1] de observatione priorum canonum; de symbolo proferendo a populis in ecclesia; de episcopis ut eis non liceat rem alienare ecclesiae; ut episcopo liceat unam de parochitanis ecclesiis monasterium facere; ut episcopis, presbyteris et diaconibus ex haerese conversis iam non liceat misceri uxoribus, vel quod hi qui semper catholici fuerunt in cellulis suis cum mulieribus extraneis non morentur; quod liberti ab episcopis vel ab aliis facti et ecclesiis commendati permanere debeant liberi; quod lectio in omnibus sacerdotalibus mensis legi debeat; quod clericos ex familiis fisci nostri nullus unquam a rege postulet et qui acceperit irrita talis donatio maneat; de ecclesiis ab haerese translatis ut ad episcopos in quorum sunt parochiis pertineant; de viduis quod quae voluerint continentiam teneant, et quae nubere elegerint, quibus voluerint, nubant, eaque et de virginibus; quod poenitentes secundum modum canonum antiquorum debeant agere poenitentiam; quod qui voluerint poenitentiam agere prius tondeantur aut habitum mutent; quod non liceat duos clericos in forum causare publicum; quod iudaeis uxores vel concubinas christianas habere sive comparare mancipia christiana et iudaizare non liceat vel publica officia peragere; quod manere debeat firmum, si servi fisci nostri ecclesias fecerint easque de peculio suo ditaverint; quod idolatriae cultura a sacerdotibus vel a iudicibus exquirenda est atque exterminanda; quod qui filios suos necaverint, a sacerdotibus vel a iudicibus

[1] *Numeri capitulis sequentibus in Hisp. appositi in codd. Ps.-Isid. omittuntur.*

distringantur; quod semel in anno ad concilium sacerdotes et iudices atque actores patrimonii nostri debeant convenire; quod ecclesiarum omnium dotes ad episcopi ordinationem debeant pertinere; quod sacerdotes moderanter agere debeant per parochias suas; quod servi ecclesiae sive clericorum non debeant a iudicibus vel nostris actoribus in aliqua angaria fatigari; quod religiosorum corpora cum hymnis et canticis tantum deferenda sint ad sepulchra; quod ballematiae et turpes cantici prohibendi sunt a sanctorum solemnibus.

Has omnes constitutiones ecclesiasticas quas summatim breviterque praestrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus. Si quis ergo clericus aut laicus harum sanctionum obediens esse noluerit: si episcopus, presbyter, diaconus aut clericus fuerit, ab omni concilio excommunicatione subiaceat; si vero laicus fuerit et honestioris loci persona est, medietatem facultatum suarum amittat fisci viribus profuturam; si vero inferioris loci persona est, amissione rerum suarum mulctatus in exilium deputetur.

Flavius Recaredus rex hanc deliberationem quam cum sancta definivimus synodo confirmans subscripsi. Masona in Christi nomine ecclesiae catholicae Emeritensis metropolitanus episcopus provinciae Lusitaniae his constitutionibus quibus in urbe Toletana interfui, annuens subscripsi.[1] Similiter et alii episcopi subscripserunt c. e. LXVII.

CONCILIUM TOLETANUM QUARTUM SEXAGINTA SEX EPISCOPORUM.[2]

[3]I. De oratione et fidei confessione que in sancta dei ecclesia predicatur.
II. Nulla pene res magis discipline mores ab ecclesia Christi depulit, quam inordinata diversitas officii.
III. De formula secundum quam debeat sancta synodus in dei nomine fieri.
IV. In solemnitate paschali qualiter solet in Hyspaniis varietas existere.
V. De baptismi sacramento.
VI. Comperimus quod per nonnullas ecclesias in die sexte ferie passionis domini clausis basilicarum foribus non celebretur officium.
VII. Quidam in die eiusdem dominice passionis ad horam nonam ieiunium solvunt.
VIII. Lucerna et cereus infra vigilias apud quasdam ecclesias non benedicuntur, et cur a nobis benedicantur inquirunt.
IX. Nonnulli sacerdotum per Hyspanias reperiuntur qui dominicam orationem quam salvator noster docuit et precepit non cotidie, sed tantum die dominico dicunt.
X. Quod sacerdotes Hyspaniae diebus quadragesimae alleluia decantent.
XI. Quod in quibusdam Hyspaniarum ecclesiis laudes post apostolum decantent.
XII. De hymnis etiam canendis.
XIII. De hymno quoque trium puerorum in quo universa celi terreque creatura deum collaudat.
XIV. Quod in finem psalmorum non sicut a quibusdam gloria patri, sed honor et gloria patri dicatur.
XV. Sunt quidam qui in fine responsoriorum gloriam non dicunt.
XVI. De apocalipsi libro, ut teneatur et quando legatur.
XVII. Quod quidam sacerdotes non rite post dictam orationem dominicam statim communicant et postea benedictionem in populo dant.
XVIII. Quod perniciosa consuetudo nequaquam est retinenda.
XIX. Quod in veteri lege ab anno vigesimo quinto levite ordinari mandantur.
XX. Quod sacerdotes dei irreprehensibiles esse debent.
XXI. Quod apud deum conscientiam puram et apud homines famam optimam nos habere oporteat.
XXII. Quemadmodum antistites, ita presbyteri et levite sicut nomine, ita et meritis vitam teneant et testimonium vitae.
XXIII. Quod prona sit omnis etas ab adolescentia in malum.
XXIV. Quod maxime in sacerdotibus dei vitanda est errorum ignorantia.
XXV. De presbyteris parochitanis dum ordinantur, quod libellum officialem a sacerdote suo accipere debent.
XXVI. Quando presbyteri aut diaconi in parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere.
XXVII. Si episcopus, presbyter, diaconus aut subdiaconus a gradu suo deiecti fuerint et in secunda synodo innocentes inveniantur, qualiter recipi debeant.
XXVIII. Si episcopus, presbyter seu diaconus vel ex ordine clericorum magos, aruspices, ariolos, augures vel sortilegos consulere fuerint deprehensi, quid de eis agendum sit.
XXIX. Confinitimi hostium sacerdotes preter eos qui a regia potestate licentiam acceperint in synodo mundandi sunt.
XXX. Quod sepe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios sacerdotibus sua negotia committunt.
XXXI. Ut episcopi in protegendis populis ac defendendis impositam a deo sibi curam non ambigant.
XXXII. Quod avaritia radix cunctorum ma-

[1] *Sic sec. Andeg. Ceterae subscriptiones quae pro verbis* „Similiter *etc.*" *in coll. Hisp. leguntur et homilia Leandri ibidem exhibita neque in Andeg. neque alio in cod. Ps.-Isid. inveniuntur. Omnes Ps.-Is., qui ponunt verba* Similiter *etc., tantum in numero episcoporum differunt.* [2] *Inscript. et text. sec. ed. cit. Hisp.; omittunt inscript. cod. Andeg., celeri codd. Pseudo-Is. A1 et A/B.* [3] *Tituli sec. edit. Merl., quales codd. Ps.-Is. eos ab Hispanis abhorrentes exhibent.*

I.[1] Anno tertio regnante domino nostro gloriosissimo principe Sisenando, die Non. Decembr. era DCLXXI, dum studio amoris Christi ac diligentia religiosissimi Sisenandi regis Hispaniae atque Galliae sacerdotes apud Toletanam urbem in nomine domini convenissemus, ut eius imperiis atque iussis communis a nobis agitaretur de quibusdam ecclesiae disciplinis tractatus, primum gratias salvatori nostro deo omnipotenti egimus, posthaec antefato ministro eius excellentissimo et glorioso regi, cuius tanta erga deum devotio extat, ut non solum in rebus humanis, sed etiam in causis divinis sollicitus maneat. Hic quippe dum in basilica beatissimae et sanctae martyris

[1] *Divisio capitum sec. codd. Ps.-Isid., non sec. Hisp.*

Leocadiae omnium nostrum pariter iam coetus adesset, tali pro merito fidei suae cum magnificentissimis et nobilissimis viris ingressus, primum coram sacerdotibus dei humo prostratus, cum lacrymis et gemitibus pro se interveniendum deo postulavit; deinde religiosa prosequutione synodum exhortatus est, ut paternorum decretorum memores ad conservanda in nobis iura ecclesiastica studium praeberemus, et illa corrigere quae dum per negligentiam in usum venerunt contra ecclesiasticos mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt. Talibus igitur eius monitis congaudentes necessarium extitit iuxta eius nostrumque votum tractare quae competunt sive in sacramentis divinis, quae diverso atque illicito modo in Hispaniarum ecclesiis celebrantur, seu quae in moribus prave usurpata noscuntur. Et quoniam generale concilium agimus, oportet primum nostrae vocis sermonem de deo esse, ut post professionem fidei sequentia operis nostri vota, quasi super fundamentum firmissimum disponantur. Secundum divinas scripturas et doctrinam quam a sanctis patribus accepimus, patrem et filium et spiritum sanctum unius deitatis atque substantiae confitemur, in personarum diversitate trinitatem credentes, in divinitate unitatem praedicantes nec personas confundimus nec substantiam separamus. Patrem a nullo factum vel genitum dicimus, filium a patre non factum, sed genitum asserimus, spiritum vero sanctum nec creatum nec genitum, sed procedentem ex patre et filio profitemur: ipsum autem dominum Iesum Christum filium dei et creatorem omnium ex substantia patris ante secula genitum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a patre, qui nunquam desiit esse cum patre; incarnatus est enim ex spiritu sancto et sancta gloriosa dei genitrice virgine Maria et natus ex ipsa solus: idem Christus dominus Iesus unus de sancta trinitate anima et carne perfectum sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat, aequalis patri secundum divinitatem, minor patri secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietates; naturae enim in illo duae, deus et homo, non autem duo filii et dii duo, sed idem una persona in utraque natura; perferens passionem et mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis, descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret devictoque mortis imperio resurrexit; assumptus deinde in coelos venturus est in futuro ad iudicium vivorum et mortuorum, cuius morte et sanguine mundati remissionem peccatorum consequuti sumus, resuscitandi ab eo in die novissima in ea qua nunc vivimus carne et in ea qua resurrexit idem dominus forma, percepturi ab ipso alii pro iustitiae meritis vitam aeternam, alii pro peccatis supplicii aeterni sententiam. Haec est ecclesiae catholicae fides, hanc confessionem servamus atque tenemus, quam quisquis firmissime custodierit, perpetuam salutem habebit.

II. Post rectae fidei confessionem quae in sancta dei ecclesia praedicatur, placuit ut omnes sacerdotes qui catholicae fidei unitate complectimur, nihil ultra diversum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus, ne quaelibet nostra diversitas apud ignotos seu carnales schismatis errorem videatur ostendere et multis existat in scandalum varietas ecclesiarum. Unus igitur ordo orandi atque psallendi a nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conservetur, unus modus in missarum solemnitatibus, unus in vespertinis matutinisque officiis, nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo qui una fide continemur et regno. Hoc enim et antiqui canones decreverunt, ut unaquaeque provincia et psallendi et ministrandi parem consuetudinem teneat.

III. Nulla pene res disciplinae mores ab ecclesia Christi depulit, quam sacerdotum negligentia qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodum facere negligunt: ob hoc a nobis universaliter definitum est, ut quia iuxta patrum antiqua decreta bis in anno difficultas temporis fieri concilium non sinit, saltem vel semel a nobis celebretur, ita tamen, ut si fidei causa est aut quaelibet alia ecclesiae communis, generalis totius Hispaniae et Galliae synodus convocetur; si vero nec de fide, nec de communi ecclesiae utilitate tractabitur, sed speciale erit concilium uniuscuiusque provinciae, ubi metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autem qui causas contra episcopos aut iudices vel potentes aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem concilium concurrant, et quaecumque examine synodali a quibuslibet prave usurpata inveniuntur regii exequutoris instantia iustissime his quibus iura sunt reformentur, ita ut pro compellendis iudicibus vel secularibus viris ad synodum metropolitani studio idem exequutor a principe postuletur. Quinto decimo autem Kal. Iun. congreganda est in unaquaque provincia synodus propter vernale tempus, quando herbis terra vestitur et pabula germinum inveniuntur.

Hora itaque diei prima ante solis ortum eiiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis ad unam ianuam per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent: et convenientes omnes episcopi pariter introeant, et secundum ordinationis suae tempus resideant. Post ingressum omnium episcoporum atque consessum vocentur deinde presbyteres quos causa probaverit introire; nullus se inter eos ingerat diaconorum. Post hos ingrediantur diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse, et corona facta de sedibus episcoporum

presbyteres a tergo eorum resideant, diacones in conspectu episcoporum stent, deinde ingrediantur laici qui electioni concilii interesse meruerint. Ingrediantur quoque et notarii quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit, et obserentur ianuae. Sedentesque in diuturno silentio sacerdotes et cor totum habentes ad deum, dicat archidiaconus: Orate! statimque omnes in terram prostrabuntur, et orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus, tunc unus ex episcopis senioribus surgens orationem palam fundat ad dominum, cunctis adhuc in terra iacentibus. Finita autem oratione et responso ab omnibus Amen, rursus diaconus dicat: Erigite vos! et confestim omnes surgant et cum omni timore dei et disciplina, tam episcopi quam presbyteri sedeant, sicque omnibus in suis locis in silentio consedentibus diaconus alba indutus codicem canonum in medium proferens capitula de conciliis agendis pronuntiet, finitisque titulis metropolitanus episcopus concilium alloquatur, dicens: Ecce, sanctissimi sacerdotes, recitatae sunt ex canonibus priscorum patrum sententiae de concilio celebrando; si qua igitur quempiam vestrum actio commovet coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcumque querelam quae contra canones agit in audientiam sacerdotalem protulerit, non prius ad aliud transeatur capitulum, nisi primum quae praeposita est actio terminetur. Nam et si presbyter aliquis aut diaconus, clericus sive laicus de his qui foris steterint, concilium pro qualibet re crediderit appellandum, ecclesiae metropolitanae archidiacono causam suam intimet, et ille concilio denuntiet: tunc illi et introeundi et proponendi licentia concedatur. Nullus autem episcoporum a coetu communi secedat antequam hora generalis secessionis adveniat: concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita ut quaecumque deliberatione communi finiuntur episcoporum singulorum manibus subscribantur: tunc enim deus suorum sacerdotum interesse credendus est, si tumultu omni abiecto sollicite atque tranquille ecclesiastica negotia terminentur.

IV. Solet in Hispaniis de solemnitate paschali varietas existere praedicationis, diversa enim observantia laterculorum paschalis festivitatis interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menses epiphaniorum metropolitani sacerdotes libris se invicem inquirant, ut communi scientia edocti diem resurrectionis Christi et comprovincialibus suis insinuent et uno tempore celebrandum annuntient.

V. De baptismi autem sacramento, propter quod in Hispaniis quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, a nonnullis schisma esse conspicitur et unitas fidei scindi videtur; nam dum partes diverso et quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid a nobis in hac sacramenti diversitate fiendum sit, apostolicae sedis informemur praeceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatae igitur memoriae Gregorius Romanae ecclesiae pontifex qui non solum partes Italiae illustravit, sed et longe existentes ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro episcopo de hac Hispaniae diversitate quid potius esset sequendum, inter cetera rescribens ei, sic ait: De trina vero mersione baptismatis nihil respondi verius potest, quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctae ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur: quod si quis forte etiam pro summae trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter quia de utroque sacramento quod fit in sancto baptismo a tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta dei ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum vel haeretici dogmatis usum simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos qui tertio mergunt haereticorum approbare assertionem, dum sequuntur et morem, et ne forte cuiquam sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem et resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio quasi in infernum descensio est et rursus ab aquis emersio resurrectio est. Item videant in eo unitatem divinitatis et trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel mergimus; trinitatem, dum in nomine patris et filii et spiritus sancti baptizamus. Panditur huius singularis baptismatis mysterium etiam scripturarum sanctarum exemplis, Paulo apostolo attestante: Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Mare quippe rubrum significat baptismum Christi sanguine consecratum, per quem populus dei semel transiit, ubi tamen tota erat trinitas praecedente populum columna ignis et nubis. In igne quippe significatur pater, in columna filius, in nube spiritus sanctus. Iordanis quoque fluenta cum arca

populus dei semel transiit, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cuius sacramento ecclesia abluitur et de seculi huius laboribus per baptismum quasi per Iordanem ad terram coelestis repromissionis ingreditur.

VI. Comperimus quod per nonnullas ecclesias in die sexta feria passionis domini clausis basilicarum foribus nec celebretur officium nec passio domini populis praedicetur, dum idem salvator noster apostolis suis praecipiat dicens: Passionem et mortem et resurrectionem meam omnibus praedicate. Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse dominus cunctis annuntiandum voluit, praedicare atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut poenitentiae compunctione mundati venerabilem diem dominicae resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur corporisque eius et sanguinis sacramentum mundi a peccato sumamus.

VII. Quidam in die eiusdem dominicae passionis ab hora nona ieiunium solvunt, conviviis abutuntur, et dum sol ipse eadem die tenebris palleatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata moestitiam totius mundi ostenderint, illi ieiunium tanti diei polluunt epulisque inserviunt: et quia totum eumdem diem universalis ecclesia propter passionem domini in moerore et abstinentia peragit, quicumque in eo ieiunium praeter parvulos, senes et languidos ante peractas indulgentiae preces resolverit, a paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corporis et sanguinis domini percipiat, quia diem passionis ipsius per abstinentiam non honorat.

VIII. Lucerna et cereus in pervigiliis paschae apud quasdam ecclesias non benedicuntur et cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter haec benedicimus, ut sacrae resurrectionis Christi mysterium quod tempore huius votivae noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis suscipiamus; et quia haec observatio per multarum loca terrarum regionesque Hispaniae in ecclesiis commendatur, dignum est ut propter unitatem pacis in Gallicanis ecclesiis conservetur: nulli autem impune erit qui haec statuta contempserit, sed patrum regulis subiacebit.

IX. Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui dominicam orationem quam salvator noster docuit et praecepit non quotidie, sed tantum die dominica dicunt, et quia ut sine intermissione oremus apostolus docuit, qualiter autem oremus, Christus praecepit dicens: Cum autem oratis, dicite: Pater noster qui es in coelis. Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam in tantum quotidie haec oratio dicenda est, quantum et ipso titulo utitur, dum vocatur oratio quotidiana: sic enim eam sancti patres nuncupaverunt, quod etiam apud doctores, quorum illustris doctrina est, invenitur. Sanctus quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione dominica, panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus. Sanctus Hilarius dicit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult deus quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitae et panis e coelo? et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut detur oratur? Sanctus Augustinus dicit: De quotidianis autem brevibusque peccatis sine quibus vita haec non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit; eorum est enim dicere: Pater noster qui es in coelis, qui iam patre tali regenerati sunt ex aqua et spiritu sancto. Delet igitur haec quotidiana oratio minima quotidiana peccata, delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerata gesta poenitendo in melius mutata discedit. Ergo sicut Christus praecepit, sicut apostolus admonuit, et quemadmodum doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione vel verbo vel opere delinquimus quotidie hanc orationem effundere in conspectu dei debemus: quisquis ergo sacerdotum vel subiacentium clericorum hanc orationem dominicam quotidie aut in publico aut in privato officio praeterierit propter superbiam, iudicatus ordinis sui honore mulctetur.

X. Item cognovimus quosdam Hispaniae sacerdotes, quod in quadragesimae diebus alleluia decantent praeter in ultima hebdomada paschae, quod deinceps fieri interdicimus statuentes, ut in omnibus praedictis quadragesimae diebus, quia tempus est non gaudii, sed moeroris, alleluia ideo non decantetur. Tunc enim opus est fletibus ac ieiuniis resistere, corpus cilicio et cinere induere, animum moeroribus deiicere, gaudium in tristitiam vertere quousque veniat tempus resurrectionis Christi, quando oporteat alleluia in laetitia canere et moerorem in gaudium commutare. Hoc enim ecclesiae universalis consensio in cunctis provinciarum partibus roboravit, quod et a nobis omnibus ut conservetur per Hispanias Galliasque provincias oportebit. In temporibus quoque reliquorum, id est Kalend. Ianuar., quae propter errorem gentilium aguntur, omnino alleluia non decantabitur, in quibus etiam praeter piscem et olus, sicut in illis quadraginta diebus ceteris carnibus abstinetur et a quibusdam etiam nec vinum bibitur. Si quis igitur episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus qui arbitrium suum huic constitutioni aestimat praeferendum, ordinis sui officio carere cogatur et communione eiusdem paschae privetur.

XI. In quibusdam quoque Hispaniarum ecclesiis laudes post apostolum decantantur

priusquam evangelium praedicetur, dum praecipiant post apostolum non laudes sed evangelium pronuntiare, praesumptio est enim ut anteponantur ea quae sequi debent. Nam laudes ideo evangelium sequuntur propter gloriam Christi, quae per idem evangelium praedicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis poenam suscepturi, qui hunc ordinem perturbaverint.

XII. De hymnis etiam canendis et salvatoris et apostolorum habemus exemplum. Nam et ipse dominus hymnum dixisse perhibetur Matthaeo evangelista testante: Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti; et Paulus apostolus ad Ephesios scripsit dicens: Implemini spiritu loquentes in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem dei atque apostolorum et martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant pro eo quod de scripturis sanctorum canonum vel apostolica traditione non existunt; respuant ergo et illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria et honor patri et filio et spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Nam et ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerunt: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis, et reliqua quae ibi sequuntur, ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec idem in ecclesiis canendus est, quia in sanctarum scripturarum libris non est? Componuntur hymni, sicut componuntur missae sive preces vel orationes sive commendationes seu manus impositiones, ex quibus si nulla dicantur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Admonet haec fieri atque hortatur Timotheum apostolus dicens: Obsecro ergo primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt. Sicut igitur orationes, ita et hymnos in laudem dei compositos nullus nostrum ulterius improbet, sed pari modo Gallia Hispaniaque celebret; excommunicatione plectendi qui hymnos reiicere fuerint ausi.

XIII. Hymnum quoque trium puerorum in quo universa coeli terraeque creatura deum collaudat et quem ecclesia catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in missa dominicorum dierum et in solemnitatibus martyrum canere negligunt. Proinde hoc sanctum concilium instituit, ut per omnes ecclesias Hispaniae vel Galliae in omnium missarum solemnitate idem hymnus in pulpito decantetur, communionem amissuri qui et antiquam huius hymni consuetudinem nostramque definitionem excesserint.

XIV. In fine psalmorum non, sicut a quibusdam hucusque, Gloria patri, sed Gloria et honor patri dicatur, David propheta dicente: Afferte domino gloriam et honorem, et Ioannes evangelista in apocalypsi audivit vocem coelestis exercitus dicentium: Honor et gloria deo nostro sedenti in throno; ac per hoc haec duo sic oportet in terris dici sicut in coelis resonant. Universis igitur ecclesiasticis hanc observationem damus, quam quisquis praeterierit communionis iacturam habebit.

XV. Sunt quidam qui in fine responsoriorum Gloriam non dicunt, propter quod interdum inconvenienter resonat; sed haec est discretio, ut in laetis sequatur Gloria, in tristioribus repetatur principium.

XVI. Apocalypsis librum multorum conciliorum auctoritas et synodica sanctorum praesulum Romanorum decreta Ioannis evangelistae esse praescribunt, et inter divinos libros recipiendam constituerunt; et quia plurimi sunt qui eius auctoritatem non recipiunt atque in ecclesia dei praedicare contemnunt, si quis eum deinceps aut non receperit aut a pascha usque ad pentecosten missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit.

XVII. Nonnulli sacerdotes post dictam orationem dominicam statim communicant et postea benedictionem populo dant, quod deinceps interdicimus, sed post orationem dominicam et coniunctionem panis et calicis benedictio in populum sequatur, et tunc demum corporis et sanguinis domini sacramentum sumatur, eo videlicet ordine ut sacerdos et levita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

XVIII. Perniciosa consuetudo nequaquam est reticenda quae maiorum statuta praeteriens omnem ecclesiae ordinem perturbavit, dum alii per ambitum sacerdotia appetunt, alii oblatis muneribus pontificatum assumunt, nonnulli etiam sceleribus implicati vel saeculari militiae dediti indigni ad honorem summi ac sacri ordinis pervenerunt, de quorum scilicet casu atque remotione oportuerat quidem statuendum, sed perturbatio quamplurima ecclesiae oriretur. Praeteritis omissis deinceps qui non promoveantur ad sacerdotium ex regulis canonum, necessario credimus inserendum, id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiae nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam poenitentiam admisisse confessi sunt, qui in haeresim lapsi sunt, qui in haeresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt aut naturaliter defectu membrorum aut decisione aliquid minus habere noscuntur, qui secundae uxoris coniunctionem sortiti sunt aut numerosa coniugia frequentaverunt, qui viduam vel marito relictam duxerunt aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationes habuerunt,

qui servili conditioni obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti vel laici sunt, qui seculari militiae dediti sunt, qui curiae nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quaerunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui a decessoribus in sacerdotium eliguntur; sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus nec populus propriae civitatis elegit, nec auctoritas metropolitani vel comprovincialium sacerdotum assensio exquisivit. Quicumque igitur deinceps ad ordinem sacerdotii postulatur et in his quae praedicta sunt exquisitus in nullo horum deprehensus fuerit atque examinatus probabilis vita atque doctrina extiterit, tunc secundum synodalia vel decretalia constituta cum omnium clericorum vel civium voluntate ab universis comprovincialibus episcopis aut certe a tribus in sacerdotum die dominica consecrabitur, conniventibus ceteris qui absentes fuerint litteris suis, et magis auctoritate vel praesentia eius qui est in metropoli constitutus. Episcopus autem comprovincialis ibi consecrandus est, ubi metropolitanus elegerit: metropolitanus autem non nisi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra praedicta vetita canonum ad gradum sacerdotii indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

XIX. In veteri lege ab anno vicesimo et quinto levitae tabernaculo servire mandantur, cuius auctoritatem in canonibus et sancti patres secuti sunt. Nos et divinae legis et conciliorum praecepti immemores, infantes et pueros levitas facimus ante legitimam aetatem, ante experientiam vitae: ideoque ne ulterius fiat a nobis et divinae legis et canonicis admonemus sententiis, sed a viginti quinque annis aetate levitae consecrentur et a triginta presbyteres ordinentur, ita ut secundum apostolicum praeceptum probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes.

XX. Quicumque in sacerdotio dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo apostolo attestante: Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Inoffensos igitur et immaculatos decet dei existere sacerdotes, nec ullo eos fornicationis contagio pollui, sed caste viventes mundos semetipsos celebrandis exhibeant sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, et ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, ut mundi corpore, purgati mente possimus ad sacrificium Christi digni accedere et deum pro delictis omnium deprecari.

XXI. Quamvis conscientiam puram apud deum nos habere oporteat, tamen et apud homines famam optimam custodire convenit, ut iuxta praeceptum apostolicum non tantum coram deo, sed etiam coram hominibus vitae sanctae testimonium habeamus. Quidam enim hucusque sacerdotum non modicum scandalum creaverunt, dum in accusatione luxuriae in conversatione vitae non bonae famae existunt. Ut igitur excludatur deinceps omnis nefanda suspicio aut casus et ne detur ultra secularibus obtrectandi locus, oportet episcopos testimonium probabilium personarum in conclavi suo habere, ut et deo placeant per conscientiam puram et ecclesiae per optimam famam.

XXII. Non aliter placuit, ut quemadmodum antistites, ita presbyteres atque levitae quos forte infirmitas atque aetatis gravitas in conclavi episcopi manere non sinit, ut et idem in cellulis suis testes vitae habeant vitamque suam sicut nomine ita et meritis teneant.

XXIII. Prona est omnis aetas ab adolescentia in malum, nihil enim incertius quam vita adolescentium; ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant deputati probatissimo seniori, quem et magistrum doctrinae et testem vitae habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, sacerdotali tutela foveantur, ut et vita eorum a criminibus intacta sit et res ab iniuria improborum. Qui autem his praeceptis reluctaverint, monasteriis deputentur, ut vagantes animi et superbi severiori regula distringantur.

XXIV. Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, sacerdotes enim legere sancta scriptura frequenter admonet Paulo apostolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi, doctrinae; semper permane in his. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas et canones, ut omne opus eorum in praedicatione divina et doctrina consistat atque aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.

XXV. Quando presbyteres in parochias ordinantur, libellum officiale a sacerdote suo accipiant ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam ipsis divinis sacramentis offendant, ita ut, quando ad litanias vel ad concilium venerint, rationem episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant vel baptizant.

XXVI. Quando presbyteres aut diacones per parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere ut caste et pie vivant sub timore dei, ut dum eos tali professione alligat, vitae sanctae disciplina retineat.

XXVII. Episcopus, presbyter aut diaconus si a gradu suo iniuste deiectus in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos reci-

piat, ut si episcopus fuerit, recipiat coram altario de manu episcoporum orarium, annulum et baculum; si presbyter, orarium et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem; sic et reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant quae cum ordinarentur perceperant.

XXVIII. Si episcopus aut presbyter sive diaconus vel quilibet ex ordine clericorum magos aut aruspices aut ariolos aut certe augures vel sortilegos vel eos qui profitentur artem aliquam aut aliquos eorum similia exercentes consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suae depositus monasterii poenam excipiat ibique perpetuae poenitentiae deditus scelus admissum sacrilegii luat.

XXIX. Confinitimi hostium sacerdotes praeter eos qui a regia potestate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occulte accipere vel dirigere non praesumant; qui autem deprehenditur atque convincitur denuntiatus principi apud concilium condigna animadversione mulctabitur.

XXX. Saepe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt; sed quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiunt regibus fieri iudices, ubi iureiurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia praeparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum et apud ecclesiam perdat proprium gradum.

XXXI. Episcopi in protegendis populis ac defendendis impositam a deo sibi curam non ambigant, ideoque dum conspiciunt iudices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant; et si contempserint emendari, eorum insolentias regiis auribus intiment, ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat. Si quis autem episcoporum id neglexerit, concilio reus erit.

XXXII. Avaritia radix cunctorum malorum, cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi et martyrum in parochiis episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt, sacerdotes haec auferunt atque in usus suos convertunt, inde est quod cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt, inde labentium basilicarum ruinae non reparantur, quia avaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est a praesenti concilio episcopos ita dioeceses suas regere, ut nihil ex earum iure praesumant auferre, sed iuxta priorum auctoritatem conciliorum, tam de oblationibus quam de tributis ac frugibus tertiam consequantur: quod si amplius quidpiam ab eis praesumptum extiterit, per concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus aut certe propinquis eorum, si iam illi a saeculo decesserunt. Noverint autem conditores basilicarum in rebus quas eisdem ecclesiis conferunt nullam potestatem habere, sed iuxta canonum constituta sicut ecclesiam ita et dotem eius ad ordinationem episcopi pertinere.

XXXIII. Quicumque episcopus alterius episcopi dioecesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundum ius legis eius iam videtur esse dioecesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra unam provinciam, extra vero nullo modo, ne dum dioecesis defenditur provinciarum termini confundantur.

XXXIV. Sicut dioecesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorii conventum non amittit, ideoque basilicae, quae novae conditae fuerint, ad eum procul dubio episcopum pertinebunt, cuius conventus esse constiterit.

XXXV. Episcopum per cunctas dioeceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quid unaquaeque basilica in reparationem sui indigeat; quod si ipse aut languore detentus aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui et reditus basilicarum et reparationes et ministrantium vitam inquirant.

XXXVI. Quicumque episcopi suffragio cuiuslibet aliquid ecclesiasticae utilitati providerint et pro eo quodcumque modicum in remuneratione promiserint, promissi solutionem eos exsolvere oportebit, ita ut id ad concilium comprovinciale deductum eorum conniventia confirmetur, quia sicut Paulus apostolus ait: Dignus est operarius mercedem suam accipere.

XXXVII. Praebendum est a sacerdotibus vitae solatium indigentibus et maxime his quibus restituenda vicissitudo est. Quicumque ergo fidelium de facultatibus suis ecclesiae aliquid devotione propria contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant. Si enim clericis vel monachis seu peregrinis aut quamlibet necessitatem sustinentibus pro solo religionis intuitu in usum res ecclesiasticae largiuntur, quanto magis consulendum est, quibus retributio iusta debetur?

XXXVIII. Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, ut sese presbyteris anteponant atque in primo choro ipsi priores stare praesumant, presbyteris in secundo choro constitutis: ergo ut sublimiores sibi presbyteros agnoscant, tam hi quam illi in utroque choro consistant.

XXXIX. Orariis duobus nec episcopo quidem licet nec presbytero, quanto magis diacono qui minister eorum est? Unum igitur orarium oportet levitam gestare in sinistro

humero, propter quod orat, id est praedicat, dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caveant igitur amodo levitae gemino uti orario, sed uno tantum et puro nec ullis coloribus aut auro ornato.

XL. Omnes clerici vel lectores sicut levitae et sacerdotes detonso superius toto capite inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Gallaeciae partibus facere lectores videntur, qui prolixis ut laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondunt, ritus enim iste in Hispaniis haereticorum fuit; unde oportet ut pro amputando ecclesiae scandalo hoc signum dedecoris auferatur et una sit tonsura vel habitus sicut totius Hispaniae est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicae reus erit.

XLI. Cum clericis extraneae foeminae nullatenus habitent, nisi tantum mater et soror, filia vel amita, in quibus personis nihil sceleris aestimari foedus naturae permittit: id enim et constitutio antiquorum patrum decrevit.

XLII. Quidam clerici legitimum non habentes coniugium, extranearum mulierum vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt, ideoque quaecumque clericis taliter adiunctae sunt ab episcopo, auferantur et venundentur, illis pro tempore religatis ad poenitentiam quos sua libidine infecerunt.

XLIII. Clerici qui sine consulto episcopi sui uxores duxerint aut viduam vel repudiatam vel meretricem in coniugium acceperint, separari eos a proprio episcopo oportebit.

XLIV. Clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint aut sumpserunt, reperti amisso ordinis sui gradu in monasterium poenitentiae contradantur.

XLV. Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum a clericatus ordine submoveri et poenitentiae triennio deputari.

XLVI. Praecipiente domino nostro atque excellentissimo Sisenando rege id constituit sanctum concilium, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, ut liberi deo serviant nullaque praepediti necessitate ab ecclesiasticis officiis retrahantur.

XLVII. Eos quos oeconomos Graeci vocant, hoc est qui vice episcoporum res ecclesiasticas tractant, sicut sancta synodus Chalcedonensis instituit, omnes episcopos de proprio clero ad regendas ecclesias habere oportet; qui autem deinceps contempserit, obnoxius eidem magno concilio erit.

XLVIII. Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum tenebit: proinde eis ad mundum reverti intercludimus aditum et omnem ad saeculum interdicimus regressum.

XLIX. Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

L. Nuntiatum est praesenti concilio, quod monachi episcopali imperio servili opere mancipentur et iura monasteriorum contra instituta canonum illicita praesumptione usurpentur, ita ut pene ex coenobio possessio fiat atque illustris portio Christi ad ignominiam servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos qui ecclesiis praesunt, ut ultra talia non praesumant, sed hoc tantum sibi in monasteriis vindicent sacerdotes quod praecipiunt canones, id est, monachos ad conversationem sanctam praemonere, abbates aliaque officia instituere atque extra regulam acta corrigere; quod si aliquid in monachis canonibus interdictum praesumpserint aut usurpare quidpiam de monasterii rebus tentaverint, non deerit ab illis sententia excommunicationis qui se deinceps nequaquam substulerint ab illicitis.

LI. Nonnulli monachorum egredientes a monasterio non solum ad seculum revertuntur, sed etiam et uxores accipiunt; hi igitur revocati in idem monasterium a quo exierunt, poenitentiae deputentur, ibique defleant crimina sua unde decesserunt.

LII. Religiosi viri propriae regionis qui nec inter clericos nec inter monachos habentur, sive hi qui per diversa loca vagi feruntur, ab episcopis in quorum conventu commanere noscuntur licentia eorum coerceatur, in clero aut in monasteriis deputati propter eos qui ab episcopo suo aut propter aetatem aut propter languorem fuerint absoluti.

LIII. Hi qui in discrimine constituti poenitentiam accipiunt nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum peccatores se praedicantes, huiusmodi si revaluerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus ecclesiasticos pervenire. Qui vero ita poenitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publice fateantur, ad clerum vel honores ecclesiasticos pervenire nullatenus possunt, quia se confessione propria notaverunt.

LIV. Quicumque ex secularibus accipientes poenitentiam se totonderunt et rursus praevaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo ad poenitentiam ex qua recesserunt revocentur. Quod si aliqui per poenitentiam irrevocabiles sunt nec admoniti revertuntur, vere ut apostatae coram ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter et hi qui detonsi a parentibus fuerint aut sponte sua amissis parentibus seipsos religioni voverunt et postea habitus seculares sumpserunt, et

idem a sacerdote comprehensi ad cultum religionis acta prius poenitentia revocentur. Quod si reverti non possunt vere ut apostatae anathematis sententiae subiiciantur. Quae forma servabitur etiam in viduis virginibusque sacris ac poenitentibus foeminis, quae sanctimonialem habitum induerunt et postea aut vestem mutaverunt aut ad nuptias transierunt.

LV. Duo sunt genera viduarum, seculares et sanctimoniales: seculares viduae sunt quae adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt, sanctimoniales sunt quae iam mutato habitu seculari sub religioso cultu in conspectu sacerdotis vel ecclesiae apparuerunt. Hae si ad nuptias transierint iuxta apostolum non sine damnatione erunt, quia se primum deo voventes postea castitatis propositum abiecerunt.

LVI. De iudaeis autem hoc praecepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult deus miseretur, et quem vult indurat: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia dei propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem iampridem ad christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia iam constat eos sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam suscepisse et chrismate unctos esse et corporis domini et sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt tenere cogantur, ne nomen domini blasphemetur et fides quam susceperunt vilis ac contemptibilis habeatur.

LVII. Tanta est quorumdam cupiditas, ut quidam eam appetentes, iuxta quod ait apostolus, etiam a fide erraverint. Multi quippe hucusque ex sacerdotibus atque laicis accipientes a iudaeis munera, perfidiam eorum patrocinio suo fovebant, qui non immerito ex corpore antichristi esse noscuntur, quia contra Christum faciunt. Quicumque igitur deinceps episcopus sive clericus vel secularis illis contra fidem christianam suffragium vel munere vel favore praestiterit, vere ut profanus et sacrilegus anathema effectus ab ecclesia catholica et regno dei efficiatur extraneus, quia dignum est, ut a corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur.

LVIII. Plerique qui ex iudaeis dudum ad christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christo non solum iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam et abominandas circumcisiones exercere praesumpserunt, de quibus consulto piissimi ac religiosissimi domini nostri Sisenandi regis hoc sanctum decrevit concilium, ut huiusmodi transgressores pontificali auctoritate correcti ad cultum christiani dogmatis revocentur, ut quos voluntas propria non emendat animadversio sacerdotalis coerceat. Eos autem quos circumciderunt, si filii eorum sunt, a parentum consortio separentur, si servi, pro iniuria corporis sui libertati tradantur.

LIX. Iudaeorum filios vel filias ne parentum ultra involvantur errore, ab eorum consortio separari decernimus deputatos aut monasteriis aut christianis viris ac mulieribus deum timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant.

LX. Iudaei baptizati, si postea praevaricantes in Christum qualibet poena damnati extiterint, a rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, quia scriptum est: Filius non portabit patris iniquitatem patris.

LXI. Saepe malorum consortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni sunt? Nulla igitur ultra communio sit hebraeis ad fidem christianam translatis cum his qui adhuc in veteri ritu consistunt, ne forte eorum participio subvertantur. Quicumque igitur amodo ex his qui baptizati sunt infidelium consortia non vitaverint et hi christianis donentur et illi publicis caedibus deputentur.

LXII. Iudaei qui christianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, christiani efficiantur: quod si admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in eius permanere coniunctione, quae iam in christianam translata est fidem; filii autem qui ex talibus nati existunt fidem atque conditionem matris sequantur: similiter et hi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris christianam sequantur religionem, non iudaicam superstitionem.

LXIII. Non potest erga homines esse fidelis qui deo extiterit infidus. Iudaei ergo qui dudum christiani effecti sunt et nunc in Christi fidem praevaricati sunt, ad testimonium dicendum admitti non debent, quamvis sese christianos annuntient, quia sicut in fide Christi suspecti sunt, ita et in testimonio humano dubii habentur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium qui in fide falsi docentur, nec eis esse credendum qui veritatis a se fidem abiiciunt.

LXIV. Praecipiente domino atque excellentissimo Sisenando rege id constituit sanctum concilium, ut hi qui ex iudaeis sunt officia publica nullatenus appetant, quia sub hac occasione christianis iniuriam faciunt, ideoque iudices provinciarum cum sacerdotibus eorum subreptiones fraudulenter relictas suspendant et officia publica eos agere non permittant. Si quis autem iudicum hoc permiserit, velut in sacrilegum

excommunicatio proferatur, et is qui subrepserit publicis caedibus deputetur.

LXV. Ex decreto gloriosissimi principis hoc sanctum elegit concilium, ut iudaeis non liceat christianos servos habere nec christiana mancipia emere nec cuiusquam consequi largitate. Nefas est enim, ut membra Christi serviant antichristi ministris. Quod si deinceps servos christianos vel ancillas iudaei habere praesumpserint, sublati ab eorum dominatu libertatem a principe consequantur.

LXVI. Et si qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, aeterni iudicis voce in futuro condemnabuntur, quanto magis hi qui auferunt pauperibus quae non dederunt! Quapropter episcopi qui nihil ex proprio suo ecclesiae Christi compensaverunt, hanc divinam sententiam metuant et liberos ex familiis ecclesiae ad condemnationem suam facere non praesumant; impium est enim ut qui res suas ecclesiis Christi non contulit damnum inferat et ius ecclesiae alienare intendat: tales igitur libertos successor episcopus absque aliqua oppositione ad ius ecclesiae revocabit, quia eos non aequitas sed improbitas absolvit.

LXVII. Episcopus qui mancipium iuris ecclesiae non retento ecclesiastico patrocinio manumitti desiderat, duo meriti eiusdem et peculii coram concilio ecclesiae cui praeeminet per commutationem subscribentibus sacerdotibus offerat, ut rata et iusta inveniatur definitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio ecclesiae concedere poterit, qui eum quem libertati tradere disponit, iam iuri proprio adquisivit. Huiusmodi autem liberto adversus ecclesiam cuius iuris extitit accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si praesumpserit, placet ut stante commutatione in servitutem propriae ecclesiae revocetur quam nocere conatur.

LXVIII. Consensus totius concilii definivit, ut sacerdotes qui aut res suas ecclesiae relinquunt aut nihil habentes aliqua tamen praedia aut familias ecclesiis suis conquirunt, licebit illis aliquos de famulis eiusdem ecclesiae manumittere iuxta rei collatae modum quem antiqui canones decreverunt, ita ut cum peculio et posteritate sua ingenui sub patrocinio ecclesiae maneant, utilitates iniunctas sibi iuxta quod potuerint prosequentes.

LXIX. Liberti ecclesiae, quia nunquam moritur eorum patrona, a patrocinio eiusdem nunquam discedant nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreverunt. Ac ne forte libertas eorum in futura prole non pateat ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens sese ab ecclesiae patrocinio subtrahat necesse est, ut tam idem liberti, quam ab eis progeniti professionem episcopo suo faciant, per quam ex familia ecclesiae libertos effectos esse fateantur eiusque patrocinium non relinquant, sed iuxta virtutem suam obsequium ei vel obedientiam praebeant.

LXX. Liberti ecclesiae qui a patrocinio eius discedentes quibuslibet personis adhaeserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit, quia per inobedientiae contemptum ingrati actione tenentur.

LXXI. Liberti ecclesiae qui a quibuscumque manumissi sunt atque ecclesiae patrocinio commendati existunt, sicut regulae antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione a cuiuslibet insolentia protegantur sive in statu libertatis eorum seu in peculio quod habere noscuntur.

LXXII. Quicumque libertatem a dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet, isti si sine crimine sunt ad clericatus ordinem suscipiuntur, quia directa manumissione absoluti noscuntur; qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc a patrono servituti tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini fiant ex clericis servi.

LXXIII. De familiis ecclesiae constituere presbyteres et diacones per parochias liceat, quos tamen vitae rectitudo et probitas morum commendat, ea tamen ratione ut antea manumissi libertatem status sui percipiant et denuo ad ecclesiasticos honores succedant: irreligiosum est enim obligatos existere servitute, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quidquid autem talibus aut per libertatem concessum aut successione extiterit debitum aut a quolibet quoquomodo collatum, non licebit eis quidpiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad ius ecclesiae a qua manumissi sunt, post eorum obitum pertinere: his quoque sicut et ceteris ecclesiae libertis accusandi vel testificandi adversus ecclesiam aditus intercluditur; quod si aspiraverint, non solum libertatis beneficio careant, sed etiam et honoris gradu quem non dignitate naturae, sed temporis necessitate promeruerunt.

LXXIV. Post instituta quaedam ecclesiastici ordinis vel decreta quae ad quorumdam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est pro robore nostrorum regum et stabilitate gentis Gothorum pontificale ultimum sub deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam regibus suis observare contemnant et ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiae impietatem, iurant enim regibus suis et fidem quam pollicentur praevaricant; nec metuunt volumen illud iudicii dei, per quod inducitur maledictio multaque poenarum comminatio super eos qui iurant in nomine dei mendaciter. Quae igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quae fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? Quod

foedus non violandum? Quae in hostibus iurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis regibus iuratam fidem conservant? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi, ut notum est, immemores salutis suae propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque reges proprias convertendo vires, et cum dominus dicat: Nolite tangere Christos meos, et David: Quis, inquit, extendet manum suam in Christum domini et innocens erit? illis nec vitare metus est periurium nec regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur nec violatur. Quodsi in bello fides vigeat, quanto magis in suis servanda est! Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eis fit pacti transgressio, sed et in deum in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est quod multa regna terrarum coelestis iracundia ita permutavit, ut per impietatem fidei et morum alterum ab altero solveretur. Unde et nos cavere oportet casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur praecipiti et poena puniamur crudeli. Si enim deus angelis in se praevaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam coeleste habitaculum perdiderunt, unde per Esaiam dicit: Inebriatus est gladius meus in coelo: quanto magis nos nostrae salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem saeviente dei gladio pereamus! Quod si divinam iracundiam vitare volumus et severitatem eius ad clementiam provocare cupimus, servemus erga deum religionis cultum atque timorem et usque in mortem custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem. Non sit in nobis sicut in quibusdam gentibus infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non periurii nefas nec coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos praesumptione regnum accipiat, nullus excitet mutuas seditiones civium, nemo meditetur interitus regum, sed defuncto in pace principe primatus totius gentis cum sacerdotibus successorem regni consilio communi constituant ut dum unitatis concordia a nobis retinetur, nullum patriae gentisque discidium per vim atque ambitum oriatur. Quod si haec admonitio mentes nostras non corrigit et ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram: Quicumque igitur a nobis vel totius Hispaniae populis qualibet coniuratione vel studio sacramentum fidei suae, quod pro patriae gentisque Gothorum statu vel conservatione regiae pollicitus est, temeraverit aut regem nece attrectaverit aut potestate regni exuerit aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu dei patris et angelorum atque ab ecclesia catholica quam periurio profanaverit, efficiatur extraneus et ab omni coetu christianorum alienus cum omnibus impietatis suae sociis, quia oportet ut una poena teneat obnoxios quos similis error invenerit implicatos. Quod iterum secundo replicamus dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniae populis quolibet tractatu vel studio sacramentum fidei suae quod pro patriae gentisque Gothorum statu vel conservatione regiae salutis pollicitus est, violaverit aut regem nece attrectaverit aut potestate regni exuerit aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema in conspectu Christi et apostolorum eius sit, atque ab ecclesia catholica quam periurio profanaverit, efficiatur extraneus et ab omni consortio christianorum alienus et damnatus in futuro dei iudicio habeatur cum participibus suis, quia dignum est ut qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participationi obnoxii teneantur. Hoc etiam tertio acclamamus dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniae populis qualibet meditatione vel studio sacramentum fidei suae, quod pro patriae salute gentisque Gothorum statu vel incolumitate regiae potestatis pollicitus est, violaverit aut regem nece attrectaverit aut potestate regni exuerit aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu spiritus sancti et martyrum Christi atque ab ecclesia catholica, quam periurio profanaverit, efficiatur extraneus et ab omni communione christianorum alienus, neque partem iustorum habeat, sed cum diabolo et angelis eius aeternis suppliciis condemnetur una cum eis qui eadem coniuratione nituntur, ut par poena perditionis constringat quos in pernicie prava societas copulat: et ideo, si placet omnibus qui adestis, haec tertio reiterata sententia vestrae vocis consensu firmate. Ab universo clero vel populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem praesumpserit, anathema maranatha, hoc est perditio in adventu domini sit, et cum Iuda Iscariote partem habeat et ipse et socii eorum. Amen.

Quapropter nos ipsi sacerdotes omnem sanctam ecclesiam Christi ac populum admonemus, ut haec tremenda et toties reiterata sententia nullum ex nobis praesenti atque aeterno condemnet iudicio, sed fidem promissam erga gloriosissimum dominum nostrum Sisenandum regem custodientes ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinae pietatis clementiam in nobis provocemus, sed etiam gratiam antefati principis percipere mereamur. Te quoque praesentem regem futurosque aetatum sequentium principes humilitate qua debemus deposcimus, ut moderati et mites erga subiectos existentes cum iustitia et pietate populos a deo vobis creditos regatis bonamque vicissitudinem qui vos constituit largitori Christo respondeatis, regnantes in humilitate cordis cum studio bonae actionis, nec quisquam vestrum solus

in causis capitum aut rerum sententiam feriat, sed consensu publico cum rectoribus ex iudicio manifesto delinquentium culpa patescat servata vobis in offensis mansuetudine, ut non severitate magis in illis quam indulgentia polleatis: ut dum omnia haec auctore deo pio a vobis moderamine conservantur et reges in populis et populi in regibus et deus in utrisque laetetur. Sane de futuris regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione et fastu regio in flagitiis et facinore sive cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia a Christo domino condemnetur et habeat a deo separationem atque iudicium propter quod praesumpserit prava agere et in perniciem regnum convertere.

De Svintilane vero qui scelera propria metuens seipsum regno privavit et potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decrevimus: Ut neque eumdem vel uxorem eius propter mala quae commiserunt neque filios eorum unitati nostrae unquam consociemus, nec eos ad honores a quibus ob iniquitatem deiecti sunt aliquando promoveamus, quique etiam sicut fastigio regni habentur extranei, ita et a possessione rerum quas de miserorum sumptibus hauserant maneant alieni praeter in id quod pietate piissimi principis nostri fuerunt consequuti. Non aliter et Geilanem memorati Svintilanis et sanguine et scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit nec fidem glorioso domino nostro pollicitam conservavit, hunc igitur cum coniuge sua, sicut et antefatos a societate gentis atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus in quibus per iniquitatem creverant reduces fieri, praeter in id quod consequuti fuerint pietate clementissimi principis nostri, cuius gratia et bonos donorum praemiis ditat et malos a beneficentia sua non separat.

Gloria autem et honor omnipotenti deo nostro in cuius nomine congregati sumus. Post haec pax, salus et diuturnitas piissimo et amatori Christi domino nostro Sisenando regi, cuius devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit. Corroboret Christi gratia regnum illius gentisque Gothorum in fide catholica, annis et meritis protegat illum usque ad ultimam senectutem summi dei gratia et post praesentis regni gloriam ad aeternum regnum transeat, ut sine fine regnet, qui intra saeculum fideliter imperat, ipso praestante qui est rex regum et dominus dominorum cum patre et spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Definitis itaque his quae superius comprehensa sunt, annuente religiosissimo principe, placuit deinde nulla re impediente a quolibet nostrum ea quae constituta sunt temerari, sed cuncta salubri consilio conservari: quae quia profectibus ecclesiae et animae nostrae conveniunt, etiam propria subscriptione, ut permaneant, roboramus. Ego Isidorus in Christi nomine ecclesiae Hispalensis metropolitanus episcopus haec statuta subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt mumero XL.[1]

INCIPIUNT GESTA SINODI BRACARENSIS IX EPISCOPORUM CURRENTE ERA DXL.[2]

INCIPIT CONCILIUM TOLETANUM HABITUM ERA DLXXXIV. ANNO PRIMO DOMNI CHINTILLANI REGIS.[3]

I. De institutione novarum litaniarum.

II. De custodia salutis regum et defensione prolis praesentium principum.

III. De reprobatione personarum quae prohibentur adipisci regnum.

IV. De his qui sibi regnum blandiuntur spe rege superstite.

V. De his qui principes maledicere praesumunt.

VI. Ut regum fideles a successoribus regni a rerum iure non fraudentur pro servitutis mercede.

VII. Quod in celebritate cunctorum conciliorum synodus Toletana temporibus Sisenandi habita per pronunciationem vocis clare ob custodiam sui cunctis debeat innotescere.

VIII. De indulgentia principum noxiis reservata.

IX. De favore principis concilii acclamatione concesso.

Apud urbem Toletanam diversis ex provinciis Hispaniae sacerdotes domini in uno pacis collegio in basilica sanctae martyris Leocadiae qui consedimus gratiarum actiones omnipotenti domino persolvimus propter suam magnam misericordiam, cuius nutu in hanc convenimus concordiam et gloriosi principis nostri Chintilani regis initia, ob cuius salutis et felicitatis constantiam supernam imploramus clementiam, qui in medium nostri coetus ingressus cum optimatibus et senioribus palatii sui supplex se omnium orationibus commendavit suosque fideles ita facere sancta exhortatione coegit atque hanc

[1] *Verba:* Similiter *etc. pro subscriptionibus in Hisp. exhibitis omnes codd. Ps.-Isid. ponunt.*
[2] *Sec. Andeg.; inscriptionem et praefationem concilii I. Bracarensis usque ad verba:* reputetur opprobrium (*cf. infra*) *hic inserunt Andeg., Carnot.* 140, *Ottobon., Vindobon., Casanat., Paris.* 3855 (*cf. comment.* §. 3.), *Vatic.* 630, *Audomar.* (*cf. l. c.* §. 7.). [3] *Inscript. sec. Andeg., text. sec. ed. cit. Hisp.*

institutionem quam ex praecepto eius et decreto nostro sancimus, divina inspiratione praemisit.

I. Scilicet ut in cuncto regno a deo sibi concesso specialis et propria haec religiosa omni tempore teneatur observantia, ut a die Id. Decembr. litaniae triduo ubique annua successione peragantur et indulgentia delictorum lacrymis impetretur. Quod si dies dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebrentur, ut quoniam abundante iniquitate et deficiente caritate eo usque protelatur malitia ut nova exerceantur facinora, nova quoque haec ipsa surgat consuetudo, quae possit ante omnipotentis oculos nostra esse purgatio.

II. Summa autem nobis vigilantia et grandi religionis cura providendum est, ut mala quae assidue prohibita perpetrantur circuminspecta disciplina ecclesiastica extirpentur; non enim incassum scriptum est: Pestilenti flagellato stultus sapientior erit. Quamobrem quoniam praeponderante onere delictorum experientia pene semper ac saepe fieri discimus quod magnopere vitare debemus, quodque etiam custodituros nos cum divinis sacramentis spondimus, temeritate violamus, ideo frequenter est compescendum quod crebro invenitur transgressum. Sed ne succedentes praecedentibus ac deinde sequentes invideant anterioribus, ut cuncta quieta et pacata permaneant, haec nostri concilio communiter considerata defertur sententia, ut servatis quaecumque in universali et magna synodo provisa conscriptaque circa principum salutem et utilitatem sunt. Haec quoque adiecta custodiantur, videlicet ut omni benignitate omnique firmitate circa omnem potestatem principis nostri Chintilani regis teneatur dilectio et praebeatur rationabile defensionis adminiculum, ne rebus iuste provisis aut etiam parentum digna provisione procuratis vel iuris proprietate iniuste fraudentur, ne a quoquam causae illicitae et exquisitae laedendi eos praebeantur, ne quocumque modo quibuslibet rebus spreta dilectione molestentur. Haec enim licentia efficit et principes in subiectis suspectos et subiectos in bonis principum cupidos. Quocirca ne haec praemissa temerentur et ut cupiditas radix omnium malorum auferatur, contestamur omnes praesentes et absentes vel etiam futuris temporibus subsequentes coram deo et angelis eius, quod si quisquam nostrae contestationis temerator extiterit atque contemptor et quacumque argumentatione odiose eos molestare aut in aliquo fuerit conatus laedere, sit anathema in christianorum omnium coetu atque superno condemnetur iudicio, sit exprobrabilis omnibus catholicis et abominabilis sanctis angelis in ministerio dei constitutis, sit in hoc seculo perditus et in futuro condemnatus, quia tam rectae provisioni noluit praebere consensum.

III. Inexpertis et novis moribus novam decet invenire medelam, quapropter quoniam inconsiderate quorumdam mentes et se minime capientes, quos nec origo ornat nec virtus decorat, passim putant licenter ad regiae potestatis pervenire fastigia, huius rei causa nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia, ut quisquis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium provehit nec Gothicae gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit consortio catholicorum privatus et divino anathemate condemnatus.

IV. Ergo quia et religioni inimicum et omnibus constat esse superstitiosum futura illicite cogitare et casus principum exquirere ac sibi in posterum providere quum scriptum sit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae pater in sua posuit potestate, hoc decreto censemus, ut quisquis inventus fuerit talia perquisisse et vivente principe in alium attendisse pro futura regni spe aut alios in se propter id attraxisse, a conventu catholicorum excommunicationis sententia expellatur.

V. Sed et hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri deliberatione censemus, ne quis in principem maledicta congerat, scriptum est enim a legislatore: Principem populi tui ne maledixeris. Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur: nam si maledici regnum dei non possidebunt, quanto magis talis ab ecclesia necessario pellitur, qui divinae violator sententiae invenitur!

VI. Simili providentia pro fidelibus regum nostra datur sententia, ut quisquis superstes principum extiterit iuste in rebus profligatis aut largitate principis adquisitis nullam debeat habere iacturam, nam si licenter et iniuste fidelium perturbetur meritum, nemo optabit promptum ac fidele praebere obsequium, dum cuncta nutant in incertum et in futuro discriminis formidatur causa: sed saluti et rebus eorum principalis pietas debeat praebere suffragia; exemplis enim ceteri provocantur ad fidem, quum fideles non fraudantur mercede.

VII. Propter malarum mentium facilitatem et memoriae oblivionem hoc sacratissima statuit synodus: Ut in omni concilio episcoporum Hispaniae universalis concilii decretum quod propter principum nostrorum est salutem constitutum, peractis omnibus in synodo publica voce debeat pronuntiari, quatenus saepe replicato auribus vel assiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quae ad praevaricandum et oblivione et facilitate perducitur.

VIII. In his omnibus quae praemisimus potestatem indulgentiae in culpis delinquentium principi reservamus, ut iuxta bonitatis et suae moderamen et pietatis emendationem perspexerit mentium, veniam tribuat culparum.

IX. His vero omnibus finem et robur subscri-

ptione nostra facientes gloriam et laudem omnipotenti domino in quantum mortalium valetudo sinit, reddimus; post haec gratias excellentissimo et glorioso principi nostro Chintilano regi peragimus, cuius ardor fidei et studium bonae intentionis et unanimitatis concordiam nobis tribuit et fiduciam caritatis. Donet ei dominus et de inimicis triumphum et de beatitudine gaudium: custodiat eum protectione assidua et muniat bonae voluntatis suae circumspectione tutissima, cuius regnum manet in secula seculorum. Amen.

Ego Eugenius dei miseratione Toletanae ecclesiae provinciae Carthaginis metropolitanus episcopus his communibus decretis annuens subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt numero XX.[1]

ITEM CONCILII TOLETANI VI. INCIPIUNT TITULI.[2]

Convenientibus nobis Hispaniarum Galliarumque pontificibus summi orthodoxi et gloriosissimi Chintilani regis salutaribus hortamentis atque in praetorio Toletano in ecclesia sanctae Leocadiae martyris debitis sedibus collocatis sub die quinto Id. Ianuar. anno praefati principis et triumphatoris in Christo secundo era DCLXXVI., hoc decretum fidei prius sancimus.

I. Quum primum omnipotenti domino pro corona fratrum tam numerosae gratiae a nobis fuissent peractae, nihil melius nihilque salubrius omnium insedit animis quam more synodi universalis post solemnia perfunctae orationis quod mente ruminabamus lingua manaremus, et quod corde credebamus, ore ructaremus supernae faventes sententiae: Eructavit cor meum verbum bonum quod iuxta prophetam fecit dominus abbreviatum super terram. Quamobrem ex abundantia nostri cordis sit confessio vocis ut fidem quam omnium mens intrinsecus gestat in confessione interpres lingua foris effundat. Itaque credimus et profitemur sacratissimam et omnipotentissimam trinitatem patrem et filium et spiritum sanctum, unum deum solum non solitarium, unius essentiae, virtutis, potestatis, maiestatis, uniusque naturae, discretam inseparabiliter personis, indiscretam essentialiter substantia deitatis, creatricem omnium creaturarum, patrem ingenitum increatum, fontem et originem totius divinitatis, filium a patre intemporaliter ante omnem creaturam sine initio genitum non creatum, nam nec pater unquam sine filio nec filius extitit sine patre, sed tamen filius deus de patre deo, non pater deus de filio deo, pater filii non deus de filio, ille autem filius patris et deus de patre, per omnia coaequalis patri, deus verus de deo vero, spiritum vero sanctum neque genitum neque creatum, sed de patre filioque procedentem utriusque esse spiritum, ac per hoc substantialiter unum sunt quia et unus ab utroque procedit. In hac autem trinitate tanta est unitas substantiae, ut pluralitate careat et aequalitatem teneat: nec minor in singulis quam in omnibus, nec maior quam in singulis maneat personis. Ex his igitur tribus divinitatis personis solum filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita quae per inobedientiam Adae originaliter et nostro libero arbitrio contraxeramus resolvenda, a secreto patris arcanoque prodidisse et hominem sine peccato de sancta semper virgine Maria assumpsisse, ut idem filius dei patris esset filius hominis, deus perfectus et homo perfectus, ut homo et deus esset unus Christus naturis in duabus, in persona unus, ne quaternitas trinitati accederet, si in Christo persona geminata esset. Ergo

[1] *Verba:* Similiter *etc. in Andegav. ceterisque codd. Ps.-Isid. pro integris subscriptionibus in Hisp. exhibitis ponuntur. Confirmatio Chintilae in Ps.-Isid. omittitur.* [2] *Inscriptio sec. codd. A1, inter quos Andeg. erronee:* toletani VII.; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

a patre et spiritu sancto inseparabiliter discretus est persona, ab homine autem assumpto natura; item cum eodem homine unus extat persona cum patre et spiritu sancto natura, ac sicut diximus, ex duabus naturis et una persona unus est dominus noster Iesus Christus, in forma divinitatis aequalis patri, in forma servi minor patre: hinc enim est vox eius in psalmo: De ventre matris meae deus meus es tu. Natus itaque a deo sine matre, natus a virgine sine patre, solus verbum caro factum est et habitavit in nobis. Et quum tota cooperata sit trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera trinitatis, solus tamen accepit hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, id est quod est proprium filii non quod commune trinitati. Nam si naturam hominis deique alteram in altera confudisset, tota trinitas corpus assumpsisset, quoniam constat naturam trinitatis esse unam, non tamen personam. Hic igitur dominus noster Iesus Christus missus a patre suscipiens quod non erat, nec amittens quod erat, inviolabilis de suo, mortalis de nostro venit in hunc mundum peccatores salvos facere et credentes iustificare, faciensque mirabilia traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter iustificationem nostram, cuius livore sanati, cuius morte deo patri reconciliati, cuius resurrectione sumus resuscitati. Quem etiam venturum in fine expectamus seculorum et cum resurrectione omnium aequissimo suo iudicio redditurum iustis praemia et impiis poenas. Ecclesiam quoque catholicam credimus sine macula in opere et absque ruga in fide corpus eius esse regnumque habituram cum capite suo omnipotenti Christo Iesu, postquam hoc corruptibile induerit incorruptionem et mortale immortalitatem, ut sit deus omnia in omnibus. Hac fide corda purificantur, hac haereses extirpantur, in hac omnis ecclesia collata iam in regno coelesti et degens in seculo praesenti gloriatur: et non est in alia fide salus, nec enim nomen aliud est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

II. Religiosissimi principis nostri devotionem et nostrorum consacerdotum primo anno regni sui constitutionem cum magna reverentia et veneratione suscipientes, quam constat iam in omni regno suo annua vice celebrari, placuit etiam nostra assensione firmari: proinde universalis auctoritate censemus concilii, ut hi dies litaniarum qui in synodo praemissa sunt instituti, eodem in tempore quo iussi sunt excoli, annuo recursu omni observatione habeantur celeberrimi, ut pro illis quibus nunc usque simul implicati sumus delictis, sit nostra expiatio ante oculos dei omnipotentis.

III. Inflexibilis iudaeorum perfidia deflexa tandem videtur pietate et potentia superna; hinc enim liquet quod de spiramine summi dei excellentissimus et christianissimus princeps ardore fidei inflammatus cum regni sui sacerdotibus praevaricationes et superstitiones eorum eradicare elegit funditus, nec sinit degere in regno suo eum qui non sit catholicus, ob cuius fervorem fidei gratias omnipotenti deo coelorum regi, eo quod eius tam illustrem creaverit animam et sua repleverit sapientia, donet ei praesentis aevi diuturnam vitam et in futuro gloriam aeternam. Illud autem provida nobis cura et valde est decernendum vigilanti solertia, ne eius calor et noster labor quandoque in posteris tepefactus liquescat. Quocirca consonam cum eo corde et ore promulgamus deo placituram sententiam, simul etiam cum suorum optimatum illustriumque virorum consensu ex deliberatione sancimus: Ut quisquis succedentium temporum regni sortierit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit hanc se catholicam non permissurum eos violare fidem; sed et nullatenus eorum perfidiae favens vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus tendentibus ad praecipitia infidelitatis aditum praebeat praevaricationis, sed quod magnopere nostro est tempore conquisitum debeat illibatum perseverare in futurum. Nam incassum bonum agitur, si non eius perseverantia videtur. Ergo postquam ordine praemisso ad gubernacula accesserit regni, si ipse temerator extiterit huius promissi, sit anathema maranatha in conspectu sempiterni dei et pabulum efficiatur ignis aeterni, simul cum eo damnatione perculsi quicumque sacerdotum vel quilibet christianorum eorum implicati fuerint errore: nos enim ita praesentia decernimus, ut praeterita quae in universali synodo de iudaeis conscripta sunt confirmemus, quoniam quaeque necessaria pro eorum salvatione scribi potuerunt in eadem esse cautum scimus: quapropter quae tunc decreta sunt valitura censemus.

IV. Saepe pullulantia pravitatum germina licet saepissime patrum iusta noverimus severitate damnata, tamen quia crebris conspiciuntur denuo vigere radicibus, iustitiae acriori vigore radicitus ea amputare sancimus iuxta quod in praeteritis canonibus scriptum est anathema danti et accipienti. Proinde quicumque Simonis imitator simoniacae quoque haeresis extiterit auctor ut ecclesiasticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat et per oblata munera capiat, quibus hunc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat, talis inventus sacrorum ordinum apices penitus adipisci nullo modo permittatur, sed si et adeptus fuerit, communione privatus cum ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur, quia non pro amore dei sed pro ambitione honoris tonsuram suscepisse noscuntur.

V. Saepe fit ut proprietati originis obsistat longinquitas temporis; quapropter providentes decernimus, ut quisquis clericorum vel aliarum quarumlibet personarum stipendium de rebus ecclesiae cuiuscumque episcopi percipiat largitate, sub precariae nomine debeat professionem scribere, ut nec per tentionem diuturnam praeiudium afferat ecclesiae, et quaecumque in usum perceperit debeat utiliter laborare, ut nec res divini iuris videantur aliqua occasione negligi et subsidium ab ecclesia cui deserviunt percipere possint clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur privare.

VI. Proclivis cursus est ad voluptatem et imitatrix natura vitiorum: quamobrem quiqui virorum vel mulierum habitum semel induerint vel induerunt spontanee religiosum aut si vir deditus ecclesiae choro vel foemina fuerit aut fuit deligata puellarum monasterio, in utroque sexu praevaricator ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur et puella monasterio redintegretur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia ita de christianorum coetu habeantur extorres, ut nec loquutio cum eis ulla sit communionis. Viduae quoque sicut universalis iamdudum statuit synodus, professionis vel habitus sui desertrices superiori sententia condemnentur.

VII. Quamvis priora numquam siluerint de tantis facinoribus concilia, ratio tamen poscit ut ea quae frequenti praevaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur: et ideo, quoniam tanta existit perversitas hominum, ut hi quos sub religioso habitu poenitentiae professio pro peccatorum venia ad manum sacerdotis deducit vel adduxit, iterum rediviva malitia ad vitae pristinae sordes revocet. Huius rei causa sancta synodus decernit, ut si qui ingenuorum utriusque sexus sub nomine poenitentis in habitu religioso sunt conversati, post haec autem comam nutrientes vel vestimenta secularia sumentes ad id quod reliquerant, redierunt aut redierint, ab episcopo civitatis, in cuius territorio sunt conversi, comprehensi rursus legibus poenitentiae in monasteriis subdantur inviti; quod si facere propter aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut priscorum canonum statuerunt decreta, quousque ad dimissum ordinem revertantur excommunicati habeantur, sed et hi qui post commonitionem vel interdictum cum ipsis communicaverint. Sacerdos autem ad quem pertinere noscuntur, si eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere noluerit, ut aut revertentes suscipiat aut contemnentes de ecclesia reiiciat, simili sententia plectatur, quousque emendationis eorum ab eo sententia promulgetur.

VIII. Antiqui et sanctissimi est patris sententia papae Leonis, ut is qui in aetate adolescentiae positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad poenitentiae remedium, si coniugatus et forte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum coniugium quousque possit adipisci temporis maturitate continentiae statum. Quod nos sicut de viris ita et de foeminis aequo modo censemus non quidem hoc generaliter et legitime praeceptum, sed constat a nobis pro humana fragilitate indultum, ea dumtaxat ratione, ut si is qui poenitentiae non est legibus deditus ante ab hac vita decesserit quam ex consensu ad continentiam eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad uxorios transire amplexus. Sin autem illius vita extiterit superstes qui non accepit benedictionem poenitentis nubat, si se continere non potest et alterius consortio fruatur uxoris: quod de utroque sexu pari modo a nobis manifestum est decrevisse ita videlicet, ut in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, ut iuxta quod aetatem aptam prospexerit, continentiae, absolutionis vel districtionis tribuat legem.

IX. Longiquitate saepe fit temporis ut non pateat conditio originis, unde iam decretum est in anteriori universalis concilii canone, ut professionem suam liberti ecclesiae debeant facere qua profiteantur se et de familiis esse ecclesiae manumissos et ecclesiae obsequium nunquam relicturos. Unde his quoque nos adiicimus ut, quoties cursum vitae sacerdos impleverit et de hac vita migraverit, mox successor eius advenerit, omnes liberti eius ecclesiae vel ab eis progeniti carthulas suas in conspectu omnium debeant ipsi substituto pontifici publicare et professiones suas in conspectu ecclesiae renovare, quatenus status sui vigorem et illi obtineant et obedientia eorum ecclesia non careat. Si autem aut scripturas libertatis suae intra annum ordinationis novi pontificis manifestare contempserint aut professiones suas renovare noluerint, vacuae et inanes carthulae ipsae remaneant, et illi origini suae redditi sint perpetuo servi.

X. Etenim decet ut hi quorum parentes titulum libertatis de familiis ecclesiae perceperunt, intra ecclesiam cui obsequium debent causa eruditionis enutriantur: contemptus quippe est patronorum, si ipsis neglectis aliis ad educandum detur progenies manumissorum. Itaque censemus ut sine sui status praeiudicio ab episcopo habeantur in doctrinae obsequium, quatenus et illi debitum reddant famulatum et nullum patiantur ingenuitatis suae detrimentum: eos vero qui aliter quam sententia nostra decrevit agere tentaverint, invitos iubemus ab episcopis ad hoc ipsum reduci. Quod si forte parentes eorum eos pontificibus suis dare contempserint et alios sibi patronos adoptaverint, ingratorum feriantur lege libertorum.

XI. Dignum est ut vita innocentium non maculetur pernicie accusantium: ideoquis-

quis a quolibet criminatur, non antea accusatus supplicio dedicetur, quam accusator praesentetur atque legum et canonum sententiae exquirentur, ut si indigna ad accusandum persona invenitur, ad eius accusationem non iudicetur, nisi ubi pro capite regiae maiestatis causa versatur.

XII. Pravarum audacia mentium saepe aut malitia cogitationum aut causa culparum refugium appetit hostium: unde quisquis patrator causarum extiterit talium, virtutem enitens defendere adversariorum et patriae vel genti suae detrimenta intulerit rerum, in potestate regis ac gentis reductus, excommunicatus et retrusus longinquioris poenitentiae legibus subdatur. Quod si ipse mali sui prius reminiscens ad ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum et reverentia loci regia in eis pietas reservetur comitante iustitia.

XIII. Qui primatum dignitate atque reverentiae vel gratiae ob meritum in palatio honorabiles habentur, his a iunioribus modestus honor per omnia deferatur, qui etiam minores a senioribus et dilectionis amplectantur affectu et utilitatis imbuantur exemplo.

XIV. Praemium fraudare fidelibus non solum inhumanum, sed etiam existit iniustum: ideoque quum fidei meritum tam in rebus divinis quam in humanis non habeatur ingratum, dignum videtur ut sacerdotali sententia consulamus fidelibus regis. Proinde ut anno primo serenissimi principis nostri decrevit concilium sanctum, omnes qui fideli obsequio et sincero servitio voluntatibus vel iussis paruerint principis totaque intentione salutis eius custodiam vel vigilantiam habuerint, a regni successoribus nec a dignitate nec a rebus pristinis causa repellantur iniusta, sed et nunc ita pro uniuscuiusque utilitate principis moderentur discretione, sicut eos prospexerit necessarios esse patriae; et sic illis impertiatur benignitas, ut in ceteris magnae maneat gratiae potestas: quatenus ita omnia in rebus iuste conquisita lucrentur, ut posteris relinquendi vel quibus voluntas eorum decreverit conferendi spontaneo fruantur arbitrio. Ceterum si infidelis quisquam in capite regio aut inutilis in rebus commissis praesenti piissimo domino nostro Chintilano regi extiterit, in clementiae eius manu et in potestatis nutu constet huiusmodi moderatio; nefas est enim in dubium inducere eius potestatem, cui omnium gubernatio superno constat delegata iudicio. Quod si post eius decessum quispiam repertus fuerit eius vitae fuisse infidelis, quidquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis careat confiscandum et fidelibus largiendum.

XV. Quia his qui principibus digne deserviunt atque deferentibus fidele illis obsequium constat nos optimum ministrasse suffragium, dum iuste a principibus adquisita in eorum iure persistere sancimus indivulsa, aequum est et maxime ut rebus ecclesiarum dei adhibeatur a nobis providentia opportuna, adeo quaecumque rerum ecclesiis dei a principibus iuste concessa sunt vel fuerint vel cuiuscumque alterius personae quolibet titulo illis non iniuste collata sunt vel extiterint, ita in eorum iure persistere firma iubemus, ut evelli quocumque casu vel tempore nullatenus possint. Opportunum est enim, ut sicut fidelia hominum servitia non existere censuimus ingrata, ita ecclesiis collata, quae propria sunt pauperum alimenta, eorum iure pro mercede offerentum maneant inconvulsa.

XVI. Sicut insolentia malorum regum odiosa semper et execrabilis existit subiectis, ita bonorum provida utilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat aut quis toleranter christianus videat regis soboles aut posteritatem expoliari rebus aut privari dignitatibus? Quod ne fiat, quum generalis promatur de filiis principis sententia nostra, id est de praesenti excellentissimi et gloriosissimi principis Chintilani regis posteritate dantur aperta a nobis decreta: ut ea quae synodus praeterito anno in hac ecclesia habita constituit circa omnem posteritatem eius universitas regni sui conservet, hoc est ut praebeatur filiis eius dilectio benigna et firma et tribuantur ubi loci opportunitas exhibuerit defensionis adminicula iusta: ne de rebus iuste profligatis aut parentum dignitate procuratis vel largitate principis aut alicuius impensis aut etiam proprietate debitis fraudentur qualibet insidia calliditatis; neque a quoquam laedendi eos praebeantur argumenta machinationis, quia dignum est ut cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati decreto concilii impertiamus quietem. Denique tanta erga nos nostri principis extant beneficia, ut longum sit sigillatim ea promere lingua; ipse enim auctore deo nobis pacem, ipse captivam reduxit caritatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati, ipse medicamine bonitatis suae et reis pepercit et rectos sublimavit, cui si dignis voluerimus respondere beneficiis, non tantis extamus copiis virtutis, quanto voto sufficiamus voluntatis.

XVII. Quamquam in concilio anteriori quod anno primo gloriosi principis nostri habitum est de huiusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare quod convenit custodire. Itaque regis vita constante nullus sibi aliquo opere vel deliberatione cuiuscumque dignitatis laicus seu gradu episcopatus, presbyterii aut diaconii consecratus ceterisque clericatus officiis deditus regem provideat contra viventis regis utilitatem et procul dubio voluntatem, nullo blandimento vel suasione pro eadem spe aut alios in se trahat aut ipse in alium adquiescat; iniquum enim et valde execrabile christianis debet haberi futuris temporis illicita prospicere et vitae suae ignarus ventura disponere. Quod si quisquam iam

talia iniqua deliberatione cum quocumque est meditatus, hoc sibi noverit esse sacerdotali moderatione concessum, ut veniabiliter possit hoc sine mora praesentis principis auribus publicare. Si autem obstinata deliberatione sua machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate; rege vero defuncto nullus tyrannica praesumptione regnum assumat, nullus sub religionis habitu detonsus aut turpiter decalvatus aut servilem originem trahens vel extraneae gentis homo, nisi genere Gothus et moribus dignus provehatur ad apicem regni: temerator autem huius praeceptionis sanctissimae feriatur perpetuo anathemate.

XVIII. Iam quidem in antecedenti universali synodo pro salute nostrorum principum constat esse consultum, sed libet iterare bene sancita et digna auctoritate munire salubriter ordinata: ideoque testamur coram deo et omni ordine angelorum, coram prophetarum atque apostolorum vel omnium martyrum choro, coram omni ecclesia catholica et christianorum coetu, ut nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attrectet, nemo regni eum gubernaculis privet, nemo tyrannica praesumptione apicem regni sibi usurpet, nemo quolibet machinamento in eius adversitatem sibi coniuratorum manum associet. Quod si quidpiam horum quisquam nostrorum temerario ausu praesumptor extiterit, anathemate divino perculsus absque ullo remedii loco habeatur condemnatus aeterno iudicio; is autem qui eius sedem fuerit assequutus, si vult tanto expiari piaculo quasi proprii patris eius ulciscatur interitum: in cuius defensionis auxilium universi regni Gothorum consentiat fortitudo. Si autem desidi cura et minori zelo tam funestum noluerint vindicare scelus, sint omnes ex nostra sententia opprobrium ceteris gentibus.

XIX. His omnibus rite dispositis et diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam et honorem invisibili omnium auctori rependimus luminum patri et in his conservandis eius imploramus opem suffragii, ut constitutionibus nostris roborem tribuat suae virtutis fragilitatemque humanam ita huic dispositioni reddat efficacem, ut non iudicet praevaricatricem. Nos igitur omnia suprascripta omni auctoritate priscorum canonum subscriptione nostra firmamus et gratias agimus christianissimo et gloriosissimo Chintilano regi principi nostro, cuius studio advocati et instantia sumus collecti, cuius voluntas probata et ordinatio extitit religiosa: donet ei dominus ut optimo principi diuturnum in seculo praesenti triumphum et in parte iustorum perpetuum regnum felicesque annos: felix ipse longa felicitate fruatur et divinae dexterae protectione ubique muniatur. Ego Sclua etsi indignus ecclesiae Narbonensis episcopus in his constitutionibus a nobis editis subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt numero XXXVII.[1]

INCIPIT SINODALE DECRETUM IN TOLETANA URBE XXX EPISCOPORUM CONCILIO GESTUM ANNO V. CLEMENTISSIMI DOMNI NOSTRI CHINDASVINDI REGIS DIE XV. KAL. NOVEMBR. ERA DCLXXXIV.[2]

I. De refugis atque perfidis clericis sive laicis.
II. De languoris eventu ministrantium clericorum.
III. De exequiis morientis episcopi.
IV. De exactione ecclesiarum Gallaeciae provinciae.
V. De reclusis honestis sive vagis.
VI. De convicinis episcopis in urbe regia commorandis.

I. Quum in sanctae nomine trinitatis pro quibusdam disciplinis ecclesiasticis tam nostra devotione quam studio serenissimi et amatoris Christi Chindasvindi regis noster apud Toletanam urbem conventus adesset, competenter visum est mutua collatione decernere, quod sollicite conservandum et praesentibus et futuris commodis nimium, ut confidimus, prodesse constabit magis, quia semper est magnopere providendum quidquid vel ecclesiasticis moribus vel utilitati publicae, sine qua quieti non vivimus, opportunum esse perpenditur. Nam licet tantae constitutiones canonum extent, quae ad omnem possint correctionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere, tamen quia luminis claritas tanto amplius emicat, quanto fuerit studiosius saepissime contrectata, non parum proficit ad emendationem multorum si dum ea quae constituta sunt per fraternam collationem ad memoriam reducuntur, illa magis adiiciantur quae aut deesse videntur aut omnino constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat quanta sint hactenus per tyrannos et refugas transferendo se in externas partes illicite perpetrata et quam nefanda eorum superbia iugiter frequentata quae et patriae diminutionem afferrent et exercitui Gothorum indesinentem laborem imponerent? Quod quidem laicorum insania factum tolerandum nobis forsitan aliquoties videretur: illud tamen est vehementius stupendum, quia quod peius est tanti ex religionis proposito in hac interdum praesumptione praecipites

[1] *Verba:* Similiter *etc. in cod. Andeg. ceterisque in codd. Ps.-Isid. pro subscriptionibus integris in Hisp. exhibitis ponuntur.* [2] *Inscript. sec. Andeg.; text. desumt. ex ed. cit. collect. Hisp.*

efferuntur, ut non ad levem confusionem nostram pertineat, si res ullatenus remaneat, quam et mundana lege et ecclesiastica convenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, ut quisquis in ordine clericatus a maximo gradu usque ad minimum constitutus in alienae gentis regionem se quacumque occasione transduxerit, et exinde superbiendo vel reditum suum vel quodlibet aliud videatur expetere, sive etiam quod genti Gothorum vel patriam aut regem specialiter sub hac occasione possit nocere vel fieri disposuerit vel aliquatenus fecerit, sed et qui cum talibus conscius reperitur eisque vel consilium vel opem administrasse cognoscitur, qualiter aut ad gentem alienam fugam appeterent aut in malis quae coeperant perdurarent seu quamcumque laesionem genti Gothorum vel patriae aut principi post fugam inferrent, atque in eadem pravitate perseveraturos dignoscitur suasisse, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum eius in quo ministraverat alter continuo perpetim regendum accipiat; ipse vero transgressor sub poenitentia constitutus, si reminiscens mali quod fecerit et usque in diem mortis suae rectissime poenituerit, in solo tantum fine communio ei praestanda est, ita ut antequam tempus finis eius adveniat, si quispiam sacerdotum etiam ordinante principe ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat in perpetuum atque simili cum eo cui communicaverit sententia condemnetur, quoniam potestate principis nullus sacerdotum in hoc praebere debet assensum, unde vel periurium videatur incurrere, vel, quod absit, si quicumque catholicae fidei praevaricator princeps surrexerit, sacerdos idem vel favore principis vel terrore a rectae credulitatis lumine ad tenebras cogatur reverti. Sic enim nec super adnixa capitula vel imperiis principum vel terroribus oportebit unquam evacuari, quia novimus omnes pene Hispaniae sacerdotes omnesque seniores vel iudices ac ceteros homines officii palatini iurasse, atque ita dudum legibus decretum fuisse, ut nullus refuga vel perfidus qui contra gentem Gothorum vel patriam seu regem agere aut in alterius gentis societatem se transducere reperitur, integritati rerum suarum ullatenus reformetur, nisi forsitan principes humanitatis aliquid personis talibus impertiri voluerit, cui tamen non amplius quam vicesimam partem rerum ei qui perfidus extitit de rebus unde rex elegerit tribuendi potestatem habebit. Sed et quia plerosque clericos tantae levitatis interdum pravitas elevat ut praetermissa sui ordinis gravitate ac polliciti sacramenti immemores constante principe cui fidem servare promiserant in alterius electionem temeraria levitate consentiant, abrogari decet hanc omnino licentiam et a nostro consortio penitus extirpari, ita ut si quicumque laicorum quandoquidem intra fines patriae Gothorum superbiens regni apicem sumere fortasse tentaverit eique clericorum quilibet adiutorium vel favorem praestiterit atque hunc qui superbire videtur ad eamdem regni ambitionem praevalente delicto pervenire contigerit, ex eo quidem die vel tempore eumdem episcopum vel cuiuslibet ordinis clericum excommunicatum manere perpetim oportebit qui tali se scelere implicavit, tamen si improbitate principis cui inique consensit, non potuerit instantia sacerdotum a communione suspendi, saltem si superstitem eum post eiusdem regis obitum tempus invenerit superiori anathematis correctioni subiaceat quicumque illi praeter in ultimo vitae suae, si tamen hunc legitime poenitere probaverit communionis gratiam consenserit impendendam. Nobis interim ratio persuasit synodali super hoc constitutione decernere, ut quicumque etiam laicorum in praedictis capitulis hoc est adversitate gentis aut patriae vel regiae potestatis in externas partes se conferendo vel talibus opem praebendo noxius fuerit ultra repertus, non solum, ut dictum est, omni rerum suarum proprietate privetur, sed et perpetua excommunicatione damnatus numquam illi praeter in ultimo mortis suae tempore communio tribuatur, excepto si aliter communionis eius remedium vel eorum, quod supra taxavimus, imploratione sacerdotum apud principem fuerit impetratum. Nam si, quod omnino fieri non oportet, in derogationem aut contumeliam principis reperiatur aliquis nequiter loqui aut in necem regis seu deiectionem intendere vel consensum praebere, nos siquidem huiuscemodi excommunicatione dignum censemus, utrum tamen sit illi quandoque communicandum pietati principis discernendum relinquimus, cuius procul dubio potestatis est subiectorum culpas misericordiae iudiciique sententia temperare. Contestamur autem clementissimos principes et per ineffabile divini nominis sacramentum obtestantes unanimiter obsecramus, ne quandoquidem absque iusta, ubi necesse fuerit, imploratione sacerdotali excommunicationis huius sententiam a perfidis clericis vel laicis ad externas partes se transferentibus vel consensum praebentibus quacumque temeritate suspendant; nam quid magis eorum utilitatibus videtur ferre consultum si huius constitutionis nostrae forma ab ipsis principibus servetur et omnibus subiectis impleri cogatur? Si quis vero haec instituta putaverit exsecranda, anathema fiat et velut praevaricator catholicae fidei semper ad dominum reus existat quicumque regum deinceps canonis huius censuram in quocumque crediderit vel permiserit violandum.

II. Nihil contra ordinis statutum temeritatis

ausu praesumitur, neque illa quae summa veneratione censentur, vel minimo praesumptionis tacto solvuntur, quum ad hoc tantum quae fieri iussa sunt interrupta noscuntur, ne languoris proventu robore salutis natura privetur. Non ergo solum fragilitati consulitur humanae, sed etiam honori ministeriorum dei providetur abunde, dum ab offensionis casu procuratur etiam caveri sollicite. Censemus igitur convenire, ut quum a sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis accidat cuiuslibet eventus, quo coeptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi officii coepti. Non enim aliud ad supplementum sui initiatis mysteriis competit quam aut incipientis aut subsequentis completa benedictione sacerdotis, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Quum enim simus omnes unum in Christo, nihil contrarium diversitas format, ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repraesentat: quod etiam consultum cuncti ordinis clerici individuum esse sibi non ambigant, sed, ut praemissum est, praecedentibus libenter alii pro complemento succedant. Ne tamen quod naturae languoris causa consulitur in praesumptionis perniciem convertatur, nullus post cibi potusve quamlibet minimum sumptum missas facere, nullus absque patenti proventu molestiae minister vel sacerdos, quum coeperit imperfecta officia, praesumat omnino relinquere. Si quis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

III. Ea quae competunt honestati contingit saepe quorumdam desidia non compleri: proinde quia notum est quae dignitas in exequiis morientis episcopi ex canonibus conservetur traditione moris antiqui, hoc tantum adiicimus, ut si quis sacerdotum secundum statuta Valletani concilii ad humanda decedentis episcopi membra venire commonitus pigra voluntate distulerit, appellantibus clericis obeuntis episcopi apud synodum, sive apud metropolitanum episcopum, anni unius tempore nec faciendi missam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteres autem sive ceteri clerici quibus maior honoris locus apud eamdem ecclesiam fuerit cuius sacerdos obierit, si omni sollicitudine pro exequiis aut iam mortui aut continuo antistitis morituri ad commonendum episcopum tardi inveniantur, aut per quamcumque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatio ad poenitentiam in monasteriis deputentur.

IV. Inter cetera denique quae communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parochialium presbyterorum Gallaeciae provinciae solertissime discernere decuit, quas contra pontificum suorum rapacitates necessitas, ut comperimus, tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim pontifices, ut evidens inquisitio patefecit, indiscreto moderamine parochitanas ecclesias praegravantes, dum in exactionibus superflui frequenter existant, pene usque ad exinanitionem extremae virtutis quasdam basilicas perduxisse probantur. Ne ergo fiat de cetero quod constat hactenus inordinate praesumptum non amplius quam duos solidos unusquisque episcoporum praefatae provinciae per singulas dioeceses suae basilicae iuxta synodum Bracarensem annua illatione sibi expectet inferri, monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis pensione seiunctis. Quum vero episcopus dioecesem visitat, nulli prae multitudine onerosus existat, nec unquam quinarium numerum evectionis excedat, aut amplius quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Quicumque vero pontificum eorumdem aliter quam decernimus agendum praesumpserit, correptioni procul dubio canonum subiacebit, qua constitutionum synodalium transgressores priscorum patrum edictis corripiendos oportet.

V. Quosdam paternarum incognitos vel oblitos traditionum in tantam conspicimus corruisse desidiam, ut eorum execrando usu pene abolita patescant quae extiterunt legitime constituta; dum enim indocti docere appetunt, quid aliud quam quia ignorantiae errore vexentur ostendunt? Et quia gressu praepostero innitentes, praesumptionem doctrinae discendi studiis anteponunt, patet quod non summa utilitatis petunt, sed actioni depravationis inserviunt. Ex hoc igitur iustae severitatis talia decernentes opportuno amputare iudicio iubemus eos quos in cellulis propriis reclusos sanctae vitae ambitio tenet quosque eiusdem sancti propositi et merita iuvant et probitas ornat, quietos dei auxilio et nostro favore tutos existere: illos vero quos in tale propositum ignavia impulit, non prudentiae cognitio deputavit, quosque nulla vitae dignitas ornat, sed, quod est deterius, et ignorantia foedat et morum execratio turpat, decernimus ab his abiici cellulis atque locis in quibus aut feruntur vagi aut tenentur inclusi, atque ab episcopis sive rectoribus monasteriorum ex quorum congregatione fuerunt vel in quorum vicinitate consistunt, in monasteriis omnimodo deputentur, ut illic sancti ordinis meditantes doctrinam primum possint discere quae sunt a patribus instituta, ut post valeant docere quae sunt sancta meditatione percepta, atque tunc demum si doctrinae et sancti operis fructu extiterint fecundati ad summam virtutis properent exercitio sanctae intentionis imbuti. Deinceps autem quicumque ad hoc sanctum propositum venire disposuerint, non aliter illis id dabitur assequi neque hoc antea poterunt adipisci, nisi prius in monasteriis constituti et secundum sanctas monasteriorum regulas

plenius eruditi et dignitatem honestae vitae et notitiam potuerint sanctae promereri doctrinae. Illos autem quos tantum extrema vesania occuparit, ut incertis locis vagi atque morum depravationibus inhonesti ullam prorsus nec stabilitatem sedis nec honestatem mentis habere extiterint cogniti, quicumque a sacerdotibus vel ministris vagantes repererit, aut si fieri potest, coenobiorum patribus corrigendos assignent, aut si difficile est pro sola honestate vitae vigori suae potestatis erudiendos inclinet.

VI. Id etiam placuit, ut pro reverentia principis ac regiae sedis honore vel metropolitani civitatis ipsius consolatione convicini Toletanae urbis episcopi, iuxta quod eiusdem pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem urbe debeant commorari, messivis ac vindemialibus feriis relaxatis. Nos autem immortali deo et glorioso Cindasvindo principi, ob cuius votum in hac urbe sancta devotione convenimus, gratias unanimiter referentes optabili adnisu deposcimus, ut sanctae ecclesiae catholicae fidei semper ac pacis cumuletur affectu et memorato principi cum prosperitate praesentis regni futuri etiam largiantur praemia gaudii, ipso praestante qui in trinitate unus deus vivit et gloriatur in secula seculorum. Amen.

Orontius in Christi nomine sanctae ecclesiae Emeritensis metropolitanus episcopus haec constituta definiens subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt, numero XXXVIII [1].

[2] INCIPIUNT GESTA SINODALIA LII PONTIFICUM IN URBE REGIA CELEBRATA DIE XVII. KAL. IANUAR. ERA DCXCI. ANNO INCARNATIONIS DOMINICAE DCCLIII [3]. CICLI DECENNOVALIS XI.

Anno quinto orthodoxi atque gloriosi et vera clementiae dignitate praecipui Reccesvinthi regis quum nos omnes divinae ordinatio voluntatis eiusdem principis serenissimo iussu in basilica sanctorum apostolorum Petri et Pauli ad sacrum synodi coegisset aggregari conventum, dies tandem laetitiae appetitu diutissime praeoptatus et gratus adfuit et iucundus tanto nostri pectoris avidiori voto susceptus, quanto ad remedium salutis extiterat anhelantium praecordiis exquisitus. Quumque ex more unusquisque nostrorum ordine suo sedes debitas occupasset et eventum rei tranquillae intentionis expectatio sustineret, adest serenissimus princeps pia religione plenissimus et summo laudum titulo gloriosus, qui sese nostro coetui reddens acclinis, ut hunc omnipotenti domino precibus commendaremus attentis dulcifluis cohortatus est verbis, grates referens deo virtutum, quod suae iussionis implentes decretum in unum fuissemus adunati concilium. Sed quum tam pie humilem cognovissemus eius sanctae animae voluntatem et tam sublimis gloriae celsitudinem sublimius videremus acclinem, tanta sumus in dei gloriam exultatione succensi, ut grates illi debitas et honorem et laeti redderemus et cernui; sed quanto extulerat principem humilitatis ordo, sublimis tanto ad exercitia summae virtutis instruebant exempla sacratissimi principis formam nostrae religionis. Tunc relatis deo laudibus de unitatis alternae proventu, magna nos cum tranquillitatis gratia alloquutus est dicens: Etsi summus auctor rerum me divae memoriae domini et genitoris mei temporibus in regni sedem subvexit atque ipsius gloriae participem fecit, nunc tamen quum ipse requiem aeternam adeptus est mansionum, ea quae in me totius regiminis transfusa iura reliquit ex toto divina mihi potentia subiugavit, unde quia regendorum membrorum causa salus est capitis et felicitas populorum nonnisi mansuetudo est principum, votive decrevi vobis coram positis et votorum meorum deliberationem sanctione patula reserare et studiorum acta sincera exhibitione deferre. At vero quia anhelum pectus sese in promissorum complementa diffundit nec pigredine fessum retardationis oneribus sese summittit, longam prosequutionem compendio brevitatis adtrinxi et quidquid productionibus loquelarum in concione diffundere potui, totum in tomi huius complicamento respersum calamo vestrae sanctitudini offerre decrevi, id magno precatu deliberationis exhortans, ut quaecumque illic detinentur adscripta valido attendatis intuitu, sagaci praescrutemini studio ac de his quaecumque extiterint placita deo vestri oris ad nos sacro referantur oraculo. Accepto dehinc oblato nobis tomo, agentes domino gratias acclamavimus: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Post huius exultationis beatae gaudium et coelestis gloriae hymnum eidem sacro principi benediximus, reseratoque dein volumine tomi haec inibi contexta reperimus:

In nomine domini Flavius Reccesvinthus rex reverentissimis patribus in hac sancta synodo residentibus: Sancti spiritus admirabili dono regulam fidei meae solidam tenens et instructam agnoscens atque in honorem eius diadema gloriae cum cordis humilitate

[1] *Verba:* Similiter *etc. sec. Andegav., qui cum ceteris Pseudo-Isid. ea pro subscriptionibus integris in Hisp. exhibitis ponit.* [2] *Inscript. sec. Andeg.; textus sec. ed. cit. Hisp. Tituli in ed. Merl. antepositi in omnibus Pseudo-Isid. omittuntur.* [3] *Sic codd. Ps.-Isid.* A1, *corrigendum in:* DCLIII.

prosternens, illo laetus auditu quod omnes reges terrae serviunt et obediunt deo, en, reverendi patres, excelsiori mihi venerationis honore sublimes, coram vobis advenio in gratiam mansuetudinis meae vestrae beatitudinis testimonium convocans et ad testimonium visionis vestrae memet coram omnipotentis dei nutibus tremendis acclinans, referens illi corde laeto gratias opulentas, quod vos clementia voluntatis ipsius ex nostrae celsitudinis iussu ad huius sanctae congregationis votivum dignatus est deducere coetum, confidens tam mihi quam vobis et in praesentium serie temporum et in futurorum longitudine seculorum eius adesse gratiae praemium, quoniam et vestrae concordiae in conveniendo unanimem ac religiosum demonstratis affectum et dispositionis meae in regendis populis quam pium sit properastis patenter agnoscere votum. Nunc igitur quia momenti loquutio longae dictionis non capit excessum, quid de sancta fide noverim quam coelitus illapsam mihi per sanctorum apostolorum sequentiumque patrum ora cognovi, seu quid de sequuturis negotiis, pro quibus hunc conventum vestrae congregationis coadunare percensui intimare decreverim, in huius tomi serie conscripta tenete ac relecta praenoscite et cunctis quae tenori eius nostrae amplitudinis potestas impressit vestrae beatitudinis gravitas effectum tam prompte ac miseranter impendat, quam nostrae mansuetudinis serenitas hoc nobis implenda commendat.

Exordium itaque alloquutionis meae ex definitione sanctae fidei inchoans, cetera quae futuris sunt prosequutionibus intimanda velut supra soliditatem petrae constructurus annectam, ut operis mei aedificium congressurus eo sequentia validius ponam, quo decentius firmissima praetulerim prima. Itaque coram se reverentia vestra habeat quod nosse non ambigit me orthodoxae fidei veram, sanctam et sinceram regulam de corde puro et conscientia bona plenissime habere, veraciter scire et firmissime retinere atque eam ita complecti, venerari atque diligere, sicut eam apostolica traditio dedit, sicut etiam sancta synodus Nicaena constituit, sicut Constantinopoli sanctorum patrum congregatio definivit, sicut Ephesini primi coetus unitas affirmavit, sicut Chalcedonensis concilii definitio protulit, hanc cum fidelibus servans, ad hanc salvandos infideles advitans, in hanc subiectos populos regens, hanc propriis gentibus tenendam insinuans, hanc populis alienis annuntians, ut in illa glorificans deum et in tempore mortalium me summae divinitatis felicitas assequatur et in terra viventium haereditas a me gloriae capiatur. En, reverentissimi patres, quantum ad veritatem fidei sanctae pertinuit ex toto animam meam suae confessionis titulos explicuisse, honorificentia vestra pensavit. Iam nunc magnopere arbitror esse mihi opportunius enitendum societati eiusdem verae fidei studia sanctae operationis innectere, ne hanc aut sine operibus mortuam habemus aut non plenitudinis suae dignitate perspicua decidat inhonesta, dum scriptura non silente de quibusdam infertur qui dicunt se nosse deum, factum autem negant. Ut ergo hanc fidem super lapidem illum solidatam, quem reprobaverunt quidam aedificantes, idem tamen a domino factus est in caput anguli et est admirabile in oculis nostris, plenius habeamus eiusque insignibus decentius exornemur, attendite cuius operis fructum cuiusque operationis augmentum studiis huius sanctae fidei consociare velimus et innectere quantocius praeoptemus. Itaque revolutis retro temporibus ita vos omnemque populum iurasse recolimus, ut cuiuscumque ordinis vel honoris persona quae in necem regiam excidiumque Gothorum gentis ac patriae detecta fuisset vel cogitasse noxia vel egisse, irrevocabilis sententiae mulctatus atrocitate nusquam mereretur veniae remedium vel alicuius temperantiae perciperet qualecumque subsidium. At nunc quia grave onerosumque consetur, dum pietatis actibus gravi contradictione haec sententia resultare perpenditur et sic funditus damnationis astipulatio retinetur, ne pietati quae apostolo praecinente ad omnia utilis est, quocumque aditus reseretur, vestris haec committo fidenti animo sacris pertractanda iudiciis ac dirimenda sententiis, unde iam vestrum erit, inspirante vobis miseratione divina ita utriusque discriminis temperare mensuram, ne aut iuramenti conditio teneat reos aut impietatis ultio habeat inhumanos, sicque vestri nos instruat forma iudicii, ut subiectos populos nec in profanationibus habeamus subditos, nec impietatis vinculis doleam comminutos. Post huius conventionis alloquium, sequentium nectens causas negotiorum similique subiungimus vos intendere attentione. Decernimus attestantes universitatem vestram per summae divinitatis coaequalem et coaeternam et inseparabilem trinitatem atque illius mysteria sacramenti quod incarnatum dei filium de spiritu sancto et Maria virgine pro salute mundi vera fides in toto orbe denuntiat atque eiusdem adventum Iesu Christi filii dei domini nostri quo perimendi sunt impii et regnum eius quo glorificandi sunt sancti, ut quaecumque negotia de quorumlibet querela auditibus extiterint patefacta, cum iustitiae vigore misericorditer et cum temperamento miserationis iustissime cum nostra conniventia terminetis, in legum sententiis quae aut depravata consistunt aut ex superfluo vel indebito coniecta videntur, nostrae serenitatis accommodante consensu haec sola quae ad sinceram iustitiam et negotiorum sufficientiam conveniant ordinetis; canonum obscura quaedam et in dubium versa in meridiem lucidae intelligentiae reducatis omniumque negotiorum conventus ordinumque status, qui in vestram extiterint devoluti praesentiam, ita maiorum regulis concordantes iustissime, pie ac temperanter constituere studeatis, ut et mihi qui ad studiorum fru-

ctum bonorum anhelo pars beatorum adveniat et vos quoniam implentes voluntatem dei me non spernitis imprecantem religio beatitudinis aeternae suscipiat et visio delectationis dei sibi perenniter inhaerere concedat. Vos etiam illustres viros quos ex officio palatino huic sanctae synodo interesse mos primaevus obtinuit ac nobilitas expectabilis honoravit et experientia aequitatis plebium rectores exegit, quos in regimine socios, in adversitate fidos et in prosperis amplector strenuos, per quos iustitia leges implet, miseratio leges inflectit et contra iustitiam legum moderatio aequitatis temperantiam legis extorquet, adiurans obtestor per omne illud admirabile et solum unius sacrae fidei sacramentum, quo venerabilem omnium sanctorum patrum sum obtestatus conventun, ut ad tantae veritatis ac discretionis iustissimae formulam ita animos dirigatis, ut nihil a consensu praesentium patrum sanctorumque virorum aliorsum mentis ducentes obtutum quidquid innocentiae vicinum, quidquid iustitiae proximum, quidquid a pietate non alienum vel soli deo cognoveritis existere placitum, instanter, modeste et cum omni dignemini intentione complere, scientes quia in eo quod haec mea salubria vota completis, vos deo amabiles assignatis, et in eo quod decretorum vestrorum edicta favoris exhibitione corroboro, me vobiscum simul cum deo placiturum assigno. In commune iam vobis cunctis et ex divino cultu ministris idoneis et ex aula regia rectoribus decenter electis, divini nominis adiuratione constrictis, adiicio consensionis meae verum purumque promissum, ut quodcumque iustitiae aut pietati salutarique discretioni vicinum decernere seu adimplere cum consensu elegeritis, omnia favente deo perficiam, et adversus omnimodam controversiarum querelam principali auctoritate muniam ac defendam. Praemissis illis quae ad domesticos fidei regula veritatis pertinuisse probavit, adhuc aliud a beatitudinis vestrae conventu eiusdem fidei aviditas sancta deposcit, connectente me in sequestrationis confinio causam quae a nostro dogmate probatur extranea, quam licet per me lucrari Christus exoptet, inimicam sibi tamen esse non ambigit, donec quod ardenter optat, evidenter obtineat: iudaeorum scilicet et vitam moresque denuntio, quorum tantummodo novi terram regiminis mei pollutam esse peste contagii. Nam quum deus omnipotens omnes ex hac regione radicitus extirpaverit haereses, hoc solum sacrilegii dedecus remansisse dignoscitur, quod aut nostrae devotionis instantia corrigat aut ultionis suae vindicta disperdat. Ex eis enim quosdam traditionis errore vetusto video retinere iura perfidiae, quosdam vero sacri baptismatis expiatos ablutione, ita in apostasiae denuo relapsos errorem, ut detestabilior inveniatur in eis prolatio blasphemiae, quam in illis quos nondum constat purificatos esse regenerationis sacrae liquore. Pro quo bonae intentionis agone et lucro fidei verae obsecro reverentiam beatitudinis vestrae atque per supra taxatum contestor tremendae coniurationis tenorem, ut absque omni favore, absque omni personarum partis ipsorum acceptione, quidquid ad domini et redemptoris mei Iesu Christi veram fidem verumque pertinet ad honorem, de his iubeatis ardenter et verissime deo ac fidei meae placitam sententiam dare, ut sicut mihi divina pietas regimen fidelium dedit cum quibus se a me glorificari cognoscit, ita quoque infidelium assequi tribuat lucrum, in quibus et voluntatis suae fieri bonum et eius advenisse congaudeam venerabile regnum. Datum sub die XVII. Kal. Ianuar., anno feliciter quinto gloriae regni nostri. In nomine domini Flavius Reccesvinthus rex hanc fidei et bonae voluntatis meae deliberationem manu mea subscripsi.

I. Relecta tomi pagina vel finita, quum glorificassemus deum de fidei principalis auditu et de bonae voluntatis eius affectu, ad peragendarum causarum negotium ceterarum statim vertimus animum simulque sumus exorsi iudicium. Tunc primae narrationis exortu verae fidei nobis tractatus occurrit, ut incipientes de illa primitus loqui, inde soliditatis auspicemur exordium, unde sacrae sumpsimus nativitatis initium, quatenus assertionum nostrarum forti praemissa sententia, quidquid subsequenter advenerit de actis negotiorum fortiori subsistere valeat serie decretorum. Itaque unius sacrae fidei veram professionem veramque regulam tenere, nos tota virtute animi et profitemur et acclamamus, cunctisque percipiendam ac retinendam plena deliberatione incessanter praedicamus, sicut a sanctis apostolis ostensa docetur, sicut a sequentibus patribus orthodoxe disserta probatur, sicut etiam a sanctis illis synodalibus gestis verissime confirmata dignoscitur, in quibus Arii, Macedonii, Nestorii vel Eutychetis insanissimus error et dilucide proditur et radicitus extirpatur, sicut denique in sacris missarum solemnitatibus concordi voce profitemur ac dicimus:

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum, filium dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra; qui propter nos et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, de spiritu sancto ex Maria virgine homo factus, passus sub Pontio Pilato, sepultus tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet ad dexteram patris, inde venturus in gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus et in spiritum sanctum dominum et vivificatorem, ex patre et filio proceden-

tem, cum patre et filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per prophetas: in unam catholicam atque apostolicam ecclesiam: confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum: expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri seculi. Amen. Huius sanctae fidei regula idcirco nunc tractatuum non recipit aperturam, quia et a sacris doctoribus abunde constat expositam et imminentium causarum negotia nos ad alia pertrahunt peragenda.

II. Secundae disputationis occursu adfuit negotium tam facile quam et grave, in quo de refugis atque perfidis disputatione commota, utrumne possit eorumdem temperari sententia damnatorum, magno satis conatu est exquisitum. Sed quum illarum series conditionum, ad quas decursis non longe temporibus pro eorum penuria hostilitatis vastitas nos iurare coegerat, nostris esset auditibus recensita, tantam reperimus obligationis illic inesse texturam, ut macularum suarum nodositas non tantum videretur prohibitionem dedisse transgressionum, quantum conclusisse viscera pietatum. Aderat enim quod in utroque pavor agebat et ne sancti nominis profanatio fieret et ne miserationis operatio interiret, quia et ex dei nominis profanatione non aberat quod terrebat, et ex prohibitione pietatis aderat quod taedebat, dumque alterno periculorum obiectu se prolatae sententiae compugnarent, periclitabamur ancipites in bifido partium dissidentium calle, quo diremptionis tramite iudicium properaret. Sed quum gressibus disputationis nostrae sese difficultatis congressio devia obiecisset, properandi tandem relicto discrimine cum fragore singultuum et imbribus lacrymarum ad deum qui pietatis fons est verba simul et corda convertimus.

Aspira, sancte spiritus, et ducito nos in portum voluntatis tuae, sedatis fluctibus ignorantiae nostrae: ecce enim periculorum syrtes in littore cursus nostri provenimus atque hinc de obviantibus naufragiorum obicibus, quo disputationis nostrae vela pandamus attentionis consideratione non cernimus. Sed aspira rursum, sancte spiritus, et dato nobis te donante nosse quid iubeas ac te iuvante implere posse quod iusseris, ut et perlustrando illumines quod nescimus et adiuvando perficias, quod implere pavemus. Si iam ergo in te requiescentes erroneorum fluctuum pavoribus abdicatis, commercia nos iubes disponere pacis, inchoemus illa quae et in gloriam tuae omnipotentiae conferantur et humanae saluti te annuente donentur. Temporibus non procul excursis quum quorumdam refugarum tumultuosa seditio frequenter vastationes terris inferret et scandala populis cum excidiis irrogaret, adeo ut captivorum turmas reducere et desolationes terrae, quae tali concussae sunt peste, quilibet conatus nequeat reparare, exactum est vi potius necessitatis exortae quam deliberatione iudicii, ut contra eosdem eisdemque simillimos cum omni fere populo acerrima iuramenta daremus, unde iurasse nos per attestationem divini nominis conditio iuramenti demonstrat et ne resolvi queat sacrae scripturae auctoritas instat. Scribitur namque in Exodo: Non assumes nomen domini dei tui in vanum, nec enim insontem habebit dominus eum qui assumpserit nomen domini dei sui frustra. Item in Levitico: Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen domini dei tui: ego dominus. At vero quia illata praessurarum acerbitas resolvi possit ac debeat, tam vinculorum et lamentorum hortor insinuat, quam eiusdem auctoritatis dominicae praecepta commendant: etenim iuxta veterem translationem ita quosdam per Isaiam gravi exprobratione dominus increpat dicens: Vae filiis desertionis, dicit dominus, fecistis consilium non per me et sponsionem, non per spiritum meum, adiicere peccatum super peccatum. Item in Ieremia: Iniquitates nostrae declinaverunt ista, et peccata nostra amoverunt bona a nobis, quia inventi sunt in populo meo impii et laqueos statuerunt ad dispergendos viros et comprehenderunt; ut laqueus stans plenus volatilibus, sic domus eorum plena dolo. Et per Michaeam: Eheu mihi anima, quia periit revertens ad terram, et qui corrigat inter homines non est; omnes in sanguine iudicantur, unusquisque proximum suum tribulat tribulatione; in malum manus suas praeparant. Ad beneficentiam certe quae divinis oculis tanto est gratior, quanto et invenitur esse praestantior, sic nos Isaias instruit dicens: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Paulus etiam vas electionis: Pietas ad omnia utilis est. Et Iacobus: Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium. Ioannes item: Qui odit fratrem suum homicida est, et scitis quia omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem. Et per semetipsum veritas: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. Et iterum: Dimittite, et dimittetur vobis; si autem non dimiseritis, nec pater vester coelestis dimittet vobis peccata vestra. Ecce sunt dominicae iussionis hinc inde astipulata firmissima cautione praecepta, ac proinde quia sunt divini oris prosequutione taxata permanebunt per omnia aeterna lege praefixa. Quid ergo? Numquid iuramenti iustitiam aut misericordiae pacem sibi contraire narrabimus dum scriptum sit: Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax se complexae sunt? Aut quia controversiarum lapsus sese in contentione diffundunt, adeo unius partis assertionem narravimus non implendam, cur alterius assertio partis iacturae comminetur instantiam? Et quia

iuramenti custodia ultionem non temperat pavescendam, idcirco impietatis atrocitas mortem pariat exsecrandam? absit. Etenim si publicis sacramentorum gestis, quod deus avertat, a quibuslibet illicita vel non bona extitisset conditio alligata, quae aut iugulare animam patris aut agere compelleret stuprum sacratissimae virginis, numquid non tolerabilius esset stultae promissionis reiicere vota, quam inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum implere mensuram? Quod si ita esset, quomodo crederetur unius observantia iussionis fons pietatis, quum emitteret tribulos ultionis? Aut quaenam illa esset sacrae observatio legis, quae sacrilegia committeret pravitatis, vel cuius mensurae aequitas videretur, ut ex unius praecepti cautela necis exoriretur immanitas truculenta? At nunc non ita contendimus ut contentionum divortiis concitatis nosipsos contentionis certaminibus misceamus. Est vere pax in utroque quod dicimus, quia sic sanctus spiritus iter nostrorum cursuum temperat, ut in nullo devium hoc a sua dispositione secludat: unde p lena iam voce, pleniori fide, plenissimaque intentione praedicimus, atque in totam sanctae ecclesiae universitatem praedicamus pariter et optamus, nulla profanatione solius et summae divinitatis nomen existere assumendum, nullo periurii sacrilegio indebite profanandum, nullo uspiam contactu fallaciae contingendum. Nam si attestante veritate propter profanationem periurii evitandam prohibetur omnino iurare, quum dicitur: Sit sermo vester, est, est, non, non, quod plus autem his est, a malo est; quomodo impunitum erit nomen tantae gloriae voluntarie profanasse, dum in eo taxata fides dignoscitur interiisse vel quatenus pacis foedera in gentium discidia ligabuntur, si non iuramenti pacta sanctiori integritate serventur? Etenim omne quod in pacis foedere venit, tunc solidius substat, quum iuramenti hoc interpositio roborat, sed et omne quod animos amicorum conciliat tunc fixius durat, cum eos sacramenti vincula ligant: omne etiam quod testis astipulat, tunc verius constat cum id adiectio iurationis affirmat; quod si et testis deficiat, innocentis fidem sola iurisiurandi taxatio manifestat. Hinc et ut motibus humanis divina voluntas panderet quod volebat, ne labens fragilitas pro incerto teneret, quod inviolatae veritatis promissio exprimebat, per Isaiam loquitur dicens: Ego dominus et non est alius, in memetipso iuravi: si ergo tantae institutionis limite sunt votiva iuramenta servanda, quis alienorum a veritate haec adstruat execrabiliter violanda? Stabunt ergo sacrae auctoritatis vivida iussa nec vana profanatione erunt aliquatenus temeranda. Verum ne iuramenta quae data sunt, videantur in nos ita penitus miserationum conclusisse praecordia, ut nullam de pietatis affectu animae viscera concipiant indulgentiam parituram, sic stabilitis contractibus iuramenti sinum misericordiae aperimus, atque ita cunctis deo placita devotione misereri censemus, ut nos nec iuramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos. Occurrere certe miserorum ruinis debet subsidio unusquisque quo valet et relevatione alienae vindictae a se dei removere vindictam; libat enim domino prospera qui ab afflictis pellit adversa. Inde Iob ante passionis experientiam impendens patientibus quod in passionis suae patientia memorabat, suarum virtutum catalogum texens inter cetera sic connectit: Benedictio perituri super me veniebat et cor viduae consolatus sum; et paulo post: Flebam quondam super eum qui afflictus erat et compatiebatur anima mea pauperi. Hinc et Salomon: Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Quibus sanctae auctoritatis instructi decretis, nec sanctum nomen profanasse nos constat, quod nullatenus profanandum vox nostrae praedicationis insinuat et indulgentiae visceribus adapertis, licet oris sui professione damnati difficile mererentur absolvi, iuxta quod scriptum est: Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum loquutum est adversum te; et iterum: Ex ore tuo iustificaberis et ex ore tuo condemnaberis; tamen pietatis intuitu et parcendi viam pandimus et misericordiam prorogamus; huius sane promissionis incaute crudam cruentamque temperare sententiam illa quam maxime compellimur causa, quod haec duo mala licet sint omnino cautisime praecavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum temerare compulerit, id debemus resolvere quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his levius, quidve sit gravius pio rationis acumine vestigemus. Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus; quum vero noxia promissa complemus et dei iussa superbe contemnimus et proximis impia crudelitate nocemus, et nosipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter iugulamur. Restat ergo ut eo nostra pergat sententia quo misericordiae patuerit via, quae ita domino probatur accepta, ut plus eam cupiat quam sacrificia veneranda, dicente ipso: Misericordiam volui et non sacrificium. Hac indulgentiae concessa licentia miserationis ipsius opus in gloriosi principis potestatem redigimus, ut quia deus illi miserendi aditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non deneget, quae ita principali discretione moderata persistant, ut et illis sit aliquatenus misericordia contributa et nusquam gens aut patria per eosdem aut periculum quodcumque perferat aut iacturam, haec miserationis obtentu temperasse sufficiat. Ceterum quaecumque iuramenta pro re-

giae potestatis salute vel contutatione gentis et patriae vel hactenus sunt exacta vel deinceps extiterint exigenda, omni custodia omnique vigilantia insolubiliter decernimus observanda, a membrorum truncatione mortisque sententia religione penitus absoluta. Sed ne pravarum mentium versuta nequitia nosmet ad periurii quandoque devocet culpam, nec a sanctae fidei regula hanc asserat venire sententiam, tam divinae auctoritatis oracula quam praecedentium patrum asserta huic narrationi curavimus innectenda. Etenim incommutabilis idemque semper existens dei summi natura praecellens sua saepe in sacris litteris legitur mutasse promissa et pro misericordia temperasse sententiam: unde quamlibet sit impassibilis atque immutabilis idem quidem deitate firmissima, crebro tamen eius et iuramenta leguntur et poenitentia, quae sacris extant mysteriis adoperta. Iurare namque dei est a se ipso nullatenus ordinata convellere, poenitere vero eadem ordinata quum voluerit immutare. Sic enim per Ieremiam dicit: Repente loquar adversum gentem et adversum regnum, ut eradicem et destruam et disperdam illud: si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod loquutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei. Et per Ezechielem: Si dixero iusto quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur et iniquitate sua quam operatus est in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, vita vivet et non morietur. Si ergo nostra conversio sic divinam mutat sententiam, cur miserorum tantae lacrymae vel praessura tam crudam non temperet ex miseratione vindictam? Hinc etiam populo israelitico saepe ultio promissa suspenditur, et Ninivitarum perditio divinae sententiae permutatione sedatur.

At vero illustri laudum titulo praeclarus auctor Ambrosius in libro de officiis primo huiuscemodi rei causa sic loquitur: Est etiam contra officium nonnumquam promissum solvere, sacramentum custodire, ut Herodes, qui iuravit quoniam quidquid petitus esset, daret filiae Herodiadis et necem Ioannis praestitit, ne promissum denegaret. Nam de Iephte quid dicam, qui immolavit filiam, quae sibi victori primum occurrerat, quo votum impleret quod spoponderat ut quidquid sibi primum occurrisset, offerret deo? Melius fuerat nihil tale promittere, quam promissum solvere parricidio. Item in libro tertio: Purum igitur ac sincerum oportet esse affectum, ut unusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem circumscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum, ac si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit. Saepe plerique constringunt se iusiurandi sacramento, et quum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderint; sicut de Herode suprascripsimus, qui saltatrici praemium turpiter promisit, crudeliter solvit, turpe quod regnum pro saltatione promittitur, crudele quod mors prophetae pro iurisiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tale fuisset periurium sacramento? Et pauca de Iephte disserens: Miserabilis, inquit, necessitas quae solvitur parricidio. Melius est non vovere quam vovere, quod sibi is cui promittitur nolit exsolvi. Et post paululum: Non semper igitur promissa solvenda omnia sunt. Denique ipse dominus, sicut scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam.

Vir quoque sanctissimus Augustinus vestigationis acumine cautus, inveniendi arte praecipuus, asserendi copia profluus, eloquentiae flore venustus, sapientiae fructu fecundus, haec in suis narrat affatibus: Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est; sed tamen non sunt sine culpa quum aut iocamur aut quod promisimus mentimur; illud primum in iocando ideo non est perniciosissimum, quia non fallit, novit enim ille cui dicitur ioci causa esse dictum; secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Idem ipse: Non auferat, inquit, veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem; si enim pro veritate aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via domini, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi. Beatus etiam papa Gregorius et libris et meritis honorandus atque in ethicis assertionibus pene cunctis merito praeferendus, sic in libris infert moralibus: Quia ergo Behemoth iste tam inexplicabilibus nodis ligatur, ut plerumque mens in dubio adducta, unde se a culpa solvere nititur, inde in culpa arctius adstringatur, recte dicitur: Nervi testiculorum eius perplexi sunt; argumenta namque machinationum illius, quo magis collaxantur ut relinquant, eo magis implicantur ut teneant. Est tamen quod ad destruendas eius versutias utiliter fiat, ut quum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur, quia et qui murorum undique ambitu ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam praecipitat, ubi brevior murus invenitur. Nostri quoque seculi doctor egregius, ecclesiae catholicae novissimum decus, praecedentibus aetate postremus, doctrinae comparatione non infimus, atque, et quod maius est, in seculorum fine doctissimus atque cum reverentia nominandus Isidorus in libro sententiarum, secundo haec pro tali narrat negotio: Non est conservandum sacramentum quo malum incaute promittitur, veluti si quispiam adulterae perpetuam cum ea permanendi

fidem polliceatur; tolerabilius est enim non implere sacramentum quam permanere in stupri flagitio. Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, non facias; impia est promissio quae scelere adimpletur. Haec de sacris paginis auctoribusque praecipuis brevissime sufficiat praelibasse; nam plurima colligere poterit qui haec attentius legendo quaesierit. Ceterum quibus haec nequaquam sufficiunt vel hinc sumant cum rubore silentium, quia optamus, ut vas electionis anathema esset Christo pro fratribus suis quam perdurare crudelibus in delictis.

III. Tertiae ratiocinationis alloquio doluimus contra priora monita patrum vota, perniciosissima posterorum, nam quanto frequentius illi noxia vetuerunt, tanto studiosius isti perpetrare vetita non quiescunt, sicque per contrarium quod penitus occumbere debuit, insultare non desinit, et res quae tot excissa decretis arescere potuit, ad vicem lernaei capitis, ut ferunt fabulae, truncata virescit. Denique quod non sine magno dolore dicendum est, reperiuntur quamplurimi negotio muneris perituri mercari velle gratiam spiritus sancti, dum vile praemium donant, ut pontificalis ordinis sui sublime culmen accipiant obliti verborum Petri qui dixit ad Simonem: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum dei existimasti per pecuniam possidere. Proinde quia et usitatum est tale malum et maiorum frequenter extat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri canceroso ignitum quod superest adhuc iniicimus ferrum, decernentes omnino, ut quicumque deinceps pro percipienda sacerdotii dignitate quodlibet praemium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit, anathematis opprobrio condemnatum atque perceptione Christi corporis et sanguinis alienum, ex quo illum constat hoc execrabile Christi perpetrasse flagitium. Quod si aliquis extiterit, qui accuset, ille qui hunc ordinem munerum fuerat acceptione lucratus et suscepti honoris gradu privetur et in monasterio sub perenni poenitentia religetur; illi vero qui pro hac causa munerum acceptatores extiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur, si vero laici, anathemate perpetuo condemnentur.

IV. Quartae congressionis eventu obvius sese nobis intulit pontificalis culminis lapsus, quem ante flere quam disponere compulsi ex ordine sumus; nam quum secundum carnis assumptae mysterium ecclesiae suae fuerit dignatus caput existere Christus, merito in membris eius intentio episcoporum officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimiori celsitudine ordinum regunt et disponunt subiectas multitudines plebium. Unde quanto ipsi fiunt sequentium ductores, tanto meritorum lumine debent esse fulgentes. Quapropter omnes episcopi inter ceterarum virtutum ornamenta nitore carnis debent propensius eniti, ut ex hoc audientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia non deturpat, adeo ut si deinceps episcopi detecti fuerint execrabilibus flagitiis cum quibuslibet foeminis pollui, ac familiari peculiaritate versari, noverint se irrevocabili sententia patrum ulcisci, id est, et loci et ordinis sui dignitate privari.

V. Quintae actionis impulsu pervenit ad totius concilii sacrum auditum quosdam sacerdotes et ministros, obliviscentes maiorum vetera constituta aut uxorum aut quarumcumque feminarum se immunda societate et execrabili contagione turpari, pessimi cordis obstinatione tam sacris litteris quam patrum regulis obviantes, nec levi quidem respiramine memoriae commendantes quod scriptum est: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum, dicit dominus; et illud apostolicum: Mortificate membra vestra, quae sunt super terram, id est, fornicationem et immunditiam, concupiscentiam malam et avaritiam: quibus quanto est pertinacior usus in malis, tanto austerioribus convenit obviare decretis. Propter quod flagitii dedecus specialiter hoc a sancto concilio definitur, ut omnes episcopi id ipsum in suis quaerere sollicite curent, et quum hoc verissime reperire potuerint, omnes placiti cautione tali constringant, ut nusquam ulterius tam abominanda committant. Mulieres vero seu liberae sint seu ancillae, hac illis turpitudine sociatae, ita omnismodis separentur aut certe vendantur, ut ulterius ad conscios sui criminis revertendi omnem habeant aditum denegatum: illi vero, si omnino coerceri nequiverint, usque ad exitum vitae suae monasteriis deputati poenitentiae disciplinis maneant omnino subiecti.

VI. Sextae discussionis obiectu quorumdam male sibi consciorum patuit denotatum elogium. Nam relatum est nobis quosdam subdiacones, postquam ad sacri huius ordinis pervenerint gradum, non solum carnis immunditia sordidari, quum scriptum sit: Mundamini qui fertis vasa domini, sed etiam quod dictu quoque nefas est, novis uxoribus copulari, asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedictionem a pontifice se nesciunt percepisse. Proinde, omni excusationum discisso velamine, id praecipimus observari, ut cum idem subdiacones ordinantur cum vasis ministerii benedictio eis ab episcopo detur, sicut in quibusdam ecclesiis vetustas tradit antiqua et sacra dignoscitur consuetudo substare prolata, omni penitus ab illis sorde mulierum ac familiaritate remota. Quod si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub poenitentiae oneribus usque ad extremum vitae monasteriis religandi.

VII. Septimae assertionis accessu adiit coetum nostrum tam inverecunda progressio, quam ignobilis ac detestanda praesumptio,

quosdam enim aut eventu necessitatum aut metu periculorum adeptos fuisse novimus ecclesiasticarum officia dignitatum, et quoniam quum illis imponerentur id sibi fieri noluisse testantur, idcirco haec spernere atque ad pristina pertentant coniugia moresque redire, tam nequiter coelestia iura solventes, quam prompte secularibus extant illecebris inhiantes. Qua de re nosse nos convenit, quod episcopalis eminentiae culmen non immerito sacris omnibus esse summa percensuit, quae ceteris sacerdotibus exercenda perhibuit: scilicet templorum dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumque ordinum institutionem, quae tamdiu valenter ordinata persistunt, quam excellentissime conferuntur, qui et tanto ab eis singulariter impenduntur, quanto eidem summo culmini peragenda servantur. Quomodo ergo qui ea in se recipit a se reiicere poterit, quum haec a nullo altero conferri quam a solis pontificibus novit, quibus nec ligata solvi, nec soluta poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum veritas ait: Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelo, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelo. Nequaquam aliquando poterit profanari quod divinae iussionis simulque apostolicae traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse: verum sicut sanctum chrisma collatum et altaris honor evelli non queunt, ita quoque sacrum decus honorum, quod his compar habetur et socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnismodis inconvulsum. At extirpandum vero radicitus huius callidae machinationis inutile argumentum, id sibi rationabiliter dari noverint in obiectu, quod sacrosancti baptismatis inappretiabile donum et semper et saepe non solum nolentibus, verum etiam, quod maius est, nescientibus impertitur, sed hoc a nullo penitus profanari permittitur. Quod si et hic opponitur, necdum rationis capaces existere qui hoc probantur accipere, hinc omnimodo conticescant, qui si maiores impune non deserunt quod parvuli vel nesciendo vel nolendo percipiunt, quanto magis non convenit violari, quod pro mortis aut poenarum evadenda pernicie occulta dei dispensatione dignoscitur obvenisse? Recedant ergo talium desideriorum impuderati favores et licet inviti perceperint quod non merebantur habere, libenter tamen ob hoc coeleste retineant praemium, quod nolendo pro terrenae consequuti sunt necessitatis eventu, ut tandem inviti appetant bona diligere, quae sponte videntur desides impugnare. Quod si quis post hoc perennis dispositionis edictum non sinceriter sacris inhaeserit cultibus et abiiciens a se gratiam quam accepit relabi ad coniugia moresque seculi attentaverit vel eum redire constiterit, mox omni ecclesiastici ordinis dignitate privatus vere ut apostata a sanctae ecclesiae liminibus et societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monasterii claustris donec advixerit sub poenitentia retrudendus.

VIII. Octavae disceptationis affectu reperimus quosdam divinis officiis mancipatos tanta nescientiae socordia plenos, ut nec illis probentur instructi competenter ordinibus, qui quotidianos versantur in usus. Proinde sollicite constituitur atque decernitur ut nullus cuiuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium vel canticorum usualium et hymnorum sive baptizandi perfecte noverit supplementum. Illi sane qui iam honorum dignitatis funguntur, huiusce tamen ignorantiae coecitate vexantur aut sponte sumant intentionem necessaria perdiscendi aut a maioribus ad lectionis exercitia cogantur inviti [1].

IX. Nonae intentionis admonitu detecta est ingluvies horrenda voracium quae dum fraeno parcimoniae non adstringitur, religioni contraire censetur, dicente enim scriptura: Qui spernit minima, paulatim decidet in maxima; illi tanto edacitatis improbae sumptu grassantur, ut coelestia et pene summa contemnere videantur. Etenim quum quadragesimae dies anni totius decimae deputentur, quae in oblationem ieiunii domini consecrantur, quibus etiam saluberrime conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur et quatuor elementis formatus propter transgressionem decalogi quater decies convenienter affligitur, illi ausu temerario haec omnia contemnentes nec voracitatis ingluviem fraenant et quod peius est paschalia festa illicitorum esuum perceptione profanant: quibus ex hoc adeo acerrime interdicitur, ut quisquis absque inevitabili necessitate atque fragilitate evidenti languore seu etiam aetatis impossibilitate diebus quadragesimae esum carnium praesumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis dominicae, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione et hoc illi cumuletur ad poenam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiae oblitus est disciplinam. Illi vero quos aut aetas incurvat aut languor extenuat aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam a sacerdote permissum accipiant.

X. Decimae colloquutionis assensu molestis actibus quos sagax indagatio pietati obviare detexit et non bene regendi licentiae quam se mansuetudo impugnasse probavit, satis, ut opinamur, et lege gloriosi princi-

[1] *Quae huic capiti adiiciuntur in ed. Merl., neque in Hisp. neque in ullo codice Ps.-Isidor. inveniuntur.*

pis et decreto sanctae synodi huius contradictum esse conspeximus. Ita enim sanctus spiritus per utrasque definitiones mortalium corda perflavit, ut vitali flatu verborum in posterum omnem exureret male concupiscentium rabiem animorum. Actum namque est in definitionibus ipsis ut, quia pietatis divinae incomprehensibilis natura sese conditioni mortalium in unione personae coniunxit mysterio redemptionis humanae, nos quoque a membris capitis huius et perfidiae malum et concupiscentiam, quae radix malorum est omnium, et avaritiam quae invenitur servitus idolorum pari simul igne ac mucrone totoque artificio radicitus evellamus ac desecemus. Abhinc ergo et deinceps ita erunt in regni gloriam praeficiendi rectores, ut aut in urbe regia aut in loco ubi princeps decesserit cum pontificum maiorumque palatii omnimodo eligantur assensu, non forinsecus aut conspiratione paucorum aut rusticarum plebium seditioso tumultu; erunt catholicae fidei assertores eamque et ab hac quae imminet iudaeorum perfidia et cunctarum haeresum iniuria defendentes, erunt actibus, iudiciis et vita modesti, erunt in provisionibus rerum parci amplius quam extenti, ut nulla vi aut factione scripturarum vel definitionum qualiumcumque contractus a subditis vel exigant vel exigendos intendant, erunt in conquisitis oblationis gratissimae rebus non prospectantes proprii iura commodi, sed consulentes patriae atque genti. De rebus congregatis ab eis illas tantum sibi vindicent partes quas dictaverit auctoritas principalis; verum quaecumque inordinata reliquerint, haereditabunt successores, propria eorum et ante regnum iustissime conquisita aut filii aut haeredes capiant iure proximitatis. De affinium successione vel munere, quamvis inordinata relicta aut primum tantum filiis aut haeredibus sequenter proficiant vel propinquis atque ita in eorum cunctis actibus, moribus atque rebus praefatae legis erit auctoritas valitura, ut et perenniter maneat inconvulsa. Et non prius apicem regni quisque percipiat, quam se illam per omnia suppleturum iurisiurandi taxatione definiat: cui etiam legi vel decreto episcopali non solum in futuro sed etiam in praesenti reverentiam apponentes, decernimus, ut quicumque detractor et non potius venerator decreti eiusdem atque legis esse maluerit, sive religiosus ille sit sive laicus, non solum ecclesiastica excommunicatione plectatur, verum et sui ordinis dignitate privetur.

XI. Undecimae occasionis articulo decretorum universalium perenne dedimus firmamentum, scientes quod multimoda semper deus oppositione iudiciorum aerumnam relevet oppressorum, et sicut malis exigentibus hominum permittit exerceri penurias ultionum, ita quum voluerit gravedines relevat pressurarum; hinc et decreta praecedentium patrum ad contentionis iurgium radicitus evellendum rite synodalem fieri censuere conventum, ut illic diversitate iudiciorum potensae lites habeant terminum ubi sanctus spiritus universalem coadunaverit coetum. Ab hoc ergo spiritu sancto succensi ne quilibet in posterum aut impune valeant commoveri aut generalia statuta convellere, plena decernimus unanimitate connexi, ut quaecumque pro fidei causis ecclesiasticisque negotiis aut in praeteritis gestis aut in praesentibus constitutis aut futuris etiam in decretis vel sunt vel fuerint definitione conscripta universalis auctoritatis, nullus his deinceps contradicere audeat, nullus ea reverberare praesumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra haec inobediens aut susurrans aut certe lacerator aut invidus, ac non potius eorumdem fautor extiterit gratiosus et honoris sui et communionis sanctae lugeat amissione mulctatus. Quum vero quaelibet sancta synodus agitur aut pacifice inter episcopos quidpiam definitur, si pauciores per nescientiam vel contemptionem forte dissentiant aut commoniti plurimorum sententiae cedant aut ab eorum coetu cum dedecore confusionis abscedant et excommunicationis annuae sententiam luant.

XII. Duodecimae, quae est finalis et ultima, sacratissimi principis obsecratione piissima pro iudaeorum abominabili ac nefanda perfidia execranda, nostro coetui perpatuit causa, quam idcirco in fine sententiarum censuimus esse ponendam, quoniam eamdem gentem delicti sui merito retroductam per divinae sanctionis oracula a capite positam deflemus in caudam. Sed quia Christus ut pro nobis, ita quoque pro illis est mortuus iuxta quod ipse ait: Non sum missus nisi ad oves quae perierant domus Israel; necessarium duximus summam pro eis impendere curam, pro quibus suam Christus ponere non dedignatus est animam; ideoque principali clementia devotissime praefaventes, quae ob hoc sui regni apicem a domino solidari praeoptat, si catholicae fidei pereuntium turmas adquirat, indignum reputans orthodoxae fidei principem sacrilegis imperare, fideliumque plebem infidelium societate polluere, nihil aliud pro his ex nostra sententia definitur, quam ut decreta concilii Toletani, quod divae memoriae Sisenandi regis aggregatum est tempore, a nobis ac posteris omnimoda suppleantur intentione. Quisquis autem ab eiusdem synodi voluerit sententia dissentire, ut vere sacrilegium noverit se condemnari.

Divinae trinitatis inseparabile nomen sicut inspiratione mirabili nostrorum tractatuum primordia lineavit, ita consummatione sublimi eadem iam perficiendo concludit, ut in illo sit nostrum explicuisse a quo nobis adfuit inchoasse. Damus ergo gloriam et honorem eidem sanctae et indivisibili trinitati,

quae nobis et ex se dicere contulit et in se dicta complevit, quae reformavit in extremitate seculorum remedia pietatum et resolvit ligamina vinculorum collationibus gratiarum. Salus et benedictio ab exercituum domino super serenissimum Reccesvinthum principem gloriosum, gratiarum actio et reverentiae plenitudo a nobis omnibus in commune ipsi clementissimo principi, bonorum gratifico largitori, cuius votorum instantia benigna deus attulit complementa, cuius dispositio piissima pressurarum removit exitia, cuius temporibus conferat vigere iustitiam et exuberare misericordiam opulentam, cui post praesentis aevi tempora diuturnam cum sanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam. Nos autem omnes hanc decretorum seriem ex rectae fidei vel pietatis ac iustitiae fonte manantem, coram deo et sanctis angelis eius, orthodoxis omnibus et nunc et in futurum impensissime commendamus, obsecrantes enixius ut hanc et reverenter adimpleant et ab aemulis benigne defendant; et contemnentibus eam divinae severitatis ultio pavenda proveniat, observantibus autem misericordia profluens, pax perpetua et gloria sempiterna contingat. Huius quoque sententiae fortitudine vel valore decreti nostri seriem quam in serenissimi domini nostri Reccesvinthi regis edidimus nomine, pro rebus a divae memoriae patre suo quolibet titulo conquisitis decernimus omnino constare. Legem denique quam pro coercenda principum horrenda cupiditate idem clementissimus edidit princeps, simili robore firmamus atque ut in futuris retro temporibus modis omnibus observetur, pari sententia definimus. Quae etiam ne taciturna temporum vel obliviosa vetustate depereant, huic nostrae constitutioni utraque decrevimus innectenda, ita cunctorum memoriae commendanda, ut a cunctis regulis superius ordinatis nusquam maneant segregata. Cetera quoque decretorum nostrorum iudicia, quae ab hac sancta synodo noscuntur esse confecta, si quis convellere forsitan decreverit aut temeranter implere neglexerit vel infringere quandoque voluerit, per iudicium dei omnipotentis anathema sit. Soli autem deo nostro gloria in secula seculorum. Amen [1].

Decretum iudicii universalis editum in nomine principis.

Soliditatem reddidisse fracturae atque fecisse consurgere quod extiterat concidisse et incrementum est usitatae mercedis et plenitudo consummatae perfectionis. Ponderi etenim collidentis ruinae si aequalium proximorum curam convenit obviare, quanto grandioris erit culpae praelatos incuriae discrimen incurrere, si non quo valent excommunicationis onere commissos procurent populos sublevare? Properandum ergo est inter ruinas collisionum catervas eripere collisorum, ut ex hoc iugiter et ultra nec vigorem nocendi habeat execranda pressura, et omnis compressus noverit sanctae sanctionis esse sacra sibi collata remedia. Quum decursis ergo temporibus durae damnationis sese potestas gravis attolleret et in subiectis populis imperium dominantis non formaret iura regiminis sed excidia ultionis, aspeximus subditorum statum non ex ordine vegetari rectoris, sed deiici ex gravedine potestatis: contraxerant enim leges elata fastigia in bifronti discidio motionis, et aut in culpis lex ardua saeviebat aut in spoliis favorem lex voluntaria commodabat: inde moestos animos non spes fovebat ex munere, sed tolerantia vexabat in funere. Unde iam in reparationis occursu non tantum nos abire sola ratio cogit, verum et ipsa commotio rerum impellit, ut ex omnium animorum deliberatione concordi illa emanet sententia dicti, quae et finem ausibus rite ponat illicitis et consultum salvandis iure ferat in populis. Quosdam namque conspeximus reges, postquam fuerint regni gloriam assequentes extenuatis viribus populorum rei propriae congerere lucrum, et obliti quod regere sint vocati, defensionem in vastationem convertunt, qui vastationem defensione pellere debuerant, illud gravius innectentes quod ea quae videntur adquirere non regni deputant honori vel gloriae, sed ita malunt in suo iure confundi, ut veluti ex debito decernant haec in liberorum posteritatem transmitti. Quam itaque ob rem in proprietatis illa conantur redigere sinu, quae pro solo constat illos imperiali percepisse fastigio? aut quo libitu in iuris proprii collocant antro, quod publicae utilitatis adquisitum esse constat obtentu? Nam numquid ad illos aut populorum adventus aut rerum poterat concurrere census, nisi extitissent gloriae sublimati culminibus aut ab aequalibus illi potuerunt rerum coacervatione ditari, nisi subiectis glorioso apice potuissent attolli? Omnia certe totius plebis memoria subiecta dum ad principale caput revelant, attentum debitae visionis obtutum ab illo negotiorum prospectant remedium, cui modo gratum, modo debitum irrogant censum. Regalis proinde ordo ex hoc cuncta sibi deberi convincit, ex quo se regere cuncta cognoscit et inde conquisita non alteri quam sibi iuste defendit. Unde non personae, sed potentiae suae haec deberi non ambigit. Regem etenim iura faciunt, non persona, quia nec constat sui mediocritate, sed sublimitatis honore. Quae ergo honori debent honori deserviant, et quae reges accumulant regno relinquant, ut quia eos gloria regni decorat, ipsi quoque gloriam regni non extenuent, sed exornent. Habeant deinceps iure conditi reges in regendo corda sollicita, in operando facta modesta, in decernendo iudicia iusta, in parcendo pectora prompta, in conquirendo studia parca, in conservando vota sincera, ut tanto gloriam regni cum felicitate retentent, quanto iura regiminis et mansuetudine conservaverint et aequitate direxerint promissae

[1] *Subscriptiones in Hisp. exhibitae desunt in codd. Pseudo-Isid.*

praemium dictionis. Ne non prodisse putetur ex fomite rationis, revelare convenit evidentissimam speciem operis, ut ex illo nos idoneos assertores habeat probitas veritatis, ex quo se per semetipsam reservaverit qualitas actionis. Ecce etenim ita ex gentis nostrae mediocribus maioribusque personis multos hactenus corruisse reperimus et deflemus, ut eorum agnitis ruinis non aliud possimus quam divinae iudicia considerare permissionis, quorum quidem domorum spolia et potentiarum divitias simul ac praedia ita conspicimus prorsus exinanita, et nec fisci usibus commoda nec palatinis officiis reperiantur in remedium salutare collata. Cuius rei ex utroque concurrente defectu, dum et adiudicatos sententia iudiciorum elisit, et eorum bonis ad ipsorum vicem munificatus nemo surrexit, pene non res ista disciplinam in ordine, sed defectum posuisse pensatur in gente, illo maiori salutis dispendio cumulato, quod tam haec quae adiudicatis vigor iudiciorum abstraxerat quam illa quae qualiscumque proventus ordine profligationis congesserat, tota proprietatis principum amplitudo in sinum suae receptionis incluserat; sicque solo principali ventre suppleto, cuncta totius gentis membra vacuata languescerent ex defectu: unde evenit ut nec subsidium mediocres nec dignitatem valeant obtinere maiores, quia dum solius potestatis vigor maxima occupavit, totius plebis status nec minima iure defendit. Adeo cum omni palatino officio simulque cum maiorum minorumque conventu nos omnes tam pontifices quam etiam sacerdotes et universi sacris ordinibus famulantes, concordi definitione decernimus et optamus, ut omnis conquisitionis profligatio in omnium rerum viventium ac non viventium, immobilium quoque et moveri valentium corpore vel specie, forma vel genere, quae a gloriosae memoriae Chindasvintho rege a die quo in regnum dignoscitur conscendisse repertus, quolibet modo extiterit augmentasse, omnia in serenissimi atque clementissimi domini nostri Reccesvinthi principis perenni transeant potestate et perpetuo deputentur in iure, non habenda parentali successione, sed possidenda regali congressione, ita ut iuste sibi debita quisque percipiat et de reliquis ad remedia subiectorum quaecumque elegerit principis voluntas exerceat, illis tantumdem exceptis quae memoratus divae memoriae Chindasvinthus princeps ante regnum aut ex propriis aut ex iustissime conquisitis visus est habuisse. In quibus cunctis filiis eius una cum glorioso domino nostro Reccesvintho rege permaneat et divisio libera et possessio pace plenissima. Sed et illae res quas praedictus princeps de iustis proventibus filiis suis vel quibuslibet iustissime visus est contulisse vel reliquisse, omnes in eorum iure maneant inconvulse, illa negotii huius veritate servata, ut quia grata voluntas domini nostri Reccesvinthi regis reddere decernit unicuique iustissime debita, nemo invasionis calumniam moveat aut damna requirat propter quod gloriosae memoriae genitorem eius quaedam indebite abstulisse constiterat.

Lex edita in eodem concilio a Reccesvintho principe glorioso.

In nomine domini Flavius Reccesvinthus rex. Eminentiae celsitudo terrenae tunc salubrius sublimia probatur appetere, quum saluti proximorum pia cernitur compassione prodesse; unde solet contingere ut plus commodi de aliena salute conquirat, quam de propria humilitate quisque percipiat. In multis enim quia multorum salus attenditur maioris lucri summa percipitur: in se autem, quia privati commodi fructus appetitur, non satis est si unius beneficii praemium conquirantur. Hinc et illa regendarum tantumdem salus est plebium, quae non suos fines privata voluntate concludit, sed quae universitatis limites communi prosperitatis lege defendit. Quapropter ne salutaris ordo imperialibus videatur verbis potius obtineri quam factis, de sublimitatis obtentu reclinamus ad vota supplicum tranquillae visionis aspectum, ut inde salutaris compassio habeat commodum, unde turmae plebium adeptae fuerint supplicationis effectum. Quum igitur praecedentium serie temporum immoderatior aviditas principum sese prona diffunderet in spoliis populorum et augeret rei propriae censum aerumna flebilis subiectorum, tandem supernae respectionis afflatu nobis est divinitus inspiratum, ut quia subiectis leges reverentiae dederamus, principum quoque excessibus retinaculum temperantiae poneremus. Proinde sincera mansuetudinis deliberatione tam nobis quam cunctis nostrae gloriae successoribus adfuturis, deo mediante, legem ponimus, decretumque divalis observantiae promulgamus, ut nullus regum impulsionis suae quibuscumque motibus aut factionibus scripturas de quibuslibet rebus alteri debitis ita extorqueat vel extorquendas instituat, quatenus iniuste ac nolenter debitarum sibi quisque privari possit domino rerum. Quod si alicuius gratissima voluntate quidpiam de rebus a quocumque perceperit vel pro evidenti praestatione lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis ac praestiti conditio annotetur, per quam aut impressio principis aut conferentis fraus evidentissime detegatur; et si patuerit a nolente fuisse scripturam exactam, aut resipiscat improbitas principis et evacuet quod male contraxit aut certe post eius mortem ad eum cui exacta est scriptura vel ad haeredes eius res ipsae sine cunctatione debeant revocari. Illae autem res, quae seclusa omni compressionis argumentatione directo modo transierint in principis potestatem, in eius perenniter iure perdurent; et quidquid ex rebus ipsis idem princeps ordinare voluerit, suae potestatis arbitrio subiacebit. Verum ut omne huius negotium actionis roboret sinceritas veritatis, quum quarumcumque rerum scripturae in principis nomine extiterint factae, mox testes

qui in eadem scriptura subscriptores accesserint ab his quos elegerit princeps diligentissime perquirantur, si non aliquod indicium aut de impressione principis aut de fraude scripturam facientis modo quocumque cognoverint, ut sic aut rite facta series scripturae permaneat aut irrite confecta vanescat. Similis quoque sententia de terris, vineis atque famulis observetur, si sine scripturae textu tantummodo coram testibus quaelibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus a tempore Svintilani regis hucusque a principibus adquisitis aut deinceps si provenerit acquirendis, quaecumque forsitan princeps inordinata sive reliquit seu reliquerit, quoniam pro regni apice probantur adquisita fuisse, ad successorem tantumdem regni decernimus pertinere, ita habita potestate, ut quidquid ex his elegerit facere liberum habeat velle. In illis autem rebus quae ipsi aut de bonis parentum aut de quorumcumque provenerint successionibus proximorum, ita eidem principi eiusque filiis aut, si filii defuerint, haeredibus quoque legitimis haereditatis iura patebunt, sicut etiam et ceteris lege vel successione paterna patere noscuntur. Quod si aliquid ex rebus quorumcumque parentum aut proximorum non solum successione, sed etiam qualibet collatione aut quocumque contractu ad ius ipsius pervenisse patuerit, si contingat haec inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios vel haeredes eius qui conquisivit specialiter omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam et de illis rebus quae idem princeps ante regnum aut ex proprio aut ex iustissimo conquisito dignoscitur habuisse, irrevocabili ordine aut faciendi quod voluerit potestatem habebit aut certe filiis eius successio plena patebit. Quod si filii defuerint, legitimis haeredibus ex his quae inordinata reliquerit, haereditatem adire licebit. Huius sane legis sententia in solis erit principum negotiis observanda atque ita perpetim valitura, ut non ante quispiam solium regale conscendat, quam iuramenti foedere hanc legem se in omnibus implere promittat. Quemcumque vero aut per tumultuosas plebes aut per absconsa dignitati publicae machinamenta adeptum esse constiterit regni fastigia, mox idem cum omnibus tam nefarie sibi consentientibus et anathema fiat et christianorum communionem amittat, tam dirae percussionis ultione collisus, ut omnis divini ordinis cultor qui illi communicare praesumpserit, simili cum ipso damnatione dispereat et poena tabescat. Nam et si quis legis huius seriem ex officio palatino malevole detrahendo lacerare voluerit aut evacuandum quandoque vel silenter musitans vel aperte resultans proloqui detectus extiterit, cunctis palatinae dignitatis et consortiis et officiis mox nudatus omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, et in deputato sibi loco redactus a totius palatii maneat societate seclusus: religiosus etiam qui se in eadem culpa devolverit, simili rerum proprietatis suae dispendio subiacebit.

---

[1] Haec sancta synodus nulli licentiam tribuit res ecclesiae alienare, quoniam et hoc antiquioribus canonibus prohibetur: si quid vero quod utilitatem non gravat ecclesiae pro suffragio monachorum vel ecclesiis ad suam parrochiam pertinentium salvo iure ecclesiae prestare voluerit, permittitur ei pro tempore quo potuerunt.

Quicquid parrochiarum presbiteri ecclesiastici iuris vel quicumque clerici distraxerint, inane habeatur et vacuum et in venditorem conparanti sanctione vertenda.

Nullus episcopus de rebus ecclesiae suae sine conscientia metropolitani sui vendendi aliquid habeat potestatem, utili tamen omnibus commutatione permissa.

His ergo perpensis mansuro cum domini nostri consideratione decreto sancimus ut nulli apostolicae sedis praesuli a praesente die donec disponente domino catholicae fidei manserit doctrina salutaris, liceat alicui praedium rusticum quantaecumque fuerit magnitudinis vel exiguitatis sub qualibet alienatione ad cuiuslibet iura transferre, ne cuiusquam excusetur necessitatis obtentu: quippe cum non sit personale quod loquimur nec aliquid clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Et paulo post: Quicumque oblitus dei et decreti huius immemor cuius Romanae civitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, contra haec facere aut aliquid ex his alienare temptaverit, honoris sui amissione multetur. Praeterea qui petierit aut acceperit vel qui presbiterorum aut diaconorum seu defensorum danti subscripserit illo quo iratus deus animas percutit anathemate feriatur: sitque accipienti vel subscribenti de personis superius comprehensis id est quas anathemate feriri censuimus statuta poena, servata quam praemisimus in dante vindicta, nisi forte et dator sibi celeri repetitione et qui acceperit celeri restitutione prospexerit. Quodsi minore animae suae cura sibi quisquam remedium oblatum forte neglexerit, subeat genera poenarum quae superius tenentur adscripta, contra fas, si quod conceptum fuerit scriptum universis viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) effectet. Sed etiam liceat quibuscumque aecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre et ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit data reposcere, ne aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, quia religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas omne aliqua pietatis consideratione dispergit.

[1] *Quae sequuntur edidi ex cod. Carnotensi* 67bis *adhibito codice Andegavensi. Hoc loco quoque in codd. Vindocin.* 91, *Ottobon.*, *Casanat.*, *Londin. Mut. Britann. King's library* 11. *D. IV.*, *Vatic.* 630, *Audomar.* (*cf. comment.* §§. 3. 7) *exhibentur: in codd. class. B et C ponuntur post capitula Angilramni* (*cf. l. c.* §§. 6. 8).

XI. Item[1] praeceptum atque lex data a gloriosissimo Teoderico rege.

Pervenit ad nos, patres conscripti, de ecclesia missa utilis suggestio et mansuetudinis gratia sacri coetus vestri corda pulsavit. Et licet per venerabilem synodum ad huiusmodi decreta vestri sufficiat ordinatio sola iudicii, tamen pro vestra huiusmodi praesentibus oraculis dedimus consultatione responsum, ut nulli fas sit cuiuslibet et[2] antistiti sub qualibet alienatione de proprietate contractos usum fructus commodare, plane suum cui salva voluerint, aequitate praestabit[3], neque frustari sola pontificis voluntate vel cleri de peregrinis debita nominibus vel statui ecclesiae res dedita. Quid enim tam profanum est quam ut in hac largientis parte violetur arbitrio, dum quod ad ecclesiam quisque voluit pertinere prave sibi vindicent pro usufructuario personae contractum? Ergo si quis scelestis ausibus interdicta praesumpserit et ultra usumfructum retinere cupit, episcopo vel clero largiente alienata res protinus cum fructibus a venerando praesule vindicetur.

XI. Ex concilio Aurelianense c. VIII.

De agellis vero ceterisque facultatibus ecclesiae a sacerdotibus non alienandis nec per contractus inutiles obligandis priorum canonum statuta serventur, ut nos non solum per nullos contractus res ecclesiasticas alienare debeamus, sed etiam ea quae de rebus ecclesiasticis ab antecessoribus nostris alienata et in dispendio ecclesiae obligata noscuntur et intra tricennalia tempora repetitio subpetit quae acta sunt suffragante iustitia per publicum electorum iudicium revocentur. Quod si hic qui rem ecclesiasticam tenet admonitus iudicium declinaverit quousque ad discussionem veniat ut rem restituat, ecclesiastica communione privetur.

XII. Ex eodem concilio. Abbatibus, presbyteris aliisque ministris de rebus ecclesiasticis vel sacro ministerio deditis alienare vel obligare absque permissu et subscriptione episcopi nihil liceat: quod qui praesumpserit degradetur communione concessa et quod temere alienatum est ordinatione episcopi revocetur.

XIII. Si quis vero de clericis documenta quibus ecclesiae professio firmatur, aut supprimere aut negare aut avertere aut fortasse tradere damnabili et punienda observatione praesumpserit, quicquid pro absentia documentorum damni ecclesiae inlatum est de propriis facultatibus reddat.

Ex concilio Epaunensis cap. I.

Si quis fidelis alea luserit, annis binis placuit eum abstineri: quod si emendatus cessaverit, post annum poterit communione reconciliari: si denuo id facere voluerit post X annos acta legitima penitentia communione societur.

IX. Ex concilio Eliberitano c. LXXIII.

Episcopis, presbiteris atque diaconibus canes ad venandum vel accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum hac fuerit voluntate detectus, si episcopus est III mensibus se a communione suspendat, presbiter II mensibus abstineat, diaconus I mense a communi officio et communione cessabit.

XII.[4] Ex concilio Aurilianse c. XXII.

Si quis clericorum, ut nuper multis in locis superbiam diabolo instigante actum fuisse perpatuit, rebelli auctoritate se in unum coniuratione intercedente collegerint aut sacramenta inter se data aut cartulam conscripta fuisse patuerit, nullis excusationibus praesumptio labetur, sed res detecta cum in synodum ventum fuerit in praesumptoribus iuxta personam et ordinem qualitatum[5] a pontificibus qui tunc in unum collecti fuerint vindicetur: quia sicut caritas ex praeceptis divinis corde non cartulae conscriptione est vel coniurationis exhibenda, ita que supra sacras admittuntur scripturas auctoritate et districtione pontificali sunt reprimenda.

XIII.[6] Ex concilio Arelatensium tit. VI.

Presbiter diaconem et subdiaconum de ordine deponere inscio episcopo suo non praesumat: quod si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur et ille anno integro communione privatus officium paenitus implere non praesumat.

XII.[7] Ex concilio Spalensi cap. VI.

Comperimus quondam Fragitanum Cordobensis ecclesiae presbiterum a pontifice suo iniuste olim deiectum et innocentem exsilio condemnatum quem rursus ordini suo restituentes id denuo adversus praesumptionem novam decrevimus, ut iuxta priscorum patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine concilii examine deiciendum quemlibet presbiterorum vel diaconorum audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica non auctoritate canonica damnant, et sicut nonnullos gratia favoris sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant et ad levem opinionis aurem condemnant quorum crimen non approbant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem[8] dare potest, auferre solus non potest. Si enim hi qui in saeculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publice apud praetores tribunali foro fuerint accusati, quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur qui profecto nec ab uno damnari nec uno iudicante poterunt honoris sui privilegiis exui, sed praesenti[9] synodali iudicio quod canon de illis praeceperit definire[10].

[1] *Sic And.; Carn.*: tem. *Cod. Vindocin. omnia quae sequuntur inde a verbis:* pietatis consideratione dispergit *omisit.* [2] *Deest in And.* [3] *And.* praestabunt. [4] *Om. num. And.* [5] *And.* qualitatem. [6] *Deest in And.* [7] *Om. And.* [8] *Sic And.; cod. Carn.:* errorem, *supra lineam alia manu recentiore additur:* ordinem. [9] *And.* praesentati. [10] *And.* definiri.

XIV.[1] Ex concilio Toletano cap.[2]
Suggerendo in concilio id gloriosissimus dominus noster canonibus inserere praecepit, ut iudaeis non liceat christianas habere uxores vel etiam concubinas nec mancipium christianum in usus proprios comparare, sed si filii de tali consortio nati sunt adsumendos esse ad baptismum. Nulla officia publica eis iniungantur per quae eis occasio tribuatur poenam christianis inferre. Si qui vero christiani ab eis in aliquo sunt maculati vel etiam circumcisi, non reddito precio ad libertatem et religionem[3] redeant christianam.

Ex concilio Urbenense capitulo VI.
Si quis iudaicae pravitati coniugali societate iungitur, sive christiana iudaeo sive iudaea christiano mulier carnali consortio misceatur, quicumque eorum tantum nefas admisisse cognoscitur, a christiano coetu atque convivio et a communione ecclesiae protinus segregetur.

Ex eodem concilio capitulo IX. Ne iudaei christianis populis iudices praeponantur.

Ex concilio Aurilianense cap. XIV.
De mancipiis christianis quae in iudaeorum servitio detinentur si eis que christiana religio vetat a dominis inponuntur et ad ecclesiam confugerint, ibi tueantur: quod si eos quos de ecclesia excusatos tollunt pro culpa quae remissa est, affligere aut cedere fortasse praesumpserint et ad ecclesiam iterato confugerint, nullatenus a sacerdote reddantur. Christianis quoque interdicimus, ne iudaeorum coniugiis misceantur: quod si fecerint usque ad sequestrationem a communione repellantur. Item christianis convivia interdicimus iudaeorum, in quibus si forte fuisse probantur, annali excommunicatione huiusmodi contumacia subiacebit.

Ex eodem concilio capitulo XXXII. Quia deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus iudaei a cena domini usque in secunda sabbati in pascha, hoc est, in ipso quatriduo procedere inter christianos atque catholicis populis se ullo loco vel quacunque occasione miscere non praesumant.

Ex concilio Toletano cap. III.[4]
Inflexibilis Iudaeorum perfidia deflexa tandem videtur pietate et potentia superna, quod inspiramine summi dei excellentissimus et christianissimus princeps ardore fidei inflammatus cum regni sui sacerdotibus praevaricationes et superstitiones eorum eradicare elegit funditus nec sinit degere in regno suo eum qui non sit catholicus. Ob cuius fervorem fidei gratias omnipotenti deo caelorum regi agimus eo quod ei tam inlustrem creaverit animam et sua repleverit sapientia, ut donet ei praesente seu diuturnam vitam et in futuro gloriam aeternam. Illud autem provida nobis cura et valde est decernendum vigilanti sollertia, ne eius labor et noster quandoque in posteris tepefactus liquescat. Quocirca consonam cum eo corde et ore promulgamus deo placituram sententiam, simul etiam cum suorum optimatum inlustriumque virorum consensu ex deliberatione sancimus, ut quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit apicem, non antea conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se catholicam non permissurum eos violare fidem, sed et nullatenus eorum perfidiae favens vel quolibet neglectu aut cupiditate inlectus tendentibus ad praecipitia infidelitatis aditum praebeat praevaricationis sed quod magnopere est tempore conquisitum, debeat inlibatum perseverare[5] in futurum. Nam incassum bonum agitur, si non eius perseverantia providetur. Ergo postquam ordine ad gubernacula accesserit regna, si ipse temerator extiterit huius promissionis sit anathema maranatha in conspectu[6] sempiterni dei et pabulum efficiatur ignis aeterni, simulque cum eo damnatione dispereant quicumque sacerdotum vel quilibet christianorum eius inplicati fuerint errori. Nos enim ita praesentia decernimus ut preterita quae in universali concilio de iudaeis conscripta sunt confirmentur, quoniam quae necessaria pro eorum salvatione scribi poterunt, in eadem esse cautum scimus; quapropter quae nunc decreta sunt valitura censemus.

Ex concilio Spalitano capitulo X.
Comperimus quosdam iudaeos nuper ad fidem Christi vocatos quadam perfidiae fraude alios pro filiis suis ad sacrum sanctum lavacri fontem offerre, ita ut specie filiorum quosdam iterato baptismate tinguant sicque occulta ac nefaria simulatione natos suos paganos retinent, vere omnes ab initio naturali perfidia viciati et numquam manentes in fide, contra quorum fraudulentas artes ac subdolas diligenter nos oportet habere solertiam. Si enim illi antiqui patres de his qui ex iudaeis sponte sua ad Christi gratiam veniebant tantam sollicitudinis curam gesserunt, ut fides eorum ante baptismum multis temporibus probaretur, quanto magis de his quos non proprie mentis conversio, sed sola regalis auctoritas ad fidei praemium provocavit. Namque fidelissimus deo Sisebutus ac victoriosissimus princeps inter cunctas reipublicae suae curas memor patrum dicti, quam multa bona protestantur invitis sciens se deo reddere rationem de his quos Christus suo deputavit regimini, maluit istos etiam nolentes ad veritatem perducere quam in vetustate inolitae perfidiae permanere. Repraehensibile quippe erat ut princeps praeclarus fide et gratia sancti spiritus plenus qui longe existentes gentes doctrina sua perduxit ad fidem, sibi subiectas animas in errorem perfidiae relaxaret, et qui erant in regimine suo a fide Christi existerent alieni: quorum innotio magnum gaudium expectationis cunctis fidelibus ministravit, quod divina gratia regali adnitente favore

[1] *Om. And.* [2] *And. add.* de Iudaeis. [3] *Codices legunt:* legionem. [4] *And.* II. [5] *Sic And.; Carn.* praeseverare. [6] *Sic And.; Carn.* conspectus.

ad verae religionis formam fideique credulitatem pervenerint, verumtamen quia in nonnullis ita perfidia naturalis obduravit ut usque quoque retenta cordis duritia occultatam impietatem generarent, idcirco contra indevotos et pertinaces animos hoc in commune decernimus, ut sive in parrochiis seu in urbibus tam presbiteri quam clerici pervigilem pro eis sollicitudinem gerant neque ex his sine perceptione lavacri quemquam in errore pristino lavent. Dum vero filios ad regenerationis gratiam offerunt data primum parentibus iusiurandi fide quod eorum sint filii vicinorumque adhibito testimonio, sic demum gratiam baptismi sub multorum praesentia infantes eorum percipiant. Admoneri autem eos indesinenter oportet a nobis et omnibus qui in ecclesiasticis gradibus constituti sunt, ut pristinos eorum viciis deletis non esu magni, non azima denique sabbati observationes differentiasque ciborum custodiant, sed in nomine Christi religionis cultu, victu, habitu nobiscum communes existant. Ad ecclesiam quoque saepe concurrant, ut, dum frequenter conveniunt, et fides in eis crescat et eruditio augeatur et cognoscant, quia in nova fidei gratia ambulantes quaecumque in sacramentis priscis agebantur cessante umbra iam in Christo esse completa. Si quis autem ex his contra fidem moresque christianos aliquid agunt et admoniti ad ecclesiam non revocantur, iudici publicandi sunt, ut quos religio reprimere non valet, terror ac disciplina saecularis emendet.

INCIPIT SINODUS HABITA AB EPISCOPIS XVI IN TOLETANA URBE POST DIEM KAL. NOVEMBR. ANNO VII. RECESVINTI GLORIOSISSIMI PRINCIPIS IN BASILICA SANCTE MARIAE SEMPER VIRGINIS ERA DCLXIII.[1]

I. Ut de rebus ecclesiae nihil episcopi auferant et qualiter proximi fundatoris ecclesiae sollicitudinem gerant.
II. Ut fundatores ecclesiarum quousque advixerint earum habeant curam, ipsique illic ministros eligant servituros.
III. Si de rebus ecclesiae pro praestatione aliquid dari dicatur, causa praestiti cognoscatur.
IV. Quae de conquisitis rebus inter ecclesiam et sacerdotis haeredes divisio fiat.
V. Si episcopus monasterium faciat vel parochitanam ecclesiam ditat, quartam partem de rebus ecclesiae conferat.
VI. Ut episcopus tertiam ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit conferat.
VII. Ne extra constitutum ordinem morientis sacerdotis haeredes rem eius adire praesumant.
VIII. Ut scripturae quas sacerdotes vel ministri iniuste fecerint, post mortem habeant annorum numerum computatum.
IX. Quantum commodum sibi episcopus tollat de ecclesia cuius tumulaverit sacerdotem.
X. De damnatione filiorum qui ex sacerdotibus et ministris geniti comprobantur.
XI. Quod servilibus clericis dare debeant episcopi libertatem.
XII. Quod post mortem sacerdotis in libertate servis collata annorum tempus debeat computari.
XIII. Ut ex libertis ecclesiae et ex personis ingenuis geniti ab obsequiis ecclesiae non recedant.
XIV. Quod si liberti ecclesiae ad eam reverti non velint, omnis eorum rescula iuri applicetur ecclesiae.
XV. De obsequio et disciplina libertorum ecclesiae.
XVI. Quod libertis ecclesiae nihil de rebus suis in alienum liceat transferre dominium.
XVII. Ut baptizati iudaei cum episcopis celebrent dies festos.

Dum canonicae definitionis edicto in Toletana urbe pro peragendo concilio post diem Kal. Novembr. anno septimo Reccesvinthi principis gloriosissimi in basilicam sanctae Mariae semper virginis in unum fuissemus domino favente collecti, id communi definitione decrevimus, ut capitula quae in priscis canonibus minime habebantur inserta pari promulgarentur sententia et antiquis iungerentur regulis perenni iugitate mansura et omni reverentia conservanda. Sed quia nequaquam recte subditos iudicat qui non seipsum prius iustitiae censura castigat, aptum nobis et expedibile visum est ante nostris excessibus imponere modum et sic errata corrigere subditorum. Tunc namque melius iudiciorum exordia diriguntur, quum vita iudicum ante disponitur eoque potius iudicii forma completur quo negotiorum principiis aequitas iudicantium antefertur; adeo exordium aequitatis inchoari a iudicibus debet, ut perfecta iuris causatio limitem aptius formet.

I. Omnis itaque rei ecclesiasticae quantitas sicut remedium veniae tribuit conferenti, ita damnum rite praeparat fraudatori: et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum ex rebus ecclesiae quae in quibuscumque locis a fidelibus largiuntur aliquid auferat vel iuri suo aut cathedrae propriae unitati connectat. Devotio enim uniuscuiusque sicut gratanter votum contulit deo, ita definivit quod plenitudo votorum conservaretur in loco in quo velut si collata tenentur, maneat gratia offerentis, ita si frustrantur imminet pernicies defraudantis. Verum ut rei huius potior soliditas habeatur, condignis filiis vel nepotibus honestioribusque

[1] *Inscript. sec. Andeg., text. des. ex ed. cit. Hisp. coll.*

propinquis eius qui construxit vel ditavit ecclesiam licitum sit hanc bonae intentionis habere solertiam, ut si sacerdotem seu ministrum aliquod ex collatis rebus praeviderit defraudare aut commonitionis honesta conventione compescant aut episcopo vel iudici corrigenda denuntient. Quod si talia episcopus agere tentet, metropolitano eius haec insinuare procurent: si autem metropolitanus talia gerat, regis haec auribus intimare non differant. Ipsis tamen haeredibus in eisdem rebus non liceat quasi iuris proprii potestatem praeferre, non rapinam et fraudem ingerere, non violentiam quamcumque praesumere, sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens attingat aut vel in mulctam vel in aliquam partem salutaris merces assumat. Si quis vero deinceps haec monita temerare voluerit et male rapta cum confusione restituet et excommunicationis annuae sententiam sustinebit.

II. Quum saepe sit solitum etiam illa quae non debentur prece supplicationis et vi quodammodo extorqueri doloris, quanto iam sine obstaculo concedi debent exquisita simul et ordine iuris et dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut ecclesiae parochiales vel sacra monasteria ita quorumdam episcoporum vel insolentia vel incuria horrendam decidant in ruinam ut gravior ex hoc oriatur aedificantibus moeror, quam in construendo gaudii extiterat labor, adeo pia compassione decernimus ut quamdiu earumdem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites extiterint pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam et sollicitudinem ferre praecipuam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis idem ipsi offerant episcopis ordinandos. Quod si tales forsan non inveniantur ab eis, tunc quos episcopus loci probaverit deo placitos sacris cultibus instituat cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem praesumpserit episcopus ordinare et ordinationem suam irritam noverit esse et ad verecundiam sui alios in eorum loco quos idem ipsi fundatores condignos elegerint ordinari.

III. Si sacerdotes vel ministri de rebus ecclesiae suae quidpiam alicui sub praestationis obtentu concedat, in serie instrumenti causam praestiti evidenter exponat, ut ex hoc aut iuste confecta transactio innotescat aut fraus incompetens quae latet appareat. Aliter vero pro huius negotii causa deinceps scriptura confecta non valeat.

IV. Sacerdotes vel quicumque illi sunt quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quaecumque administrationis suae tempore emerint, si de rebus propriis vel vile vel parum habuerint, ad ecclesiae nomen, cui praesunt chartarum conficere instrumenta procurent. Non enim convenit ut ecclesia quae suscepit externum efficiat in alieno divitem et in suo retineat fraudatorem. Hi vero qui suarum rerum noscuntur habere compendium, ex omni re quam post ordinationis suae diem visi sunt conquisisse, sive nulla sive aliqua sint instrumenta confecta, compensata tam iuris sui quam ecclesiasticarum rerum ambitione, si se utriusque rei quantitas exaequaverit, inter ecclesiam et decedentis haeredes aequo iure conquisitio pertinebit. Si autem quaelibet pars maiori cumulo sui iuris excreverit, maiorem etiam portionem in divisione percipiet. Quicumque vero de praedictis sacerdotibus vel ministris pro sui utilitate atque amicitia vel praestatione aut quocumque modo aut per scripturae seriem meruerit a quolibet collata percipere, in rebus ecclesiasticis non poterunt numerari, sed quod exinde voluerint facere, ipsorum voluntatis arbitrio subiacebit. Quodsi hoc post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit, ecclesia hoc sibi cui praefuit vel minister extitit, in perpetuo vindicabit.

V. Bonae rei dare consultum et praesentis habetur vitae subsidium et aeternae remunerationis expectari cernitur praemium. Quisquis itaque episcoporum in parochia sua monasterium construere forte voluerit et hoc ex rebus ecclesiae cui praesidet ditare decreverit, non amplius ibidem quam quinquagesimam partem dare debebit, ut hac temperamenti aequitate servata et cui tribuit competens subsidium conferat, et cui tollit damna gravia non infligat. Ecclesiam vero quae monasticis non informabitur regulis aut quam pro suis munificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census ecclesiae cui praesidet ibidem conferre licebit, ea tamen cautela servata, ut unam tantummodo quae placuerit ex his duabus remunerandam assumat.

VI. Quum praeteritis sanctionibus notissimum habeatur, quae de rebus parochialium ecclesiarum pars episcopo conferatur, opportune duximus decernendum, ut si episcopus tertiam quam de rebus eisdem sanctione paterna sibi debitam novit aut ipsi ecclesiae cuius res esse patescit aut alteri ecclesiae cui elegerit conferre decreverit et licitum maneat et irrevocabile robur eius sententia ferat.

VII. Propinqui morientis episcopi nihil de rebus eius absque metropolitani cognitione usurpare praesumant; quod si is qui recessit metropolitanus fuerit, haeres eius aut successorem illius aut concilium sustinebit, ne passim haereditatis adeundae data licentia de rebus ecclesiae aut non reddatur ratio plena aut fraus non inveniatur illata. Quod si presbyter aut diaconus fuerit quos obiisse constiterit, non sine cognitione sui episcopi rem eius haeredibus adire licebit. Quisquis sane post haec transgressor inventus extiterit, pro his quae non expectato

hoc ordine adierit invasionis damno legis sententiae subiacebit.

VIII. Si sacerdos vel minister, dum gubernacula ecclesiarum administrare videtur, contra patrum sanctissimas sanctiones de rebus ecclesiae definisse aliqua dignoscatur, non ex die quo talia scribendo decrevit, sed ex quo talia moriendo definita reliquit supputationis ordo substabit. Numquam etenim poterit ad tricennium temporis pertinere vita irrite iudicantis, quia status contractuum initia non assumpsit ab origine aequitatis.

IX. Plerique, dum rapinis inhiant ut non debent aut miserationis opus condigne non implent aut indebita ipsi miserationi damna permiscent. Ideoque ne amplius misericordiae opus execrabile dilabatur in scelus, id communi decreto sancimus ut, quum pontificem mori contigerit, episcopus qui ad humandum corpus eius advenerit descriptis thesauris atque domorum internis, si locuples decedentis ecclesia fuerit, non amplius quam libram auri in rebus quibus ei placuerit, exceptis ornamentis ecclesiae cum gratia offerentum auferre pertentet. Si vero minor rebus extiterit, dimidiam libram sibi licenter usurpet: nam et haec ipsa usurpare ratio nulla permitteret, nisi eius qui convenit sacerdotis iniuriae contemplatione antiquitas hoc usu acta servasset. Porro brevem descriptarum rerum sub fideli relatione idem qui descripsit dirigere metropolitano curabit: metropolitanus autem ex eadem morientis ecclesia nihil prorsus auferre praesumat, sed solam quae ad eum pertinet salvationis curam impendat.

X. Quum multae super incontinentiam ordinis clericorum hactenus emanaverint sententiae patrum et nullatenus ipsorum formari quiverit correctio morum, usque adeo sententiam iudicantum protraxere commissa culparum, ut non tantum ferretur ultio in actoribus scelerum, verum et in progenie damnatorum. Ideoque quilibet ab episcopo usque ad subdiaconum deinceps vel ex ancillae vel ex ingenuae detestando connubio in honore constituti filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur canonica censura damnentur; proles autem tali nata pollutione non solum parentum haereditatem numquam accipiet, sed etiam in servitute eius ecclesiae, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt iure perenni manebunt.

XI. Qui ex familiis ecclesiae servituri devocantur in clerum ab episcopis suis libertatis necesse est percipiant donum, et si honestae vitae claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officiis. Quos vero flagitii sordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua servitus conditionis religet in catenam.

XII. Si sacerdos libertatem servis ecclesiae conferre voluerit, non a die confectionis suae scriptura tempus annorum computatum tenebit, sed ex quo eum qui scripturam confecit verius obiisse constiterit.

XIII. Excessibus libertorum ecclesiae plerumque patronam vidimus ecclesiam convexari et bicipiti coacti sumus taedio condolere, uno, dum per superbiam reluctantis auctor contemnitur libertatis, altero, dum libertas superbientis in conditionem relabi cogitur servitutis: adeo quum iam praeteritis patrum regulis multae super hoc diversae constitutionis emanaverint sanctiones, tamen quoddam ad plenitudinem rei aptum conspeximus adhuc innectere complementum. Igitur sicut legum reverenda sanctio censuit, ita servari totius generis nobilitas debet, ut in nullo aliena commixtio maculet, quod per totum generositas propria decoravit. Unde cunctis ecclesiarum libertis, tam viris quam foeminis eorumque propagini, interdicitur iudicio generali, ne deinceps causa connubii aut Romanis ingenuis copulentur aut Gothis. Quod si hoc factum quandoque patuerit, permixtione tali genita proles numquam merebitur ius indebitae dignitatis nec ecclesiae unquam carebit obsequiis, cuius beneficio donum meruisse noscitur libertatis.

XIV. Si contingat quemcumque de libertis ecclesiae eorumque prosapia contra primaevas modernasque patrum regulas aut Gothis aut Romanis ingenuis copulari, tam illis quam eorum stirpi non licebit ab ecclesiae patrocinio evagari, sed aut ad debita obsequia reverti cogendi sunt, aut si redire noluerint, quaecumque vel parentes eorum vel ipsi ab ecclesia sunt adepti, vel in eius patrocinio visi sunt conquisisse, insistente pontifice in ditionem propriae reducantur ecclesiae.

XV. Ecclesiae liberti eorumque progenies eidem basilicae, de qua libertatis gratiam meruerunt, obsequia prompta sinceraque parabunt, qui sicut hoc in obsequium pro possibilitate sui quod utiles ingenui dabunt, ita quoque in emendatione culparum quod inutiles ingenui sustinebunt.

XVI. Libertis ecclesiae eorumque propagini ex omnibus rebus quae de iure ecclesiae noscuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium transactione quacumque deducere, sed si ex his quaelibet vendere fortasse voluerint, sacerdoti eiusdem ecclesiae offerant convenienter emenda, earumque rerum pretia ut eis placuerit aut dispensent aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei suae censum nullomodo transire permittimus. Suis autem filiis vel propinquis eidem ecclesiae vel servitio vel patrocinio subiugatis quaecumque vendere vel donare voluerint aditus omnino patebit.

XVII. Baptizati iudaei quocumque loco cetero tempore conversentur, festis tamen praecipuis novi testamenti serie consecratis ac diebus illis quos olim sanctione veteris legis sibimet censebant esse solemnes,

in civitatibus publicisque conventibus cum summis dei sacerdotibus celebrare praecipimus, ut eorum conversationem ac fidem et pontifex approbet et veritas servet. Huius vero temerator edicti, prout aetas permiserit, aut flagris aut abstinentiae subiacebit.

Expletis omnibus quae ad honestatis regulam in collationem venere fraternam, grates exsolvimus immortali domino soli cuius dispositione mirabili ad hunc sanctae congregationis coetum meruimus adunari, ut et communis visio prosperitatem nostram ostenderet et par definitio concordiam assignaret; obsecrantes eius misericordiam largam, ut serenissimo domino et amabili Christi Reccesvintho principi glorioso ita praesentis vitae felicitatem impendat, ut angelicae beatitudinis gloriam post tempora longaeva concedat, atque ita nos eiusdem felicitatis laetos semper efficiat, ut in terram viventium remuneraturos attollat: antiquitatis dehinc ordinem saluberrime retinentes, postquam rationem festi paschalis fraternitas vestra cognovit, noverit se anno venturo die Kal. Novembr. causa peragendi concilii in hac urbe favente domino congregari, ut simili disceptatu aut quae prospexerimus congrua decernamus aut solius pacis conventu laetemur. Consummatum est hoc sanctum concilium die Kal. VIII. Decembr. anno feliciter septimo regni serenissimi atque clementissimi domini nostri Reccesvinthi regis, aera DCXCIII[1].

INCIPIT SINODUS HABITA IN TOLETANA URBE DIE KAL. DECEMBR.[2]

Gratulationem nobis spiritualem divina contulit gratia, quando tribuit uti nos et salutaris disciplinae frequentia et convenire ad pacificorum votorum studia praeoptata. Congregatis ergo nobis et in concordiam animi et in conventum loci, referentes gratias invisibili deo et glorioso rerum domino Reccesvintho regi, cuius sacratissimo voto retenta paternitatis sanctae traditione ad sacrum quivimus adunari conventum, has subter annexas regulas concordiae diffinitione prolatas aeterna statuimus manere lege praefixas.

I. Quum nihil fidei sinceritas per diversitatem adversum incurrat et unitatem catholicae regulae varietas nulla decerpat, est tamen quod nisi temporum unitate servetur et discidium indiscissae unitati parturiat et sacramentorum unitate constare non valeat. Hinc est quod paschale festum nisi uno die celebremus et tempore, ne in iudaicum decidamus errorem; hinc adventum sancti spiritus post resurrectionem dei nisi expectemus tempore definito dierum simul et numero non possumus impleri eiusdem spiritus dono, quoniam si caret plenitudinis numero carere potest et mysterii sacramento; hinc nativitatis dominicae sacrum quo evidenter de utero virginali verbum prodiit caro factum absque dubio servat et temporis cursum, repraesentat specialis diei et momentum. Si ergo nativitatis et mortis incarnati huius verbi dies absque immutatione ita certus habetur, ut absque diversitate in orbe toto terrarum ab omni concorditer ecclesia celebretur, cur non festivitas gloriosae matris eius eadem observantia uno simul ubique die similique habeatur honore? Invenitur etenim in multis Hispaniae partibus huius sanctae virginis festum non uno die per omnes annorum circulos agi, quoniam transducti homines diversitate temporum dum varietatem sequuntur unitatem celebritatis non habere probantur. Qua de re quoniam die qua invenitur angelus virgini verbi conceptum et nuntiasse verbis et indidisse miraculis eadem festivitas non potest celebrari condigne, quum interdum quadragesimae dies vel paschale festum videtur incumbere, in quibus nihil de sanctorum solemnitatibus sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari, quum etiam et ipsam incarnationem verbi non conveniat tunc celebritatibus praedicari, quando constat idipsum verbum post mortem carnis gloria resurrectionis attolli; ideo speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem quo natus est dominus, genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus et praeclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quid festum est matris nisi incarnatio verbi? cuius utique ita debet esse solemne, sicut est et eiusdem nativitatis verbi. Quod tamen nec sine exemplo decentis moris, qui per diversas mundi partes dignoscitur observari, videtur institui; in multis namque ecclesiis a nobis et spatio remotis et terris hic mos agnoscitur retineri. Proinde ut de cetero quidquid est dubium sit remotum, solemnitas dominicae matris in die XV. Kal. Ianuar. omnimodo celebretur et nativitas filii eius salvatoris nostri die octavo Kalendarum earumdem, sicut mos est, solemnis in omnibus habeatur.

[1] *Quem numerum Hisp. hic in fine et in inscriptione exhibet; Andeg., Carnot.* 67[bis], *Ottobon.* DCLXIII. *Subscriptiones concilii quae in codd. Hisp. inveniuntur, in Ps.-Isidor. omittuntur.*
[2] *Sec. cod. Andeg.; cod. Carnot.* 67[bis]: in nomine domini habita synodus in Toletana urbe incipit die Kal. Decembr.; *Ottobon.:* in n. d. habita synodus in Toletana urbe die Kal. Decembr. anno VIII. gloriosi domini religiosissimi Recesvinthi principis era DCLVIII. *Rubricae capitulorum in Hisp. exhibitae et quidem aliter atque in Merl. ed. conceptae in codd. Ps.-Isid. non proferuntur. Text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

II. Frequentium molestiarum nocens impulsus contemni quidem magnitudine decentis poterat gravitatis, sed quia levitas habens facile ad praecipitia vana corda reclinat, bene honesta sollicitudo cohibere properat, quod frequentata usitatio vitare non curat: adeo quum et quorumdam paternorum sanctionibus decretorum et institutionibus sit legalibus cautum, ne contra salutem principum gentisque aut patriae quisquam meditari conetur adversum, hoc unum specialiter nunc depromitur observandum, ut si quis religiosorum ab episcopo usque ad extremum ordinis clericorum sive monachorum generalia iuramenta in salutem regiam gentisque aut patriae data reperiatur violasse voluntate profana, mox propria dignitate privatus et loco et honore habeatur exclusus, eo miserationis obtentu tantummodo servato, ut an locum an honorem an utraque possideat concedendi ius licentiamque principalis potestas obtineat.

III. Reverentiae totius auditum quia res adiit dura non frustra cogimur hanc duriori extirpare censura. Agnovimus enim quosdam pontifices praecepti principis apostolorum, qui ait: Pascite qui in vobis est gregem, non coacte, sed spontanee, neque dominantes in clero, sed forma facti gregis, ita esse immemores, ut quibusdam monasteriis parochialibusque ecclesiis aut suae consanguinitatis personas aut sui favoris participes iniquum saepe statuant in praelatum, ita illis providentes commoda inhonesta, ut eisdem deferantur aut quae proprio episcopo dare iustus ordo poposcerit aut quae rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proinde decenter omnibus placet et in praesenti tale rescindere factum et non esse de cetero faciendum, nam quisquis pontificum deinceps aut sanguine propinquis aut favore sibi personis quibuscumque devinctis talia commodare lucra tentaverit ausu nefandae praesumptionis, et quod iussum fuerit devocetur in irritum, et qui ordinavit annuae excommunicationis ferat excidium; quae vero ablata fortasse fuerint, ab eo qui tulit reddantur in duplum.

IV. Bene per spiritum dei possumus cum sancto apostolo dicere, non ignorare nos astutiam satanae, quia impellimur zeli domus dei ardore cremari. Videmus enim ad tanta fraudum studia convalescentem excrevisse perniciem, ut et primaeva patrum constitutio a quibusdam aestimetur illudi et nova iudicum putetur intentio falli. Nam inveniuntur nonnullae viduae diversis excusationibus se adeo contegentes, ut blandiant sibi non se patrum plena religionis alligatas institutione teneri. ' Unde antiquis inconcusse permanentibus regulis hoc adiicitur novae oraculo sanctionis, ut vidua quae sanctae religionis obtinere propositum voluerit, sacerdoti vel ministro ad quem aut ipsa venerit aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionem faciat a se aut signo aut subscriptione notatam, continentem se et religionis propositum velle et hoc perenniter inviolate servare, ac tunc accepta a sacerdote vel ministro apta religionis usui veste seu lectulo quiescens sive quocumque loco consistens incunctanter utatur, nec diversi coloris aut diversae partis eadem sit notabilis vestis, sed religiosa et non suspecta quae careat et varietatibus colorum et diversitatibus partium, adeo ut absque ulla suspicione transgressionis maneat usui tantum apta sanctae religionis et sui sexus competens ad testimonium probitatis. Ut autem deinceps nihil devocetur in dubium, palleo purpurei vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptae religionis, ut dum illic intulerit signum probabilis sanctitatis, ubi nullius falli poterit visio intuentis, nusquam attentetur ausus detestandae praesumptionis.

V. Omnes foeminae quae iam in praeterito religionis veste fuisse probantur indutae, nihil ad excusationem valeat oppositionum quaelibet obiectio, quamvis diversis aut callidis adumbrare se velint fallaciae argumentis, sed ad sacratissimas sanctiones disciplina sanctior eas teneat religatas atque subnixas: commoneantur sane sacerdotis auctoritate ut sponte redeant; quae si redire noluerint impulsu sacerdotis, ad religionis habitum reducantur et in monasteriis redactae excommunicationis condignae sententia feriantur. Hic idem quoque ordo in illarum condemnatione manebit, quae quamlibet a sacerdote vel ministro sanctimoniae vestem non accepissent, ipsae tamen aut indutae sunt aut in illo indui habitu consenserunt, qui religionis esse cultus ab intuentibus crederetur, sic que coram ecclesia vel sacerdote aut etiam competentibus testibus quandoque indutae visae certis indiciis aut testimoniis approbantur. Omnes hae tamen seu venientes ad primam religionem seu post transgressum resumentes iteratam conversionem, sicut praemissum est, et palleo capita contegant et conscriptam roboratamque professionis faciant scripturam, per quam ulterius non sinantur relabi ad praevaricationis audaciam. Quae vero ex omnibus his fuerint repertae animum aut vestem in transgressione dedisse se, excommunicationis sententiam ferant, et rursum mutato habitu in monasteriis donec diem ultimum claudant sub aerumnis arduae poenitentiae maneant religatae.

VI. De his qui in parva aetate coram parentibus religionis habitum tenuerint, quoniam hucusque dissolutae operationis effectus interdum mutare fecit honestae constitutionis edictum, dum incondite resolvi putatur, quod indissolubile sanctionis auctoritate tenetur, adeo quidquid obvium ex incerto concurrit evidenter abiici debet, ut de cetero nihil supersit quod in dubium nutet; ideoque si in qualibet minori aetate vel religionis tonsuram vel religioni debi-

tam vestem in utroque sexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus vel nescientibus susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se vel coram ecclesia palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad secularem reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit, sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis et cultum habitumque revocentur et sub aeterna districtione huiuscemodi observantiae inservire cogantur. Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum aetatis eorum annum licentia poterit esse; postea vero an cum voluntate parentum an suae devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum. Quisquis autem vel abolitione tonsurae vel secularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem et excommunicationis censuram accipiat et religioni semper inhaereat.

[1] Opitulante miseratione divina et gloriosissimi Reccesvinthi principis inhaerente voluntate religiosa, his gestis decentissime alligatis et in pace connexis, ex totis praecordiorum visceribus abditis damus gloriam et honorem soli aeterno et immortali deo patri et filio et spiritui sancto, cuius dono collatum nobis agnoscimus pro eius ecclesiae statu et prompte gerere curam et posse sacri regiminis competentia disponere iura, a quo petimus et optamus ut porrecta in longitudinem felicium dierum sacratissimi principis vita et omni gloriarum decore perpetim pollente salute nobis quoque tribuat susceptum ecclesiae suae regimen in aequitate disponere, in sollicitudine gubernare et in pace tenere, ut post mundi huius suscepta pericula pervenire possimus ad coelestia regna. Amen.

Eugenius, indignus Toletanae sedis metropolitanus episcopus, haec nostrarum definitionum statuta subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt numero XXI.[2]

Decretum pro Potamio episcopo in eodem consilio.

Assumere poteramus canoram in cantu fraternae laetitiae tibiam, quia divina pietas conventum nostrum ad concordiae convocaverat studia et convenerat abnuere moestitiam vitae, quoniam usitatione disciplinae videbamur paternas regulas innovasse, sed gravius collisi threnum pro cimbalo sumimus et funus pro carmine decantamus, gementesque cum Ieremiae questibus dicimus: Dissolutum est gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Unde et vae coram nobis conspicimus, quoniam cecidisse coronam capitis nostris videmus, dum tam nobile in infimum corruit quod tam in sublimae sanctitatis optimum stetit. Ecce etenim tractantibus nobis in pace dei de ecclesiasticis regulis delatum est conventui nostro epistolium confusae confessionis et abolendae subscriptionis, quod Potamius Bracarensis ecclesiae episcopus de factis propriis suis verbisque annotarat articulis. Quo reserato, quid obliteranda pagina et abolenda litterarum panderent elementa, fletibus potius quam sermonibus lacrymanda cognitio recensuit. Tunc solitarie tantum secretimque adunatis pontificibus dei praedictum episcopum adesse fecimus coram nobis, quem singultibus aggredientes amplius quam loquelis reseratam illi suae deformitatis et nostrae confusionis protulimus scripturam, quam accipiens ac recurrens sciscitantibus nobis, utrum sui operis suaeque annotationis intimatio esset, illico suum actum suique oris eloquium suorumque digitorum esse robur asseruit, quod illic relegendo praevidit. Rursum sub divini nominis contestatione hunc adiurantes obtestati sumus, ut si non aut de se sponte mendacium diceret aut alicuius violentiae proventu perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce luminibusque ploratu madentibus et fragore singultuum cum unius dei nominis iuramento clamavit se et vera eadem mala de se confiteri et ad haec confitenda nulla se violentia praegravari: unde etiam et ferme per novem menses sponte deseruisse regimen ecclesiae suae et ergastulo quodam ob admissum flagitium acturus poenitentiam se conclusisse praedixit. Tunc per fidelem confessionem eius agnito quod tanto foemineo sorduisset stupro et licet hunc antiquitas paterna sacris regulis deiicere ab honore decernat, nos tamen miserationis iura servantes non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione iam tulerat, sed valida auctoritate decrevimus perpetuae poenitentiae hunc inservire officiis et aerumnis, providentes melius illum per asperam et dumosam poenitentiae solitudinem, quandoque pervenire ad refrigerii mansionem quam relictum in voluptatis suae latitudine ad praecipitium deiici aeterna damnatione. Tunc venerabilem Fructuosum ecclesiae Dumiensis episcopum communi omnium nostrorum electione constituimus ecclesiae Bracarensis gubernacula continere, ita ut omnem metropolim provinciae Gallaeciae cunctosque episcopos populosque conventus ipsius omnemque curam animarum et rerum Bracarensis ecclesiae gubernanda suscipiens ita componat atque conservet, ut et dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet et nobis de incolumitate eius ecclesiae gaudium praestet. Quia vero ad futurum prospicere convenit, ne exoriri in statu pacis possit quaedam commotio litis, patrum sententiam quae iam dictum Potamium episcopum recti-

[1] *Quae sequuntur:* Opitulante etc. *sunt ultima verba c. VII. Hisp.; in omnibus codd. Ps.-Isid. finis cap. VI. et init. c. VII. Hisp. omittuntur.* [2] *Verba:* Similiter etc. *sec. codd. Carnot.* 67[bis] *et Andeg.; in Hisp. integrae subscriptiones leguntur in nullo cod. Ps.-Isid. exhibitae.*

tudine damnat, huic decreto connectere nostra vigilantia procurat.

Hic datus canon ex concilio Valentino, titulo IV.[1]

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiae utilitate censuimus, ut sciretis quicumque sub ordinatione vel diaconatus vel presbyterii vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos a supradictis ordinibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest in his, si in seipsos edixerint quod dictum in alios puniretur, quum omnis qui sibi fuerit mortis causa maior homicida sit.

Multae quidem et aliae sententiae huic poterant innecti decreto, quae praedictum Potamium episcopum saevissima austeritate abiicere iubent, sed ex omnibus hanc conscriptam ponere sententiam maluimus, ne si totius condemnationis edicta replicassemus, gravissimae ultionis auctores existere videremur.

Factum decretum sub die Kal. Decembr. anno feliciter octavo regni gloriosissimi domini Reccesvinthi regis. [2]Eugenius, indignus Toletanae sedis metropolitanus episcopus, hoc iudicii nostri decretum subscripsi; similiter et alii episcopi subscripserunt numero XVII.

Aliud decretum.

Vividis tractatibus invenire quod iustum est et experientia esse iudicantium comprobatur et iusti summi iudicii statuta plenior invenitur. Adeo mentis intentionem orisque simul studia deducentes audiendi negotii delatum est ad nos in conventu sancti concilii ex directo gloriosi domini nostri Reccesvinthi regis per illustrem virum Wambanem testamentum gloriosae memoriae sancti Martini ecclesiae Bracarensis episcopi, qui et Dumiense monasterium visus est construxisse, ut reserato eo quod illic memoratus beatissimus vir decrevisset nostrae cognitioni pateret: quo testamento in omnium conventu relecto comperimus hunc ex ordine a memorato principe ad nos esse directum, quoniam idem gloriosae memoriae sanctissimus vir ita decreverat, ut succedentibus per ordinem regibus ad complementum eius ipsius testamenti constitutio maneret commendata. Tunc deinde illatum est nobis testamentum Ricchimiri memoratae ecclesiae Dumiensis episcopi, quod de rebus suis in eadem ecclesia decreverat examinatione veridica dirimendum: quo relato cognovimus eumdem auctorem suum illic diversae constitutionis edidisse conditiones, inter quas unam validam conatus est religatione constringere, deputans et illationes tributorum et pretia frugum absque aliqua diminutione annua vice pauperibus erogare, nihilque esse absque deliberatione relictum, quod usibus ecclesiae posset quadam liberalitate servire. Tunc ex voce partis ecclesiae Dumiensis adstructum est quod universae speciei, generis et corporis rem quae in eiusdem ecclesiae domo intrinsecus ad usus domesticos et tempore suae ordinationis idem episcopus Ricchimirus invenit et quae ipse aut de opere utriusque sexus artificum familiarum ecclesiae potuit habere confecta atque illata aut quae sua provisione habuisse visus est conquisita, omnia moriens iussisse pauperibus erogare; quaedam vero ita viliori pretio vendere ordinasse, ut negotiatio harum rerum perditio potius quam mercatio censeretur. Edidisse quoque quosdam liberos ex eiusdem ecclesiae familiis, quibus etiam cum aliis ad se pertinentibus amplius quam quinquaginta reperitur utriusque sexus dedisse mancipia. Quibus damnis ita cognitis, quia et cuncta remedia intrinsecus domus tam indiscrete largita fuerant, ne quid ad dignitatem ecclesiae reliquum esset, quum nulla imminens causa pauperum necessitatis existeret, quae in hoc sancta lex tam examussim erogare deprehensa est atque pro libertis illis nihil secundum canonicam sanctionem datum in communionem pateret, sed nec pro mancipiis et reliquis rebus eisdem libertis collatis aliquid in repensatione relictum ecclesiae innotesceret, verum et rem suam ita in nomine pauperum relegasset, ne aliquid remedii ex hoc ecclesiasticus usus attingeret, ducti sumus tam rationis intuitu quam paternarum sanctionum edicto ipsius testamenti seriem, etsi non usquequaque in irritum rationabili temperamento deducere, scilicet ut, quia tantorum dispendiorum damnis a memorato Ricchimiro episcopo factis res ecclesiastica dignoscitur subiacere, omnis res eius quam alligatam reliquit pauperum nomini, tamdiu Dumiensi ecclesiae plena deserviat facultate, donec omne hoc damnum quod in utensilibus domus sustinuit, valeat evidentius reparari, ac tunc completa restitutione damni observetur sicut decreta est series testamenti. Libertos vero qui ex familiis ecclesiae facti sunt, seu res universa quae in mancipiis aliisque corporibus vel illis vel suis hominibus collata esse dignoscitur, cuncta in discretione venerabilis fratris nostri Fructuosi episcopi disponenda relinquimus, ut quia haec evidens ordo patrum in irritum devocat, illius temperamentum hoc ad miserationem adducat, qualiter nec regulam paternam modus excedat et miserationem severitas non exstinguat, ut secundum meritum servientium et libertatis praemia et rerum donaria vel subtrahat vel concedat.

Editum decretum sub die Kal. Decembr. anno feliciter octavo regni gloriosissimi domini nostri Reccesvinthi regis.

[1] *Inscriptio in Hisp. non exhibita legitur in Ps.-Isid. codd. classis A*1 *et A/B; in codd. B, C inscriptio habetur:* ex concilio Valentino tit. IV. [2] *Sic Ps.-Isid. codd. pro:* omnes sacerdotes praedicti concilii hoc stabiliter sancimus, *quae in Hisp. leguntur.*

Eugenius indignus Toletanae sedis ecclesiae metropolitanus episcopus hoc iudicii nostri decretum subscripsi; similiter et alii episcopi subscripserunt numero XVII.[1]

INCIPIT CONCILIUM TOLETANUM.[2]

I. Ne tumultu concilium agitetur.
II. Non debere metropolitanum a confinitimorum instructione cessare.
III. Ut in una provincia diversitas officiorum non teneatur.
IV. De discordia sacerdotum.
V. De compescendis excessibus sacerdotum.
VI. Non licere sacerdotes quaslibet in ecclesiae familiis truncationes membrorum facere nec aliquid quod morte plectendum est iudicare.
VII. Quae debeat discretio ecclesiarum rectoribus esse, ne per inconditam disciplinam subeant homicidii notam.
VIII. Ne quidquam praemii pro divinis sacramentis accipiatur.
IX. Quid custodiri debeat ne per praemium quis episcopus fiat, vel qua sententia feriatur qui ad honorem acceptum per praemium ordinatus fuisse detegitur.
X. Ut omnes pontifices rectoresque ecclesiarum tempore quo ordinandi sunt sub cautione promittant quam iustissime vivere debeant.
XI. De lucidatione antiqui canonis quo praecipitur, ut si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur.
XII. Ne in confinio mortis poenitens a reconciliatione diutine suspendatur, et ut oblatio eius qui poenitens nec tamen reconciliatus de hac vita exierit ab ecclesia recipetur.
XIII. De sacerdotibus qui vexantes cadere videntur.
XIV. Ut hi qui domino canunt atque sacrificant post se semper habeant adiutoria constituta.
XV. De institutione certi temporis quo concilium agitur.
XVI. De relatione gratiarum pro consummatione concilii.

INCIPIUNT GESTA SINODALIA CONCILII TOLETANI XI. ACTA IN URBE REGIA IN TOLETANA SEDE A XVII EPISCOPIS ANNO IV. REGNI GLORIOSI PRINCIPIS WAMBANI SUB DIE VII. ID. NOVEMBR. ERA DCCXIII.[3]

In nomine sanctae trinitatis collectis in unum Carthaginis provinciae sacerdotibus in Toletana urbe in beatae matris domini Mariae virginis sede anno quarto excellentissimi et religiosi Wambanis principis sub die septimo Idus Novembris res votiva gaudii et dies nimium optatae gratulationis occurrit, in quo nobis datum est conspicere pariter et deflere quid lacrymarum de praeteritis domino deberemus. Eramus enim hucusque prolabentis seculi colluvione instabiles, quia annosa series temporum subtracta luce conciliorum non tam vitia auxerat quam matrem omnium errorum ignorantiam otiosis mentibus ingerebat[4]. Cernebamus enim quomodo Babylonicae confusionis olla succensa nunc tempora conciliorum averteret, nunc sacerdotes domini de resolutis moribus irretiret, purpuratae enim meretricis sequebantur invitamenta, quia ecclesiastici conventus non aderat disciplina, nec erat qui errantium corrigeret partes, quum sermo divinus haberetur extorris et quia non erat adunandorum pontificum ulla praeceptio, crescebat in maius vita deterior. Quum tandem divina nos clementia[5] ex alto respiciens et tempori aetatis nostrae se occursuram praebuit et saluti, praeparans nostris seculis religiosi principis mentem devotam pariter et instructam, cuius fervidae sollicitudinis voto et lux conciliorum renovata resplenduit et alterna caritas se mutuo in corrigendis vel instruendis moribus excitavit, dum et aggregandi nobis hortatu principis religiosi facultas est data et opportuna corrigendis praeparata est disciplina, ut qui decursis longe ante temporibus post decem et octo scilicet labentium annorum excursum in unum meruimus aggregari conventum, mederi possemus speciali gratia sanitatem. Neque enim numerus iste alienus est a salute: sic quippe mulier illa in evangelio ter senis annorum excursibus curva, quae figuram totius humani generis gestabat, sub sacramento huius numeri saluti pristinae a salvatore donatur. Nos igitur per tot annos curvo nostri ordinis persistente statu in eo quod nulla nos conciliorum definitio iungeret, nullus etiam conventus ecclesiastici ordinis adunaret, tandem divinae voluntatis imperio et religiosi principis iussu evocati in Toletanam urbem convenimus. Qui quum in ecclesia beatae virginis Mariae debitis in sedibus locaremur, inter cetera quae subterius discreto capitulorum ordine sunt digesta non aliunde primum coepimus habere sermonem, quam de nostrae fidei puritate, ut quia initiandis ad beatam vitam hominibus haec prima semper est via salutis praevia quoque nostris fieret et institutis pariter et praeceptis. Unde de sacro huius instructionis arcano sanctorum

[1] *Sic codd. Ps.-Isid. pro verbis Hisp.:* metropolitanus episcopus et ceteri sacerdotes memorati hoc iudicii nostri decretum scribimus. [2] & [3] *Inscript. sec. codd. Carnot.* 67bis *et Andeg.; text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.* [4] & [5] *Post haec verba in ed. Merl. quaedam inseruntur, quae neque in Hisp. neque in ullo cod. Ps.-Isid. exhibentur.*

patrum Nicaeni, scilicet et Constantinopolitani, Ephesini atque Chalcedonensis conciliorum monita amplectentes, per quae et radicitus haereticorum falsa conciliabula destruuntur et fidei catholicae limpor evidens declaratur, hoc communi alternoque animorum iudicio definivimus, ut hanc ipsam nostrae fidei regulam verbis simplicibus niteremur alternatim nobis singulariterque referre, ita ut quidquid per triduum de huiusmodi quaestionibus unicuique nostrorum lectionis memoria ministrasset, prout animis vel memoriae occurrisset, omni sobrietatis compendio simplici notaretur stilo, relatio tamen ipsius sacramenti pura et evidens a capite primum inciperet et sic ad membra reliqua perveniret, nullas obscuritatis in se lineas habens, nullas etiam inusitatae loquutionis regulas continens, sed puritas sola esset clara sermonum, quae posset evidentiam exprimere sensuum, quo excitatiores magis ad intelligendum redderet verborum simplex collatio quam relata condensae lectionis instructio, quia et revera tantae rei mysterium ita sacerdotes dei convenit nosse, ut non superficie verborum efferantur incogniti, sed sensibus sane intelligentiae reperiantur instructi, ut in disserendo praecipue huius sanctae trinitatis arcano plus evidentia quam eloquentia eos efficiat saporatos. Sic enim et divini muneris dono est actum, ut iuxta votum definitionis alternae promissio monstraretur in opere. Unde quod primo die praesidentis metropolitani lingua profudit, die tertia omnium nostrum vox singillatim collative repetiit. Iste ergo est tenor fidei nostrae qui et a capite copiose profluxit, et a membris probatus gloriose emicuit:

Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem trinitatem, patrem et filium et spiritum sanctum, unum deum naturaliter esse, unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis; et patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et filius nativitatem et spiritus sanctus processionem accepit. Fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Ipse quoque pater est essentiae suae qui de ineffabili substantia filium ineffabiliter genuit, nec tamen aliud quam quod ipse est genuit, deus deum, lux lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in coelo et in terra. Filium quoque de substantia patris sine initio ante secula natum, nec tamen factum esse fatemur, quia nec pater sine filio, nec filius aliquando extitit sine patre; et tamen non sic ut filius de patre, ita pater de filio, quia non pater a filio, sed filius a patre generationem accepit; filius ergo deus de patre, pater autem deus, sed non de filio pater quidem filii, non deus de filio; ille autem filius patris et deus de patre, aequalis tamen per omnia filius deo patri, quia nec nasci coepit aliquando nec desiit. Hic etiam unius cum patre substantiae creditur, propter quod et homousion patri dicitur, hoc est eiusdem cum patre substantiae, homos enim graece unum, ousia vero substantia dicitur, quod utrumque coniunctum sonat una substantia. Neque enim de nihilo neque de aliqua alia substantia, sed de patris utero, id est de substantia eius idem filius genitus vel natus esse credendus est; sempiternus ergo pater, sempiternus et filius. Quod si semper pater fuit, semper habuit filium cui pater esset; et ob hoc filium de patre natum sine initio confitemur, nec enim eumdem filium dei pro eo quod de patre sit genitus dissectae naturae portiunculam nominamus, sed perfectum patrem, perfectum filium sine diminutione, sine dissectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaequalem filium non habere. Hic etiam filius dei natura est filius, non adoptione, quem deus pater nec voluntate nec necessitate genuisse credendus est, quia nec ulla in deo necessitas capit nec voluntas sapientiam praevenit. Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in trinitate persona, unum atque aequalem cum deo patre et filio credimus esse deum unius substantiae, unius quoque esse naturae, non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisque procedentem amborum esse spiritum; hic etiam spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus duos patres dicamus, aut si genitum duos filios praedicare monstremur, qui tamen nec patris tantum nec filii tantum, sed simul patris et filii spiritus dicitur; nec enim de patre procedit in filium vel de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic igitur spiritus sanctus missus ab utrisque, sicut filius creditur, sed minor a patre et filio non habetur, sicut filius propter assumptam carnem minorem se patre et spiritu sancto esse testatur. Haec est sanctae trinitatis relata narratio, qua non triplex, sed trinitas et dici et credi debet: nec recte dici potest, ut in uno deo sit trinitas, sed unus deus trinitas. In relativis vero personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, spiritus sanctus ad utrosque refertur: quae quum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur; nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas; quod enim pater est, non ad se est, sed ad filium est, et quod filius est, non ad se, sed ad patrem est; similiter et spiritus sanctus non ad se, sed ad patrem et filium relative refertur, in eo quod spiritus patris et filii praedicatur. Item quum dicimus deus, non ad aliquid dicitur, sicut pater ad filium vel filius ad patrem vel spiritus sanctus ad patrem et filium, sed ad se specialiter dicitur deus. Nam etsi de singulis personis interrogemur, deum necesse est fateamur. Deus ergo pater, deus filius, deus spiritus sanctus singulariter dicitur, nec tamen tres dii, sed unus est deus. Item et pater omnipotens et filius omnipotens et spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur, nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum

lumen unumque principium praedicatur. Singulariter ergo et unaquaeque persona, plenus deus et totae tres personae unus deus confitetur et creditur, una illis vel indivisa atque aequalis deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, quum unaquaeque persona deus singulariter dicitur, nec amplius quum totae tres personae unus deus enuntiatur. Haec ergo sancta trinitas, quae unus et verus est deus, nec recedit a numero nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt et in hoc numero carent, quod ad se sunt. Nam ita sanctae trinitati unum naturale convenit nomen ut in tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in sacris litteris dictum: Magnus dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus. Nec quia tres has personas esse diximus, unum deum, eumdem esse patrem quem filium, vel esse filium qui est pater, aut eum qui spiritus sanctus est vel patrem vel filium dicere poterimus. Non enim ipse est pater qui filius, nec filius ipse qui pater, nec spiritus sanctus ipse qui est vel pater vel filius, quum tamen ipsum sit pater quod filius, ipsum filius quod pater, ipsum pater et filius quod spiritus sanctus, id est natura unus deus. Quum enim dicimus non ipsum patrem quem filium, ad personarum distinctionem refertur; quum autem dicimus ipsum esse patrem quod filium, ipsum filium quod patrem, ipsum spiritum sanctum quod patrem et filium, ad naturam qua deus est vel substantiam pertinere monstratur, quia substantia unum sunt, personas enim distinguimus, non deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus, unitatem propter naturam vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt, natura scilicet non persona; nec tamen tres istae personae separabiles aestimandae sunt, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extitisse vel quidpiam operasse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt et in eo quod faciunt, quia inter generantem patrem et generatum filium vel procedentem spiritum sanctum nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando praecederet aut genitus genitori deesset, aut procedens spiritus patri vel filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec trinitas a nobis et praedicatur et creditur. Tres igitur personae istae dicuntur iuxta quod maiores definiunt, ut agnoscantur, non ut separentur. Nam si attendamus illud quod scriptura sancta dicit de sapientia: Splendor est lucis aeternae, sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur filium a patre separari non posse. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturae personas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus, quandoquidem ita nobis dignata est ipsa trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi, neque enim pater absque filio cognoscitur nec sine patre filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur et alterum. Quum igitur haec tria sint unum et unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, filius aeternitatem cum nativitate, spiritus vero sanctus processionem sine nativitate. De his tribus personis solam filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et immaculata Maria virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine novaque nativitate est genitus, novo ordine quia invisibilis divinitate visibilis monstratur in carne, nova autem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit et fecundata per spiritum sanctum carnis materiam ministravit: qui partus virginis nec ratione colligitur nec exemplo monstratur, quod si ratione colligitur non est mirabile, si exemplo non erit singulare. Nec tamen spiritus sanctus pater esse credendus est filii pro eo quod Maria eodem spiritu sancto obumbrante concepit, ne duos patres filii videamur asserere, quod utique nefas est dici. In quo mirabili conceptu aedificante sibi sapientia domum, verbum caro factum est et habitavit in nobis; nec tamen verbum ipsum ita in carne conversum atque mutatum est, ut desisteret deus esse qui homo esse voluisset, sed ita verbum caro factum est ut non tantum ibi sit verbum dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et deus dicatur propter deum et homo propter hominem. In quo dei filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi. Unde perfectus deus, perfectus et homo in unitate personae unus est Christus. Nec tamen quia duas diximus in filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas, ne trinitati, quod absit, accidere videatur quaternitas. Deus enim verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternum personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Item quum unius substantiae credamus esse patrem et filium et spiritum sanctum, non tamen dicimus, ut huius trinitatis unitatem Maria virgo genuerit, sed tantummodo filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius filii dei tota trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera trinitatis. Solus tamen filius formam servi accepit in singularitate personae,

non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium filii, non quod commune trinitati; quae forma illi ad unitatem personae coaptata est, id est ut filius dei et filius hominis unus sit Christus. Item idem Christus in his duabus naturis tribus extat substantiis, verbi quod ad solius dei essentiam referendum est, corporis et animae, quod ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic tamen per hoc quod de deo patre sine initio prodiit natus tantum, neque factus, neque praedestinatus accipitur; per hoc tamen quod de Maria virgine natus est et factus, et natus et factus et praedestinatus esse credendus est. Ambae tamen in illo generationes mirabiles, quia et de patre ante secula sine matre est genitus et in fine seculorum de matre sine patre est generatus. Qui tamen secundum quod homo creatus est a Maria, ipse et pater Mariae matris et filius. Item, per hoc quod deus est, et aequalis patri, per hoc quod homo, minor est patre. Item et maior et minor se ipso esse credendus est; in forma enim dei etiam ipse filius se ipso maior est propter humanitatem assumptam, quia divinitas maior est; in forma autem servi se ipso minor est, id est humanitate, quae minor divinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantum a patre, sed et a seipso minor accipitur, ita secundum divinitatem quae aequalis est patri et ipse et pater maior est homine quem sola filii persona assumpsit. Item, in eo quod quaeritur utrum posset filius sic aequalis et minor esse spiritu sancto, sicut patri nunc aequalis, nunc minor creditur esse, respondemus: Secundum formam dei aequalis est et patri et sancto spiritui; secundum formam servi minor est et a patre et ab spiritu sancto, quia nec spiritus sanctus nec deus pater, sed sola filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic filius a deo patre et spiritu sancto inseparabiliter discretus creditur esse persona, ab homine autem assumpta natura, item, cum homine unus extat persona, cum patre vero et spiritu sancto, natura divinitatis sive substantia. Missus tamen filius non solum a patre, sed ab spiritu sancto missus esse credendus est in eo quod per prophetam dicit: Et nunc dominus misit me et spiritus sanctus eius. A se ipso quoque missus accipitur pro eo quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius trinitatis agnoscitur. Hic enim qui ante secula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est, unigenitus propter deitatis substantiam, primogenitus propter assumptae carnis naturam in qua suscepta hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur qui solus pro nobis peccatum est factus, id est sacrificium pro peccatis nostris et tamen passionem ipsam salva divinitate sua pro delictis nostris sustinuit mortique adiudicatus et cruci veram carnis mortem excepit, tertio quoque die virtute propria suscitatus e sepulchro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum nec in aërea vel qualibet alia carne, ut quidam delirant resurrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, consistimus et movemur. Peracto huius sanctae resurrectionis exemplo idem dominus noster atque salvator paternam ascendendo sedem repetiit, de qua numquam per divinitatem discessit, illic ad dexteram patris sedens, expectatur in fine seculorum, iudex omnium vivorum et mortuorum: inde cum sanctis omnibus veniet ad faciendum iudicium, reddere unicuique mercedis propriae debitum, prout quisque gesserit in corpore positus sive bonum sive malum. Ecclesiam sane catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam, intra cuius gremium constituti unum baptisma credimus et confitemur remissionem omnium peccatorum, sub qua fide et resurrectionem mortuorum veraciter credimus et futuri seculi gaudia spectamus. Hoc tantum orandum nobis est et petendum, ut quum peracto finitoque iudicio tradiderit filius regnum deo patri, participes nos efficiat regni sui, ut per hanc fidem qua illi inhaesimus, cum illo sine fine regnemus.

Haec est confessionis nostrae fides exposita per quam omnium haereticorum dogma perimitur, per quam omnium fidelium corda mundantur, per quam etiam ad deum gloriose acceditur, cuius sacrosanctum saporem sub triduano dierum ieiunio continua relationum collatione ructantes ad ea quae subnixa sunt sequenti die decernenda transivimus.

I. In loco benedictionis consedentes domini sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus praestrepi aut quibuslibet tumultibus proturbari, nullis etiam vanis fabulis vel risibus agi et, quod est deterius, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim, ut apostolus ait, putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicii obstrepentium turba confundit, dicente propheta: Erit cultus iustitiae silentium. Debet ergo quidquid aut consedentium collationibus agitur aut accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, ut nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent nec iudicantium vigorem de tumultu enervent. Quicumque ergo in conventu concilii haec quae praemissa sunt violanda crediderit et contra haec interdicta aut tumultu aut contumeliis vel risibus concilium perturbaverit, iuxta divinae legis edictum, quo praecipitur: Eiice derisorem et exibit cum eo iurgium; et cum omni confusionis dedecore abstractus a communi coetu secedat et trium dierum excommunicationis sententiam perferat.

II. Quantum quis praecelsi culminis obtinet

locum, tantum necesse est praecedat ceteros gratia meritorum, ut in eo quod praesidet singulis singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper et in ore gladium veritatis et in opere efficientiam luminis, ut iuxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere. Nos proinde nostri ordinis gradum vel suscepti regiminis modum magnopere cogitare debemus, ut qui officium praedicationis suscepimus nullis curis a divina lectione privemur. Nam quorumdam mentes pontificum ita torporis otio a lectionis gratia secluduntur, ut quid doctrinae subditis exhibeat gregibus, non inveniat praeco mutus. Insistendum ergo semper erit maioribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur fame dei verbi perire non sinant. Sicut metropolitanis in confinitimos ceterosque ecclesiasticis ordinibus deditos, sic confinitimis in commisso sibi religiosorum ex numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinae legis traditionibus imbuatur, ita indesinenti sollicitudine praelatus quisque subditos quaerens aut profectum eorum laetabundus agnoscat aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus iuxta instituta Toletani concilii hoc specialiter definire, ut aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi aut a maioribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.

III. De his qui contra apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinae, placuit huic sancto concilio, ut metropolitanae sedis auctoritate coacti uniuscuiusque provinciae pontifices rectoresque ecclesiarum unum eumdemque in psallendo teneant modum quem in metropolitana sede cognoverint institutum, nec aliqua diversitate cuiusque ordinis vel officii a metropolitana se patiantur sede disiungi. Sic enim iustum est, ut inde unusquisque sumat regulas magisterii unde honoris consecrationem accepit, ut iuxta maiorum decreta sedes quae unicuique sacerdotalis mater est dignitatis sit et ecclesiasticae magistra rationis. Abbatibus sane indultis officiis quae iuxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera officia publica id est vesperam, matutinum sive missam aliter quam in principali ecclesia celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communione privatus apud metropolitanum sub poenitentiae censura permaneat corrigendus, qualiter apud illum et praeteritae transgressionis culpam lacrymis diluat et necessariam officiorum doctrinam studiose addiscat. Sub ista ergo regula non solum metropolitanus totius suae provinciae pontifices vel sacerdotes adstringat, sed etiam ceteri episcopi subiectos sibi ecclesiarum rectores his obtemperare institutionibus cogant.

IV. Sicut omnis qui diligit fratrem suum ex deo, ita omnis qui odit proximum, ex diabolo est; dilectione enim sola discernitur quis ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne: In hoc manifesti sunt filii dei et filii diaboli: omnis qui non facit iustitiam non est de deo, non diligit fratrem suum, quoniam haec est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum; et post paululum: Omnis qui odit proximum suum, homicida est; et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem. Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui a fraterna societate dividitur. Nam etsi manus non moveat ad occidendum, pro eo tamen quia immitis est ad ignoscendum, iam a deo homicida tenetur: vivit ille et iste iam interfector esse convincitur. Quum igitur his praeceptis beatus apostolus Paulus consona praedicatione concordet dicens: Non occidat sol super iracundiam vestram et nolite locum dare diabolo; relatae sunt nobis quorumdam sacerdotum personae in tantam obstinationis effervisse discordiam, ut non solum illos ab ira occasus solis non revocet, sed ne annosa quidem transactio temporum ad bonum caritatis reclinet, quippe in quorum cordibus sol iustitiae Christus occubuit, ut ad lumen caritatis redire vix possint. Horum igitur et similium discordantium fratrum oblationes iuxta antiqui canonis definitionem nullo modo recipiendas esse censemus, de personis tamen discordantium id speciali definitione praecipimus, ut antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare domini audeat vel gratiam communionis sanctae percipiat, sed geminato tempore per poenitentiam compensabunt, quo discordiae servierunt. Quod si unus eorum alio contemnente ad satisfactionem caritatis cucurrerit, ex eo tempore ut pacificus intra ecclesiam recipiatur, ex quo ad concordiam festinasse convincitur, sententia tamen superiori servata, ut tempus quod quisque in iram expendit geminatum in poenitentiae satisfactione persolvat.

V. Nullis vita praesulum pertubari debet excessibus motionum, quia valde indignum est, ut qui thronus dei vocantur, levi motione turbentur, et qui debent esse arca iustitiae, ipsi efficiantur seminarium litis atque rapinae. Quomodo ergo huiusmodi iuxta apostolum irreprehensibiles erunt, qui non solum reprehensibilia faciunt, sed mortifera potius et execranda committunt? Relati enim nobis sunt quidam ex sacerdotibus, quod omni gravitate sacerdotalis ordinis praetermissa audientiam iudicii furore praeveniant et excessu solius inhonestae motionis adire, pro quibus eos oportuerat aequitatis iudicia sustinere. Dum enim de honoris sibi culmine blandiuntur, patientiam habere fugiunt, et qui inconcusse debuerant veritatis conservare statum, subito religionis mutant propositum et praecipiti furore iudicium antecedunt, sicque in quo decuerat eos iudicii sustinere conventum perversione agunt unde praesumptionibus con-

fundantur. Qui tamen aut damno pariter et excommunicatione plectendi sunt aut omissis compositionibus rerum sola satisfactione poenitentiae curabuntur: illi enim qui rei propriae facultate suffulti sunt aut qui rem suam iam antea in nomine ecclesiae cui praesunt transfudisse noscuntur, si aut per se aut per subditos seu per quemlibet aliena diripiunt vel praesumptionis seu caedis quidpiam agunt, tam in rebus fiscalibus quam etiam in quorumlibet dominio constitutis, et pervasa vel praesumpta de rebus propriis iuxta legem excellentissimi principis sarciant, et pro excessu religioni contrario quo inhonesti ante iudicium paruerunt, duarum hebdomadarum excommunicatione plectendi sunt. Illi autem et huiusmodi excessibus serviunt et nihil proprietatis habere videntur, magna discretionis arte medendi sunt, quo nec ausus illicitos ecclesiarum facultatibus redimant, nec ipsi penitus extorres a poena persistant. Nec enim iustum est ut pro pravis actibus sacerdotum ecclesiae quibus praeeminent sustineant damnum, ut pro excessibus talium satisfactio ab ecclesiis exigatur, quum ecclesia cultores suos non ad litem, sed ad honestatem informet. De talibus ergo placuit definire, qui nullis habitis rebus propriis aut in quocumque pervasores extiterint aut quibuslibet personis caedes vel quodcumque praesumptionis intulerint, nulla eos incurvatione status sui servituti hominum debere addici, sed iuxta quod praesumptiosus quisquis ille extiterit, ita et poenitentiae legibus subiacebit, id est si in decem solidorum summam praesumptor esse convincitur, viginti dierum poenitentiae satisfactione purgetur, ita ut sive minoris sive maioris summae excessum peregerit, similiter geminata hoc semper satisfactione poenitentiae recompenset. Servos tamen ecclesiarum qui huiusmodi excessus operasse noscuntur, ad leges seculares audiendos remittimus. Et haec quidem de generali excessu dicta sufficiant. Ceterum specialitatis ordinem persequentes, si quis episcoporum magnatis cuiusquam uxorem, filiam, neptem seu quolibet illi gradu altero pertinentem quacumque fraude vel subtilitate adulterina pollutione faedaverit, et honoris proprii gradum amittat et sub exilii relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat, qui tamen circa finem vitae communionis remedio adiuvandus est. Hanc sane et illi sententiam merebuntur, qui aut volentes homicidium fecerint aut primatibus palatii generosisque personis seu nobilioribus quibusque mulieribus vel puellis illud aut per caedem aut per quamcumque irrogatam iniuriam visi fuerint intulisse. Unde eos iuxta legum secularium instituta aut talionem recipere aut traditionem de eis fieri vel proscriptionem oporteat.

VI. His a quibus domini sacramenta tractanda sunt iudicium sanguinis agitare non licet: ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretae praesumptionis motibus agitati aut quod morte plectendum est sententia propria iudicare praesumant, aut truncationes quaslibet membrorum in quibuslibet personis, aut per se inferant aut inferenda praecipiant. Quod si quisquam horum immemor praeceptorum aut in ecclesiae suae familiis aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit et concessi ordinis honore privatus et loco sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo, cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est propter domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat.

VII. Quum iuxta antiquae institutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas, relatum nobis est quod quidam ex fratribus plus livore odii quam correctionis studio subditos insequentes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito afferunt mortem, quum inauditos a se proiiciunt et occultis eos iudiciis sub poenitentia puniunt. Non ergo de cetero perversis voluntatibus sit liberum simulare quod fingunt, sed quotiescumque quilibet ex subditis corrigendus est aut publica a sacerdote debet disciplina curari aut si aliter rectoribus placet duorum vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito et modus criminis agnoscatur et modus poenitentiae irrogetur; ita tamen ut si exilio vel retrusione dignum eum esse qui deliquit iudicium peculiare decreverit, modus poenitentiae, quem coram tribus fratribus sacerdos transgressori indixerit, speciali debeat eius qui sententiam protulit manus propriae subscriptione notari: sicque fiet ut nec transgressores sine testimonio excidia vitae suae incurrant, nec rectores accusatos se de quorumlibet interemptionibus erubescant.

VIII. Quidquid invisibilis gratiae collatione tribuitur, nummorum quaestu vel quibuslibet praemiis venundari penitus non debetur dicente domino: Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideo quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus aut pro baptizandis consignandisque fidelibus aut pro collatione chrismatis vel promotionibus graduum praemia quaelibet vel pretia voluntarie oblata pro huiusmodi ambitione susceperit, equidem si sciente loci episcopo tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat, pro eo quia et scita mala contexit et correctionem necessariam non adhibuit; sin autem suorum quispiam eodem nesciente quodcumque pro supradictis capitulis accipiendum sibi esse crediderit, si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur, si diaconus, quatuor, subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus serviens et competenti verbere et debita excommunicatione plectendus est.

IX. Multae super hoc capitulo patrum sententiae manaverunt, scilicet ne inappretiabilem sancti spiritus gratiam donis vel muneribus quis aestimet comparandam. Sed quod non sine gravi dolore dicendum est, quanto haec res frequenti decretorum est praeceptione prohibita, tanto novis fraudibus cognoscitur iterata, dum hi, qui tali pretio mercari nituntur gratiam spiritus sancti aut ordinationis suae tempora praeveniunt munere aut post acceptum honorem promissum suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo ut horum et similium argumentorum deinceps amputetur occasio, hoc sancta synodus definivit, ut quum quisque pontificale culmen ante domini altare percepturus accesserit, sacramenti se taxatione adstringat quod pro conferenda sibi consecratione honoris nulli personae cuiuslibet praemii collationem vel iam dedisset vel aliquando ad futurum dare procuret, sicque aut mundus ab hoc contagio praelationis consecrationem accipiat aut implicitus huic sceleri manifeste denotatus coram ecclesia ad honorem quem mercari voluit non accedat. Illos tamen quos deinceps post praelationem per praemium ordinatos fuisse patuerit sub definitis poenitentiae legibus, ut vere simoniacos ab ecclesia separandos esse censemus, id est, ut duorum annorum spatio exilio relegati et digna satisfactionis vel excommunicationis sententia coerciti honoris gradum, quem praemiis emerant, lacrymis conquirere et reparare intendant: unde si digna eos satisfactio poenitentiae commendaverit peracto indictae poenitentiae tempore non tantum communioni, sed et loco et totius ordinis officiis, a quibus separati fuerant, restaurandi sunt.

X. Quamquam omnis qui sacris mancipatur ordinibus canonicis regulis teneatur adstrictus, expedibile tamen est ut promissionis suae vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica provehit disciplina: solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur, quam quod generali innexione concluditur. Et ideo placuit huic sancto concilio, ut unusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui innodatione promittat, ut fidem catholicam sincera cordis devotione custodiens iuste et pie vivere debeat et ut in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem atque obsequii reverentiam praeeminenti sibi unicuique dependat iuxta illud beati papae Leonis edictum: Qui se scit quibusdam esse praepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse praelatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. Poena tamen iuxta ecclesiasticae consuetudinis morem et placitis talium inserenda et ab his, qui transgressores fuerint persolvenda est.

XI. Quum nihil in divino canone debeat esse confusum, nihil dubium, nihil etiam indiscretum in collationem nostri coetus, relatus est canon Toletani concilii primi, in quo praeceptum est, ut si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumpserit, ut sacrilegus propellatur; nec adiecta est discretio voluntatum, quum et infidelis haec talia infideliter agat et fidelis fidenter accipiat quod naturaliter illum necessitas deglutire non sinat. Solet enim humanae naturae infirmitas in ipso mortis exitu praegravata tanto siccitatis pondere deprimi, ut nullis ciborium illationibus refici, sed vix tantumdem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus qui optatum suis votis sacrae communionis expetentes viaticum collatam sibi a sacerdote eucharistiam reiecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quod praeter dominici calicis haustum traditam sibi non possint eucharistiam deglutire: non ergo huiusmodi a corpore ecclesiae separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt, praesertim hi de quibus nihil fidei sinistrae sentitur. Placuit ergo definire quod nec fideli officiat nec infideli inultum existat. Quicumque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus eucharistiam perceptam reiecerit, in nullo ecclesiasticae damnationi subiaceat: similiter nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore infantiae faciunt aut in qualibet mentis alienatione positi, quid fecerint ignorare videntur. Iam vero quicumque aut de fidelium aut de infidelium numero corpus domini absque inevitabili, ut dictum est, infirmitate proiecerit, si fidelis est, perpetua communione privetur, si infidelis est, et verberibus subdatur et perpetuo exilio relegetur. Quod si horum quislibet huiusmodi excessus digna poenitentiae satisfactione defleverit, post quinquennium licebit illum communioni pristinae reformare.

XII. Qui poenitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus est, sed si pro certo mortis urget periculum, poenitentia per manus impositionem accepta statim et reconciliatio adhibenda est, ne prius ab humanis rebus aeger abscedat, quam donum reconciliationis percipiat, sicque superstitibus quodammodo doloris videatur esse perpetui, si praecisum ab ecclesiae membris eum qui utique reconciliari non meruit, raptim a praesenti vita mors maturata subduxerit. Unde iuxta papae Leonis edictum his qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. De his autem qui accepta poenitentia, antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, quamquam diversitas praeceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum

tamen nos sententiam placuit sequi qui multiplices numero de huiusmodi humanius decreverunt, ut et memoria talium in ecclesiis commendetur et oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.

XIII. Bene siquidem maiorum regulis definitum est, ut daemoniis aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat: cui praecepto consensu rationis adhibito, id communiter definivimus, ut nullus de his qui aut in terra arrepti a daemonibus eliduntur aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur vel sacris audeant ministrare altariis vel indiscusso se divinis ingerant sacramentis, exceptis illis qui variis corporum incommoditatibus dediti sine huismodi passionibus in terram approbantur elisi, qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu daemonum alieni.

XIV. Ut illud divini oraculi monentis singulis praecaveant et quo scribitur: Vae soli, quia quum ceciderit non habet sublevantem, summopere curandum est nobis et cavendum, ne horis illis atque temporibus, quibus domino psallitur vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti perniciosa passio vel corporis quaelibet valetudo occurrat, quae aut corpus subito subrui faciat aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus praecavendis necessarium duximus instituere, ut ubi temporis vel loci sive cleri copia suffragatur habeat quisquis ille canens deo atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit turbatus fuerit vel ad terram elisus, a tergo semper habeat qui eius vicem exsequatur intrepidus.

XV. Peractis omnibus quae ad correctionem nostri ordinis in hoc concilio promulgata sunt, placuit definire, ut paternis institutionibus obsequentes omni anno ad peragendam celebritatem concilii in metropolitana sede, tempore quo principis vel metropolitani electio definierit, devotis semper animorum studiis confluamus, nec quibuslibet requisitis occasionibus absentemur, sed in praefato die quo indictum fuerit, adunatis in metropolitana sede omnibus provinciae pontificibus concilium deo praesule celebretur. Quisquis autem episcoporum excepta inevitabili causa vel necessitate de peragendo se concilio absentaverit, per unius anni excommunicatione plectendus est. Quod si deinceps absque celebratione concilii anni unius metas transierit, omnes in commune pontificum Carthaginis provinciae superioris censurae sententia obnoxios retinebit, id est, si nulla eum impediente principis potestate solius propriae voluntatis libitu sese ad celebrandum concilium non collegerint.

XVI. His igitur constitutionibus nostris quae necessario decernendas credidimus, finalem manus nostrae subscriptionem adiecimus, immortali deo nostro et domino gloriam et honorem reddentes, qui nos de conventu alternae visionis laetos effecit, qui os nostrum in confessione laudis suae aperuit, qui etiam decreta huius nostri concilii honesto fine complevit. Post haec religioso domino et amabili principi nostro Wambani regi gratiarum actiones persolvimus, cuius ordinatione collecti, cuius etiam studio aggregati sumus, qui ecclesiasticae disciplinae his nostris seculis novus reparator occurrens omissos conciliorum ordines non solum restaurare intendit, sed etiam annuis recursibus celebrandos instituit, ut ad alternam morum correctionem annuo tempore alacriter concurrentes iuxta prophetae vaticinium, quod in nobis defractum est alligetur, et quod abiectum est reducatur. Det ergo eidem principi dominus pro huius sacrae sollicitudinis voto et cursum praesentis vitae in pace transigere et post diuturna tempora ad se in pace remissis iniquitatibus pervenire, qualiter et hic felicia tempora ducat, et felix cum omnibus quibus principatur ad Christum sine confusione perveniat, ut quia per eum corona nostri ordinis in melius restauratur, coronam futuri regni capiat ex hoc in regione vivorum regnans cum Christo in secula seculorum. Amen.

[1]Interfuerunt huic concilio pontifices decem et septem. Ego Quiricus, urbis regiae metropolitanus episcopus, haec gesta synodica a nobis definita subscripsi. Similiter et alii episcopi subscripserunt XVI.

IN NOMINE DOMINI INCIPIUNT ACTA SYNODALIA CONCILII TOLETANI XII. TOLETANA IN URBE REGIA CELEBRATA ANNO I. ORTODOXI ATQUE SERENISSIMI DOMNI NOSTRI ERVIGI REGIS SUB DIE ID. IANUAR. ERA DCCXIX.[2]

Quum ex glorioso praedicti principis iussu in unum fuissemus aggregati conventum et in basilica sanctorum apostolorum debitis in sedibus locaremur, adfuit coram nobis idem clarissimus princeps humilitatis gratia plenus et claro pietatis cultu conspicuus, qui nostro se coetui reclinem exhibens ac devotum imprimis omnium sacerdotum se commisit precibus adiuvandum, deinde grates multiplices omnipotenti domino egit de conventu totius concilii, quia et gloriosae iussionis suae, ut in unum adessent, impleverint

[1] *Sec. Carnot.* 67[bis] *et Andeg. Subscriptiones in Hisp. exhibitae omnibus in codd. Ps.-Isid. omittuntur.* [2] *Inscript. sec. Carnot.* 67[bis] *et Andeg.; Andeg. om. prima verba:* in n. domini *et ultima:* sub die etc.; *text. sec. ed. cit. Hisp.*

votum et alternae visionis innovatione se refecerint gaudiorum; deinde adiiciens sic omne est concilium alloquutus: Non dubium, sanctissimi patres, quod optima conciliorum adiutoria ruenti mundo subveniunt, si officiosis quae corrigenda sunt studiis peragantur, et ideo quibus malis terra prematur quibusque plagis proventu dierum succedentium feriatur, paternitati vestrae non reor esse incognitum. Obinde quia certum apud nos gerimus quod pro contemptu divinorum praeceptorum terra perniciem sustineat pressurarum, dicente domino per prophetam: Propter hoc lugebit terra et infirmabitur omnis qui habitat in ea. Ideo oportet, ut quia ore salvatoris nostri et domini sal terrae esse probamini, per vos salvationis obtineat lucrum per quos regenerationis percipit sacramentum, ut diligentia definitionis vestrae ab omni emundata contagio et ab infirmitatis peste sit libera et bonorum omnium proventibus gratiosa. Iam nunc quia quidquid me adhuc dicere opportuna ratio sinit, quidquid etiam narrandum vestris auribus convenit aut memoriae titulorum intercapedo subducit aut fastidium prolixae orationis intercipit, ecce in brevi complexa vel exarata devotionis meae negotia in huius tomi complicatione agnoscenda perlegite, perlecta discutite, discussa elimatis ac discretis titulorum sententiis definite, ut pura et placens deo vestrarum definitionum valitura discretio et regni nostri primordia decoret exundatione iustitiae et errores plebium digna cohibeat severitate censurae, scriptum est enim: Iustitia levat gentem, miseros facit populos peccatum. Tunc suscepto a glorioso principe tomo pro tam salubri invitamento et copiosas grates retulimus domino Iesu Christo et item benediximus principi glorioso. Post egressum igitur eiusdem serenissimi principis haec in iam dicto tomo scripta reperimus probitatis.

In nomine domini Flavius Ervigius rex sanctissimis patribus in hac sancta synodo residentibus. En, reverentissimi patres et honorabiles ministeriorum coelestium sacerdotes, soliditatem sanctae fidei veraciter tenens et sincera cordis devotione amplectens testimonium paternitatis vestrae fortissimum in salutis nostrae advoco adiumentum, ut quia regnum fautore deo ad salvationem terrae et sublevationem plebium suscepisse nos credimus, sanctitudinis vestrae consiliis adiuvemur. Unde licet sublimationis nostrae primordia paternitati vestrae opinabili relatione non lateant, quibus clara divinorum iudiciorum dispositione praeventus et regnandi conscenderim sedem et sacrosanctam regni perceperim unctionem, nunc tamen melius id poteritis et scripti relatione cognoscere et promulgationis vestrae sententiis publicare, ut sicut eadem regni nostri primordia conventus vestrae sanctitudinis compererit divinitus ordinata, ita et his orationum solamen impendat et salubrium consiliorum nutrimenta impertiat, quo susceptum regnum sicut iam vestris assensionibus teneo gratum, ita vestrarum benedictionum perfruatur definitionibus consecrandum, ut innovatio quodammodo nostri videatur imperii haec numerositas vestri ordinis aggregati. Et ideo quia dominus in evangelio praecipit dicens: Amen dico vobis: si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo qui in coelis est. Ob hoc venerabilem paternitatis vestrae coetum cum lacrymarum effusione convenio, ut zelo vestri regiminis purgetur terra a contagio pravitatis. Exsurgite, quaeso, exsurgite, culpatorum solvite nodos, transgressorum mores corrigite inhonestos, exerite zeli disciplinam in perfidos, superborum mordacitates extinguite, oppressorum ponderibus subvenite, et quod plus omnibus est, iudaeorum pestem, quae in novam semper recrudescit insaniam, radicitus extirpate; leges quoque quae in eorumdem iudaeorum perfidiam a nostra gloria noviter promulgatae sunt omni examinationis probitate percurrite, et tam eisdem legibus tenorem inconvulsum adiicite, quam pro eorumdem perfidorum excessibus complexas in unum sententias promulgate. Etenim valde nobis cavendum est ne tot antiquorum canonum regulae quae pro eorum erroribus sunt etiam cum anathemate promulgatae, nos illorum culpis obnoxios reddant, si nostri regni temporibus eorumdem canonum constructio dissoluta pertranseat: praesertim si legis illius, quod absit, serenitatis nostrae in tempore illa clarae fidei institutio cesset, ubi divae memoriae dominus atque praecessor noster, Sisebutus rex omnes successores suos sub perpetua maledictionis censura obstrinxit, quicumque regum mancipium christianum iudaeo servire et famulari permiserit. Posthaec illud quoque vestris deo placitis infero sensibus corrigendum quod decessoris nostri praeceptio promulgata lege sancivit, ut omnis aut in expeditione exercitus non progrediens aut de exercitu fugiens, testimonio dignitatis suae sit irrevocabiliter carens: cuius severitatis institutio, dum per totos Hispaniae fines ordinata decurrit, dimidiam fere partem populi ignobilitati perpetuae subiugavit, ita ut, quia in quibusdam villulis vel territoriis sive vicis peste huius infamationis habitatores ipsorum locorum sunt degeneres redditi, quia testificandi nullam habent licentiam, veritatis ex toto videatur interiisse censura, sicque gemino malo terra atteritur, dum et infami plebium notatur elogio et reperiendae veritatis destituitur adiumento. Unde licet eamdem legem nostrae gloriae mansuetudo temperare disponat, vestrae tamen paternitatis sententia hos qui per illam titulum dignitatis amiserant, revestiri iterum claro pristinae generositatis testimonio devotissime optat, qualiter nec nostra gloria ministerium crudelitatis adhibeat, nec tam saeva praeceptio terram sub diutino infamationis iugulo premat. Nam et hoc generaliter obsecro, ut quidquid in nostrae gloriae legibus absurdum, quidquid iustitiae videtur contrarium, unanimitatis vestrae iudicio corrigatur. De ceteris autem

causis atque negotiis quae novella competunt institutione firmari, evidentium sententiarum titulis exaranda conscribite, ut quia praesto sunt religiosi provinciarum rectores et clarissimorum ordinum totius Hispaniae duces promulgationis vestrae sententias coram positi praenoscentes eo illas in commissas sibi terrarum latitudines inoffensibili exerant iudiciorum instantia, quo praesentialiter assistentes perspicua oris vestri conceperint instituta. Omnes tamen in commune convenio et vos patres sanctissimos et vos illustres aulae regiae viros, quos interesse huic sancto concilio delegit nostra sublimitas per divini nominis attestationem et terribilem cunctis futuri iudicii diem, quia sine personarum acceptione aliqua vel favore, sine aliquo quoque aut malignae contemptionis scripulo aut subvertendae veritatis studio, quaeque se vestris sensibus audienda ingesserint sana verborum examinatione discutite, saniori quoque iudicio comprobate, ut collatarum habita prius deliberatione causarum discreta vestri ordinis condatur probitas titulorum, qualiter quum vos amor aequitatis in negotiorum acceleratione reddiderit fervidos, efficientia quoque iustorum operum connectat deo perenniter sociandos, ut bonorum vestrorum actibus laetabundus et praesentis vitae capiam lucrum et aeternarum perfruar vobiscum gaudiis mansionum. Datum sub die V. Id. Ianuar. anno feliciter primo regni serenitatis et tranquillitatis nostrae sedis Toleto.

In nomine domini Flavius Ervigius rex. Magna salus populi gentisque nostrae ac regni conquiritur, si haec synodalium decreta gestorum, sicut pio devotionis nostrae studio acta sunt, ita inconvulsibilis nostrae legis valido oraculo confirmentur, ut quod serenissimo nostrae celsitudinis iussu a venerandis patribus et clarissimis palatii nostri senioribus discreta titulorum exaratione est edictum, praesentis huius legis nostrae edicto ab aemulis defendatur. Est enim haec ipsa definitio canonum sub isto notata ordine titulorum:

I. De agnita et confirmata collatione sanctae trinitatis et praeelectione fastigii principalis.
II. De his qui poenitentiam non sentientes accipiunt.
III. De culpatorum receptione vel communione apud ecclesiam.
IV. Ut in locis ubi episcopus non fuerit numquam episcopus ordinetur.
V. De quorumdam consuetudine sacerdotum foedissima qui oblatis deo per se sacrificiis non communicant.
VI. De concessa Toletano pontifici generalis synodi potestate, ut episcopus alterius provinciae cum conniventia principum in urbe regia ordinentur.
VII. De recepto testimonio personarum qui per legem quae de promotione exercitus facta est testificandi licentiam perdiderint.
VIII. De his qui uxores suas divortio intercedente relinquunt.
IX. De confirmatione legum quae in iudaeorum nequitiam promulgatae sunt, iuxta earumdem legum praefixum ordinem titulorum qui in eodem canone annumeratur.
X. De his qui ad ecclesiam confugium faciunt.
XI. De cultoribus idolorum.
XII. De interdicto temporis constituti quo debeat concilium celebrari.
XIII. Conclusio definitionum, in qua et deo gratiae referuntur et pro principe exoratur.

I. In nomine gloriosi domini nostri Ervigii regis primi diei synodali exordio consedentibus episcopis atque senioribus palatii universis habita primum est de sancta trinitate collatio, non quae novello exarationis stilo definita patesceret, sed quae verbis simplicioribus sese pigris sensibus patefacta monstraret, ubi praemissa semper lectio praecederet, quod sequens expositio aperiret. Credentes pariter et docentes de eadem sanctae fidei puritate quidquid evangelica et apostolica traditio sanxit, quidquid sancta synodus Nicaena constituit, quidquid Constantinopolitana patrum aggregata collectio promulgavit, quidquid Ephesini coetus definitio docuit, quidquid etiam Chalcedonensis concilii promulgatio definivit, sicut multorum aliorum catholicorum patrum documentis id sacramentum expositum traditumque nobis accepimus, sicut etiam in missarum solemniis patulis confessionum vocibus proclamamus:

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium conditorem, et in unum dominum Iesum Christum filium dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terra: qui propter nos et propter nostram salutem descendit et incarnatus est de spiritu sancto et Maria virgine, homo factus, passus sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet ad dexteram patris, iterum venturus in gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus et in spiritum sanctum dominum et vivificatorem, ex patre et filio procedentem, cum patre et filio adorandum et glorificandum, qui loquutus est per prophetas: in unam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri saeculi. Amen.

Post pacifica igitur huius sanctae fidei collationum studia, illa se primum nostris sensibus salvatoris cognitio agnoscendam invexit quae tanto corda omnium ardore caritatis adstrinxit, quanto se eadem ipsa cognitio in conventu generalis concilii praenoscendam exhibuit. Etenim sub qua pace vel ordine serenissimus Ervigius princeps regni conscenderit culmen, regnandi-

que per sacrosanctam unctionem susceperit potestatem, ostensa nos scripturarum evidentia docet: in quibus et praecedentis Wambae principis poenitentiae susceptio noscitur et translatus regni honor in huius nostri principis nomine derivatur. Idem enim Wamba princeps dum inevitabilis necessitudinis teneretur eventu, suscepto religionis debito cultu et venerabili tonsurae sacrae signaculo mox per scripturam definitionis suae hunc inclytum dominum nostrum Ervigium post se praeelegit regnaturum et sacerdotali benedictione ungendum. Vidimus enim, et pariter patulo alternae visionis intuitu praelucente perspeximus huius praemissi ordinis scripturas, id est notitiam manu seniorum palatii roboratam, coram quibus antecedens princeps et religionis cultum et tonsurae sacrae adeptus est venerabile signum; scripturam quoque definitionis ab eodem editam, ubi gloriosum dominum nostrum Ervigium post se fieri regem exoptat, aliam quoque informationem iam dicti viri in nomine honorabilis et sanctissimi fratris nostri Iuliani Toletanae sedis episcopi, ubi eum speravit pariter et instruxit, ut sub omni diligentiae ordine iam dictum dominum nostrum Ervigium in regno ungere deberet et sub omni diligentia unctionis ipsius celebritas fieret. In quibus scripturis et subscriptio nobis eiusdem Wambani principis claruit et omnis evidentia confirmationis earumdem scripturarum se manifeste monstravit. Quibus omnibus approbatis atque perlectis dignum satis nostro coetui visum est, ut praedictis definitionibus scripturarum nostrorum omnium confirmatio apponatur, ut qui ante tempora in occultis dei iudiciis praescitus est regnaturus, nunc manifesto in tempore generaliter omnium sacerdotum habeatur definitionibus consecratus. Et ideo soluta manus populi ab omni vinculo iuramenti, quae praedicto viro Wambae, dum regnum adhuc teneret, alligata permansit, hunc solum serenissimum Ervigium principem obsequendum grato servitii famulatu sequatur et libera, quem et divinum iudicium in regno praeelegit et decessor princeps successurum sibi instituit et, quod superest, quem totius populi amabilitas exquisivit. Unde his praecognitis atque praescitis serviendum est deo coeli praedicto principi nostro Ervigio regi eique pia devotione, obsequendum etiam promptissima voluntate, agendum et enitendum quidquid eius saluti proficiat, quidquid genti vel utilitatibus patriae suae consulat. Unde non erit iam deinceps aut ab anathematis sententia alienus aut a divinae animadversionis ultione securus quisquis superbe contra salutem eius deinceps aut erexerit vocem aut commoverit caedem aut quamcumque exquisierit laedendi occasionem.

II. Plerumque hi quibus miseratio domini etiam nolentibus subvenit, beneficiis dei videntur esse ingrati et abuti gratia largitoris qua bene usi poterant consequi abolitionem facinoris; impugnant saepe quod honorare debuerant, et profanis quaestibus indultae gratiae munus a se reiiciunt quod summis votis amplecti debuerunt. Etenim multos saepe conspeximus et in salute positos ultimum desiderantes poenitentiae fructum et rursus nimietate aegritudinis ita loquendi et sentiendi naturale perdidisse officium, ut nulla illis cura salutis suae videretur inesse, nullo etiam pristinae devotionis noscerentur desiderio anhelare. Quorum tamen casibus fraternitas condolens, ita talium necessitates in fide sua suscepit, ut ultimum illis tribuatur viaticum, quo scilicet sine fructu poenitentiae non videantur transire e seculo: si forsitan respiciente deo saluti pristinae reformentur, agunt cautionibus vanis et oppositionibus execrandis, qualiter a se tonsurae venerabile signum expellant atque habitum religionis abiiciant, imprudentissime asserentes ideo se nullis regulis ecclesiasticae disciplinae sub hoc voto teneri, quia poenitentiam nec ipsi petierint nec sentientes acceperint. Quorum impudentia procax et obstinata procacitas nequaquam talia diceret, si qualiter ad vitam per sacrosancti lavacri gratiam veniret meminisset. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quae nullo per aetatem discernendi vel expetendi sensu aptior iudicatur, nisi sponsione fidelium baptismi accipiat sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria id appetere possunt. Unde sicut baptismum, quod nescientibus parvulis sine ulla contemptione in fide tantum proximorum accipitur, ita et poenitentiae donum quod nescientibus illabitur, absque ulla repugnantia inviolabiliter hi qui illud exceperint, observabunt. Si quis autem quolibet modo poenitentiam accipiens hoc violaverit synodale institutum, ut vere transgressor paternis regulis ferietur, nec enim ista instituentes sacerdotes, quosque ut passim et licenter donum poenitentiae non poenitentibus audeant prorogare, absolvimus, sed hos qui qualibet sorte poenitentiam susceperint, ne ulterius ad militare cingulum redeant relegamus. Sacerdos tamen qui non sentienti neque petenti ausu temerario poenitentiam dederint, neque se exhortatum eius qui poenitentiam accepit manuum indiciis vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententiae subiacebit.

III. Vidimus quosdam et flevimus ex numero culpatorum receptos in gratiam principum et extorres extitisse a collegio sacerdotum: quod denotabile malum illa res agit, quia licentia principalis in quo se solvi licentius curat, ibi alios illigat et quos in suam communionem videtur suscipere a communione et pace ecclesiae eligit separare, ut qui cum illo convescunt sola sacerdotum communione priventur. Et ideo quia remissio

talium qui contra regem, gentem vel patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum potestate solum regia apponitur, cui et peccasse noscuntur, adeo nulla se deinceps a talibus abstinebit sacerdotum communio, sed quos regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit aut participes mensae suae effecerit, hos etiam sacerdotum et populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit, ut quod iam principalis pietas habet acceptum non a sacerdotibus dei habeatur esse extraneum.

IV. Maiorum institutionibus contraire et sanctorum patrum decreta convellere quid aliud est, quam vinculum societatis Christi abrumpere et usurpatae praesumptionis licentia statum ecclesiae dissipare? Prosequente igitur venerabili et sanctissimo viro fratre nostro Stephano, Emeritensis sedis episcopo res nobis novellae praesumptionis usurpatione sese intulit pertractanda, tanto communi nostrae iudicio evellenda, quanto et privatis noscitur ausibus perpetrata. Dixit enim violentia principali se impulsum fuisse ut in monasterio villulae Aquis, ubi venerabile corpus sanctissimi Pimenii confessoris debito quiescit honore, novam episcopalis honoris ordinationem efficeret. Et ideo quia ex indiscreto et facillimo assensu iniustis Wambae principis iussionibus parens novam et iniustam illic pontificalis sedis praeelectionem induxit, ubi canonica institutio id fieri omnimoda ratione refellit, praedictus idem vir prostratus humo medicamine nostri praecepti et sibi dare veniam petiit et quod potissimum fieri oporteret de persona eius qui illic ordinatus fuerat nostri oris sententia decernendum poposcit. Sed quia veraciter immo communiter noveramus praedictum principem consilio levitatis agentem non solum praecepisse, ut in praedicto loco Aquis episcopus fieret, sed etiam ita eum consuetis obstinationibus definisse, ut hic in suburbio Toletano in ecclesia pretoriensi sanctorum Petri et Pauli episcopum ordinaret, necnon et in aliis vicis vel villulis similiter faceret: ideo pro tam insolenti huiusmodi disturbationis licentia quid de hac re haberent canonum instituta in medio proferri praecepimus. Tunc haec in ordinem constituta perlecta sunt: in primis ex epistola Pauli ubi Tito discipulo, ut episcopos per civitates constituere debeat, praecipit; item ex concilio Nicaeno titulo VIII. ubi inter cetera praecipitur ut in civitate una non videantur duo episcopi esse; item ex concilio Laodiceno, titulo LVI., ubi dicit: Non oportet in vicis et villulis episcopos ordinari, et cetera; item ex concilio Africae II., titulo V., ubi dicit: Ut dioecesis quae episcopum numquam habuit non habeat. Felix episcopus Selemsitanus dixit: Etiamsi hoc placet sanctitati vestrae, insinuo, ut dioeceses quae numquam episcopos habuerunt non habeant, vel illa dioecesis quae aliquando habuit habeat proprium. Secundum autem hanc prosequutionem sanctitatis vestrae est aestimare quid fieri debeat. Geneclius episcopus dixit: Si placet insinuatio fratris et coepiscopi nostri Felicis ab omnibus confirmetur. Ab universis episcopis dictum est: Placet placet. Item ex concilio Africae III. capitulo 42, ubi dicit: Ut non accipiat alterum episcopum plebs quae in dioecesim semper subiacuit. Epigonius enim episcopus inter cetera sic dixit: Hoc dico non debere rectorem accipere eam plebem quae in dioecesi semper subiacuit, nec unquam proprium episcopum habuit: quapropter si universo sanctissimo coetui placet hoc quod prosequutus sum, confirmetur. Aurelius episcopus dixit: Fratris et consacerdotis nostri prosequutionem non obsisto, sed hoc me et fecisse et facturum esse profiteor. Item ex concilio Sardicensi ubi inter cetera praecipitur: Licentia danda non est passim; si enim subito aut vicus aliquis aut modica civitas, cui satis est unus presbyter, voluerit sibi episcopum ordinari ad hoc ut vilescat nomen episcopi et auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere episcopum. Item de sententia eorum qui huiusmodi ordinationes faciunt vel de his qui contra haec instituta canonum ordinantur, ex concilio Tauritano titulo II. ubi dicit: Gestorum quoque serie conscribi placuit ad perpetem disciplinam quod circa Octavium, Ursionem, Remigium ac Treferium episcopos synodus sancta decrevit, qui in usurpationis quamdam de ordinatione sacerdotum invidiam vocabantur, quod eatenus his videtur indultum, ut de cetero hac auctoritate commoniti nihil usurpare conentur, siquidem ea se ab hac causa excusatione defenderint, qua dicerent prius se non esse conventos. Proinde iudicavit synodus, ut si quis ex hoc fecerit contra instituta maiorum, sciat is, qui ordinatus fuerit, sacerdotii se honore privandum, et ille qui ordinaverit auctoritatem se in ordinationibus vel in conciliis minime retenturum. Non solum autem circa memoratos episcopos haec sententia praevalebit, sed et circa omnes qui simili errore decepti ordinationes huiusmodi perpetrarunt. His igitur fortissimis regulis effectum pii operis apponentes id communi definitione elegimus, ut in loco villulae supradictae Aguis deinceps sedes episcopalis non maneat, neque episcopus illic ultra constituendus existat. Hinc tamen Cuniuldus qui contra maiorum decreta illic videtur institutus fuisse episcopus, nullis canonum erit ad condemnationem sui sententiis ulciscendus, quia non ambitione sed principis impulsione illic constitit ordinatus: et ideo hoc illi remedium humanitatis concedimus ut in sedem aliam decedentis cuiuslibet episcopi transducatur et praedictus locus sub monastica deinceps institutione mansurus non episcopali ultra privilegio fretus, nec sub abbatis regimine, sicut

hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus. Iam vero de cetero generale ponentes edictum, si quis contra haec apostolica iussa, si quis contra haec canonum interdicta venire conaverit, ut in locis illis episcopum eligat fieri ubi episcopus numquam fuit, sit anathema in conspecu omnipotentis dei, et insuper tam ordinans quam ordinatus gradum sui ordinis perdat, quia non solum antiquorum patrum decreta, sed et apostolica ausus est convellere instituta.

V. Relatum nobis est quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctae gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre, sed in uno die, si plurima per se deo offerant sacrificia in omnibus se oblationibus a communicando suspendant et in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctae gratiam sumunt, quasi non sit toties reus illius veri et singularis sacrificii quoties participator corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi esse destiterit. Nam ecce apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Si ergo qui edunt hostias participes sunt altaris, certum est quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit et se a communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit gratia communionis anno uno repulsum se noverit: nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo hoc modis omnibus est tenendum ut quotiescumque sacrificans corpus et sanguinem Iesu Christi domini nostri in altario immolat, toties perceptioni corporis et sanguinis Christi se participem praebeat.

VI. Illud quoque collatione mutua decernendum nobis occurrit, quod in quibusdam civitatibus decedentibus episcopis propriis, dum differtur diu ordinatio successoris, non minima creatur et officiorum divinorum offensio et ecclesiasticarum rerum nocitura perditio. Nam dum longe lateque diffusio tractu terrarum commeantum impeditur celeritas nuntiorum, quo aut non queat regis auditibus decedentis praesulis transitus innotesci aut de successore morientis episcopi libera principis electio praestolari, nascitur saepe et nostro ordini de relatione talium difficultas et regiae potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis pontificibus sustinet iniuriosa necessitas. Unde placuit omnibus pontificibus Hispaniae atque Galliae ut salvo privilegio uniuscuiusque provinciae licitum maneat deinceps Toletano pontifici quoscumque regalis potestas elegerit et iam dicti Toletani episcopi iudicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis in praecedentium sedibus praeficere praesules et decedentibus episcopis eligere successores; ita tamen ut quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suae tempus infra trium mensium spatium proprii metropolitani praesentiam visurus accedat, qualiter eius auctoritate vel disciplina instructus condigne susceptae sedis gubernacula teneat. Quod si per desidiam aut neglectu quolibet constituti temporis metas excesserit, quibus metropolitani sui nequeat obtutibus praesentari, excommunicatum se per omnia noverit, excepto si regia iussione impeditum se esse probaverit. Hanc quoque definitionibus formulam sicut de episcopis, ita et de ceteris ecclesiarum rectoribus placuit observandam.

VII. Omnis disciplina sic subiectos debet arguere, ut spem veniae non videatur auferre nec funditus curvationis indicere iugum, sed temperantiae semper adhibere consultum. Et ideo quia legem illam a domino Wambane principe editam, quae de progressione est exercitus annotata, huius principis nostri et domini Ervigii mansuetudo temperare disposuit, adeo annuente nobis glorioso et religiosissimo Ervigio principe nostro necessarium hoc sanctum concilium definivit, ut hi qui per supradictam legem testificandi dignitatem perdiderunt, recepto testimonio pristinae dignitatis causas exequi possint debitae actionis, aequaliter nobilitatis solitae titulum reportantes, et quae de praeteritis legitime testificare voluerint licentiae obtineant votum, et a iudicibus nullis prohibitionibus arceantur, hoc videlicet adiicientes ut, si quid in praeteritis testificare voluerunt, si pro sola huius rei informatione reiecti sunt, testimonio suo nuper conquirant, quod in praeteritis conquirere poterant, tantum si illo tempore quo in praeteritis ad testimonium dicendum vocati sunt et supradictae legis institutionibus reprobati aut aliam criminis notam eos tunc non habuisse patuerit aut tricennium tunc effluxisse, quum ad testimonium fuerant prolati, hi qui eos reprobaverant, manifeste convicerint.

VIII. Praeceptum domini est ut excepta causa fornicationis uxor a viro dimitti non debeat. Et ideo quicumque citra culpam criminis supradicti uxorem suam quaecumque occasione reliquerit, quia quod deus iunxit ille separare disposuit, tamdiu ab ecclesiastica communione privatus et coetu omnium christianorum maneat alienus, quamdiu et ad societatem relictae coniugis redeat et partem sui corporis honesta lege coniugii sinceriter amplectatur et foveat. Hi tamen, qui iam admoniti a sacerdote semel et bis terque ut corrigantur, ad carum suae coniugis noluerint redire consortium, ipsi se suis meritis et a palatinae dignitatis officio separabunt et insuper generosae dignitatis testimonium quamdiu in culpa fuerint amissuri sunt, quia carnem suam discidii iugulo tradiderunt.

IX. De iudaeorum autem execranda perfidia discretis titulorum sententiis editas noviter a glorioso principe leges vigilanti sensuum intentione perlegimus, districto etiam gravitatis pondere earum instituta proba-

vimus. Et quia debitae rationis iudicio editae synodali indagatione probatae sunt, irrevocabili deinceps iudiciorum ordine pro eorum excessibus tenebuntur, id est: Lex de commemoratione priscarum legum quae in iudaeorum transgressionibus promulgatae sunt atque de novella confirmatione earum. Item de blasphematoribus sanctae trinitatis. Item ne iudaei aut se aut filios suos vel famulos a baptismi gratia subtrahant. Item ne iudaei more suo celebrent pascha vel carnis circumcisionem exerceant, ac ne christianum quemquam a fide Christi dimoveant. Item ne iudaei sabbata ceterasque festivitates ritus sui celebrare praesumant. Item ut omnis iudaeus diebus dominicis et in praenotatis diebus ab opere cesset. Item ne iudaei more suo diiudicent escas. Item ne iudaei ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant et ut sine benedictione sacerdotis nubere non audeant. Item ne iudaei religioni nostrae insultantes sectam suam defendere audeant ac ne a fide refugientes alibi se transducant, et ne quislibet fugientes eos suscipiat. Item ne christianus a iudaeis quodcumque muneris contra fidem Christi accipiat. Item ne iudaei libros illos legere audeant, quos christiana fides repudiat. Item ne iudaeis mancipia deserviant vel adhaereant christiana. Item si se iudaeus christianum esse testatur et ob hoc non velit a se reiicere mancipium christianum. Item professio iudaeorum, quomodo unusquisque ad fidem veniens indiculum professionis suae conscribere debeat. Item conditiones iudaeorum ad quas iurare debeant his qui ex eis ad fidem venientes professiones suas dederint. Item de christianis mancipiis iudaeorum quae se non prodiderint christiana sive de publicatoribus eorum. Item ne iudaei a quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem christianum quemque imperare, plectere vel distringere audeant. Item, ut iudaeorum servi necdum adhuc conversi si ad Christi gratiam convolaverint libertati donentur. Item, ne iudaei administratorio usu sub ordine villicorum atque actorum christianam familiam regere audeant et de damnis eorum qui his talia ordinanda iniunxerint. Item ut iudaeus ex aliis provinciis vel territoriis ad regni nostri ditionem pertinentibus veniens episcopo loci vel sacerdoti se praesentare non differat vel quid huic in toto observare conveniat. Item qualiter concursus iudaeorum diebus institutis ad episcopum fieri debeat. Item ut quicumque iudaeum secum obsequentem habuerit, expetente sacerdote eum apud se retinere non audeat. Item ut cura omnis distringendi iudaeos solis sacerdotibus debeatur. Item de damnis sacerdotum vel iudicum qui in iudaeos instituta legum adimplere distulerint. Item ne iudices quidquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniventiam iudicare praesumant. Item ut episcopi tunc immunes habeantur a damnis, quum eorum presbyteres ad ea quae ipsi non correxerint, ad eos non remiserint corrigenda. Item de servata principibus miserendi potestate in his qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint. Item ut episcopi omnes iudaeis ad se pertinentibus libellum hunc de suis editum erroribus tradant et ut professiones eorum vel conditiones in scriniis ecclesiae condant. Quarum omnium legum promulgatio gravida sicut synodali iudicio comprobata, ita generali omnium nostrorum definitione in eorum erit deinceps excessibus exercenda.

X. Pro his qui quolibet metu vel terrore ecclesiam appetunt, consentiente pariter gloriosissimo domino nostro Ervigio rege, hoc sanctum concilium definivit, ut nullus audeat confugientes ad ecclesiam vel residentes inde abstrahere aut quodcumque nocibilitatis vel damni seu spolii residentibus in loco sancto inferre, sed esse potius his ipsis qui ecclesiam petunt, per omnia licitum in triginta passus ab ecclesiae ianuis progredi, in quibus triginta passibus uniuscuiusque ecclesiae in toto circuitu reverentia defendetur; sic tamen ut hi qui ad eam confugiunt in extraneis vel longe separatis ab ecclesia domibus nullo modo obcelentur, sed in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculis progredientes aditum obtinebunt, qualiter et requisitae naturae usum debitis exeant locis et nullo teneantur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserunt claustris. Si quis autem hoc decretum violare tentaverit, et ecclesiasticae excommunicationi subiaceat et severitatis regiae ferietur sententia. Ipsos tamen qui ad ecclesiam confugium fecerint, si iuxta priscorum canonum instituta his qui eos competunt sacramenta reddiderint et sacerdos ecclesiae ipsius ab ecclesiae foribus non abstraxerit aut fuga talium si venerit sacerdoti quaerenda est, aut damnorum sententia secundum electionem principis huiusmodi sacerdotibus irroganda.

XI. Praecepta domini sunt dicentis: Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem quae est in coelo desuper et quae in terra deorsum, neque horum quae sunt in aquis sub terra; non adorabis ea neque coles. Itemque: Qui immolat diis, occidetur, praeter domino soli. Item: Vir aut mulier qui facit malum in conspectu domini dei sui et transgrediuntur pactum illius, ut vadant et serviant diis alienis et adorent eos, solem et lunam et omnem militiam coeli, quae non praecepi, et hoc tibi fuerit nuntiatum audiensque inquisieris diligenter et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel, et duces virum ac mulierem qui rem sceleratissimam perpetrarunt ad portas civitatis et lapidibus obruentur. Praecepta haec domini non in ultione, sed in terrore delinquentium apponentes non mortis per hanc sententiam

promulgamus, sed cultores idolorum, veneratores lapidum, accensores facularum et excolentes sacra fontium vel arborum admonemus, ut agnoscant quod ipsi se spontaneae morti subiiciunt qui diabolo sacrificare videntur. Mortis enim nomen diabolus appellatur, sicut de eo scriptum est: Et erat illi nomen mors. Ac provide omne sacrilegium idolatriae vel quidquid illud est contra sanctam fidem in quo insipientes homines captivati diabolicis culturis inserviant, sacerdotis vel iudicis instantia inventa haec sacrilegia eradantur et exterminata truncentur; eos vero qui ad talem horrorem concurrunt et verberibus coerceant et onustos ferro suis dominis tradant, si tamen domini eorum per iurisiurandi attestationem promittant se eos tam sollicite custodire, ut ultra illis non liceat tale nefas committere. Quod si domini eorum nolint huiusmodi reos in fide sua suscipere, tunc ab eis a quibus coerciti sunt regiis conspectibus praesententur, ut principalis auctoritas liberam de talibus donandi potestatem obtineat: domini tamen eorum qui nuntiatos sibi talium servorum errores ulcisci distulerint et excommunicationis sententiam perferant et iura servi illius quem coercere nolunt, se amisisse cognoscant. Quod si ingenuorum personae his erroribus fuerint implicatae et perpetua excommunicationis sententia ferientur et arctiori exilio ulciscentur.

XII. Placuit huic venerando concilio, ut iuxta priorum canonum instituta episcopi singularum provinciarum annis singulis in quacumque provincia Kal. Novembr. concilium celebraturi conveniant. Quisquis autem in praedictis Kal. Novembr. pro celebratione synodi venire distulerit, excommunicationi debitae subiacebit.

XIII. Praemissis his omnibus synodalibus gestis quae honesto decretorum fine complevimus perpetuum his robur per manuum nostrarum subscriptionem annectimus, dantes in his gloriam et honorem immortali deo et domino nostro, quo inspirante et determinationis nostrae sententia viguit et probitas causarum honesto se fine complevit, cuius sanctae trinitatis poscimus inenarrabile nomen et gloriosam ineffabilis potentiae maiestatem, ut det amatori Christi serenissimo domino nostro atque amantissimo Ervigio principi, cuius iussu ad hunc meruimus advocari conventum, imperare clementer, regnare feliciter, habere de clementia fructum, obtinere de iustitia praemium, de pietate trophaeum, quo et hic invictus victor hostium semper appareat et post diuturna huius aevi curricula ad regnum aeternae vitae cum suis omnibus coronandus perveniat, praestante deo et salvatore Iesu Christo domino, qui cum deo patre et sancto spiritu unus in trinitate vivit et gloriatur deus in secula seculorum. Amen.

Consummatum est hoc sanctum concilium die octavo Kal. Februar. anno regni feliciter primo serenissimi atque clementissimi domini nostri Ervigii regis, aera DCCXIX.

Ego Iulianus indignus urbis regiae Toletanae sedis episcopus haec synodica instituta a nobis edita subscripsi. Iulianus dei gratia Hispalensis ecclesiae sedis episcopus haec synodica instituta a nobis edita subscripsi. Ego Liuva indignus Bracarensis sedis episcopus haec synodica instituta a nobis edita subscripsi. Ego Stephanus Emeritensis ecclesiae episcopus subscripsi. Asphalius Abilensis ecclesiae episcopus subscripsi. Leander Ilicitanae ecclesiae episcopus subscripsi. Palmacius Urcitanae ecclesiae episcopus subscripsi. Concordius Palentinae sedis episcopus subscripsi. Riccila Accitanae ecclesiae episcopus sub. Sempronius Arcavicensis episcopus sub. Memorius Segobricensis ecclesiae episcopus sub. Speraindeo Italicensis ecclesiae episcopus sub. Geta Iliplensis ecclesiae episcopus sub. Tructemundus Elborensis eccl. episcopus sub. Isidorus Setabiensis eccl. episcopus sub. Gaudentius Valeriensis eccl. episcopus sub. Deodatus Segobiensis eccl. episcopus sub. Genitivus Tudensis eccl. episcopus sub. Froaricus Portucalensis eccl. episcopus sub. Felix Iriensis ecclesiae episcopus sub. Antonius Bastitanae ecclesiae episcopus sub. Proculus Bigastrensis ecclesiae episcopus sub. Attila Cauriensis ecclesiae episcopus sub. Reparatus Besensis ecclesiae episcopus sub. Providentius Salamanticensis ecclesiae episcopus sub. Sisebado Tuccitanae ecclesiae episcopus sub. Argibado Eliberitanae ecclesiae episcopus sub. Ella Segontiensis ecclesiae episcopus sub. Severianus Oxomensis ecclesiae episcopus sub. Ioannes Pacensis ecclesiae episcopus sub. Theodulfus Astigitanae ecclesiae episcopus sub. [1] Samuel, Gundulfus, Euphrasius, Theoderacius, Balderedus abbas subscripserunt. Annibonius presbyter tenens vicem domini nostri Gildemeri ecclesiae Complutensis episcopi sub. Sesuldus haec instituta quibus interfui annuens sub. Recaredus similiter sub. Witiza similiter sub. Wimar similiter subscripsi. Teudila similiter subscripsi. Ostrulfus similiter sub. Salmarius similiter sub. Theudefredus similiter sub. Ildigisus similiter sub. Vitulus similiter sub. Egila similiter sub. Adelivus similiter sub. Ataulphus similiter subscripsi.

Quibus omnibus synodalibus gestis, decretis atque peractis et debitam reverentiam honoris impendimus et patulum auctoritatis nostrae vigorem his innectere procuramus. Ideoque praemissas has constitutiones synodicas a praesenti die vel tempore, id est ab octavo Kal. Februar. anno primo regni nostri nullus audeat contemnere, nullus etiam praeterire, nemo earumdem constitutionum audebit iura convellere, nullus temerator haec decreta subvertet, nemo illicitator vel contemptor vigorem his institutionibus subtrahet,

[1] *Subscriptiones a* Samuel *etc. sic breviores in codd. Ps.-Isid. quam in Hisp. exhibentur.*

sed generaliter per cunctas regni nostri provincias haec canonum instituta nostrae gloriae temporibus acta et auctoritatis debitae fastigio praepollebunt et irrevocabili iudiciorum exercitio prout constitutae sunt, in omnibus regni nostri provinciis celebres habebuntur. Si quis autem haec instituta contemnat, contemptorum se noverit damnari sententia, id est ut iuxta voluntatem nostrae gloriae et excommunicatus a coetu nostro resiliat et insuper decimam partem rei suae fisci partibus sociandam amittat: quod si nihil habuerit facultatis unde praedictam compositionem exsolvere possit, absque aliquo infamio sui quinquaginta eum oportebit ictibus verberari.

Edita lex in confirmatione concilii Toletani sub die octavo Kal. Februar. anno feliciter primo regni gloriae nostrae. In nomine domini, Flavius Ervigius rex hoc legis nostrae edictum in confirmatione huius concilii promulgatum subscripsi.[1]

IN NOMINE DOMINI INCIPIUNT GESTA SYNODALIA HABITA IN URBE TOLETANA SUB ERA DCCXXI ANNO REGNI DOMNI NOSTRI EXCELLENTISSIMI ERVIGII PRINCIPIS.[2]

Illibatae caritatis instinctu alternis visionum obtutibus redditi et in unum coetum fautore deo pariter aggregati in ecclesia videlicet sanctorum apostolorum Petri et Pauli, anno regni quarto serenissimi Ervigii principis sub die pridie Non. Novembr. era DCCXXI, quum unusquisque nostrum debitis locaretur in sedibus, adfuit idem princeps pleno fidei ardore subnixus et humilitatis gratia decoratus qui synodico coetui deliberationis suae vota commendans et ut pro se domino instantissime deprecarentur expostulans, hoc praesertim est alloquutus sufficienti exhortatione concilium, ut ecclesiasticae disciplinae quae congruunt et corrigendis moribus quae conveniunt tractus nostri evidentia sancirentur. Deinde religiosa vota suae clementiae, quibus subveniendum miseris definivit synodali conventui confirmanda commisit, offerens videlicet sacris pontificibus tomum, obsecrans pariter et obtestans, ut quidquid illic venustioris esset calami respersione congestum synodalis potentiae conderetur ordine titulorum. Tunc nos pro suscepto a principe tomo gloriam dedimus deo et eidem principi benediximus glorioso. Idem tamen princeps postquam votorum suorum insinuationem peregit, a conventu concilii gratiosus exivit. Tunc post praesentiae principalis abscessum hoc in tomi ipsius allegatione invenimus exaratum.

In nomine domini Flavius Ervigius rex sanctissimis patribus in hac sancta synodo residentibus. Ecce sanctissimi religiosa pietate excolendi pontifices et divini cultus instantissimi sectatores, coram coetus vestri reverentia humilis devotusque prosternor, reclinis assisto, promptus astipulor, primum de conventus vestri aggregatione patri luminum gratiarum copiam solvens, deinde votorum meorum studia vestris iudiciis dirimenda committens. Neque enim fas est quemquam, etiamsi bonum sit opus, sine consilio agere, quum tamen multum prosit bona cum consilio bonorum egisse. Unde ut brevi exhortatione perorem vota mea quibus remedia pietatum exercere delector, sensibus paternitatis vestrae agnoscenda insinuo, quae tamen ne oblitu quodam memoriam fugiant et relationi propriae curarum ea intercapedo subducat, in huius tomi complicatione accipite renotata. Illud primum volenti mihi miseris parcere convenit intimare, quod divulsam per tyrannidem nostri corporis partem in societatis nostrae gremio conamur reducere: etenim retroactis divae memoriae praecessoris nostri Wambae regis temporibus, quae in profanatoribus patriae, qui cum Paulo quodam tyrannidem assumpserunt, illata sit sententia ultionum, quo per iudicii universalis edictum amisso testimonio rebusque propriis caruerunt, cuncta haec vestrae sanctitudini nota sunt, quos tamen et in collegio societatis nostrae recipere et rebus quibus fas fuerit devovimus revestire; nam et de accusatis modum volumus ponere iustissimae inquisitionis, quod sive de religiosis sive de laicis quisque accusationis cuiusquam studio fuerit propulsatus non occultis fraudibus vel violentiis comprimatur, nec ad dandam professionem violenter arctetur, sed in communi omnium examine iudicetur, qui secundum publicae professionis suae tenorem aut offensibilis debitas damnationis poenas excipiat aut innocens ex iudicio omnium comprobatus clarescat. Nam quid iam de tributorum fiscalium exactionibus referam, quorum redhibitiones tantis debitorum cumulis increverunt, ut si exigi penitus iubeantur et status subruat funditus populorum et fragmine collisionis eorum ultimum terrae sentiat propriae prolapsionis excidium? Unde his et talibus privatis seu etiam fiscalibus servis remedia pietatis praeoptans nostra gloria affluenter impendere, omnes tributorum exactiones quae apud illos de retroactis temporibus reiacent, usque ad primum annum mansuetudinis nostrae, mansuetudo nostra illis omittendas laxavit et stylo propriae auctoritatis remittendas instituit quas etiam auctoritates sacrosancto coetui nostro relegendas elegit. Illud quoque adiiciens loquar, quod votis

[1] *Quae sequuntur in quibusdam codd. Hisp. collectionis:* decretum Gundemari regis, constitutio Carthaginensium sacerdotum, suggestio Sesuldi, suggestio Sunilani, suggestio Ermegildi *nullo in cod. Ps.-Isid. exhibentur.* [2] *Inscript. sec. Carnot.* 67[bis] *et Andeg.; Andeg. omitt.* in n. domini; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

nostris horribile et animis execrabile semper est, cum nobilitate conditio libertorum vel servorum etiam adaequata gentis nostrae statum degenerat: ob quam rem id nostrae gloriae animis placet, ut exceptis servis fiscalibus vel libertis abrasa deinceps huius malae praesumptionis licentia nullus ex servitute quorumlibet servus sit vel libertus ad palatina officia transeat. Quod si fecerit, illi serviturum procul dubio recludendum se noverit, ex quo aut conditionis propriae originem sumpsit aut libertatis titulum reportavit. His votorum meorum insinuationibus allegatis, quaeso, ut fortia paternitatis vestrae adiutoria prorogetis. Luce enim clarius constat, quod aggregatio sacrosancta pontificum quidquid censuerit observandum per sancti spiritus donum omni manet aeternitate praefixum. Et ideo universitatem paternitatis vestrae atque sublimium virorum nobilitatem, qui ex aulae regalis officio in hac sancta synodo vobiscum consessuri praeelecti sunt, obtestor pariter et coniuro atque per ineffabile illud sanctae trinitatis sacramentum convenio, ut quidquid in medio vestri se iudicandum vel retractandum invexerit, tam quae per nos dicta, quam etiam cetera quae vestris auditibus se ingesserint audienda, cum omni vigore iustitiae et temperamento misericordiae dirimere procuretis, quo cum omni reverentia patrum praecedentium regulis subdita totius unanimitatis vestrae sententia non aliunde quam ex veritatis fonte procedat, sicque et his quae praemissa sunt solidum deliberationis stylum promptissime apponatis et reliqua adhuc quae necessaria sunt in peragendis ecclesiasticae regulae disciplinis et dirimenda tractetis et dirempta religiosiori sub diligentia conscribatis, qualiter dum doctrinam respergitis salutarem in populis, Christum dominum in emolumento iustitiae capiatis; ut et vobis praedicantibus et nobis implentibus, quae divinis oculis complacent, sit utrisque partibus et in hoc seculo de lucro animarum ineffabile gaudium et in futuro de perventione aeternitatis praemium inconvulsum. Datum sub die pridie Non. Novembr. anno feliciter quarto regni gloriae nostrae in dei nomine, Toleto.

Perlecto igitur praeeuntis tomi necessario institutionum exorsu prius de fide sanctae trinitatis sermocinationis nostrae coepit esse principium, profitentes pariter et credentes ea quae de hac sancta trinitate et evangelia tradunt et apostolorum sanctiones instituunt, sicut Nicaena synodus hoc pietatis sacramentum exposuit, sicut Constantinopolitana definitio sanxit vel primi Ephesini coetus atque Chalcedonensis evidens doctrina constituit, iuxta quod etiam sacrosancti symboli elucubrata professio claret, quae in missarum solemnitatibus patula cunctorum acclamatur fidelium voce.

Symbolum Nicaeni concilii.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem etc.[1]

Post huius sanctae fidei dispositam structuram, quasi super solidissimam petram ceterorum negotiorum sequentium construximus fabricam, ut eo firmitate inconvulsibili durent, quo super fundamentum verae fidei fuerint constructa perenne. Unde et has in commune sententias quas principis hortatu construendas accepimus, communi voto edidimus, quas etiam aeterno reverentiae vigore observandas fore censemus.

[2]De reddito testimonio dignitatis eorum quos profanatio infidelitatis cum Paulo traxit in societatem tyrannidis.

Preconabile signum est, illis semper negotiis interesse que et pietate incipiunt et per pietatis viscera temperantur. Pietas enim, ut ait apostolus ad omnia utilis est, cuius virtutis admirabili dono multa proficiunt, et cetera.

INCIPIUNT GESTA SYNODI BRACARENSIS VII EPISCOPORUM REGNANTE DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO CURRENTE ERA DLIX. ANNO III. ARIAMIRI REGIS DIE KAL. MART.[3]

Quum Gallaeciae provinciae episcopi, id est Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, Ildericus, Lucetius, Timotheus, Maliosus ex praecepto praefati gloriosissimi Ariamiri regis in metropolitana eiusdem provinciae Bracarensis ecclesia convenissent, consedentibus simul episcopis, praesentibus quoque presbyteris adstantibusque ministris vel universo clero, Lucretius memoratae metropolitanae ecclesiae episcopus dixit: Diu est, sanctissimi fratres, quod secundum instituta venerabilium canonum et decreta catholicae et apostolicae disciplinae desiderabamus sacerdotalem inter nos fieri debere conventum, qui non solum ecclesiasticis regulis et ordinibus opportunus est, sed etiam stabilem semper efficit caritatis fraternae concordiam, dum congregati simul in nomine domini sacerdotes ea inter se salutifera collatione requirunt, quae secundum doctrinam apostolicam unitatem spiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur, quoniam optatum nobis huius

[1] *Symbolum integrum codd. Ps.-Isid. exhibent; cum iam supra prolatum sit, hic idem non repetii.* [2] *Quae sequuntur sec. cod. Carnot.* 67bis *et Andeg., cum quibus ceteri codd. A*1 *et codd. classis A/B conveniunt; codd. classis B et C omittentes titulum* De reddito — tyrannidis *habent:* Capitulum Toletani tertii decimi. Capitulum I. sic incipit, cetera desunt. Preconabile etc. — et cetera, *quibus in verbis concil. XIII. Tolet. omnibus in codd. Pseudo-Ps. desinit. Concilia Toletan. XIV—XVII. in collect. Hisp. exhib. nullo in cod. Ps.-Isid. inveniuntur.* [3] *Inscript. sec. codd. Carnot.* 67bis *et Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster adspirante sibi domino regali praecepto concessit et simul positi consedemus, prius si placet de institutis fidei catholicae perquiramus, tum deinde sanctorum patrum instituta recensitis canonibus innotescant, postremo quaedam etiam quae ad obsequium dei vel officium pertinent clericale diligentius pertractentur, ut si qua fortasse vel per ignorantiae desidiam vel per longi temporis incuriam aut varia inter nos habentur aut dubia, ad unam sicut decet rationis ac veritatis formulam revocentur. Omnes episcopi dixerunt: Prosequutio tuae beatitudinis iusta est, ea namque de causa convenimus ut aliqua nobis ecclesiasticae constructionis utilitas commodetur. Lucretius episcopus dixit: Prius ergo de statutis fidei, sicut superius dictum est, proferamus, nam licet iam olim Priscillianae haeresis contagio Hispaniarum provinciis detecta sit et damnata, ne quis tamen aut per ignorantiam aut aliquibus, ut assolet, scripturis deceptus apocryphis aliqua adhuc ipsius erroris pestilentia sit infectus, manifestius ignaris hominibus declaretur qui in ipsa extremitate mundi et in ultimis huius provinciae regionibus constituti aut exiguam aut pene nullam rectae eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem vestrae beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore quo in his regionibus nefandissima Priscillianae sectae venena serpebant, beatissimus papa urbis Romae Leo, qui quadragesimus fere extitit apostoli Petri successor per Turibium notarium sedis suae ad synodum Gallaeciae contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit. Cuius etiam praecepta Tarraconensis et Carthaginensis episcopi, Lusitani quoque et Baetici facto inter se concilio regulam fidei contra Priscillianam haeresem cum aliquibus capitulis conscribentes ad Balconium tunc huius Bracarensis ecclesiae praesulem direxerunt. Unde quia et ipsum praescriptae fidei exemplar cum suis capitulis prae manibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestrae placet reverentiae, recitetur. Omnes episcopi dixerunt: Valde necessaria horum capitulorum est lectio, ut dum simplicioribus quibusque pristina sanctorum patrum statuta panduntur, abominata iam olim a sede beatissimi Petri apostoli et damnatae Priscillianae haeresis figmenta cognoscantur. Lectum est exemplar fidei cum capitulis suis, quae ne prolixitatem facerent his gestis minime sunt inserta. Post lectionem capitulorum omnes episcopi dixerunt: Licet horum capitulorum lectio necessaria recensita sit, tamen evidentius et simplicius ea quae sunt execrabilia, ita praepositis etiam modo capitulis declarentur, ut et qui minus est eruditus intelligat et sic sub anathematis sententia explossa iam olim Priscilliani erroris figmenta damnentur; ut quisquis clericus vel monachus sive laicus tale aliquid sentire adhuc vel defendere fuerit deprehensus, tamquam vere putre membrum continuo de corpore abscidatur catholicae ecclesiae, ne aut societas eius maculam suae pravitatis recte credentibus ingerat aut amplius de permixtione talium aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

Proposita contra Priscillianam haeresem capitula et relecta continent haec:

I. Si quis patrem et filium et spiritum sanctum non confitetur tres personas unius esse substantiae et virtutis ac potestatis, sicut catholica et apostolica ecclesia docet, sed unam tantum ac solitariam dicit esse personam, ita ut ipse sit pater qui filius, ipse etiam sit paraclitus spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

II. Si quis extra sanctam trinitatem alia nescio quae divinitatis nomina introducit dicens, quod ipsa divinitas sit trinitas[1], sicut Gnostici et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

III. Si quis dicit filium dei dominum nostrum antequam ex virgine nasceretur non fuisse, sicut Paulus Samosatenus et Photinus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

IV. Si quis natalem Christi secundum carnem non vere honorat, sed honorare se simulat ieiunans in eodem die et in dominico, quia Christum in vera hominis natura natum esse non credidit, sicut Cerdon, Marcion, Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

V. Si quis animas humanas vel angelos ex dei credit substantia extitisse, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VI. Si quis animas humanas dicit prius in coelesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

VII. Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum angelum a deo factum nec dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum ex chao et tenebris emersisse nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium atque substantiam mali, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VIII. Si quis credit quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, et tonitrua et fulgura et tempestates et siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

IX. Si quis animas et corpora humana fatalibus signis credit adstringi, sicut pagani et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

X. Si quis duodecim signa de sideribus quae mathematici observare solent per singula animi vel corporis membra disposita credunt et nominibus patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dicit, anathema sit.

[1] ipsa divinitas sit trinitas *in codd. Carnot.* 67[bis], *Andeg. ceterisque Ps.-Is. pro:* in ipsa divinitate sit trinitas trinitatis, *quod est in Hisp.*

XI. Si quis coniugia humana damnat et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XII. Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIII. Si quis dicit creationem universae carnis non opificium dei, sed malignorum esse angelorum, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIV. Si quis immundos putat cibos carnium quos deus in usu hominum dedit et non propter afflictionem corporis sui, sed quasi immunditiam putans ita ab eis abstineat, ut nec olera cocta cum carnibus praegustet, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XV. Si quis clericorum vel monachorum praeter matrem aut germanam vel thiam vel quae proxima sibi consanguinitate iunguntur, alias aliquas quasi adoptivas faeminas secum retinent et cum ipsis cohabitant, sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit.

XVI. Si quis quinta feria paschali, quae vocatur coena domini, hora legitima post nonam ieiunus in ecclesia missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani festivitatem ipsius diei ab hora tertia per missas defunctorum soluto ieiunio colit, anathema sit.

XVII. Si quis scripturas, quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem vel tractatus Dictinii, quos ipse Dictinius antequam converteretur scripsit, vel quaecumque haereticorum scripta sub nomine patriarcharum, prophetarum et apostolorum suo errori consona confixerunt, legit et impia eorum figmenta sequitur aut defendit, anathema sit.

[1]Propositis his capitulis et relectis Lucretius episcopus dixit: Quoniam ea quae a catholicis abominanda sunt et damnanda manifestius et apertius etiam ignorantibus declarata sunt, necessarium post hoc arbitror si vestrae fraternitati videtur, ut instituta nobis sanctorum patrum recensitis antiquis canonibus innotescant, quae etsi non omnia certe vel pauca quaedam quae ad instructionem clericalis disciplinae pertinent, relegantur. Omnes episcopi dixerunt: Placet hoc dictum et congrua res est, ut quibus fortasse per incuriam abolita sunt ecclesiastica constituta, audiant sanctorum canonum regulam et observent. Relecti ex codice coram concilio tam generalium synodorum canones quam localium, post quorum lectionem Lucretius episcopus dixit: Ecce ex ipsa canonum lectione agnoscat sancta fraternitas vestra non solum in generalibus conciliis, sed etiam in localibus congregatos simul sacerdotes uno consensu ea quae ecclesiastico conveniebant ordini statuisse, et secundum quod uniuscuiusque rei exhibebat ratio prospexisse, sequentes sententiam doctrinae apostolicae dicentis: Probate quae bona sunt et tenete. Si ergo placet caritati vestrae, quia sunt aliqua ecclesiasticae institutionis obsequia, quae in huius praesertim extremitate provinciae non per contentionem, quod absit, sed magis, sicut praefati sumus, per incuriam aut per ignorantiam variantur, constituamus quaedam inter nos capitula, ut quae non uno modo tenentur a nobis ad unam omnino formulam revocentur. Omnes episcopi dixerunt: Necessarium et valde hoc utile arbitramur, ut ea quae apud unumquemque nostrum varia et inordinata consuetudine retinentur, unito inter nos dei gratiam et concordiam celebrentur officio, et idcirco si quid illud est magnum vel parvum quibus variari videmur, ad unam, sicut dictum est, formulam praefixis rationabiliter capitulis revocetur, praecipue quum et de certis quibusdam causis instructionem apud nos sedis apostolicae habeamus, quae ad interrogationem quondam venerandae memoriae praecessoris tui Profuturi ab ipsa beatissimi Petri cathedra directa est. Lucretius episcopus dixit: Recte vestra fraternitas pro auctoritate sedis apostolicae reminiscita est, quae licet eodem tempore innotuerit quo directa est, tamen pro firmitate testimonii et instructione multorum, si vestrae unanimitati complacet, quia prae manibus est, coram his omnibus legatur. Omnes episcopi dixerunt: Iustum est ut quia mentio ipsius auctoritatis est habita, quae sit eius doctrina a circumstantibus audiatur. Relecta est auctoritas sedis apostolicae ad quondam Profuturum directa episcopum, quae propter prolixitatem his gestis minime est inserta. Post cuius lectionem Lucretius episcopus dixit: Manifestius patet apostolicam nobis opitulari doctrinam; et ideo sicut fraternitas vestra praedixit, si quid per ignorantiam apud quosdam variat, ad uniformem concordiae regulam praescriptis inter nos capitulis adstringatur. Proposita sunt igitur capitula quae continent haec:

[2]I. Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur et non diverse ac private neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtae.

II. Item placuit, ut per solemnium dierum vigilias vel missas omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia legant.

III. Item placuit ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum sed uno modo

[1] *Codd. Ps.-Isid. classis B, C et ed. Merl. num. apponunt:* XVIII, *qui deest in codd. A* 1 *et A/B et in Hisp.* [2] *Tituli capitulis sequentibus in quibusdam codd. coll. Hisp. praepositi nullo in cod. Ps.-Isid. habentur. In codd. Ps.-Isid. classis B et C huic capitulo apponitur numerus:* XIX. *ceterisque capitulis continui numeri usque ad num.* XL. *adduntur. Numeri in textu exhibiti in coll. Hisp. et in codd. Ps.-Isid. classis A* 1 *et A/B inveniuntur.*

salutent dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur ut respondeatur a populo: Et cum spiritu tuo; sicut et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet Oriens, et non sicut Priscilliana pravitas permutavit.

IV. Item placuit ut eodem ordine missae celebrentur ab omnibus quem Profuturus quondam huius metropolitanae ecclesiae episcopus ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum.

V. Item placuit ut nullus eum baptizandi ordinem praetermittat, quem et antea tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia et pro amputanda aliquorum dubietate praedictus Profuturus episcopus scriptum sibi et directum a sede beatissimi apostoli Petri suscepit.

VI. Item placuit, ut conservato metropolitani episcopi primatu ceteri episcoporum secundum suae ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.

VII. Item placuit, ut ex rebus ecclesiasticis tres aequae fiant portiones, id est una episcopi, alia clericorum, tertia in recuperationem vel in luminaria ecclesiae: de qua parte sive archipresbyter sive archidiaconus illam administrans episcopo faciat rationem.

VIII. Item placuit, ut nullus episcopus clericum alterius ordinare praesumat, sicut et antiqui canones vetuerunt, nisi forte signata ipsius episcopi scripta susceperit.

IX. Item placuit, ut quia in aliquantis huius provinciae ecclesiis diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differri a subdiacono videantur, de cetero superposito scapulae, sicut decet, utantur orario.

X. Item placuit ut non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati.

XI. Item placuit ut lectores in ecclesia habitu seculari ordinati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.

XII. Item placuit, ut[1] veteris testamenti nihil poetice compositum in ecclesia psallatur, sicut et sancti praecipiunt canones.

XIII. Item placuit, ut intra sanctuarium ingredi ad communicandum non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut et in antiquis canonibus statutum est.

XIV. Item placuit, ut quicumque in clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda suspicione Priscillianae haeresis vel olera cocta cum carnibus tantum praegustare cogantur; quod si contempserint, secundum quod de his talibus sancti patres antiquitus statuerunt, necesse est eos pro suspicione haeresis huius officio excommunicatos omnibus modis removeri.

XV. Item placuit, ut qui pro haeresi aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare praesumat, sicut et antiqua canonum continent statuta; quae si quis spernit, voluntarie se ipsum alienae damnationi tradet.

XVI. Item placuit, ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum aut per venenum aut per praecipitium aut suspendium vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur, multi enim hoc sibi per ignorantiam usurparunt. Similiter et de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

XVII. Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo neque oblationis commemoratio neque psallendi impendatur officium, nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.

XVIII. Item placuit ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sanctorum sepeliantur, sed si necesse est de foris circa murum basilicae usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere!

XIX. Item placuit, ut si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere aut ecclesiam aut altarium consecrare, a suo officio deponatur, nam et antiqui hoc canones vetuerunt.

XX. Item placuit, ut ex laico ad gradum sacerdotii ante non veniat, nisi prius anno integro in officio lectorati vel diaconatus[2] disciplinam ecclesiasticam discat, et sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat; nam satis reprehensibile est, ut qui necdum didicit iam docere praesumat, dum et antiquis hoc patrum institutionibus interdictum sit.

XXI. Item placuit, ut si quid ex collatione fidelium aut per festivitatem martyrum aut per commemorationes defunctorum offertur, apud unum clericorum fideliter colligatur et constituto tempore aut semel aut bis in anno inter omnes clericos dividatur; nam non modica ex ipsa inaequalitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana quod oblatum fuerit sibi defendat.

XXII. Item placuit, ut quaecumque praecepta antiquorum canonum, quae modo in concilio recitata sunt, nullus audeat praeterire; si quis autem quasi contumax transgreditur illa, necesse est ut de suo degradetur officio.

Relectis capitulis Lucretius episcopus dixit: Quia opitulante nobis domino ea quae ad infirmitatem catholicae orthodoxae fidei vel quae ad officium ordinis ecclesiastici pertinebant unanimi, sicut oportebat, collatione decrevimus, restat nunc ut ex omnibus his

[1] *In Hisp., sed in nullo cod. Ps.-Isid. additur:* extra psalmos vel canonicarum scripturarum novi et. [2] *Sic codd. Ps.-Isid. pro:* subdiaconatus, *quod est in Hisp.*

quae per gratiam dei salubriter statuta sunt propriam unusquisque nostrum studeat docere atque informare dioecesim. Si quis autem ex nobis in parochiis suis post agnita huius concilii constituta aut clericum aut monachum sanae huic doctrinae resistentem invenerit aut in aliquo adhuc Priscillianae sectae errore latitare persenserit et non continuo illum excommunicatum et anathematizatum de ecclesia foris eiecerit, ita ut cum huiuscemodi homine nec cibum aliquis fidelium communicare praesumat, noverit se is qui talem recipit et fraternae esse excommunicationi obnoxium et divinae procul dubio sententiae reum. Omnes episcopi dixerunt: Quaecumque a nobis unito per dei gratiam communi consensu decreta sunt, pervigili necesse est sollicitudine observentur. Quae ut stabilitatem placitae constitutionis obtineant firmitatem, propria unusquisque his gestis manu subscribat. Et post episcoporum subscriptio subsecuta est. Lucretius episcopus subscripsi. Andreas episcopus subscripsi. Martinus episcopus subscripsi. Cottus episcopus subscripsi. Ildericus episcopus subscripsi. Lucetius episcopus subscripsi. Timotheus episcopus subscripsi. Maliosus episcopus subscripsi.

INCIPIT SYNODUS BRACARENSIS SECUNDA.[1]

Regente domino nostro Iesu Christo currente aera DCX, anno secundo regis Ariamiri, die decimo octavo Kalendarum Ianuariarum, quum Gallaeciae provinciae episcopi tam ex Bracarensi quam ex Lucensi synodo cum suis metropolitanis praeceptione praefati regis simul in metropolitana Bracarensi ecclesia convenissent, id est Martinus, Nitigis, Remisol, Andreas, Lucretius, Adoricus, Witimer, Sardinarius, Viator, Anila, Polemius, Mahiloc, consedentibus his simul episcopis atque universo clero praesente, Martinus Bracarensis ecclesiae episcopus dixit: Inspiratione hoc dei credimus provenisse, sanctissimi fratres, ut per ordinationem domini gloriosissimi filii nostri regis ex utroque concilio conveniremus in unum, ut non solum de visione alterutra gratulemur, sed etiam ea quae ad ordinationem et disciplinam ecclesiasticam pertinent, pariter colloquamur. Scriptum est enim in evangeliis dicente domino: Ubicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum. Nitigis Lucensis ecclesiae episcopus dixit: Nec aliud potest credi nisi ea quae ad utilitatem nostrarum pertinent animarum divina inspiratione et inchoari et perfici posse et ideo unanimes omnes atque idipsum in domino sentientes quaecumque ad instructionem nostram pertinent, in medium prolata desideramus agnoscere. Martinus episcopus dixit: Arbitramur vestram beatitudinem recordari quia quum primum in ecclesia Bracarensi episcoporum concilium congregatum est, post multa quae ad concordiam rectae fidei fuerant roborata, aliqua etiam quae regularum sanctorum canonum continent discretionem firmavimus, quorum utilitas ut possit evidentius in memoriam revocari, ipsa si vobis placet, epistola in vestra praesentia relegatur. Omnes episcopi dixerunt: Oportet omnibus modis ut in omnium auribus qui hic adstant recitetur.

Recitatis ergo capitulis quae ne prolixitatem facerent his gestis minime sunt inserta, Martinus episcopus dixit: Haec ergo quae modo sunt recitata, quae nobis tunc aut varia aut dubia aut inordinata sunt visa, auxiliante deo directa sunt et suam immobiliter obtineant firmitatem; quae autem tunc in memoriam non venerunt aut onerosum fuit in primo illo concilio multa simul ingerere, necessarium videtur, modo ad notitiam sanctae caritatis deferri, eo specialiter prospectu, ut speciali ventilata examine purgentur. Sancti enim patres ac praecessores nostri ad generales synodos undique collecti pro unitate rectae fidei fecerunt, sicut in Nicaea contra Arium trecenti decem et octo et in Constantinopoli contra Macedonium centum et quinquaginta et in Epheso contra Nestorium ducenti et in Chalcedone contra Eutichen sexcenti et triginta aut certe speciales synodos per suas unusquisque provincias pro resecandis contemptionibus vel emendandis aliquorum negligentiis collegerunt, et prout eventus culparum aut qualiscumque excessus exegit per singulas quasque definitas canonum sententias mediante inter eos dei spiritu conscripserunt, quas oportet nos legere et intelligere et tenere. Et quia opitulante Christi gratia de unitate et rectitudine fidei in hac provincia nihil est dubium, illud modo nobis specialius est agendum, ut si quid fortasse extra apostolicam disciplinam per ignorantiam aut per negligentiam reprehensibile invenitur in nobis, recurrentes ad testimonia sanctarum scripturarum vel antiquorum canonum instituta, adhibito communi consensu omnia quae displicuerint rationabili iuditio corrigamus: et primum, si placet, relectis beati Petri praeceptis quae pro regula sacerdotum in sua epistola evidenter scripsit, quidquid non eodem tenore sicut princeps apostolorum edocuit, agi videtur a nobis sine ulla cunctatione ad emendationem deducere festinemus, ne fortasse dum aliis praedicamus ipsi reprobi effecti divino illo condemnemur eloquio dicente: Tu vero odisti disciplinam, et proiecisti sermones meos post te. Omnes episcopi dixerunt: Cupimus memoratam apostoli Petri epistolam ad locum ubi sacerdotes docet audire. Tunc allato libro haec ex eadem epistola recitata sunt: Seniores obsecro consenior, pascite qui est in vobis gregem dei, providentes non coacte sed spontanee secun-

[1] *Inscript. sec. codd. Carnot.* 67[bis] *et Andeg.; text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.*

dum deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, ut quum apparuerit princeps pastorum recipiatis immarcescibilem gloriae coronam. His relectis omnes episcopi dixerunt: Cognitis his quae ex epistola beati Petri apostoli recitata sunt, desideramus auxiliante dei gratia divinis obedire praeceptis et apostolicae epistolae quae nobis recitata est in his omnibus formulam imitari, ne forte in aliquibus inordinate ambulantes divino, quod absit, iudicio condemnemur, sed ut sanctorum patrum vestigia subsequentes in ipsorum requiem mereamur esse participes et immarcescibilem illam gloriae coronam, quae repromissa est, cum ipsis accipere mereamur. Ob hoc ergo tuam simul omnes deposcimus caritatem, ut has omnes causas singulis capitulis breviter comprehensas, qualiter corrigi debeant, his gestis subter annectas. Quae quum studiosius relecta et in notitiam omnium nostrorum evidentius fuerint perducta, propria unusquisque manu pro eorum emendatione et confirmatione subscribat, ut non solum nobis, sed etiam successoribus nostris haec ad perfectionem episcopalis officii decreta proficiant[1].

I. Placuit omnibus episcopis atque convenit, ut per singulas ecclesias episcopi per dioeceses ambulantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum et quaecumque officia quomodo peragantur et si recte quidem invenerint, deo gratias, sin autem minime, docere debeant ignaros, et hoc modis omnibus praecipere ut sicut antiqui canones iubent, ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant, in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum quod est: Credo in deum patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Postquam ergo haec suos clericos discusserint vel docuerint episcopi, alia die convocata plebe ipsius ecclesiae doceant illos, ut errores fugiant idolorum vel diversa crimina, id est homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium et reliqua peccata mortifera aut quod nolunt sibi fieri, alteri non faciant, et ut credant resurrectionem omnium hominum et diem iudicii in qua unusquisque secundum sua opera recepturus est: et sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

II. Placuit ut nullus episcoporum quum per suas dioeceses ambulant praeter honorem cathedrae suae, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat; sed illa tertia pars pro luminariis ecclesiae vel recuperatione servetur, ut singulis annis episcopo inde ratio fiat: nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen et sacra tecta abstulit ecclesiae. Similiter et ut parochiales clerici servili more in aliquibus operibus episcopi non cogantur, quia scriptum est: Neque vi dominantes in clero.

III. Placuit ut de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla accipiant, sed ut scriptum est, quod gratis donante deo accipiunt, gratis dent, et non aliquo pretio gratia dei et impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: Anathema danti et accipienti. Propterea quia aliquanti multis sceleribus obruti sancto altario indigne ministrantes non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione numerum obtinent, oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

IV. Placuit ut modicum balsami quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur: ne forte quod pro salute animarum per invocationem sancti spiritus consecratur, sicut Simon magus donum dei pecunia emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.

V. Placuit ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopo invitantur, non quasi ex debito munus aliquod e fundatore requirant, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Si vero aut paupertas illum aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantum unusquisque episcoporum meminerit, ut non prius dedicet ecclesiam aut basilicam, nisi antea dotem basilicae et obsequium ipsius per donationem chartulae confirmatum accipiat: nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis vel sine sustentatione eorum qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata, ita consecretur ecclesia.

VI. Placuit ut si quis basilicam non pro devotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis aedificat, ut quidquid ibidem oblatione populi colligitur medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua ipse condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri. Hoc ergo de cetero observari debet, ut nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, ut basilicam quae non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

VII. Placuit ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc praecipiat, ut hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis. Si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerre, nullum illis pignus violenter tollatur a clericis: nam multi pauperes hoc timentes filios suos a baptismo retrahunt, qui si forte dum differunt sine gratia baptismi de hac vita recesserint, necesse est ut ab illis eorum

[1] *Tituli capitulorum in Hisp. exhibiti desunt in codd. Ps.-Isid.*

perditio requiratur, quorum expolia pertimescentes a baptismi se gratia retraxerunt.

VIII. Placuit ut si quis aliquem clericorum in accusatione fornicationis impetit, secundum praeceptum Pauli apostoli duo vel tria testimonia requirantur ab illo: quod si non potuerit datis testimoniis approbare quae dixit, excommunicationem accusati accusator excipiat.

IX. Placuit ut postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnismodis observetur ut superventurum ipsius anni pascha quoto Kalendarum die vel quota luna debet suscipi, a metropolitano episcopo nuntietur: quod ceteri episcopi vel reliquus clerus breviculo subnotantes, unusquisque in sua ecclesia adveniente natalis domini die, adstanti populo post lectionem evangelicam nuntiet, ut introitum quadragesimae nullus ignoret; in cuius principio convenientes in unum vicinae ecclesiae per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent litanias; tertio autem die celebratis hora nona sive decima missis, dimisso populo praecipiant quadragesimae observare ieiunia et mediante quadragesima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.

X. Placuit ut quia per stultitiam praesumpti nuper erroris aut certe ex veteris Priscillianae adhuc haeresis foetore corruptos cognovimus quosdam presbyteros in huius praesumptionis audacia retineri, ut in missa mortuorum etiam post acceptum merum oblationem ausi sunt consecrare, ideo hoc praefixae evidentis sententiae admonitione servetur, ut si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit reprehensus, id est ut nec ieiunus, sed quocumque iam cibo praesumpto oblationem consecraverit in altari, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur episcopo.

His ita gestis placuit omnibus pro confirmanda horum observantia propria unumquemque manu subscribere eo placitorum facto, ut si quis eorum capitulorum terminum transgressus ad inordinatas consuetudines reverti voluerit, totius concilii increpatione correctus severissimam sibi de sui ordinis inclinatione noverit imminere sententiam. Martinus Bracarensis metropolitanae ecclesiae episcopos his gestis subscripsi. Remisol Besensis ecclesiae episcopus his gestis subscripsi. Lucetius Conimbrensis ecclesiae episcopus his gestis subscripsi. Adoricus Egestanae ecclesiae episcopus his gestis sub. Sardinarius Lamicensis ecclesiae episcopus his gestis sub. Viator Magnetensis ecclesiae episcopus his gestis sub. — Ex synodo Lucensi. Nitigis Lucensis metropolitanae ecclesiae episcopus his gestis sub. Andreas Iriensis ecclesiae episcopus his gestis sub. Witimer Auriensis ecclesiae episcopus his gestis sub. Polimius Asturicensis ecclesiae episcopus his gestis sub. Anila Tudensis ecclesiae episcopus his gestis sub. Mahiloc Britonensis ecclesiae episcopus his gestis subscripsi.

CAPITULA EX ORIENTALIUM PATRUM SYNODIS A MARTINO EPISCOPO ORDINATA ATQUE COLLECTA.[1]

Domino beatissimo atque apostolicae sedis honore suscipiendo in Christo fratri Nitigi episcopo vel universo concilio Lucensis ecclesiae episcopus Martinus salutem: Sancti canones qui in partibus Orientis ab antiquis patribus constituti sunt, Graeco prius sermone conscripti sunt, postea autem succedenti tempore in Latinam linguam translati sunt. Et quia difficile est, ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram simulque et illud accidit, ut in tantis temporibus scriptores aut non intelligentes aut dormitantes multa praetermittant, et propterea in ipsis canonibus aliqua apud simpliciores videantur obscura: ideo visum est ut cum omni diligentia et ea quae per translatores obscurius dicta sunt et ea quae per scriptores sunt immutata, simplicius et emendatius restaurem, id primum observans, ut illa quae ad episcopos vel universum pertinent clerum una parte conscripta sint, similiter et quae ad laicos pertinent simul sint adunata, ut de quo capitulo aliquis scire voluerit, possit celerius invenire.

[2]Incipiunt canones ex Orientalium antiquorum patrum synodis a venerabili Martino episcopo vel ab omni Bracarensi synodo excerpti vel emendati ubi clericorum et laicorum seorsum sententias restauravit, ut quod translatores a Greco in Latinum obscurius dixerunt vel scriptorum ignavia[3] depravaverat aut immutaverat, simplicius et emendatius omnia uno hoc contineantur in loco, ut de quo capitulo quid scire voluerit, possit celerius invenire.

[1] *Inscript. sec. Carnot.* 67bis *et Andeg.; text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.* [2] *Sec. codd. Carnot.* 67bis *et Andeg., cum quibus codices A* 1 *et A/B conveniunt. In coll. Hisp. haec epistolae Martini:* „domino beatissimo" *etc. praemittuntur. Desunt in codd. Ps.-Isid. class. B et C et in ed. Merl.*
[3] *Sic Carnot. et Hisp.; Andegav.:* ignorantia.

IV. De primatu metropolitani.
V. De eo qui per ambitionem de inferiori civitate ad maiorem transiens vult agere clericatum.
VI. De non mutanda parochia.
VII. De praesumptione alienae dioecesis.
VIII. De non constituendo episcopo successore.
IX. De irruptione vacantis ecclesiae.
X. De episcopo per necessitatem vacante.
XI. De contemptore episcopo.
XII. De seditioso episcopo.
XIII. De dissensione iudicii.
XIV. De praesumptione episcopi in rebus ecclesiae.
XV. De rebus ecclesiasticis gubernandis.
XVI. De rebus ecclesiae dispensandis.
XVII. De his qui ex vasis ministerii ecclesiae aliquid vendiderint.
XVIII. De synodo facienda.
XIX. De episcopo qui noluerit venire ad synodum.
XX. De legitima aetate ordinandi presbyteri.
XXI. De eunuchis qui ab aliis fiunt vel qui ipsi sibi naturalia abscindunt.
XXII. De neophytis.
XXIII. De poenitente non admittendo ad clerum.
XXIV. De his qui sine discussione aut presbyteri aut diacones ordinati sunt.
XXV. De presbyteris vel diaconibus qui post ordinationem denotantur.
XXVI. De his qui viduas aut dimissas ducunt aut in malis consiliis mixti sunt.
XXVII. De fornicatoribus clericis.
XXVIII. De his quorum uxores moechantur.
XXIX. De viduis clericorum.
XXX. De filia episcopi vel presbyteri sive diaconi.
XXXI. De devota peccante vel quae se maritaverit.
XXXII. De subintroductis adoptivis mulieribus.
XXXIII. De non recipiendis clericis vagis et infirmanda ordinatione eius qui sine consensu episcopi sui ab alio episcopo ordinatus est.
XXXIV. De clericis desertoribus.
XXXV. De importunis clericis.
XXXVI. De purganda opinione haeresis.
XXXVII. De clericis excommunicatis.
XXXVIII. De presbyteris ut in secundas nuptias non vadant.
XXXIX. De his qui ad diaconatum eliguntur.
XL. Non liceat diaconum non iussum sedere.
XLI. Non licet quemlibet ministeria tangere.
XLII. Ut mulieres in sacrarium non intrent.
XLIII. Ne lector alterius viduam duxerit.
XLIV. Si subdiaconus secundam duxerit uxorem.
XLV. Ut non ascendat in pulpitum lector.
XLVI. De conditionalibus non ordinandis, nisi cum consensu patronorum.
XLVII. De non suscipiendis servis alienis in clero.
XLVIII. De non celebrandis natalitiis martyrum in quadragesima.
XLIX. Non suscipi debere infantes ad baptismum nisi ante tres septimanas paschae.
L. De non solvendo ieiunio quinta feria paschae.
LI. De chrismate conficiendo.
LII. Non liceat presbytero episcopo praesente chrismare.
LIII. Non licet presbytero ante episcopum in baptisterium introire.
LIV. De praegnantibus baptizandis.
LV. Quid in altari offerri oporteat.
LVI. De presbyteris forasticis.
LVII. De non ieiunando in die dominico neque genuflectendo, similiter et in quinquagesima.
LVIII. De non praegustandis carnibus et non execrandis.
LIX. Non liceat sacerdotibus vel clericis spectaculis interesse.
LX. De eo quod non liceat sacerdotibus vel clericis incantaturas vel ligaturas facere[1].
LXI. Non liceat convivia facere de confertis.
LXII. De usuris vel negotiorum lucris.
LXIII. De clericis qui ad matutinum vel vespertinum non veniunt.
LXIV. Non liceat clericos dominica ab ecclesia absentari.
LXV. Non liceat clericos ante horam tertiam prandere nec ad mensam accedere vel recedere sine hymno.
LXVI. De attondenda coma clericorum vel habitu ordinato.
LXVII. Non liceat psalmos poeticos in ecclesia dicere nec libros apocryphos legere.
LXVIII. Non liceat super monumenta mortuorum missas tenere.
LXIX. Non liceat christianis prandia in monumenta portare.
LXX. Non liceat clericis vel laicis catholicis ab haereticis eulogias accipere aut cum ipsis vel schismaticis orare.
LXXI. Non liceat christianis observationes diversas attendere.
LXXII. Non liceat christianis tenere traditiones gentilium, observare lunae aut stellarum cursum[2].
LXXIII. Non liceat calendas observare.
LXXIV. Non liceat medicinales herbas cum aliqua observatione colligere.
LXXV. Non liceat mulieres christianas in lanificiis aliquid observare.
LXXVI. De adulteris.

[1] *Hoc ordine tituli c. LIX. et c. LX. omnibus in codd. Ps.-Isid. ponuntur, in Hisp. tit. c. LX. praemittitur titulo c. LIX.* [2] *In ed. Merl. tit. et capit. LXXII. in duo dividuntur, quod nullo in codice Ps.-Isid. neque in Hisp. fit. Cod. Paris. Corps législatif quidem LXXXV. capitula ut ed. Merl. exhibet, sed cap. LVII. in duo dissecuit, non cap. LXXIII.*

I. Non licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium provocantur, sed iudicium sit episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est, probent, si in sermone et fide et in spirituali vita edoctus est.

II. Episcopum oportet maxime quidem ab omni concilio constitui, sed si hoc aut pro necessitate aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur et omnium praesentium vel absentium subscriptiones teneantur et sic postea ordinatio fiat. Huius autem rei potestas in omni provincia ad metropolitanum pertineat.

III. Non debet ordinari episcopus absque consilio et praesentia metropolitani episcopi. Adesse autem oportet omnes qui sunt in provincia sacerdotes quos per suam debet epistolam convocare: et si quidem omnes occurrerint, melius; si autem hoc difficile fuerit, pluriores oportet occurrere: qui autem non convenerint praesentiam sui per suas epistolas faciant et sic omnium facto consensu ordinationem episcopi fieri oportet. Si autem aliter praeter quod a nobis terminatum est fuerit factum, talem ordinationem nihil praevalere decernimus. Si autem secundum canones ordinatio episcopi fuerit facta et aliquis contra suam malitiam in aliquo contradixerit, plurimorum consensus obtineat.

IV. Per singulas provincias oportet episcopum cognoscere primatum metropolitani episcopi et ipsum curam suscipere; nihil autem agere reliquos episcopos praeter eum secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone, propter quod metropolitanus episcopus nihil sibi praesumptive assumat absque consilio ceterorum.

V. Si quis in parte alicuius fuerit ambitor inventus sive episcopus sive presbyter vel diaconus, de inferiori civitate non transeat ad maiorem; quod si quis contra haec magni concilii constituta importunus extiterit, omnimodo evacuetur huiusmodi factum et suae iterum restauretur ecclesiae cuius episcopus aut presbyter aut diaconus prius fuerat constitutus.

VI. Episcopum a propria parochia non liceat transire in aliam neque sua sponte introire neque invitatus neque ab episcopo coactus, sed permaneat in loco, in quo a deo est ordinatus, et in ea quam sortivit ecclesia secundum antiquorum canonum constitutum.

VII. Si quis episcopus non per scripta metropolitani episcopi aut qui cum eo sunt, rogatus de alia provincia in aliam venerit, sed praesumptive irruens ad ordinationem et constitutionem clericorum, qui ad illum non pertinent importunus existat, vacua sint et inania omnia quae ab eo fuerint constituta: ipse autem digna increpatione excommunicetur et abominetur a sancto concilio.

VIII. Episcopum non liceat ante finem vitae alium in loco suo constituere successorem: si quis autem hoc usurpare tentaverit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet nisi cum consilio et iudicatu episcoporum qui post exitum praecessoris potestatem habent ordinare quem dignum elegerint.

IX. Si quis episcopus vacans in ecclesiam non habentem episcopum subripiens populos sine concilio integri ordinis irruerit, etiamsi populus quem seduxit desideret illum, alienum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem et perfectum concilium dicimus illud in quo praesens metropolitanus episcopus fuerit.

X. Si quis episcopus ordinatus pro contentione populi aut pro aliqua alia ratione et non pro sua culpa in parochiam quae ei fuerit data non ierit, hunc oportet honorem sacerdotii tantummodo contingere et de rebus ecclesiae in qua convenit nihil sibi praesumat: sustineat autem quid de eo sanctum concilium iudicare voluerit.

XI. Si quis episcopus ab episcopo ordinatus noluerit agere sacerdotium neque consenserit in sibi commissa ecclesia ambulare, istum talem excommunicare oportet; quod si coactus contempserit, sanctum concilium quod placet de eodem determinet.

XII. Si quis episcopus ordinatus fuerit et non vult ipsam parochiam suscipere in qua nominatus est, sed alibi vult ordinari et vim facit et seditiones concitat contra eos qui illum ordinaverunt, hunc ab honore oportet removeri. Si autem in pristino honore presbyterii vult stare, non vetetur ut gradum quem habuit retineat; quod si reluctatus fuerit, etiam de honore presbyterii ab ordinatore proprio deponatur.

XIII. Si quis episcopus in aliquibus causationibus iudicatur et viderit ipsos episcopos qui in provincia sunt inter se iudicio discrepare, ut alii videantur eum qui iudicatur iustificare aliique condemnare pro definitione huius dissensionis hoc placuit sancto concilio, ut de vicina provincia alter metropolitanus episcopus convocetur, ut per eum confirmetur quod secundum rectum placuerit canonem.

XIV. Si quis episcopus nulla ecclesiasticae rationis necessitate compulsus inscio clero aut ubi forte non est presbyter de rebus ecclesiasticis aliquid praesumpserit vendere, res ipsas ecclesiae propriae cuius sunt restaurare cogatur et in iudicio episcoporum deiiciatur auditus et tamquam furti aut latrocinii reus a suo privetur honore.

XV. Quae sunt ecclesiae debent ecclesiae conservari cum omni diligentia et bona conscientia et fide dei qui omnia videt et iudicat. Gubernari ergo oportet cum iudicio et potestate episcopi, cui etiam omnis populus et congregatio commissa est animarum. Manifesta autem esse debent quae ad ecclesiam pertinent in conscientia eorum, qui circa episcopos sunt et presbyteres et diacones, ut hi omnes sciant quae sunt ecclesiae propria, ut si episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his quae ad ecclesiam pertinent, ut nullomodo possint minui et perire. Neque res propriae episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesiae pati. Dignum et re vera et iustum est apud deum et homines, ut ea quae episcopi propria sunt, cui voluerit derelinquat et neque ecclesiam perpati damnum neque episcopum pro rebus ecclesiae condemnari aut post eius obitum in causas quae ad eum non pertinent aut in maledictum incedere.

XVI. Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiae, ut dispenset necessitatem habentibus, cum omni reverentia et timore dei participare eum oportet quae necessaria sunt: si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquo, necessitatem nullomodo patiantur secundum sanctum apostolum dicentem: Victu et tegumento his contenti sumus. Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas voluntates usurpare voluerit et lucra ecclesiae vel fructus agrorum non cum presbyterorum vel diaconorum consilio intaminaverit aut fratribus vel filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter res laedantur ecclesiae, hunc oportet obnoxium esse concilio. Similiter id si episcopus vel qui cum eo sunt presbyteri aut diacones accusentur, qui ea quae ex reditu vel ex quolibet actu veniunt ecclesiae in suos sinus colligunt et pauperes fraudant et fame conficiunt, hos corripi oportet secundum quod ordinatum fuerit a sancto concilio.

XVII. Si quis presbyter aut diaconus inventus fuerit aliquid de ministeriis ecclesiae venundasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non habere; in iudicio tamen episcopi dimittendum est, sive dignus sit sive indignus in suo recipi gradu, quia multoties pro hoc ipso quod de sacrosancto altario intaminaverint id cum episcopi potestate dimissum est.

XVIII. Propter ecclesiasticas curas et altercationum solutiones bene placuit per singulas provincias his in anno concilium fieri, vocante metropolitano episcopo omnes provinciales episcopos, ita ut in his conciliis procedant omnes presbyteri, diacones vel hi qui in concilio eorum causae examinatae ad iustum iudicium perducantur, ut si qui manifeste episcopi vel presbyteri aut diacones inventi fuerint in offensa secundum rationem excommunicentur, quamdiu communi consensu mitiorem de his placuit dari sententiam. Nulli autem episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere praeter eos quibus sunt metropoles creditae.

XIX. Non liceat ad concilium convocatos episcopos continere, sed ire, et ea quae ad utilitatem ecclesiae vel ceterorum pertinent aut docere si novit, aut doceri si nescit, nam si extra aegritudinem contempserit ire, reus erit fraterni concilii.

XX. Si quis triginta aetatis suae non impleverit annos nullo modo presbyter ordinetur, et si valde sit dignus, quia ipse dominus tricesimo anno baptizatus est et sic coepit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est usque ad hanc aetatem legitimam conservari.

XXI. Si quis pro casu suae aegritudinis naturalia a medicis habuit secta, similiter et qui a barbaris aut hominibus stultis fuerint castrati et moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis et abstinentiae, sed per abscisionem plasmati a deo corporis, aestimans posse a se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si iam ante fuerat promotus ad clericum, prohibitus a suo ministerio deponatur.

XXII. Neophytus qui nuper baptizatus fuerit iam aetate legitima, non continuo liceat eum ad ecclesiasticum ordinem promoveri, quia oportet illum prius doceri quod possit docere et multo tempore post baptismum probari, ut bene probatus veniat ad clerum secundum praeceptum apostoli dicentis: Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli. Si autem succedenti tempore in aliquo peccato gravi a duobus vel tribus fuerit devictus, depositus de gradu suo cesset a clero. Si quis contra hanc regulam facere praesumpserit, quasi contrarius magni concilii proiiciatur a clero.

XXIII. Poenitens tantum si necessitas aut usus exegerit inter ostiarios prius deputetur vel inter lectores, ita ut evangelia vel apostolum non legat. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant aut sacra non contingant. Ex poenitente enim dicimus de eo qui post baptismum pro homicidio aut pro diversis criminibus aut gravissimis peccatis publicam poenitentiam sub cilicio gerens divino fuerit reconciliatus altario.

XXIV. Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt aut certe, quum discuterentur criminosa peccata sua[1], aut post ordinationem ab aliis sunt detecti, abiiciantur a clero. Similiter et de universo ordine cleri servetur, nam hoc sibi quod irreprehensibile est sancta et catholica defendet ecclesia.

XXV. Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit et post ordinationem confessus fuerit quia ante erravit, non offerat, sed tamen pro religione nomen presbyteri portet; si autem non ipse confessus, sed ab alio publice fuerit convictus, non ad hoc ipsum habeat potestatem, ut nomen presbyteri portet. Similiter et de diaconibus observandum est, ut si ipse confessus fuerit ordinem subdiaconatus accipiat.

XXVI. Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clerum; aut si obrepsit deiiciatur. Similiter si homicidii aut facto aut praecepto aut consilio aut assensione post baptismum conscius fuerit et per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, deiiciatur et in fine vitae suae communionem recipiat.

XXVII. Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut moechatus, proiiciatur et agat poenitentiam.

XXVIII. Si laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicuius clerici uxor adultera fuerit, dimittat eam; si autem cum ipsa voluerit permanere, a ministerio alienus sit.

XXIX. Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea convivium sumat; numquam communicet; morienti tantum ei sacramentum subveniat.

XXX. Si devota fuerit et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communione habeantur alieni: pater vero causas in concilio se noverit praestaturum; mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit poenitentiam; sin autem vivente eo secesserit et egerit poenitentiam et petierit communionem, in ultimo vitae deficiens accipiat communionem.

XXXI. Devotam peccantem non recipiendam in ecclesia, nisi peccare desierit et desinens egerit aptam poenitentiam decem annis et recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium christianae mulieris accedat; quod si admissa fuerit, etiam haec quae eam receperit habeatur abtenta; corruptorem etiam par poena constringat. Quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam, nisi adhuc vivente ipso marito caste vixerit aut postquam ipse de hac vita decesserit.

XXXII. Nullus episcopus neque presbyter neque diaconus neque omnino aliquis ex clero licentiam habeat intromittendi ad se quasi adoptivam aliquam mulierem, quasi in loco filiae aut sororis aut matris, nisi forte sororem veram ex germanitate aut sororem patris aut matris et illas solas personas quae ab omni mala suspicione alienae sunt. Similiter et religiosis faeminis laicorum alienorum familiaritatem et consortium prohibemus et eorum qui nec in dei timore subiecti sunt nec retinent continentiae disciplinam.

XXXIII. Si quis in contemptu positus presbyter aut diaconus vel quicumque ex clero recesserit ab ecclesia sua, nullo modo in alia suscipiatur ecclesia, sed omnimodo compellatur ut ad suam revertatur ecclesiam. Si autem permanserit in superbia et reverti noluerit, excommunicetur et proiiciatur. Si quis autem episcopus ausus fuerit illum in suam ecclesiam ordinare, non consentiente episcopo suo a quo recessit, ordinatio eius vacua deputetur.

XXXIV. Si quis presbyter aut diaconus aut aliquis de clero propriam ecclesiam derelinquens ad alteram ecclesiam vadit et ibi multo tempore demoratur, omnino numquam ministret in clero; et si admonuerit eum episcopus suus, ut ad suam redeat parochiam et redire noluerit ubi est, de suo officio deponatur, ita ut numquam in suum revertatur gradum propter dissolutionis peccatum. Si autem episcopus alter illum receperit qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum episcopum sine increpatione in communi concilio non admitti, ut ecclesiasticum canonem ultra non solvat.

XXXV. Si quis episcopus, presbyter aut diaconus excommunicatus in concilio iniuste se queritur condemnatum, ad maiorem episcoporum concilium revertatur et eorum inquisitionem et iudicium expectans, si quas se causas iustas habere putat, exponat. Si autem contempserit et importunans se palatio aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit pervenire neque spem futurae reconciliationis habebit.

XXXVI. Si quis episcopus sive alicuius episcopi presbyter aut diaconus in alicuius haeresis opinionem offenderit et ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi concilio porrecto fidei suae libello satisfaciat omnibus, et ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem et de fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam haeresis opinionem fuerint nominati.

XXXVII. Si quis episcopus in concilio ex-

[1] *Verba:* cum discuterentur criminosa peccata sua *sec. codd. Carnot.* 67bis *et Andeg.*, *cum quibus codd. A1 et A/B conspirant. Hisp. et cod. Paris.* 3853 (*classis B*) *et Montepess.* (*classis C*): cum discuterentur criminosa sua peccata celaverunt. *Cod. Par.* (*Corps législatif class. C*) *et ed. Merl.:* cum discuterentur confessi sunt criminosa peccata sua. *Ceteri codd. class. B et C ut text.*

communicatus fuerit sive presbyter sive diaconus et post excommunicationem praesumpserit, sive episcopus ille aut presbyter vel diaconus facere oblationem vel matutinum aut vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio concilio spem reconciliationis habere, nec ultra recolligi; sed etiam eos qui ei communicaverint, omnes ab ecclesia respui, maxime eos qui sciebant eum esse deiectum. Si autem permanserit turbans et concitans ecclesiam, per forasticam potestatem oportet eum sicut seditionarium ab omni plebe expelli.

XXXVIII. Presbyterem ad secundas nuptias convivam ire non oportet pro eo quod hi qui ad secundas nuptias veniunt, poenitentiam postulent. Quomodo potest presbyter ille esse qui propter convivium interest tali coniugio?

XXXIX. Si quis ad ministerium diaconatus eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit et ordinatus fuerit et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio et vacet a clero.

XL. Non liceat diaconum ante presbyterem sedere, nisi cum iussione presbyteri.

XLI. Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolytho in secretario tangere vasa domini.

XLII. Non liceat mulieres in secretarium ingredi.

XLIII. Lector, si viduam alterius in uxorem acceperit, in lectoratu permaneat aut, si forte necessitas sit, subdiaconus fiat, nihil autem supra. Similiter et si bigamus fuerit.

XLIV. Si subdiaconus secundam duxerit uxorem, inter lectores vel ostiarios habeatur, ita ut apostolum non legat.

XLV. Non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui a presbytero lectores sunt ordinati.

XLVI. Si quis obligatus tributo servili vel aliqua conditione patrocinio cuiuslibet domus, non est ordinandus clericus, nisi probatae vitae fuerit et patroni concessus accesserit.

XLVII. Si quis servum alienum causa religionis doceat contemnere dominum suum et recedere a servitio eius, durissime in omnibus arguatur.

XLVIII. Non liceat in quadragesima natales martyrum celebrare, sed tantum sabbato et dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri, sed nec natalitia nec nuptias liceat in quadragesima celebrari.

XLIX. Non liceat ante duas septimanas paschae, sed ante tres, ad baptismum suscipere aliquem. Oportet autem in ipsis diebus ut hi, qui baptizandi sunt, symbolum discant et quinta feria novissimae septimanae episcopo vel presbytero reddant.

L. Non liceat quinta feria novissimae septimanae ieiunium solvere et omnem exhonorare quadragesimam, sed sincere abstinentes totam quadragesimam perexire aridioribus cibis utentes.

LI. Omni tempore episcopis liceat chrisma conficere et per suas dioeceses destinare, ita ut ad dirigendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem paschae de singulis ecclesiis ad episcopum destinentur.

LII. Presbyter praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi praeceptum.

LIII. Non liceat presbytero prius ab episcopo in baptisterium introire, sed cum episcopo, nisi forte aut absens fuerit aut aegrotus.

LIV. Si qua mulier praegnans desideraverit gratiam baptismi percipere, quando voluerit habeat potestatem. Nam nihil in hoc participat mater infanti qui nascitur, propter quod unicuique propria posse voluntas in confessione monstretur.

LV. Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri praeter panem et vinum et aquam, quae in typo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore eius sanguis effluxit et aqua. Haec tria unum sunt in Christo Iesu, haec hostia et oblatio dei in odorem suavitatis.

LVI. Forasticis presbyteris praesente episcopo vel presbytero civitatis offerre non liceat neque ministrare in populo, nisi forte illis absentibus.

LVII. Si quis presbyter propter publicam poenitentiam a sacerdote acceptam aut aliqua necessitate die dominica pro quadam religione ieiunaverit, sicut Manichaei, anathema sit. Similiter et quod ab apostolis traditum canon tenet antiquus, placuit tam per omnes dominicas quam per omnes dies paschae usque ad quinquagesimam non prostrati neque humiliati, sed erecto vultu ad dominum orationum fungamur officio, quia in his diebus gaudium resurrectionis domini celebramus.

LVIII. Si quis non pro abstinentiae disciplina sed pro execratione ab esca carnium se abstinet, placuit sancto concilio, ut praegustet et, si sic vult, abstineat; si autem spernit, ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste non obediens nec suspicionem haeresis a se removens deponatur de ordine clericatus.

[1]LIX. Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel in conviviis spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula surgere et recedere inde.

LX. Non liceat clericis incantatores esse et ligaturas facere, quod est colligatio animarum; si quis haec facit, de ecclesia proiiciatur.

LXI. Non liceat sacerdotes vel clericos, sed

[1] *Cf. quae supra ad tit. capit. LX. adnotavi.*

nec religiosos laicos convivia facere de confertis.

LXII. Si quis oblitus timorem domini et sanctam scripturam quae dicit: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, post hanc cognitionem sancti concilii foeneraverit et centesimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpia lucra quaesierit aut per diversas species vini vel frugis vel cuiuslibet rei emendo vel vendendo aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo alienus habeatur a clero.

LXIII. Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiae deputatus, si intra civitatem fuerit aut in quolibet loco in quo ecclesia est et ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

LXIV. Non liceat quemlibet clericum die dominica ab ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse et ieiunio.

LXV. Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos nisi hymno dicto edere panem et post cibos gratias auctori deo referre.

LXVI. Non oportet clericos comam nutrire et sic ministrare, sed attonso capite patientibus auribus et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato.

LXVII. Non oportet psalmos compositos et vulgares in ecclesia dicere neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris testamenti.

LXVIII. Non oportet clericos ignaros et praesumptores super monumenta in campo ministeria portare aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia aut in basilica ubi martyrum reliquiae sunt depositae, ibi pro defunctis oblationem offerre.

LXIX. Non liceat christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre et sacrificia reddere mortuorum deo.

LXX. Non liceat clericis vel laicis catholicis ab haereticis eulogias accipere, quia maledictiones sunt magis quam benedictiones, neque liceat aut cum haereticis aut schismaticis orare.

LXXI. Si quis paganorum consuetudinem sequens divinos et sortilegos in domo sua introduxerit, quasi ut malum foras mittant aut maleficia inveniant vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis poenitentiam agat.

LXXII. Non liceat christianis tenere traditiones gentilium et observare vel colere elèmenta aut lunae aut stellarum cursum aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda vel ad segetes vel arbores plantandas vel coniugia socianda, scriptum est enim: Omnia quae facitis, aut in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes deo.

LXXIII. Non liceat iniquas observationes agere Kalendarum et otiis vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis haec observatio paganismi est.

LXXIV. Non liceat in collectione herbarum, quae medicinales sunt, aliquas observationes aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione dominica, ut tantum deus creator omnium et dominus honoretur.

LXXV. Non liceat mulieribus christianis aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed dominum invocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

LXXVI. Si cuius uxor adulterium fecerit aut vir in alienam uxorem irruerit, septem annis poenitentiam agat.

LXXVII. Si qua mulier fornicaverit et infantem qui exinde fuerit natus occiderit et quae studuerit abortum facere et quod conceptum est necare aut certe ut non concipiat elaborat sive ex adulterio sive ex legitimo coniugio, has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreverunt, nos tamen pro misericordia sive tales mulieres sive conscias scelerum ipsarum decem annis agere poenitentiam iudicamus.

LXXVIII. Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesiae catholicae semper subiaceat, et communionem in exitu vitae suae recipiat; si autem non voluntate, sed casu aliquod homicidium fecerit, prior canon septem annis agi poenitentiam iussit, secundus canon quinque annis mandavit.

LXXIX. Si qua mulier duos fratres aut si quis vir duas sorores habuerit, a communione abstineantur usque ad mortem, in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si vero supervixerint, communione accepta et de infirmitate convaluerint, agant poenitentiam plenam tempore constituto.

LXXX. Si quis multis nuptiis fuerit copulatus, poenitentiam agat, conversio autem et fides poenitentis compendiat tempus.

LXXXI. Si quis ante viginti annos in cuiuslibet animalis commixtione peccaverit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesiae ianuam et post hos alios quinque annos tantum communione receptus poenitentiam agat et sic gratiam sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo qualem vitam in poenitentia egerit, et sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato irruerit, viginti et quinque annis humilitati subiaceat et quinque annis orationibus tantum communicans, postea recipiat sacramentum. Quod si et hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur, oportet enim tales inter daemoniosos orare.

LXXXII. Si quis de corpore exiens novissi-

mum et necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus, post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum orationis particeps sit: nam non accipiat sacramentum, donec constitutum poenitentiae impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt et desiderant accipere sacramentum, cum consideratione et probatione episcopi accipere debeant.

LXXXIII. Si quis intra ecclesiam dei et sacras scripturas fabulando non audit, et pro luxuria sua avertit se a communione sacramenti et in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinae, istum talem proiiciendum de ecclesia catholica esse decernimus, donec poenitentiam agat et ostendat fructum poenitentiae suae, ut possit communione percepta indulgentiam promereri.

LXXXIV. Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire neque orare cum eis; neque liceat in alia ecclesia suscipi qui ab alia ecclesia segregatur. Si autem aliquis episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicaverit, quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam excommunicetur.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT CONCILIUM BRACARENSE QUOD FACTUM EST SUB ANNO IV. GLORIOSI DOMNI NOSTRI WAMBANI REGIS ERA DCXIII.[1]

Decenter satis per divinum spiritum in Bracarensi urbe collecti et de his quae intra dei ecclesiam perversa actione geruntur tractaturi convenimus, ut adiuvante nos illo qui dixit: Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ero in medio eorum, pari animo parique devotionis studio exurgentes, male habitos extirpemus errores. Etenim dum nos in unum synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati primum de sanctae fidei sacramento caepimus habere sermonem, scilicet, ne aut vanitate disputantium aut nescientia simplicium erroris quidpiam in hoc sacrosancto sacramento fidei teneretur. Unde quum omnes nos in vera fide uti speculum perlustraremus illaesos in eo quia nullum nostrorum schismatici erroris foedaverat turbo, sed vera nos et simplex in hoc sacramento apostolica ostendit idoneos praedicatio, grates omnipotenti peregimus deo, quam tamen nostrae fidei regulam ipsis verbis atque sententiis commemorando reteximus, quibus eam in conventu Nicaeni concilii declaratam esse scimus.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem: et in unum dominum Iesum Christum filium dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra, qui propter nos et propter nostram salutem descendit et incarnatus est de spiritu sancto et Maria virgine homo factus, passus sub Pontio Pilato, sepultus tertia die resurrexit, ascendit in coelos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus in gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Credimus et in spiritum sanctum dominum et vivificatorem, ex patre et filio procedentem, cum patre et filio adorandum et glorificandum, qui loquutus est per prophetas: in unam catholicam atque apostolicam ecclesiam: confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri seculi. Amen.

Post huius sanctae fidei sacramentum relatus est in cognitionem omnium nostrorum error manifestus pariter et diversus, qui tanta debet disciplinae arte retundi, quanta et perversitate comprobatur admitti. Quidam enim in sacrificiis domini relati sunt lac pro vino, pro vino botrum offerre, eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam et quod peius his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis domini epulas sibi apponunt et manducare in eis praesumunt; quidam etiam e sacerdotibus relati sunt, quod ecclesiasticae consuetudinis ordine praetermisso missam sine orariis audeant dicere et quod in solemnibus martyrum reliquias suo collo imponant et in sellulis non ab aliis se portandos, nisi ab albatis diaconibus credant. Illud quoque quod plerique sacerdotum absque testimonio cum faeminis commorentur et quod quidam illorum honoratos fratres suos verberibus indiscretis subiiciunt, necnon et illud, quod quidam Simonis cupiditate arrepti, quos ordinaturi sunt sub cautione dimittant qualiter postquam ordinati fuerint, pecuniam ab illis promissam accipiant. Illud quoque quod familiam ecclesiae in propriis laboribus quassant damnum rebus dominicis facientes. Quae omnia, ne confuse viderentur esse prolata, discretis titulorum ordinibus credimus subnectenda.

I. Ut repulsis omnibus opinionibus superstitionum panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offeratur.

II. Ne vasa domino sacrata humanis usibus serviant.

III. Ne sacerdos sine orario missam audeat celebrare.

IV. Ne sacerdotes sive quicumque ex clero sine testimonio cum quibuslibet faeminis habitent.

[1] *Inscript. sec. codd. Carnot.* 67bis *et Andeg.; Andeg. omitt.* in n. domini; *text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.*

I. Quum omne crimen atque peccatum oblatis deo sacrificiis deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam non expressum vinum in sacramento dominici calicis offerre, sed oblatis uvis populis communicare. Quod quam sit evangelicae atque apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Quum enim magister veritatis verum salutis nostrae sacrificium suis commendaret discipulis, non illum lac, sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento benedixisse cognoscimus. Ait enim evangelica veritas: Accepit Iesus panem et calicem et benedicens dedit discipulis suis. Cesset ergo lac in sacrificando offerri, quia manifestum et evidens exemplum evangelicae veritatis illuxit, quod praeter panem et vinum aliud offerre non sinit. Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis nec hoc prolatum ex evangelio testimonium recipit, ubi apostolis corpus suum et sanguinem commendavit, seorsum enim panis et seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum praebuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quae sacramenti huius institutionem signaret. Nam quod de inexpresso botro, id est uvarum granis, populus communicatur, valde est omnino confusum. Calix enim dominicus, iuxta quod quidam doctor edisserit, vino et aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et iungitur, quae copulatio et coniunctio aquae et vini sic miscetur in calice domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrum solum offertur, in quo vini tantum efficientia demonstratur, salutis nostrae sacramentum negligitur quod per aquam significatur. Non enim potest calix domini esse aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque misceatur, et ideo quia iam ex hoc plurima et multiplex maiorum emanavit sententia, quorum pietas in deum religiosa horum sacramentorum et efficientias copiose disseruit et institutiones verissime declaravit, omnis talis error atque praesumptio cessare iam de cetero debet, ne perversorum inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum erit aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi iuxta antiquorum sententias conciliorum panem tantum et calicem vino et aqua permixtum. De cetero aliter quam praeceptum est faciens tandiu a sacrificando cessabit, quandiu legitima poenitentiae satisfactione correptus, ad gradus sui officii redeat quem amisit.

II. Omni cura omnique studio providendum est, ne hi qui locum videntur obtinere regiminis contumeliam videantur inferre coelestibus sacramentis. Etenim quod et auditui terribile et visui execrabile iudicatur, relatum nobis est quod quidam sacerdotum sacrilega temeritate praecipites vasa domini in proprios usus assumant epulasque sibi in eis comestari apponant. Quod malum et obstupentes deflemus et deflentes obstupescimus, ut illic humana temeritas sibi epulum praeparet, ubi sanctum spiritum cognoscitur advocasse et ibi esum carnium crapulatus assumat, ubi divina visus est celebrasse mysteria et in quibus tantae rei sacramentum pro expiatione delictorum percepit, in his expleat voluntatem ludibrii sui. Et ideo huius de cetero praesumptionis persona quae sciendo divina vasa vel ministeria aut in usus suos transtulerit aut comedere in his vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui vel officii periculum sustinebit: ita tamen, ut si de secularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur; si vero religiosus ab officio deponatur. Sub hac quoque damnationis sententia et illi obnoxii tenebuntur qui ecclesiastica ornamenta, vela vel quaelibet alia indumenta atque etiam utensilia sciendo in suos usus transtulerint vel aliis vendenda vel danda crediderint.

III. Quum antiqua et ecclesiastica noverimus institutione praefixum, ut omnis sacerdos quum ordinatur, orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui imperturbatus praecipitur consistere inter prospera et adversa virtutum semper ornamento utrobique circumseptus appareat, qua ratione tempore sacrificii non assumat quod se in sacramento accepisse non dubitat. Proinde modis omnibus convenit, ut quod quisque

percepit in consecratione honoris, hoc retentet in oblatione vel perceptione suae salutis, scilicet ut quum sacerdos ad solemnia missarum accedit aut per se deo sacrificium oblaturus aut sacramentum corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi sumpturus non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suae dignoscitur consecratus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et utrumque humerum premens signum in suo pectore praeferat crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitae subiacebit.

IV. Quamquam antiqua canonum institutio de huiusmodi praesumptione absolutas et multiplices disciplinas atque institutiones ediderit, nos tamen brevitatis causa omnem fornicandi occasionem cupientes auferre id omnimoda sancimus auctoritate tenendum, ut nullus sacerdotum sive quisquis ille de clero absque honesto et competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet faeminis secrete se praesumat adiungere, non solum cum extraneis mulieribus, sed nec ipsis etiam sororibus vel propinquis, ne licentia sororum vel propinquarum mulierum quisquis ille solutus familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. Huius ergo praeceptionis transgressor sex mensibus se noverit poenitentiae legibus subiacere.

V. Bona siquidem res est divina sacerdotibus contrectare mysteria, sed cavendum valde est, ne hoc quisque ad usum pravitatis suae intorqueat, unde soli deo de bono conscientiae placere debuerat. Scriptum est enim: Vae his qui faciunt opus domini fraudulenter et desidiose. Ut enim quorumdam episcoporum detestanda praesumptio nostro se coetui intulit dirimenda, agnovimus quosdam episcopos quod in solemnitatibus martyrum ad ecclesiam progressuri reliquias collo suo imponant et ut maioris fastus apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint reliquiarum arca, levitae albis induti in sellulis eos deportant. Quae detestanda praesumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola praevaleat, si modum suum uniuscuiusque ordinis reverentia non agnoscat, et ideo antiqua in hac parte et solemnis consuetudo servetur, ut in festis quibusque diebus arcam domini cum reliquiis non episcopi, sed levitae in humeris gestent, quibus et in veteri lege onus id et impositum novimus et praeceptum. Quod si etiam episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse a diaconibus in sellula vectabitur, sed potius pedisequa eo una cum populis progressione procedente ad conventicula sanctarum ecclesiarum sanctae dei reliquiae per eumdem episcopum portabuntur. Iam vero qui haec instituta sciendo adimplere distulerit, quandiu in hoc vitio fuerit a sacrificando cessabit.

VI. Quum beatus apostolus arguere, obsecrare vel increpare in omni patientia praecipiat et doctrina, novimus quosdam ex fratribus tantis caedibus in honoratos subditos effervescere, quantas poterant latrocinantium promereri personae. Et ideo qui gradus iam ecclesiasticos meruerunt, id est presbyteres, abbates sive levitae, excepto gravioribus et mortalibus culpis, nullis debent verberibus subiacere; non enim est dignum ut passim unusquisque praelatus honorabilia membra sua, prout voluerit et quum placuerit, verberibus subiiciat et doloribus ne dum incaute subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat, iuxta illud quod quidam sapiens dixit: Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitate autem nimiae increpationis nec increpationem recipit nec salutem. Et ideo si quis aliter quam dictum est praedictos honorabiles subditos licentia perceptae potestatis elatus malitia tantum crediderit verberandos, iuxta modum verberum quem intulerit, excommunicationis pariter et exilii sententiam sustinebit.

VII. Quia non expedit, ut donum sancti spiritus pecuniis comparetur, quamquam ex hoc antiquorum canonum disciplinae et multiplices maneant et diversae, tamen quia necesse est ut frequentius retundatur quod sine intermissione praesumitur, ideo novellae huius institutionis formulam instituentes decernimus, quicumque pro conferendo cuiquam sacerdotii gradu aut munus quodcumque aut promissionem muneris antequam ordinetur acceperit vel etiam postquam ordinatus fuerit in aliquo se pro hoc ipso praesumpserit munerari, sive ille qui dederit, sive qui acceperit, iuxta sententiam Chalcedonensis concilii gradus sui periculum sustinebit.

VIII. Non decet rectores ecclesiae in suis strenuos et in ecclesiasticis rebus esse remissos. Nam quorumdam fertur opinio quod quidam sacerdotum familias ecclesiae in suis propriis laboribus quassent, rei propriae profectum augentes, dominicis vero dispendium nutrientes. Unde quicumque sub hoc neglectu res divinas laborare distulerit speciali placito distringendus est, qualiter si de rebus seu augmentis ecclesiae quaestum vel labores rei proprie auxit et ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit aut minorationem vel perditionem induxit: quidquid in rebus ecclesiae minorationis exhibuit, totum de rebus propriis ecclesiae illi restituat ex cuius rebus atque suffragiis suos convictus fuerit ampliasse labores. Quod si aliquid pro utilitatibus ecclesiae aut substantiae expendit aut dispendii vel perditionis quidpiam pertulit, si hoc comprobare potuerit, totum illi a rebus eiusdem ecclesiae reformabitur, pro cuius utilitatibus id expendisse probatur. Gratias itaque omnipotenti peragimus deo: post haec sit pax, salus et diuturnitas

piissimo et amatori Christi domino nostro Wambani regi, cuius devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit, divinam postulantes clementiam, ut gloria Christi regnum eius corroboret usque ad ultimam senectutem, praestante ipso, qui cum patre et spiritu sancto unus vivit et gloriatur in trinitate deus in secula seculorum. Leodegisus in Christi nomine episcopus cognomento Iulianus has constitutiones secundum quod nobis cum sanctis coepiscopis meis qui mecum subscripserunt, deo inspirante complacuit, relegi et subscripsi. Genitivus ecclesiae Tudensis episcopus his constitutionibus interfui et subscripsi. Froaricus Portucalensis ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et sub. Isidorus Asturicensis ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et subscripsi. Bela Britaniensis ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et sub. Hilarius Auresinae ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et sub. Rectogenes Lucensis ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et subscripsi. Ildulfos qui cognominor Felix, Iriensis ecclesiae episcopus his constitutionibus interfui et subscripsi.

Explicit concilium Bracarense tertium.

[CONCILIUM HISPALENSE PRIMUM.] INCIPIUNT TITULI.[1]

I. De concilio Spalensi ad Pegasium episcopum missa.
II. De mancipiis ecclesiae ab episcopo manumissis.
III. De mancipiis ecclesiae ab episcopo proximis suis collatis.
IV. De clericis cum quibus mulieres cohabitant[2].

Domino sancto et reverenter a nobis honorando carissimo fratri Pegasio episcopo Leander, Ioannes, Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus, Sinticius et Petrus episcopi qui in una urbe Hispalensi adfuimus, sanctitatem tuam caritatis studio salutantes precamur dominum qui nos de salute tua vel visione laetificare dignetur.

I. Interea consedentibus nobis in ecclesia Hispalensi sancta Ierusalem brevem mancipiorum ecclesiae quos libertasse visus fuerat decessor tuus sanctae recordationis Gaudentius episcopus, vestri nobis diacones obtulerunt et non solum quae libertaverat ibidem relegimus, sed etiam quos proximis suis de familiis ecclesiae donaverat in eodem brevi recensuimus annotatos. Qua de re canonum constituta consuluimus, si talis libertas aut transactio potuisset esse stabilis. Comperimus autem in canone, ut episcopus qui res proprias excepto filiis et nepotibus alteris et non ecclesiae dimiserit, quidquid de ecclesiae rebus aut donavit aut vendidit aut quoquo modo ab ecclesia transtulerit, irritum haberetur. Et ideo si res praecessoris tui Gaudentii episcopi ecclesia vestra non possidet, liberi qui ab eo facti sunt, non sunt legitime absoluti liberti. Ceterum si res illius in compensationem ecclesiae vestrae deserviunt, illi prorsus maneant liberi; nam si, ut dictum est, praestitum de suis rebus non fecit, ecclesiae damnum utique inferre non debuit. Propterea ergo de uno consensu omnes significamus, magis humanius quam severius cogitantes, ut hi quos constat tali conditione fuisse liberatos in iure ecclesiae maneant ut idonei et peculium suum non aliis personis, sed tantum filiis suis derelinquant: ipsis quoque filiis et nepotibus cum peculio ipsorum quasi idoneis in iure ecclesiae permanentibus in extraneam eis non liceat personam quidpiam transmutare. Sed si quis eorum sine haerede discesserit, peculium eorum sanctae proficiat ecclesiae.

II. Ea vero mancipia quae memoratus episcopus de iure ecclesiae sublata suis proximis contulit, si similia de proprio suo ecclesiae ipsius non compensavit, ecclesia vestra absque aliqua oppositione recipiat. Hanc formam non solum vestra, hoc est Astigitana servabit ecclesia, sed et si qui per omnem Baeticam provinciam tali conditione vel sorte de iure ecclesiae commearunt pari sententiae subiacebunt. Durum est enim atque irreligiosum, ut episcopus qui ecclesiasticis stipendiis vivit et proprietatem suam lucris ecclesiae minime confert, aliorum oblationes a iure ecclesiastico privet.

III. Inter cetera vero cognoscite a nobis hoc definitum pro abolendis maculis clericorum, quia quidam episcoporum non observantes nuper edictum concilii Toletani decretum minus solliciti in subiectis existunt, proinde placuit ut si presbyteres, diacones vel clerici consortia extranearum faeminarum vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem a se minus removerint, in secundis[3] iudices easdem mulieres cum voluntate et permissu episcopi comprehensas in suis lucris usurpent, ut vitium hoc, dum sacerdos inhibere non praevalet, potestas iudicialis coerceat, dato tamen a iudicibus sacramento episcopis, ut eas clericis nulla arte restituant; quod si restituerint, ipsi iudices sententia excommunicationis feriantur. Mulieres

[1] *Codd. Carnot.* (*bis*) *et Andeg. inscriptionem omittentes tantum ponunt:* incipiunt tituli. *Ottobon.:* Epistola episcoporum. Tituli incipiunt eiusdem concilii. [2] *Sic tituli exhibentur in codd. cit. et codd. classis A*1; *text. des. ex ed. cit. coll. Hisp.* [3] *Sic codd. cit. ceterique classis A*1, *A/B, B excepto Par.* 3858; *ed. Merl., Par.* 3853, *cod. Vatic.* 1340, *Paris.* (*Corps législatif*): saeculi iudices *pro:* in secundis iudices. *Montepessulani:* in saeculis iudices.

vero illae iuxta priores canones a sacerdote distractae, pretium earum indigentibus dispensetur. Quae statuta manu nostra subscripsimus. Data ad sanctitatem vestram die pridie Non. Novembr. anno quinto regni gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis, era DCXXVIII.

Leander ecclesiae sanctae Hispalensis episcopus hanc constitutionem firmavi et subscripsi. Ioannes ecclesiae Egabrensis episcopus hanc constitutionem firmavi et sub. Agapius ecclesiae Cordubensis episcopus hanc constitutionem firmavi et sub. Stephanus ecclesiae Eliberitanae episcopus hanc constitutionem firmavi et sub. Basilius ecclesiae Eliplensis episcopus hanc constitutionem firmavi et subscripsi. Velatus ecclesiae Tuccitanensis episcopus hanc constitutionem firmavi et subscripsi. Sinticius ecclesiae Italicensis episcopus hanc constitutionem firmavi et subscripsi. Petrus ecclesiae Accitanae episcopus hanc constitutionem firmavi et subscripsi.

INCIPIT SYNODUS HABITA IN CIVITATE SPALENSI SUB DIE IDUUM NOVEMBRIUM ANNO REGNANTE GLORIOSISSIMO PRINCIPE SISEBUT ERA DCLVIII. INCIPIUNT TITULI EIUSDEM CONCILII.[1]

I. De Teudulfi Malacitanae ecclesiae episcopi querimoniis adversus reliquos episcopos pro quibusdam parochiis.
II. De querimoniis Fulgentii et Honorii episcoporum pro quibusdam parochiis.
III. De desertoribus clericis, ut episcopis suis restituantur.
IV. De bigamis ad presbyterium vel diaconatum non promovendis.
V. Ne presbyter diaconum aut presbyterem ordinare praesumat.
VI. De presbyteris vel diaconibus ab uno episcopo non deponendis.
VII. De his quae prohibentur corepiscopis, presbyteris in ecclesiasticis sacramentis agere[2].
VIII. De superbis ecclesiae libertis, ut ad servitium revocentur.
IX. De oeconomis, ne ex laicis constituantur.
X. De monasteriis non convellendis.
XI. De monasteriis virginum, ut a monachis tueantur.
XII. De quodam Acephalorum episcopo.
XIII. De duabus in Christo naturis et una persona.

In nomine domini salvatoris nostri Iesu Christi Isidorus, Bisinnus, Rufinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Teudulfus et Honorius episcopi, qui pariter in urbe Hispalensi pro aliquibus ecclesiasticis negotiis coadunati sumus. Consedentibus igitur nobis in secretario sacrosanctae Ierusalem Hispalensis ecclesiae cum illustribus viris Sisisclo rectore rerum publicarum atque Suanilane actore rerum fiscalium stante religiosissimo clericorum.

I. Prima actione Teudulfi Malacitanae ecclesiae antistitis ad nos oblata precatio est asserentis antiquam eiusdem urbis parochiam militaris quondam hostilitatis discrimine fuisse descissam et ex parte aliqua ab ecclesiis Astrigitanae, Eliberitanae atque Egabrensis urbium esse retentam. Pro qua re placuit, ut omnis parochia quae ab antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse ecclesiam suam comprobaret, eius privilegio restitueretur. Sicut enim per legem mundialem his quos barbarica feritas captiva necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio, non aliter et ecclesia receptura parochiam, quam ante retinuit cum rebus suis, sive ab aliis ecclesiis possideantur, sive in cuiuslibet possessionem transfusa sunt, non erit obiicienda praescriptio temporis, ubi necessitas interest hostilitatis.

II. Secundo examine inter memoratos fratres nostros Fulgentium, Astigitanum et Honorium Cordubensem episcopos discussio agitata est propter parochiam basilicae, quam horum alter Celticensem, alter Reginensem asseruit, et quia inter utrasque partes hactenus limitis actio vindicata est, cuius quamvis vetusta retentio nullum iuris praeiudicium afferret, ideoque ne in dubium ultra inter eos nostra devocaretur sententia, prolatis canonibus synodalia decreta perlecta sunt, quorum auctoritas praemonet ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos usurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inspectionis viros mittendos, ita ut si in dioecesis possidentis sitam basilicam veteribus signis limes praefixus monstraverit, ecclesiae cuius est iusta retentio, sit aeternum dominium: quod si et limes legitimus eamdem basilicam non concludet, sed tam longi temporis probatur obiecta praescriptio, appellatio repetentis episcopi non valebit, quia illi tricennalis obiectio silentium imponit. Hoc enim et secularium principum edicta praecipiunt et praesulum Romanorum decrevit auctoritas; sin vero infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos basilicae iniusta retentio reperitur, repetentis episcopi iuri sine mora restituetur.

III. Tertia definitione ad nos oblata precatio est a reverentissimo fratre nostro Cambrane Italicensi episcopo pro quodam clerico

[1] *Inscript. sec. codd. Carnot. 67bis et Andeg.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [2] *Sic titulus in codd. Pseudo-Isidorianis conceptus exhibetur; in Hisp. omittitur:* corepiscopis.

Spassando, qui deserens ecclesiae suae cultum in qua dicatus ab infantiae exordiis fuerat ad ecclesiam Cordubensem se contulit; quem elegimus ut si nihil proponeretur de eo citra dilatationis obiecta proprio reformaretur episcopo. Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse quisque iam coepit ibi perduret. Non aliter et de clericis qui in agro ecclesiae operantur, canonum decreto praecipitur, nisi ut ibi permaneant ubi coeperunt. Ideoque placuit, ut si quis clericus ministeriis ecclesiae propriae destitutis ad aliam transitum fecerit, compellente ad quem fuerit sacerdote, ad ecclesiam quam prius incoluerat remittatur. Qui vero eum susceperit nec statim sine ullo nisu exceptionis ad propriam ecclesiam remittendum elegerit, quamdiu eum restituat communione se privatum agnoscat. Desertorem autem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore monasterio deligari convenit, sicque postea in ministerium ecclesiastici ordinis revocari. Nam non poterit in talibus pervagationibus aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correptionem disciplinae subsequuta censura.

IV. Quarta actione nuntiatum est nobis apud Astigitanam ecclesiam quasdam nuper ordinationes illicitas extitisse, ita ut quidam viduarum mariti levitarum ministerio sacrarentur: quos quidem convenit a gradu suscepto in irritum devocari, nec ultra provehi ad diaconii ministerium qui contra divina atque ecclesiastica iura instituti reperiuntur.

V. Quinto iudicio ad cognitionem nostram Aniani Egabrensis diaconi relatu deductum est de quibusdam ipsius ecclesiae clericis, quorum dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum oculorum detentus dolore fertur manum suam super eos tantum posuisse et presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse, qui licet propter tantam praesumptionis audaciam poterat accusatus iudicio praesenti damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione praeventus; sed quia iam ille examini divino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt et ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiae potius eloquium perceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus ut gradu sacerdotalis vel levitici ordinis quem perverse adepti sunt, depositi aequo iudicio abutantur. Tales enim merito iudicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti.

VI. Sexta actione comperimus Fragitanum Cordubensis ecclesiae presbyterem a pontifice suo iniuste olim deiectum et innocentem exilio condemnatum, quem rursus ordini suo restituentes id denuo adversus praesumptionem nostram decrevimus, ut iuxta priscorum patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine concilii examine deiiciendum quemlibet presbyterem vel diaconum audeat. Nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica non auctoritate canonica damnant, et sicut nonnullos gratiae favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant et ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Episcopus enim presbyteris ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Si enim hi qui in seculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis nexum non revolvuntur, nisi publice apud praetores tribunali foro fuerint accusati, quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur! Qui pro peccato nec ab uno damnari nec uno iudicante poterunt honoris sui privilegiis exui, sed praesentati synodali iudicio quod canon de illis praeceperit definiri.

[1] VII. Septimo examine relatum est nobis venerandissimum quondam Agabium Cordubensis urbis episcopum frequenter (chorepiscopos) vel) presbiteros destinasse, (qui tamen iuxta canones unum sunt, qui absente pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent, quod quidem non est mirum id praecepisse virum ecclesiasticis disciplinis ignarum et statim a seculari militia in sacerdotale ministerium delegatum; ergo ne ultra talis a nobis licentia usurpetur, communi sententia[2] statuendum oportuit, scientes quia sicut presbitero vel chorepiscopo inlicita consecratio est altaris, ita est constitutio. In divinis enim litteris praecipiente domino solus Moyses in tabernaculis domino erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus sacerdos dei erat, sicut scriptum est de eo: Moyses et Aaron in sacerdotibus eius. Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum iussum est, quorum typum Moyses et Aaron tenuerunt, presbiteri qui filiorum Aaron gestant figuram, adripere non praesumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis

[1] *Text. c. VII. sec. codd. Carnot.* 67[bis] *et Andeg., cum quibus ceteri omnes Pseudo-Isidor. conspirant. In Hisp. verbum* chorepiscopi *semper omittitur desuntque ultima verba:* quae omnia eis — noscuntur. [2] *Om. Andeg.* usurpetur — sententia.

sibi prohibita noverint, sicut presbiterorum et diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio, siquidem nec licere benedicere eis ecclesiam vel altaria consecrare, nec per inpositiones manus fidelibus baptizatis[1] vel conversis ex heresi paraclytum spiritum tradere, nec crisma conficere, nec crismate baptizatorum frontem signare, sed nec publice quidem in missa quemquam paenitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Haec[2] omnia inlicita esse presbiteris (vel corepiscopis), quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi[3] episcopis auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur, sed neque coram episcopo licere eis in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tingere aut signare, nec paenitentem sine praecepto episcopi sui reconciliare, nec eo praesente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari, quae omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur.)

VIII. Octava discussio est agitata de quodam Elisaeo ex familia Egabrensis ecclesiae, qui ab episcopo suo traditus libertati de libertate confestim ad contumaciae morbum transiliit, sicque per superbiam non solum eiusdem episcopi veneficis artibus salutem laedere voluit, sed etiam patronam ecclesiam libertatis immemor damnavit. Adversus quem ingrati actio canonum ac legum auctoritate iuste dirigitur, scilicet ut immeritae libertatis damno mulctatus ad servitii nexum quo natus est revocetur. Talium enim status qui contra episcopum suum vel patronam ecclesiam nititur decidi potius quam servari convenit, ut quorum libertas perniciosa est sit salutifera servitus, ut qui superbire noverint adepta libertate praediti discant obedire subiecti.

IX. Nona actione didicimus quosdam ex nostro collegio contra mores ecclesiasticos laicos habere in rebus divinis constitutos oeconomos. Proinde pariter tractantes eligimus, ut unusquisque nostrum secundum Chalcedonensium patrum decreta ex proprio clero oecononum sibi constituat. Indecorum est enim laicum vicarium esse episcopi et seculares in ecclesia iudicare. In uno enim eodemque officio non decet dispar professio, quod etiam in lege divina prohibetur dicente Moyse: Non arabis in bove simul et asino; id est homines diversae professionis in officio uno non sociabis. Unde oportet nos et divinis libris et sanctorum patrum obedire praeceptis, constituentes ut hi qui in administrationibus ecclesiae pontificibus sociantur discrepare non debeant nec professione nec habitu, nam cohaerere et coniungi non possunt quibus et studia et vota diversa sunt. Si quis autem episcopus post haec ecclesiasticam rem aut laicali procuratione administrandam elegerit aut sine testimonio oeconomi gubernandam crediderit, vere ut contemptor canonum et fraudator ecclesiasticarum rerum non solum Christo de rebus pauperum iudicatur reus, sed etiam et concilio manebit obnoxius.

X. Decima actione poscentibus monasteriorum patribus pari sententia statuimus, ut coenobia nuper condita in provincia Baetica, sicut et illa quae sunt antiqua immobili et inconcussa stabilitate permaneant solidata. Si quis autem, quod absit, nostrum vel nobis succedentium sacerdotum quodlibet monasterium aut vi cupiditatis expoliandum aut simulatione aliqua fraudis convellendum vel dissolvendum tentaverit, anathema effectus maneat a regno dei extraneus, nec proficiat illi bonum fidei vel operis ad salutem, qui tanti et tam salutaris vitae destruxerit tramitem. Super haec etiam universi Baeticae provinciae episcopi congregati eumdem sacrilegum et eversorem a communione suspendant, convulsum monasterium cum rebus suis restaurent, ut quod impie unus subverterit, omnes pie reforment.

XI. Undecima actione consensu communi decrevimus, ut monasteria virginum in provincia Baetica condita monachorum administratione ac praesidio gubernentur; tunc enim salubria Christo dicatis virginibus providemus, quando eis patres spirituales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri sed etiam doctrinis aedificari possint, ea tamen circa monachos cautela servata, ut remoti ab earum peculiaritate nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiarem permissum, sed neque abbatem vel eum qui praeficitur extra eam quae praeest loqui virginibus Christi aliquid quod ad institutionem morum pertinet licebit; nec cum sola quae praeest frequenter eis loqui oportet, sed sub testimonio duarum vel trium sororum, ita ut rara sit accessio et brevis omnino loquutio. Absit enim ut monachos, quod etiam dictu nefas est, Christi virginibus familiares esse velimus, sed iuxta quod iussa regularum vel canonum admonent longe discretos atque seiunctos, eorum tantum easdem gubernaculis deputamus, constituentes ut unus monachorum probatissimus eligatur, cuius

[1] *Andeg.* baptizandis. [2] *Andeg. add.* enim. [3] *Andeg.* quod solis debere.

curae sit praedia earum rustica vel urbana intendere, fabricas extruere vel si quid aliud ad necessitatem monasterii providere, ut Christi famulae pro animarum suarum tantum utilitate sollicitae solis divinis cultibus vivant, operibus suis inserviant. Sane is qui ab abbate praeponitur, iudicio sui episcopi comprobetur. Vestes autem illae iisdem coenobiis faciant a quibus tuitionem expectant, ab iisdem denuo, ut praedictum est, laborum fructus et procurationis suffragium recepturae. Si qui autem monasteriorum hanc ordinationem aut contempserint aut qualibet inertiae dissolutione neglexerint, sciant quod eorum tepor atque superbia excommunicationis sit plectenda censura.

XII. Duodecima actione ingressus est ad nos quidam ex haerese Acephalorum natione Syrus, ut asserit ipse, episcopus duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans et deitatem passibilem asserens. Cuius dum nostris sensibus tanti erroris confusio patuisset, prolatis illi de incarnatione domini nostri Iesu Christi testimoniis sanctorumque patrum sententiis recitatis, omni eum deinde exhortatione ad verae fidei rectitudinem sacerdotali modestia invitavimus. Qui salutaribus monitis pertinaciter per multos diuturnosque conflictus renitens tandem gratia divina edoctus cunctis coram adstantibus haeresem propriam abdicavit duasque naturas et unam personam in uno eodemque domino nostro Iesu Christo confessus est, credens impassibilem naturam deitatis atque in sola humanitate suscepisse infirmitates passionis et crucis. Conversus itaque atque receptus susceptae fidei confessionem cum stipulatione iureiurando protulit atque ab omnibus suis erroribus purgatus apparuit. Talique pro merito gaudentes Christo gratias egimus, quod eumdem post pravitatem haeresis ad rectitudinem fidei divina gratia promovisset, quem optamus ut permanens in Christi fide pure ac devotissime conservetur.

[1] XIII. Tertia decima id est ultima prosequutione breviter narrandum putavimus ad refutationem eorumdem haereticorum qui duas naturas Christi post unionem delirantes confundunt et passibilem in eo divinitatis substantiam asserunt: contra quorum blasphemias oportet nos in una persona Christi geminae naturae proprietatem ostendere passionemque eius in sola humanitatis susceptione manifestare, ut si forte aliqui stultorum huius sententiae errore decepti sunt, dum ista legerint resipiscant rectaeque fidei veritatem firmiter teneant. Nam procul dubio multi sunt, qui secundum apostoli vocem prurientes auribus a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Ergo sicut immaculata fides et sancta dei ecclesia docet, confitemur dominum nostrum Iesum Christum intemporaliter ex patre deo natum, temporaliter ex utero gloriosae virginis Mariae hominem editum et ob hoc in una subsistente persona duas naturas habentem, deitatis qua ante secula genitus, humanitatis in qua diebus ultimis editus est, in illa secundum formam dei, in ista secundum formam servi consistens, in illa patri manens aequalis, in ista sine peccato similis nostrae conditioni, in illa invisibilis, in ista visibilis, in illa inviolabilis, in ista passibilis, in illa ex qua mori non potuit, in ista in qua mortem suscepit. Cuius geminae naturae distinctio primum ex litteris legis, deinde ex propheticis et evangelicis atque apostolicis depromenda est paginis, ut ea quae asserimus non argumentis, sed exemplis scripturarum firmemus. Lex in una eademque salvatoris nostri persona sic demonstrat utramque naturam: divinam, loquente domino ad Moysen: Ecce mitto angelum meum qui praecedat te, observa eum et audi vocem eius, quia est nomen meum in illo; humanam, loquente eodem domino ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes, id est in carne Christi, quae de Abrahae stirpe descendit. Propheta in psalmis sub una eademque Christi persona sic ostendit utramque naturam, divinam secundum illud: Ex utero ante luciferum genui te; humanam secundum hoc: Et homo factus est in ea et ipse fundavit eam altissimus; divinam secundum illud: Eructavit cor meum verbum bonum; humanam secundum hoc: Speciosus forma prae filiis hominum. Prophetia in proverbiis in una eademque Christi persona sic declarat utramque naturam, divinam secundum illud: Ante colles genuit me; humanam secundum hoc: Dominus creavit me in initio viarum suarum; divinam secundum illud: Necdum erant abyssi et ego concepta iam eram; humanam secundum hoc: Sapientia aedificavit sibi domum, corporis utique sui templum, in quo filius dei inhabitaret, dum verbum est caro factum. Prophetia in Esaia sub una eademque Christi persona sic demonstrat utramque naturam deitatis secundum illud: Numquid qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus; humanitatis secundum hoc: Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium; divinitatis secundum illud: Rorate, coeli desuper, et nubes pluant iustum; humanitatis secundum hoc: Aperiatur terra et germinet salvatorem et iustitia oriatur simul; humanitatis secundum hoc: Parvulus natus est nobis; divinitatis secundum illud: Filius datus est nobis. Parvulus enim Christus ad susceptae humanitatis naturam pertinet, quia homo factus est, filius autem datus ad divinitatem, quia dei filius, et ut ostenderet in utraque natura unam esse personam, parvulum natum et filium datum, adiecit:

[1] *Om. hoc capit. cod. Andeg.*

Vocabitur nomen eius magni consilii angelus, deus fortis, pater futuri seculi.

In evangelio quoque in uno eodemque Christo divinae naturae significatio est: Ego et pater unum sumus; humanae naturae insinuatio: Pater maior me est; divinae naturae insinuatio: Ego sum veritas et vita; humanae naturae insinuatio: Tristis est anima mea usque ad mortem; divinae naturae significatio: Omnia per ipsum facta sunt; humanae naturae insinuatio: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me pater. Paulus quoque apostolus in uno eodemque Christo naturam divinitatis exprimit, dum dicit: Primogenitus omnis creaturae ipse est ante omnes et omnia in illo constant; naturam humanitatis declarat, dum dicit: Ipse est caput corporis ecclesiae; et alibi: Qui quum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Per hoc enim quod dixit: Qui cum in forma dei esset, naturam in eo divinae maiestatis ostendit; pro eo autem quod adiecit: Formam servi accepit, naturam in eo humanae humilitatis significavit. Et iterum: Cum esset, inquit, dives, pauper factus est ut illius inopia nos divites essemus. Ubi enim dixit: Quum esset dives, divinae naturae gloria panditur; et ubi adiecit: Pauper factus est, humanae infirmitatis subiectio demonstratur. In ipso initio apostolici symboli geminae sic ostenditur in una eademque Christi persona naturae distinctio, deitatis ex patre, dum dicit: Credo in unum deum patrem omnipotentem, in Iesum Christum filium eius unicum, deum et dominum nostrum; humanitatis ex matre, dum adiecit: natum de spiritu sancto ex utero Mariae virginis.

Ecce ex utroque testamento duae naturae in Christo, divinitatis una, altera humanitatis, quae quidem gemina unam fecit personam, quia unus idem mediator dei et hominum, homo Christus Iesus.

Iam vero de passione eiusdem salvatoris nostri et domini Iesu Christi quam in sola humanitate, non in deitate sustinuit, sicut superius legis et prophetarum auctoritas, evangeliorum quoque et apostolorum praedicatio adhibenda est. Lex de passione corporis Christi sic dicit: Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum. Quid hic pallium, quid stola, nisi caro Christi passionis sanguine decorata? Haec enim sola contumelias crucis sustinuit, divinae vero naturae maiestas nihil iniuriae sensit. Propheta quoque in psalmis passionem Christi in carne sola esse sic asserit: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, ubi non deitatis, sed tantum crucifixi corporis iniuria intelligitur. Ibi enim in membrorum significatione sola caro clavis suspensa in ligno atque suffixa pronuntiatur, sicut et apud Ieremiam legitur: Venite, mittamus lignum in panem eius, id est crucem in corpore eius. Neque enim divinitas ligno suspendi potuit, sed sola utique humanitas in cruce suffixa pependit. Cuius etiam caro tolerantiam mortis perpessa sic ostenditur alibi dum dicit: Caro mea requiescit in spe; utique quia sola in Christo carnis materia mortis fragilitate defuncta spem resurrectionis suae spectabat, etiam sine corruptione receptura, dum adiicit: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Salomon autem in canticis canticorum passionem carnis Christi sic praedicat dicens: Manus, inquit, meae distillaverunt myrrham et digiti mei guttam, ubi specialiter ostenditur in manibus ac digitis solam carnem Christi suffixam stipite, sicut in psalmo centesimo octavo decimo legitur: Confige clavis timoris tui carnes meas. Esaias autem Christum in sola humanitate qua apparuit passionis iniuriam suscepisse ita praedixit: Homo, inquit, in plaga et sciens ferre infirmitates, vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. Quis ipse nisi utique homo? Nam pati et deficere in illo natura dei non potuit, sed homo portavit in eo passionem et mortem, in quo et ipsa mors habet conditionem. Nam et quum de eo idem propheta dixisset: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? et adiecit: Quare rubrum est vestimentum tuum et indumentum tuum tamquam calcantium in torculari? Quid hic per indumentum et vestimentum rubrum voluit ostendere, nisi solam carnis Christi passionem crucis infectam cruore? Unde et in ipsa passione chlamyde coccinea Christus induitur, ut imago sanguinis tantum in carne demonstraretur. Ieremias quoque corpus solum obtulisse Christum passioni sic loquitur: Non sum, inquit, contumax neque contradico, corpus meum dedi percutientibus; non dixit divinitatem quae passionem nescit perferre. Et iterum: Posui scapulas meas ad flagella et maxillas ad palmas. Quod et ipsum ad carnis patientiam, non ad deitatis refertur iniuriam. Et Zacharias: Videbunt, inquit, in quem confixerunt. Quem alium, nisi indubitanter hominem quem iudaei crucifixerunt et in carne iudicantem videbunt? Ecce pronuntiata est passio Christi ex lege et prophetis.

Transeamus inde ad evangelia: ibi quaeramus Christum filium dei in sola carne portasse valetudines passionis, iniuriam crucis, loquente ipso discipulis: Ecce ascendimus Hierosolymam et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis; tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur et postquam flagellaverint, occident eum, et in die tertia resurget. Quod totum in Christo secundum hominem dictum, non ad substantiam deitatis, sed ad naturam pertinet carnis. Quod etiam in sequentibus docetur, iudaeis dicentibus Christo: Quod signum ostendis nobis, quia haec facis? Et dixit Iesus: Solvite hoc templum, et post triduum suscitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui, nam et in passione sua, dum corripiens proditorem diceret: Iuda, osculo filium hominis tradis? Quem interrogat tradere proditorem, nisi ho-

minem quem et comprehenderunt, non deitatem quam caecati perfidia nec agnoscere potuerunt. Beatus autem apostolus Paulus Christum in homine solum pertulisse crucem sic asserit: Ut homo, inquit, humiliavit semetipsum factus obediens usque ab mortem, mortem autem crucis. Qui proinde dicit: Ut homo, ut nuncupatione hominis distinctio naturae insinuaretur passibilis. Quod confirmans alias ait: An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? qui non infirmatur, sed potens est in vobis; nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute dei. Passus est ergo Christus et mortuus, sed ex nostra infirmitate; vivit autem impassibilis et immortalis, sed ex sua virtute, quae tanta est, ut in se nec passionem recipiat, nec mortem admittat. Petrus quoque apostolorum princeps Christi supplicium sic praedicat in solo corpore consummatum: Qui peccata, inquit, nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae viveremus, cuius livore sanati sumus. Et paulo post: Christo igitur passo in carne. Ergo si Christus in carne passus est non secundum deum, sed secundum hominem crucifixus. Ecce perpatuit de filio dei quod passus est, quod mortuus est, corporis hoc tantum fuisse, non deitatis. Aliena sunt enim ista a deo, testante propheta de illo: Deus sempiternus, dominus creans fines terrae, non laborabit neque deficiet. Et psalmus: Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. Omnes enim in Christo infirmitates humanitas sola portavit; caro enim habuit vagitus infantiae, non divinitas; caro est pannis involuta, non deitas; caro habuit alimenta, caro portavit aetatum commercia. Nam et quod fatigatus est, quod esuriit, quod dormivit, quod flevit, quod passioni proximus tristis fuit, quod postremo ipsam passionem et mortis conditionem sustinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehensibilem substantiam deitatis. Unus est enim Christus deus et homo, verbum et caro, sed unde deus inde habet immortalitatem, unde homo inde pertulit passionem, et unde caro inde mortuus, et unde verbum inde aeternus. Neque enim potest esse deitate passibilis, qui est virtute paternae naturae aequalis: unde et patri derogatur, dum natura deitatis in filio passibilis creditur. Nam si una patris et filii substantia est, utique sicut pater, ita et filius immortalis est, et si: Ego et pater unum sumus, sicut in patre non est mors, ita nec in dei filio mors; et si verum est: Omnia quae habet pater mea sunt, ergo immortalitas patris cum filio est communis. Nam quod ait apostolus de infidelium ignorantia: Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent, non quasi dominus gloriae sit crucifixus, ut natura deitatis videatur esse passibilis, sed quia unus in utraque natura est Christus, secundum assumpti hominis formam dominus gloriae dicitur passus, sicut e contrario illud: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo filius hominis, dum de coelo non descendisset, nisi tantum dei filius, nondum idem factus hominis filius. Propter personae ergo unitatem et ad hominem referuntur in Christo quae deo propria sunt et divinitati adscribuntur quae hominis sunt, et ideo dum pati ac mori non est deitatis sed carnis proprium sit, tamen propter personae unitatem ipse deus et natus ex virgine et passus et mortuus praedicatur, sed infirmitate carnis nostrae, non virtute divinitatis suae. Quod vero idem apostolus ait: Si enim quum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii eius: sic hic dicitur filius dei mortuus, sicut dicitur de martyribus passis et mortuis, quorum tamen animae non sunt occisae in corporis passione ore veritatis testante: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Ubi agnosci oportet, si anima martyrum corpore perempto suppliciis extingui non potest, deus qui conditor est animarum, quomodo per crucem carnis pati potuit exitium mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem filio dei loquente: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Quod si ipsa deitas mortua extitit, quaero quis animam ipsam resumpsit? Stultum est ergo crucis passionem divinae applicare naturae, sed tantum creabili et humanae. Sola enim caro crucis exitium sensit, sola caro lanceam pertulit, sola sanguinem et aquam manavit, ipsa sola mortua, ipsa sola in sepulchro posita, ipsa sola de sepulchro tertia die resuscitata, quae etiam glorificata coelos adiit, in qua et venturus est iudex in gloria patris iudicaturus vivos ac mortuos.

Prolatis ergo novi ac veteris testamenti testimoniis in quibus duae naturae Christi patefactae sunt in una subsistenti persona et in quibus et passio eius apparuit in homine solo expleta, deinde oportuit sententias subnecti sanctorum patrum qui in sacris litteris ingenti gloria fulserunt, ut etiam eorum traditione perpateat, quia dominus noster Iesus Christus ex duabus naturis et una persona subsistit, et quia mortem et passionem in sola carne suscepit.

Sanctus igitur Hilarius in expositione epistolae ad Timotheum sic loquitur: Nam et quum dicit scriptura: homo Christus, et quum dicit: Christus mortuus, et quum dicit: Verbum caro factum est, non expoliandus est per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Namque ubi homo Christus est, praecedit mediator dei atque hominum, ex deo homo, utrumque unum et inter hominem et deum medius confessione in se utriusque naturae. Ubi Christus mortuus est, subiicitur: Qui resurrexit, qui est in dextera dei. In morte eius carnis nostrae infirmitas est, in resurrectione virtus eius, in consensu dei dignitas. Sanctus quoque Ambrosius in expositione evangelii secundum Lucam sic asserit: Non enim suam, sed nostram crucem Christus ascendit, nec mors illa divinitatis sed hominis fuit. Et paulo post: Etenim Christus omnia et in Christo omnia, licet in

singulis Christus operetur, caro tamen moritur, ut resurgat. Item idem in eodem libro exponens inter alia dicit: Tristis est anima mea; et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur, anima enim obnoxia passionibus, divinitas libera. Denique spiritus promptus, caro autem infirma; tristis est autem non ipse, sed anima, non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima: suscepit corpus meum, non me fefellit, ut aliud esset et aliud videretur. Sanctus Athanasius in tractatu quem scripsit de Christi nativitate sic dicit: In hoc sit ergo, fratres carissimi, fides nostra, in hoc tota salus et vita consistat, ut credamus deum dei filium primum, ante omnia secula a deo patre invisibiliter et impassibiliter genitum, deinde ex Maria virgine secundum hominem natum et secundum hunc hominem passum, mortuum et sepultum resurrexisse, ab inferis ascendisse in coelum. Item idem in expositione fidei: Verbum, inquit, nascitur de virgine Maria accipiens corpus animale, sed neque sermo comprehensus est carne, sed in carne et supra carnem et sicut deus praescius, dei virtus, dei veritas, passus autem humana, sed sermo dei impassibilis est. In passione quidem moritur homo, ut vivificaret protoplastum qui ceciderat per inobedientiam. Sanctus Gregorius scribens ad Celedonium dicit: Naturae enim duae in Christo, deus et homo, non autem duo filii, nec dii duo. Item idem in sermone de filio: Uno autem, inquit, capitulo moneo, ut altiora quidem adscribas divinitati et illi naturae quae passionibus et corpore probatur esse superior, humiliora vero humanae naturae attribuas, quae ex parte infirmitatis nostrae assumpta est. Item ipse in quarto libro contra Eunonium: Et ne aliquis incorruptibili naturae deitatis crucem passionis applicet, per alia manifestius talem emendat errorem, mediatorem ipsum dei hominum et hominem et deum ipsum nominans, ut quum duo de uno dicantur, congruum intelligatur circa utrumque, circa deitatem quidem impassibilitas, circa humanitatem autem dispensatio passionis. Sanctus quoque Basilius in quarto libro contra Eunomium ita scribit: Quid est: dominus creavit me et ante omnes colles genuit me? Ubi intelligendum est, hoc quod: Genuit de dei filio, hoc autem quod dicit: Creavit de ea parte qua in forma servi est, ut utramque naturam in una persona ostenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad Successum epistola dicit: Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet et ad videndum tantumdem oculis animae, quemadmodum incarnatus est unigenitus, duas naturas esse dicimus, unum autem filium et Christum et deum et dominum, verbum incarnatum et hominem factum confitemur. Item in secunda ad eumdem Successum epistola sic ait: Quum unus, inquit, sit et solus filius Christus, idem ipse deus et homo sicut in deitate perfectus, ita et in humanitate perfectus. Non autem ipsum unigenitum filium dei secundum quod intelligitur et est deus, passum esse in sua natura, sed passum esse terrena natura. Oportet etenim necessario utraque servari uni et vero filio, et non pati secundum deitatem, et dici passum esse eumdem secundum humanitatem: ipsius enim passa est caro. Idem in expositione Levitici inter alia: Totum in his iterum circuminspice salvatoris nostri mysterium et emundationem quae per sanctum baptisma fit: duas enim aviculas sumi iubet vivas et mundas, ut intelligas per volatilia coelestem hominem simul et deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, dividendum unicuique convenientem. Item sanctus Augustinus in excerptis: Neque enim in illa susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est, nec divinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse divinitas, nec creatura in divinitatem ut desisteret esse creatura. Nam si substantia hominis, quod absit credere, in divinitatem conversa est, augmentavit aliquid deitati; sed absit ut augmentum recipiat ineffabilis et incomprehensibilis plenitudo. Manet ergo utraque filii dei natura et una persona. Rursus ipse adversus Maximum: Si ergo attendas distinctiones naturarum, filius dei de coelo descendit, et filius hominis crucifixus est: si unitatem personae et hominis filius descendit de coelo et filius dei est crucifixus in terra. Idem in sequentibus: Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia. Ubi resurgeret, nisi in eo quod potuit cadere? Ibi resurrexit ubi mortuus est. Quaere mortem in verbo, numquam esse potuit. Quaere mortem in anima, numquam fuit. Quaere mortem in carne, plane ibi fuit, et ideo ibi fuit quia mors vera fuit. Et paulo post: Quid miraris? Certe vita est Christus. Quare mortua est vita? nec anima mortua est, nec verbum mortuum est, caro mortua est. Quare? ut in ea mors moreretur. Idem in explanatione Ioannis evangelistae: Quis ergo est per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipse Iesus Christus, sed in forma servi. Beatus quoque Leo apostolicae sedis antistes in sua epistola quam scripsit ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum sic ait: Salva igitur proprietate utriusque naturae et in unam coeunte personam suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostrae debitum natura inviolabilis est unita naturae passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator dei et hominum homo Christus Iesus et mori posset ex uno et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est deus, totus in suis, totus in nostris. Et paulo post: Qui manens in forma dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo, tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura, et sicut forma servi dei formam non adimit, ita forma dei servi formam non minuit. Item paulo post: Agit enim

utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est et carne exsequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis, et sicut verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Sanctus quoque Fulgentius in libro quem de incarnatione domini nostri Iesu Christi scripsit inter alia sic intulit: Dico itaque vobis iuxta sanctorum patrum traditionem dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis et inconfusis, id est divinitatis et humanitatis, una persona sive substantia confiteri. Idem post alia: Si quis igitur in domino nostro Iesu Christo aut duas naturas aut unam noluerit sive dubitaverit credere ac praedicare personam vel si quis noluerit confiteri eumdem deum atque hominem, id est verbum incarnatum de Maria virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum catholica fide reprehenditur ac demonstratur extraneus, ut sacramento redemptionis humanae resistat ingratus. Et paulo post: Verbum caro factum unus et plenus est Christus, unus ex utraque atque in utraque, id est humana divinaque natura, in quo sic utriusque naturae prorsus initio gloriosa subsistat, ut sive divinitati Christi humanitatem quis demat, sive humanitati divinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate et blasphema praedicatione dissolvat. Item paulo post: Christus pro nobis est carne passus qui de deo patre solus natus est impassibilis deus. Ipsum itaque Christum filium dei qui pro nobis mortem carne gustasse salva immortalitate divinitatis eius veraciter credimus. Et iterum post hoc: Sed quia non est alter deus, alter homo, sed item unus est Christus deus et homo, profecto idem deus Christus est qui mortem sua carne suscepit et idem homo Christus est qui mortem suam divinitate destruxit: idem quippe Christus dei filius qui divinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam mortalem deus immortalis accepit; et idem Christus dei filius carne mortuus resurrexit, quia immortalitatem suae divinitatis carne mortuus non amisit; hinc est quod etiam post resurrectionem suam sicut in cicatricibus veris et in vera comestione piscis et mellis soliditatem in se verae carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens veram in se virtutem sempiternae divinitatis ostendit, ut agnosceretur et naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, et eidem resurgenti naturalis inesse maiestas.

Haec quidem quae tam divinae scripturae quam etiam sanctorum patrum eloquia docuerunt, decretis nostris breviter inserta protulimus, demonstrantes geminam carnis et deitatis naturam in una domini et salvatoris nostri persona, passum quoque eumdem in ea natura quae corporis est, non passum in ea natura quae deitatis est. His igitur concordi sententia in tribus secretariis definitis pro confirmatione sui proprias subscriptiones subiecimus. Isidorus in Christi nomine ecclesiae Hispalensis episcopus subscripsi. Bisinus in Christi nomine ecclesiae Eliberitanae episcopus subscripsi. Rufinus in Christi nomine ecclesiae Asidonensis episcopus subscripsi. Fulgentius in Christi nomine ecclesiae Astigitanae episcopus subscripsi. Cambra in Christi nomine ecclesiae Italicensis episcopus subscripsi. Ioannes in Christi nomine ecclesiae Egabrensis episcopus subscripsi. Fidentius in Christi nomine ecclesiae Tuccitanae episcopus subscripsi. Theudulphus in Christi nomine ecclesiae Malacitanae episcopus subscripsi. Honorius in Christi nomine ecclesiae Cordubensis episcopus subscripsi [1].

[2] Hactenus digestis conciliis sanctorum patrum sequuntur decreta praesulum Romanorum praefatae sedis apostolicae praesulum constituta, quae ad fidei regulam vel ecclesiasticam pertinent disciplinam in hoc libro diligenti cura collecta sunt, ita ut singulorum pontificum quotquot decreta a nobis reperta sunt sub uniuscuiusque epistolae serie propriis titulis praenotarentur eo modo quo superius priscorum patrum canones nostro studio ordinati sunt, quatinus lectoris industria facilius intelligere possit, cum capitulis propriis distincta intendit.

1 *Cetera concilia in Hisp. exhibita desunt in omnibus codd. Ps.-Isidor.* 2 *Sec. Carnot.* 67bis *et cod. Andeg. Exhibetur omnibus in codd. Ps.-Isid., qui integra concilia habent, excepto Lond. Musei Brit. King's library* 11. *D. IV.*

ITEM INCIPIUNT CAPITULA DECRETALIUM VENERABILIUM APOSTOLICORUM SANCTAE ROMANAE SEDIS ECCLESIAE.

(*Textus huius tabulae ceterarumque epistolarum quae sequuntur desumtus ex cod. Paris. inter suppl. lat.* 840; *in tab. edenda adhibui Paris.* 3852).

I. Primum excerpta quaedam ex sinodalibus gestis sancti Silvestri papae capitula posuimus.

II. Prima epistola Atanasii Alexandrinorum episcopi et omnium Aegyptiorum pontificum Marco papae directa ut eis Niceni sinodi vera mitteret exemplaria, quia eorum Arriani incenderant eiusdem concilii capitula.

III. Epistola Marci papae successoris videlicet Silvestri rescriptum de missione Niceni concilii capitulorum Atanasio et omnibus Aegiptiorum episcopis.

IV. Fides in sacro Romano tractata concilio a beatissimo Iulio papa et reliquis verae fidei episcopis.

V. Epistola praedicti sanctissimi ac beatissimi Iulii Romani[1] pontificis Orientalibus missa episcopis arguens eos qui fratres insecuntur et sine sua auctoritate concilia in condempnationem[2] episcoporum contra canonicam et apostolicam auctoritatem congregant eosque absque apostolica sententia aut expellunt aut dampnant, canonibus quippe iubentibus nihil de talibus absque Romano pontifici decerni debere.

VI. Epistola Orientalium episcoporum praedicto Iulio Romano pontifici missa graviter ferentium[3] quod Paulum Constantinopolitanum et Athanasium Alexandrinorum episcopos una cum aliis eorum sociis a se dampnatos eis inconsultis[4] in communionem susceperit ecclesiasque eis proprias apostolica reddiderit auctoritate.

VII. Epistola praedicti sanctissimi Iulii archiepiscopi rescripta Eusebio, Teognio, Teodoro, Berinto et reliquis Orientalibus episcopis culpans eos quod Athanasium et Paulum ceterosque sequaces eorum absque sedis apostolicae consultu dampnare et a propriis sedibus pellere contra canonicam praesumpsere auctoritatem.

VIII. Epistola sinodica praedicti Athanasii Alexandrini archiepiscopi et omnium Aegyptiorum pontificum de vere fidei regula pro qua persequebantur Liberio papae directa.

IX. Epistola beati Liberii papae Athanasio et universis Aegyptiorum episcopis directa[5], fide contra omnes persistant hereticos.

X. Epistola praedicti Athanasii Alexandrinorum episcopi et omnium Aegyptiorum Felici papae successori[6] videlicet Liberii directa qua suam[7] suarumque sequacium intimat pro fide oppressionem postulantes eius summum ut decet suffragium.

XI. Epistola sanctissimi archiepiscopi Felicis et eius sancti concilii praedicto Athanasio et universis Aegyptiorum, Theobaidorum[8], Libiorum episcopis rescripta, in qua consultationibus[9] eorum quas super eorum persecutionibus et accusationibus direxerunt canonice respondetur.

XII. Ad quos supra eiusdem papae.

XIII. Epistola praedicti sanctissimi Liberii papae ad omnes generaliter episcopos ut nullus pro quibuslibet dum durare poterit perturbationibus suam relinquat ecclesiam, ut quietem magis eligat quam pro populo sibi commisso laborare intendat.

[1] *Sic Par.* 3852; *cod.* 840: Romane. [2] *Sic corr.* condempnatione *sec. Par.* 3852. [3] *Sic corr.* ferentes *sec. cod. cit.* [4] *Sic cod. cit.; cod.* 840: eos inconsultos. [5] *Par.* 3852 *add.* ut in recta. [6] *Sic corr.* successores *sec. Par.* 3852. [7] *Sic corr.* sua *sec. cod. cit.* [8] *Par.* 3852: Thebaidorum. [9] *Sic corr.* rescriptitationibus *sec. cod. cit.*

XIV. Epistola papae Damasi ad Paulinum Antiocenum episcopum.
XV. Item eiusdem papae Damasi ad eundem Paulinum de dampnatione quorumdam hereticorum.
XVI. Item epistola Stephani archiepiscopi et trium conciliorum ad Damasum papam quod episcoporum et summorum negotiorum ecclesiasticorum causae semper ad sedem apostolicam sunt referendae.
XVII. Item epistola Damasi ad eundem Stephanum et ad concilia Africae quod episcoporum iudicia et maiores causae non aliter quam auctoritate sedis apostolicae sint terminandae.
XVIII. Quod omnes heretici de filio dei et spiritu sancto male sentientes in perfidiam[1] iudaeorum et gentilium inveniuntur et de trinitatis unitate.
XIX. De vana superstitione chorepiscoporum vitanda.
XX. Item eiusdem de sacerdotibus qui de ecclesiis suis ad alias migrant ecclesias.
XXI. Item epistola Damasi urbis Romae pontificis.
XXII. Professio catholicae fidei quam papa Damasus destinavit ad Paulinum episcopum in Macedonium quae fuit in Thessalonica.
XXIII. Item epistola Damasi Romanae ecclesiae episcopi qui post Liberium pontificatus iura suscepit multis scilicet virtutum ornatus insignibus. Is etenim his in epistolis habuit nonaginta consortes episcopos qui ex Italiis atque Galliis in Romanam convenerunt urbem quorum nomina propter multitudinem hic non sunt inserta.
XXVI. (XXIV.[2]) Epistola Siricii papae ad Eumerium episcopum Tarraconensem.
XXVII. Eiusdem Siricii per diversos episcopos missa[3].
XXVIII. (XXV.) Eiusdem Siricii per diversos episcopos directa.
XXIX. (XXVI.) Epistola Innocentii papae ad Decentium episcopum Euiubinum.
XXX. (XXVII.) Cuius supra ad Victoricum Rotoagensem[4] episcopum.
XXXI. (XXVIII.) Cuius supra ad Exsuperium Tolosanum episcopum.
XXXII. (XXIX.) Cuius supra ad Felicem episcopum.
XXXIII. (XXX.) Cuius supra ad Maximum et Severum episcopos.
XXXIV. (XXXI.) Cuius supra ad Agapitum Macedonium et Marinum episcopos.
XXXV. (XXXII.) Cuius supra ad Rufinum et ceteros episcopos per Macedonium constitutos.
XXXVI. (XXXIII.) Cuius supra ad Florentium Taburtinensem episcopum.
XXXVII. (XXXIV.) Cuius supra ad Profrum.
XXXVIII. (XXXV.) Cuius supra ad Aurelium et Augustinum Africanos episcopos.
XXXIX. (XXXVI.) Cuius supra ad Aurelium Cartaginensem episcopum.
XL. (XXXVII.) Cuius supra ad Iulianum nobilem exortatoria[5].
XLI. (XXXVIII.) Cuius supra ad Bonifacium presbiterum.
XLII. (XXXIX.) Cuius supra ad Alexandrum Antiochenum episcopum.
XLIII. (XL.) Cuius supra ad Maximianum episcopum.
XLIV. (XLI.) Cuius supra ad Alexandrum Antiochenum episcopum.
XLV. (XLII.) Cuius supra ad eundem.
XLVI. (XLIII.) Cuius supra ad Acium Boroe episcopum.
XLVII. (XLIV.) Cuius supra ad Laurentium[6] Seniensem episcopum.
XLVIII. (XLV.) Cuius supra ad Eusebium et Rufum ceterosque episcopos.
XLIX. (XLVI.) Cuius supra ad universos Toletanos[7] episcopos.
L. (XLVII.) Epistola Zophimi[8] papae ad Esecium[9] episcopum Salonitanum.
LI. (XLVIII.) Eiusdem papae ad clerum Ravenensem.

[1] *Par.* 3852: perfidia. [2] *Numeri uncis inclusi exhibentur in Par. cit.* [3] *Om. rubricam cod. cit.* [4] *Cod. cit.* Rotomagensem. [5] *Sic corr.* exortatoriam *sec. cod. cit.* [6] *Sic corr.* Leventium *sec. cod. cit.* [7] *Cod. cit.* Tolosanos. [8] *Cod. cit.* Zosimi. [9] *Sic corr.* Secium *sec. cod. cit.*

LII. (XLIX.) Epistola Bonefacii papae ad Onorium augustum.
LIII. (L.) Rescriptum Onorii augusti ad eundem Bonefacium.
LIV. (LI.) Item epistola Bonefacii papae ad episcopos Galliae.
LV. (LII.) Eiusdem papae ad Hilarium Narbonensem episcopum.
LVI. (LIII.) Epistola Celestini papae ad episcopos per Galliam constitutos.
LVII. (LIV.) Cuius supra ad episcopos per Vienensem et Narbonensem provinciam constitutos.
LVIII. (LV.) Cuius supra ad episcopos per Apuliam et Calabriam constitutos.
LIX. (LVI.) Epistola Leonis papae ad Euticen presbiterum.
LX. (LVII.) Cuius supra ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum.
LXI. (LVIII.) Rescriptum Flaviani ad supradictum Leonem papam.
LXII. (LIX.) Cuius supra ad Martianum augustum ubi gratias agit quod per Calcidonense concilium pax ecclesiae catholicae reddita sit.
LXIII. (LX.) Cuius supra ad eundem Martianum augustum.
LXIV. (LXI.) Cuius supra ad eundem Martianum augustum in qua scribit de exilio Euticetis.
LXV. (LXII.) Cuius supra ad Leonem imperatorem de blasphemiis Nestorii et Euticis subiunctis testimoniis de libris patrum.
LXVI. (LXIII.) Cuius supra ad Turibium Asturicensem episcopum contra Priscellianistas.
LXVII. (LXIV.) Cuius supra ad episcopos per Italiam.
LXVIII. (LXV.) Cuius supra rescriptum ad Flavianum episcopum contra Euticetis perfidiam.
LXIX. (LXVI.) Epistola Petri episcopi Ravennensis ad Euticen presbyterum.
LXX. (LXVII.) Epistola Leonis ad Ephesinam synodum in qua congregatos provocat episcopos Euticetis blasphemias condempnare.
LXXI. (LXVIII.) Cuius supra ad Theodosium augustum.
LXXII. (LXIX.) Cuius supra ad Pulcheriam augustam.
LXXIII. (LXX.) Cuius supra ad eandem Pulcheriam augustam.
LXXIV. (LXXI.) Cuius supra exortatoria ad Martianum et Faustum presbyteros de dampnatione Ephesini secundi concilii.
LXXV. (LXXII.) Cuius supra ad Teodosium augustum.
LXXVI. (LXXIII.) Cuius supra ad Pulcheriam augustam.
LXXVII. (LXXIV.) Cuius supra ad Martianum et Faustum ceterosque presbiteros.
LXXVIII. (LXXV.) Cuius supra ad augustam: ei ibi gratias agit, quod Nestorianum et Euticen fidei defensione destruxerit.
LXXIX. (LXXVI.) Cuius supra ad Anatholium[1] Constantinopolitanum episcopum.
LXXX. (LXXVII.) Cuius supra ad Martianum in qua pro conservatione catholicae fidei illi congratulatur.
LXXXI. (LXXVIII.) Cuius supra ad Martianum in qua pro defensione catholicae fidei imperatori congratulatur.
LXXXII. (LXXIX.) Cuius supra ad Natholium Constantinopolitanum episcopum.
LXXXIII. (LXXX.) Cuius supra ad Martianum de directa vicis suae legatione Constantinopoli[2] pro Calcidonensi concilio faciendo.
LXXXIV. (LXXXI.) Cuius supra ad synodum Calcidonensem.
LXXXV. (LXXXII.) Cuius supra ad Martianum augustum in qua eius congratulatur fidei quae in Calcidonensi concilio gesta est: et de Anatholio Constantinopolitano[3] episcopo.
LXXXVI. (LXXXIII.) Cuius supra ad Anatholium Constantinopolitanum episcopum.

[1] *Sic corr.* Natholium *sec. cod. Par.* 3852. [2] *Cod. cit.* Constantinopolim. [3] *Sic corr.* politer *sec. cod. cit.*

LXXXVII. (LXXXIV.) Cuius supra per Siciliam[1] cum capitulis suis.
LXXXVIII. (LXXXV.) Cuius supra ad episcopos per Campaniam et Samnium et Picenum[2] constitutos.
LXXXIX. (LXXXVI.) Cuius supra ad Ianuarium Aquilegensem episcopum.
XC. (LXXXVII.) Cuius supra ad Rusticum Narbonensem episcopum.
XCI. (LXXXVIII.) Cuius supra ad Anastasium Tessalonicensem episcopum.
XCII. (LXXXIX.) Cuius supra ad Nicetam Aquilegensem episcopum.
XCIII. (XC.) Cuius supra ad Africanos episcopos.
XCIV. (XCI.) Cuius supra ad Teodorum Foroiuliensem episcopum.
XCV. (XCII.) Cuius supra ad Leonem Ravennensem episcopum.
XCVI. (XCIII.) Cuius supra ad Dioscorum Alexandrinum episcopum.
XCVII. (XCIV.) Cuius supra ad episcopos per Campaniam, Samnium[3] et Picenum constitutos.
XCVIII. (XCV.) Cuius supra de privilegio corepiscoporum sive presbiterorum ad universos Germaniae atque Galliae ecclesiarum episcopos.
XCIX. (XCVI.) Hilarii papae synodale decretum.
C. (XCVII.) Cuius supra ad Ascanium et ad universos Tarraconensis provintiae episcopos.
CI. (XCVIII.) Cuius supra ad eundem Ascanium Terraconensem[4] episcopum.
CII. (XCIX.) Epistola Simplicii ad Zenonem Spalensem episcopum.
CIII. (C.) Epistola Acacii[5] Constantinopolitani episcopi ad[6] predictum Simplicium Romanae urbis episcopum.
CIV. (CI.) Epistola Felicis papae ad episcopos per Siciliam.
CV. (CII.) Cuius supra ad Acatium Constantinopolitanum episcopum.
CVI. (CII.) Cuius supra ad Zenonem Spalensem episcopum.
CVII. (CIII.) Decreta Gelasii papae generalia.
CVIII. (CIV.) Cuius supra ad Sicilienses episcopos.
CIX. (CV.) Epistola Anastasii papae ad Anastasium imperatorem directa.
CX. (CVI.) Epistola Simmachi papae ad Cesarium episcopum.
CXI. (CVII.) Epistola Hormisdae papae ad Iustinum imperatorem.
CXII. (CVIII.) Sacra Iustini imperatoris ad Hormisdam papam.
CXIII. (CIX.) Epistola Iohannis Constantinopolitani episcopi ad Hormisdam papam directa.
CXIV. (CX.) Epistola Hormisdae papae ad[7] Iohannem episcopum Milititanae ecclesiae.
CXV. (CXI.) Item Hormisdae papae ad eundem Iohannem episcopum[8].
CXVI. (CXIII.) Item Hormisdae papae ad episcopos per Hispaniam[9] constitutos.
CXVII. (CXIV.) Item Hormisdae papae ad eosdem Spaniae episcopos subiunctis exemplaribus libelli Iohannis Constantinopolitani episcopi.
CXVIII. (CXV.) Item Hormisdae papae ad Epiphanium Constantinopolitanum episcopum.
CXIX. (CXVI.) Item Hormisde pape ad Salustium Spalensem episcopum.
CXX. (CXVII.) Item Hormisde pape ad universos provintiae Boeticae episcopos[10].

[1] *Sic corr.* Sicilia *sec. cod. Paris.* 3852. [2] *Sic corr.* Piceum *sec. cod. cit.* [3] *Sic corr.* Sanium *sec. cod. cit.* [4] *Cod. cit.* Tarraconensem. [5] *Sic corr.* Azii *sec. cod. cit.* [6] *Sic corr.* a *sec. cod. cit.* [7] *Cod. cit. add.* eundem. [8] *Cod. cit. add.* CXII. Item Hormisdae papae ad eundem Iohannem episcopum. [9] *Cod. cit.* Spaniam. [10] *Exhibetur haec tabula quoque in codd. Carnot.* 67bis, *Rotomagensi* 15/9. E, *Ottobon.* 93, *Vatic.* 3791, *Londin. Mut. Brit. Cott. Claud. E. V.*, *Cantabrig.*, *Sorbon.* 729, *Navarre, Montecas., de quibus cfr.* §§. 13. II, 3. 7. *comment.*

INCIPIUNT EXCERPTA QUAEDAM EX SYNODALIBUS GESTIS SANCTI SILVESTRI PAPAE. CAP. I.[1]

[I. De magno concilio Niceno et de Arrio et Fotino, Sabellioque adque sequacibus eorum damnatis et de sinodo Romae habita ubi damnati sunt Calixtus, Arrius et Fotinus atque Sabellius.][2]

I. Temporibus sancti Silvestri papae et Constantini piissimi Augusti factum est magnum concilium in Nicea Bithiniae et congregati sunt regulari[3] eiusdem Silvestri papae vocatione in idipsum trecenti decem et octo episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integram catholicam inmaculatam et dampnaverunt Arrium[4], Fotinum Sabelliumque atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore et[5] XIII[6]. Kalendarum Iuliarum, die quando memoratum magnum concilium in Niceno[7] congregatum est, canonica iam factus[8] papa vocatione in urbem[9] Romam[10] congregavit et ipse cum consilio praefati Constantini Augusti CCLXXVII episcopos et dampnavit iterum tam Calistum quam Arrium et Fotinum atque Sabellium, et constituit ut presbiterum[11] Arrianum resipiscentem non susciperet, nisi episcopus eiusdem loci eum reconciliaret et sacrosancto chrismate per episcopalis manus impositionem sancti spiritus gratia, quae ab hereticis dari non potest, confirmaret.

[II. Ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre et ut minores nullam dent accusationem adversus maiores.][12]

II. In qua[13] et[14] consensus[15] subscriptione[16] omnium[17] constitutum est, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut presbiter[18] non adversus episcopum, non diaconus[19] adversus presbiterum, non subdiaconus[20] adversus diaconum, non acolitus[21] adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolitum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam, et non dampnetur presul nisi in septuaginta duobus testibus[22]. Neque praesul summus a quoquam iudicetur, quoniam scriptum est: Non est discipulus super magistrum. III. Presbiter autem cardinalis nisi quadraginta quatuor testibus non dampnabitur, diaconus cardinarius constructus[24] urbis Romae nisi in XXXVI[25] non condempnabitur, subdiaconus, acolitus, exorcista, lector, hostiarius nisi, sicut scriptum est, in septem[26] testibus non condempnabitur[27]. IV. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia, uxores et[29] filios habentes, et omnino Christum praedicantes. V. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat[31], nemo enim clericum quemlibet in publico examinare praesumat nisi in ecclesia; nemo enim clericus vel diaconus aut presbiter propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante iudicem cinctum[32] causam dicere praesumat[33], quoniam omnis curia a cruore

[III. Quod testibus damnari possint singuli ordines ecclesiastici.][23]

[IV. Quales esse debeant testes et accusatores.][28]

[V. Ut nullus clericus examinetur in publico neque intret in curiam quae a cruore dicitur.][30]

c. *I. Temporibus sancti Silvestri — clerico audeat inferre* (c. *II.*), c. 4—6. vit. Silv. in libr. pontif.

c. *II—IV. Et ut presbiter — non condempnabitur*, conc. II. Rom. sub Silv. c. 3. (Mansi 2, 623).

nisi in septuaginta duobus cf. Zeph. 2.

c. *V. testimonium autem — anathema suscipiat*, corr. cit. c. 14—16 (Mansi 2, 629).

[1] *Sg. inscriptionem exhibet:* commemoratio quae sint in Niceno constituta concilio. *Deest* cap. I. *in reliquis codd.* [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [3] *Bb.* regulariter. [4] *Sg. add.* et. [5] *Om. Sg. Dst.* [6] *Sg. Dst.* XII. [7] *Sg. Bb. Dst.* Nicea. [8] *Bb.* fatus. [9] *Dst. Sg.* urbe. [10] *Sg. Dst.* Roma. [11] *Dst. Sg.* presbiter. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.; Bb.* II. notandum episcopis et omnibus ordinibus clericorum. [13] *Dst. Sg.* quo. [14] *Sg. Bb. Dst.* etiam. [15] *Sg. Bb. Dst.* consensu et. [16] *Bb.* scriptione. [17] *Deest in Dst.* [18] *Sg. Dst.* presbiteri. [19] *Sg. Dst.* diaconi. [20] *Sg. Dst.* subdiaconi. [21] *Dst.* acolythi. [22] *Deest in Bb.* [23] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit num. Sol. num. in Bb.* [24] *Dst.* constitutus; *sic in Sg. manu post.* constructus *corr.* [25] *Sic* XXVI, *quod codex antea habebat, correctum est.* [26] *Sg. Bb.* sex. [27] *Deest in Dst.* subdiaconus — condempnabitur. [28] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. qui omisit num. Solus num. in Bb.* [29] *In Dst. alia m. additur:* non. [30] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo numerus deest. Sol. num. in Bb.* [31] *Bb. rubricam ponit:* de clericis testimonio non recipiendo. [32] *Sg. Dst.* suam. [33] *Cod. et Dst. in marg.* unde dicta sit curia.

dicitur et immolatione simulacrorum. Et si quis clericus accusans clericum in curiam introiverit, anathema suscipiat.

[VI. Ut sacrificium altaris non in serico panno aut in tincto celebretur.][1]

VI. Hoc[2] inter cetera in praedicta consulta[3] omnium constituit sinodo, ut sacrificium altaris non in serico panno aut tincto[4] quisquam caelebrare praesumeret, sed in puro lineo[5] ab episcopo consecrato, terreno[6] scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus domini nostri Iesu Christi in sindone[7] munda sepultum fuit.

[VII. De promotione singulorum ordinum ecclesiasticorum.][8]

VII. Et si quis desideraret[9] in ecclesia militare aut proficere, debet[10] esse[11] prius hostiarius, deinde lector et postea exorcista per tempora quae episcopos constituerit, deinde accolitus annos quinque, subdiaconus annos quinque, custos martyrum annos quinque[12], presbiter annis tribus[13], probatus ex omni parte in tantum ut etiam ab his qui foris sunt testimonium habeat bonum, unius videlicet uxoris virum[14] quae tamen a sacerdote sit benedicta, et si[15] probatus[16] fuerit dignus et vota cleri et populi concurrerint[17] canonice episcopus consecretur.

[VIII. Quod episcopi non sint lacerandi sed venerandi.][18]

VIII. Quem postea nec clerus nec populus perturbare debet; quia episcopi qui throni dei vocantur non sunt lacerandi, sed magis portandi ac[19] venerandi, de quibus ait beatus Paulus apostolus: Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; legimus namque ipso domino dicente[20] non esse discipulum super magistrum, hoc est, non sibi debere quemquam ad iniuriam doctorum iudicare[21] doctrinam, nec aliquam machinationem[22] domini discipulos, id est, apostolorum successores detrahere et infamare, quia iniuria doctorum ad Christum pertinet cuius vice legatione funguntur[23]; qualiter enim deum contristent, qui haec agere praesumunt, dominus[24] in evangelio[25] testatur, ait enim ipse salvator: Quod expediat scandalizanti unum de pusillis istis in maris profunda demergi et mola asinaria[26] collo eius suspendi. Si talis ergo poena hic domini discipulos scandalizantibus promittitur, quid in futuro eis provenire debeat summopere pensandum est, quam non parum periculi illis manere poterit ante deum, qui haec detrectent[27] suis exhibere ministris? Quod ita demum probare[28] poterit, si deum timeant[29] qui talia exercere minime formidant[30], si inposito[31] sibimet inprobo silentio a talibus se deinceps custodiant[32]: quia[33] nihil prodest homini reliqua bona agere nisi mens ab iniquitate revocetur[34], et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Unde ait propheta: Cohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum, diverte a malo et fac bonum. Nemo enim bonum faciens alteri verbo aut facto nocere vult, et reliqua.

[IX. Ut nullus presbiter missas celebret, nisi in sacratis ab episcopo locis.][35]

IX. Hic[36] in memorata constituit omnium cum consensu synodo, ut nullus pres-

c. VI—VIII. Hoc inter in — perturbare debet, c. 7. 8. vit. Silv.

c. VIII. quia episcopi — sunt lacerandi, sec. c. 5. conc. XI. Tolet. aut Ben. II. 104. 357. III. 156. Cf. Steph. 12, Fel. II. pp. 12 xviii., Greg. M. ep. ad Fel.

Seniorem ne — ut patrem, I Tim. V. 1.

non esse discipulum super magistrum, Matth. X. 24.

quia iniuria doctorum — cuius vice legatione funguntur, Ben. III. 462. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20). Cf. Anacl. 3, 21, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, Dam. 19. (Greg. M. ep. ad Fel.)

qualiter enim deum — colla eius suspendi sec. Coelest. I. ep. ad Vener. pr. (H. no. 33.) Cf. Melc. 1.

Cohibe linguam — et fac bonum, Ps. XXXIII. 14. 15.

Nemo enim — nocere vult, sec. Xysti Pyth. s. 292. 203.

c. IX. Hic in memorata — voluerit esse sacerdotii, Siricii vit. c. 2. in libr. pontif.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit num. Bb.* VI. Ut sacrificium non in serico panno aut tincto quisquam celebrare praesumat. 2 *Sg. Bb. Dst.* Hic. 3 *Bb.* consultum; *Sg. Dst.* consultu. 4 *Sic corr.* tinctu *sec. Sg. Bb. Dst.* 5 *Cod. in marg.* corporale lineo. 6 *Sg. Bb.* terrae. 7 *Sg. Dst. Bb. add.* linea. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit num. Sol. num. in Bb.* 9 *Dst.* desiderat. 10 *Bb.* ut. 11 *Bb.* esset. 12 *Sg. Bb. Dst. addunt:* diaconus annos quinque. 13 *Sg. Bb. Dst.* annos tres. 14 *Bb. Dst.* vir. 15 *Sg. Dst.* sic. 16 *Sg. Dst. add.* si. 17 *Dst.* occurrerint. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo deest num. Bb. omisit num. et rubricam.* 19 *Sg. Dst.* et. 20 *Sg. Dst.* docente. 21 *Bb.* vendicare. *Sg.* vindicare. 22 *Sg. Bb. Dst.* aliqua machinatione. 23 *Sg. Bb. Dst.* fungimur. 24 *Sg. Bb. Dst.* dominicus. 25 *Sg. Bb. Dst. addunt:* sermo. 26 *Sg.* molam asinariam. 27 *Sg. Dst.* detractant. 28 *Sg. Bb. Dst.* probari. 29 *Dst.* timeat. 30 *Dst.* formidat. 31 *Sic corr.* impositos *sec. Sg. Bb. Dst.* 32 *Dst.* custodiat. 33 *Cod. in marg.* non detrahendum. 34 *Sg.* exercere. 35 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo deest num. Bb.* VI. de non celebrandis missis nisi in sacratis locis. 36 *Sg. Dst.* Haec.

biter missas[1] caelebrare praesumat, nisi[2] in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cetero voluerit esse sacerdotii et pietatis effectu[3].

X. Hic sanctissimus papa subiesta[5] synodica revocavit apostolica auctoritate multos ab aliis episcopis excommunicatos et a tyrannis eiectos ad communionem, et restituit eos in ecclesiis quibus fuerant olim instituti sub satisfactione[6], atque purgatos[7] eos recepit dans exempla[8] futuris eruendi[9] sacerdotes de persequentium manibus.

[10] Constituit etiam nulla ratione transmarinum hominem penes nos in clericatus gratus[11] suscipi, nisi quinque episcoporum designatus sit chyrographis.

[X. De revocatione excommunicatorum ad communionem et restauratione eorum in ecclesiis suis et qualiter transmarinus homo debeat suscipi in clericatus gradu.][4]

INCIPIT EPISTOLA[12] ATHANASII ALEXANDRINORUM EPISCOPI ET OMNIUM AEGYPTIORUM PONTIFICUM MARCO PAPE DIRECTA, UT EIS NICENI[13] SYNODI VERA MITTERET EXEMPLARIA, QUIA EORUM ARRIANI INCENDERANT EIUSDEM CONCILII CAPITULA.[14]

Domino sancto et apostolici culminis dignitate venerando Marco sanctae Romanae et apostolicae sedis atque universalis ecclesiae papae Athanasius et universi Aegyptiorum episcopi.

Ad vos pervenisse non dubitamus quanta et qualia ab hereticis et maxime ab Arrianis cotidie patimur, quam[15] in tantum ab eis persequimur, ut etiam vivere iam nos taedeat. Nam instanti tempore subito et insperate in nos irruentes, nosque iuxta praeceptum domini, qui ait: Si vos persecuti fuerint in unam civitatem[16], fugite in aliam, fugiendo propter cladem populi, eos declinantes nos conprehendere non valuerunt, sed omnia nostra depopulati sunt, in tantum etiam nostra vastaverunt, ut nec libros nec vestimenta ecclesiastica aliaque ornamenta, nec reliqua utensilia nobis dimitterent. Libros vero nostros usque ad minimum incendentes, nec iota[17] unum relinquentes propter veritatis fidem etiam Nicenam synodum, qua modo clerus et populus imbuebatur et maxime iam imbuti erant, in contumeliam nostram et omnium christianorum incenderunt. [18] Quapropter praecamur, pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Niceni concilii exemplaria, ut illa nobis que sanctae recordationis praedecessoris vestri Silvestri fuerunt sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando praedictae[19] sinodo cum beate memoriae Alexandro, digno[20] deo pontifice nostro, id est Alexandrine magnae[21] civitatis episcopo, in diaconatus interfuimus officio sub nostrae praesentiae testimonio per beatos viros Victorem et Vincentium presbiteros[22], apostolicae sedis apocrisiarios, missa sunt praedicto papae Silvestro cum adstipula-

c. X. *Constituit etiam nulla — sit chyrographis*, Anast. I. vit. c. 2 in libr. pontif. Cf. Anast. I. pp. ep. 1.

Epistola Athanasii ficta videtur sec. Cass. hist. trip. VI. 22, verba Aurelii episcopi in init. conc. Carth. (D.) (= c. 9. conc. VI. Carth. H.), praefat. conc. Niceni coll. Quesnell. (Op. Leon. M. ed. Baller. 3, 22. 23. 25.)

quam in tantum — vivere noc taedeat. Cf. Fel. II. pp. 6.

Si vos persecuti — in aliam, Matth. X. 23.

apud vos — mittatis stipulatione sec. verb. Aurelii cit. Cf. Marc. 1.

Nam quando praedictae — Vincentium presbiteros sec. praef. Nic. conc. cit.

[1] *Sg. Bb. Dst.* missam. [2] *In marg.* ubi sit missa celebranda. [3] *Bb.* affectu: *sic Sg. manu post. corr.* [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo deest num. Sol. num. in Bb.* [5] *Bb.* subgesta. *Sg. Dst.* subiecta. [6] *Sg. Bb. Dst. add.* libelli. [7] *In Bb. m. s. XI. additur:* alii per legatos. [8] *Sg. Bb. Dst.* exemplum. [9] *Sg. Dst.* servandi. [10] *Cod. in marg.* de transmarinis. *Bb. rubricam ponit:* ut nullus clericum transmarinum sine cirographis recipiat. *Dst. in marg.* qualiter transmarinus recipiatur clericus. [11] *Sg. Bb. Dst.* gradu. [12] *Bb.* Incipiunt epistole. *Id. cod. inscriptioni apponit num.* I. *Deest numerus in Dst.; Paris.* 4280 *AA, qui etiam num. omisit, exhibet inscriptionem conspirantem cum rubrica huius epistolae p. 14 prolata.* [13] *Bb. Dst.* Nicene. [14] *Sg.* epistola Athanasii episcopi ad Marcum papam de laboribus suis. [15] *Sg. Dst.* quoniam. [16] *Sg. Dst.* una civitate. [17] *Sg. Dst.* ita. [18] *Bb. addit:* Intende (*quod al. manu in* item *corrigitur*) de eadem re Athanasius ita ait. [19] *Bb.* praedicto. [20] *Bb.* digne. [21] *Deest in Sg. Dst.* [22] *Dst.* presbiterum.

tione subnixa capitula septuaginta. [1] Sane praesentibus nobis octoginta in memorata capitula tractata sunt synodo, scilicet quadraginta, a Grecis Greca edita lingua, et quadraginta a Latinis similiter Latina edita lingua; [2] sed visum trecentis decem et octo [3] patribus in praedicto sancto spiritu repletis concilio congregatis, et maxime iam dicto Alexandro et apostolicae sedis apocrisiariis, ut decem capitula adunarentur aliis atque congruis in locis insererentur et ad formam LXX discipulorum vel totius orbis terrae linguarum, LXX tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, quae omnem christianorum informarent orbem et omnes sub sacerdotali et christiano [4] nomine degentes, una fides et una sacerdotalis atque clericalis regeret norma, nec quicquam a suo dissideret capite. Nunc ergo quia, ut praedictum est, inimici sanctae dei ecclesiae et maxime Arriani, a quibus cotidie expugnamur, conterimur [5] et opprimimur, prefata septuaginta Niceni concilii capitula quae de praefata synodo iam fato iubente [6] domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli [7], quae etiam coram omnibus recitavi atque transcripsi, sunt igne conbusta, obtamus ut a vestrae sanctae sedis ecclesiae auctoritate quae est mater et caput [8] omnium ecclesiarum ea ad correptionem [9] et recreationem fidelium ortodoxorum percipere per praesentes legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate vestrisque praecibus roborati inlesi a memoratis emulis sanctae dei ecclesiae et nostris evadere nobisque commissos eruere [10] valeamus. Usque hic vere novimus apostolatus vestri cor gratia sancti spiritus in tantum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis, quanto magis nobis qui, licet exigui ordinis, tamen vestri sumus vobisque oboedientes cum omnibus nobis commissis et [11] sumus et esse semper volumus. Ideo et decet et oportet vos nobis haec quae rogamus et alia quae necessaria iuxta sapientiam quam vobis prestavit [12] altissimus esse cognoveritis absque tarditate prestari, ut tantae miseriae squalores a fidelium [13] mentibus detergantur et quasi vulnus corpori infixum a domino tantae miseriae obsecrato [14] salutari curetur antidoto, ut divino freti iuvamine vestraque auctoritate atque auxilio roborati adversantium tergiversationes evadere valeamus atque inconfuso vultu non fraude cuiusquam [15] perculsi adsistere aeterno iudici mereamur et vocem audire inquientem: Euge, serve bonae et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Et subscriptio: Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum longis [16] dominus [17] conservet temporibus [18].

INCIPIT EPISTOLA MARCI PAPAE SUCCESSORIS VIDELICET SILVESTRI RESCRIPTA DE MISSIONE NICENI CONCILII CAPITULORUM ATHANASIO ET OMNIBUS AEGYPTIORUM EPISCOPIS. [19]

[I.] Dominis [20] venerabilibus fratribus Athanasio et universis Aegyptiorum episcopis Marcus sanctae Romanae apostolicaeque sedis et universalis ecclesiae episcopus.

una fides et una — dissideret capite, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692.) Cf. Pii 1, Sixt. II. pp., Melc. 3, Iul. 9, Fel. IV. pp. ep. 1.

Vere novimus — esse semper volumus, praef. concil. Rom. a. 721 sub Greg. (D.)

iuxta sapientiam — cognoveritis, concilii Africani ep. ad Bonif. pap. c. 101. conc. Afric. (D.) (= c. 11 conc. VI. Carth. H.).

ut tantae miseriae — salutari curetur antidoto, praef. conc. Rom. cit.

ut divino freti — in gaudium domini tui, praef. conc. Rom. cit.

Et subscriptio — conservet temporibus, Iustin. I. imper. ep. ad Ioann. II. pp. (Mansi 8, 797).

1 *Cod. et Dst. in marg.* de quantitate Nicene synodi. 2 *Bb. ponit rubricam:* de LXX capitula niceni concilii. 3 *Sg. Bb. Dst. add.* est. 4 *Sic corr.* christiani *sec. Sg. Dst.* 5 *Sg. Bb. Dst.* terimur, expugnamur. 6 *Bb.* iubente iam facto, *Dst. Sg.* iubente iam fato. 7 *Deest in Dst.* 8 *Sg.* pater et mater (*pro:* mater et caput). 9 *In Sg. manu post. corr. in:* correctionem. 10 *Bb.* commisso gregi servire. *Sg. Dst.* commissa-servare. 11 *Bb.* sed. 12 *Bb.* praestabit. *Sg.* praestitit. 13 *Sg.* fidelibus. 14 *Sic corr.* obserato *sec. Dst. Bb.* obsecratos. *Sg.* miseriae obsecrato, *manu post. corr. in:* misericordiae obsecrato. 15 *Sg. Dst.* cuiusque. 16 *Bb.* eius. 17 *Bb. addit:* multis. 18 *Sg. Bb. Dst. addunt:* amen. 19 *Bb. ad inscriptionem ponit num.* I. *Deest num. in Dst. et Par.* 4280 *AA, qui eandem ac in textu prolatam inscriptionem exhibent. Inscript. Sg.* Epistola sancti Marci papae Aegyptiis directa. 20 *Sg.* Domnis.

Doleo, fratres, et nimis[1] contristor super afflictione vestra, sed oppido consolor, quod vento agitata arundo non estis, sed recti[2] in fide inter omnes procellarum et turbinum conluctationes incessanter perduratis[3]. Lectis ergo fraternitatis vestrae litteris vigorem constantiae vestrae quem olim noveramus, agnovimus congratulantes vobis, quod ad custodiendum Christi gregem pastoralem curam vigilanter insequimini, ne lupi, qui sub specie ovium subintrarunt, bestiali sevitia simplices quasque[4] dilacerent, qui non ad hoc subintrarunt, ut aliqua correctione[5] proficiant seu ut ea quae sunt sana corrumpant. Quapropter moneo et hortor dilectionem vestram, ut[6] bonum quod coepistis amminiculante divina gratia usque in finem perducere satagatis veritatis voce monente: Beatus qui perseveraverit usque in finem; unde enim beata perseverantia nisi de virtute patientiae? Nam iuxta apostolum omnes qui voluerint piae vivere in Christo, persecutionem patientur, quae non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur aut quibuscumque suppliciis, cum persecutionum sevitiam suppleant et dissimilitudines morum et contumaciae inobedientium et malignarum tela linguarum: quibusque[7] conflictationibus communia semper membra pulsantur, a[8] nulla piorum portio conflictatione sit libera, ita ut[9] periculis nec otio careant nec labore. Nam et[10] haec omnia incrementa probabilium studiorum et in eis usque in[11] finem perseverantia atque bone voluntatis incrementa ad Christi gratiam semper sunt referenda, ut in omnibus quae[12] agimus deus omni perfecte laudetur tempore.

[13]De capitulorum namque verorum[14] Niceni concilii, quibus vos interfuisse litteris vestrae fraternitatis significatis[15], a nostris qui una vobiscum interfuerunt diligentioribus requisivimus conlocutionibus, qui ita ut vestrae testate sunt litterae omnem nobis ordinem exposuerunt et vestram epistolam per omnia veram esse testificaverunt[16], non ut nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitraremur, sed nos et vos illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire obtaremus, et sancta Romana ecclesia que semper inmaculata mansit et domino praevidente[17] et beato apostolo Petro opem ferente in futuro manebit, sine ulla hereticorum insultatione firma et immobilis omni tempore persisteret[18]. His ita peractis diligenter requirentes in sancto nostrae et apostolicae sedes scrinio eadem que sanctae recordationis praedecessori meo Silvestro sunt directa septuaginta, sicut significastis, capitula inlesa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem et subscriptionem[19] tantorum patrum et eius magni concilii minime misimus, sed per eadem coram apocrisiariis vestris alia similia eundem numerum eademque verba et ipsam subscriptionem continentia vobis scribere et sub certa stipulatione et confirmatione mittere curavimus. Et quis est qui fratribus talia negare[20] audeat[21]? Nam non negligenda nobis haec per sancti spiritus gratiam dominus docuit, sed fideliter exercenda et fratribus contradenda et docenda distribuit. Haec apostolorum viva traditio, haec est vera caritas quae praedicanda est et praecipue diligenda ac

c. I. quod vento — arundo non estis, Matth. XI. 7.
Lectis ergo fraternitatis — quae sunt sana corrumpant, Leon. M. ep. 2. c. 1. (1, 594). Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.
Beatus qui perseveraverit — otio careant nec labore, eiusd. ep. 167 init. (1, 1417).
nam haec et omnia — gratiam semper sunt referenda, Coelest. I. ep. ad Vener. c. 11. (H. no. 33.)
Sub certa stipulatione — mittere curavimus, verba Aurel. ep. in conc. Carth. init. Cf. Aegypt. ep. ad Marcum.
Et quis est, qui — negare audeat, c. 103. conc. Afric. (D.)

[1] *Sg. Bb. Dst.* nimium. [2] *Codd. cit.* recta. [3] *Sg.* perdurantes; *al. manu post. add.* vel perduratis. [4] *Sg. Dst. Bb.* quosque. [5] *Bb.* correptione. *Dst.* aliquam correptionem vestrum igitur. [6] *Deest in Dst.* proficiant — vestram ut. *Sg. om.* proficiant — vestram, *legens:* aliqua correctione vestrum bonum etc. [7] *Dst.* quibus. [8] *Sg. Bb. Dst.* pulsentur et. [9] *Dst. add.* in. [10] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [11] *Codd. cit.* ad. [12] *Sg. Dst.* omne quod. [13] *In Bb. additur:* Item de eadem re Marcus ita ait. [14] *Dst.* virorum. [15] *Dst. Sg.* significastis. [16] *Sg. Bb. Dst.* testificati fuerunt. [17] *Sg. Dst.* iuvante. [18] *Sg.* persistet, *post. manu corr. in:* persistat. [19] *Bb. Dst.* scriptionem. [20] *Sg.* abnegat, *post. manu corr. in:* neget. [21] *Om. Sg.*

[II. Quod Romana et apostolica sedes numquam erraverit.][1]

fovenda atque fiducialiter ab omnibus tenenda. II. Haec sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia quae per omnipotentis dei gratiam a tramite apostolice traditionis numquam errasse probabitur[2] nec hereticis novitatibus depravanda subcubuit, sed ut in exordio normam fidei christianae percoepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus inlibata finetenus manet, secundum ipsius domini salvatoris divinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principi in suis fatus[3] est evangeliis: Petre, inquiens, ecce satan expetivit ut cribraret vos sicut qui cribrat triticum, ego autem pro te rogavi ut non deficiat fides tua, et tu aliquando[4] confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra excellens prudentia quam bonum sit supersistere in dispensatione vobis credita et in fide recta atque hereticis et emulis Christi repugnare et numquam a veritatis tramite declinare, quoniam dominus et salvator omnium cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitavit et proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri non defecturam promisit et confirmare eum fratres suos ammonuit. Quod apostolicos pontifices meae exiguitatis praedecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum, quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio[5] pedissequa cupit existere.

[III. Quantum discrimen imminent pastoribus qui veritatem Christi praedicare neglegunt.][6]

III. Vae enim erit nobis qui huius ministerii[7] onus susceptum habemus, si veritatem salvatoris nostri Iesu Christi, quam apostoli[8] praedicare neglexerimus[9]; vae erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus qui erogare nummulariis iubemur, id est christianos populos imbuere et docere, quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis[10] eius veritatem confundimur praedicare? Quid erit de nobis cum de commissis nobis animabus et de officio suscepto rationem iustus iudex Christus deus noster districtam exegerit? Ideo, fratres, hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hereticos et inimicos sanctae dei ecclesiae, et a suis[11] mentibus ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus extirpetis, quoniam ut[12] habebit a deo digne remunerationis[13] praemium qui diligentius quod ad salutem commisse sibi[14] plebis proficiat fuerit executus, ita[15] ante tribunal domini de reatu negligentiae se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilege persuasionis auctores noluerit custodire. Data IX. Kalendas Novembris Nepotiano et Fecundo viris clarissimis consulibus.

INCIPIT FIDES IN SANCTO ROMANO TRACTATA CONCILIO A BEATISSIMO IULIO PAPA ET RELIQUIS VERE FIDEI EPISCOPIS.[16]

[I. De fide in sacro Romano tractata concilio a beatissimo Iulio papa et reliquis vere fidei episcopis.][17]

I. In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi, imperantibus quoque Constantio[18] et Constante augustis anno quarto sub die VIII. Kalendarum Octobrium, indictione sexta, praesidente sancto ac beatissimo Iulio papa sedis apostolicae urbis Romae, praepositis[19] sacrosanctis et venerabilibus evangeliis in ecclesia domini dei salvatoris nostri Iesu Christi, que vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus pariterque cum eo audientibus Benedicto Aquileiense[20] episcopo, Rufo sanctissimo Cartaginiano[21] episcopo, Agapito Ravennatis ecclesiae

Haec apostolorum viva usque ad finem. Cf. Luc. 8, Fel. I. pp. 18, ubi eadem leguntur.
Not. cons. sec. c. 1. vit. Marc. in libr. pontif.

Initium confictum sec. synod. Rom. Zachar. papae a. 743. (Mansi 12, 367.)

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo deest num. Sol. num. in Bb.* 2 *Post. manu in Sg. corr. in:* probatur. 3 *Bb.* factus. *Dst.* affatus. *Sg.* effatus. 4 *Dst. addit:* conversus, *quod in Sg. supra lineam additur.* 5 *Dst.* misterio. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., qui omisit num. Bb.* III. de taciturnitate episcopi. 7 *Dst.* misterii. 8 *Sg. Bb. Dst. addunt:* praedicaverunt. 9 *Sg.* neglegimus. 10 *Sg. Dst.* sermonum. 11 *Sg. Bb.* a sanis. *Dst.* insanos. 12 *Om. Sg. Dst.* 13 *Dst.* retributionis. 14 *Om. Dst.* 15 *Dst.* item. 16 *Sg.* Decreta Iulii papae. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA. Inscript. ibidem exhibetur:* Incip. decreta Iulii papae. *Dst. inscriptionem in textu prolatam omisso numero exhibet. Bb. num. inscriptioni apponit.* 18 *Sg.* Constantino. 19 *Sg.* post positis, *manu post. additur:* vel propositis. 20 *Bb.* Aquiliense. *Dst.* Aquiliensi. *Sg.* Aquiligensi. 21 *Codd. cit.* Cartaniano. *In Sg. manu post. corr. in:* Kartagiano.

episcopo, Iulio Mediolanensis ecclesiae episcopo, Luciano Maurianense[1] episcopo et reliquis cum eis centum sexdecim episcopis, Iulius sanctissimus praedictus episcopus urbis Rome dixit:

Sanctae sedi[2] et[3] apostolicae synodo ex dei voluntate et gratia indivisa communione sancti spiritus in hac[4] consonanter et unanimiter congregate[5] antiqua alma[6] urbe Roma[7] ad[8] confirmationem sacram et correctionem[9] fidei nostrae et christianorum inmaculate disciplinam, ut nostis, beatissimi fratres, necesse est cogitare et consonanter omnes nos docere secundum naturam[10] dei summi et patris sapientiam domini dei ac salvatoris nostri Iesu Christi omni desideranti unam[11] divinamque in eo adtestante veritatis voce naturam, quoniam[12] qui confitebitur me coram hominibus et ego confitebor eum coram patre meo qui in caelis est; qui autem negaverit me et verba mea, negabo eum et ego coram patre meo qui in caelis est. Unde oportet, ut primo fidem[13] trecentorum decem et octo patrum in Nicena synodo corroboratam ponamus et postmodum quae necessaria sunt fideliter tractemus. Cui ab omnibus una voce responsum est: Ad hoc convenimus, ut hoc[14] primo secundum dei voluntatem faciamus et a fundamentis[15] Christi Iesu incipiamus et denuo pro fratrum oppressione tractantes laboremus; quia[16] illi tam graviter affliguntur, nos respirare nec quiescere possumus, quoniam dum membra vexantur, totum corpus reliquum pacem aut quietem minime habere poterit. Haec est enim fides[17] Nicaena generali tractata synodo:

Credimus in unum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium invisibiliumque[18] factorem; et in unum dominum Iesum Christum filium dei, natum ex patre ungenitum, hoc est[19] substantia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non factum, consubstantialem patri per quem omnia facta sunt et quae in caelo et quae in terra, qui propter nos homines et propter salutem nostram descendit et incarnatus est[20] et homo factus est, passus[21], et resurrexit tertia die et ascendit in caelos, et venturus est iudicare vivos et mortuos; et in spiritum sanctum. Dicentes autem: erat quando non erat, aut non erat antequam fieret, aut quia ex non existentibus factus est, aut ex altera substantia vel essentia, dicentes esse aut creatum aut convertibilem filium dei: hos tales anathematizavit[22] catholica et apostolica ecclesia, hanc fidem venerabiliter[23] trecenti decem et octo[24] agnoverunt et corroboraverunt consonantes et[25] unanimes scriptis explanaverunt. Nam[26] dominus noster mittens ad praedicandum discipulos suos ait[27]: Euntes[28] docete omnes gentes, baptizantes eos[29] in nomine patris et filii et spiritus sancti, de quibus et adfirmamus ita habere et ita sapere, sed etiam dudum sic habuisse et ita sapuisse, et usque ad mortem pro hac instare fide anathematizantes omnem synodo[30] heresem. Haec omnia ex corde et anima sapuisse, ex quo novimus nosmetipsos, et nunc sapere et dicere coram omnipotente deo et domino nostro Iesu Christo cum veritate testamur. His enim ita praelibatis ingenita[31] patris natura extranea[32] est, sed praedicandum[33] esse consubstantialem patri filium[34], eo quod nullam aequalitatem ad creaturas factas dei filius habeat, sed soli patri genitori per omnem modum sit similis, et non sit ex alia qualibet substantia vel essentia, sed ex patris. Ante omnia siquidem exquisita sunt impia

Credimus in unum — unanimes scriptis explanaverunt, Cass. hist. trip. II. 9. Cf. Athan. ep. ad Lib.

Nam dominus noster — vel essentia sed ex patris, ibid. c. 11.

Ante omnia si quidem — improperia digna portanti, ibid. c. 12.

[1] *Dst.* maurianensi. [2] *Sg. Dst.* sedis. [3] *Om. Sg.* [4] *Dst.* haec. [5] *Dst.* congregata. [6] *Dst.* loca. [7] *Dst.* urbis Romae. *Sg.* urbis Roma, *post. manu corr. in:* urbes Roma. [8] *Sg. Bb. Dst.* et. [9] *Dst.* correptionem. [10] *Dst.* carnem. [11] *Sg. Bb. Dst.* vitam. [12] *Om. Sg. Dst.* [13] *Sg. add.* auctorum. *Dst.* actorum. [14] *Sg. Bb. Dst.* haec. [15] *Sg. Bb. Dst.* fundamento. [16] *Codd. cit. add.* dum. [17] *Codd. cit. add.* in. [18] *Sg. Dst.* et invisibilium. [19] *Sg. add.* ex. [20] *Om. Sg. Dst.* [21] *Dst. add.* est. [22] *Sg. Bb. Dst.* anathematizat. [23] *Sg. Bb. Dst.* venerabilem fidem. [24] *Sg. Dst. add.* et. [25] *Sg. Bb. Dst.* consonantesque. [26] *Codd. cit. add.* et. [27] *Om. Sg. Dst.* [28] *Sg. Dst. add.* inquit. [29] *Deest in Dst.* [30] *Sg. Bb. Dst.* sine deo. [31] *Sg. Dst.* unigenito. [32] *Sg. Dst. add.* non. [33] *Codd. cit. add.* est. [34] *Codd. cit.* patrem filio.

et iniqua et sine deo dogmata Arrii et consentientium eius[1] sub praesentia omnium decreto complacuit anathematizari impiam eius sectam, et iniqua[2] atque sine deo verba simul et nomina quibus utebatur[3], filio[4] dei blasphemans et dicens ex non existentibus[5] esse, et iterum fuit aliquando quando non fuit. Quomodo enim fuit aut quomodo iterum non fuit? Et pro libero arbitrio malitiae atque virtutis capabilem filium dei dicentes, creaturam nominantes eum atque facturam. Haec igitur omnia fatua et anilia et blasphema anathematizavit sanctum et universale concilium, et nec usque ad auditum impiae sectae atque tumoris[6] aut intellectum iniquorum[7] sensum accommodavit. Ea quidem quae de illo gesta sunt, qualem terminum habuerunt[8], omnia autem[9] audistis[10] et audietis, ne nos forte videamur viro obloqui propter delictum suum improperia[11] digna portanti. Eos enim qui dividunt[12] a paterna substantia et divinitate et alienant verbum a patre, dividi ab ecclesia catholica convenit et esse alienos a nomine christiano. Sint igitur nobis et omnibus anathema, eo quod verbum veritatis videantur esse[13] cauponati[14]. Apostolicum namque praeceptum est: Si quis vobis adnunciaverit praeter quod accepistis, anathema sit. His ergo nullum communicare denunciate; nulla est enim communio lucis[15] ad tenebras: hos pellite procul ab omnibus; nulla enim concordia Christi ad Belial. Servate vos, fratres karissimi, ut neque scribatis eis, neque eorum scripta suscipiatis. Studete simul et vos, fratres karissimi et comministri, tamquam spiritum praesentes nostro concilio consentire, atque subscriptione vestra decernere, ut ab omnibus ubique comministris nostris consonantia una serventur[16]. Abdicamus autem illos et extra terminos catholice ecclesiae procul abicimus, qui non adfirmant quod[17] deus est Christus, sed aiunt: verus deus non est, quia filius est, sed verus filius non est, ne genitus sit simul et ingenitus. Sic enim se intelligere natum profitentur, quia sic dixerunt[18]: Quod natum est factum est, et quia[19] cum Christus ante saecula sit, dederunt ei principium atque finem, quod non in tempore, sed[20] habet ante saecula. Oremus simul et pro nobis omnibus et reliquis obpressis fratribus, ut ipsi eruantur inlaesi et nos servemur inmaculati, ut quae bene placuerunt firma permaneant per dominum nostrum Iesum Christum secundum bonam voluntatem facta[21], sicuti credimus dei et patris in spiritu sancto, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Trinitas consubstantialis aeterna est Iesus[22]. Data Kalend. Novembris Feliciano et Maximiano vv. cc. conss.

INCIPIT EPISTOLA SANCTISSIMI AC BEATISSIMI IULII ROMANI PONTIFICIS ORIENTALIBUS MISSA EPISCOPIS ARGUENS EOS QUI FRATRES INSECUNTUR ET SINE SUA AUCTORITATE CONCILIA IN CONDEMPNATIONEM EPISCOPORUM CONTRA CANONICAM ET APOSTOLICAM AUCTORITATEM CONGREGANT EOSQUE ABSQUE APOSTOLICA SENTENTIA[23] AUT EXPELLUNT[24] AUT DAMPNANT CANONIBUS QUIPPE IUBENTIBUS NICHIL DE TALIBUS ABSQUE[25] ROMANO PONTIFICE DECERNI DEBERE.[26]

II. Venerabilibus fratribus universis Orientalibus episcopis Iulius.

Decuerat vos, fratres, aliis ecclesiasticis instruere[28] disciplinis et non talibus

Eos enim qui dividunt — non in tempore sed habet ante saecula, Cass. hist. trip. IV. 24.

Oremus simul et pro nobis — cui est gloria in secula, l. c. II. 12.

Not. cons. sec. vit. Iul. c. 1. in libr. pontif.

1 *Dst.* ei et. 2 *Sg. Dst.* iniquam. 3 *Sg. Bb.* utebantur. 4 *Sg. Dst.* filium. 5 *Bb. Dst.* extantibus. 6 *Sg. Bb. Dst. addunt:* huius. 7 *Dst.* inimicorum. 8 *Dst.* habuerint. 9 *Sg. Bb. Dst.* iam. 10 *Codd. cit.* aut. 11 *Sic corr.* inpropria *sec. Sg. Dst.*; *Bb.* imperia. 12 *Sg. Dst. add.* eum. 13 *Sg. Bb. Dst. om.* 14 *Bb. addit:* id est adulterati. *Dst.* id est adulterando fraudati. *Sg.* idem adulterando fraudati camponati; *manu post. post* fraudati *add.* et. 15 *Sg. Bb. Dst.* luci. 16 *Sg. Dst.* servetur. 17 *Bb.* quia. 18 *Bb.* qui sic dixerit. *Sg. Dst.* quasi dixerit. 19 *Bb.* qui. 20 *In Sg. manu post. add.* nec. 21 *Dst.* factam. 22 *Deest in Bb.* 23 *Bb.* aucta. *Dst.* auctoritate. 24 *Dst.* evellunt. 25 *Bb.* usque. 26 *Bb. addit:* V. Item de eadem re iulius ita ait. *Inscript. in Sg.* epistola Iulii papae. 27 *Par.* 4280 *AA et Bb. num.* II. *inscriptioni opponunt. Omittitur numerus in Dst.* 28 *Dst. Bb.* instrui.

arguere machinamentis dicente domino: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, et reliqua. De qua re et apostolus Paulus nos instruit dicens: Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tempteris, et reliqua. Et alibi idem apostolus ait: Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti[1], humiles, non reddentes malum pro malo vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditatem[2] possideatis. Qui enim vult vitam diligere et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia eius ne loquantur dolum; declinet[3] a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam, quia oculi domini super iustos et aures eius in preces eorum, vultus autem domini super facientes mala. Quid peius est[4], fratres, quam ut sacerdotes domini[5] qui ab omni mala coinquinatione et a nocumento omnium christianorum alieni debent existere, quanto magis a fratrum et coepiscoporum quos tueri et sublevari[6] debent ab insidiis impetunt[7], et quos fovere et diligere summopere oportet, persecuntur, eos[8] eicere et communione privari[9] detractant. Nec recordamini sapientiae quae ait: Perversae enim cogitationes separant homines[10] a deo; si perversae cogitationes separant homines a deo[11], quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est quam[12] illos de quibus dominus ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, quisquam avertere[13], persequi, destrui[14] nitatur? Probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos et docet insipientes. Est enim deus testis cordis hominis scrutatorque verus singularum conscientiarum et linguarum singularum auditor, quoniam spiritus domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Et alias idem ipse ait: deus caritas est, in hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est karitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit filium suum propitiationem[15] pro peccatis nostris. Karissimi, si deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere; deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est; in hoc intelligimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi. Quisquis[16] confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo; et nos cognovimus et credimus caritati quam habet deus in nobis; deus caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum ut fidutiam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam poenam timor habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo deum et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a deo, ut qui diligit deum, diligat[17] fratrem suum. Nam et ipsa sapientia ait: Lingua sapientium

c. II. Neminem concutiatis — faciatis, Luc. III. 14.
Fratres si praeoccupatus — ne et tu tempteris, Gal. VI. 1.
Omnes unanimes in — domini super facientes mala, I Petr. III. 8—12.
Perversae enim cogitationes — a deo, Sap. I. 3.
Qui vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.
Est enim deus testis — scientiam habet vocis, Sap. I. 6. 7.
Deus caritas est — qui diligit deum, diligit fratrem suum, I Ioann. IV. 7—21.
Lingua sapientium — iustitiam dirigitur a domino, Prov. XV. 2—9.

1 *Deest in Dst. Bb., in Sg. add. post. manu.* 2 *Sg. Bb. Dst.* haereditate. 3 *Codd. cit. add.* autem. 4 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 5 *Cod. et Dst. in marg.* de sacerdotibus, qui sacerdotes insecuntur. 6 *Sg. Bb. Dst.* sublevare. 7 *Deest in Bb.* 8 *Sg. Bb. Dst.* eosque. 9 *Sg. Bb. Dst. addunt:* non. 10 *Deest in Bb. Dst.* 11 *Deest in Dst.* si perversae — a deo. 12 *Sg. Dst. add.* ut. 13 *Sg. Bb. Dst.* evertere. 14 *Sg. Dst.* et destruere. 15 *Sic in Sg. post. manu corr.* propositionem. 16 *Sg. Dst.* quisque. 17 *Sg. Dst. add.* et.

et iniqua et sine deo dogmata Arrii et consentientium eius[1] sub praesentia omnium decreto complacuit anathematizari impiam eius sectam, et iniqua[2] atque sine deo verba simul et nomina quibus utebatur[3], filio[4] dei blasphemans et dicens ex non existentibus[5] esse, et iterum fuit aliquando quando non fuit. Quomodo enim fuit aut quomodo iterum non fuit? Et pro libero arbitrio malitiae atque virtutis capabilem filium dei dicentes, creaturam nominantes eum atque facturam. Haec igitur omnia fatua et anilia et blasphema anathematizavit sanctum et universale concilium, et nec usque ad auditum impiae sectae atque tumoris[6] aut intellectum iniquorum[7] sensum accommodavit. Ea quidem quae de illo gesta sunt, qualem terminum habuerunt[8], omnia autem[9] audistis[10] et audietis, ne nos forte videamur viro obloqui propter delictum suum improperia[11] digna portanti. Eos enim qui dividunt[12] a paterna substantia et divinitate et alienant verbum a patre, dividi ab ecclesia catholica convenit et esse alienos a nomine christiano. Sint igitur nobis et omnibus anathema, eo quod verbum veritatis videantur esse[13] cauponati[14]. Apostolicum namque praeceptum est: Si quis vobis adnunciaverit praeter quod accepistis, anathema sit. His ergo nullum communicare denunciate; nulla est enim communio lucis[15] ad tenebras: hos pellite procul ab omnibus; nulla enim concordia Christi ad Belial. Servate vos, fratres karissimi, ut neque scribatis eis, neque eorum scripta suscipiatis. Studete simul et vos, fratres karissimi et comministri, tamquam spiritum praesentes nostro concilio consentire, atque subscriptione vestra decernere, ut ab omnibus ubique comministris nostris consonantia una serventur[16]. Abdicamus autem illos et extra terminos catholice ecclesiae procul abicimus, qui non adfirmant quod[17] deus est Christus, sed aiunt: verus deus non est, quia filius est, sed verus filius non est, ne genitus sit simul et ingenitus. Sic enim se intelligere natum profitentur, quia sic dixerunt[18]: Quod natum est factum est, et quia[19] cum Christus ante saecula sit, dederunt ei principium atque finem, quod non in tempore, sed[20] habet ante saecula. Oremus simul et pro nobis omnibus et reliquis obpressis fratribus, ut ipsi eruantur inlaesi et nos servemur inmaculati, ut quae bene placuerunt firma permaneant per dominum nostrum Iesum Christum secundum bonam voluntatem facta[21], sicuti credimus dei et patris in spiritu sancto, cui est gloria in secula seculorum. Amen. Trinitas consubstantialis aeterna est Iesus[22]. Data Kalend. Novembris Feliciano et Maximiano vv. cc. conss.

INCIPIT EPISTOLA SANCTISSIMI AC BEATISSIMI IULII ROMANI PONTIFICIS ORIENTALIBUS MISSA EPISCOPIS ARGUENS EOS QUI FRATRES INSECUNTUR ET SINE SUA AUCTORITATE CONCILIA IN CONDEMPNATIONEM EPISCOPORUM CONTRA CANONICAM ET APOSTOLICAM AUCTORITATEM CONGREGANT EOSQUE ABSQUE APOSTOLICA SENTENTIA[23] AUT EXPELLUNT[24] AUT DAMPNANT CANONIBUS QUIPPE IUBENTIBUS NICHIL DE TALIBUS ABSQUE[25] ROMANO PONTIFICE DECERNI DEBERE.[26]

II. Venerabilibus fratribus universis Orientalibus episcopis Iulius.

Decuerat vos, fratres, aliis ecclesiasticis instruere[28] disciplinis et non talibus

Eos enim qui dividunt — non in tempore sed habet ante saecula, Cass. hist. trip. IV. 24.

Oremus simul et pro nobis — cui est gloria in secula, l. c. II. 12.

Not. cons. sec. vit. Iul. c. 1. in libr. pontif.

1 *Dst.* ei et. 2 *Sg. Dst.* iniquam. 3 *Sg. Bb.* utebantur. 4 *Sg. Dst.* filium. 5 *Bb. Dst.* extantibus. 6 *Sg. Bb. Dst. addunt:* huius. 7 *Dst.* inimicorum. 8 *Dst.* habuerint. 9 *Sg. Bb. Dst.* iam. 10 *Codd. cit.* aut. 11 *Sic corr.* inpropria *sec. Sg. Dst.*; *Bb.* imperia. 12 *Sg. Dst. add.* eum. 13 *Sg. Bb. Dst. om.* 14 *Bb. addit:* id est adulterati. *Dst.* id est adulterando fraudati. *Sg.* idem adulterando fraudati camponati; *manu post. post* fraudati *add.* et. 15 *Sg. Bb. Dst.* luci. 16 *Sg. Dst.* servetur. 17 *Bb.* quia. 18 *Bb.* qui sic dixerit. *Sg. Dst.* quasi dixerit. 19 *Bb.* qui. 20 *In Sg. manu post. add.* nec. 21 *Dst.* factam. 22 *Deest in Bb.* 23 *Bb.* aucta. *Dst.* auctoritate. 24 *Dst.* evellunt. 25 *Bb.* usque. 26 *Bb. addit:* V. Item de eadem re iulius ita ait. *Inscript. in Sg.* epistola Iulii papae. 27 *Par.* 4280 *AA et Bb. num.* II. *inscriptioni opponunt. Omittitur numerus in Dst.* 28 *Dst. Bb.* instrui.

arguere machinamentis dicente domino: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, et reliqua. De qua re et apostolus Paulus nos instruit dicens: Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tempteris, et reliqua. Et alibi idem apostolus ait: Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti[1], humiles, non reddentes malum pro malo vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditatem[2] possideatis. Qui enim vult vitam diligere et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia eius ne loquantur dolum; declinet[3] a malo et faciat bonum, inquirat pacem et sequatur eam, quia oculi domini super iustos et aures eius in preces eorum, vultus autem domini super facientes mala. Quid peius est[4], fratres, quam ut sacerdotes domini[5] qui ab omni mala coinquinatione et a nocumento omnium christianorum alieni debent existere, quanto magis a fratrum et coepiscoporum quos tueri et sublevari[6] debent ab insidiis impetunt[7], et quos fovere et diligere summopere oportet, persecuntur, eos[8] eicere et communione privari[9] detractant. Nec recordamini sapientiae quae ait: Perversae enim cogitationes separant homines[10] a deo; si perversae cogitationes separant homines a deo[11], quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est quam[12] illos de quibus dominus ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, quisquam avertere[13], persequi, destrui[14] nitatur? Probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos et docet insipientes. Est enim deus testis cordis hominis scrutatorque verus singularum conscientiarum et linguarum singularum auditor, quoniam spiritus domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Et alias idem ipse ait: deus caritas est, in hoc apparuit caritas dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est karitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit filium suum propitiationem[15] pro peccatis nostris. Karissimi, si deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere; deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est; in hoc intelligimus, quoniam in eo manemus et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, et nos vidimus et testificamur, quoniam pater misit filium suum salvatorem mundi. Quisquis[16] confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet et ipse in deo; et nos cognovimus et credimus caritati quam habet deus in nobis; deus caritas est, et qui manet in caritate, in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum ut fidutiam habeamus in die iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam poenam timor habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo deum et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a deo, ut qui diligit deum, diligat[17] fratrem suum. Nam et ipsa sapientia ait: Lingua sapientium

c. *II. Neminem concutiatis — faciatis*, Luc. III. 14.
Fratres si praeoccupatus — ne et tu tempteris, Gal. VI. 1.
Omnes unanimes in — domini super facientes mala, I Petr. III. 8—12.
Perversae enim cogitationes — a deo, Sap. I. 3.
Qui vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.
Est enim deus testis — scientiam habet vocis, Sap. I. 6. 7.
Deus caritas est — qui diligit deum, diligit fratrem suum, I Ioann. IV. 7—21.
Lingua sapientium — iustitiam dirigitur a domino, Prov. XV. 2—9.

1 *Deest in Dst. Bb., in Sg. add. post. manu.* 2 *Sg. Bb. Dst.* haereditate. 3 *Codd. cit. add.* autem. 4 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 5 *Cod. et Dst. in marg.* de sacerdotibus, qui sacerdotes insecuntur. 6 *Sg. Bb. Dst.* sublevare. 7 *Deest in Bb.* 8 *Sg. Bb. Dst.* eosque. 9 *Sg. Bb. Dst. addunt:* non. 10 *Deest in Bb. Dst.* 11 *Deest in Dst.* si perversae — a deo. 12 *Sg. Dst. add.* ut. 13 *Sg. Bb. Dst.* evertere. 14 *Sg. Dst.* et destruere. 15 *Sic in Sg. post. manu corr.* propositionem. 16 *Sg. Dst.* quisque. 17 *Sg. Dst. add.* et.

ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi domini contemplantur bonos et malos, lingua placabilis lignum vitae; quae autem inmoderata est, conteret spiritum. Domus iusti plurima fortitudo et in fructibus impii conturbatio; labia sapientium disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit, victime impiorum abominabiles sunt[1] domino, vota iustorum placabilia. Qui sequitur iustitiam, dirigitur a domino. Item alibi: Labia iusti considerant placita, os impiorum perversa, simplicitas iustorum diriget eos et supplantatio perversorum vastabit illos; iustitia rectorum liberabit eos et in insidiis suis capientur iniqui; iustus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia, in bonis iustorum exaltabitur civitas, et in perditione impiorum erit laudatio[2], benedictione iustorum exaltabitur civitas.

[III. Testimonium Iop contra eos qui patres persequi non cessant.][3]

III. Nec consideratis, qui fratres persequi non cessatis, qualia Iob pacientissimus[4] inter cetera exorsus loquitur[5]: Auris audiens beatificabat me et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem et pupillum cui non esset adiutor, benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum, iustitia indutus sum et vestivi me sicut vestimento et diademate iudicio meo. Oculus fui ceco et pes claudo. Pater eram pauperum et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui et de dentibus illius auferebam praedam; et paulo post: Si negavi, inquid, quod volebant pauperibus, et oculos viduae expectare feci. Si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea, quia[6] ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero[7] egressa est mecum. Nam si quis haec recto omnia consideraverit, oculo nequaquam fratribus[8] nocere sed liberare festinabit; quia nihil deterius est, quam cives civibus invidere et fratres fratribus insidiari[9] aut calumnias[10] facere.

[IV. Quare sancta sinodus sit congregata in Nicea et quid statuat.][11]

IV. Talibus enim suffragari volentes insidiis, patres[12] sancti synodum congregaverunt generalem in Nicea, vitam corrigere hominum cupientes in ecclesia commorantium, licet dudum instituta sanctorum multa·patrum essent conscripta, posuerunt leges, quas sacros canones appellamus, quibus multa pernecessaria ad statum sanctae dei[13] ecclesiae et supplementum columnarum eius, id est episcoporum qui eam propriis humeris[14] gestant, sunt decreta et nocumenta eorum prohibita: ita ut qui talia agere tentaverint aut eis nocere praesumpserint, siquidem clerici fuerint, a proprio gradu decidant[15], si vero monachi aut laici fuerint, anathematizentur[16]. Quibus armati exemplis oportere arbitrati sumus ab omnipotenti deo inspirati, ut hanc accensam discordie flammam extinguere apostolica debeamus auctoritate et non concedere eam ulterius animas depasci humanas. Quapropter una cum omnibus apostolicae subiectis regulae sancimus, ne quisquam deinceps christianorum talia perpetrare aut episcopis[17] temere nocere praesumat, cum et doctor gentium idipsum prohibeat dicens: Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, et reliqua; bonum est namque procul dubio et omnibus timentibus deum desiderabile, cohibere dissensiones et altercationes, fratribusque subvenire, et invicem non invi-

Labia iusti — impiorum perversa, Prov. X. 32. *simplicitas iustorum — exaltabitur civitas*, Prov. XI. 3. 6. 8—11.
c. III. Auris audiens beatificabat — illius auferebam praedam, Iob. XXIX. 11—17.
Si negavi, inquid — egressa est mecum, Iob. XXXI. 16—18.
quia nihil deterius — invidere. Cf. Dion. 1, Dam. 17.
c. IV. Talibus enim — appellamus, Cassiod. hist. trip. II. 14. Cf. Praef. 5, Iul. 11.
si quidem clerici — anathematizentur c. 2. conc. Chalc. (D.)
Quibus armatis exemplis — regulas sancimus sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1030.)
Seniorem ne — ut patrem, I Timoth. V. 1.
bonum est namque — invidere sed adiuvare sec. conc. cit. (l. c. 1030). Cf. Alex. 15.

1 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 2 *Sg. Bb. Dst. add.* in. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. sol. num.* 4 *Sg.* patientis sumus. 5 *Dst. Sg.* dicit. 6 *Dst. Sg.* et. 7 *Dst. Sg. Bb. add.* matris. 8 *Sg. Bb. Dst.* fratres. 9 *Bb.* insidiare. 10 *Sg.* calumniam. 11 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. In Bb. sol. num.* 12 *Deest in Bb.* 13 *Deest in Sg. Dst.* sanctae dei. 14 *Bb.* humeribus. 15 *Sg. Bb. Dst.* recedant. 16 *Bb.* anathematizantur. 17 *Sg. Bb. Dst.* episcopos.

dere, sed adiuvare. [1]Audite, inquid, iam factam[2] in Nicea civitate synodum[3], cui et ego ipse conscientiae meae cultum decenter exhibui, nihil aliud volens quam concordiam omnibus fabricare et prae cunctis arguere et removere hanc insidiantium altercationem. V. Quas providentes[5] sancti patres insidias et inlicitas altercationes unanimiter in praedicta Nicena statuerunt synodo, ut nullus episcopus nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica auctoritate convocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur id est iudicetur[6] vel dampnetur. Sin aliter[7] praesumptum a[8] quibusdam fuerit, in vanum deducatur quid egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabuntur[9]. Ipsa[10] vero primae sedis ecclesiae convocandarum generalium synodorum iura et iudicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, [11]quia semper maiores causae ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri praecepte[12] sunt, nec ullo modo potest maior a minore iudicari. VI. Ipsa namque omnibus maior et praelata est ecclesiis, quae non solummodo canonum et sanctorum patrum decretis, sed domini salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es, inquiens, Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et reliqua. Et quodcumque ligaveris et solveris[14] super terram[15], erunt ligata et soluta in caelo et in terra[16]. Porro dudum[17] a sanctis apostolis successoribusque[18] eorum in praefatis antiquis decretum fuerat statutis, quae actenus sancta et universalis apostolica tenet ecclesia, non oportere praeter sententiam Romani pontificis concilia celebrari nec episcopum dampnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatum omnium ecclesiarum esse voluerunt: et[19] sicut beatus Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita et haec ecclesia suo nomine consecrata domino instituente prima[20] et caput sit ceterarum, et ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores ecclesiae causae et iudicia episcoporum recurrant eiusque iuxta terminum[21] sumant sententiam, nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni pontificem, quatenus non ita proterve et pro libitu cuiusquam suo proprio arbitrio, quibusque metropolitanis, sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano pontifice[22] aut maiores ecclesiae causas deturbare aut episcopos dampnare; sed communi sanctae Romanae

[V. Qualiter episcopus in crimine pulsatus audiatur vel dampnetur et quod maior a minore iudicari non possit.][4]

[VI. Quod Romana aecclesia praelata sit omnibus ecclesiis.][13]

iam factam — altercationem, Cass. hist. trip. II. 22.
c. V. ut nullus episcopus — vel dampnetur, Ben. II. 381. aut c. 2 Angilr. (confl. ex c. 15. conc. Ant. D., Cassiod. hist. trip. IV. 9, Ebbonis Remensis apolog.). Cf. Marcelli 2, 10, Dam. 9.
Sin aliter praesumptum — reputabuntur, c. 2. Angilr. med. (Exempl. const. Symm. c. 3.). Cf. Luc. 5, Euseb. 21.
Ipsa vero primae sedis — sunt institutis sec. c. 2 Angilr. (Ben. II. 381 aut Cass. hist. trip. IV. 9). Cf. Praef. 8, Pelag. II. pp. ep. 1.
quia semper maiores causae — praecepte sunt sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rothom. c. 3. (H. no. 7), Ben. II. 381. III. 109. Cf. inf. c. 7, Anacl. 17, 34, Zeph. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Vigil. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.
nec ullo modo — a minore iudicari, Ben. II. 381. Cf. infr. c. 19, Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 19 (c. 18 Angilr.).
c. VI. Ipsa namque omnibus — super terram, conc. Nicen. praef. in coll. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Baller. 2, 23.). Cf. Anacl. 30, Marcelli 1.
non oportere praeter — concilia celebrari, Cass. IV. 9. (aut Ben. II. 381.) Cf. inf. c. 13, Marcelli 2, 10, Fel. II. pp. 2, Pelag. II. pp. ep. 1.
prima et caput — episcoporum recurrant sec. Innoc. I. ep. ad Fel. Nuc. pr. (H. no. 9). Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Dam. de corep. Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.
nec extra Romanum — decerni pontificem, Cass. hist. trip. IV. 19. Cf. infr. c. 11, Fel. II. pp. 1.

[1] *Bb. rubricam ponit:* qualiter accusatus audiatur episcopus. [2] *Sg. Bb. Dst.* facta. [3] *Sic corr.* synodis. *Sg. Bb. Dst.* synodus. [4] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Num. sol. in Bb.* [5] *Sg. Bb. Dst.* praevidentes. [6] *Deest in Sg. Bb. Dst.* id est iudicetur. [7] *Sg. Dst.* Similiter si. [8] *Sg. Dst.* in. [9] *In Sg. manu post. corr. in:* reputentur. [10] *In Sg. manu post. corr. in:* Ipsi. [11] *In marg.* Sedes Romana ceteris praelata. [12] *Dst.* referre praecepta. [13] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Dst.* VI. Sedes Romana ceteris praelata. [14] *Dst. Sg.* Et quecumque solveris *pro* Et quodcumque — solveris. [15] *Deest* super terram *in Bb.* [16] *Bb. addit:* et cetera. *Sg. Dst.* erunt soluta et in celis et cetera. [17] *Bb.* dum. [18] *Sic corr.* successores *sec. Sg. Bb. Dst.* [19] *Deest in Bb.* [20] *Sg. Bb.* primatum. [21] *Dst.* iusta terminatione. *Sg.* iusta terminum; iusta *post. manu corr. in:* iuxta. [22] *Om. Sg.*

sedis episcopi consilio[1] et concordi actione quaeque sunt Christi zelo agenda disponant unanimiterque recte sentiant; et ea quae senserint non sibimet discrepando, sed deo placita[2] perficiant.

[VII. De statuto Nicenae synodi ut accusatores et accusationes quas seculi leges non admittunt, removeantur a sacerdotali nocumento.][3]

VII. Est etiam in iam fata Nicena[4] concorditer statutum synodo, ut accusatores et accusationes quas saeculi non admittunt leges a sacerdotali funditus averti nocumento. [5]Ecce, inquid propheta, quam bonum et quam iocundum habitare[6] fratres in unum! Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum se solatio subtraunt aut fratribus insidias preparant. Non alieno, fratres vos patiamini peccato gravari, quia[7] quod necesse est nos dicere veremur, id est, ne[8] cuius religio dissipatur, indignatio provocetur. Prae oculis habete et tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam et communes cum ipso omnium apostolorum coronas cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratrum non destructione, sed confirmatione et veritate in Christo passi sunt. Nos ergo qui domini[9] discipuli et dici et esse volumus, portare crucem Christi et compati fratribus debemus et non persequi. Subtraite[10], rogamus, actus cogitationesque a talibus nocumentis, [11]si non vultis ipsam in vos suscipere ultionem, quoniam talionem meretur, qui fratri foveam praeparat. Et nos scitote deinceps hunc typum non esse passuros, ut ea quae ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem sicut iudicia episcoporum et maiores ecclesiae causas[12], ut paulo superius prelibatum est, faciunt, vos patiamini[13] nobis inconsultis invadere absque nostri[14] status periculo.

[VIII. De dampnatione episcoporum accusantium episcopum absque auctoritate apostolicae sedis.][15]

VIII. Sed si quis ab hodierna die et deinceps episcopum praeter huius sanctae sedis sententiam dampnare aut[16] propria pellere sede praesumpserit, sciat se inrecuperabiliter esse dampnatum et proprio carere perpetim[17] honore, eosque qui absque huius sedis sententia sunt eiecti vel dampnati, huius sanctae sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem et in propriis restitui sedibus; quoniam et prius a tempore, scilicet apostolorum, haec sanctae huic sedi concessa sunt et postea in memorata Nicena synodo propter pravorum hominum infestationes atque hereticorum persecutiones et insidiantium molimina fratrum sunt concorditer ab omnibus corroborata[18], ut magis singuli previdеant, ne talia audeant perpetrare et caveant, si non propter deum et amorem fratrum, tamen propter[19] obprobrium hominum, [20]ruborem suum atque canonicam ultionem, saltim haec timore ac verecundia compressa silentio comprimantur, amputato scilicet totius usurpationis excessu; quia nullus debet presumere, quae sibi non videntur esse concessa. [21] Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationem honoris[22] accipitis[23], inde legem totius observantiae sumeretis et beati apostoli[24] Petri sedes[25] quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiastice magistra rationis[26]. Unde sicut

c. VII. ut accusatores — averti nocumento, Ben. III. 108. (c. 96 conc. Afric.). Cf. Ben. III. 99. 437, c. 9 Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14.

Ecce inquid propheta — fratres in unum, Ps. CXXXII. 1.

Non alieno fratres — et veritate in Christo passi sunt, Leon. M. ep. 44. c. 2. (1, 915.)

Nos ergo qui domini — persequi, cf. Alex. 15.

Et nos scitote — typum non esse passuros, c. 101 conc. Afric. (D.)

ut ea quae cf. supra c. 5.

c. VIII. eosque qui absque — restitui sedibus, c. 10 Angilr. (Ben. II. 381. des. ex Cassiod. VII. 12.). Cf. Zeph. 12, Dam. 12.

amputato scilicet — excessu, Leon. M. ep. 14. c. 1. (1, 686).

quam culpam — magistra rationis, eiusd. ep. 16. c. (1, 716.)

Unde sicut multum — contristant quoniam, eiusd. ep. 14. c. 1. (1, 686).

[1] *Sg. Dst.* concilio. [2] *Sg. Bb. Dst.* placite. [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [4] *Bb.* facta Nicea. *Dst.* facta Nicaena. [5] *Cod. et Dst. in marg.* qui se fratrum solatio subtrahunt. [6] *Add. in Sg. manu post.* [7] *Dst.* quae, *in marg.* alii quia. [8] *Sic corr.* nec *sec. Sg. Bb. Dst.* [9] *Sg. Dst.* dei. [10] *Dst.* Subtrahi ergo. [11] *Cod. et Dst. in marg.* papa inconsultu nemo episcopum pellat. [12] *Sg. Bb. Dst.* causae. [13] *Dst.* patiamur. *Sic in Sg.* patiamus *post. manu corr.* [14] *Sg.* vestri. *Bb.* vestris. [15] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [16] *Bb. addit:* a. [17] *Dst.* perpetuae. *Sg.* perpetue, *post. manu corr. in:* perpetuo. [18] *Sg. Bb. Dst.* roborata. [19] *In Sg. manu post. add.* ob. [20] *Dst. addit:* ob. [21] *In marg.* non damnandum episcopum nisi in praesentia Romani pontificis. [22] *Sg.* consecrationis honorem. [23] *In Sg. manu post. corr. in:* accepistis. [24] *Dst. in marg.* de prima Romane sedis. [25] *Sic corr.* sedis *sec. Sg. Bb. Dst.* [26] *Dst. Sg.* tuitionis.

nos multum ea quae a vobis pie recteque sunt acta letificant, ita nimium ea quae sunt perperam gesta contristant, quoniam necesse est post multarum talium experimenta causarum IX. haec in posterum sollicitius prospici et diligentius precaveri, quatenus ea que sunt ab apostolis eorumque successoribus statuta, nulla desidia neglegantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. Nam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; conexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit, et haec quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum quibus, etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum[2] ut ceteris praemineret. De qua forma episcoporum quaedam est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursum quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem eius[3] susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri[4] sedem universalis ecclesiae cura conflueret et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam propositum[5], non moleste ferat aliquem sibi esse prelatum, sed oboedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi, doctrinis variis et extraneis nolite abduci, et[6] instituta apostolorum et apostolicorum virorum[7] contemnere nolite[8], canonesque[9] habetis, his fruimini[10], his circumdamini, his delectamini, his armamini, ut[11] freti contra inimicorum iacula persistere valeatis; satis enim indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare quam beati Petri sedem et sequi videat et docere. Multum enim[12] convenit, ut totum corpus ecclesiae in hac sibimet observatione concordet que inde auctoritatem habet, ubi dominus ecclesie totius posuit principatum, dicente scriptura: Ordinate in me karitatem; et iterum et item[13]: Omnia cum ordine fiant; iterumque[14] psalmista predicante: Circumdate Sion et conplectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda vestra in virtute eius, ut enarretis in progenies alteras[15], quoniam hic est deus, deus noster in aeternum et ipse reget nos in saecula. Officii enim nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christiane religionis zelus incumbit, ne per taciturnitatem aut favere[16] aut consentire videamur fratrum nocumenta[17]. Data Kal. Octobr. Feliciano et Maximiano viris clarissimis consulibus.

[IX. Ut statuta apostolorum inviolata permaneant et quod inter apostolos fuit quaedam discretio potestatis.][1]

c. IX. quatenus ea que — concertatione turbentur, eiusd. ep. cit. c. 11 (1, 690).
Nam sicut in uno corpore — obedientiam quam exigit dependat (1, 691. 692).
quoniam et inter etc. Cf. Clem. 29, Anacl. 33, Melc. 3.
per quos ad unam etc. Cf. infr. c. 17, Melc. 3.
et nihil usquam a suo capite dissideret. Cf. Pii 1, Calist. 1, Sixt. II. pp. 4, Melc. 3, ep. Aegypt. ad Marc., Fel. IV. pp. ep. 1.
Qui ergo scit etc. cf. infr. c. 11, Vigilii 7.
Nolite itaque — nolite abduci, Hebr. XIII. 9.
satis enim indignum — reget nos in saecula, Gelas. I. ep. ad episc. per Luc. c. 11. (H. no. 82).
Officii enim — zelus incumbit, Siricii ep. ad Eumer. pr. (H. no. 3.)
ne per taciturnitatem — fratrum nocumenta sec. Coelest. ep. ad Vener. c. 1. (H. no. 33) aut Ben. III. 44. Cf. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19, Fel. II. pp. 10, Dam. de corep., Peleg. II. pp. ep. 1, Ioann. III.
Not. cons. sec. vit. Iul. c. 1. in libr. pontif.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 2 *Sg. Bb. Dst. addunt:* est. 3 *Deest in Dst.* 4 *Dst.* patri; *in Sg.* patri *manu post. corr. in:* Petri. 5 *Bb. Dst.* praepositum; *sic* postpositum *in Sg. manu post. corr.* 6 *Bb.* en. 7 *Om. Sg.* 8 *Deest in Bb.* contemnere nolite. 9 *Sg. Bb. Dst.* canones. 10 *Sg.* instruimini. 11 *In Sg. manu post. add.* his. 12 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 13 *Deest* et iterum *in Bb.*, et item *in Sg. Dst.* 14 *Sg.* iterum. 15 *Sic corr.* altera *sec. Sg. Bb. Dst.* 16 *Sg.* favore. 17 *Sg. Bb. Dst.* nocumentis.

INCIPIT EPISTOLA ORIENTALIUM EPISCOPORUM IULIO ROMANO PONTIFICI MISSA GRAVITER FERENTES QUOD PAULUM CONSTANTINOPOLITANORUM ET ALEXANDRINORUM ATHANASIUM EPISCOPOS UNA CUM ALIIS EORUM SOCIIS A[1] SE DAMPNATOS EOS INCONSULTOS[2] IN COMMUNIONEM SUSCEPERIT ECCLESIASQUE CUM OMNIBUS AD SE PERTINENTIBUS EIS PROPRIAS APOSTOLICA REDDIDERIT AUCTORITATE.[3]

X.[4] Domino beatissimo et honorabili patri IULIO apostolicae sedis venerabili episcopo EUSEBIUS, TEOGNIUS, THEODORUS et BERINTUS una cum reliquis fratribus et quoepiscopis nostris in Antiochiam[5] congregatis.

Licet circa omnes Romanam ecclesiam sciamus esse[6] munificam[7] et apostolicam habere[8] curam[9] et semper matrem existere pietatis, quamquam ab Oriente ad eam predicatores pietatis advenissent, tamen optaremus vos nobiscum concordare, et quos a communione suspendimus a vobis esse suspensos, et quos in ordine confirmamus episcoporum[10] a vobis esse firmandos, nec nos secundo loco habendos, cum his ex partibus ad vos usque docmatizantes apostoli pervenerint. Nec enim nos vestris resultavimus, quamvis hoc agere potuissemus, quando Novatianus a Romana pulsus est ecclesia; quoniam[11], iuxta uti vulgarem consuetudinem loquamur, inimicitias quaerit omnis qui ab amico recedere vult, nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatum absque eius licentia a quo a[12] communione privatus est in communionem susceperit, canonibus scilicet iubentibus, ut excommunicatus ab aliis non suscipiatur viventibus illis a quibus communione privatus esse dinoscitur. Nec solum in his nobis contumeliam inrogatis, sed etiam in his quod concilia nostra dissolvitis neque ea rata esse sinitis. Sunt namque a nobis et maxime a totius Orientis episcopis dampnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus[13] Ancyre, Asclepius Gazze, Lucianusque Adriopolites[14] pro certis criminibus, quibus adversarii[15] sunt apud nos inscripti, qui[16] per praesentes huius epistolae latores omnia sub certa relatione vestrae[17] cognoscere non obmittimus sanctitati[18]. Quibus agnitis si[19] nostris placitis magis quam eorum machinationibus assentire et[20] ordinatos episcopos in dampnatorum loco firmare elegitis[21], pacem vobiscum et communionem habere volumus[22]. Si vero aliter egeritis et eis amplius quam nobis consentire iudicaveritis, contraria celebrabimus, et vobiscum deinceps nec congregari nec vobis oboedire nec vobis vestrisque favere volumus, sed per nos quicquid melius elegerimus agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarum etatem habens qui ignoret praedictorum molimina seductorum. Propter eos enim multa sunt mala peracta, multa concilia diversis et asperis temporibus celebrata, multae seditiones, multe machinationes, multa nobis obprobria inlata et alia multa quae enumerare[23] perlongum est. Nam si his con-

c. X. *Licet circa omnes — Novatianus a Romana pulsus est ecclesia* sec. Cass. hist. trip. IV. 16.

inimicitias quaerit — qui recedere vult, Prov. XVIII. 1.

ut excommunicatus — dinoscitur sec. c. 5. conc. Nicen. (H.)

Nec solum in his nobis — mille homines sint prostrati, sec. Cass. l. c. excogitata.

Athanasius — Lucianusque Adriopolites sec. Cass. l. c. IV. 15. Cf. Fel. II. pp. 13.

[1] *Sic corr.* ad *sec. Bb. Dst.* [2] *Dst.* eis inconsultis. [3] *Inscriptio Sg.* Epistola criminosissima orientalium episcoporum adversus patrem Athanasium vel socios ipsius Iulio papae directa. [4] *Num. Bb. Par.* 4280 *AA inscriptioni apponunt. Deest num. in Dst.* [5] *Sg. Dst.* Antiochia. [6] *Sg. Dst.* etiam. [7] *Sg.* magnificam. [8] *Sg. Dst.* haberi. [9] *Deest in Sg. Dst.* [10] *Sg. Bb. Dst.* episcopali. [11] *Sg.* qua. [12] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [13] *Dst.* Marcellius. [14] *Bb. Dst.* Adrianopolitis. *In Sg.* Adriopolites *manu post. corr. in:* Adrianopolites. [15] *Bb. Dst.* ab adversariis. [16] *Sg. Bb. Dst.* quae. [17] *Dst.* vestram. [18] *Dst.* sanctitatem. [19] *Dst. addit:* non. [20] *Bb.* assentiretis. [21] *Bb.* eligeritis. *Sg.* eligitis. [22] *Dst.* nolumus. [23] *Sg. Dst.* etiam numerare.

sentire eligitis[1], tunc liquet quod nos perdere vultis, et non ut pater filios fovere. Dicunt enim et affirmant tam cives istorum, quam et consacerdotes eorum, hos fovere vos velle homicidas, sacrorum templorum eversores, virginum stupratores, sacrorum librorum incensores, sacrorumque vasorum et ceterorum sacrorum ministeriorum[2] fraudatores, officiorum neglectores, imperatorum infidos, gentis et patriae proditores, et inter sacerdotes maximam generantes discordiam, eo quod consubstantialis[3] patris[4] vocem, quae scripturis[5] non invenitur[6], in fidei doctrina posuissent. Quid plura enarrare necesse est? Cum propter eos nobis et cunctis regionis huius habitatoribus scientibus tanta cedes hominum sit perpetrata, ut amplius quam mille homines sint prostrati? [7]Talibus autem[8] favere quid aliud est quam sceleribus eorum consentire? Cum sacra hec scriptura prohibeat dicens: Non solum qui faciunt, culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Talibus enim vos obsistere totis viribus oportet, ne involvamini in peccatis eorum et[9] excommunicationem eorum ne suscipiatis. Tales a vobis procul abicite, ne propter animositatem talium hominum infirme[10] anime et ignari populi sacrilega dissensione disipereant. Itaque oportet vos inprobis probe resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare perversos, liquet quod eorum protegatis errorem. Nec vero caret scrupulo societatis occulte, qui manifeste facinoribus desinit obviare. Decet enim vos ad arguendam proterviam eorum linguas acuere et velut venenosos a vobis repellere, ne eorum veneno vos vestrique in aliquo sauciemini. Igitur sufficiunt nobis querimonie contra eos delate, quoniam derelinquet nos tempus secundum quod[11] ait apostolus: Si voluerimus omnium obloquentium oblatas contra eos producere querelas, maxime dum haec nobis sufficiant[12] quae superius sunt recensita[13]. Nec nobis necesse est iterum eorum divulgare mala, cum ipsa per se prodeant[14] et maxime omnes Orientales testes super eorum malis existant, in ore enim, iuxta quod scriptum est, duorum vel trium testium stabit omne verbum, quanto magis in[15] multitudine tantorum sacerdotum et populorum, abbatum vel monacorum in scripto et sine scripto contra horum pravitatem nos cotidie vox adclamantium. Nos vero diu exspectavimus eos per multam pacientiam, ut crearent uvas, sed illi e[16] contrario[17] fecerunt labruscas. Vos ergo non oportet de cetero[18] neglegere[19] et differre tales, ne, quod absit, memoratis criminibus eorum[20] submittamini inrationabiliter episcopos[21] ponentes, ipsi enim nisi cito corrigantur iuxta quod beatus apostolus protestatur, secundum duriciam eorum et cor inpenitens thesaurizant sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: qui corrigendi sunt, ne per temporalem delectationem[22] et per mendacia atque figmenta sua vobis[23] assensum[24] prebentibus aeterna perdant premia, qui per veram poenitentiam consequi poterunt. Nec hec quae praedicta sunt solummodo Athanasio et sequacibus eius inrogamus, sed etiam quod contra regulam egerit, quam nos decreveramus[25], quia non decreto communis concilii episcoporum recepit sacerdotium, sed[26] sibimet inrogando[27] ecclesiam fuisset

Non solum — consentiunt facientibus, Ben. III. 261. 386 (Rom. I. 32). Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Pelag. II. pp. ep. 1.

Itaque oportet vos — desinit obviare sec. conc. Later. 649 secr. II. (Mansi 10, 951.) Cf. Dam. 23.

Igitur sufficiunt — vox adclamantium, conc. Later. cit. (l. c. 954.)

Nos vero diu — poenitentiam consequi poterunt sec. conc. cit. (l. c.)

Nec hec quae praedicta — omnium orientalium sociastis, sec. Cass. hist. trip. IV. 16.

1 *Sic post. manu* eligentes *in Sg. corr.* 2 *Bb.* ministerium. 3 *Bb.* consubstantialitatis. *In Sg. alia manu add.:* filii et. 4 *Deest in Bb.* 5 *Bb.* scripta. *Sg. Dst.* in scripturis. 6 *Sg.* inveniatur. 7 *Bb. rubricam ponit:* de his qui pravorum actibus favent. 8 *Sg. Bb. Dst.* enim. 9 *Deest in Bb.* 10 *Sg.* infirmatae. 11 *Addidi* quod *ex Sg. Bb. Dst.* 12 *Sg.* sufficiunt. 13 *Sic corr.* decensite *sec. Sg.; Bb. Dst.* recensite. 14 *Dst. Sg.* prodeunt. 15 *Deest in Bb. Dst.* 16 *Om. Dst.* 17 *Dst.* contra. 18 *Sg. Bb.* decreto. *Dst.* decreta. 19 *Bb.* neglere. 20 *Om. Sg. Bb. Dst.* 21 *Bb. Dst.* eos post; *in Sg.* eos post *corr. manu post. in:* eos prae. 22 *Codd. cit.* dilectionem. 23 *Codd. cit. add.* eis. 24 *Sg. Dst.* consensum. 25 *Bb.* decerneramus. *In Sg.* decerneramus *manu post. corr. in:* decreveramus. 26 *In Sg. manu post. add.* quod. 27 *Sg.* in arrogando.

ingressus et in sede resedisset, cum dudum decretum fuisset nullum a pauciore numero restitui debere, quam[1] depositum fuisse constaret[2]. Deinde quoniam eius adventu sit turba generata plurimique seditione sint mortui, et non solum hec per eum et propter eum sunt peracta, sed etiam quidam a iam dicto Athanasio cesi iudicibus dicuntur esse contraditi, haec et alia innumerabilia sunt ab eo, suisque sequacibus impudenter perpetrata, quos excommunicatos communioni ut audivimus, contra regulam in contumeliam omnium Orientalium sociastis. Prefato itaque debitae salutationis officio propter beati Petri honorum inpenso postulamus, ut deinceps ad vestras hinc venientes aures, non tam facile admittatis neque a nobis excommunicatos ultra velitis excipere, ne canonum transgressores inveniamini, sed magis salva fraterna caritate erratum hoc in posterum minime paciamini. Et subscriptio: Orantem pro nobis apostolatum vestrum dominus evo custodiat longiore, beatissime pater. Amen.

INCIPIT EPISTOLA SANCTISSIMI IULII ROMANI ARCHIEPISCOPI RESCRIPTA EUSEBIO TEOGNIO TEODORO BERINTO ET RELIQUIS ORIENTALIBUS EPISCOPIS CULPANS EOS QUOD ATHANASIUM EPISCOPUM ET PAULUM CETEROSQUE SEQUACES EORUM ABSQUE SEDIS APOSTOLICE CONSULTU DAMPNARE ET A PROPRIIS SEDIBUS PELLERE CONTRA CANONICAM PRAESUMPSERE AUCTORITATEM.[3]

XI.[4] Iulius sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae episcopus Eusebio, Theognio, Theodoro, Berintho et caeteris Orientalibus episcopis.

Decuerat vos adversus sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam limate et non hironice loqui, quoniam et ipse dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus ait: Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam, et tibi[5] dabo claves regni celorum. Habet enim potestatem singulari privilegio sibi concessam aperire et claudere ianuas regni caelestis quibus voluerit. Nam si ei detrahere que domini ore sacrata atque super[6] exaltata est, non renuistis, nec mirum si fratribus inrogare iniurias minime cessatis, unde iam silentio non teguntur que vestro in concilio turbulenter atque cum tempestate[7] decreta sunt. Apparet enim quoniam[8] tumultuosa indisciplinatione veritas est oppressa, vobis quippe inconsiderantibus[9] que placent deo propter iurgia quae contra proximos vestros habetis et vota vestra inevitabilia[10] esse contenditis, sed erit opus[11] divinam providentiam[12], quatenus et econtra[13] aperte deprehensa possint[14] evacuari et[15] quicquit illic convenientes sine[16] qualibet gratia, odio aut inimicitiarum causa[17] gessistis funditus repelli. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad huius sanctae sedis reverentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem per vos ipos possitis ostendere; nam nec dubitare vos credo Athanasium sacre legis doctorem non solum

Prefato itaque debitae — minime paciamini sec. c. 105. med. conc. Afric. (D.)
Orantem pro nobis — beatissime pater, fin. c. cit.
c. XI. Decuerat vos — hironice loqui sec. Cass. hist. trip. IV. 16. 19.
et ipse dominus — caelestis quibus voluerit, Nicen. conc. praef. coll. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Baller. 3, 23.)
unde iam silentio non leguntur — vos ipsos possitis ostendere, Cass. hist. trip. III. 7.
nam nec dubitare — perturbatorem esse significatis sec. eiusd. hist. trip. IV. 2. 5.

1 *Dst.* quem. 2 *Bb.* constare. 3 *Bb. addit:* Item de eadem re Iulius ait. *Inscript. Sg.* Epistola Iulii papae ad praedictos episcopos iusta indignatione et apostolica auctoritate referta. 4 *Bb. Par.* 4280 *AA num. inscript. apponunt.* 5 *Sg. Dst.* tibique *pro* et tibi. 6 *Dst.* desuper. 7 *Sic corr.* tespestate *sec. Sg. Bb. Dst.* 8 *Codd. cit. add.* quadam. 9 *Dst. Sg. Bb.* non considerantibus. 10 *Sg. Bb. Dst.* invincibilia. 11 *Deest in Sg. Dst.* 12 *Sg. Bb. Dst.* divinae providentiae. 13 *Sg. Bb. Dst.* haec contentio. 14 *Sic corr.* possit. 15 *Sg. Dst.* sed. *Bb. addit:* si. 16 *Dst.* sive. 17 *Sic corr.* causas *sec. Sg. Bb. Dst.*

a nobis, sed etiam a Nicena synodo vere fidei cultorem esse comprobatum, qui[1] defuncto Alexandro mirabili sene qui Arrii prostraverat blasphemias, post quinque menses Niceni concilii Alexandrinorum ecclesiae suscepit praesulatum, adversus quem eiusque[2] sectatores multa mendacia texentes et nudas valde[3] calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum eum causam et caput esse perhibuistis, et non solum apud Egyptum, sed etiam apud Palestinam et Fenicem vicinasque gentes scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re ecclesiasticam sequentes regulam vos et illos Rome regulariter ad iudicium die statuta non sub angusto temporis spatio, ut excusatio locum non inveniret, litteris et apocrisiariis evocavimus, illique[4] vocatione suscepta ad diem prestitutum[5] venere[6], sed vos ne[7] vestris mendaciis caperemini vestreque calumniae nudarentur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oves pastoribus desolatas lupos[8] pre[9] pastoribus super eos[10] posuistis. [11]Decuerat ergo ut ad regularem veniretis convocationem, qualiter de his et de aliis vestris presumtionibus veram redderetis rationem, quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret; et nullus dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum qui est innocens ut absolvatur, requirit[12]; nec suspicione caret, qui alium calumniis derogat falsa dixisse, cum ipse ad iudicium ut probet quae intulit evocatus venire distulerit. Vellem enim vos magis ad iam dictam canonicam convenire vocationem, ut coram universali concilio redderetis rationem, cur synodum ad statum ecclesiarum et fratrum in Antiochia subvertendum et Niceni magni concilii destructionem fecistis: aut cur nobis inconsultis episcopos in eam convocastis, ad quam nec maximus[13] Ierosolimitanus venit, nec nostra interfuit legatio[14]; canonibus quippę in Nicena synodo iubentibus[15] non debere preter sententiam Romani pontificis ullo modo concilia celebrari nec episcopos dampnari: aut cur in predictorum loco fratrum alios adulteros posuistis antequam penes nos aut nostros apocrisiarios eorum causa canonice esset examinata finemque perciperet rectum. Isti enim qui ad memoratam regulariter[16] venere convocationem[17] videntes vos a predictis subtrahere calumniis multa adversus vos lacrimabilia et doloribus plena referunt[18] accusantes vos et dicentes, multa se inportabilia a vobis esse passos: vos ergo refugientes venire, illosque perseverantes in vera raciocinatione suasque calumnias reclamantes, super quibus et Egyptiorum episcopi litteris nobis missis protestantur suis falsa esse, que contra Athanasium suosque sectatores machinantur, cuncta[19] Arrianorum[20] machinata blasphemiis: talibus namque figmentis liquet eos esse inculpabiles vosque culpabiles, quia si de[21] vera confideretis innocencia, nullo modo a iam dicta vos canonica subtraheretis evocatione[22], quae non subito[23] sed spaciose denunciata est, sed omni subducta[24] apologia absque tardatione venire et causas reddere festinaretis. Quibus ita gestis

Qua de re ecclesiasticam — super eos posuistis sec. eiusd. IV. 6.
quoniam occurreret — displiceret, Coelest. I. ad Vener. c. 1. (H. no. 33). Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.
et nullus dubitat — ut absolvatur, Bonifac. I. ep. ad episc. Galliae (H. no. 31).
Vellem enim — machinata blasphemiis sec. Cass. hist. trip. IV. 9. 19.
non debere preter — celebrari, Cass. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. s. c. 6. infr. c. 13, Marcelli 2, 10, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.
talibus namque figmentis — vosque culpabiles, ibid. IV. 15. Cf. Fel. II. pp. 13.
Quibus ita gestis — decerni pontificem, Cass. hist. trip. IV. 19. Cf. s. c. 6, Fel. II. pp. 1.

1 *Sg.* quia. 2 *Dst.* adversusque eum quasi. *Sg.* adversusque eum quasi in. 3 *Dst.* vel leves. *Sg.* nullas vel leves. 4 *Sic corr.* illumque *sec. Dst.*; *Bb.* illucque; *Sg.* illumque (*et add. m. post.*) constat. 5 *Sic corr.* praestitatum *sec. Sg. Bb. Dst.* 6 *Sg.* venisse. 7 *In Sg. manu post. add.* in. 8 *Bb.* lupo. 9 *Sg. Bb. Dst.* pro. 10 *Sg. Bb. Dst.* eas. 11 *Bb. rubricam ponit:* de his qui placitum subterfugiunt. 12 *Sg. Bb. Dst.* quaerit. 13 *In Sg. manu post. add.* patriarcha. 14 *Dst. Sg.* delegatio. 15 *In marg.* inconsulto Romano pontifice non deberi damnari episcopum. 16 *Sg. Bb. Dst.* regularem. *In Sg. manu post. add.* romam. 17 *Sg. Bb. Dst.* vocationem. 18 *Bb. Dst.* ferunt. *Sg.* asserunt. 19 *Sg. Bb.* cunctaque. 20 *In Sg. manu post. add.* esse. 21 *Om. Dst. Sg. Post. manu in Sg.* si vera *corr. in* in vestra. 22 *Sg. Dst.* vocatione. 23 *Sg. Bb. Dst.* saltu. 24 *Dst.* omnes subdicta.

scripsi vobis et omnibus qui in Antiochiam[1] contra apostolicam canonicamque regulam nobis inconsultis fueratis congregati, arguens vos primum de iniuriis litterarum, deinde cur Athanasium suosque consectatores ad vestrum concilium convocassetis, canonibus scilicet precipientibus nihil extra Romanum decerni pontificem, cui hec et[2] maiora ecclesiarum negotia tam ab ipso domino, quam ab omnibus universorum conciliorum patribus speciali sunt, ut iam dictum est, privilegio contradita[3]. Vobis vero refugientibus et ad concilium toties convocatis adesse nolentibus, illis quoque in sua reclamatione et iusta ratione persistentibus vestraque cognoscentes crimina et illorum iustam examinantes rationem omnesque eos[4] Niceno concilio[5] conperientes[6] et nostris apostolicis iussionibus obtemperantes, visum est nobis ac universo concilio, ut nos divinis praeceptis et apostolicis[7] monitis informati, qui pro omnium ecclesiarum statu inpigro vigilare debemus effectu, si quicquam reprehensione[8] usquam[9] invenitur obnoxium celeri sollicitudine[10] ab ignorantiae imperitia[11] aut a presumptionis usurpatione revocemus. His taliter consideratis atque decretis tamquam omnium curam gerentes[12] propter sedis propriae dignitatem suscepimus eos in communionem singulisque cum suis auctoritate huius sanctae sedis rebus proprias reddidimus ecclesias, quoniam huic sanctae sedi propter pravorum hominum insidias ipso domino instituente et sanctis apostolis eorumque successoribus per singula concilia roborantibus hoc semper licuit licebitque domino ausiliante in perpetuum. Unde qui se scit aliis esse prepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prelatum, sed temperantiam[13], quam ab aliis requirit gratis, et ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo, quia non recte tractastis viros inculpatos et a vobis[14] minime examinatos de suis ecclesiis communione privatos pellentes et ecclesiastice discipline iniuriam irrogantes constitutumque[15] Niceni concilii minime servantes talia indisciplinate agere non formidastis. Idcirco quoniam dudum venire vocati renuistis, modo ad certum diem, id est quinto decimo[16] Kalend. Novembris vos iterum regulariter litteris missis[17] evocamus, ut coram vobis ostendamus nos iustam in eos protulisse sententiam et de cetero[18] non talia esse passuros. [19]Est etenim in antiquis ecclesiae statutis decretum ut qui aliena invadit non exeat inponitus[20], sed cum multiplicatione restituat, unde et in evangelio scriptum est: Quod si aliquid[21] defraudavi reddo quadruplum. In lege quoque cautum est: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, et dicet[22] omnis populus: Amen. Quare miror vos tam audaces esse et tam inpudenter egisse, et terminos ac iura beati Petri apostolorum principis invasisse. Sui[23] enim, ut paulo superius prelibatum est, iuris erat, ut absque eius sanctae sedis auctoritate nullus deberet aut concilia celebrare aut

cui hec et maiora — contradita sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7.) Cf. Alex. 4.

ut nos divinis praeceptis — usurpatione revoremus, init. Leon. M. ep. 16. (1, 715.) Cf. Soth. 3, Zeph. 10, Fab. 1.

His taliter consideratis — proprias reddidimus ecclesias, Cass. hist. trip. IV. 15. Cf. Fel. II. pp. 13.

Unde qui scit — et ipse dependat, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692.) Cf. s. c. 9, Vigilii 7.

Quapropter increpando — non talia esse passuros, sec. Cass. hist. trip. IV. 15.

Est etiam in — restituat. Cf. Euseb. 13.

Quod si aliquid defraudavi — quadruplum, Luc. XIX. 8.

Maledictus omnis — populus Amen, Deuter. XXVII. 17. aut Ben. II. 381.

ut absque eius sanctae — concilia celebrare, Cass. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. s. c. 6, infr. c. 13, Marcelli 2, 10, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.

1 *Sg. Dst.* Antiochia. 2 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 3 *Sic corr.* contradicta *sec. Sg. Bb. Dst.* 4 *Deest in Sg. Dst.* 5 *In Sg. manu post. add.* defensos. 6 *Sg. Bb. Dst.* repperientes. 7 *In Bb. Dst.* iussionibus — et apostolicis *m. post. in marg. adduntur. Om. Sg.* 8 *Dst.* reprehensioni. 9 *Bb.* usque. 10 *Sg. Bb. Dst. add.* aut. 11 *Bb.* imperitiae. *Sg.* ignorantia imperitiae. 12 *Sg. Dst.* agentes. 13 *Bb. Dst.* obtemperantiam. 14 *Sg. Bb. Dst.* nobis. 15 *Bb.* constituta itaque. *Sg. Dst.* constitutaque. 16 *Sg. Dst.* quarto decimo. 17 *Bb.* misisque. *Sg. Dst.* missisque. 18 *In Sg. post. manu add.* nos. 19 *Bb. rubricam ponit:* qui aliena invadit, non exeat inpunitus. 20 *Ceteri:* impunitus. 21 *Sg.* aliquem. 22 *Sg. Bb. Dst.* dicit. 23 *Bb.* Sicut. *Sg.* Sive, *manu post. corr. in:* Sui.

episcopos ad synodum convocare vel dampnare eos aut propriis pellere sedibus aut alios in eorum loco ordinare: quae omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo[1] est aliud talis praesumptio, nisi quod[2] apostolorum suorumque successorum decreta transgredi et maledictionem superius comprehensam in lege scilicet cautam quam omnis populus uno ore consonaque responsione per Amen, id est fiat, confirmavit, suscipere non timuistis[3]. Nam, ut reor, talibus transgressionum funiculis constricti nostrum, ne vestra proderentur flagitia, examen declinastis et ad supradictam[4] vocationem venire distulistis. Sane manifestum est suum eos confiteri crimen, qui toties[5] evocati absque inevitabili causa venire distulerint et purgandi se voluntate non utuntur. Nam si de vestris dictis confideretis[6], etiam in faciem probare non distulissetis. Tales[7] insidiatores spiritu praevidentes sancti patres in Nicea congregati leges[8] statuerunt, quas[9] canones appellamus, ne facile probi ab inprobis dampnarentur, ex quibus nonnullas sententias his[10] inseri iudicavimus, ut tantorum patrum auctoritate nostra roboraretur[11] epistola atque omnes Orientales sive reliquarum partium episcopi haec audientes in tantam foveam non incidant, ne[12] dampnationem a patribus decretam percipiant. Secuntur enim haec ex praedicto concilio Niceno capitula, id est XVIII, XIX[13], XXI, XXIII, XXVI, XXVII, XXVIII, XXXIII[14], XLI[15] et V, VIIque et IX[16] ac LI, LII, LIII[17], LIV, LV et LVII[18], LVIII, LIX, LX, LXI, LXII[19], LXIII[20], LXVI[21].

XII.[23] Ut omnes episcopi qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit libere apostolicam[24] *appellent sedem atque ad eam[25] quasi ad matrem confugiant[26], ut ab ea, sicut semper fuit, pie fulciantur[27], defendantur et liberentur[28]. Cuius dispositioni[29] omnes maiores ecclesiasticas causas et episcoporum iudicia[30] antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit, quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint, quam eiusdem sedis papae fieri placuerit. [XII. Capitula Niceni concilii quedam.][22]

Placuit[31], ut accusatus vel iudicatus a provintialibus[32] in aliqua causa episcopus licenter appellet et adeat apostolicae sedis pontificem, qui aut per se aut per[33] vicarios suos eius retractari negotium procuret; et dum iterato iudicio pontifex causam suam agit[34], nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quamquam comprovintialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definire[35] inconsulto Romano pontifice permissum est, cum beato Petro apostolo non ab alio quam ab ipso dictum sit domino: Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis.

Sane manifestum — probare non distulissetis, sec. Bonif. I. ep. ad episc. Gall. i. f. (H. no. 31.) *Tales insidiatores — appellamus*, Cassiod. hist. trip. II. 14. Cf. Praef. 5, Iul. 4. *c. XII. Cuius dispositioni — auctoritas reservavit* sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7.) Cf. Sixt. I. pp. 5, Sixt. II. pp. 2. *quoniam culpantur — fieri placuerit.* Cf. Sixt. I. pp. 5, Vict. 6, Sixt. II. pp. 2.

Placuit ut accusatus — negotium procuret sec. tit. c. 7. conc. Sard. (D.) Cf. Vict. 5, Sixt. 5, Sixt. II. pp. 2. (Marcelli 2.) *et dum iterato — Romano pontifice permissum est* sec. c. 4. conc. Sard. aut Ben. II. 401. III. 103. Cf. Eleuth. 2, Vict. 5, Sixt. II. pp. 2. *Quaecumque ligaveris — et in caelis*, Matth. XVI. 19.

1 *Bb. Dst.* rogo. 2 *Deest in Dst.; Sg.* quam. 3 *Deest in Dst.* non timuistis. 4 *Sg. Bb. Dst.* sepedictam. 5 *Bb. Dst.* quo totiens. 6 *Sg.* confiteremini, *manu post. corr. in* consideretis. 7 *Bb. Dst. addunt:* enim. 8 *Sg. Dst.* legem. 9 *Sg. Bb. Dst. add.* nos. 10 *Codd. cit.* hic. 11 *Sg. Bb. Dst.* roboretur. 12 *Bb.* nec. 13 *Deest in Dst.* 14 *Sg. Dst.* XXIX. 15 *Bb.* XL. 16 *Sg.* VIII. 17 *Om. Sg.* 18 *Deest in Dst. Om. Sg.* LV et LVII. 19 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 20 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 21 *Deest in Sg. Bb. Dst. In Bb. post num.* LXI. *add.* Capitula LXXII Niceni concilii, utillima et necessaria quae in nostris non habentur canonibus. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst., in quo num. deest. Sol. num. in Bb.* 23 *Dst. add. num.* XVIII. 24 *Hic deest folium in cod. Quae sequuntur usque ad verba:* obtemperanter permittimus (*p.* 469) *desumsi ex Par.* 3852. 25 *Sg. Dst.* eandem. 26 *Sg. Dst.* fugiant. 27 *Dst. addit:* et. 28 *Deest in Dst.* et liberentur. 29 *Bb.* dispositionis. 30 *Bb.* iudicio. 31 *Dst. in marg.* XIX. 32 *Sg. Bb. Dst.* conprovintialibus. 33 *Deest in Sg. Bb.* 34 *Bb. Sg.* egit. *Dst.* egerit. 35 *Sg.* et finire *pro:* definire. *Dst. Bb.* definiri.

Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem dioeceseos aut penes[1] universalis apostolicae ecclesiae papam iudicetur.

Accusatores et accusationes quas leges saeculi[2] non adsciscunt[3], et nos unanimiter submovemus, nec fiat in districta probatione impietas, cum recta sit[4] iudicii[5] in electione sententia[6].

[7]Nullus episcopus alterius parochianum praesumat retinere aut ordinare absque eius voluntate vel iudicare, salva tamen in omnibus apostolica auctoritate, quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita et diiudicatio, quoniam censemus nullum alterius iudicis, nisi sui sententia teneri[8]. Nam qui eum ordinare non potuit nec iudicare ullatenus poterit[9].

[10]Si quis erga episcopum vel actores[11] ecclesiae se proprium crediderit habere negotium, non prius adeat iudices, quam ad eos recurrat caritatis studio, ut familiari conloquio commoniti ea sanare[12] debeant, quae in querimoniam deducuntur. Quod[13] si aliter egerit, communione privetur.

[14]Nemo pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus aut a sede pulsum excommunicare aut iudicare praesumat, quia non est privilegium quo[15] spoliari[16] possit iam nudatus. Pari tenore decernimus non credi accusatori, qui absente adversario causam suggesserit ante utriusque partis discussionem, nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei.

[17]Placuit, si accusatus vel damnatus episcopus appellaverit Romanum pontificem, id statuendum quod ipse iuste censuerit et omnes qui adversus patres armantur, infames esse censemus, neque eos qui cum inimicis morantur ad accusationem vel ad testimonium recipiendos.

[18]Placuit, ut semper in accusatione clericorum primo persona, fides, vita et conversatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis praecedere debet, quia dubius in fide infidelis est, nec eis omnino est[19] credendum qui veritatis fidem ignorant nec rectae conversationis vitam ducunt: quoniam tales facile et[20] indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda, neque accusatoribus suspectis et de inimicorum domo[21] prodeuntibus credendum.

Quod non aliae metropolitanae ecclesiae vel[22] primates sint, nisi illae quae

Accusatores et accusationes — unanimiter submovemus, Ben. III. 108. (c. 96. conc. Afric.) Cf. Ben. III. 307, c. 9 Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Calist. 16, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 7, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14.

nec fiat in — sententia, Ennod. ep. I. 18. (p. 31.)

Nullus episcopus alterius — iudicare ullatenus poterit, c. 15 Angilr. aut Ben. III. 308 (conflat. e c. 21 tit. et text. conc. III. Carth., c. 22. conc. Antioch. D., interpr. 2. C. Th. IV. 16.) Cf. Calist. 12, Sixt. II. pp. 6.

Si quis erga episcopum — communione privetur, Ben. II. 381. aut c. 1 Angilr. (c. 17. conc. V. Aurel.) Cf. Anacl. 20, Sixt. II. pp. 5.

Nemo pontificum — praesumat, Ben. III. 153. Cf. Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6.

quia non est — iam nudatus, Ennod. lib. apolog. (p. 337.) aut Ben. add. III. 8. Cf. Sixt. I. pp. 6, Sixt. II. pp. 6, Euseb. 12, Iul. 12, syn. V. Symm., Ioh. I. pp. ep. 1.

Pari tenore decernimus — utriusque partis discussionem, int. c. 9. C. Th. XI. 39. aut Ben. III. 238. Cf. Telesf. 4.

nec accusatores — sunt idonei sec. int. c. 13. eiusd. tit. Cf. Anacl. 19, Telesf. 4.

Placuit si accusatus — censuerit, epit. Hadr. c. 8. conc. Sard. aut Ben. III. 315. aut c. 20 Angilr. Cf. Fab. 29, Sixt. III. pp.

et omnes qui adversus — infames censemus, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19 (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Pelag. II. pp. ep. 1. (Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5.)

cum inimicis morantur — recipiendos, Ben. III. 187. Cf. Telesf. 4, Symm. syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1.

Placuit ut semper — primo et corrigenda, c. 3 Angilr. (Ben. I. 393, Xysti Pyth. s. 156. 5, Ben. I. 335.) Cf. Sixt. I. pp. 3.

neque accusatoribus — prodeuntibus credendum, Ennod. lib. apol. p. 327. aut Ben. add. III. 15, Sixt. I. pp. 3, Marcelli 11.

[1] *Sg. add.* sententiam. [2] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [3] *Sg.* asciunt. [4] *Sg. Dst.* sint. [5] *Dst.* iuditia. [6] *In Sg. Dst. deest.* [7] *Dst. in marg.* XXIII. [8] *Dst.* sententiam tenere. [9] *Sg.* potuit. [10] *Dst. in marg.* XXVI. [11] *Sg.* auctores. [12] *Bb.* sanari. [13] *Sg.* quoniam. [14] *Dst. in marg.* XXVII. [15] *Dst.* quod. [16] *Sg.* despoliari. [17] *Dst. in marg.* XXVIII. [18] *Dst. in marg.* XXXIII. [19] *Sg. Bb. Dst.* esse. [20] *Sg. Dst.* aut. [21] *Sg. Bb. Dst.* domibus. [22] *Om. codd. cit.*

prius primates erant[1] et post Christi adventum auctoritate apostolica et sinodali primatum[2] habere meruerunt. Reliquae vero non primates, sed metropoles vocentur, eorumque episcopi non primatum[3] sed aut metropolitanorum aut archiepiscoporum nomine fruantur.

[4] Infames esse censemus omnes qui suam aut christianam praevaricantur legem aut canonicam postponunt auctoritatem.

Salvo in omnibus Romanae aecclesiae privilegio nullus metropolitanus absque caeterorum omnium comprovintialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum[5], quia irritae erunt, immo et causam in synodo pro facto[6] dabit.

Alienis erroribus sotiatum vel a sui propositi tramite recedentem[7] aut sacris canonibus inoboedientem suscipere non possumus, nec inpetere recte credentes vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes permittimus[8].

[9] Peregrina iuditia generali sanctione prohibemus, quia indignum est ut ab exteris[10] iudicetur, qui provinciales et a se electos debet habere iudices.

Salva apostolicae aecclesiae auctoritate nullus episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur[11], sed vocato eo canonicae in loco omnibus congruo tempore synodali ab omnibus conprovintialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam, quoniam si hoc minoribus tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari convenit? Nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit aut infensos[12] senserit, apud primates[13] dioceseos aut apud Romane sedis pontifices iudicetur.

[14] Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum, quoniam eius adquae omnis rei professio periculosa est et admitti adversus quemlibet non debet.

[15] Incerta nemo umquam pontificum iudicare presumat, quia quamvis vera sint, non tamen credenda[16], nisi que manifestis indiciis[17] conprobantur, nisi quae manifesto iudicio convincuntur, nisi que iuditiario ordine publicantur.

[18] Criminationes maiorum natu per alios ne[19] fiant, nisi qui per ipsos crimina intendunt, si tamen ipsi digni et inreprehensibiles apparuerint et actis docuerint publicis, omni se carere suspitione atque inimicitia et inreprehensibilem fidem ac conversationem ducere.

Reliquae vero — archiepiscoporum nomine fruantur sec. c. 12. conc. Chalc. (D.) et c. 6. conc. Afric. (D.). Cf. Clem. 28. 29, Anacl. 26. 28, Fel. II. pp. 12. XIII. (Annic. 3, Steph. 9.)

Salvo in omnibus — pro facto dabit, c. 11 Angilr. (c. 28. 30. conc. IV. Carth., cf. quoque Ben. III. 106. II. 363. III. 219.) Cf. Vig. 2, Luc. 4.

Alienis erroribus sociatum — obtemperantes permittimus. Cf. Vigin. 6, Dion. 4.

Peregrina iuditia — habere iudices, Ben. III. 309. aut c. 16 Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1.) Cf. Anacl. 15, Vig. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Sixt. III.

Salva apostolica auctoritate — servari convenit, Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. [verba: *nullus episcopus — debent sententiam* conficta sec. c. 15. conc. Ant. (D.) adhibit. apolog. Ebbon. Rem. — verba: *quoniam si hoc — convenit* sec. c. 105 conc. Afric. (D.): „nam et si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari"]. (Cf. Luc. 5.)

Nam si ipse — iudicetur, Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. (c. 9. 17. conc. Chalc. D.). Cf. Annic. 4, Fel. II. pp. 12. XX. (Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Fel. II. pp. 4.)

Nemini de se confesso — super crimen alienum, Ennod. ep. I. 4. (p. 8). Cf. Dion. 4. (Steph. 11.)

quoniam eius — non debet, interpr. c. 12. C. Th. IX. 1. aut Ben. III. 324. aut c. 30. Angilr.

Incerta — publicantur. Ben. III. 259 (Isid. syn. lib. II. no. 86). Cf. Praef. 5, Vict. 4, Sixt. II. pp. 7.

Criminationes maiorum — crimina intendunt sec. l. Visig. Rom. Pauli rec. sent. V. 4. 12. aut Ben. III. 246. Cf. Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4.

et actis docuerint — ducere, Ben. I. 401. (c. 13. conc. I. Arelat.). Cf. Vigin. 3, Luc. 2, Dion. 4.

1 *Deest in Sg. Dst.* 2 *Sg.* primates. *Dst.* primatem. 3 *Sg. Dst.* primates. 4 *Dst. in marg.* V. 5 *Deest in Dst.* 6 *Sg. Dst.* factam *pro:* pro facto. 7 *Sg.* cedentem. 8 *Cf. supra p.* 467. *n.* 24. *Quae sequuntur, des. ex cod. Par. int. suppl. lat.* 840. 9 *Dst. in marg.* VII. 10 *Sg. Bb. Dst.* externis. 11 *Sg. Dst.* revocetur. 12 *Sg. Bb. Dst.* infestos. 13 *Sg. Bb. Dst.* primatem. 14 *Dst. in marg.* IX. 15 *Dst. in marg.* LI. 16 *Sg. Bb. Dst. addunt:* sunt. 17 *Bb.* iuditiis. 18 *Dst. in marg.* LII. 19 *Sg. Bb. Dst.* non.

[1]Ut provintialis synodus retractetur per vicarios urbis Rome[2] episcopi, si ipse decreverit.

[3]Placuit, ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices aecclesiasticos, ubi est auctoritas maior, fuerit provocatum, audientia non negetur.

[4]Si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio[5] et voluntate omnium conprovintialium episcoporum aliquid agere temptaverit, gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit, irritum habeatur[6] et vacuum; sed quicquid de comprovincialium[7] episcoporum causis suarumque aecclesiarum et clericorum adque saecularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni[8] consensu conprovintialium[9] agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare; et alibi: Qui maior est vestrum, erit minister vester, et reliqua. Similiter et ipsi conprovinciales episcopi cum eius consilio, nisi[10] quantum ad proprias pertinet parrochias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in saecula.

[11]Caveant iudices aecclesiae, ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant; quia irrita erit, quippe et[12] rationem[13] pro accione reddent in synodo, et ut proditoris calumnia, nec eorum postea[14] vox audiatur; nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille qui[15] iniuriam eiusque sustinet[16] nequitiam.

[17]Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in[18] provintia in qua ille consistit qui pulsatur, suas exerat actiones, nec estimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad iuditium; ille vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat appellare.

Primates accusatum discutientes[19] episcopum non ante sententiam proferant dampnationis quam apostolica freti[20] auctoritate[21], aut reum se ipse[22] confiteatur, aut per innocentes et canonicae examinatos regulariter testes convincatur.

[23]Irritam esse iniustam[24] episcoporum[25] dampnationem, idcirco a sinodo retractandam[26], ita ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

[27]Detractores qui divina auctoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum ab episcopali submovemus accusatione. Similiter ne summorum quispiam minorum

Ut provintialis — si ipse decreverit, epit. Hadriani, c. 7. conc. Sard. aut Ben. III. 349. aut c. 39 Angilr. Cf. Marcelli 2.
Placuit ut — audientia non negetur, c. 42 Angilr. (Ben. I. 404. II, 300. III. 121. des. ex c. 15 conc. Carth. D.) Cf. Luc. 2. (Corn. 5.)
Si quis metropolitanus — trinitas in saecula, c. 43 Angilr. aut Ben. III. 358 (c. 9. 13. Antioch. D., Matth. XX. 28. 26, c. 35 apost.). Cf. Calist. 13, Luc. 3.
Caveant iudices — reddent in synodo, c. 30. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 219. II. 363. aut c. 49 Angilr. Cf. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5.
et ut proditoris — vox audiatur, int. c. 2. C. Th. X. 10. Cf. ll. cc.
nemo enim debitorem — sustinet nequitiam, c. 3. C. Th. X. 10. aut Ben. III. 253 i. f. Cf. ll. cc.
Si quis super quibuslibet — liceat appellare, c. 7 Angilr. (interpr. tit. I. nov. Marciani). Cf. Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3.
Primates accusatum — convincatur, c. 1 (bis) Angilr. aut Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1. C. Th. IV. 40.) Cf. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4.
Irritam esse — retractandam, c. 28 conc. IV. Carth. aut c. 2 (bis) Angilr. Cf. Fel. I. pp. 4.
ita ut oppressis — subveniatur causis. Cf. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 4.
Detractores qui divina — submovemus accusatione. Cf. Zeph. 3, Fel. I. pp. 2.
Similiter ne summorum — aut dispereat, Ben. I. 397. II. 381. Cf. ll. cc. (Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19.)
neque in re dubia — sententia, Greg. M. ep. X. 29. (2, 1060). Cf. Fel. I. pp. 2, Iul. 12.

[1] *Dst. in marg.* LIIII. [2] *Sg. Bb. Dst.* Romani. [3] *Dst. in marg.* LIV. [4] *Dst. in marg.* LV. [5] *Sg.* concilio. [6] *Sg. Dst.* habetur. [7] *Bb.* provintiale. *Sg. Dst.* provintialium. [8] *Dst.* omnium. [9] *Sg. Bb. Dst.* provincialium. [10] *Dst.* non nisi. [11] *Dst. in marg.* LVII. [12] *Om. Sg. Dst.* [13] *Bb.* qui perpetrationem. [14] *Deest in Sg. Bb. Dst.* eorum postea. [15] *Dst. Sg. add.* iam. [16] *Dst.* sustinuit. [17] *Dst. in marg.* LVIII. [18] *Sg. Bb. Dst. add.* ea. [19] *Om. Sg.* primates accusatum discutientes. [20] *Dst. addit:* sint. [21] *Dst. addit:* et. [22] *Dst.* ipsum. *Sg.* se ipsum, *post. manu corr. in:* se ipse. [23] *Dst. in marg.* LX. [24] *Sg. add.* in. [25] *In Sg. manu post. corr. in:* episcopum. [26] *Dst.* id synodo tractandum. [27] *Dst. in marg.* LXI.

accusationibus impetatur[1] aut dispereat, neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iuditium, nisi ordinabiliter habitam teneatur.

XIII. Plura de his ideo hic non inserimus[3], ne vacuare vilemve praedictam synodum facere videremur aut fastidium legentibus audientibusque prolixa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora adque habundantiora scire voluerit, in sacro nostrae sedis aecclesiae scrinio et ea que praediximus invenire poterit. Verum me dixisse[4] testis est divinitas. De receptione vero sedis et sacerdotii atque honoris, quae dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis, sed corumdam episcoporum consilio[5] adque decreto suum recepit quod iniuste perdiderat sacerdotium et resedit in sede. Quod enim scripsistis, non eum posse a pauciore numero episcoporum sotiorum videlicet vestrorum[6] restitui quam[7] depositus fuerat, non ita est, nec hec regula ortodoxorum sanctae aecclesiae est episcoporum, sed Arrianorum sotiorum, videlicet vestrorum hec adinventio ad perditionem ortodoxorum episcoporum contexta est. Nam ut nobis a veracibus est testibus relatum, quando Antiochia[8] pro dampnatione fidei de consubstantialitate prolata[9] fuistis congregati odio praedicti Athanasii hanc regulam protulistis que nullas habet vires, nec[10] habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romanae aecclesiae legatio interfuit canonibus praecipientibus sine eius auctoritate concilia fieri non debere, nec ullum ratum est aut[11] erit umquam concilium quod eius non fuerit fultum auctoritate.

[XIII. Quod plura Niceni concilii hic inserta non sunt et de Atanasii defensione quam Iulius papa rescripsit contra Arrianos episcopos et quod episcoporum concilia fieri non debent sine auctoritate Romanae sedis.][2]

XIV. Igitur de fuga super qua Athanasium reprehenditis non bene[13] agitis[14], cum ipse dominus mandatum nobis hoc dedit[15]: Cum persecuti vos fuerint in unam civitatem[16], fugite in aliam, et ipse dominus per semetipsum exemplum nobis demonstrans, quando Pharisei consilium fecerunt adversus eum, ut eum[17] occiderent; sciens autem Iesus discessit inde; et alibi: Tulerunt lapides iudaei ut mitterent super eum; Iesus autem abscondit se et exivit de templo, et transiens per medium eorum abiit et ita discessit. Nam et discipuli propter metum iudeorum recesserunt celantes semetipsos, et Paulus in Damasco a principe gentis quaesitus de muro in sporta depositus est et manus querentis effugit, et alii quam plurimi et innumerabiles sancti tam in veteri testamento quam in novo fugisse leguntur. Si ergo fugam inproperatis fugientibus, erubescite potius persequi et[18] quiescite insidiari, quiescentque[19] continuo fugientes. Nam sive perimatis eos, mors contra vos semper exclamat[20], sive rursus exilia superponatis, ubique in vos mali memoriam destinare noscimini, et illi patiendo sibi proficiunt. Unde et dominus ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest[21] animam et corpus perdere in gehennam. XV. Multos enim cognovimus pessimis machinationibus[23] iniuste depositos. Ideo summopere mihi[24] cui[25] vice

[XIV. De fuga Athanasii non calumnianda.][12]

[XV. De privilegiis specialiter concessis apostolicae sedi et de reprehensione multimoda in Arrianos episcopos.][22]

nec ullum iuditium — habitum teneatur, eiusd. ep. XIII, 45. (2, 1251.). Cf. ll. cc.

c. XIII. Verum me dixisse testis est divinitas, Ennod. ep. I. 20. (p. 39).

De receptione vero sedis — et resedit in sede sec. Cass. hist. trip. X. 17.

nec Romanae ecclesiae — concilia fieri debere, Cass. hist. trip. IV. 9. (cf. Ben. II. 381). Cf. supra c. 6, 11, Marcelli 2, 10, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.

c. XIV. Igitur de fuga — abiit et ita discessit, eiusd. VI. 22. Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.

nam et discipuli propter — manus querentis effugit, l. c. (paullo antea). Cf. Pelag. cit.

Si ergo fugam inproperatis — patiendo sibi proficiunt, l. c. (paullo antea). Cf. Pelag. cit.

Nolite timere — perdere in gehennam, Matth. X. 28.

1 *Sg. Dst.* implectatur. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 3 *Dst. Sg.* inseruimus. 4 *Sg. Bb. Dst.* dicere. 5 *Sg. Bb. Dst.* concilio. 6 *Bb. addit:* haec adinventio ad perditionem orthodoxorum episcoporum. 7 *Sic corr.* quando *sec. Bb. Dst.; Sg. quoque* quando. 8 *Sg. Dst.* Antiochiam. 9 *Dst.* prolatae. 10 *Bb. addit:* pie. 11 *Deest in Sg. Dst.* est aut. 12 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 13 *Dst. Sg. Bb.* recte. 14 *Dst. Sg.* egistis. 15 *Sg. Bb. Dst.* dederit. 16 *Bb. Dst.* una civitate. 17 *Om. Dst. In Sg. add. manu post.* 18 *Deest in Sg. Dst.* 19 *Sg. Dst.* quiescente insidiatore quiescunt. 20 *Dst.* clamat. 21 *Bb. Dst. addit*: et. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 23 *Sg. Dst.* machinantibus. 24 *Bb.* me. *Om. Dst. Sg.* 25 *Sg.* huic.

[1] Ut provintialis synodus retractetur per vicarios urbis Rome[2] episcopi, si ipse decreverit.

[3] Placuit, ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices aecclesiasticos, ubi est auctoritas maior, fuerit provocatum, audientia non negetur.

[4] Si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio[5] et voluntate omnium conprovintialium episcoporum aliquid agere temptaverit, gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit, irritum habeatur[6] et vacuum; sed quicquid de comprovincialium[7] episcoporum causis suarumque aecclesiarum et clericorum adque saecularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni[8] consensu conprovintialium[9] agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare; et alibi: Qui maior est vestrum, erit minister vester, et reliqua. Similiter et ipsi conprovinciales episcopi cum eius consilio, nisi[10] quantum ad proprias pertinet parrochias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in saecula.

[11] Caveant iudices aecclesiae, ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant; quia irrita erit, quippe et[12] rationem[13] pro accione reddent in synodo, et ut proditoris calumnia, nec eorum postea[14] vox audiatur; nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille qui[15] iniuriam eiusque sustinet[16] nequitiam.

[17] Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in[18] provintia in qua ille consistit qui pulsatur, suas exerat actiones, nec estimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad iuditium; ille vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat appellare.

Primates accusatum discutientes[19] episcopum non ante sententiam proferant dampnationis quam apostolica freti[20] auctoritate[21], aut reum se ipse[22] confiteatur, aut per innocentes et canonicae examinatos regulariter testes convincatur.

[23] Irritam esse iniustam[24] episcoporum[25] dampnationem, idcirco a sinodo retractandam[26], ita ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

[27] Detractores qui divina auctoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum ab episcopali submovemus accusatione. Similiter ne summorum quispiam minorum

Ut provintialis — si ipse decreverit, epit. Hadriani, c. 7. conc. Sard. aut Ben. III. 349. aut c. 39 Angilr. Cf. Marcelli 2.

Placuit ut — audientia non negetur, c. 42 Angilr. (Ben. I. 404. II, 300. III. 121. des. ex c. 15 conc. Carth. D.) Cf. Luc. 2. (Corn. 5.)

Si quis metropolitanus — trinitas in saecula, c. 43 Angilr. aut Ben. III. 358 (c. 9. 13. Antioch. D., Matth. XX. 28. 26, c. 35 apost.). Cf. Calist. 13, Luc. 3.

Caveant iudices — reddent in synodo, c. 30. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 219. II. 363. aut c. 49 Angilr. Cf. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5.

et ut proditoris — vox audiatur, int. c. 2. C. Th. X. 10. Cf. ll. cc.

nemo enim debitorem — sustinet nequitiam, c. 3. C. Th. X. 10. aut Ben. III. 253 i. f. Cf. ll. cc.

Si quis super quibuslibet — liceat appellare, c. 7 Angilr. (interpr. tit. I. nov. Marciani). Cf. Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3.

Primates accusatum — convincatur, c. 1 (bis) Angilr. aut Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1. C. Th. IV. 40.) Cf. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4.

Irritam esse — retractandam, c. 28 conc. IV. Carth. aut c. 2 (bis) Angilr. Cf. Fel. I. pp. 4.

ita ut oppressis — subveniatur causis. Cf. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 4.

Detractores qui divina — submovemus accusatione. Cf. Zeph. 3, Fel. I. pp. 2.

Similiter ne summorum — aut dispereat, Ben. I. 397. II. 381. Cf. ll. cc. (Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5, 19.)

neque in re dubia — sententia, Greg. M. ep. X. 29. (2, 1060). Cf. Fel. I. pp. 2, Iul. 12.

[1] *Dst. in marg.* LIII. [2] *Sg. Bb. Dst.* Romani. [3] *Dst. in marg.* LIV. [4] *Dst. in marg.* LV. [5] *Sg.* concilio. [6] *Sg. Dst.* habetur. [7] *Bb.* provintiale. *Sg. Dst.* provintialium. [8] *Dst.* omnium. [9] *Sg. Bb. Dst.* provincialium. [10] *Dst.* non nisi. [11] *Dst. in marg.* LVII. [12] *Om. Sg. Dst.* [13] *Bb.* qui perpetrationem. [14] *Deest in Sg. Bb. Dst.* eorum postea. [15] *Dst. Sg. add.* iam. [16] *Dst.* sustinuit. [17] *Dst. in marg.* LVIII. [18] *Sg. Bb. Dst. add.* ea. [19] *Om. Sg.* primates accusatum discutientes. [20] *Dst. addit:* sint. [21] *Dst. addit:* et. [22] *Dst.* ipsum. *Sg.* se ipsum, *post. manu corr. in:* se ipse. [23] *Dst. in marg.* LX. [24] *Sg. add.* in. [25] *In Sg. manu post. corr. in:* episcopum. [26] *Dst.* id synodo tractandum. [27] *Dst. in marg.* LXI.

accusationibus impetatur[1] aut dispereat, neque in re dubia certa iudicetur sententia, nec ullum iuditium, nisi ordinabiliter habitum teneatur.

[XIII. Quod plura Niceni concilii hic inserta non sunt et de Atanasii defensione quam Iulius papa rescripsit contra Arrianos episcopos et quod episcoporum concilia fieri non debent sine auctoritate Romanae sedis.][2]

XIII. Plura de his ideo hic non inserimus[3], ne vacuare vilemve praedictam synodum facere videremur aut fastidium legentibus audientibusque prolixa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora adque habundantiora scire voluerit, in sacro nostrae sedis aecclesiae scrinio et ea que praediximus invenire poterit. Verum me dixisse[4] testis est divinitas. De receptione vero sedis et sacerdotii atque honoris, quae dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis, sed corumdam episcoporum consilio[5] adque decreto suum recepit quod iniuste perdiderat sacerdotium et resedit in sede. Quod enim scripsistis, non eum posse a pauciore numero episcoporum sotiorum videlicet vestrorum[6] restitui quam[7] depositus fuerat, non ita est, nec hec regula ortodoxorum sanctae aecclesiae est episcoporum, sed Arrianorum sotiorum, videlicet vestrorum hec adinventio ad perditionem ortodoxorum episcoporum contexta est. Nam ut nobis a veracibus est testibus relatum, quando Antiochia[8] pro dampnatione fidei de consubstantialitate prolata[9] fuistis congregati odio praedicti Athanasii hanc regulam protulistis que nullas habet vires, nec[10] habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romanae aecclesiae legatio interfuit canonibus praecipientibus sine eius auctoritate concilia fieri non debere, nec ullum ratum est aut[11] erit umquam concilium quod eius non fuerit fultum auctoritate.

[XIV. De fuga Athanasii non calumnianda.][12]

XIV. Igitur de fuga super qua Athanasium reprehenditis non bene[13] agitis[14], cum ipse dominus mandatum nobis hoc dedit[15]: Cum persecuti vos fuerint in unam civitatem[16], fugite in aliam, et ipse dominus per semetipsum exemplum nobis demonstrans, quando Pharisei consilium fecerunt adversus eum, ut eum[17] occiderent; sciens autem Iesus discessit inde; et alibi: Tulerunt lapides iudaei ut mitterent super eum; Iesus autem abscondit se et exivit de templo, et transiens per medium eorum abiit et ita discessit. Nam et discipuli propter metum iudeorum recesserunt celantes semetipsos, et Paulus in Damasco a principe gentis quaesitus de muro in sporta depositus est et manus querentis effugit, et alii quam plurimi et innumerabiles sancti tam in veteri testamento quam in novo fugisse leguntur. Si ergo fugam inproperatis fugientibus, erubescite potius persequi et[18] quiescite insidiari, quiescentque[19] continuo fugientes. Nam sive perimatis eos, mors contra vos semper exclamat[20], sive rursus exilia superponatis, ubique in vos mali memoriam destinare noscimini, et illi patiendo sibi proficiunt. Unde et dominus ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest[21] animam et corpus perdere in gehennam.

[XV. De privilegiis specialiter concessis apostolicae sedi et de reprehensione multimoda in Arrianos episcopos.][22]

XV. Multos enim cognovimus pessimis machinationibus[23] iniuste depositos. Ideo summopere mihi[24] cui[25] vice

nec ullum iuditium — habitum teneatur, eiusd. ep. XIII, 45. (2, 1251.). Cf. ll. cc.

c. XIII. Verum me dixisse testis est divinitas, Ennod. ep. I. 20. (p. 39).

De receptione vero sedis — et resedit in sede sec. Cass. hist. trip. X. 17.

nec Romanae ecclesiae — concilia fieri debere, Cass. hist. trip. IV. 9. (cf. Ben. II. 381). Cf. supra c. 6, 11, Marcelli 2, 10, Fel. II. pp. 2, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.

c. XIV. Igitur de fuga — abiit et ita discessit, eiusd. VI. 22. Cf. Pelag. II. pp. ep. 2.

nam et discipuli propter — manus querentis effugit, l. c. (paullo antea). Cf. Pelag. cit.

Si ergo fugam inproperatis — patiendo sibi proficiunt, l. c. (paullo antea). Cf. Pelag. cit.

Nolite timere — perdere in gehennam, Matth. X. 28.

[1] *Sg. Dst.* implectatur. [2] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [3] *Dst. Sg.* inseruimus. [4] *Sg. Bb. Dst.* dicere. [5] *Sg. Bb. Dst.* concilio. [6] *Bb. addit:* haec adinventio ad perditionem orthodoxorum episcoporum. [7] *Sic corr.* quando *sec. Bb. Dst.; Sg. quoque* quando. [8] *Sg. Dst.* Antiochiam. [9] *Dst.* prolatae. [10] *Bb. addit:* pie. [11] *Deest in Sg. Dst.* est aut. [12] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [13] *Dst. Sg. Bb.* recte. [14] *Dst. Sg.* egistis. [15] *Sg. Bb. Dst.* dederit. [16] *Bb. Dst.* una civitate. [17] *Om. Dst. In Sg. add. manu post.* [18] *Deest in Sg. Dst.* [19] *Sg. Dst.* quiescente insidiatore quiescunt. [20] *Dst.* clamat. [21] *Bb. Dst. addit:* et. [22] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [23] *Sg. Dst.* machinantibus. [24] *Bb.* me. *Om. Dst. Sg.* [25] *Sg.* huic.

principis apostolorum universalis aecclesiae cura commissa est, providendum est[1], auxiliante ipso summo apostolo, ne talia deinceps fiant, quoniam ideo haec[2] sanctae sedi praefata privilegia spetialiter sunt concessa tam de congregandis conciliis et iudiciis ac restitutionibus episcoporum quam[3] et de summis aecclaesiarum negotiis, ut ab ea omnes obpressi auxilium et iniuste dampnati restitutionem sumant et talia ab improbis ne[4] praesumantur absque ultione, nec[5] exerceantur absque sua dampnatione. Non ergo recte egistis quod predictos fratres calumniati estis, dicente domino: Non facias calumniam[6] proximo tuo, nec quod eos obpressistis ipso dicente: Nec vi opprimes eum. Non recte egistis quod nobis inconsultis concilium caelebrastis eosque ad concilium vocastis et dampnare praesumpsistis canonibus, ut praemissum est, iubentibus nihil ex his absque huius sanctae sedis auctoritate fieri debere. Non recte egistis quod regulariter a nobis ad concilium vocati venire distulistis. Non[7] recte egistis quod[8] contra eos rationem reddere, ut vestra erga eos[9] aut probaretur recta[10] sententia aut reprobaretur non venistis, nec rationabilem mandastis causam, ut quid haec renuistis[11].

His ergo omnibus perpensis manifestum est vos reos existere et illos innocentes remanere, et vos recte excommunicari illosque iuste liberari. Noluit itaque dominus tam leviter suos tractari ministros sicut facitis aut a vobis dampnari, sed, sicut memoratum est, aut ab hac[12] sede cui commissi sunt, aut suo reservari iuditio; ait enim: Qui vos contristabit[13], me contristabit[14]; qui fecerit vobis iniuriam, recipiet id quod inique gessit. Et quanta poena expectet eos qui domini scandalizant discipulos, evangelium suffitienter exponit, ubi de scandalizantibus discipulos loquitur. [XVI. Quod non sint dampnandi episcopi nisi a sede apostolica.][15] XVI. Nam quod a vobis non sint dampnandi, sed aut ab hac sancta, ut prefatum est, sede aut sibi reservandi, ipse manifeste dat exemplum quando peccantes sacerdotes, quorum locum modo in sancta aecclesia episcopi tenent, non per alium, sed per semetipsum vendentes et ementes eiecit de templo et mensas nummulariorum proprio evertit flagello, et eiecit de templo. Et ipse alibi ait: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos[16] decernit[17], et reliqua talia et his similia; et alibi idem ipse ait: Nolite iudicare, et[18] non iudicemini; nolite condempnare, ut non condempnemini; in quo enim iuditio iudicaveritis, iudicabimini. Quapropter non tam temere, ut vos facitis, quispiam[19] suam praesumat evomere iniquitatem, sed iudicantem oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec de illis quae ei inconcessa sunt ullo modo iuditium praesumere, interrogandi ac preponendi adiciendique patientia prebita ab eo, ut ibi[20] actio parcium limitata[21] sit pleniter. Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare, nisi quando ibi[22] peractis omnibus[23] iam nihil amplius[24] habuerint in questione quod proponant. [XVII. Qualiter iudicandi episcopi sint et ubi secundum Nicenam sinodum.][25] XVII. Nec oportet quemquam iudicare aut dampnare antequam suos accusatores praesentes habeat locumque defendendi accipiat spacio-

c. *XV. non facias — opprimes eum*, Lev. XIX. 13.

Qui vos contristabit, me contristabit, II Cor. II. 5.

qui fecerit vobis — inique gessit, Coloss. III. 25.

c. *XVI. Nam quod a vobis non sint — deos decernit*, Ben. III. 441. text. et tit. (Isid. sent. III. 39. no. 5.) Cf. Anacl. 19, Pii 4, Euseb. 9.

Nolite iudicare — iudicabimini, Matth. VII. 12.

sed iudicantem cuncta oportet — questione quod proponat, Ben. I. 400. aut c. 23 Angilr. (c. 1. et interpr. C. Th. II. 18.) Cf. Eleuth. 2, 3.

c. *XVII. Nec oportet quemquam — ad abluenda crimina*, Ben. I. 392. II. 381. III. 184. aut c. 19 Angilr. (Act. Apost. XXV. 16.) Cf. Steph. 8, Marcelli 9, Dam. 19, Dam. ad episc. Ital.

1 *Sg.* esse. 2 *Sg. Bb. Dst.* huic. 3 *Bb.* qui. *Sg. Dst.* quin. 4 *Dst. Sg.* nec. 5 *Sg.* ne. 6 *Sg. Dst.* calumnias. 7 *Sg. Dst.* nec. 8 *Deest in Dst.* 9 *Om. Sg.* rationem — erga eos. 10 *Bb. Dst.* recte. 11 *Dst.* rennuistis. 12 *Sg. Bb. Dst. add.* sancta. 13 *Sg. Dst.* contristavit. 14 *Codd. cit.* contristavit. 15 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, in quo num. deest. Sol. num. in Bb.* 16 *Bb.* deus. 17 *Sg. Bb. Dst.* diiudicat. 18 *Sg. Bb. Dst.* ut. 19 *Sg. Bb. Dst.* quisque. 20 *Bb.* ubi. 21 *Sic corr.* limita *sec. Bb.*; *Dst.* inmitata. *Sg.* inmita, *manu post. add.* vel limitata. 22 *Sg. Bb. Dst.* ipsi. 23 *Sg. Bb. Dst.* ostibus: *in Sg. manu post. add.* vel omnibus. 24 *Sg. Dst.* omnibus, *manu post. add.* vel omnino. 25 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit num.* XVIII. *Sol. num.* XVII. *in Bb.*

sum ad abluenda crimina. Similiter in iam fata Nicena synodo statutum est, ut ultra provintiae terminos accusandi licentiam[1] non progrediatur, nisi ad hanc apostolicam fuerit sedem provocatum, ad quam[2] omnes qui voluerint libere et absque ullo inpedimento a quibusdam[3] agendo confluere[4] debent. XVIII. Similiter[6] in iam[7] prefixa synodo est decretum, ne suspecti aut infames vel criminosi aut gratiosi vel[8] calumniatores vel adfines aut scelerati aut facile litigantes suscipiantur accusatores, sed tales qui omni careant suspitione; quia columnas suas dominus firmiter stare voluit, nec a quibuscumque agitari. [9] Similiter prefata statuit synodus, ut nullum sententia non a suo iudice dicta constringat, iudices autem alii esse non debent nisi quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos suo cum consensu haec sancta sedes aut eius primates auctoritate huius sanctae sedis delegaverint. XIX. Ex his enim et aliis quae tam in hac sancta sede quam et ab[11] apostolis eorumque successoribus sunt statuta, nihil prefatis episcopis concessistis, sed vim eis inferentes, iniusteque[12], ut superius commemoratum est, eos dampnantes aliquos absentes expulistis, quod omni christiane[13] legi est inimicum, in quibus apparet quod nec domino sua servastis iura, nec huic sanctae matri et apostolicae aecclesiae, qui[14], ut praescriptum est, eos suo iuditio aut[15] huic sedi voluit reservari, ne a[16] tam pravis, sicut estis, hominibus dampnarentur aut eicerentur; in his omnibus vos stultos et prevaricatores evvangeliorum et canonum esse nulli sane sapientium est absconditum; nec his contenti in vestra estis prevaricatione, sed etiam quod prius expulsos eos et suis expoliatos rebus, quasi vocastis adque dampnastis, cum nullus regulariter aut vocari aut iudicari possit, antequam sit regulariter restitutus et sua omnia ei legibus sint integerrime reformata. Est namque in sepe iam[17] dicta sancta synodo ab omnibus unanimiter decretum, et apostolica auctoritate roboratum[18], ut si quis episcoporum[19] suis fuerit rebus expoliatus et in accusatione pulsatus, ordinatione pontificum oportet et decet sanctum[20] propositum prima fronte certare vel cedere[21], ut[22] omnia quae per suggestiones[23] inimicorum suorum ammiserat, legaliter primo potestati eius ab honorabili concilio reintegrentur, et praesul regulariter prius statui pristino reddatur, et ipse dispositis ordinatisque suis tunc ad tempus veniat ad causam, et si ita iuste videtur accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos patrum iudicantes et dampnantes eos quos[24] non debuistis? Quare iudicastis eos quos non regulariter

[XVIII. De accusatoribus et iudicibus episcoporum.] [5]

[XIX. De improbatione et reprehensione contra Arrianos episcopos propter expulsionem et expoliationem Athanasii episcopi.] [10]

Similiter in iam fata — sedem provocatum, Ben. II. 381. aut c. 9 Angilr. (c. 10. C. Th. IX. 1, c. 15. conc. Ant. D.) Cf. Steph. 10. (Fel. I. pp. 9.)
ad quam — confluere debent sec. Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692.) Cf. supra c. 9, Melc. 3.
c. XVIII. ne suspecti — suscipiantur accusatores, sec. Ben. III. 107. Cf. Pont. 9, Silv. ep. ad Amand., Pelag. II. pp. ep. 1 et 3.
aut infames. Cf. Fel. II. pp. 12. xv.
(*criminosi*, c. 8 conc. Carth. D. aut Ben. I. 176. II. 364. III. 85. 88.)
(*calumniatores*. Cf. Fel. II. pp. 12. xv.)
(*facile litigantes*, c. 58 conc. IV. Carth. H. aut Ben. I. 399. aut c. 50 Angilr. Cf. Pont. 9, Fel. II. pp. 12. xv.)
sed tales qui omni — suspitione, Ben. I. 401 tit. Cf. Zeph. 5, Fel. I. pp. 12. i., Fel. II. pp. 12. xii. 15.
quia columnas suas, conc. Par. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315. Cf. Anacl. 20, Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Fel. IV. pp. ep. 1, Pelag. II. pp. ep. 3.
ut nullum sententia — constringat, Ben. III. 347. aut c. 37 Angilr. Cf. Zeph. 5, Fab. 29, Euseb. 17, Sixt. III. pp. ep.
nisi quos ipse — delegaverint, Ben. II. 309. III. 171. 178. (c. 87 i. f. conc. Afric.)
c. XIX. ut si quis episcoporum — respondeat. Syn. III. sub Symm. et Ben. III. 116. Cf. Fel. II. pp. 12. v.
Quare iudicastis — cogitationem novit, Anast. II. ep. ad Anast. imp. c. 2. (H. no. 84.) Cf. Eleuth. 5.

[1] *Dst.* licentia. [2] *Dst.* atque. *In Sg.* atque *manu post. corr. in:* ad quam. [3] *Sg. Bb. Dst.* quibus. [4] *In Sg. manu post. corr. in:* confugere. [5] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, in quo num.* XIX. *invenitur. Sol. num.* XVIII. *in Bb.* [6] *Dst. in marg.* hi accusare nequeunt. [7] *Deest in Bb. Dst.* [8] *Sg. Dst.* aut. [9] *Bb. rubricam ponit:* quod non iudices debent suscipiendos accusatus. [10] *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA, qui ponit num.* XX. *Sol. num.* XVIII. *in Bb.* [11] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [12] *Sg. Dst.* iniuste. [13] *Bb.* christiani. [14] *Sic corr.* quae *sec. Sg. Bb. Dst.* [15] *Bb.* ad. [16] *Bb.* ad. [17] *Deest in Sg. Dst.* [18] *Om. Sg.* et apostolica auctoritate roboratum. [19] *Sg.* episcopus. [20] *In Sg. manu post. corr. in:* secundum. [21] *Deest in Sg. Bb. Dst.* certare vel. [22] *Bb.* aut. [23] *Sg.* suggestionem. [24] *Dst.* quod.

approbastis[1]. Nec[2] observastis quod in regnorum libro scriptum est: Non que modo videt homo[3], videt deus[4], quia homo videt in fatie[5], deus autem videt[6] in corde. Et in paralipomenon: Omnia corda scrutatur deus[7] et omnem cogitationem novit. Et alibi scriptum est: Non potest humano condempnari examine quem deus suo reservavit[8] iuditio; haec omnia summopere praecavenda sunt, nec accusatio episcoporum facile est recipienda, dicente domino: Non suscipias vocem mendatii; et apostolus inquid: Adversus presbiterum inscriptionem non recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testibus. Si haec de presbiteris vel ceteris fidelibus sunt praecavenda, quanto magis de episcopis! Quibus cognitis magis vos dominari velle manifestum est, quam consulere fratribus aut sustentare eos, quia honor inflat[9] ad superbiam, et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque vos iuxta praefatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem mandare nobis et expectare quod ad vestra consulta rescriberemus, in tantum ut, si etiam quicquam grave intolerandumque committerent, nostra prestolaretur censura et nihil prius aut aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognovissetis, ita ut a regulis prestitutis nulla aut neglegentia aut praesumptione recederetis. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate praesumptio, vitentur huiusmodi nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta, quoniam convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes: merito namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori. Est insuper in predicta sancta Nicena synodo statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiatur accusatione, nec illi qui[10] nos in sua nolunt recipere quaerella vel accusatione, cum nos super illos sciamus a domino constitutos, non illos super nos; et sicut maior non potest a minore iudicari, ita nec conligari, quia rarum est omne quod magnum est. Portemus[11] honera omnium qui gravantur, quinimo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus, cuius vice fungimur legatione et cuius regula informamur, quatenus eius fulti auxilio[12] ab omnibus nunc[13] et in perpetuo tueamur adversis. Data Kal. Novembris Feliciano et Maximiano viris conss. Explicit[14].

INCIPIT EPISTOLA SINODICA ATANASII ALEXANDRINI ARCHIEPISCOPI ET OMNIUM EGIPTIORUM PONTIFICUM[15] DE VERE FIDEI REGULA PRO QUA PROSEQUEBANTUR[16] LIBERIO PAPAE DIRECTA VIII.[17]

I. Domino beatissimo et honorabili sancto patri Liberio pape Athanasius et universi Aegiptiorum episcopi in unum synodice apud Alexandriam congregati.

Vestrae beatissime paternitatis iura penes deum sunt manifesta, dum predicationibus scilicet apostolicis et doctrinis vere fidei cultura[18] universa repleta sit terra; per divinorum tamen eruditionem eloquiorum vestra instruente ammonitione exortatoriae superaedificatur ortodoxa Christi aecclaesia apostolica institutione fundata et a fidelibus prioribus[19] firmissimae roborata, ad quam omnes beatissimi apostoli pari honoris et potestatis consortio predicta[20] populorum agmina convertentes[21], pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines divinae praedestinationis gratia praescitos[22] salutaribus praeceptis

Non potest humano usque ad fidem. Cf. Sixt. II. pp. 7. 8, ubi eadem leguntur.
c. I. *Vestrae beatissime paternitatis — sed factores leges iustificabuntur* sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 943. 946.) Cf. init. ep. Fel. ad Greg. M.

[1] *Dst.* approbatis. *In Sg.* approbatis *manu post. corr. in:* approbastis. [2] *Sg. Dst.* non. [3] *Sg.* deus. [4] *Sg.* homo. [5] *Sg.* faciem. [6] *Deest in Bb.* [7] *Sg. Dst.* dominus. [8] *Dst.* servavit. [9] *Sg.* quia honore inflati estis. [10] *Bb.* que. [11] *Sg. Bb. Dst.* portamus. [12] *Sg. Dst. add.* et nunc. [13] *Om. Sg. Dst.* [14] *Deest in Sg. Dst.* [15] *Sic corr.* pontifi *sec. rel. codd.* [16] *Bb. Dst.* persequebantur. [17] *Deest num. in Sg. Bb. Dst.; Bb. Par.* 4280 *AA inscriptioni apponunt num.* I. *qui in Dst. deest. Inscr. Sg.* Item epistola Athanasii episcopi ad Liberium papam. [18] *Sg.* culturaque. [19] *Sg. Bb. Dst.* patribus. [20] *Bb.* praedita. *Sg. Dst.* predicto. [21] *Bb.* concurrentes. [22] *Sic corr. sec. Bb.* praesitis. *Dst.* praeditos. *Sg.* praestitos, *corr. in* praeditos.

ac monitis perduxerunt, quorum sanctorum apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita, et perfectius implens exempla aecclaesiam dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat, et fide sacra christianis moribus vigens[1], que fieri deo placita precepit[2] studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit, servans legis divinae mandata; quia non legis auditores iusti[3] sunt apud deum, sicut narrat apostolus, sed factores legis iustificabuntur. Nos enim haec meditari cupientes, et ea quae a sancta sede vestra apostolorum eorumque successorum praedicatione percepimus, adque que[4] in Nicena synodo roborata cognovimus predicare, et Arrianorum blasphemias adque aliorum[5] haereticorum repellere cupientes cotidie ab his persequimur et dampnationi tradimur atque morti destinamur. Qua de re praecamur, ut vestris exortationibus tam per vos quam et per apocrisiarios vestros adiuvemur, ne dum illi crescunt et nos minuimur, vera fides destruatur et eorum heresis ultra nostram fidem[6] crescat; quoniam[7] timemus, ut[8] postquam habundaverit iniquitas, refrigescat caritas multorum. Pro qua re multa vestrae sacrae doctrinae tam apud deum quam et[9] apud cunctos fideles merces et laus reposita est, si vestra haec recensentur auctoritate[10]; nostram enim fidem quam a sanctis patribus accepimus et tenemus atque docemus subter inservivimus, ut si aliquis vobis aliter nos credere aut docere aut accusando aut musitando retulerit vel detrahendo[11] scriptis mandaverit, per hanc manifeste nos ita credere et docere agnoscatis.

Credimus namque in unum deum patrem omnipotentem, omnium visibilium necnon et invisibilium factorem; et in unum dominum nostrum Iesum Christum filium dei, natum ex patre unigenitum, hoc est ex substantia patris, deum ex deo, lumen ex lumine, deum verum ex deo vero, natum, non creatum, homusion[12] hoc est eiusdem cum patre substantiae, per quem omnia facta sunt, caelestia et terrestria[13], qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, et homo factus passus est, et resurrexit tertia diae, ascendit in celum, venturus inde iudicare vivos et mortuos; et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat tempus quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, et quia ex[14] nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse trepton, hoc est convertibilem atque mutabilem[15] filium dei, hos anathematizat catholica et apostolica aecclesia. Hanc venerabilem fidem trecenti quidem decem et octo patres[16] agnoverunt et amplexi sunt, et consonantes et unanimes scriptis explanaverunt.

Sed modo quoniam contra haec, ut intimatis, talia exsurgunt, qualia non debent, venite et nos, dilectissimi fratres, cum deo descendamus ad visitationem, id est inquisitionem sermonum eorum, et confundamus per adprobationem verissimam ibidem linguas eorum elevatas contra scientiam unigeniti filii dei; et iniquitatem in altitudinem humanitatis eius loquentes: disrumpamus vincula eorum, per gladium spiritalem, quod est verbum dei, et: proiciamus a nobis iugum ipsorum, per expurgationem profani sensus illorum. Tunc etenim ipse quoque dominus irridebit eos et subsannabit[17], et tunc[18] loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos, secundum beatum Ieremiam dicens: False[19] prophetae isti[20] vaticinantur in nomine meo; non enim misi eos et non praecepi eis neque locutus sum ad eos[21], visionem mendacem et divinationem et fraudulentiam et seductionem cordis sui

Nos enim haec — credere et docere agnoscatis sec. Lib. vit. c. 2. in libr. pontif.
Credimus namque — scriptis explanaverunt, Cass. hist. trip. II. 9. Cf. Iul. 1.
Sed modo quoniam contra haec — dominus deus pugnabit pro te, conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1007. 1010.)

[1] *Sg. Dst.* regens. [2] *Bb. Dst.* praecipit. [3] *Bb.* iustificati. [4] *Om. Sg. Dst.* [5] *Dst.* alienorum. [6] *Sg. Dst.* quam fides nostra. [7] *Sg.* ne ut. [8] *Om. Sg.* [9] *Om. Sg.* [10] *Sg.* recensentur auctoritatem, *manu post. corr. in:* resecentur auctoritate. [11] *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* rethraendo. [12] *Sg. Bb. Dst.* homousion. [13] *Codd. cit.* terrena. [14] *Sg.* non. [15] *Deest in Sg. Dst.* atque mutabilem. [16] *Sg. Bb. add.* et. [17] *Bb. addit:* eos. [18] *Dst.* nunc. [19] *Bb. Dst.* falsi. [20] *Bb.* hi sunt qui. [21] *Dst. addit:* secundum.

prophetant vobis. Ideo haec dicit dominus de prophetis qui prophetant in nomine meo mendacium: erunt proiecti in viis Hierusalem, et conculcatio omnium pie confitentium me et non erit qui sepeliat eos. Nemo enim[1] abscondere potest quibusdam subreptionibus commentaticiis[2], sicuti nec[3] foliis fici antiquus transgressor praecepti Adam potuit[4], qui per propriam linguam inverecunde nudatur, laqueus enim fortis viro[5] labia eius et captus propriis sermonibus et opera[6] manuum eius, retributio autem labiorum eius dabitur ei et impietatis reprehensio. Arguam[7] te, inquid, et statuam ante[8] fatiem tuam, existimasti inique[9] quod essem tibi similis. Propterea, sicut dicit dominus ad Gedeon: Deponamus eos ad aquam vere discretionis[10], et probemus eos ibi[11] regulari examinatione in idipsum pronos corruentes per ostensionem pravi intellectus eorum, utrum ne sint apud se sapientes divini verbi scientiam ignorantes, quoniam dicentes se[12] sapientes stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam catholicae ecclesiae propria novitate[13] sive per ea que inlicitae in eius defensione gesta[14] sunt, haereticam turbulentiam introducentes, illud[15] competenter apud nos retinentes quod bene ad Iesum filium Sirac[16] dictum est: Usque ad mortem certa pro veritate, et semper dominus deus[17] pugnabit pro te. Huius rei gratia universalis vobis a Christo Iesu commissa est aecclaesia, et pro omnibus laboretis et cunctis opem ferre non neglegatis, quia dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet. Ideoque tanta urgente necessitate sumopere conprimite vestra summa auctoritate infestos[18], relevate oppressos, ut absque gravi domino opitulante facultate[19] ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur inlesi. Et suscriptio: Aeterna te servet divinitas per multos annos, sanctissime patrum pater. Amen.

EPISTOLA[20] LIBERII PAPAE ATHANASIO[21] ET UNIVFRSIS EGIPTIORUM EPISCOPIS DIRECTA UT IN RECTA FIDE CONTRA OMNES PERSISTANT HERETICOS. IX.[22]

[1.] Dilectissimo filio Athanasio et omnibus in unum congregatis et de trinitatis fide recte sentientibus Aegiptiorum episcopis Liberius papa.

Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fidutiam, ut habeamus auctoritatem pro universali aecclaesia ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum[23] sanctae[24] aecclaesiae commovere ad lesionem recte credentium absque sui periculo honoris. Epistolam siquidem vestram nobisque directam ante nos recitari fecimus, tribulationes et persecutiones quas pro recta fide patimini intelleximus. Super quibus et nos una vobiscum condolemus et laborare pro vobis ut pater pro filiis parati sumus. Fidem vero Niceni concilii in eadem epistola[25] rectam repperimus, super qua et deo[26] gratias uberrimas retulimus, pro qua non solummodo persecutiones et passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam, si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, in quantum nostra

quod bene ad—mereamur inlesi, cf. Ioann. I. pp. ep. 1.
Huius rei gratia — ferre non neglegatis. Cf. Alex. 15, Eleuth. 6, Ioann. I. pp. ep. 1.
quia dum fortis — omnia quae possidet, Luc. XI. 21.
Aeterna te — pater, Iustinian. II. imp. ep. ad Ioann. V. (Mansi 11, 738.)
[*c. I.*] *Olim et ab initio tantam — sui periculo honoris*, init. Leon. M. ep. 43. (1, 902.) Cf. Zeph. 10, Dion. 2, Bonifac. II. pp. ep. 1.

1 *Sg. add.* se. 2 *Sg.* contaminaticiis. 3 *Bb.* in. 4 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 5 *Sg. Dst.* viri. 6 *Dst.* opere. 7 *Sg. Bb. Dst. addunt:* enim. 8 *Bb.* contra. 9 *Dst.* iniquitate. 10 *Dst.* deceptionis. *Sg.* disceptationis. 11 *Dst.* ubi. 12 *Bb.* esse. *Dst.* esse se. 13 *Sg. Bb.* per propriam novitatem. *Dst.* per propriam voluntatem. 14 *Bb.* degesta. 15 *Sic corr.* illuc *sec. Sg. Bb. Dst.* 16 *Dst.* a Iesu filio Sirah. 17 *Bb. addit:* tuus. 18 *Sg. Dst.* infesta. 19 *Sg. Bb. Dst.* difficultate. *In Sg. post. manu add.* vel divinitate. 20 *Bb. Dst. addunt:* beati. 21 *Sic corr.* Athasio *sec. Bb. Dst.* 22 *Deest num. in Bb. Dst. Par.* 4280 *AA neque numerum neque inscriptionem exhibet. Inscript. Sg.* Rescriptum Liberii papae. 23 *Sic corr.* statutum *sec. Sg. Bb. Dst.* 24 *Bb. addit:* dei. 25 *In Sg. manu post. add.* quia. 26 *Deest in Sg. Dst.* super qua et deo.

sinit[1] fragilitas, non respuimus. Igitur praedictum sanctum, ut legimus, concilium definivit Nicenum, aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere vel conponere aut sapere vel docere aliter, nec quicquam in fide sentire aut proferre quod his patrum regulis possit obviare. Qui autem praesumpserit conponere aliam fidem aut proferre vel docere aut tradere aliud symbolum ad viam veritatis converti desiderantibus de quacumque haeresi vel ex iudeis aut ex[2] paganis christianos se fieri volentibus: hi si episcopi fuerint aut clerici alienari quidem episcopos ab episcopatu, cleros a clero; si vero monachi aut laici fuerint, anathemate feriri. Protestatur etenim[3] beatus apostolus dicens: Si quis certat, non coronatur[4], nisi legitime certaverit; et iterum dominus ait: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Videlicet certaminibus sacris prepositis[5] nobis pro defensione catholicae aecclaesiae, magnaque salute ex hoc sperata ab omnium bonorum datore deo, non defitiant manus nostrae, dilectissimi fratres, per occasionem cuiuslibet desidiae dissolute, sed fortes effitiamur per gratiam domini adque virtutem potentiae eius, quoniam perfecit[6] pedes nostros tamquam cervorum et super excelsa firmius[7] statuit[8] intellectus summe eius humanitatis propter nostram salutem, maxime tamen habentes inpositam sanctorum testium nubem. Deponentes igitur omne pondus et circumstantem adversariorum novitatem per patientiam curramus, aspitientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum qui in[9] proposito nobis propter eum negotio spiritum suae veritatis condonet[10] loquentem in nobis atque perhibentem[11] magnalia fidei per doctrinam sanctorum patrum quos[12] adversarii calumniantur cotidie. In prophetis namque abetur: Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus meus, et salvator meus ut lampas accendatur. Profecto catholica aecclaesia que vera consistit Sion et civitas Christi caelorum regis per tot annorum spatia expugnata ab adversantibus propter verba fidei, qui neque deum timent neque hominem reverentur, sed incassum perducentibus pias et canonicas de hoc verbo doctrinas, dum adversis tantisque scripto et sine scripto contestationibus invitati fuissent corrigere propriam et sepelire[13] haeresim, sicuti et per anteriorem cognitionem luculentius demonstratum est, tam per libellos quamque[14] per suggestiones reverentissimorum sacerdotum et venerabilium abbatum apostolo protestante nobis, ut hominem haereticum post primam et secundam correptionem evitare debemus[15], scientes quia[16] subversus est huiusmodi, et deliquid proprio iuditio condempnatus, nullo modo oportet nos deinceps tacere aut quiescere, ne quoquo modo[17] iniqui iudicemur[18] odibilem deo pacem amplectentes[19], quoniam scriptum est: Zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns, et dicatur etiam de nobis: Sacerdotes mei contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum et profanum non habuere distantiam, et inter pollutum et mundum non intellexerunt, sed[20] consurgere[21] cum deo et consistere prompte ei, induentes arma spiritus adversus malignantes contra fidem eius, ut adprobemus spiritus sapienter, id est verba illorum, si ex deo sunt. Scriptum est enim in Ieremia: Probatorem dedi te in populo meo robustum, ut[22] scies et probabis viam eorum; multa namque nobis necessaria est vigilantia et tanta divine sapientiae rimatio quae occulta tenebrarum revelat[23] ad requisitio-

Igitur praedictum sanctum — anathemate feriri sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1046.)
Protestatur etenim beatus — calumniantur cotidie, sec. conc. cit. secr. V. (l. c. 1066. 1067.)
Propter Sion non tacebo — offerentibus solertius intendamus, conc. cit. secr. III. (l. c. 954. 955.) Cf. Dam. decr. quod omnes hereticos.
consurgere cum deo etc. cf. Soth. 3.

1 *Sg. Dst.* est. 2 *Om. Sg. Dst.* 3 *Sg. Bb. Dst. add.* nobis. 4 *Bb. add.* nobis. 5 *Bb. Dst.* propositis. *Sic quoque in Sg. manu post.* praepositis *corr.* 6 *Sg. Bb. Dst.* perficit. 7 *Bb.* firmus. *Dst.* firma. *Sg.* firmos. 8 *Bb.* constatuit. *Sg.* statuit, *manu post. corr. in:* statuet. 9 *Om. Sg. Dst.* 10 *Sg. Dst.* condonat. 11 *Bb. Dst.* prohibentem. 12 *Dst. Sg.* quam. 13 *Bb.* a se pellere. 14 *Sg. Dst.* quam. 15 *Sg.* debeamus. 16 *Dst.* quod. 17 *Bb.* neque quo modo. *Dst.* ne quomodo. 18 *Bb.* iudicemus. 19 *Bb. Dst.* amplectantes. 20 *Sg.* sicut. 21 *Bb.* consurge. *Sg. Dst.* surge. 22 *Bb.* et. *Deest in Sg. Dst.* 23 *Bb.* revelata. *Sg. Dst.* revelet.

nem[1] huiusmodi rei[2] et scrutationem, quoniam latet quodammodo et absconditur vixque conprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem latere. Quod[3] utique sciens beatus apostolus ait: Nam[4] huiusmodi seudoapostoli[5] et operarii subdoli transfigurant se in apostolos Christi. Sed non mirum, quoniam et[6] ipse satanas transfigurat se vaelut angelus lucis, et ideo non mirum, si ministri eius transfigurentur velut[7] ministri iustitiae, quorum finis secundum opera eorum: sed et dominus hinc premuniens nos[8] ait: Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo[9] in ipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali questione deprecationem et dicentes cum David: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua; lucerna enim pedibus meis verbum tuum, domine[10], et lumen semitis meis, quoniam ipsius est, sicut ait beatus Danihel propheta, sapientia[11], fortitudo[12], dat sapientiam sapientibus et scientiam intellegentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est[13]. Quia sapientiam, inquit, et fortitudinem dedisti mihi et ostendisti mihi que rogavi te, cum opera[14] divina uniuscuiusque personae conscripta eorum qui pro novitatis commento accusati sunt de venerabili nostro scrinio obsecundantibus et nobis ordinabiliter offerentibus solertius intendamus, ita ut qui haec presumpserint praevaricari, primum quidem subiaceant iuditio terribili omnipotentis dei, deinde autem[15] qualemcumque regalem indignationem revereantur, per quam[16] si quidem episcopi aut clerici sunt, a sui sacerdotii sive sui cleri ordine[17] modis omnibus excedant; [18]si[19] autem monachi sunt, segregentur et alieni sint de suis locis; si[20] autem dignitatem aut cingulum aut militiam habeant, nudentur de eis. Si autem sunt privati, si quidem nobiles consistunt suarum substantiarum praescriptionem patiantur[21]; si[22] autem ignobiles consistunt, non solum in corpore verberentur, sed et[23] exilio perpetuo castigentur, ut omnes timore dei conpressi et comminata eis digna supplitia reverentes immobilem et sine turbatione pacem sanctarum[24] dei aecclaesiarum custodiant. Data VIII.[25] Kal. Iun. Asclepio et Deodato vv. cc. conss. Explicit[26]. Gloria Christo Iesu domino nostro, pax vobis. Amen. Deo gratias[27].

INCIPIT EPISTOLA ATHANASII ALEXANDRINORUM EPISCOPI ET OMNIUM EGIPTIORUM EPISCOPORUM FELICI[28] PAPAE DIRECTA QUA SUAM SUORUMQUE SEQUATIUM INTIMANT PRO FIDE OPPRESSIONEM POSTULANTES EIUS SUMMUM UT DECET SUFFRAGIUM. X.[29]

I.[30]Domino ter beatissimo et honorabili[31] sancto[32] patri[33] Felici sanctae[34] sedis apostolicae urbis Rome pape Athanasius et universi Aegiptiorum, Thebaidorum et Libiorum episcopi in sancta Alexandrina synodo gratia dei congregati.

ita ut qui haec presumpserint — dei aecclaesiarum custodiant, conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1031.)

Not. cons. ad libitum ficta.

1 *Dst.* inquisitionem. 2 *Deest in Sg. Dst.* 3 *Bb.* Quoniam. 4 *Deest in Sg. Dst.* 5 *Sg. Bb. Dst.* pseudoapostoli. 6 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 7 *Dst.* veluti. 8 *Bb.* in hoc praemonens nos. *Sg.* hinc praemonens nos. *Dst.* hinc praeponens nobis. 9 *In Sg. manu post. add.* nos. 10 *Deest in Dst.* 11 *Sg. Bb. Dst. add.* et. 12 *Sg. Dst. add.* qui. 13 *Sg.* et. *Dst.* est et. 14 *Dst.* ope. 15 *Dst. add.* per. 16 *Bb.* quae. *Sg. Dst.* quod. 17 *Sic corr.* ordinem. *Sg. Dst.* sacerdotiis sive suo ordine. 18 *Cod. et Dst. in marg.* ignobiles verberandos. 19 *Sg. Bb. Dst.* sin. 20 *Sg. Bb. Dst.* sin. 21 *In Bb.* si autem sunt privati — patiantur *m. s. XI. additur; deest in Sg. Dst.* 22 *Bb. Dst.* sin. 23 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 24 *Bb.* servorum. *Dst.* sanctorum. 25 *Sg. Dst.* V. 26 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 27 *Bb.* Explicit. Amen et pax les. *Sg. Dst.* Explicit *pro:* deo gratias. *In Par.* 4280 *AA hanc epistolam sequitur epistola ultima Liberii, quae nostro in codice post epistolas Felicis invenitur. Sg. Bb. Dst. eundem quem noster servant ordinem, sed in marg. Bb. legitur post hanc epistolam:* quaere in sexto folii, *ubi est epistola Liberii. Dst. habet in marg.* hic deest una eiusdem Liberii epistola, sed post octo folia notata manet huiusmodi signo. (*Cf. comment. p. XLIV.*) 28 *Bb. addit:* II. 29 *Num. deest in Sg. Bb. Dst. Inscript. Sg.* Epistola Athanasii episcopi Felici papae directa. 30 *Apponunt num. Par.* 4280 *AA et Bb.* 31 *Sg. Dst.* honorabillimo. 32 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 33 *Bb.* compatri. 34 *Om. Dst.*

Vestro sancto[1] suggerimus apostolatui, ut nostri more solito sollicitudinem gerere dignemini iuxta vestram prudentissimam sapientiam quae omnibus luce clarius manifesta est; qua[2] apostolicis vestra beatitudo visceribus commota super tribulatione nostra[3] nos omnes hortata est ad tuitionem[4] catholicae et apostolicae aecclaesiae in unum convenire et de nostra canonicae oppressione et unanimiter tractare, dum constat[5] vos una cum beato Paulo apostolo eadem compassibiliter dicere: Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? satagentes ne aliqua de eis[6] quae vobis credite sunt rationabilibus ovibus a bestiis capiatur. Ideo, pater beatissime, quia semper antecessores nostri et nos a vestra apostolica sancta sede auxilium auximus[7] et nostri vos curam habere agnovimus, praefatam apostolicam et summam expetimus iuxta canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde praedecessores nostri[8] ordinationes et dogmata inde[9] atque sublevationes coeperunt[10]. Ad eam quoque quasi ad matrem requrrimus, ut eius uberibus nutriamur, quoniam non potest mater oblivisci infantem suum, sic[11] et vos nolite oblivisci nos vobis commissos quoniam non levibus nos inimici nostri inplicuerunt[12] et[13] cotidie facere moliuntur afflictionibus[14] et apprehendere ac ferris nos constringi minantur, nisi eorum consentiamus erroribus; quod nequaquam vobis inconsultis agere presumimus, canonibus quippe iubentibus absque Romano nos[15] de maioribus causis nihil debere decernere pontifice; ideoque ad propositum currentes et ad bravium properantes vestrae apostolicae sedis imploramus auxilium, quia, ut credimus, non dispexit deus preces cum lacrimis sibi oblatas servorum suorum, sed ob id vos praedecessoresque vestros apostolicos videlicet[16] praesules in summitatis[17] arce constituit omniumque aecclaesiarum eis curam habere precepit, ut nobis succurratis nosque tuentes, cui omne episcoporum iuditium est commissum, liberare ab hostibus nostris non neglegatis. II. Nam scimus in Nicena magna synodo[19] trecentorum decem et octo episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum[20], non debere absque Romani pontificis sententiam[21] concilia celebrare[22] nec episcopos dampnare[23], licet haec et alia quam[24] plura pernecessaria ab haereticis, qui nos cotidie infestant et perdere nituntur, ut facilius nos capere possint, sint synodica capitula incensa nobisque sublata. Qua de re hac inventa occasione indifferenter omni canonica et apostolica postposita auctoritate, nos vi a propriis vobis inconsultis inlicite expellunt sedibus ovesque nobis a Christo domino apostolica commissas[25] gratia invadunt, gradibus privant, et quod pessimum est et omnibus christianis legibus inimicum, interficere detrectant[26]. Vos ergo, ut semper vestrae sedi[27] sanctae[28] consuetudo fuit, periclitantibus subvenite, oppressos roborate, tribulantibus manum porrigite, taliaque prohibete et leges inponite, ut apostolica doctrina quae in deo est, cito ad victoriam iuditium perdu-

[II. Non debere concilia celebrari nec episcopos dampnari absque praesentia (*Dst.* sententia) Romani pontificis secundum statutum Niceni concilii.][18]

c. I. Vestro sancto — manifesta est sec. conc. Later. 649. secr. I. (Mansi 10, 882.)
qua apostolicis vestra — a bestiis capiatur, l. c. (Mansi 10, 887.) Cf. Dam. 8.
non levibus nos inimici — constringi sec. Conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 895.)
canonibus quippe — decernere pontifice, Cass. IV. 19. Cf. Iul. 6, 11.
ideoque ad propositum — videlicet praesules sec. conc. Later. 649. secr. II. (l. c. 886.)
c. II. non debere absque — concilia celebrare, Cass. hist. trip. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. Marcelli 2. 10, Iul. 6. 11. 13, Dam. 9, Pelag. II. pp. ep. 1.

1 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 2 *Sg. Dst.* quia. 3 *Bb. Dst.* tribulationem nostram. 4 *Bb.* a tuitione. 5 *Sg. Dst.* constet. 6 *Sg. Bb. Dst.* his. 7 *Bb.* ausimus (*pro* hausimus). 8 *Om. Sg. Dst.* et nos a vestra apostolica — praedecessores nostri. 9 *Deest in Bb. Dst.* 10 *Sg. Dst.* acceperunt. 11 *Deest in Dst.* 12 *Bb.* privati *et addit* si quidem nobiles consistunt suarum substantiarum praescriptione patiantur. Sin autem implicuerunt. *Sg. Dst.* privarunt, *addentes:* si quidem nobiles consistunt suarum substantiarum proscriptionem patiantur (*Dst.* patiuntur). Sin autem ignem applicabunt ut: *quae sunt verba in fine ep. Lib. p.* 478. *n.* 20. *omissa.* 13 *Om. Sg. Dst.* 14 *Sg. Dst. add.* multiplicatis. 15 *Om. Sg. Dst.* 16 *Bb. add.* et. 17 *Bb.* summitate. 18 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 19 *Sg. Dst. add.* cura. 20 *Sg. Bb. Dst.* corroboratum. 21 *Codd. cit.* sententia. 22 *Codd. cit.* celebrari. 23 *Codd. cit.* damnari. 24 *Om. Sg. Dst.* 25 *Bb. Dst.* commissa. 26 *Sg. Bb. Dst.* detractant. 27 *Sg. Dst.* sedis. 28 *Deest in Sg. Bb. Dst.*

cere valeat nostrum nosque apostolorum principe suffragante Petro ab imminentibus periculis liberare.

[III. De episcopis non passim vageque lacerandis aut accusandis et quod convocari non possint nec distringi canonice, priusquam restituantur ad proprias sedes et eis omnia ablata reddantur, sicut Nicena synodus definivit.][1]

III. Novimus[2] namque in iam fata[3] Nicena synodo generaliter esse decretum, ut nullus passim vageque episcopos aut[4] presumptive[5] lacerare aut accusare et qui non sunt recte fidei vel bone vite vel clare conversationis aut infamare[6] praesumat[7]; sed prius si erga[8] episcopos vel auctores[9] aecclaesiae quisquam[10] causam habuerit, eos cum caritate[11] mansuete conveniat, ut ab eis vulnus unde agitur recte sanetur aut ipse si secus egerit accusator excommunicetur. Quod si ab eis nihil[12] valuerit[13] percipere, tunc primo summos adeat primates et ipsi tempore congruo canonice eos convocare debebunt[14]; qui si aut suis rebus expoliati aut a propriis sedibus eiecti aut exiliati vel oppressi aut iniqui[15] tractati fuerint, primo eruantur et[16] canonicae restituantur atque omnia sibi ablata[17] integerrimae eis[18] legibus reddantur; quoniam priusquam haec fiant, ut in predicto constitutum[19] est concilio, nec canonicae convocari nec distringi a quoquam possunt, quia nec saeculi leges haec fieri permittunt, quanto magis aecclaesiasticae!

[IV. In Nicena sinodo definitum est, ut qui suspectos abet iudices Romanam interpellet sedem.][20]

IV. Similiter et a supradictis patribus est definitum consonanter, ut si quisquam[22] episcoporum aut metropolitanum[23] aut conprovintiales[24] vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso domino potestas ligandi ac[25] solvendi spetiali est privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum a deo fixum et immobile percepit[26], quoniam ipsam formam[27] universorum titulorum lucidissimam[28] dominus Iesus Christus vestram apostolicam constituit sedem, ipsa est enim sacer vertex in quo[29] omnes vertuntur, sustentantur, relevantur[30], et sicut in Christo christiani et in petra id est Christo Petrus[31] renovantur aecclaesiae. Tu es enim, sicut divinum veraciter testatur eloquium, Petrus, et super fundamentum tuum aecclaesiae columne, id est episcopi qui aecclaesiam sustinere et propriis humeris portare debent, tibi[32] sunt confirmate tibique claves regni caelorum commisit atque ligare et solvere potestative[33] que in terra et quae in caelis sunt, promulgavit. Tu profanarum hereseum[34] et impetitorum[35] atque omnium infestantium depositor, ut[36] princeps et doctor capudque omnium ortodoxae doctrine et inmaculatae fidei existis. Igitur ne despitias patrum tuorum, pater, pietatem bonamque intentionem, et sicut illi patres et predecessores nostros a multis liberaverunt oppressionibus et angustiis, ita nos liberare digneris. Nam fuit semper vestrae sanctae et[37] apostolicae sedi licentia iniuste dampnatos vel excommunicatos potestative sua auctoritate restituere et sua eis omnia reddere et illos, qui eos condempnaverunt aut excommunicaverunt, apostolico punire[38] privilegio, sicut etiam nostris et anterioribus cognovimus actum temporibus.

[V. In Nicena sinodo dinumeratos esse primates qui debeant suscipere causas episcoporum et summorum ecclesiasticorum negotiorum.][39]

V. Porro et ipsi primates qui episcoporum et summorum aecclesiasticorum negotiorum causas suscipere debent in prefixa Nicena synodo sunt dinumerati, ne

c. III. ut nullus passim — accusare, c. 8. conc. Carth. D. Cf. Eutic. 9.
sed prius si erga — accusator excommunicetur, Ben. III. 359 et add. III. 22. (c. 17. conc. V. Aurel.) Cf. Steph. 6. (Alex. 8.)
qui si aut — reddantur sec. Syn. III. Symm.
c. IV. ut si quisquam — sedem, Ben. III. 173. (c. 9. 17. conc. Chalc. D.) Cf. Annic. 4, Iul. 12, Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XX.
Ipsa enim firmamentum — patrum tuorum sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 914.) Cf. Dam. 8.
c. V. in prefixa Nicena synodo, c. 6. conc. Nicen. Cf. infra c. 10. 12. XIII.

[1] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [2] *In marg.* episcopos non lacerandos nec a sede pulsos ad concilium vocandos. [3] *Bb. Dst.* facta. [4] *Deest in Dst.* [5] *Bb.* praesumpti vel. *Dst.* vel. [6] *In Sg. manu post. add.* eos. [7] *Bb.* presumant. [8] *Sg. Dst.* contra. [9] *Bb.* accusatores. *Sg. Dst.* actores. [10] *Sg. Dst.* quisque. [11] *Bb.* hilaritate. [12] *Add. Sg. Bb. Dst.* recte. [13] *Sg.* voluerit. [14] *Sg. Dst.* debent. [15] *Bb.* hi qui. *Dst.* iam inique. *Sg.* inique. [16] *Sg.* aut. [17] *Bb.* oblata. [18] *Bb.* ei. [19] *Sg.* constitum. [20] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [21] *Cod. et Dst. in marg.* de privilegio Romani pontificis spetiali. [22] *Sg.* quisque. *Dst.* quis. [23] *Bb.* metropolitanorum. [24] *Bb.* conprovintialium. [25] *Sg. Dst.* et. [26] *Bb.* praecepit. [27] *Sg. Dst.* ipsa forma. [28] *Sg. Dst.* lucidissima. [29] *Sg. Bb. Dst.* qua. [30] *Bb.* elevantur. [31] *Bb.* Christo, Petri ore. *Dst.* Petro Petri. [32] *Sg. Bb. Dst.* ibi. [33] *Sg.* potestati tuae. [34] *Sg.* heresum. [35] *Sg. Bb. Dst.* imperatorum. [36] *Sg. Dst.* et. [37] *Om. Sg. Dst.* [38] *Dst.* puniri. [39] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.*

in posterum ex hoc contentio oriretur. O sanctissime pater, patrum abscide blasphemias et iactantiam vaniloquiorum[1] et insidiantium infestationes, nos et fratres nostros opprimentium adque perdere volentium, qui[2] ad vos quasi ad capud confugimus, ut vestro suffulti auxilio liberemur et vobis nobisque Christi commissas oves a luporum ore domino amminiculante antequam deglutiantur, rapiamus[3]. Nec enim fas est[4] supplicum apostolicae sedis[5] scripto aut sine scripto[6] preces oblatas dispicere, sed ut condecet[7] et[8] privilegium vestrae sedis est[9], nos et illi canonicaliter[10] convocemur et ante vos de nostris obiectionibus canonice cum omni probitate concertemus, sicut praedecessores nostri penes vestros fecerunt antecessores, et sicut canonica in praedicta sancta synodo docent constituta, et[11] veluti paleati[12] verbi[13] per ventilabrum canonicae examinationis plenam purgationem in communi consistentes auditorio de maturis et[14] nutrientibus[15] catholicae aecclaesiae dogmatibus quae confirmant cor hominis, per participationem paternarum consequamur institutionum. Antiquis enim regulis censitum est, ut quicquid, quamvis in remotis aut in longinquis[16] positis provintiis super episcoporum querelis[17] aut accusationibus ageretur, non prius tractandum vel accipiendum esset, quam[18] ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate iuxta quae[19] fuisset pronuntiatio[20] infirmaretur aut firmaretur, indeque sumerent normam, unde aecclaesiae sumpsere praedicationis exordium, ne passim ab insidiatoribus columne everterentur[21] aecclaesiae. VI. Certum est enim[23] eidem[24] sanctae sedi vestrae, in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem decrevere reverentiam dei pro rebus inquirendis atque determinandis quas sollicite decet iusteque ab ipso praesulum examinare[25] vertice apostolico, cuius sollicitudo semper fuit et est tam mala dampnare quam probare laudanda. Quocirca humillimum vestro[26] apostolico culmini persolventes obsequium, ut ipse dominus praecepit et[27] sanctorum decreta patrum statuerunt, cum lacrimis suggerimus quod sine cordis gemitu reticere non valemus[28]. Nam in tantum a persecutoribus sanctae dei aecclaesiae nostrisque inimicis persequimur, ut magis nos taedeat vivere quam mori[29]. Unde prae omnibus fatemur in tantum cor esse[30] nostrum vulneratum, ut propheticum illud preceptum exoptemus dicentes: Quis dabit capiti nostro aquam[31] aut[32] oculis nostris fontem lacrimarum, ut sedentes ploremus die ac nocte? Ecce enim aecclaesia dei non leviter perturbatur columnaeque eius nimis infestantur, atque a pravis amovere[33] nituntur hominibus, christianorum vero voces ac gemitus episcoporum longe lateque resonant, novitates insurgunt, calumniae crescunt, persecutio crassatur, perditio fit populorum. Vestrum est enim nobis manum porrigere: [34]vobis commissi sumus: vestrum est nos defendere adque liberare, nostrumque est a vobis auxilium expetere[35], vestris parere iussionibus. Pre nimio ergo dolore et

[VI. De peculiari reverentia Romanae sedis pro inquirendis rebus atque determinandis et de postulatione Athanasii episcopi et omnium Egipciorum episcoporum ad Felicem papam ut eis in pressuris subveniat.][22]

O sanctissime pater — vaniloquiorum conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 914.)

Nec enim fas est — consequamur institutionem l. c. (Mansi 10, 918.)

Antiquis enim regulis — praedicationis exordium sec. conc. Lat. cit. (Mansi 10, 919.) Cf. Dam. 7.

c. VI. eidem sanctae sedi — probare laudanda l. c. (Mansi 10, 919). Cf. Dam. 7.

Quocirca humillimum — reticere non valemus l. c. (Mansi 10, 919.)

Nam in tantum — vivere quam mori. Cf. ep. Aegypt. ad Marc.

Unde prae omnibus fatemur — vestris parere iussionibus sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 945.)

1 *Bb. Dst.* vaniloquorum. 2 *Sg. Bb. Dst.* quia. 3 *Sg. Bb. Dst.* eripiamus. 4 *Bb.* eius. 5 *Sg. Dst.* sedi. 6 *Om. Sg.* aut sine scripto. 7 *Bb.* condocet. 8 *Om. Sg. Bb. Dst.* 9 *Sg. Dst. add.* ut. 10 *Om. Sg.* 11 *Om. Sg. Dst.* 12 *In Sg. manu post. corr. in:* paleatis. 13 *Sg.* verbis. 14 *Om. Sg. Dst.* 15 *Sg.* enutriti. *Dst.* enutrientibus. 16 *Sg. Bb. Dst.* lonquinquo. 17 *Sg. Dst.* querela. 18 *Bb.* quae. 19 *Dst.* qua. 20 *Sg. Dst.* praenuntiatio. 21 *Bb. Dst.* averterentur. *Om. Sg., manu post. add.* concuterentur. 22 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 23 *Sg. Bb. Dst. addunt:* quod. 24 *Bb.* eiusdem. 25 *Sg. Dst.* examinari. 26 *Sic in Sg.* vestrum *manu post. corr.* 27 *Bb.* hac. 28 *Sg.* valeamus. 29 *Sic manu post. in Sg.* tedeat mori quam vivere *corr. Dst.* libeat mori quam vivere. 30 *Dst.* est. 31 *Sg. Dst.* aquas. 32 *Sg.* ut. 33 *Sg. Dst.* amoveri. 34 *Sg. Bb. Dst. add.* quia. 35 *Sg. Bb. Dst. add.* et.

gemitu omnia quae nobis instant, necessaria recordari vobisque significare[1] nequimus. [VII. De reparanda lege quae promulgata est in Nicena sinodo.][2] VII. Ideo almum vestrum exoramus apostolatum, ut super his legem quae in memorata Nicena synodo est promulgata, licet praedictorum insidiatorum et aliorum malorum hominum, ut facilius episcopos deique ministros valeant inlaqueare[3], sint suffocata, reparetis, et que necessaria fore cognoscitis[4] vestrae sanctae sedis auctoritate nos cunctosque fratres informetis, ut malorum insidias hominum vestre fulti auctoritate[5] inlaesi, domino opitulante evadere valeamus, quia non est insidias luporum ovium praevidere[6], sed pastorum[7]. Scimus enim ut semper vestrae sanctae sedis praesules primo apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos universalis[8] aecclaesiae et maxime episcoporum, qui oculi propter contemplationem et[9] speculationem vocantur, domini curam gerere ac de revelatione[10] et lege nostra assidue cogitare debere, sicut scriptum est: Beatus vir[11] qui meditatur in lege domini die ac nocte; que meditatio non lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia in vestra cognoscitur conscientia inmobiliter insita et nullatenus de vestro corde recedente lege Christi dei[12] domini[13] sacrosancta, sicut in psalmis dicit propheta: Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iuditium, lex dei[14] eius in corde ipsius non atramento, sed spiritu dei vivi vestra in[15] archana conscripta neque in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, sicut beatissimi apostoli Pauli ad Chorintios missa nos docet epistola. [VIII. De die et indictione accepte consecrationis pontificalis honoris.][16] VIII. Quibus premissis significamus deo placite paternitati[17] vestrae die septimo decimo Kalendarum Augustarum indictionis quarte vestram humilitatem divina gratia suo, ut praecepit, munere praeveniente vestris sanctis ac deo dignis praecibus in sancta Romana aecclaesia pontificalis honoris accepisse consecrationem et stolam, in quo dignitatis fastigio, ut a deo omnipotente[18] regamur altissimo et[19] a malis omnibus[20] liberemur[21], sacerdotale non[22] nomen tantum, sed Christi domini dei[23] nostri protegente auxilio et meritum habeamus, vestris sanctis ac deo acceptabilibus nos commendantes orationibus poscimus, quatenus e[24] vestris deprecationibus pro nobis ad deum effusis muniti et eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur cum omni nobis populo christiano commisso inlesi[25] protegi velamento divino. [IX. De missis Athanasii episcopi et reliquorum episcoporum directis Romam ad Felicem papam.][26] IX. Ad salutationem ergo vestrae sanctae et honorande[27] fraternitatis vice nostra Benedictum humilem vestrum fratrem, nostrum episcopum et Alexandrum presbiterum, Crispinum[28] quoque diaconem vestros famulos destinavimus, quos postulamus celerius nobis a vestra beatitudine persolvi[29], ut vestris cohortationibus[30] roborati et vestris regulis inimicis videlicet conpressis informati ad proprias prudenter consolati valeamus aecclaesias ante hiemem deo propitio remeare. Vestrum est quippe, pater sanctissime, canonica districtione[31] sollicite aecclaesiasticae regule adversantibus et fratrum insidiatoribus obviare nec permittere noviter dici quod patrum venerabilium auctoritas

c. VII. quia non est — praevidere sed pastorum, Symm. syn. III. Cf. Dam. 19.
sicut scriptum est — ante hiemem deo propitio remeare (*c. IX.*) sec. conc. Later. 649. (Mansi 10, 946.). Cf. ep. Fel. ad Greg.
c. IX. Benedictum etc., nomina finxit Pseudo-Isid. (In conc. Lat. l. c. leguntur: „vice nostra Mellosum vestrum fratrem, nostrum episcopum et Redemptum diaconum vel Cresciturum notarium.")
Vestrum est quippe — dolosa inimicorum fallatia, conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 947. 950.) Cf. Eleuth. 6, ep. Fel. ad Greg.

1 *Bb.* significari. 2 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 3 *Dst.* inlaqueari. 4 *Sg. Dst. add.* ut. 5 *Om. Sg. Bb. Dst.* nos cunctosque — fulti auctoritate. 6 *Sg. Dst.* videre. 7 *Dst.* patronorum, *quod in Sg. manu post. corr. in:* pastorum. 8 *Bb.* universales. 9 *Sg. Dst.* ad. 10 *Dst.* relevatione. 11 *Deest in Sg. Dst. Bb.* 12 *Sg. Dst.* die. 13 *Sg. Dst.* ac nocte. 14 *Dst.* Christi. 15 *Deest in Sg. Dst.* 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 17 *Bb. Dst.* fraternitati. *In Sg.* fraternitati *manu post. corr. in:* paternitati. 18 *Sg. Dst. om.* dignitatis — omnipotente. 19 *Sg. Dst.* rogamus altissimum ut. 20 *Bb.* hominibus; *in marg. m. s. XI. additur:* alii omnibus. 21 *Sg. Dst. add.* ne. 22 *Om. Sg. Dst.* 23 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 24 *Sg. Bb. Dst.* et. 25 *Bb.* inleso. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 27 *Sg. Bb. Dst.* honoratae. 28 *Sg. Dst.* Crispum. 29 *Dst.* absolvi. 30 *Sg. Dst.* quoque orationibus. 31 *Sic corr.* distrectione *sec. Dst.; Sg. Bb.* discretione. *Sg. in marg. al. man. add.* vel districtione.

omnino non censuit. Nos enim humiles[1] corde que recta sunt adiutore domino sapientes[2] uno vinculo caritatis vobiscum sumus constricti, veram fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter[3] defensantes. Studiosius itaque a catholicis[4] inprobis[5] probe resistere[6] inminendum est, ne torpentes desidia oppressi culpa[7] taciturnitatis teneamur obnoxii et quasi favorem inpendentes iudicemur, dum adversa catholicae fidei propulsare negligemus notandum[8], unde dictum est: Neglegere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occulte qui manifesto facinori desinit obviare. Liquet, doctor sanctissime, venenosa serpentium sine simplicitate astutia dum manifesta est dolosa inimicorum fallatia. X. Succurrite, quesumus, oppressis, liberate nos de manu persequentium, ut cum beato Iob cantetis: Benedictio perituri super me veniebat et cor vidue consolatus sum: iustitia indutus sum[10] et vestivi[11] me sicut vestimento et diademate iuditio meo: oculus fui caeco et pes claudo, pater eram pauperum et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui et de dentibus earum[12] auferebam praedam, et reliqua. Nos enim quos tua maxima[13] expectat cura, id est, omnes episcopi praecipue tuum mereri debemus iuditium, et non ab aliis devorari. Merito ergo nos domini causa respicit sacerdotes, si silentio faveamus errori. Siquidem[14] corripiantur huiusmodi, nec sit liberum eis pro voluntate habere iuditium desinatque novitas infestare[15] vetustatem, desinat aecclaesiarum quietem inquietudo turbare, nam ut omnes metropolitani vel reliqui episcopi sua odia aut[16] vindictas in reliquos episcopos exercere non valeant, ideo nominatim in Nicena synodo expressi sunt primates[17], qui reliquos episcopos audire et iudicare debeant, ne ulla fraus in iuditio episcoporum possit irruere. Vos ergo qui in summo speculo gratiae dei estis positi, adtendere eos et opprimere[18] oportet qui in fratres seditiones et scandala excitant, ideoque exhoramus, ut minime despiciatis[19] humilitatis nostrae et omnium Orientalium ortodoxorum sacerdotum et populorum adflictiones et deprecationes cum lacrimis oblatas; sed sicut luminaria universo mundo verbum vitae retinentes, introductas extinguite tenebras et[20] fraudes[21] pessimorum[22] insidiatorum, temporibus etiam nostris procaciter germinantes, quatenus funditus extincta huiusmodi caligine lucifer nobis resplendeat[23] per vos, sanctissime pater, et dogmatica definitio[24] ubique omnes letificans[25], quam gloriosi aecclaesiae sancti patres per propria[26] piissimae[27] dogmata in aeterne vitae firmam hereditatem praedicasse[28] noscuntur. Et subscriptio: Incolumen te et beneplacitum deo[29], sanctissime pater patrum, orantem pro nobis dominus custodiat in evum. Amen.

[X. Postulatio Athanasii et reliquorum episcoporum ut Felix papa succurrat oppressis et opprimat eos qui seditiones excitant in fratres et quod nominatim in Nicena sinodo sint expressi primates, qui reliquos episcopos audire et iudicare debeant.][9]

c. X. *Benedictio perituri — earum auferebam praedam*, Iob. XXIX. 13—17.
Merito ergo — faveamus errori, Coelest. I. ep. ad Vener. c. l. (H. no. 33.) aut Ben. III. 44. Cf. Sixt. II. pp. 8, Iul. 9, 19, Dam. de corep., Pelag. II. pp. 1, Ioann. III.
ideo nominatim in Nicena synodo expressi sunt primates, c. 6. conc. Nicen. Cf. supra c. 5 et infra c. 12. XIII.
Vos ergo qui — estis positi, Coelest. I. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34.). Cf. Clem. 56, Alex. 15, Zeph. 9, Ant. 8, Fab. 11.
ideoque exoramus — noscuntur et subscriptio sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 902.) Cf. Zeph. 9, Ant. 8, ep. Fel. ad Greg.
Incolumem te et beneplacitum — orantem sec. conc. cit. secr. II. (Mansi 10, 915.) Cf. Fel. ep. ad Greg. M.

1 *Sg. Dst.* humili. 2 *Bb.* sapienter. 3 *Om. Sg.* 4 *Dst.* ac catholice. *Sg.* atque catholice. 5 *Bb.* improbi. 6 *Sg. Bb.* resistimus. *Dst.* resistentes. 7 *Bb.* culpae. 8 *Om. Sg. Dst.* 9 *Sec. Par.* 4280 *A A et Dst. Sol. num. Bb.* 10 *Dst.* fui. 11 *Bb.* vestivit. 12 *Sg.* eorum, *corr. in:* eius. 13 *Sg. Dst.* maxime. 14 *Dst.* Si qui. 15 *Bb.* incessere. 16 *Sg. Dst.* omnibus metropolitanis vel reliquis episcopis suadeo ut. 17 *Sg. Dst.* statutum est *pro:* expressi sunt primates. 18 et opprimere *deest in Dst.* 19 *Sic corr.* dispiciamus *sec. Sg. Bb. Dst.* 20 *Deest in Bb.* 21 *Deest in Bb.* 22 *Bb.* nefandissimorum. 23 *Sic in Sg.* respondeat *manu post. corr.* 24 *Sg. Dst.* definitione. 25 *Dst.* laetificetis. 26 *Om. Sg. Dst.* 27 *Sg. Dst.* piissima. 28 *Dst.* praedicantes, *quod in Sg. manu post. in* praedicasse *corr.* 29 *Sg. Dst.* deo placite.

INCIPIT EPISTOLA SANCTISSIMI ARCHIEPISCOPI FELICIS ET EIUS SANCTI CONCILII ATHANASIO ET UNIVERSIS EGIPTIORUM, THEBAYDORUM ET LIBIORUM EPISCOPIS RESCRIPTA, IN QUA CONSULTATIONIBUS EORUM, QUAS SUPER EPISCOPORUM PERSECUTIONIBUS ET[1] ACCUSATIONIBUS[2] DIREXERUNT, CANONICAE RESPONDETUR.[3] XI.[4]

XI. Reverentissimis atque dilectissimis fratribus ATHANASIO et universis Aegiptiorum, Thebaidorum, Libiorum[5] episcopis in sancta Alexandrina synodo congregatis FELIX alme Romane[6] urbis et universalis aecclaesiae episcopus et sancta synodus que in urbem Romam[7] convenit in domino salutem.

Sacram vestram sinodicam epistolam per gratiam sancti spiritus et deo placitum studium conscriptam vestrae a deo honorande sanctitatis gratia libenter suscepimus atque instanter nostra[8] in synodo recitare[9] per singula iussimus et[10] omnes intente eius colligere verba praecipimus[11], super quae dum laetari sperabamus et cupiebamus, versa est in luctum[12] cythara nostra et cantatio in plorationem, et omne totius synodi gaudium in merorem translatum est, quia non decuerat, ut hi qui corpus Christi cotidie proprio conficiunt ore, tantam paterentur persecutionem, quoniam dominus deus noster salutem[13] providens generis humani mandavit persecutionem non fieri neque fluctuationes[14] inferri nec invideri laborantibus in agro dominico, neque dispensatores magni regis vexari aut expelli. Quiescite, inquid sancta magna Nicena synodus, et nolite persequi eos qui deo perfecte ministrant et sincera voluntate superni[15] dei mandata custodiunt et nostris legibus subiugantur[16], quia nec decet nec ordo patitur ut iniqui et carnales spiritales persequantur; omnis enim qui resistit alicui nunc vertendo[17], nunc celando veritatem, mentitur adversus eum contra[18] quem[19] litigat, et qui infestus[20] est alicui omnia sicut hostis agit et insuper loqui contendit. Vos enim monemus, fratres, in speculis esse debere, ut inquantum potestis et dominus auxilium dederit, talibus nostra apostolica vestraque auctoritate resistatis, nec quisquam[21] vestrum a fratris auxilio se subtrahat, sed pro viribus adminiculum prestet[22]. Quoniam licet pauci sitis, si unanimes fueritis, nullatenus iustitia suffragante dominoque opem ferente superabimini, quia funiculus triplex difficile rumpitur. Nam si[23] officiis saecularibus humana lex subvenit, quanto magis aecclesiasticis et domini sacerdotibus maximeque pontificibus, qui pupille oculorum domini appellantur, divina atque canonica lex suffragari debet? Ait enim divinum de episcopis aeloquium: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et si seculares humana multipliciter explorantur homines lege et requisitiones atque indutiae eis[24] multorum mensium conceduntur ne[25] iniuste dampnentur, quanto magis episcopis qui proximiores sunt deo

c. XI. *versa est in — cantatio in plorationem*, Iob. XXX. 31.
ut hi qui corpus — conficiunt ore, Hieron. ep. ad Heliod. no. 8 (1, 34.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 97. Cf. Telesf. 3, Pont. 2, Ant. 7, Dam. 20.
persecutionem non fieri — vexari aut expelli, Cass. hist. trip. VII. 12. Cf. Marcelli 8.
Quoniam licet pauci — rumpitur, sec. Ecclesiastae IV. 12. Cf. Alex. 13, Vict. 7, Marcellini 3.
Nam si officiis — suffragari debet, sec. Greg. M. ep. IX. 115 (2, 1022). Cf. Fab. 15, Greg. M. ad Fel.
Qui vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.

1 *Deest in Bb. Dst.* 2 *Deest in Bb. Dst.* 3 *Deest inscriptio in Mut. Inscript. Sg.* Epistola Felicis papae Athanasio et caeteris episcopis per Aegyptum et Lybiam vel Thebaidem directa. 4 *Bb. hunc num. apponit inscriptioni. Deest num. in Dst. et in Par.* 4280 *AA, qui eandem inscriptionem quam cod. Par.* 840 *exhibet.* 5 *Deest in Mut.* 6 *Deest in Dst.* 7 *Mut. Sg. Dst.* Romanam. 8 *Deest in Mut.* 9 *Sg. Bb. Dst.* recitari. 10 *Mut.* ut. 11 *Sg. Dst.* praecepimus. 12 *Mut.* luctu. 13 *Mut. Dst.* salvator. 14 *Mut.* fluctuationem. 15 *Sg. Bb. Dst.* superna. 16 *Bb.* subiurgantur. 17 *Mut. Sg. Dst.* avertendo. 18 *Om. Mut. Dst. Sg.; in Sg. manu post. add.* in. 19 *Dst.* qui. 20 *Sg. Dst.* infensus. 21 *Mut. Sg. Dst.* quis. 22 *Mut.* amici culpam prefert. 23 *Deest in Mut. Dst. In Sg. manu post. add.* 24 *Sic corr.* eius *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 25 *Mut.* nec.

et super eos[1] constituti positique in caelesti militia quae[2] propensius ponderanda est, tempora sunt concedenda multo ampliora, ne a quibusdam graventur aut obprimantur vel subito dampnentur!

[XII. Quod a Petro ceperit exordium apostolatus et episcopatus in Christo. Item de capitulis XX (*Dst.* XXII) positis Niceni concilii et Romane sedis super defensione episcoporum.][3]

XII. Incipiamus igitur adiuvante deo et sancto apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium, quoniam plures sepe emerserunt causae quae in quibusdam non erant cause, sed crimina, quia magis ut conperimus iniquitate quam fratribus sunt caritate inpositae. Et ut de cetero sollicitudo sit, ne talia proveniant, capitula quedam a sanctis patribus, tam in Nicena synodo quam et[4] in hac[5] sede constituta ponamus, quibus fratres et quoepiscopi nostri fulti insidias inimicorum domino auxiliante valeant evadere, et prout dominus posse dederit, paucioribus tantorum malorum verbis imitemur conpendium, et strictim quae in volumine litterarum vestrarum comperimus retractemus, et alia nonnulla instantis temporis necessaria, prout petitis, ponamus. Est namque synodicis decretum in statutis:

I. [6]Ut nemo episcopum penes seculares arbitros accuset, sed apud summos[7] primates.

II. Si quis adversus episcopum causam habuerit, non prius alios episcopos adeat ut eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querellam et ab eo aut iustam emendationem aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum, et si vos non audierit, dic aecclaesiae, id est accusa[8] eum publicae[9] et non prius, et reliqua.

III. Si quis episcopum post haec elegerit accusare, summis primatibus episcoporum suam indicet causam et non secularibus, qui magis ad pacem quam ad iuditium eos revocent ut caritas in omnibus et ab omnibus[10] custodiatur.

IV. Si[11] primates accusatores episcoporum cum eis pacificare familiariter minime potuerint, tunc tempore legitimo eos ad synodum canonice convocatam non infra angusta tempora canonicae convocent, et non[12] prius quam[13] eis per scripta significent, quid eis opponatur[14] ut ad responsionem praeparati adveniant. Nam si aut vi aut timore eiecti aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicae vocari ad synodum possunt, nec respondere emulis[15] debent, antequam canonicae restituantur et sua omnia eis legaliter reddantur.

V. Si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus aut a sua aecclaesia vi aut timore expulsus, quod omni christiano nomini est inimicum, oportet et decet episcoporum propositum semper prima fronte vel[16] cedere, ut[17] omnia que ei ablata[18] sunt potestati eius legaliter reddantur, et presul prius restituatur et postea

c. XII. Incipiamus igitur — Et ut de cetero sollicitudo sit, Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. pr. (H. no. 7.)

posse dederit paucioribus — comperimus retractemus, eiusd. ep. ad Rufum (H. no. 12).

c. I. Ut nemo — primates, Ben. II. 381. III. 153 i. f. (int. c. 12. C. Th. XVI. 2.). Cf. paullo infr. c. III. Gai. 3.

c. II. Si quis adversus episcopum et non prius et reliqua, Ben. III. 350 (c. 17. conc. V. Aurel., Matth. XVIII. 15—17). Cf. Alex. 8, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.

c. III. Si quis episcopum — et non secularibus. Cf. paullo supra c. I.

qui magis — eos revocent sec. c. 26. conc. IV. Carth. H. aut Ben. II. 381. (Cf. Steph. 10.)

c. IV. Si primates — canonicae convocent, sec. Ben. III. 153.

non infra angusta temporis, sec. Cass. IX. 14, ut videtur: „super haec autem induciarum angusto tempore faciente.“ Cf. infr. c. 15.

Nam si aut — reddantur, Ben. III. 153. Cf. paullo infr. c. IX. Praef. 6, Steph. 6.

c. V. Si quis episcoporum — respondeat suis. Syn. III. sub Symm. (vide Ben. III. 116.) Cf. Iul. 19.

[1] *Bb.* hos sunt. [2] *Sic* qui *sec. Mut. Sg. Bb. Dst. corr.* [3] *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* [4] *Om. Sg.* [5] *Sg. Bb. Dst. add.* sancta. [6] *Numeri desunt in Mut. Bb. rubricam ponit:* Item de eadem re Felix ita ait usque hic. Capitula sinodica contra accusationes et accusatores episcoporum. [7] *Mut.* summum. *Om. Sg.* [8] *Bb.* causa. [9] *Sg. Bb. Dst. add.* tunc. [10] *Mut.* hominibus. [11] *Cod. in marg.* de eiectis episcopis. [12] *Deest in Mut. Sg. Dst.* et non. [13] *Deest in Mut. Sg. Dst.* [14] *Mut. Sg. Dst.* opponitur. *Bb.* apponitur. [15] *Deest in Bb.* [16] *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* [17] *Sg. Dst.* et. [18] *Mut.* oblata.

non statim, sed diu et per spatiosa tempora suis potestative dispositis et ad suam necessitatem preparatis[1] ad tempus veniat ad causam, et, si iuste visum fuerit, accusatoribus respondeat suis[2].

VI. Nulli infami adque sacrilego de quocumque liceat negotio[3] adversus religiosum christianum quamvis humilis servilisque persona sit, testimonium dicere, nec de qualibet re actione aut inscriptione christianum inpetere.

VII. Si[4] episcopus legitime accusatus et supradicto ordine ad concilium canonicae convocatus[5] fuerit, absque ulla trepidatione ire debebit[6] et si ire[7] non poterit, pro se legatum ad synodum mittat.

VIII. Nulle cause a iudicibus aecclaesiasticis audiantur que legibus non continentur vel que probibite esse noscuntur.

IX. Si quis aliter non adquieverit, nisi ut episcopum accuset supra taxato hoc tenore agere debebit, quia aliter rata non potest accusatio[8] existere: tunc primo accusati causam accusator apud[9] primates canonicae deferat, nec a communione prohibeatur accusatus, nisi ad[10] electorum iuditium[11] canonice convocatus infra tres[12] aut sex vel plures menses pro suis[13] rationem redditurus venire distulerit[14]; quod si probare potuerit quod non noluerit[15], sed[16] non potuerit venire, nil ei[17] nocebit. Ille vero qui vi[18] aut timore a sede pulsus aut suis rebus expoliatus fuerit, non prius vocetur ad synodum quam ei omnia legibus redintegrentur, et tamdiu in sede[19] propria pacificae et potestative cuncta disponens resideat, quamdiu expulsus vel expoliatus[20] carere visus est rebus. Cum autem ad iuditium venerit, si voluerit et necesse fuerit[21], induciae ei et[22] petenti a patribus[23] constitute absque inpedimento concedantur et iudices a se electi tribuantur,[24] in loco unde est ille[25] qui accusatur, aut si ibi[26] aliquam[27] temerariae multitudinis vim metuerit,[28] locum sibi congruum eligat, quo absque timore suos, si necessitas exposcerit, testes habere et absque inpedimento suam canonicae sententiam finire valeat, quia multa per subreptionem venire[29] solent.

X. [30] Ut accusandi vel testificandi licentia denegetur[31] qui christiane religionis et nominis dignitatem et suae legis vel sui propositi normam aut regulariter prohibita neglexerint.

XI. Multum derogatio praevalet quando derogator[32] creditur, ideo variis detrectationibus[33] atque accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis

c. VI. Nulli infami — christianum impetere, Ben. III. 351. (l. Visig. XII. 2. 9.) Cf. Eutic. 8.

c. VII. Si episcopus — se legatum ad synodum mittat, sec. c. 21. conc. IV. Carth.

c. VIII. Nulle cause a — prohibite esse noscuntur, Ben. II. 436. III. 352, add. III. 10. (l. Visig. II. 1. 12 tit. et Ennod. lib. apol. p. 329.) Cf. Eutic. 9. (Euseb. 3.)

c. IX. Si quis aliter non — venire distulerit, sec. c. 19 conc. Carth. (D.)

Ille vero qui — legibus restituantur. Cf. paullo supra c. IV.

et tamdiu in — carere visus est rebus, sec. epit. Aegid. ad leg. Rom. Visig. c. un. C. Th. II. 26. Cf. Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.

in loco unde — sententiam finire valeat, sec. c. 30 conc. Carth. D. aut Ben. III. 86. Cf. Corn. 5.

quia multa per subreptionem proveniunt, c. 34. apost. Cf. Eleuth. 3, Anast. I. pp. ep. 1.

c. X. Ut testificandi — neglexerint, Ben. III. 188, addit. III. 12. (ep. Aegid. ad leg. Rom. Visig. c. 1. C. Th. XVI. 2.) Cf. Anacl. 3, Eutic. 8.

c. XI. Multum derogatio — creditur, Cass. hist. trip. III. 8. (cf. Ben. II. 381.) Cf. Anacl. 6.

ideo variis — regulis roborari, Cass. hist. trip. V. 29 et Ben. II. 381. Cf. Anacl. 6, Telesf. 3.

1 *Mut.* adsum necessitatis properatis. 2 *Mut. addit:* Felix episcopus scripsit cap. I. de his qui nequeunt accusare. *Cod. et Dst. in marg.* qui accusare nequeunt. 3 *Sg. Bb. Dst. addunt:* quandoque. 4 *Sg. Bb. Dst. addunt:* quis. 5 *Sg. Bb. Dst.* vocatus. 6 *Mut. Sg. Dst.* debet. 7 *Mut. Sg. Dst.* ipse. 8 *Deest in Mut.* hoc tenore — accusatio. 9 *Mut. Sg. Bb. Dst.* ad. 10 *Mut. Sg. Dst.* in. 11 *Dst.* iudicum. 12 *Mut.* in tres. 13 *Mut. Sg. Dst.* his. 14 *Mut.* distullerint. 15 *Om. Sg.* quod si — non noluerit. 16 *Deest in Mut. Dst.* probare — noluerit sed. *Sg. add.* si. 17 *Mut.* ni legis. *Sg.* nil eis. 18 *Om. Sg.* 19 *Sg.* inde (*pro* in sede) *manu post. corr. in:* inibi. 20 *In Sg. manu post. add.* suis. 21 *Bb.* fuerint. 22 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 23 *Dst.* fratribus, *in Sg. manu post. corr. in:* patribus. 24 *Bb. addit:* ut. 25 *Deest in Sg. Dst.* 26 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 27 *Bb.* sibi aliqua. 28 *Bb. add.* et verum. 29 *Mut. Sg. Bb. Dst.* evenire. 30 *Bb. rubricam ponit:* de his qui non sunt recipiendi ad iudicandum vel ad accusandum. 31 *In Sg. manu post. add.* eis. 32 *Mut. Sg. Dst.* derogatori. 33 *Sg. Bb. Dst.* detractionibus.

patrum regulis roborari, nec facile aut indifferenter suscipere accusationes presumat[1], dicente domino: Non suscipias vocem mendacii, sed[2] prius probare debet suspicionem et causam aut quo animo[3] hoc fatiat, et postmodum suscipere accusationes presumat dicente domino[4], quia veritatis professioni[5] propinquitatis[6], inimicitiae, timoris, amoris, odii et cupiditatis intentio inpedire et adversa fratribus inrogare solet.

XII. [7]Personae accusantium tales esse debent, quarum fides, conversatio et vita probabilis et absque reprehensione sit, et que omni careant suspitione, quia et hoc te praesente, ut bene nosti, in Nicena synodo propter malorum hominum infestationem ab omnibus[8] est definitum[9], licet pravorum hominum insidiis sint haec et alia[10] quamplura deleta.

XIII. Primates illi est non[11] alii sunt[12] qui in predicta Nicena synodo sunt constituti, reliqui vero qui metropoles[13] tenent sedes, archiepiscopi vocantur[14] et non primates, salva in omnibus apostolicae sedis dignitate, quae ei ab ipso domino est[15] concessa et postea a sanctis patribus[16] roborata[17].

XIV. Primo semper in omni episcoporum accusatione persona, vita[18] et conversatio accusantium enucleatim inquiratur et postmodum ea quae obitiuntur fideliter pertractentur, quoniam nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum[19] prius fides, personae vita et actus[20] discutiantur, quia non debet pravorum aut insidiantium hominum pernicie[21] vita[22] lacerari[23] innocentium. Sane sepissime boni a malis persecuntur qui non cessant suis calamitatibus alios[24] derogare. Ideo summopere[25] praevidendum, ne haec fiant.

XV. Nullus servus, nullus libertus, nullus infidus[26], nullus[27] criminibus inretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitiis studet, nullus qui frequenter litigat et ad causandum[28] vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona[29] vel omnes[30] quos ad accusanda publica crimina leges publice non admittunt, permittantur[31] episcopos accusare[32], quoniam accusatores et accusationes quas saeculi leges non recipiunt[33], qua ratione sacerdotales[34] eas recipere debet[35] ordo, inve-

Non suscipias vocem mendacii, Exod. XXIII. 1.

quia veritatis — intentio inpedire, sec. interpr. l. Rom. Vis. Paul. sent. sec. V. 17. s. 3. Cf. Calist. 17, Euseb. 3.

c. XII. et que omni — suspitione, sec. Ben. I. 401 tit. Cf. Zeph. 5, Fel. I. pp. 12, Iul. 18.

c. XIII. Primates et illi — sunt constituti, c. 6. conc. Nicen. Cf. supra c. v. x.

Reliqui vero — non primates, sec. c. 12 conc. Chalc. (D.) et c. 6 conc. Afric. (D.) Cf. Clem. 28. 29, Anacl. 26. 28, Iul. 12. (Annic. 3, Steph. 9.)

c. XIV. Primo semper — discutiantur, Ben. I. 393. II. 381. III. 84. 97. et c. 12 Angilr. (c. 17 conc. Afric. D., c. 21 conc. Chalc. D, c. 8 conc. Carth. D.). Cf. Steph. 13, Marcelli 11.

c. XV. Nullus servus — publice non admittunt, c. 96 conc. Afric. aut Ben. III. 99. 437. Cf. Ben. II. 381. III. 108. 307, c. 9 Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Steph. 7, Euseb. 2, Iul. 7. 12. 18, Dam. 14.

(*nullus criminibus inretitus*, c. 8 conc. Carth. D. aut Ben. III. 85. Cf. Anacl. 22, Fab. 13, Euseb. 3. Pont. 3, Fab. 25, Steph. 2. 11, Sixt. III.)

nullus calumniator. Cf. Iul. 18.

(*nullus qui frequenter — est facilis*, c. 58 conc. IV. Carth. H. aut Ben. I. 399. aut c. 50 Angilr. Cf. Pont. 9, Iul. 18.)

(*nulla infamis persona*. Cf. Iul. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.)

Spiritalis — a nemine iudicatur, I Cor. II. 15. aut Ben. add. III. 20.

[1] *Bb.* praesumant. [2] *Deest in Sg. Dst.* [3] *Bb.* quomodo de. [4] *Om. Mut. Sg. Bb. Dst.* accusationes presumat dicente domino. [5] *Mut. Sg. Bb. Dst.* professionem. [6] *Mut. Sg.* propinquitas. [7] *Cod. et Dst. in marg.* De his qui non sunt recipiendi ad iudicandum vel accusandum. [8] *Deest in Mut. Dst.* infestationem ab omnibus. [9] *Dst.* constitutum. *Mut. Sg. om.* infestationem — definitum. *In marg. manu post add.* insidias constitutum est. [10] *Mut.* talia. [11] *Deest in Mut.* [12] *Mut. Sg. Bb. Dst.* sint. [13] *Mut. Bb.* metropolis. [14] *Mut. Sg. Dst.* vocentur. [15] *Om. Mut. Sg. Dst.* [16] *Dst. add.* est. [17] *Sg. add.* est. [18] *Mut.* vite. [19] *Mut. Sg. Dst.* praedictorum. *Bb.* impeditorum. [20] *Mut.* tactus. [21] *Mut. Sg. Dst.* pernicies. [22] *Sg. Dst.* vitam. [23] *Sg. Bb. Dst.* lacerare. [24] *Mut. Sg. Dst.* aliis. [25] *Sg. add.* est. [26] *Mut. Sg. Dst.* infidelis. [27] *Mut. addit:* in. [28] *Mut. Sg. Bb. Dst.* accusandum. [29] *Mut. Sg. add.* vel omnis qui ad accusandum vel detrahendum est facilis, nulla infamis persona. [30] *Sg.* omnis. [31] *Deest in Mut. Sg. Dst.* [32] *Mut. Sg. Dst. addunt:* praesumant. [33] *Mut.* respiciunt. *In Sg.* respiciunt *manu post. corr. in:* recipiunt. [34] *Bb.* sacerdotes, *Mut. Sg. Dst.* sacerdotalis. [35] *Mut. Sg. Bb. Dst.* debeat.

nire nequeo, cum haec et[1] Nicena synodo prohibita sint et illi magis ab istis, non isti ab illis iudicari debeant et apostolus dicat: Spiritalis iudicat omnia, ipse vero a nemine iudicatur.

XVI. Haeretici a[2] quibus nimium obprimimur excommunicatique, homicide, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri et qui raptum fecerint vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi.

XVII. Non ita[3] in aecclaesiasticis agendum est negotiis sicut in secularibus. Nam in saecularibus[4] postquam[5] legibus vocatus[6] et[7] in foro decertare coeperit aliquis, non licet ante peractam causam recedere; in aecclaesiasticis vero dicta causa recedere licet, si necesse fuerit aut si[8] ei[9] praegravari[10] viderit.

XVIII. Quocies episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores qui iuste et canonice recipi debeant, legitima in synodo suo tempore[11] congregata ab omnibus canonice audiatur[12] qui sunt in provintia episcopis; quod si legitimi non fuerint accusatores non fatigetur episcopus, quia sacerdotes ad sacrificandum vacare[13] debent, non ad litigandum, nec illi qui throni dei vocantur pravorum hominum insidiis debent turbari, sed libere Christo domino famulari.

XIX. Quamquam[14] conprovintialibus[15] episcopis una cum eorum metropolitano sue provintie causas episcoporum liceat caritative et concorditer agitare, non tamen, sicut in predicta[16] te[17] praesente est constitutum synodo, licet[18] definire absque Romani pontificis auctoritate; quod si secus[19] a quibusdam presumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint sue praesumptionis suscipiant damnum, et illi qui ab eis perperam excommunicati aut dampnati fuerint[20], auctoritate huius sanctae sedis et beati preceptoris nostri clavigeri Petri potestate solvantur[21] atque restituantur. Ipse[22] enim ait dominus: Quecumque solveris super terram, erunt soluta in terra et in caelis.

XX. Quotiens episcopi se a suis conprovintialibus vel a metropolitano putaverint pregravari aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos[23] absque ulla detentione aut suarum rerum ablatione libere ire liceat et dum praedictam Romanam matrem appellaverint aecclaesiam aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut[24] excommunicare[25] aut eorum sedes subripere aut eorum res auferre aut aliquam vim eis[26] inferre praesumat, antequam amborum causa Romani pontificis auctoritate finiatur[27]. Quod si aliter a quoquam praesumptum fuerit, nihil erit[28], sed viribus carebit.

c. *XVI. Haeretici a quibus — erunt admittendi*, Ben. II. 397. III. 369. aut c. 10 (bis) Angilr. Cf. Clem. 31, Eutic. 8, Euseb. 18.

c. *XVII. Non ita in aecclaesiasticis — sicut in secularibus*, sec. Leon. ep. 104. c. 3. (Mansi 1, 1149.) Cf. Vict. 3, Eutic. 6.

Nam in saecularibus — praegravari viderit. Cf. Eutic. 7.

c. *XVIII. Quocies episcopus super certis — provintia episcopis*, c. 26 Angilr. aut Ben. II. 381. III. 104. (c. 15. conc. Ant.) Cf. Fab. 26, Euseb. 11, Sixt. III. pp., Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1. (Steph. 10.)

nec illi qui — turbari debent, c. 5. conc. XI. Tolet. aut Ben. II. 104. 357. III. 156. Cf. Steph. 12, excerpt. Silv. 9, Greg. M. ad Fel.

c. *XIX. Quecumque solveris — in coelis*, Matth. XVI. 19.

c. *XX. Quotiens episcopi — appellent sedem*, Ben. III. 173. 314, c. 5. 17 Angilr. (c. 9. 17. Chalc. conc. D. et H.) Cf. Annic. 4, Iul. 12, Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12, Fel. II. pp. 4.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst. add.* in. 2 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 3 *Mut. Sg. Bb. Dst.* enim. 4 *Deest in Mut. Sg. Dst.* Nam in saecularibus. 5 *Mut. Dst.* priusquam; *in Sg.* priusquam *manu post. corr. in:* ubi si quis. 6 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* venerit. 7 *Bb.* et cum, *Mut. Sg. Dst.* ut cum. 8 *Bb.* se. 9 *Mut.* semper, *Dst.* se (*pro* si ei). 10 *Mut.* gravari, *Dst.* pergravari. *Sg. legebat:* aut se pergravari, *manu post. corr. in:* aut si se praegravari. 11 *Sg.* debeant synodo legitime in suo tempore. *Dst.* debeant legitima synodo in suo tempore. 12 *Bb.* audiantur. 13 *Mut. Sg.* vocari. 14 *Mut. Sg. Dst.* Quamvis. 15 *Mut. Sg. Bb. Dst.* provintialibus. 16 *Mut.* praedicto tempore. *Sg. Dst.* praedicta tempore. 17 *Om. Dst.* 18 *Mut. Dst. Sg. add.* et. 19 *Mut.* se. 20 *Sg. Dst.* fuerunt. 21 *Mut.* salvantur. 22 *Sg. Bb. Dst.* ipsi. 23 *Bb.* atque eos. *Mut. Sg. Dst.* atque. 24 *Deest in Mut.* 25 *Deest in Mut.* 26 *Mut. Sg. Dst.* aliquid eis. 27 *Mut. Sg. Dst.* firmetur. 28 *Bb.* eorum. *Sg. Dst.* eis oberit.

XIII. Nam nec hoc perperàm[2] praesumimus, sed id ipsum et in Nicena synodo constitutum et antecessores nostros egisse bene, Athanasi, nosti[3], quoniam quando tu[4] et Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gaze et Lucianus Adriopolites[5] ab Orientalibus episcopis, inconsulto sanctae memoriae Iulio praedecessore nostro, dampnati estis et ad eum quasi ad totius orbis capud, ut semper huic sanctae sedi licitum fuit, confugistis, cognita eorum nequitia et vestra iustitia[6], vos in communione[7] suscepit et omnium vestrum[8] curam gerens propter[9] sedis propriae dignitatem suas[10] singulis reddens aecclaesias Orientalibus scripsit, culpans eos quod non recte tractassent, viros inculpabiles de suis aecclaesiis expellentes et constituta Niceni concilii minime conservantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse[11] precepit, ut de talibus[12] certam praesumptionibus redderent rationem, et coram eis ostenderet iustum se super eis protulisse[13] decretum. Interminatus est etiam non talia deinceps fratres esse passuros, et nisi ab huiusmodi presumptionibus cessarent, a propriis esse[14] gradibus eos recessuros. Tali enim huius sancte sedis privilegio tu et fratres tui proprias recepistis[15] aecclaesias cum omnibus sibi pertinentibus. XIV. His enim et aliis quamplurimis documentis manifestum est nullum dampnari aut suis expoliari rebus debere episcopum qui hanc sanctam sedem interpellaverit, aut sibi defensatricem asciverit[17], donec iuditium de eo[18] nostre[19] apostolice auctoritatis[20], hoc est principis apostolorum Petri, agnoscat, quia solummodo Christus Iesus huic sanctae sedi, id est apostolicae, hoc facere commisit, utpote quoniam[21] solus adque prae omnibus prefatus princeps apostolorum creditus[22] est adque percipere meruit a rege regum Christo deo claves regni celorum. XV.[24] De[25] induciis vero episcoporum super quibus consuluistis, diversas a patribus regulas invenimus institutas, quidam enim ad repellenda imperitorum[26] machinamenta et suas preparandas responsiones et testes confirmandos et consilia[27] episcoporum atque amicorum querenda annum et sex menses mandaverunt concedi, quidam autem annum in quo plurimi concordant, minus vero quam sex menses non repperi, quia et laicis haec indulta sunt, quanto magis domini sacerdotibus. Nam et[28] nostris antecessoribus adque reliquis sanctis patribus multoties inhibitum est, ne quis domini sacerdotibus[29] detractionibus inroget, quanto magis accusationibus[30] non ex radice caritatis prolatas[31]. Quiescite, inquiunt, et nolite persequi eos qui deo[32] perfecte ministrant, quorum orationibus et terrena bella sedantur et recedentium a[33] deo[34] angelorum pelluntur incursus, quique omnes demones[35] corruptores[36] precum assiduitate confundunt. Indutiae namque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedende sunt, ut accusati se preparare et universos communicatores in provintiis positos[37] convenire et testes preparare atque contra insidiatores se pleniter armare valeant.

[XIII. Confirmatio superioris capituli i. e. XX. exemplo Iulii papae qui secundum Nicenum constitutum sinodale Atanasio et reliquis episcopis ortodoxis suas unde expulsi fuerant reddidit ecclesias et eos in communione suscepit.][1]

[XIV. Quod nullus episcopus debeat dampnari aut rebus suis expoliari qui Romanam sedem appellat, donec iudicium de eo apostolicae auctoritatis agnoscat.][16]

[XV. De induciis episcoporum accusatorum secundum diversas regulas a patribus institutas et de indicibus atque accusatoribus episcoporum.][23]

c. XIII. Nam nec hoc perperam — gradibus eos recessuros, sec. Cass. hist. trip. IV. 15. Cf. Iul. 11.
c. XIV. donec iudicium — claves regni celorum, conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 950.) Cf. Dam. 21.
c. XV. Quiescite inquiunt — assiduitate confundunt, Cass. hist. trip. VII. 9. Cf. Marcelli 11. *Indutiae namque — concedende sunt*, sec. eiusd. IX. 14. Cf. s. c. 12. IV.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst.; Bb.* XIII. Confirmatio superioris capituli i. e. XX. et cetera. 2 *Dst.* praeterire. 3 *Mut.* nostri. 4 *Om. Sg. Dst.* 5 *Mut.* Latianus Hadrianopolites. *Sg.* Lucianus Adrianopolites. *Dst.* Lucianus Hadrianopolitis. 6 *Mut.* iudicia. *Sg.* vestro iudicio. 7 *Mut. Sg. Dst.* communionem. 8 *Mut.* vestram. 9 *Bb. addit:* quod. 10 *Mut.* suis. *Bb.* suae. 11 *Mut.* adessent. 12 *Dst. addit:* per. 13 *Sg. Dst.* pertulisse. 14 *Deest in Mut.* passuros — propriis esse. 15 *Mut. Sg. Bb. Dst.* receperunt. 16 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 17 *Mut. Sg. Dst.* adscripserit. 18 *Mut.* deo. *Om. Sg.* 19 *Sg.* nostro. 20 *In Sg. manu post. add.* decreto. 21 *Sg. Dst.* quia. *In Sg. manu post. add.* hoc. 22 *Sg.* praeditus. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 24 *Mut. add.* De dandis induciis. 25 *Cod. in marg.* De indutiis episcoporum. 26 *Bb.* impetitorum. *Dst.* imperatorum. 27 *Mut. Sg. Dst.* concilia. 28 *Sg. Bb. Dst. addunt:* a. 29 *Mut. Sg. Dst.* sacerdotes. *Bb.* sacerdotis. 30 *Deest in Mut. Sg. Dst.* inroget — accusationibus. 31 *Sg. Dst.* prolatis. *Sg. add.* impetat. 32 *Deest in Mut. Sg.* 33 *Deest in Mut. Sg.* 34 *Deest in Mut. Sg.* 35 *Om. Mut.* 36 *Mut.* corruptorum. 37 *Mut.* positis.

[1] Iudices enim et accusatores tales esse debent, qui omni careant suspitione et ex radice caritatis suam desiderant [2] promere sententiam. XVI. His igitur tam legaliter quam et canonicae prolatis etiam omnium christianorum reverentiam [4] congaudere deposcimus [5], spiritali [6] intercedente dilectione et timore dominico per quem humana removetur [7] offensio et aecclaesiarum aedificatio preponitur universis, ut magis [8] universi ad edificationem fratrum [9] laborent quam ad dampnationem, quoniam ait dominus: In hoc cognoscent omnes quia [10] mei estis discipuli, si delectionem habueritis adinvicem. Iam enim formam dedimus et a predecessoribus nostris datam esse cognovimus, ut si quis se esse [11] agnoverit [12] christianum, illud servet quod ab apostolis noscitur esse contraditum [13] dicente apostolo Paulo: Si quis vobis adnuntiaverit preter quod accepistis, anathema sit. Christus enim dei filius dominus noster humano generi per [14] propriam passionem [15] salutem plenissimam condonavit, ut nos liberaret. Et si deus intantum nos dilexit, ut etiam proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus illum traderet, ut nos liberaret, ut quid [16] nos [17] non diligimus fratres aut eos temere iudicamus, cum predictus dicat apostolus: Nolite iudicare invicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum? Nam si illi qui fratres diligunt, ex deo nati sunt et vident deum, quid ergo erunt illi [18] qui eos persecuntur et eos detrahendo, machinando, accusando, infestando dampnare moliuntur? Si illi filii dei, procul dubio hi filii sunt diaboli, qui semper sicut leo rugiens circuit querens quem devoret, ita [19] fratres insecuntur [20] ut perdant: qui vero adiuvare fratres refugiunt, magis peccatorum onus acquirunt et fraternitatis solatio rei existunt: ve, inquit propheta, qui potum dat amico suo, mittens fel suum. Et iterum sapientissimus Salomon ait: Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere nec praeteriet illum corripiens inditium. In cogitationibus ergo impii interrogatio erit, sermonum autem illius ad deum perveniet auditio ad correptionem iniquitatum illius, quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum [21] non abscondetur; haec [22] enim si amplecti voluissent, proprio et sano sensu [23] ad reprobum [24] sensum minime laberentur, sed per dei timorem sermonum suorum precaventes custodiam, piam sanctorum patrum definitionem sine quadam nocumenti [25] praesumptione utique conservarent, quoniam dicit sacrum eloquium: Concilium [26] bonum conservabit te et mens bona custodiet [27] te. Non enim de fontibus salutiferis spiritaliter ad adquisitionem aeternae vitae procedunt tales accusationes et detractiones, atque ideo competenter nos beatus Paulus apostolus preveniens ait: Non debere plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. In definitione pietatis perdurantes [28]: qui enim hanc praetereunt, non tantum ipsi sunt decidentes a corroboratione sua, sed insipientiae suae dereliquerunt omnibus memoriam, ut in his in quibus peccaverunt, minime latere potuissent, gloria enim et contumelia in loquela et in lingua hominis casus

[XVI. Quod magis ab omnibus sit laborandum ad edificacionem fratrum quam ad damnationem.] [3]

Iudices et accusatores — careant suspitione, Ben. I. 401 tit. (Cf. s. c. 12. XII., Zeph. 5, Fel. pp. 12, Iul. 12.)

c. XVI. His igitur tam legaliter — preponitur universis, Cass. hist. trip. IX. 14.

In hoc cognoscent — habueritis adinvicem, Ioann. XIII. 35.

Iam enim formam — ut nos liberaret, Cass. hist. trip. IX. 15.

ut etiam proprio — illum traderet, Rom. VIII. 32.

Nolite iudicare — fratri vel scandalum, Rom. XIV. 13.

sicut leo — quem devoret, I Petr. V. 8.

ve, inquit propheta usque ad fin. Eadem leguntur in c. 16. decr. Fel. I. pp.

1 *Mut. addit:* de iudicibus et accusatoribus. *Eadem in marg. Dst.* 2 *Mut. Sg. Bb. Dst.* desiderent. 3 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 4 *Bb.* reverentia. *Dst.* reverentiae. 5 *Mut.* posscimus. *Sg.* poscimus. *Bb.* possimus. *Dst.* possumus. 6 *Mut.* spiritaliter. *Bb.* spirituale. 7 *Mut. Dst.* renovatur. 8 *Deest in Mut. Sg. Dst.* universis ut magis. *In Sg. manu post. add.* ut plus. 9 *Dst. addit:* magis. 10 *Sg.* quoniam. 11 *Om. Sg. Dst.* 12 *Dst.* cognoverit. 13 *Mut. Bb.* contradictum. 14 *Om. Sg.* 15 *Sg.* propria passione. 16 *Om. Mut. Bb.* qui. 17 *Om. Sg. Dst.* 18 *Bb.* erit illis. 19 *Mut. Sg. Dst. addunt:* qui. 20 *Bb.* et secuntur. 21 *Mut. Bb.* murmurantium. 22 *Mut. Sg. Dst.* nec. 23 *Sg.* proprios sanos sensus. 24 *Om. Mut.* sensu ad reprobum. 25 *Mut.* nocuementis. *Sg.* nocuae mentis. 26 *Sg. Dst.* Consilium. 27 *Bb.* custodiat. 28 *Dst.* perduremus.

illius est; ideoque conveniens est hanc quidem ostensionem reprehensionum[1] illorum nostris actibus inseri ne ulterius iam talia patiamini, seminantibus[2] eis zizania et scandala, sed laetari in officiis et dogmatibus[3] vestris mereamini. Igitur erubescant, talia et ab[4] huiusmodi blasphemia[5] subtrahere festinent, si noluerint a sacerdotali nostro collegio segraegari et a totius christiani populi societate divelli.

[XVII. De oratione quae claudit epistolam.][6]

XVII. Licet namque de his plura et pernecessaria que in decretis sedis apostolicae et ab apostolis eorumque successoribus nostris, videlicet predecessoribus[7] statuta inveniuntur, dicere et conscribere potuissemus, tamen melius nobis visum est ut epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens et huius[8] unigenitus filius et salvator noster Iesus Christus hoc vobis tribuat incitamentum, ut omnibus fratribus et coepiscopis nostris[9] quibuscumque tribulationibus laborantibus[10] totis succurratis viribus et cum eis compatientes crucem eiusdem domini salvatoris[11] portetis, ut veri ipsius discipuli coram omnibus appareatis, ut et[12] vos et[13] qui vobis commissi sunt hic et in futuro meliora possideatis, quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit[14], quae praeparavit deus diligentibus se; per eundem dominum nostrum Iesum Christum, per quem et cum quo[15] omnipotenti deo patri[16] et[17] gloria in saecula saeculorum. Amen. Valere vos opto, karissimi fratres. Data Idus Febr. Agario[18] et Iuliano viris clarissimis consulibus.

AD QUOS SUPRA EIUSDEM PAPE.[19]

[XVIII. Et ad reliquos domini sacerdotes qua hortatur ut patienter portent persecutiones et tribulationes.][20]

XVIII.[21] FELIX sanctae universalis aecclaesiae papa[22] adque per[23] gratiam[24] dei catholicae et apostolicae aecclaesiae urbis Romae episcopus una cum sancto concilio nostro reverentissimorum sacerdotum huc[25] nobiscum convenientium in confirmatione[26] piissimorum catholicae aecclaesiae dogmatum et relevatione oppressorum fratrum coepiscoporum videlicet nostrorum qui rectam[27] Niceni concilii tenent fidem et[28] fratres non[29] infestant, universis spiritalibus fratribus nostris et reliquis in sacerdotali collegio domino consecratis atque omni plenitudini aecclaesiae catholicae.

Gratia vobis et pax multiplicetur in confortatione et sancti spiritus communione, quatenus in eo profitientes a[30] gloria[31] in gloriam[32] virtutes annuntiemus eius qui de tenebris nos vocavit in ammirabile lumen suum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis[33] obumbratio. Portate, fratres, ortamur; persecutiones et tribulationes patienter ut eius inveniamini filii quem cotidie patrem invocatis dominum[34] in caelis, et in eo vincatis omnia, qui propter nos vicit[35] omnia; qui etiam proprio non pepercit filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Imitatores[36] quoque dei[37] convenit in omni verbo et opere imitari dominum[38],

c. XVII. Nota cons. ad libit. ficta.
c. XVIII. Felix sanctae — spiritus communione, sec. init. Martin. I. pp. ep. encycl. (Mansi 10, 1170.)
quatenus in eo profitientes — vicissitudinis obumbratio, sec. ep. cit. (l. c. 1170.)
qui etiam proprio — tradidit illum, Rom. VIII. 32.
Imitatores quoque dei — valeant obumbrare, sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1054. 1055.)

1 *Sic corr.* reprehensionem *sec. Mut. Sg. Dst.* 2 *Mut.* setibus. 3 *Deest in Mut.* eis zizania — dogmatibus. 4 *Deest in Bb.* 5 *Sg. Dst. add.* se. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 7 *Deest in Sg. Dst.* nostris videlicet praedecessoribus. 8 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 9 *Sg. Dst. add.* in. 10 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 11 *Om. Mut.* et cum — salvatoris. 12 *Om. Sg. Mut.* 13 *Deest in Mut.* vos et. 14 *Mut. Sg. Dst.* ascenderunt. 15 *Deest in Mut.* 16 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 17 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 18 *Bb.* Agalio. 19 *Inscriptio deest in Mut. Dst. addit:* Felicis. *Sg.* Epistola Felicis papae. *Bb.* Epistola eiusdem papae II. *Inscript. in Par.* 4280 *AA:* Item epistola eiusdem papae Felicis huniversis praefatis episcopis qua ortatur ut pacienter portent persecutiones et tribulaciones. 20 *Sec. Dst.* 21 *Num. Par.* 4280 *AA. Bb. Dst.* apponunt. 22 *Om. Sg. Dst.* 23 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 24 *Mut. Sg. Dst.* gratia. 25 *Sg. Dst.* hic. 26 *Sg. Bb. Dst.* conversatione. 27 *Mut.* nec tam. 28 *Dst.* quos. *Sg. add.* quos *manu post. post* et. 29 *Sic corr.* nostros *sec. Bb.; Mut. Sg. Dst.* nostri. 30 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 31 *Mut. Sg. Dst.* angelorum. 32 *Mut. Sg. Dst.* gloria. 33 *Bb. Dst.* momenti. *Mut.* mentis. 34 *Mut. Sg. Dst.* deum. 35 *Bb. Dst.* vincit. 36 *Bb.* Ita. 37 *Deest in Bb.* 38 *Sg.* deum.

ideoque illud oportet nos dicere quod ipse de se perhibuit dominus[1]: Veniet[2] princeps huius mundi et in me nihil inveniet, venerunt et illi qui vos et nos persecuntur, quia vos sine nobis[3] persequi non possunt, quoniam unius dei membra sumus et[4] unum illius sacerdotium per eius sanctificationem retinemus, et in nobis de suis nihil invenerunt, quia quicquid sumus gratia dei sumus, licet propterea calumniari[5] nos[6] inrationabiliter studuerunt quod facere solent[7] inimici, suam ex hoc[8] cooperare[9] dementiam properantes, quatenus per mendatium veritatem valeant obumbrare. Scripsi enim vobis, inquit beatus apostolus, per multas lacrimas ut non contristemini, sed ut sciatis quam[10] caritatem habundantius habeo in vobis; etenim detrahentibus detrahere non est bonum, ut non[11] ad ea quae scripta sunt commoti iniuriae certamen efficiamus. Non debemus omnino timere obprobrium hominum[12], neque eorum exprobrationibus[13] vinci, quoniam hoc nobis dominus iubet per Isaiam prophetam dicens: Audite me qui scitis iuditium, populus meus, in quorum cordibus lex mea est, nolite timere obproprium hominum et blasphemias eorum ne timeatis. Considerantes etiam quod in psalmo scriptum est: Nonne deus qui[14] requiret ista? Ipse enim novit occulta cordis et cogitationes talium hominum, quoniam vane sunt: vana autem locutus est unusquisque[15] ad proximum[16] suum, et[17] labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala, sed disperdat[18] dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam[19]. Qui dixirunt: Labia nostra a nobis sunt[20], quis est noster dominus? Nam si hec in memoria retinerent minime ad tantam prosilerent[21] iniquitatem; non enim per probabilem et paternam doctrinam hoc fatiunt, sed ut suam exerceant in servos dei vindictam, scriptum est namque: Via stulti recta in oculis eius, et sunt vie que videntur homini iustae[22], novissima autem eorum[23] deducunt ad mortem. Nos enim, qui hec patimur, iuditio dei haec reservare debemus qui reddet unicuique secundum opera sua[24], qui etiam per ministros suos intonuit dicens: Mihi vindictam, ego retribuam[25]. XIX. Vos enim in recta fide et pura[27] ac bona voluntate succurrite vicissim, nec aliquis ab supplemento fratris subtrahat manum, quoniam in hoc, ait dominus, cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem. Unde et ipse per prophetam[28] loquitur dicens: Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum[29]. Spiritali dico habitaculo[30] et concordia quae in deo est et unitate fidei huius delectabilis, secundum veritatem inhabitaculi[31] qui[32] videlicet in Aaron magis decorabatur adque sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut unguentum super caput, principalem intellectum inrigans et usque ad ipsam extremam scientiam deducens: in hoc enim habitaculo benedictionem et aeternam vitam promisit dominus. Huius igitur prophetiae[33] vaticinationis meritum amplectentes[34], fraternam praesentem[35] syllabam exposuimus nostra[36] propter caritatem minime[37] querentes aut quesituri. XX. Non enim

[XIX. Ut unusquisque fidelis pura voluntate et bona succurrat nec a supplemento fratris subtrahat manum.][26]

[XX. Quod non sit bonum detrahere detrahentibus.][38]

Scripsi enim vobis — habeo in vobis, sec. conc. cit. secr. IV. (l. c. 1027.)

etenim detrahentibus — certamen efficiamus, sec. conc. cit. secr. IV. (l. c. 1028.) Cf. Pelag. II. pp. ep. 3.

Non debemus omnino — habueritis adinvicem (c. 19). Eadem leguntur in Zeph. 12. 13, Pelag. II. pp. ep. 3. Cf. quae ad Zeph. 12. adnotantur.

c. XIX. *Ecce quam bonum — ut patres nostri enarraverunt nobis* (c. XXI.), sec. conc. Later. 649. secr. IV. (l. c. 1019. 1022). Cf. Zeph. 13.

1 *Mut. Sg. Bb. Dst.* dicens. 2 *Mut. Sg. Bb. Dst. addunt:* enim. 3 *Mut.* vobis. 4 *Mut.* ut. 5 *Mut.* calumniarios. 6 *Deest in Mut.* 7 *Mut. Bb. Dst.* adsolent. *Sg.* assolent. 8 *Mut. Sg.* hac. 9 *Mut. Bb. Dst.* operari. 10 *Mut. Bb. Dst.* quia. 11 *Mut.* utve, *Bb.* ut ne, *Dst.* et ne. 12 *Bb.* omnium. 13 *Sic corr.* exprobationibus *sec. Sg. Bb. Dst.* 14 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 15 *Deest in Mut. Sg. Dst.* 16 *Mut.* proximus. 17 *Deest in Mut. Sg. Bb. Dst.* 18 *Mut. Sg. Bb. Dst.* disperdet. 19 *Mut. Sg. Dst.* maliloquam. 20 *Om. Sg. Dst.* 21 *Bb.* prosilirent. 22 *Sg.* rectae. 23 *Mut. Sg. Bb. Dst.* earum. 24 *Codd. cit.* eius. 25 *Codd. cit. addunt:* dicit dominus. 26 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.* 27 *Sic corr.* plura *sec. Mut. Sg. Bb. Dst.* 28 *Mut. Sg.* prophetiam. 29 *Deest in Mut.* Ecce — in unum. 30 *Mut.* habitalo. 31 *Sg.* habitaculi. 32 *Bb.* quae. *Dst.* quid. 33 *Bb. Dst.* propheticae. *Sg.* prophetae. 34 *Sg.* amplectens. 35 *Deest in Dst.* 36 *Mut.* nostram. *Dst. Sg.* vestram. 37 *Mut. Dst.* misericordiam. *Bb.* misericordiae minime. *Sg.* misericordiamque. 38 *Sec. Par.* 4280 *AA et Dst. Sol. num. in Bb.*

detrahentibus bonum est detrahere, aut palo[1] secundum vulgarem fabulam excutere palum[2]: absit. Non sunt nostra ista, quapropter hoc[3] avertat divinitas. Non sunt[4] edocti habitus nostri ita vincere[5], sed in patientia longanimitatis et spiritu humilitatis, quia sicut minime per duritiam, ut propheticae dicamus, purgatur nigella, ita nec pacis saporatus fructus intelligentiae per asperitatem exprimitur; propter hoc[6] enim et[7] verborum subportavimus colafos ut vel paulatim valeamus eum imitari, qui propter nos se humiliari[8] dignatus est, ut extreme illius ultionis per hanc plagam verba[9] declinemus. Audiamus igitur[10] et consentiamus aecclaesiae oratori qui per linguam spiritui[11] clara voce exclamat dicens: Omnia vobis in caritate fiant. Ergo sive querimus sive tantummodo dicimus et tantummodo audimur[12], caritas intercedat, ars aliqua existat ad conpositiones[13] concordiae boni et coniunctiones[14]. Oportet enim de deo[15] quaerentibus nobis spiritum rectitudinis mentis nostrae denumerantes intentiones templum pacifice inhabitare in eum propter dominum, qui per prophetam locutus est: Querens quere et aput me habita. XXI. Speculum enim dedit nos deus populo suo, et oportet eos qui a deo sunt deputati sacerdotium adipisci, ita in humilitate gressum mentis adinvicem tendere, ut in melius aedificentur[17] hi qui[18] ad nos respiciunt, quam, quod dicere piget, per nostram discordiam semitam pedum eorum concutere[19]. Ad concordiam inclinemus nos ipsos et unum in caritate sapiamus, humilitatem veneremur, per quam adprehendi solet altitudo spiritus. Si enim verborum amplius usque huc[20] taciturnitatem quam garrulitatem[21] diliximus, hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis vestris reciproca respondentibus iniuriae fomitem excitemus[22], et pusillanimitate diiudicemur ab eo qui omnia ad caritatem diligere[23] promulgavit. Oravimus vero et tunc hostium circumstantiae labiis nostris imponi[24], verbum in sonitum concipere potius quam[25] verbum[26] invigilem: et tamen hoc mihi donum est a domino, et factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo[27] argutiones[28]. Sed quia tempus est loquendi et tempus tacendi[29], aperio verbum et claudo hostium per taciturnitatem conpetenter exorans: Domine, labia mea aperies et respondeam exprobrantibus[30] mihi verbum. Licet enim tacuissemus, non tamen semper tacebimus adaperiente deo nobis claves verbi. Igitur directis[31] in praesenti[32] beatitudine[33] fraternitatis vestre apocrisiariis[34] qui post[35] multas factas[36] inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes in fine[37] ad hoc pervenerunt, admonentes nos atque adhortantes[38] interpretari unius veri Christi dei[39] nostri[40] voluntatis intellectum atque huiusmodi interpretationem destinari vestrae sacratissimae venerationi; nos autem acceptum[41] habentes bonae conscientiae praedictorum venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autem et quae principatus apostolorum summitas docet paratos esse ad satisfactionem omni poscenti verbum de spe quae in nobis est secundum dei timorem, mansuetudinemque ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione[42] mentem

[XXI. Quod episcopos dederit deus speculum populo suo.][16]

c. XXI. Oravimus vero etc. Cf. Zeph. 13.

[1] *Mut.* apostolos. *Bb.* apostolum. *Sg.Dst.* apostolo. [2] *Codd. cit.* paulum, *in Sg. manu post. corr. in:* palo. [3] *Mut. Sg. Dst.* haec. [4] *Omisi* vel docere, *quod in ceteris codd. deest.* [5] *Mut. Sg. Dst.* docere. [6] *Mut.Sg.Dst.* ea. [7] *Om. Mut. Bb.* [8] *Mut.Bb.Dst.* humiliare. [9] *Sg.* verba, *postea corr. in:* verbera. [10] *Sg.* ergo. [11] *Mut.* spiritu tui vel spiritus sancti. *Dst.* spiritus sancti. *Sg. Bb.* spiritui vel spiritu sancti. [12] *Mut.* dicimus. *Deest in Sg. Bb. Dst.* et tantummodo audimur. [13] *Mut. Sg. Bb. Dst.* compositionem. [14] *Codd. cit.* coniunctionem. [15] *Mut. Sg. Dst.* emendando *pro:* enim de deo. [16] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubrica et num. deest in Dst.* [17] *Mut.* edificemur. [18] *Mut.* quid. [19] *Sg.* discutere. [20] *Mut. Sg. Dst.* adhuc. [21] *Om. Sg.* quam garrulitatem. [22] *Mut. Sg. Bb. Dst.* exhortemur. [23] *In Sg. post. manu corr. in:* dirigere. *Dst.* dirigere. [24] *Mut. Sg. Dst. add.* et, *quod in Sg. manu post. corr. in:* ut. [25] *Mut. Sg. Dst.* que. [26] *Dst.* verbo. [27] *Sg. Dst.* eius. [28] *Mut.* redargutiones. *Sg. Bb. Dst.* argumentationes. [29] *Deest in Dst.* et tempus tacendi. [30] *Sg.* exprobantibus. [31] *Mut. Sg. Dst.* directi. [32] *Mut. Sg. Bb. Dst.* praesentia. [33] *Bb.* beatitudinis. [34] *Sg.* apocrisiarii. *Mut.* apocrisarii. [35] *Sg. Dst.* per. [36] *Mut. Sg. Dst.* facientes. [37] *Mut. Sg. Bb. Dst.* finem. [38] *Mut.* hortantes. *Bb. Dst.* adorantes. [39] *Om. Sg.* [40] *Om. Sg.* [41] *In Sg. post. manu corr. in:* acceptam. [42] *Sic corr.* requisitionem *sec. Sg. Mut. Dst.*

nostram per has syllabas exponimus, superfluam exercitationem et altercationem verborum propter satietatem et praesentis temporis incongruitatem declinantes ac praecaventes, nihil omnino aliud intellegentes aut proferentes vel dicentes quam[1] quod audivimus et cognovimus a sanctis et universalibus magnis apostolis eorumque successoribus et patres nostri enarraverunt nobis et audientes praedicavimus ad supernam tendentes vocationem. Nostrum est studium ubi pacis constitutio[2] manet, his qui in stadio pietatis sunt bene[3] unica gloria[4], intercessori[5] tribuitur[6] corona[7]. Deo[8] manifesti[9] sumus qui iudicat omnia et conprobat. Non iurgialiter stamus, non ad contradictiones[10] respicimus, non favorem inanem amplectimur, sed in verbo dei propositi huiusmodi requisitionis resolutionem[11] fecisse dinoscimur, confidentes quoniam pacis dominus deus ad alterutrum nostrorum unitatem et dilectionem conservavit[12] in gloria eius benignissime maiestatis. Omnem cum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatem tam nos[13] quam qui nobiscum[14] sunt multum salutamus. Data VIII. Kal. Nov. Filemoni[15] et Attico viris clarissimis consulibus[16].

INCIPIT EPISTOLA LIBERII PAPAE AD OMNES GENERALITER EPISCOPOS UT NULLUS PRO QUIBUSLIBET DUM DURARE POTERIT PERTURBATIONIBUS SUAM RELINQUAT AECCLESIAM NEC[17] QUIETEM MAGIS ELIGAT[18] QUAM PRO POPULO SIBI COMMISSO LABORARE INTENDAT[19]. XIII.[20]

II. [21]Dominis sanctissimis et deo amantissimis universis episcopis LIBERIUS episcopus in domino salutem.

In[22] nichilum[23] est quod nos[24] stare fateamur[25] nisi dei gratia. Diaboli nequitia incontemptibile[26] malum plenum veneno mortifero sevit[27]: qui sursum atque deorsum circuit querens quem devoret, superemus[28]. Unde vigilare et sobrii esse ad orationes et deo propinquare debemus, et fatuas domino auxiliante hominum[29] insidias, prout dominus posse dederit, respuere et patres sequi et non transgredi terminos patrum satagamus[30], id est, ut non[31] nostras relinquamus dum in eis persistere[32] aliquando valebimus ecclesias, ut ad alias[33] properemus, aut populos commissos neglegere[34], ut[35] quietem amplius[36] quam pro eis elaborare, pro quibus etiam animas ponere debemus, studeamus, ne reprobi in conspectu dei inveniamur, sed fructuosos illi manipulos de commissis nobis gregibus ipso amminiculante praesentare valeamus, quamquam multi nos persequantur et oves Christi dilacerare desiderent, qui quasi in vestibus ovium apparent, intus autem sunt lupi

praedicavimus ad supernam — multum salutamus sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1026.)

Nota consul. conficta a Ps.-Is.

Inscript. ep. Lib. ut nullus pro quibuslibet — poterit perturbationibus, Ben. III. 193. 366. aut c. 2 (bis) Angilr. (c. 13 tit. conc. Arelat. II. H.)

c. *II. In nichilum est — non transgredi terminos*, Flavian. episc. Constant. ep. I. ad Leon. pr. vers. recent. pr. (Leon. M. op. ed. Baller. 1, 751.)

ut nostras relinquamus — valebimus ecclesias, Ben. III. 193. 366. aut c. 2 (bis) Angilr. (c. 13 tit. conc. Arelat. II. H.)

sed fructuosos illi — praesentare valeamus sec. Greg. M. hom. I. 17. no. 16. (1, 1054.) Cf. Clem. 27, Anacl. 35, Soth. 1, Fel. I. pp. 7, Dam. de corep.

qui quasi vestibus ovium — sub labiis eorum, Flaviani episc. Constant. ep. 1. ad Leon. M. c. 2 vers. recentioris. (Leon. M. op. ed. Baller. 1, 752.) Cf. Sixt. I. pp. 3, Anast. I. pp. ep. 1.

[1] *Bb.* quia. [2] *Mut.* composio. *Sg.* compositio. *Dst.* compositionem. [3] *Sg. Dst.* bonae. [4] *Sg. Bb. Dst.* glorie. [5] *Sg. Bb. Dst.* intercessor. [6] *Deest in Mut.* manet — tribuitur. [7] *Mut.* coronam. [8] *Om. Sg. Dst.* [9] *Mut. Sg. Bb. Dst.* manifestati. [10] *Mut. Sg. Bb. Dst.* contradictionem. [11] *Sg.* solutionem. [12] *Sg.* conservabit. [13] *Sg.* vos. [14] *Sg.* vobiscum. [15] *Sg. Bb.* Filemone. *Dst.* Filimoni. [16] *Om. Mut.* Data — consulibus. [17] *Bb. Dst.* ut. [18] *Dst.* fugat. [19] *Inscript. in Sg.* Epistola Liberii papae. [20] *Deest num. in Sg. Bb. Dst.* [21] *Bb. apponit num.* II, *deest in Par.* 4280 *AA. Dst.* [22] *Deest in Bb. Dst.* [23] *Bb. Dst.* nihil. [24] *Deest in Bb.* [25] *Bb. Dst.* faciat. [26] *Sg. Dst.* contemptibile. [27] *Deest in Bb. Dst.* [28] *Deest in Bb.* [29] *Dst.* omnium. [30] *Deest in Bb.* [31] *Addidi* non *sec. Dst. In Sg. post. manu* non *add. post* nostras. [32] *Sg.* resistere. [33] *Deest in Sg. Bb.* ut ad alias. [34] *Dst.* neglegamus. [35] *Sg. Dst.* aut. [36] *Dst. addit:* amemus.

rapaces, quos ex fructibus cognoscimus. Isti primo[1] quidem videntur ex nobis esse, sed non sunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quando vero[2] suam evomuerint impietatem, dolum qui in eis est erumpentes et adprehendentes infirmiores et eos qui ad eloquia divina[3] sensus inexercitatos habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subvertentes et iniuriantes paternas doctrinas, sicut et sanctas[4] scripturas ad perditionem suam, quos oportet prescientes cavere, ne malitia eorum quidam seducti[5] abscidantur a propria firmitate. Exacuunt enim linguas suas iuxta prophetae vocem, sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum. Nec nos pigeat[6] per[7] temporales cruciatus pro Christi nomine laborare[8], sed emolumenta[9] future remunerationis huius[10] saeculi[11] vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est: Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen domini invocabo. Tantum enim a nobis exigitur quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare. Unde quidem tanto nos necesse est inportunis predicationibus insistere, quanto nobis perfectae negotiationis creditur duplicata talentorum adsignatio atque dominicae vocis ad suscipiendam eius requiem persuadet assertio. Suggestum[12] namque nobis[13] est quod pro preteritis laboribus et infestationibus nonnulli vestrum adsignatas sibimet[14] a deo commissas relinquunt plebes, et in[15] futuro[16] plures relinquere velint eas quas tueri debent ecclesias, et pro ovibus sibi commissis laborare neglegant et monasteriorum se quieti iam[17] contradere festinent, et vagationem[18] ab episcopatus laboribus eligere et silentio atque otio vitam degere[19] magis appetant, quam in his quae sibi commissa sunt permanere, dicente domino: Beatus qui perseveraverit usque in finem. Unde namque est beata perseverantia, nisi de virtute patientiae[20]? quoniam secundum apostolicam predicationem omnes qui voluerint in Christo pie vivere persecutionem[21] patiuntur. Ideoque, fratres karissimi, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestrae proposito coartet recedere. Considerate[22] namque quanta pro absolutione nostri et liberatione creator dominusque[23] et redemptor noster pertulerit quibusve se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis[24] potestatis diabolicae liberaret. Adtendite itaque vobis et omni gregi in quo vos spiritus sanctus constituit episcopos regere ecclesiam dei, quam adquisivit proprio sanguine, ut non sit qui vos decipiat aut subducat[25] in subtilitate[26] sermonis, ut plebes vobis commissas relinquatis et alicui propter obprobrium malorum hominum quieti vos tradatis, ut vos solummodo salvetis et filios orfanos relinquatis. Apertissime enim spiritus sanctus per apostolum dicit: Quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide et caritate, adtendentes spiritibus seductoribus[27] et doctrinis demoniorum et hypocrisi mendatii[28] eloquiorum[29] cauteriatam habentium suam conscientiam. Propter quod vigilate et orate ut non intretis in temptationem. Quae vero mentis operatur transgressio in his qui non crediderint[30] sermonibus domini et recesserunt pro sua quiete a servitio sibi commisso et suis se subdiderunt voluptatibus, talibus quippe et aliis pro populo dei constricti necessitatibus ne pereatis una cum omnibus vobis

Nec nos pigeat per temporales — obsequio commodare, Martin. I. ep. ad Amandum (Mansi 10, 1185).
Scriptum namque est. Cf. Cornel. 1.
Unde quidem tanto nos etc. — *potestatis diabolicae liberaret*, ep. cit. (l. c. 1184. 1185.) Cf. Cornel. 1.
Adtendite itaque vobis — crediderint sermonibus domini sec. Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1178. 1179.) Cf. Sixt. I. pp. 4.

[1] *Sg. Dst.* primum. [2] *Sg. Bb. Dst.* enim. [3] *Sic corr.* divini *sec. Sg. Bb. Dst.* [4] *Sg.* sic ac si sciant *pro* sicut et sanctas. [5] *Bb.* secuti. [6] *Bb.* pigeant. [7] *Deest in Dst. Bb. In Sg. add. manu post.* [8] *Deest in Bb.; Dst.* tolerare. [9] *Bb.* et molimenta. [10] *In Sg. post. manu corr. in:* huiusmodi. [11] *Om. Sg.* [12] *Cod. et Dst. in marg.* de his qui ecclesias suas volunt relinquere. [13] *In Sg. add. manu post.* [14] *Sg. Dst.* sibi. [15] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [16] *Sg.* fratres. [17] *Deest in Bb.* [18] *Sg.* vacationem. [19] *Dst.* ducere. [20] *Sg. Bb. Dst.* sapientiae. [21] *Sg. Bb. Dst.* persecutiones. [22] *Sg. Bb. Dst.* Considerantes. [23] *Sg. Dst.* dominus. [24] *Bb. Dst.* vinculo. [25] *Sg. Bb. Dst.* seducat. [26] *Sg. Dst.* sublimitate. [27] *Sg. Bb. Dst.* seductorum. [28] *Sg.* mendaci. [29] *Sg.* loquorum. [30] *Sg. Dst.* crediderunt.

commissis, sed salvi sitis in die aeterne retributionis. Hortamur caritatem vestram exemplo eius qui pro nobis pati voluit, promptos vos in cunctis eius permanere servitiis, nec quidem quoquo modo a commissa cura recedere, sed totis viribus in commissis vobis negotiis fortiter usque in finem perdurare, quoniam beatus est qui perseveraverit usque in finem, nec laudatur initium, sed finis. Nemo ergo[1] vos seducat inanibus verbis: propterea enim venit ira dei in[2] filios diffidentiae. Nolite ergo[3] effici conparticipes eorum dogmatum, neque communicetis infructuosis verbis illorum, magis autem et[4] redarguite; quoniam de[5] coetu[6] praevaricatorum sunt et extenderunt linguam suam quasi arcum[7] mendatii et non veritatis; conpletum est in eis, quia de malo ad malum egressi sunt et me non cognoverunt, dicit dominus. Veritatem enim non loquentur, docuerunt autem linguam suam persecutores ecclesiarum earumque sacerdotum[8] loqui mendatium: ut impie agerent laboraverunt, et rennuerunt scire me, dicit dominus. State ergo vos, dilectissimi, super vias et videte, interrogate de semitis domini antiquis, et videte que est via bona sanctorum patrum, et ambulate in eam[9] et invenietis requiem animabus vestris. Sed et si patimini propter Christum[10], beati eritis; metum[11] eorum ne timueritis neque conturbemini, dominum autem deum sanctificate in cordibus vestris, ipso dicente: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete[12] qui potest animam et corpus perdere in gehennam[13]. Nonne duo passeres asse veniunt[14] et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Rememoramini ergo, fratres, eum qui talem sustinuit a peccatoribus aversus[15] semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem certavimus adversus peccatum repugnantes.

Confidimus autem de vobis, fratres karissimi, meliora et viciniora saluti[16], quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus, neque instantia neque futura, neque fortitudo neque altitudo[17] neque profundum, neque creatura alia magistro gentium docente poterit nos separare a caritate domini nostri Iesu Christi et que in ipso est recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad conluctationes adversariorum, quatenus fidem intemeratam usque in[18] finem conservantes repromissionem[19] percipiamus[20], quam repromisit his qui legitime certare deproperant. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet et non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas[21] hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur. Quod si subtraxerit se quis[22], non placebit animae suae[23], sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis filii[24] in perditionem, sed fidei in adquisitionem animae. Propter quod adsumite arma dei, ut possitis resistere in die malo adversus omnes inimicos[25] sanctae dei ecclesiae et vestros[26], et induite vos lorica iustitiae, calciati pedes in praeparationem[27] evvangelii pacis, in omnibus adsumentes scutum fidei[28],

Hortamur caritatem — permanere servitiis, Martin. I. ep. ad Amand. (Mansi 10, 1185.)

Nemo ergo vos seducat — largienda sunt munera (fin. c. 2.) sec. Mart. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182. 1183.)

State ergo vos dilectissimi etc. Cf. Sixt. I. pp. 3, Ant. 4.

Confidimus autem etc. usque ad finem. Eadem leguntur in ep. 1, Pelag. II. pp.

Confidimus autem etc. Cf. Dam. 20.

quia neque mors etc. Cf. Cornel. 2.

1 *Sg. Bb. Dst.* enim. 2 *Sg. Bb. Dst.* super. 3 *Om. Sg.* 4 *Om. Sg. Dst.* 5 *Bb.* eo. 6 *Bb.* et. 7 *Sg. Bb. Dst. add.* verbum, *in Sg. post. manu corr. in:* in verbum. 8 *Sic corr.* sacerdotes *sec. Sg. Bb. Dst.* 9 *Sg. Bb. Dst.* ea. 10 *Sg. Dst.* deum. 11 *Sg. Dst. add.* autem. 12 *Sg.* time. 13 *Sg. Dst.* gehenna. 14 *Sg. Bb. Dst.* veneunt. 15 *Sg. Dst.* adversus. 16 *Bb.* salutis. *In Sg. Dst. deest:* Confidimus — saluti. 17 *Deest* neque altitudo *in Bb. Dst.; in Sg. manu post. add.* 18 *Sg. Dst.* ad. 19 *Sg. Dst.* remissionem. 20 *Sic corr. sec. Sg. Bb. Dst.* percipiente. 21 *Sg. Dst.* coronam. 22 *Deest in Sg. Dst.* 23 *Sg. Bb. Dst.* meae. 24 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 25 *Deest in Sg. Dst.* propter — inimicos. 26 *Sg.* vestrae. *Dst.* vestras. 27 *Sg. Dst.* praeparatione. 28 *Dst.* dei.

in quo possitis omnia iacula nequissimi ignita extinguere. Et galeam salutis accipite et gladium spiritus, quod est verbum dei, per omnem orationem et obsecrationem radicati et fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu[1] domino nostro. Sed et nunc, fratres, commendamus vos omnes domino et verbo gratiae eius, qui potest perficere et dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut vobis invicem succurratis et non sitis divisi, ut unanimes uno ore et uno[2] corde honorificemus[3] eum[4] in concordia et consolatione[5], qui potens est confirmare nos secundum evangelium eius iuxta revelationem misterii aeterni, temporibus scilicet perpetuis, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. III. Summopere etiam considerare debetis, quod illi qui fratribus invident eosque damnare aut perdere cupiunt, pro[7] se sua dogmata destruunt; dicit enim dominus: Omne regnum in se divisum non stabit et omnis scientia et lex adversum se divisa non stabit[8]. Ideoque necesse est ut concorditer salubres suscipiatis hortatus et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis et in nullo[9] patiamini providentissima canonum decreta violari, quatenus et Nicenorum canonum constituta[10] et que a nobis vel a[11] praedecessoribus[12] nostris sunt provide et salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro [*ut tradit[13] quedam eloquentiae persona sublimis: lex est in epistolis neglegentia[14] et[15] auctoritate genii[16] artifex se praebet incuria[17], in quo opere illud subducitur[18] gratiae quod cruciatuum[19] testis[20] sudor invenerit. Caminis excocta fabrilibus[21] verba, non flagitat salutis suae nuntius et quesitor alienae. Melius si in his comertiis pura loquutionem frontem[22] congredimur. Diademata simplex colloquii[23] cultus[24] abiurat. Epistolaris communio[25], si[26] quando affectatum decorem fuga[27] obtinuit, sed magnitudinis vestre dives et elucubrata narratio mendicis[28] limitibus, nescit includi: nec oris tesaurum quibuscumque arcere confiniis[29], magnorum more[30] fluminum riparum frena contempnit[31]. Nam diu compositum[32] velamen occupacionibus locuplex[33] lingua transgreditur, his tantum se studiis militare significat, at que vel occasione producta est: et nisi vobis, quietis nostre testimonium[34] reipublice gubernacula sentiremus fuisse commissa et rem laboris vestri esse, quicquid ubique disponitur vel Italiae curam didicissemus unum[35] pectus ingressum, paene vos sola putaremus paginalisti[36] cura et assiduitate macerari. Deo debentur haec munera[37] qui et amatorem scientiae sensum contulit et limam studiorum ad oris fabricam non negavit, non sic pronixa et peracta pronixius[38] harundo proscindit, quemadmodum ingenii vestri sermo describit: nulla languescit obice, nullis tradatur obstaculis: fit pervia quecumque se illi difficultas obtulerit; et mirum in modum per alligantis periciam mutatur natura causarum. Hoc facis[39] in merito negotium habuisse, quod cupias. Veritas est[40] quodcumque pro veritate narratis. Hinc cautis[41] iudicibus non licet repugnare[42], minutissimi discussores opinionis lucrum estimant, si sequantur quo[43] protrahit oratio imperiosa captivos. Huic ergo[44] linguae, his operibus reverentiam, fateor, ad[45] quam[46] primus cucurri debeo singularum. Et

[III. Quod qui invident fratribus et dampnant sua dogmata destruant.][6]

Sed et nunc fratres. Cf. Sixt. I. pp. 6, Dam. 23.
c. III. dicit enim dominus — divisa non stabit sec. Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1179.) Cf. Vig. 5, Corn. 2, Greg. ep. ad Felic.
Ideoque necesse est — violari, Leon. M. ep. 12. c. 9. (1, 666.) Cf. Vigin. 5, Corn. 2, Greg. M. et Fel., Fel. I. pp. 7.
et quae a nobis — permaneant in futuro, Siricii ep. ad Eumer. c. 15. (H. no. 3.)
ut tradit quaedam — pectoris non celasse, Ennod. ep. II. 13. (p. 56.)

1 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 2 *Sg. Dst.* puro. 3 *Sg. Bb. Dst.* honorificetis. 4 *Sg.* deum. 5 *Bb. Dst.* concordiam et consolationem. *Sg. Dst. add.* fratrum. 6 *Sec. Dst. et Par.* 4280 *AA*, *in quo deest num. Sol. num. in Bb.* 7 *Sg. Dst.* per. 8 *Deest in Sg. Dst.* et omnis — non stabit. 9 *Sic corr.* nulla *sec. Sg. Dst.* 10 *Sg. Dst.* instituta. 11 *Om. Sg.* 12 *Dst.* praecessoribus. * *Verba sequentia:* ut tradit — celasse *ad epistolam Liberii non pertinere in comm.* §. 13 *ostendi. Textus in omnibus codicibus corruptus exhibetur. In cod. Sangall. in margine additur:* Abhinc vacillat scriptura epistolae. 13 *Sg.* traditu. 14 *Sg.* neglegentiae. 15 *Om. Sg.* 16 *Bb.* auctore ingenii. *Sg. Dst.* auctorem ingenii. 17 *Sg. Bb. Dst.* iniuria. 18 *Sg. Bb. Dst.* ducitur. 19 *Bb. Dst.* cruciatum. *Sg.* cruciatus. 20 *Sg.* et. *Dst.* est. 21 *Sg. Dst.* flabilibus. 22 *Bb.* locutionum fronte. *Dst.* loqui accionem fronte. *Sg.* loquae actionis fronte. 23 *Sg. Dst.* colloqui. 24 *Dst.* cultos. 25 *Sg.* curiosi. *Dst.* coniurisio. 26 *Om. Sg. Dst.* 27 *Sg. Bb. Dst.* fugit. 28 *Cetera inde a* mendicis *desunt in Dst.; Sg.* modicis. 29 *Sg.* confinibus. 30 *Sg.* mos est. 31 *Sg.* contemnere. 32 *Sg.* oppositum. 33 *Sg.* locuples. 34 *Sg. Bb.* nostro testimonio. 35 *Sg.* unicum. 36 *Bb.* paginali stili. *Sg.* paginali. 37 *Sg.* cura. 38 *Bb.* pernixa et tracta per nervos. *Sg.* pernixa heretica per nervos. 39 *Sg.* facitis. 40 *Sg. Bb.* veritatem. 41 *Sg.* Incautis. 42 *Sg. Bb.* licere pugnare. 43 *Sg. Bb.* quos. 44 *Bb.* ego. 45 *Om. Sg.* 46 *Sg.* qui.

opto esse plurima que michi ad caritatis fibulam agendam mandentur. Sed que iniunxistis de religiosis feminis, Speciosa et germanis eius, male est animo quod implere non potuit. Nichil enim nunc michi[1] cum illis[2] residuum est familiaritatis aut pignoris, maxime quia in disiunctis civitatibus degunt: ad quas tamen missas ad me litteras mox direxi, que[3] responsum usque ad illa quibus se viderent tempora pertulerunt[4]. Ergo[5] ne magnitudinem vestram suspensam tenerem scripta praerogavi[6]: mox ad vos perveniet si quid mandaverint quod libeat indicari. Nunc honorificentiam salutationis impertiens rogo, ut mihi[7] magis[8] cum ecclesia sublimitas vestra, si qua sunt agenda, committat, quia puto me in[9] adfinium[10] vestrarum causa vel matrone amici circa vos diligentiam[11] pectoris non celasse[12]. Data XV. Kal. Mart. Beato et Iuliano vv. cc. conss.

EPISTOLA PAPAE DAMASI AD PAULINUM ANTIOCENUM EPISCOPUM. XIV.[13]

I. Quod integrum hominem susceperit Christus sine peccato.
II. Quod unus sit Christus ante secula ex patre natus et in tempore ex virgine editus[14].

[I.] [15]Per filium meum Vitalem ad te scripta direxeram tuae voluntati et tuo iudicio omnia derelinquens: et per Petronium presbyterum indicaveram me in articulo iam profectionis eius aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret et volentes forsitan ecclesiae copulari tua cautio praeblanda differret, fidem misimus non tam tibi qui eius fidei communionique sociaris quam his qui in ea subscribentes tibi, id est nobis per te voluerint sociari, dilectissime frater. Quapropter si supra dictus filius meus Vitalis et hi qui cum eo sunt tibi voluerint adgregari, primum debent in ea expeditione fidei subscribere quae apud Nicaeam pia patrum voluntate firmata est.

[II.] I. Deinde quoniam nemo potest futuris vulneribus adhibere medicinam, ea haeresis eradicanda est quae postea in Oriente dicitur pullulasse, id est confitendus ipse sapientiae sermo filius dei humanum suscepisse corpus, animam, sensum, id est integrum Adam et ut expressius dicam, totum veterem nostrum sine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanum suscepisse corpus, non statim ei et humanas vitiorum adiungimus passiones, ita et dicentes eum suscepisse et hominis animam et sensum, non statim dicimus et cogitationum eum humanarum subiacuisse peccato.

[III.] II. Si quis autem dixerit verbum pro humano sensu in domini carne versatum, hunc catholica ecclesia anathematizat; nec non et eos qui duos in salvatore filios confitentur, id est alium ante incarnationem et alium post adsumptionem carnis ex virgine et non eumdem dei filium et ante et postea confitentur. Quicumque huic epistolae subscribere voluit, ita tamen ut in ecclesiasticos canones quos optime nosti et in Nicaenam fidem ante suscripserit, hunc debeas absque aliqua ambiguitate suscipere; non quod haec ipsa quae nos subscripsimus non potueris convertentium subscriptioni proponere, sed quod tibi consensus noster liberum in suscipiendum tribuat exemplum.

EPISTOLA DAMASI PAPAE AD IERONIMUM[16] PRESBITERUM.[17]

(*Textus decretorum Damasi desumtus ex codice Paris. inter suppl. lat.* 840.)

[IV.] [18]DAMASUS episcopus fratri et compresbytero HIERONIMO in domino[19] salutem.

Dum multa corpora librorum in meo arbitrio adlata[20] fuissent, contigit ut et[21] librum psalmorum in meo[22] animo festinus cognoscerem[23] detinere et[24] memoriam capacitatis meae imbuere. Cogitavi, frater amantissime et in Christo semper sacerdos, ut secundum septuaginta interpretes et presbiteros[25], id est Mathiam[26] et Tolomaeum, Muchium[27], Casium, Diheronium[28] fratrem, Simonem, inquantum

Not. cons. fictitia.

c. IV. Dum multa etc. Epistola in totum a Ps.-Isid. conficta.

[1] *Sg.* his. [2] *Sg.* et illo. [3] *Sg.* qua. [4] *Bb. Sg.* protulerunt. [5] *Bb. Sg.* ego. [6] *Bb.* prorogavi. [7] *Om. Sg.* [8] *Sg. add.* ac magis. [9] *Sg.* a. [10] *Sg.* diffinitionum. [11] *Bb. addit:* a. *Sg.* diligentia. [12] *Sg.* celas. [13] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *textus desumt. ex ed. cit. coll. Hisp.* (*p.* 1). *In Cod. cit. capita dividuntur ita ut Hisp.* [14] *Rubricae coll. Hisp. in cod. cit. epistolae praemissae.* [15] *Numeri uncis inclusi in cod. Paris.* 4280 *AA et Bb. ponuntur, in Paris. quidem numero* I. *inscriptio epistolae, numero* II. *titulus cap. I. coll. Hisp., numero* III. *tit. cap. II. eiusd. coll. apponitur* (*cf. supra p.* 16). *In cod. Sang. divisio capitt. deest. In Dst. epistola desideratur.* [16] *Sg.* Hieronimum. [17] *Epistola deest in Dst. Om. Sg.* presbiterum. [18] *Num. inscriptioni apponunt Par.* 4280 *AA et Bb.* [19] *Sg.* Christo. [20] *Bb.* ablata. [21] *Om. Sg.* [22] *Sic corr.* me *sec. Sg. Bb.* [23] *Sg. add.* et. [24] *Sg.* ut. [25] *Bb.* presbiterum. [26] *Sg.* Machinam. [27] *Sg.* Mucheum. [28] *Bb.* Dithronium. *Sg.* Dithromum.

tua recurrit[1] conscientia de LXX invenire vestigia. Peto tuam caritatem, ut, sicut a rectore tuo Alexandro episcopo didicisti, Grecorum psallentiam[2] ad nos dirigere tua fraternitas[3] delectetur, quia tante[4] apud nos simplicitatis indago est, ut tantum in die dominico apostoli epistola una recitetur et evvangelii capitulum unum dicatur[5] et ne[6] psallentium vox ulla[7] resultet nec hymnidicus[8] in nostro ore cognoscatur. Peto ergo et compresbiterum Bonefacium, ut iubeat fraternitas tua nobis aperire vestigia.

RESCRIPTUM HIERONIMI AD DAMASUM PAPAM.[9]

[V.] [10]Beatissimo papae Damaso sedis apostolicae urbis Rome Hieronimus.

Supplex legi litteras apostolatus vestri, ut secundum simplicitatem LXX interpretum canentes psalmographum[11] ne[12] interpretare[13] festines propter fastidium Romanorum ut ubi obscuritas impedit, apertius et latinae trahatur[14] adsensus. Praecans ergo cliens tuus ut vox ista psallentium in sedem tuam Romanam[15] die noctuque canatur, in[16] qua[17] finem psalmi cuiuslibet sive matutinis vel vespertinis coniungi praecipiat ubi[18] apostolatus tui ordo finitur hoc est: gloria patri et filio et spiritui sancto, et reliqua. Istud carmen laudis omni psalmo coniungi precipias, ut fides CCCXVIII episcoporum Niceni concilii in vestro ore pari consortio declaretur. Ubi deo homini[19] honorabili voce dicatur Alleluia, semper cum omnibus psalmis adfigatur[20], ut omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus[21]. In[22] ecclesia a sua resurrectione usque ad sanctam pentecostem finiatur, inter dierum vero[23] spatia propter novitatem sanctae[24] pasche, ut vox ista laudis canatur in Aleph, quod est alleluia, laus tibi soli[25]. [Duplex quotiens ex his unum[26] altero[27] duplo vincit: sexcupla vero est quoties unus alterum sexcuplo superat. In simpla enim eius parte unus plus invenitur, in dupla unus minus habetur: sexcupla enim dimidium dicitur, triplum[28] est quando maior pars[29] continet totum minus id est tria, et unum epitritum[30] est quando minus continet a maiore et eius tercia pars ceditur[31].]

ITEM EIUSDEM[32] PAPAE DAMASI AD EUNDEM[33] PAULINUM DE DAMPNATIONE QUORUMDAM HERETICORUM. XV.[34]

[VI.] [35]Post concilium Nicenum aliud in urbe Romana postea congregatum est, quod[36] catholici episcopi ediderunt[37] de spiritu sancto, quia postea[38] error inolevit ut quidam ore sacrilego auderent dicere spiritum sanctum factum esse per filium. Unde anathematizamus omnes qui non tota libertate proclamant eum cum patre et filio unius potestatis esse atque substantiae. Anathematizamus eos quoque qui Sabellii secuntur errorem, eundem dicentes patrem esse quem et filium. Anathematizamus Arrium atque Eunomium, qui pari impietate, licet sermone dissimili, filium et spiritum sanctum

c. V. legi litteras — noctuque canatur sec. Dam. vit. c. 5. in libr. pontif.
in qua finem — spiritui sancto, Vigil. ep. ad Profut. c. 2. (H. no. 96.)
Alleluia semper — quod est alleluia sec. Greg. M. ep. IX. 12. (2, 940).

[1] *Sg.* currit. [2] *Sic corr.* psallentium, *quod codd. habent.* [3] *Bb.* fraternitatis. [4] *Sg.* tanta. [5] *Sic corr.* evangelii capcium iudicatur. *Bb.* evangelica praecium dicatur. *Sg.* evangelica praeterea dicatur. [6] *Bb.* nec. *Sg.* nec vel. [7] *Bb.* ulli. [8] *Bb.* decus. [9] *Deest inscriptio in Dst.; Sg.* Epistola beati Hieronimi presbiteri ad Damasum papam. [10] *Num. apponunt Bb. Par.* 4280 *AA.* [11] *Sg. ΠΣΑΛΜΟΓΡΑΦΥΜ.* [12] *Sg. Bb. Dst.* me. [13] *Sg. Bb. Dst.* interpretari. [14] *Sg. Bb. Dst.* trahantur. [15] *Dst.* sede tua Romana. [16] *Om. Sg. Dst.* [17] *Sg. Dst.* quae ad. [18] *Deest in Bb.* [19] *Bb.* dei et homo. *Sg. Dst.* deus et homo. [20] *Sic corr.* adfiguratur *sec. Sg. Bb. Dst.* [21] *Dst.* nocturni temporis. [22] *Bb. addit:* hac. [23] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [24] *Sg. Bb. Dst.* sancti. [25] *In Sg. scriptor postea addidit:* explicit, *quae sequuntur rubro colore delevit, in margine adscripsit:* de divisione pedum. *Verba* dupla — ceditur *ad epistolam Hieronimi non pertinere ostendi in* §. 13 *comm. meae.* [26] *Bb.* unus. [27] *Sg. Bb. Dst.* alterum. [28] *Sg. Bb. Dst.* simplum. [29] *Bb. Dst.* ter. [30] *Dst.* epitrita. [31] *Om. Sg.* [32] *Bb.* eidem. [33] *Bb.* eiusdem. *Om. Dst.* [34] *Sg. add.* quae sint in urbe Roma concilio Niceno superadiecta; *Num.* XV. *deest in Bb. Sg. Dst.* [35] *Sec. Par.* 4280 *AA. Bb. ponit num.* V. *Deest num. in Dst.* [36] *Bb.* quo. [37] *Bb. Dst.* addiderunt. [38] *Sg. Bb. add.* his, *Dst.* is.

adserunt esse creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arrii stirpe venientes non perfidiam mutaverunt, sed nomen. Anathematizamus Fotinum, qui Ebionis heresem instaurat[1], qui[2] dominum[3] Iesum Christum tantum ex Maria virgine[4] confitetur. Anathematizamus eos qui duos filios adserunt, unum ante saecula, et alterum post adsumptionem carnis ex virgine. Anathematizamus eos qui pro hominis[5] anima[6] rationali et intellegibili dicunt[7] dei verbum in humana carne versatum cum[8] ipse[9] filius sit[10] verbum dei, et[11] pro anima[12] rationali et intelligibili[13] in suo corpore fuerit[14], sed[15] nostram, id[16] est rationalem et intelligibilem sine peccato animam susceperit[17] atque salvaverit[18]. Anathematizamus eos qui verum filium dei extensione aut collectione et a patre separatum in substantivum et in[19] finem habiturum esse contendunt. Si quis non dixerit semper patrem, semper filium, semper spiritum sanctum[20], anathema sit[21]. Si quis non dixerit filium natum de patre, id est de substantia divina ipsius, anathema sit. Si quis non dixerit verbum domini filium dei deum et omnia nosse[22] et patri equalem, anathema sit. Si quis[23] dixerit quod in carne constitutus filius dei cum esset in terra, in caelis cum patre non[24] erat, anathema sit. Si quis dixerit quod in passionem[25] crucis dolorem sustinuit filius dei deus et non caro cum[26] anima[27] quam[28] induerat in[29] forma[30] servi quam sibi acceperat, sicut ait scriptura, anathema sit. Si quis non dixerit, quod in carne quam adsumpsit Christus, sedet ad dexteram patris, in qua venturus est iudicare vivos et mortuos, anathema sit. Si quis non dixerit spiritum sanctum de patre esse vere ac proprie sicut filium de divina substantia et deum verum, anathema sit. Si quis non dixerit omnia posse spiritum sanctum, omnia nosse et ubique esse sicut patrem et filium, anathema sit. Si quis dixerit spiritum sanctum facturam aut a[31] filio[32] factum, anathema sit. Si quis non dixerit omnia per filium et spiritum sanctum patrem fecisse, id est visibilia et invisibilia, anathema sit[33]. Si quis non dixerit patris et filii et spiritus sancti unam divinitatem, potestatem[34], maiestatem[35], potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum atque unam voluntatem ac veritatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit veras patris et filii et spiritus sancti equales semper iubentes[36] omnia[37], continentes visibilia et invisibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia salvantes, anathema sit. Si quis non dixerit adorandum spiritum sanctum ab[38] omni creatura[39] sicut filium et patrem, anathema sit. Si quis de patre et filio bene senserit, de spiritu sancto autem non recte habuerit[40], hereticus est.[41]

[1] *Sg.* instaurans. [2] *Om. Sg.* [3] *Sg. add.* nostrum. [4] *Deest in Sg. Dst. Bb.* [5] *Deest in Dst.* [6] *Sg.* animam. [7] *Dst.* confirmant quia *pro:* et intelligibile dicunt. [8] *Dst.* humanam carnem conversum est. [9] *Dst. addit:* namque. [10] *Deest in Dst.* [11] *Bb.* et non. *Dst.* non. [12] *Sg. om.* rationali — pro anima. [13] *Sg.* rationalem et intelligibilem. [14] *Dst.* factus est. *Sg.* non ferunt. [15] *Sg.* substantiam. [16] *Dst.* hoc. [17] *Dst.* assumpsit. *Sg.* et suscepisse. [18] *Dst.* salvavit. *Sg.* salvasse. [19] *Om. Sg. Dst.* [20] *Dst. addit:* esse. [21] *In Bb. verba:* si quis non dixerit semper — anathema sit *ponuntur post:* Si quis non dixerit filium natum — divina ipsius anathema sit. [22] *Bb. Dst.* posse. [23] *Sg. Dst. add.* non. [24] *Om. Sg. Dst.* [25] *Sg. Bb. Dst.* passione. [26] *Bb.* et. *Deest in Dst. Sg.* [27] *Bb.* anima una. *Deest in Dst. Sg.* [28] *Bb. Dst.* quae. [29] *Deest in Sg. Dst. In Sg. manu post. additur:* et. [30] *Dst.* formam. [31] *Deest in Bb. Dst. Sg. In Sg. manu post. add.* per. [32] *Sg. Bb. Dst.* filium. [33] *In Bb. verba:* Si quis non dixerit omnia per — invisibilia, anath. sit *ponuntur post:* Si quis non dixerit patris et filii — veritatem, anath. sit. [34] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [35] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [36] *Sg. Dst.* viventes. [37] *Sg. Bb. addit:* et. [38] *Deest in Bb. Dst. Sg.* [39] *Bb.* omnem creaturam. *Dst.* omni creaturae. [40] *Dst.* crediderit. [41] *Dst.* erit.

ITEM[1] EPISTOLA STEPHANI ARCHIEPISCOPI ET TRIUM CONCILIORUM AFRICAE[2] AD DAMASUM PAPAM, QUOD EPISCOPORUM ET SUMMORUM NEGOTIORUM ECCLESIASTICORUM CAUSAE SEMPER AD SEDEM APOSTOLICAM SINT REFERENDAE. XVI.[3]

[VII.] [4]Domno beatissimo et apostolico culmine sublimato sancto patri patrum DAMASO pape et summo omnium praesulum pontifici STEPHANUS archiepiscopus concilii Mauritanie et universi episcopi de tribus conciliis Africane provinciae.

Notum vestre facimus beatitudini quod quidam fratres in[5] confinio nobis positi quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet episcopos, vobis inconsultis a proprio gradu deicere moliuntur, cum vestre sedi episcoporum iuditia et summorum finem ecclesiasticorum negotiorum in honore[6] beatissimi Petri patrum decreta omnium cunctam[7] reservavere sententiam, inquirendi reverentia de dei rebus, quas omni cura et sollicitudine observare debemus. Maxime vero iuste debent ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala dampnare, quam revelare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, ut quicquid horum quamvis in remotis vel in longinquo positis[8] ageretur provintiis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam alme sedis vestre fuisset deductum, [9]eius auctoritate iuxta quod fuisset pronuntiatum firmaretur, et reliqua multotiens talia[10] et his similia, quae super his constituta sunt. Quibus si[11] inlicite factum est, ut semper vestrae sedi consuetudo fuit, festinanter occurrite et[12] his viriliter ut pater pro[13] filiis[14] certantes, state sicut bene ad Iesum filium Sirac dictum est: Usque ad mortem certa pro veritate, et semper dominus deus tuus pugnabit pro te. Accipere enim personam impii[15] non est bonum, ut declines a veritate iuditii. Sin minus inlicita sunt haec, pateat[16] nobis talis omnibus licentia, beatissime pater, aut si liceat hos vel alicos[17] etiam minorum[18] graduum clericos nisi legitimo canonicae tempore vocatos aut sine legitimis accusatoribus aut absque veris et innocentibus testibus vel nisi manifeste canonice convictos[19] aut sponte confessos vel a suis sedibus eiectos aut suis rebus expoliatos vocare ad sinodum vel damnare, quia legimus[20] eos non posse canonicae ad sinodum ante suam diu tenendam et gubernandam, viribus scilicet pleniter resumptis restitutionem suisque omnibus sibi legaliter restitutis integerrime vocari, aut ut veniant ad synodum, nisi sponte voluerint imperare. Deus igitur creator omnium conservet longevum apostolatum vestrum ad stabilitatem sanctarum ecclesiarum et ortodoxae fidei, vosque pastorem bonum, qui[21] spiritalibus ovibus vestram ponitis animam atque baculo pastorali lupos rapaces expellitis omnibusque oppressis auxilium fertis, quod et istis atque omnibus vos semper facere obtamus, sanctissime papa. Subscriptio ex[22] alia manu: Ora pro nobis, beatissime[23] pater.

c. VII. *Domno beatissimo — Africane provinciae* sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 919.)
in honore beatissimi Petri — fuisset pronuntiatum firmaretur sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 919.) Cf. Fel. II. pp. 5. 6.
si inlicite factum — a veritate iuditii sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1010.)
vel a suis sedibus — restitutis integerrime sec. Syn. III. Symm.
Deus igitur creator — pater sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 915.)

1 *Deest in Bb. Dst.* 2 *Deest in Bb. Dst.* 3 *Num. deest in Sg. Bb. Dst.; Sg.* Epistola Mauritanorum episcoporum ad Damasum papam. 4 *Num. apponunt Bb. Par.* 4280 *AA; Par. cit. eandem ac Dst. Bb. inscriptionem exhibet.* 5 *Dst.* iam. 6 *Sg. Dst.* honorem. 7 *Dst.* cuncta. 8 *Sic corr.* positi *sec. Sg. Bb. Dst.* 9 *Sg. Bb. Dst. add.* ut. 10 *Deest in Dst. Sg.* 11 *Deest in Dst. Sg. In Sg. manu post. add.* ergo. 12 *Sg. Bb. Dst. addunt:* pro. 13 *Deest in Sg. Dst.* ut pater pro. 14 *Sg.* filii. 15 *Sg. Dst.* imperii. 16 *Sg.* pateret. 17 *Sg. Dst.* antiquis. 18 *Sg. Bb. Dst.* minore. 19 *Bb.* coniunctos. 20 *Sic corr.* legitimus *sec. Sg. Bb. Dst.* 21 *Sg. Dst. add.* pro. 22 *Bb. Dst.* et. 23 *Sg. Bb. Dst.* clementissime.

ITEM EPISTOLA DAMASI PAPAE[1] AD EUNDEM STEPHANUM ET AD CONCILIA AFRICAE QUOD EPISCOPORUM IUDITIA ET MAIORES CAUSE NON ALITER QUAM AUCTORITATE[2] SEDIS APOSTOLICAE SINT TERMINANDE. XVII.[3]

[VIII.] [4] DAMASUS servus servorum dei atque per gratiam eius episcopus sanctae catholice atque apostolice ecclesiae urbis Rome STEPHANO archiepiscopo concilii Mauritanie et universis episcopis Africane provincie.

Lectis fraternitatis vestre litteris primo gratias ago quod tantorum fratrum merui benedictione frui, deinde quod circa[5] fratres sollicitos vos repperi, et cum eis crucem domini deferre qui ait: Qui vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me, et reliqua ad hunc modum pertinentia. Igitur quando[6] in[7] presenti oportune gestorum consultationem[8] apostolicis[9] vestra beatitudo visceribus commota nos hortata est, tuitionem fratrum[10] apostolica inpendere auctoritate et eorum iniuriis[11] subvenire, dum[12] constet eadem[13] cum apostolo conpassibiliter dicere: Quis infirmatur, et ego non infirmor: quis scandalizatur et ego non uror? satagentes ne aliquis de his qui vobis[14] crediti sunt a sevis bestiis laceretur aut capiatur[15], pro qua re oportet iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundum domini divinam preceptionem nos qui supra domum eius, hoc est universalem catholicam ecclesiam, episcopale suscepimus ministerium, sollicite vigilare, ut ne quid de sacris eius muneribus, id est apostolicis[16] viris[17] apostolorumque successoribus atque ministris quisquam[18] nobis dormitantibus valeat subprimi atque iniuste nobisque inconsultis[19] damnari. Scitis, fratres karissimi, firmamentum a deo fixum et inmobile atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est omnium episcoporum, apostolicam sedem esse constitutam et verticem ecclesiarum. Tu es enim, sicut divinum pronuntiat veraciter verbum, Petrus et super firmamentum tuum[20] ecclesie columnae qui episcopi intelliguntur confirmate sunt, tibi et claves celorum regni commisi, atque ligare et solvere potestatem que in celis sunt et que in terris promulgavi. Tu profanatorum hominum et membrorum[21] meorum maximeque meorum discipulorum existis ut princeps et doctor ortodoxe et inmaculatae fidei, cuius vice hodie gratia dei legatione[22] pro Christo[23] fungimur[24], et omnes huius sanctae sedis praesules eius vicem gesserunt, gerunt et gerent. Ideo omnia que innotuistis non licere mandarem[25], nisi vos tam pleniter instructos esse scirem quod cuncta super quibus consulistis[26] illicita esse non dubitetis.

[27] Discutere namque[28] episcopos et summorum[29] ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitanos una cum omnibus suis conprovincialibus, ita ut nemo ex eis desit et omnes in singulorum concordent negotiis licet, [30] sed definire eorum atque

c. VIII. primo gratias — benedictione frui, c. 103 conc. Afr. (D.)

Qui vult — et sequatur me, Matth. XVI. 24.

apostolicis vestra beatitudo — aut capiatur sec. conc. Later. 649. secr. I. (Mansi 10, 887.) Cf. Fel. II. pp. 1.

pro qua re oportet iuxta — inconsultis damnari l. c. (Mansi 10, 887.)

Scitis, fratres karissimi, firmamentum — ortodoxe et inmaculatae fidei sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 914.) Cf. Fel. II. pp. 4.

Discutere namque — concordent negotiis sec. Ben. III. 314. aut c. 17 Angilr. (c. 15. Ant. D.)

1 *Deest in Bb. Dst.* 2 *Bb. addit:* sanctae. 3 *Sg.* Rescriptum Damasi papae; *Num.* XVII. *deest in Sg. Bb. Dst.* 4 *Num. apponunt Bb. Par.* 4280 *AA.* 5 *Addidi* circa *ex Sg. Bb. Dst.* 6 *Sg. Bb. Dst.* quoniam. 7 *Deest in Sg. Dst.* 8 *Sg. Bb. Dst.* consultatione. 9 *Sg. Dst.* epistolis. 10 *In Sg. manu post. add.* nos. 11 *In Sg. manu post. add.* necesse est. 12 *Dst.* deus. 13 *Dst. add.* vos. 14 *Sg. Bb. Dst.* nobis. 15 *Sg. Dst.* rapiatur. 16 *Bb. Dst.* apostolicorum. 17 *Deest in Dst.* 18 *Sg. Dst.* quisque. 19 *Bb.* insultis. 20 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 21 *Sic corr.* membrum *sec. Sg. Bb. Dst.* 22 *Sg.* legationem. 23 *Sic corr.* Christi *sec. Sg. Bb. Dst.* 24 *Sg.* fungitur, *post. manu corr. in:* fungimur. 25 *Bb.* mandare. 26 *Sg. Bb. Dst.* consulitis. 27 *Bb. rubricam ponit:* Item de eadem re Stephanus ita ait. 28 *Sg. Bb. Dst.* vero. 29 *Sg. Bb. Dst.* summas. 30 *In marg.* metropolitanos querelas discutere licet, non dampnare episcopos.

ecclesiarum summas quaerellas causarum vel dampnare episcopos absque huius sanctae sedis auctoritate minime licet; IX. quam omnes appellare, si necesse fuerit, et eius fulciri auxilio oportet. Nam, ut[2] nostis, synodum sine eius auctoritate fieri non est catholicum[3], nec episcopus[4] in legitima synodo et suo tempore apostolica vocatione congregata definite damnari[5] potest, neque ulla umquam concilia rata leguntur, que non sunt fulta apostolica auctoritate.

[IX. Quod omnes appellare possint Romanam sedem et de sinodo atque conciliis et quo tempore vel qualiter dampnandi sunt episcopi.][1]

X. Accusatores autem episcoporum et testes super quibus rogastis absque ulla infamia[7] aut[8] suspicione vel manifesta macula et vere fidei[9] pleniter instructi esse debent, et tales quales ad sacerdocium eligere divina iubet auctoritas, quoniam sacerdotes, ut antiqua[10] tradit auctoritas, criminari non possunt nec in eos testificari qui ad eundem non debent nec possunt[11] provehi[12] honorem.

[X. De accusatoribus et testibus episcoporum.][6]

XI. Vocatio[14] enim ad sinodum iuxta decreta patrum canonica eius qui inpetitur rationabilibus scriptis per spatium fieri debet congruum atque canonicum, quia nisi canonice vocatus fuerit suo tempore et canonica ordinatione, licet venerit ad conventum[15] quacumque necessitate nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus, quoniam nec saeculi leges hoc[16] permittunt fieri: quanto magis divine?

[XI. De evocacione ad synodum.][13]

XII. Deiectis[18] vero atque suis rebus expoliatis nihil vobis verius significare queo quam sanctissimi[19] patres definierunt et nostri predecessores apostolica auctoritate roboraverunt. Ita enim haec se habent: Episcopos eiectos atque suis rebus expoliatos ecclesias proprias primo recipi[20] et sua primo eis[21] omnia legaliter reddi sancti canones decreverunt, et postea si quis eos accussare voluerit[22], aequo periculo facere sanciverunt. XIII. Iudices esse decernentes episcopos recte sapientes et iuste volentes, ad tempus diuque illis resumptis viribus[24] et suis potestative fruentibus rebus, amicisque et dei servis sapientibus consulentibus viris in ecclesia convenientes ubi testes essent singulorum qui oppressi esse videntur[25], et reliqua ad hunc ordinem pertinentia que prolixitatem vitantes[26] hic non inseruimus, quia his sufficere credimus. Si quis autem his non est contentus, legat ea et saciabitur[27].

[XII. De episcopis deiectis atque rebus suis expoliatis.][17]

[XIII. De iudicibus episcoporum.][23]

Scimus enim homines inermes non posse cum armatis rite[28] pugnare[29], sic nec[30] illi qui eiecti vel suis bonis sunt expoliati cum illis qui in suo stant statu et suis fruuntur amicis atque bonis, litigare rite non possunt. Nec saeculi quoque leges haec saecularibus fieri permittunt, sed prius eiectos vel oppressos aut expoliatos[31] cum suis omnibus restitui iubent, et postea suo tempore, sicut lex eorum continet, ad placita venire praecipiunt, nec ulla carceris custodia appel-

c. *IX. Nam ut nostis — non est catholicum*, Cass. hist. trip. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. Marcelli 2, 10, Iul. 6, 11, 13, Fel. II. pp. 2, Pelag. II. pp. ep. 1.
nec episcopus in — damnari potest, Ben. II. 381. aut c. 2 Angilr. (confl. ex c. 15 conc. Ant. D., Cass. IV. 9, Ebbonis Rem. apologet.). Cf. Marcelli 2, 10, Iul. 5.
c. *X. absque ulla infamia — macula* sec. c. 96 conc. Afric. (D.)
c. *XI. Vocatio enim — atque catholicum* sec. c. 19 conc. Carth. (D.)
quia nisi canonice — insidiatoribus sec. Ebbon. Rem. apologet. c. 3.
c. *XII. Deiectis vero — sanciverunt*, Ben. II. 381. (Cassiod. hist. trip. VII. 12.) Cf. c. 10 Angilr., Zeph. 12, Iul. 8.
c. *XIII. Iudices esse — videntur* ll. cc.
nec ulla carceris — arceri permittunt, Ben. III. 333 tit.

1 *Sec. Par.* 4280 *AA. Num. sol. in Bb. Rubr. et num. in Dst. desunt.* 2 *Bb.* et. 3 *Sg. Bb. Dst.* canonicum. 4 *Sg.* episcopos. *Sg. Bb. Dst. add.* nisi. 5 *Sg. Bb.* damnare. *In Sg. manu post. add.* quis. 6 *Sec. Par.* 4280 *AA; Bb.* X. Usque hic. *Rubr. et num. desunt in Dst.* 7 *Sg. Bb. Dst.* infamiae. 8 *Deest in Sg. Dst.* 9 *Dst.* vera fide. 10 *Sg. Bb. Dst.* antiquorum. 11 *Sg. om.* nec in eos — nec possunt, *et add.* sed. 12 *Sg. add.* ad. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA; Bb.* XI. Abinc. *Rubr. et num. desunt in Dst.* 14 *In marg.* Vocatio canonica imperatorum vel eiectorum episcoporum. 15 *Bb. Dst. addunt:* in. 16 *Deest in Dst. Sg., in Sg. manu post. add.* id. 17 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 18 *Sg.* De eiectis. 19 *Sg. Bb. Dst.* sancti. 20 *Sic corr.* recepi *sec. Sg. Bb. Dst.* 21 *Sg. Bb. Dst.* his. 22 *Sg. Bb. Dst.* vellet. 23 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 24 *Sic* viris *corr. sec. Sg. Bb. Dst.* 25 *Sg. Bb. Dst.* videbantur. 26 *Sg. Bb. Dst.* evitantes. 27 *Bb. rubricam ponit:* Usque hic. 28 *Om. Sg.* 29 *Dst.* repugnare (*pro* rite pugnare). 30 *Sg. Dst.* et. 31 *Sg. Bb. Dst.* spoliatos.

lantem arceri permittunt. Docent enim ex parte sicut nostis terrena que sunt celestia.

[XIV. De accusatoribus et accusacionibus episcoporum removendis.][1]

XIV. Accussatores vero et accussationes quas saeculi leges non adsciscunt nullatenus sunt in horum admittende causis[2], quia omne quod repraehensibile[3] est catholica defendit ecclesia et hoc a maioribus definitum esse propter pravorum hominum insidias non dubitatur. Decet enim domini sacerdotes fratrum causas pie tractare et venerabiliter intendere, atque eorum iudicia super sacrificia ordinare, nec proterva[4] aut tyrannica dominatione, ut de quibusdam refertur[5], sed caritative pro deo et fraterna[6] amore cuncta peragere, et quod sibi quis fieri iuxta dominicam vocem non vult, alii inferre non praesumat, et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.

[XV. Ut apostolorum et patrum instituta semper teneantur. Item de tempore congruo praevidendo quod sit causa accusate persone perducenda in medio.][7]

XV. Ea vero que apostolorum praedicatione et patrum instructione praecepimus semper tenere debemus, ne aliqua nova cudere aut ad[8] noxam[9] fratrum superintendere videamur, sed alterutrum onera portemus, ut iuxta apostolum legem domini adimplere valeamus. Tempus enim congruum praevideri oportet, quando uniuscuiusque accusate personae causa[10] rectissime in medio producatur[11], quatenus gravitatem eius et consonantiam[12] quae[13] contra patrum decreta vel synodorum[14] confessionem prodi minime cognoscatur, quam ordinabiliter omnes intendant, ut ad eam in omnibus rationabiliter respondeant et iuste se velle manifeste ostendant. Nullus autem introducatur personaliter, sed accusatores et accussati equa audiantur ratione iuxta quod gestorum ordo exigit.

[XVI. De distinctione accusatorum et iudicum hac testium adque accusati et quod nemo debeat iudicari vel dampnari ante inscripcionem.][15]

XVI. Accusatores vero et iudices non idem sint, sed per se accusatores[16], per se iudices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine. Nam inscripcio primo semper fiat, ut talionem calumniator recipiat, quia ante inscripcionem nemo debet iudicari vel damnari, cum et saeculi leges heç eadem retineant, de quibus omnibus vera semper fiat equitas, quatenus accussationis et iudicii[17] ac testimonii[18] mercedem per veritatem gestorum consequi valeant. Scriptum est enim: Abhominatio domino labia mendacia et testem fallacem proferentem mendacia et seminantem inter fratres scandala atque litigia, ipso monente atque dicente: Non facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimes[19] eum, non facies[20] quod iniquum est, nec iniuste iudicabis, non considerabis[21] personam pauperis, nec honores vultum potentis, iuste iudica proximo tuo, et quod tibi non vis fieri alteri[22] ne facias, et reliqua. Et maxime praeceptum habentes apostolicum adtendere nos ipsos et gregi in quo nos spiritus sanctus

Docent enim ex — quae sunt celestia. Cf. Eleuth. 3.

c. XIV. Accussatores vero — admittende causis, Ben. II. 381, III. 108. (c. 96. conc. Afric.) Cf. Ben. III. 307. c. 9 Angilr., Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Cal. 16, Steph. 7, Iul. 7, 12, Fel. II. pp. 12. xv.

quia omne quod — defendit ecclesia, c. 9 conc. Nicen. i. f. Cf. Calist. 5, Marcellini 3, Symm. syn. VI.

et quod sibi — non praesumat, Ben. III. 198. (Tob. IV. 16.) Cf. Clem. 52, Fab. 12.

et in qua — remetietur vobis, Matth. VII. 2.

c. XV. alterutrum onera — adimplere valeamus, Galat. VI. 2.

Nullus autem introducatur — gestorum ordo exigit sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1015.)

c. XVI. Accusatores vero — per se accusati sec. ep. Aegid. ad c. un. C. Th. II. 2. aut Ben. III. 152. (Cf. Fab. 22.)

Nam inscripcio primo — vel damnari sec. interpr. c. 11. C. Th. IX. 1.

quatenus accusatoris — scandala atque litigia sec. conc. Later. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1015.)

Non facias — proximo tuo, Levit. XIX. 13. 15.

et quod tibi — ne facias, Tob. IV. 16.

Et maxime praeceptum — loquuntur sec. conc. Later. a. 649. secr. I. (Mansi 10, 882.)

1 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 2 *Sg. Bb.* causas admittendo. *Dst.* causis admittendi. 3 *Sg. Dst.* inreprehensibile. 4 *Sg. Bb. Dst.* proterve. 5 *Sg. Dst.* dampnare *pro* ut de quibusd. refertur. 6 *Sg. Bb. Dst.* fraterno. 7 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 8 *Om. Dst.* 9 *Bb.* noxia. 10 *Bb.* causae. 11 *Bb.* producantur. 12 *Sic corr.* consonatiam *sec. Bb.; Sg. Dst.* constantiam. 13 *Sg. Bb. Dst.* vel. 14 *Sg. Bb.* synodum. 15 *Sec. Par.* 4280 *AA; sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 16 *Sg. add.* et. 17 *Sg. Dst.* accusationes et iuditia. 18 *Sg. Dst.* testimonia. 19 *Sg. Bb.* opprimas. 20 *Sg.* facias. 21 *Sic corr.* consideraberis *sec. Sg. Bb. Dst.* 22 *Sg.* alio.

posuit episcopos[1] regere dei ecclesiam, quam acquisivit per[2] sanguinem suum[3] proprium[4]. Convenit et[5] iterum adtendere lupos[6], adtendere malos operarios, qui perversa faciunt et adversa loquuntur, ut detrahere semper discipulis[7] domini et infamare queant. XVII. Quos corrigere vos et omnes domini sacerdotes summo studio oportet, quia peius malum non est, quam ut cives civibus invideant et sacerdotes vel clerici sacerdotibus vel pontificibus insidientur, testante etiam veritatis voce: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei; et: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo[9] eius et demergatur in profundum maris. Et item[10]: Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Ille procul dubio scandalizatus est in deum, qui eius scandalizat episcopum vel sacerdotem, et multa alia[11] que hic non inseruimus[12], ne nimis prolixa efficiatur epistola.

[XVII. Quod pessimum malum sit, cives civibus invidere et episcopis vel sacerdotibus insidiari.][8]

XVIII. Monentes quoque instruere debetis[14] memoratos vicinos vestros, ut a talibus se subtrahant, et que illicite contra[15] praefixos fratres egerunt cito corrigant, et quos nobis inconsultis leserunt nobis inconsultis plena satisfactionem[16] sanent et cito[17] reconcilient, si noluerint apostolice sedis suscipere censuram. Nam si quid fortasse[18] in eis aut contra eos emerserat, nostrum fuerat expectandum examen, ut nostra ut[19] semper huic sedi fuit concessum privilegium, aut condemnarentur[20] auctoritate aut fulcirentur[21] auxilio. Neque enim suo pro libitu nostra debuerant[22] iura pervadere absque apostolice sedis dispositione mandante[23]. A talibus deinceps omnes se abstineant sacerdotes qui noluerint ab apostolica petra[24], super quam Christus, ut praedictum est, universalem construxit ecclesiam, cui episcoporum summa iudicia atque maiorum causae, sicut[25] paulo superius memoratum est, reservate sunt, soli date[26], atque sacerdotali honore secludi[27].

[XVIII. Monentur accusatores fratrum ut se subtrahant a lesione fratrum et ut illicita corrigant.][13]

XIX. Induciae[29] enim accusatis in criminalibus episcopis sex mensium, vel[30] eo amplius si necesse fuerit concedende sunt, quoniam et laicis hoc permissum nullus saecularibus imbutus disciplinis ignorat, quanto magis sacerdotibus qui superiores esse eis non dubitantur?

[XIX. De induciis accusatorum episcoporum sub crimine et qualiter iudicandi sunt, item vel ubi.][28]

Habetur quoque in decretis patrum sancitum non fore canonicum quemquam[31] sacerdotum iudicare vel damnare[32], antequam accussatores canonice examinatos praesentes habeat locumque defendendi accipiat, id est inducias ecclesiasticas ad abluenda crimina, et cetera. Nec extra propriam fiat provintiam primo discussionis accusatio sine apostolica praeceptione, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri, quoniam et antiqua docet hoc[33] patrum regula, in qua et imperialia

c. XVII. quia peius malum — invideant. Cf. Dion. 1, Iul. 3.
Qui vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.
Qui scandalizaverit — maris, Matth. XVIII. 6.
Beatus qui non — scandalizatus in me, Luc. VII. 23.
Ille procul dubio — episcopum vel sacerdotem. Cf. Anacl. 12.
c. XVIII. Nam si quid fortasse — expectandum examen sec. Leon. M. ep. 14. c. 1. (1, 688.) Cf. infr. c. 19, Vigil. 7.
A talibus deinceps — construxit ecclesiam sec. Siricii ep. ad Eumer. c. 2. (H. no. 3.)
cui episcoporum — soli date sec. Leon. M. ep. cit. c. 1. (1, 685.) Cf. Vigil. 7. (Marcelli 1.)
c. XIX. Habetur quoque — ad abluenda crimina, Ben. I. 392. II. 381. III. 184. aut c. 19 Angilr. (Act. Apost. XXV. 16.) Cf. Steph. 8, Marcelli 9, Iul. 17, Dam. ad Ital. (Eleuth. 3, Marcelli 8.)
Nec extra — sine apostolica praeceptione sec. Ben. III. 314 tit.
cui in omnibus — reverentia custodiri, Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. c. 3. (H. no. 7.) Cf. Ben. II. 381. III. 109. (Cf. Marcelli 2.)

1 *Om. Sg. Dst.* 2 *Om. Sg.* 3 *Sg.* sanguine suo. 4 *In Sg. manu post. corr. in:* proprio. 5 *Om. Sg. Dst.* 6 *Dst. add.* et. 7 *Sg. Bb. Dst.* discipulos. 8 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 9 *Bb.* collum. 10 *Sg. Bb.* iterum. 11 *Bb. Dst.* talia. 12 *Sg. Bb. Dst.* inseruntur. 13 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 14 *Sg.* debeatis. 15 *Sg. Dst.* circa. 16 *Sg. Bb. Dst.* satisfactione. 17 *Sg. Bb. Dst. add.* sibi eos. 18 *Bb. Dst. addunt:* se. 19 *Sg. Dst.* sicut. 20 *Sg.* condemnaretur. 21 *In Sg. manu post. corr. in:* fulciretur. 22 *Bb. Dst.* debeant. *Sg.* debent. 23 *Dst.* mandare decrevimus ut. *Sg.* mandate ut. 24 *Sg.* apostolicae petrae. 25 *Sic corr.* causas sociat *sec. Sg. Dst.; Bb.* causas sicut. 26 *Bb. Dst.* soliditate. 27 *Sg.* seclusi, *manu post. corr. in:* secludi. 28 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 29 *In marg.* de induciis accusati. 30 *Dst.* et. 31 *Sg.* quendam. 32 *Sg.* iudicari vel damnari. 33 *Om. Sg.*

pariter statuta concinunt. Criminum, inquiunt, discusio[1] ibi agitanda est ubi crimen admissum est. Nam alicubi[2] criminum reus prohibetur audiri et alicubi[3] in canonibus praecipitur: Quecumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda sunt[4], et reliqua talia et his similia, salva tamen in[5] omnibus apostolica auctoritate, ut nihil in his definiantur[6] priusquam ei placere cognoscatur quia omnes suffultos[7] esse oportet, et si quid eis grave intolerandumque accideret, eius est semper expectanda censura. Neque[8] enim proterve aut stimulo sue cogitationis inpulsus, ut sepe actum agnovimus, detrahere aut accussare praesumat[9] quemquam sacerdotum, quia iniuria eorum ad Christum pertinet, cuius vice legatione pro populo Christi sanguine redempto fungitur[10]. Causas enim[11] eorum, quia dei cause sunt, eius esse iudicio reservandas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam; qui dicit: Mihi vindictam[12], ego retribuam. Apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Instruendi etiam omnes[13], quoniam per nos Christus illis intonuit non esse ovium lupi insidias previdere, sed pastoris.

[XX. De admonicione apostoli qua docet, non temere neque leviter praesumendum iudicium episcopis et qui sit temere iudicare.][14]

XX. Monet igitur beatus Paulus[15] apostolus ne de his temere leviterque praesumatur[16] iudicium, de quibus nemo potest verius vel melius iudicare quam deus. Tu autem, inquit, quare iudicas fratrem tuum aut cur spernis eum? Omnes enim stabimus ante tribunal dei. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit dominus. Quoniam[17] mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur domino, itaque unusquisque nostrum per[18] se rationem reddet deo. In hoc ergo non sibi quispiam temerarios ausus usurpet, ut praeter quod concordiam pertinet aliud[19] agat unde unitas ecclesiae dissipetur. Non ergo leviter quisquam assentiat in detractione vel iudicatione vel[20] damnatione fratrum maximeque sacerdotum qui proximiores sunt deo, et qui[21] proprio ore corpus Christi conficiunt, quia ob hoc venit ira dei in filios praevaricatorum, qui Christum in suis persecuntur membris. Nolite, fratres, nolite effici participes eorum, nec communicetis peccatis talium aut infructuosis verbis illorum. Magis autem et redarguite talium coetus, qui extendere moliuntur, quasi arcum in fratres linguas suas: defendite ergo fratres, et omnes monete ut armentur contra fratrum persecutores. Confidimus autem de vobis meliora et viciniora saluti, quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura aliqua[22] magistro gentium docente poterit nos separare a caritate domini nostri Iesu Christi, que maxime in sacerdotibus et reliquis perficitur membris eius. Nolite

Criminum inquiunt — admissum est, ep. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 5. C. Th. IX. 1. aut Ben. III. 365. aut c. 47 Angilr. Cf. Fab. 28, Sixt. III. pp.

quecunque negotia — finienda sunt, c. 105. conc. Afric. (D.) aut Ben. II. 381. III. 102. aut c. 9 Angilr.

et si quid eis — expectanda censura, Leon. M. ep. 14. c. 1. (1, 686.) Cf. s. c. 18, Vigil. 7.

detrahere aut — redempto fungitur, Ben. III. 462. (conc. Aquisgr. a. 836. C. III. c. 7. et II Cor. V. 20.) Cf. Anacl. 3, 21, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8. (Greg. M. ep. ad Fel.)

Causas enim eorum — ego retribuam, Symm. syn. III. Cf. Zeph. 12, Fel. II. pp. 18, Pelag. II. pp. ep. 3.

non esse ovium — previdere sed pastoris, syn. cit. Cf. Fel. II. pp. 7.

c. XX. Monet igitur beatus — unitas ecclesiae dissipetur, Anast. II. ep. ad Anast. c. 2. (H. no. 84.)

et qui proprio ore — Christi conficiunt, Hieron. ep. ad Heliod. no. 8. (1, 34.) aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 97. Cf. Telesf. 3, Pont. 2, Ant. 7, Fel. II. pp. 11.

quia ab hoc venit — contra patrum persecutores sec. Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1182.) Cf. Lib. 2.

Confidimus autem — tortuosas novitates sec. ep. cit. (l. c. 1182. 1183.) Cf. Lib. 2, Pelag. II. pp. ep. 1.

quia neque mors etc. Cf. Cornel. 2, Lib. l. c., Pelag. l. c.

[1] *Sg. Bb. Dst.* discussio. [2] *Bb.* aliubi. *Dst.* alibi. [3] *Sg. Bb. Dst.* alibi. [4] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [5] *Bb.* salvata in eis. [6] *Sg. Bb. Dst.* definiatur. [7] *Sic in Sg. manu post. corr.* suffultas. [8] *In marg.* nullus proterve detrahere aut accusare praesumat episcopum. *Dst.* nec quivis. [9] *Sg. add.* quis. [10] *Sg. Dst.* funguntur. [11] *Om. Dst.; Sg.* Causasque. [12] *Sg. Bb. Dst. addunt:* et. [13] *Sg. Bb. Dst. addunt:* sunt. [14] *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* [15] *Om. Dst.* [16] *Sg.* quis praesumat. [17] *Dst.* quia. [18] *Sg. Bb. Dst.* pro. [19] *Sg. Bb.* illud. [20] *Dst. Bb.* aut. [21] *Deest in Sg. Bb. Dst.* [22] *Sg.* alia.

itaque ammittere confidentiam vestram, que magnam habet remunerationem. Ecce enim iudex ante ianuam adsistit, coronas hilariter promittens his qui pro eo fratribus auxilium ferunt[1] et oppressis succurrunt atque in caritate conlaborant. Quod si subtraxerit se quis, non placebit deo, sed cadit[2], quia non sublevavit cadentem, sed emarcuit. Non autem simus subtractionis in oppressionem, sed adminiculi in adquisitionem et supplementum fratrum. Propter quod adsumite armaturam dei, ut possitis resistere omnibus taliter praesumentibus, et induite vos loricam iustitiae, calciati pedes in praeparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita[3] extinguere, et galeam salutis accipite et gladium spiritus, quod est verbum dei, per omnem orationem[4] et obsecrationem radicati et fundati, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis scismata, dividentes corporis[5] ecclesiae bonum et integrum in tortuosas novitates. Monet ergo apostolus non amplius nos invicem temere iudicare. Temere enim[6] iudicat, si quis episcopum absque sedis apostolice auctoritate condempnat, cum ei, [7] paulo superius praelibatum est, hoc specialiter privilegium reservatum[8] sit. Sed hoc iudicate magis, inquit, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.

[XXI. Quod non debeat dampnari episcopus donec de eo cognoscitur iudicium apostolicae auctoritatis.][9]

XXI. Patenter enim his et aliis innumerabilibus decretorum testimoniis omnibus manifestum est non debere episcopum dampnari[10], licet eius perscrutetur opinio, donec iudicium de ore[11] nostre apostolicae auctoritatis, hoc est principis apostolorum Petri cognoscatur[12], utpote quoniam solus et prae omnibus creditus[13] est, atque[14] accipere meruit a rege regum Christo deo claves regni caelorum ad aperiendum[15] fidelibus et benevolis hominibus in eundem dominum nostrum, et claudendum infidelibus et malevolis[16] atque suis[17] sacerdotibus et sanctae ecclesiae suo praecioso sanguine redemptae inpugnatoribus sive nocentibus[18].

[XXII. Ut constituta apostolica et patrum tradiciones teneantur infragabili auctoritate sub metu.][19]

XXII. Quod utique et nos facere postulavit non quod novi nunc[20] aliquid imperetur[21], sed illud quod per desidiam aliquorum aut scienter aut neglegenter transgreditur deinceps observetur ab omnibus, ut illa semper quae apostolica et patrum traditione sunt constituta sub metu inrefragabili auctoritate teneantur. Scriptum namque est in secunda ad Tesalonicenses epistola et ad Timotheum, apostolo monente: State et tenete traditiones nostras[22] quas didicistis, seu per verbum seu per epistolam[23]. Item alibi per prophetam: Expectavi quoque, sicut beatus Isaias intonuit, ut facerent iuditium[24], fecerunt autem iniquitatem et non iustitiam, sed clamorem omnes pios conturbantes, et hoc dum scire debeant, quoniam iudicium dei est secundum veritatem[25] in eos qui talia agunt, licet divitias bonitatis dei[26] et sustentationis et patientiae ignorantes, quoniam benignitas dei ad penitentiam eos adducit, secundum autem duritiam eorum et cor inpenitens thesaurizant sibi iram in die ire et revelationis iusti iuditii dei, qui reddet unicuique secundum opera eius. Et alibi scriptum est: Ego dominus deus vester: non facietis iniquitatem, in iudicio non accipies[27] personam divitis, neque mireris vultum potentis, ab omni iniquo verbo reddes[28] rationem[29],

Monet ergo apostolus — temere iudicare sec. Anast. II. ep. ad Anast. c. 2. cit.
c. *XXI. donec iudicium de ore — claudendum infidelibus* sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 950.) Cf. Fel. II. pp. 14.
c. *XXII. Quod utique — postulavit*, l. c.
non quod novi — verbum seu per epistolam, Innoc. I. ep. ad Vict. Rot. pr. (H. no. 7.)
Expectavi quoque sicut — secundum opera eius, Conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 954.)
Et alibi scriptum est — neque interficies sec. conc. cit. secr. III. (Mansi 10, 970.)

1 *Dst.* auxilio fuerint. 2 *Sg. Bb. Dst.* cadet. 3 *Sg. Bb. Dst.* ignea. 4 *Dst.* omnes per operationem. *Sg.* omnes per orationem. 5 *Sg. Bb. Dst.* corpus. 6 *Om. Sg. Dst.* 7 *Sg. Bb. Dst. addunt:* ut. 8 *Sg. Bb. Dst.* servatum. 9 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 10 *Bb.* damnare. 11 *Sg. Bb. Dst.* eo. 12 *Sg. Bb. Dst.* cognoscat. 13 *Deest in Bb.; Sg. Dst.* ipse. 14 *Sg. Dst.* qui. 15 *Sic corr.* aperiandum *sec. Sg. Bb. Dst.* 16 *Sg.* et malivolis, *Dst.* et claudendum malivolis hominibus *pro* benevolis — et malevolis. 17 *Bb.* sancti. 18 *Sg. add.* claudendum. 19 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num. in Bb. Rubr. et num. desunt in Dst.* 20 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 21 *Bb. Dst.* imperaretur. 22 *Bb. Dst.* vestras. 23 *In Sg. manu post. add.* nostram. 24 *Sg. Dst.* iustitiam. 25 *Dst. addit:* dei. 26 *Deest in Dst.* 27 *Sg. Dst.* accipias. 28 *Sg. Bb. Dst.* recedes. 29 *Deest in Sg. Bb. Dst.*

[XXIII. Quid sit facere iniquitatem in iuditio et quid sit non obviare et perturbare perversos.][1] innocentem et iustum non obpugnabis neque interficies. XXIII. Ille procul dubio facit iniquitatem in iudicio qui[2] ea sibi vindicat quae ei vindicare non licet. Ideo que huic sedi concessa sunt[3], nullus usurpare sine eius consultu presumat, qui non vult honore ecclesiastico indignus ut[4] contemptor iudicari. Itaque oportet propulsare et repellere[5] neglegentes et[6] ita ut in nocentes non[7] roborentur, et bonos inprobis atque insidiatoribus fratrum resistere, ne torpore desidie oppressi taciturnitatis teneamur obnoxii. Itaque qui potest obviare et perturbare perversos et non facit, nihil est aliud quam favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo sotietatis occulte qui manifesto facinori desinit obviare. Sitis autem perfecti et integri in eodem sensu et in eadem scientia[8] firmati, ut per eum[9] vias vestras dirigentes ad eundem inflexibiliter omnibus occurratis oppressis, quia vobis[10] creditur[11] dominus, at quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, propter talium impietatem, a deo autem electum et honorificatum[12], super quem vos tamquam lapides vivi edificamini in domum spiritalem, in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales ostias ipsi in odorem suavitatis. Gratum enim admodum est sacrificium domino oppressis[13] subvenire, quanto magis[14] de quibus ait: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit me spernit, et cetera. Libat quidem domino prospera, qui ab afflictis et oppressis pellit adversa. Sed et nunc, fratres, commendamus omnes vos deo[15] et verbo gratiae eius, qui potest perficere et dare hereditatem in omnibus sanctificatis. Ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum et in ipso semper et in omnibus, ut unanimes uno ore et uno corde honorificetis[16] eum[17] in[18] concordiam et auxilium fratrum, qui potens est[19] consolari omnes et confirmare nos secundum evangelium eius et iuxta revelationem misterii[20] temporibus eternis taciti, patefactum autem per scripturas sanctas et patrum ortodoxorum doctrinas secundum praeceptum eterni dei, ad oboediendum fidei in omnibus nobis cognitis[21] soli sapienti deo domino nostro Iesu Christo, cum quo patri et spiritui sancto gloria, honor, imperium et potestas in saecula saeculorum. Amen. Dominus vos custodiat, dilectissimi fratres, incolumes semper. Data VIII. Kal. Novembris Flaviano[22] et Stilocone[23] vv. cc. conss.[24]

QUOD OMNES HERETICI DE FILIO DEI ET SPIRITU SANCTO MALE SENTIENTES IN PERFIDIA IUDAEORUM ET GENTILIUM INVENIUNTUR ET DE UNITATE TRINITATIS. XVIII.

Quod si quis patiatur deum patrem et deum filium et spiritum sanctum deos dici et non deum propter unam divinitatem et potentiam quam credimus esse, et scimus patris et filii et spiritus sancti deum, subtrahens autem filium aut spiritum sanctum ita solum aestimet esse, deum patrem dici aut credi unum deum, anathematizamus: omnibus immo iudaeis, quod nomen deorum in angelis et in sanctis omnibus a deo est positum et donatum. De patre autem et filio et spiritu sancto

c. XXIII. Itaque oportet propulsare — desinit obviare sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 951.) Cf. Iul. 10.

Sitis autem perfecti — in odorem suavitatis, Martin. I. ep. encycl. (l. c. 1183.)

Libat quidem domino — pellit adversa, c. 11 (bis) Angilr. (Ben. II. 323. III. 221 aut c. 2. conc. VIII. Tolet.) Cf. Fab. 29, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3.

Sed et nunc fratres, commendamus — incolumes semper, ep. Martini cit. (l. c. 1183 i. f.) Cf. Sixt. I. pp. 6, Lib. 2.

Not. cons. ad libitum ficta.

Quod omnes heretici etc.

Quod si quis patiatur — deitatis sine dubio credamus, epist. Dam. ad Paul. c. 2. (H. no. 2.)

1 *Sec. Par.* 4280 *AA. Sol. num.* XIII. *in Bb.* 2 *Sic corr.* quae *sec. Sg. Bb. Dst.* 3 *Deest in Sg. Dst.* 4 *Sg. Dst.* aut. 5 *Sg.* percellere. *Bb. Dst.* praecellere. 6 *Bb.* sed. 7 *Deest in Dst. Sg.* 8 *Bb.* sententia. 9 *Sg. Bb.* eam. 10 *Bb. Dst.* nobis. *Sg.* a nobis. 11 *Dst.* credidit. 12 *Sg. Dst.* honoratum. 13 *Sg. Bb. Dst. add.* omnibus. 14 *Sg. Bb. Dst. add.* illis. 15 *Sg. Dst.* domino. 16 *Sg. Bb. Dst.* honorificemus. 17 *Sg.* deum. 18 *Sg. Dst.* ad. 19 *Sg. Dst.* potestatem habet. 20 *Sic corr.* ministerii *sec. Dst.; in Sg.* ministerii *post. m. corr. in:* misterii. 21 *Deest in Sg. Bb. Dst.* 22 *Sg. Bb. Dst.* Flavio. 23 *Sg.* Stilichone. 24 *Ceterae Damasi epistolae desunt in Sg. Bb. Dst.*

propter unam et equalem divinitatem non nomen deorum, sed dei nobis ostenditur atque iudicatur, ut credamus, quia in patre et filio et spiritu sancto solummodo baptizamus et non in archangelorum nominibus aut angelorum, quomodo heretici aut iudaei aut etiam gentiles dementes fatiunt. Substantia haec ergo et salus christianorum, ut credentes trinitati, id est patri et filio et spiritui sancto, in eam veram solamque unam divinitatem et potentiam, maiestatem et substantiam eiusdem deitatis sine dubio credamus. Dicit quoque beatus Isaias: Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus meus et salvator meus ut lampas accendatur. Profecto catholice ecclesiae, que vera consistit Sion et civitas Christi celorum regis per tot annorum spatia expugnata ab adversantibus verbo fidei qui neque deum timent neque hominem reverentur, sed incassum perducentibus pias et canonicas de hoc verbo doctrinas, dum et adversis tantisque in scripto et sine scripto contestationibus invitati fuissent corrigere propria et sepelire heresim, sicuti et per anteriorem cognitionem luculentius demonstratum est tam per libellos quam per suggestiones reverendissimorum sacerdotum et venerabilium abbatum apostolo protestante nobis, ut hominem haereticum post primam et secundam correptionem evitare debeamus scientesque: subversus est huiusmodi et delinquit proprio iuditio condemnatus, nullo modo oportet nos deinceps tacere aut quiescere, ne quoquo modo iniqui iudicemur odibilem deo pacem amplectentes, quoniam scriptum est: Zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns, et dicatur etiam de nobis: Sacerdotes mei contempserunt legem meam et polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum et profanum non habuere distantiam et inter pollutum et mundum non intellexerunt; sed consurgere cum deo et consistere prompte induentes arma spiritus adversus malignantes contra fidem eius, ut probemus spiritus sapienter, id est verba illorum, si ex deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia: Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies et probabis viam eorum. Multum namque nobis necessaria est vigilantia et tantum divine sapientiae discretionis que occulta tenebrarum revelat ad requisitionem huiusmodi rei et scrutationem, quoniam latet quodammodo et absconditur vixque comprehenditur dolosa exsistens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiat, ut valeat scrutantium mente latere, quod utique sciens beatus apostolus ait: Nam huiusmodi pseudoapostoli operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi: sed non mirum, ipse enim satanas transfigurat se velut angelum lucis. Et non mirum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiae, quorum finis secundum opera eorum. Sed et dominus in hoc praemuniens nos ait: Adtendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali questione deprecationem, et dicentes cum David: Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Lucerna pedibus meis verbum tuum, domine, et lumen semitis meis, quoniam ipsius est, sicut ait beatus Danihel, sapientia et fortitudo eius, dat sapientiam sapientibus, et scientiam intellegentibus disciplinam, ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi, et ostendisti mihi que rogavi te. Cum ope divina uniuscuiusque persone conscripta qui per novitatis commentum accusati sunt, de venerabili scrinio obsecundantibus nobis ordinabiliter offerentibus solertius intendamus.

DE VANA SUPERSTITIONE COREPISCOPORUM VITANDA. XIX.

Dominis venerabilibus fratribus Prospero Numidie prime sedis episcopo, Leoni, Reparato, Alexandro, Benedicto, Rufo et omnibus ceteris ubique in recta sancta et apostolica fide consistentibus ortodoxis episcopis Damasus.

Propter Sion non tacebo — offerentibus solertius intendamus, conc. Later. a. 649. secr. III. (Mansi 10, 954.955.) Cf. Lib. ep. 1.

Licet, fratres karissimi, vobis sint nota patrum decreta, mirari tamen non possumus vestram solertiam circa instituta maiorum, ut cuncta que possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quasi ad caput, ut semper fuit consuetudo, deferre non desinatis, ut inde capiatis responsa unde ecclesia accepit institutionem et normam recte vivendi. Unde et vos non inmemores canonum esse recordemur, qui et ipsum fieri praecipiunt non ut vobis scientiae ecclesiasticae regulae aliquod desit, sed ut apostolice sedis auctoritate fulti in nullo ab eius devietis regulis.

Igitur de corepiscopis, de quibus nos consulere quale sit eorum ministerium aut quid eis agere liceat aut quam auctoritatem habeant vel si licet eos fieri an non, quia audivimus eos iam esse prohibitos aut quid de eis, qui iam ordinati repeririuntur, agendum sit, nihil vobis certius respondere videtur quam olim a praedecessoribus nostris decretum repperimus, ut eis ad veniam nihil prorsus aliud reservetur quam privatio sacri ministerii quod inlicite assumpserunt, quia prohibiti tam ab hac sacra sede quam a totius orbis fuerant episcopis. Nimis ergo eorum institutio inproba, nimis est prava, quia ut hi de summo sacerdotii ministerio aliquid praesumant omni auctoritate caret, et sacris canonibus invenitur esse contrarium, atque ad totius ecclesiae perturbationem superba et superflua tendit elatio, et vacuum est et inane quicquid in praedicto summi sacerdotii egerunt ministerio. Quod ipsi idem sint qui et presbiteri sufficienter invenitur qui ad formam et exemplum septuaginta inveniuntur prius instituti. Sed quia deo gratias modo necessarii, sicut in primitiva ecclesia propter studium quod erga pauperes exigebant non sunt et quia inlicita praesumebant et quod agebant actum non erat, et propterea multi in securitatem lapsi ecclesiastica fraudabantur et frustrabantur ministeria, ideo tam ab hac sancta sede ut superius memoravimus, quam ab omnibus[1] totius orbis episcopis a pontificalibus sunt remoti offitiis. Nam, ut nobis relatum est, quidam episcoporum propter suam quietem eis plebes suas committere non formidant, et ut inlicita atque prohibita agant, id est, ea quae solis pontificibus debentur sibi usurpant et ipsi in sua quiete torpent et curam sibi a deo commissam neglegunt, cum dominus dicat: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis et vocat eas nominatim, et cognoscit suas et sue agnoscunt eum. Et item: Sicut novit me pater, et ego agnosco patrem et animam meam pono pro ovibus meis. De mercenario autem quid dicat bene nostis, quia vidit lupum venientem et dimittit oves et fugit, et lupus rapit et dispergit oves, et reliqua. Pro talibus vero neglegitur cura ecclesiae et eius status[2] perturbatur, et ideo sunt prohibiti intantum, ut si aliqui ex his reperti fuerint, a proprio decidant gradu. Illi namque episcopi qui talia sibi praesumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, que statim ut pariunt infantes suos, aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant; sic et isti infantes suos, id est populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, id est suo pro libitu saecularibus curis inhient et quod unicuique

Licet — decreta sec. Innoc. ep. ad Victor. pr. (H. no. 7.) Cf. Ioann. I. pp. ep. 1.

mirari — non desinatis sec. eiusd. ep. ad Fel. Nucer. pr. (H. no. 9.) Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Anast. I. pp. ep. 1, Fel. IV. pp. ep. 1.

ut inde capiatis — normam recte vivendi sec. ep. ad Victor. cit. Cf. Ioann. I. l. c.

Unde et vos non — devietis regulis sec. Innoc. ep. ad Decent. Eugub. pr. (H. no. 6.)

nihil vobis certius — episcopis, Ben. II. 121. (... „idcirco et olim persepe et nostro a sancta apostolica sede tempore sunt prohibiti; et ne deinceps a quoquam tam ordinante quam ordinari cupiente talis praesumptio assumatur, a cunctis nostri regni episcopis est in synodo canonice prohibitum.")

atque ad totius ecclesiae — tendit elatio sec. Leon. M. ep. 70 i. f. (1, 1011.)

Quod ipsi idem — praesumebant sec. conc. Par. 829. lib. I. c. 27.

Nam, ut nobis relatum — sua quiete torpent, Ben. II. 121. (... „quoniam hactenus a nescientibus sanctorum patrum et maxime apostolicorum decreta suisque quietibus ac delectationibus inherentibus facti sunt.")

Bonus pastor animam — et sue agnoscunt eum. Ioann. X. 11. 3. 14.

Sicut novit me — pro ovibus meis l. c. v. 15.

De mercenario — dispergit oves l. c. v. 12.

[1] *Sic. corr.* hominibus. [2] *Sic corr.* statutus.

visum fuerit liberius agant[1]; pro talibus enim anime negleguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hereses et scismata prodeunt, ecclesiae destruuntur, sacerdotes vitiantur et reliqua mala proveniunt. Non taliter dominus docuit nec apostoli instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt ipsi peragant et ipsi proprios manipulos domino represeñtent. Nam ipse ovem perditam diligenter quaesivit, ipse invenit atque propriis humeris reportavit nosque idipsum facere perdocuit. Si ipse pro ovibus tantam curam habuerit, ipse docuit, ipse sanavit, ipse curavit, ipse propriis humeris reportavit atque intantum dilexit, ut etiam animam suam multas sustinens iniurias, multa obprobria multasque passiones[2] pro nobis traderet, quid nos miseri et desides dicturi sumus, qui etiam pro ovibus nobis commissis curam inpendere neglegimus et aliis eas educandas tradimus? Corrigantur haec, fratres, necesse est, quia qui plus laborat maiorem mercedem accipiet. Nam non amplius quam duos ordines inter discipulos domini esse cognovimus. Unde iste tertius processerit funditus ignoramus et quod ratione caret extirpare necesse est. Quod enim episcopi non sint qui a minus quam a tribus vel qui ab uno vel a duobus sunt ordinati episcopis omnibus patet, quoniam, ut bene nostis, prohibitum a sacris est patribus, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati episcopis nec nominentur episcopi. Si nomen non habent qualiter officium habebunt? Quicquid enim inter episcopos aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est, ut superius iam prelibatum est, ut irritum sit, quia quod non habent, dare nequaquam possunt, presertim cum nullum ex septuaginta discipulis, quorum speciem isti antequam prohiberentur, ut superius est memoratum, in ecclesia gerebant, nihil de hoc quod apostolis eorumque successoribus specialiter debebatur, legitur adsumsisse nec in lege domini que Moysi ab ipso domino legitur dictata, de his que summis[3] sacerdotibus, id est Moysi et Aaron, erant specialiter concessa, filii Aaron quicquam praesumebant. Nulli enim dubium quod Moyses et Aaron soli precipiente domino in tabernaculo dei erigebant altare, soli ungebant, soli sacerdotes sacra unctione instituebant, et alia que ad summum sacerdotium pertinebant de quibus sufficienter in divinis legitur litteris agebant, quoniam summi domini sacerdotes erant, sicut de eis scriptum est: Moyses et Aaron in sacerdotibus eius, sic et modo, quia umbra legis transiit et lux evvangelii super nos gratia dei manifeste coruscat, de his quae[4] in summis sacerdotibus, id est episcopis quorum Moyses et Aaron tenuerunt, illi qui septuaginta discipulorum formam gestant, in quorum videlicet typo filii Aaron erant nihil presumere debent, sicut nec illi quicquam de summi sacerdotii ministerio adtingebant. Nam quod corepiscopi antequam praefato prohiberentur tenore ad formam septuaginta instituti erant, canon sufficienter manifestat, ubi ait: Corepiscopi quoque ad exemplum et formam septuaginta videntur esse, et reliqua. Nec illud pretereundum nobis videtur, quod alibi in canonibus scriptum est: Qui in vicis et possessionibus corepiscopi nominantur, quamvis manus inpositionem episcoporum perceperint et ut episcopi consecrati sunt, et caetera.

Nec ab re dictum perpendo, quamquam manus inpositonem episcoporum per-

et ipsi proprios — domino represenlent sec. Greg. M. I. hom. 17. no. 16. (1, 1504.) Cf. Clem. 27, Anacl. 35, Soth. 1, Fel. I. pp. 7, Lib. 2.

Nam ipse ovem — reportavit sec. Luc. XV. 4. 5.

Quod enim — nec nominentur episcopi sec. tit. c. 20. conc. I. Arel. Cf. Ben. III. 394. 424.

quia quod non — dare nequaquam possunt, Ben. III. 260. (Innoc. I. ep. ad Ruf. c. 3. H. no. 26.)

presertim cum nullum — legitur adsumsisse sec. conc. Paris. 829. lib. I. c. 27. (Ben. III. 402. 424.) Cf. Ioann. III. ep. un.

nec in lege domini que — ministerio adtingebant sec. c. 7. conc. II. Hispal. Cf. Leon. ep. de corep.

canon sufficienter — esse, et reliqua, c. 13 conc. Neocaes. (D.) Cf. Anacl. 24, 28.

qui in vicis — consecrati sunt etc. c. 10. conc. Antioch. (D.)

[1] *Corr. cod., qui pro verbis* ut suas libidines — liberius agant *legit:* ut si visum fuerit liberius agat *sec. Par.* 3852, *cum quo idem locus ab Hincmaro* (Opp. II. 756) *prolatus conspirat.* [2] *Post verbum* passiones *librarius repetiit:* intantum ut etiam animam suam. [3] *Sic corr.* summi. [4] *Sic corr.* qui.

ceperint, cum episcoporum nomen pluralem in se contineat numerum et apud grammaticos pluralis sit genitivus; videtur enim mihi quod tunc non ab uno sed a pluribus ordinabantur, quia nullatenus diceret episcoporum, si ab uno fieret talium ordinatio, cum episcoporum pluraliter dictum sit. Cum autem dixit corepiscopum, profecto villanum voluit intelligi episcopum; et si villanus, quid agit in civitate, cum in una civitate duo omnino esse prohibeantur episcopi? Et si in villa et in eo loco ubi antea episcopi non fuerunt, — cum et in modica civitate vel in villa aut castello episcopus fieri prohibeatur et in omnibus omnino locis ubi antea episcopi non fuerunt, ne vilescat auctoritas et nomen episcopi — fuerint constituti, quid, rogo, erunt? Ecce nec locus cum ordinatione nec ordinatio cum loco concordat. Quoniam si per episcoporum manus inpositionem perceperunt et ut episcopi sunt consecrati, ubi sunt consecrati? Ad villam, quia chore villa est apud Grecos, et qualiter ad villam, si nec in castello aut in modica civitate licet fieri, rogo ut promatis et si promere non potestis, quia scio per rationem aut plenam auctoritatem minime potestis, digitum ori inponite, et eos omni auctoritate carere non dubitate, scilicet quia tria obstant quibus eorum cassatur actio vel institutio.

Unum, quod ab uno episcopo ordinari solent, in quo eorum ordinatio a canonibus discordat, qui per manus episcoporum eos institui iubent.

Aliud, si a pluribus episcopis sunt ordinati et aut in villa aut castello seu in modica civitate aut omnino non in eo loco prefixi, quo iuste episcopi fieri debent aut dudum non fuerunt ubi non vilescat auctoritas et nomen episcopi, aut si in civitate cum altero, cum, ut praedictum est, in una civitate duo non debeant consistere episcopi.

Tertium si absolute fuerint instituti, sicut de quibusdam audivimus, quae omnia episcopali omnino carent auctoritate.

Et illud adhuc restat, quod eorum ordo non habet in divinis litteris auctoritatem, quia, ut praefixum est, ordines sunt duo tantum primi in ecclesia, id est apostolorum et septuaginta discipulorum. Sane si ne episcopi sunt, quia pro prestitis causis episcopi esse non possunt, nec presbiteros se nominari[1] volunt, quia amplius esse ambiunt atque plus quam septuaginta discipuli fecissent, ad quorum formam, ut paulo superius prelibavimus, hi antequam prohiberentur a quibusdam stultis et sua quaerentibus et non que Christi Iesu instituebantur, praesumere temptant et inlicita atque prohibita agere presumunt, nec hoc se dici volunt quod sunt, rogo ut manifeste prodatis quid sunt, quoniam aut aliquid sunt aut nihil. Nam manifeste patet, quod episcopi non sunt, et si episcopi non sunt et presbiteri esse despiciunt, quid erunt? Aut aliquid prorsus erunt aut nihil, quia nihil potest esse nisi habeat unde sit, et si non habeat unde sit aut unde originem ducat, nec auctoritatem habet nec stare rite poterit, quia inane est, et ut destruatur et cadat necesse est, quoniam nihil est et in nihilum reputabitur[2]. Si vero nihil ex his sunt, que superius memoravimus, tunc necesse est ut nihil sint ex his que sacerdotibus debentur et ideo nec in sacerdotali catalogo habeantur, nisi tantum, ut primo commemoravimus, ut pro misericordia illis qui humiliter hoc ferre voluerint nec amplius ambierint et per scriptum propria manu subter corroboratum idipsum confirmaverint, hoc solummodo concedatur, ut inter sacerdotes locum habeant, et ministerio presbiterorum contenti sint atque mense domini tantummodo participes existant. Amplius autem qui ambire[3] voluerint, nec hoc retineant, ut sacerdotes

Cum autem dixit — villanum voluit intelligi episcopum, Ben. III. 260. (... „iam dictos villanos episcopos inter presbiteros statuerunt"...)
cum in una civitate — esse prohibeantur episcopi c. 8. conc. Nicaen.
Et si in villa — nomen episcopi fuerint constituti, Zachar. pp. ep. ad Bonif. Mogunt. (Ep. S. Bonif. no. 52 p. 112.) Cf. Clem. 29, Anacl. 28.
et sua quaerentibus et non que Iesu Christi, Phil. II. 21.
quod episcopi — quid erunt, cf. Ioann. III.

[1] *Sic corr.* nomiri. [2] *Sic corr.* reputabutur. [3] *Sic corr.* ambiere.

sint, sed omni ecclesiastico funditus priventur honore. Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare nec diaconos nec subdiaconos nec virgines, nec altare erigere, nec unguere aut sacrare, nec ecclesias dedicare, nec crisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in missa quemquam in penitentiam reconciliare, nec formatas epistolas mittere, nec populum benedicere, nec ante episcopum in baptisterio aut in sacrario introire, nec presente episcopo infantem tinguere aut signare, nec penitentem sine praeceptione episcopi sui reconciliare, nec eo praesente, nisi illo iubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere aut salutare, nec plebem exortari. Que omnia solis pontificibus deberi tam ex superioribus quam ex aliis patrum constitutis atque sacris canonibus edocti estis, et si necesse est, quibusdam minus scientibus doceri pleniter et instrui possunt, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summorum pontificum demonstretur. Similiter et de presbiteris haec habeantur et sine iussu proprii episcopi nil agant, quia quod est rarum hoc et pulcrius esse videtur. Et si nomen vilescit pontificum, omnis status perturbatur ecclesiae. Triplex itaque reatus in hac parte est: quod et prohibita agunt, et quod sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur, et episcoporum quantum ad inlicite usurpationis temeritatem pertinet iura solvuntur.

Quod autem solis apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere spiritum sanctum, liber actuum apostolorum docet, presertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti in aecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti spiritus per manus inpositionem, ut praedictum est, tradidisse. Haec ergo, quia omni carent ratione, nullus deinceps usurpet aut consentiat sacerdotum qui noluerit a nostro sacerdotali collegio separari. Nec quod a nobis extinguitur et a predecessoribus nostris ac reliquis, ut dictum est, totius orbis episcopis iam extinctum est, apud aliquos tenebrosis seminetur radicibus; sed, que male pululasse noscuntur, radicitus evellantur, ne messem dominicam ulla corrumpant zizania. Ita enim fructum uberem domini sacerdotes prestabunt, si ea quae natam segetem enecare consuerunt radicitus amputentur. Cesset ergo, cesset tot vicibus prohibita et damnata praesumptio, nec imitentur summi sacerdotes mulieres meretrices, que infantes suos praesta voluptate aliis ad nutriendum tribuunt, sed ipsi nutriant ipsi domino suo, fructum cum usura reddant fructuososque manipulos et cum gloria representent. Nam si dominus leprosos inter ceteras ovium suarum curas tetigit et mundavit, cur nos eadem agere dedignamur? aut cur nos ipsi qui pastorale officium suscepimus aliis alendas tradimus? maxime cum dominus Petro praeceptori nostro dixerit: Si diligis me, pasce oves meas, et multa talia et his similia.

Nam benedictionem quam praedicti corepiscopi ante suam prohibitionem per manus inpositionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre quam salutem[1], et illi qui pontificatus apicem habebant, quomodo ea quae non habebant dare poterant, quoniam nihil in dante erat quod ille possit accipere? aut quis hominum,

Quod vero eis non — nec plebem exortari sec. c. 7 conc. II. Hispal. (cf. Ben. III. 423.) Cf. Leon. ep. de corep.

Que omnia solis — pontificum demonstretur sec. c. 7. cit. Cf. Leon. ep. cit.

et sine iussu proprii episcopi nil agant, c. 57 conc. Laod. (D.)

Quod autem solis — ut praedictum est tradidisse, conc. Par. 829. lib. I. c. 27. Cf. supra.

qui noluerit — collegio separari, Siricii ep. ad Eum. c. 1. (H. no. 3.)

Nec quod a nobis — seminetur radicibus, Leon. M. ep. 7. c. 1. (1, 624.) Cf. Anast. I. pp. ep. 1.

sed que male pululasse — radicitus amputentur. Eiusd. ep. 4. c. 2. (1, 615.) Cf. Eleuth. 6.

Cesset ergo — damnata praesumptio, Bonifac. I. pp. ep. ad Hilar. (H. no. 32.) Cf. Sixt. II. pp. 8, Iul. 19.

Si diligis — oves meas, Ioan. XXI. 16. 17.

Nam benedictionem — quam salutem, Ben. III. 260. (Innoc. I. pp. ep. ad Ruf. c. 3. H. no. 26.)

et illi qui pontificatus apicem habebant c. 7 conc. II. Hispal. aut Innoc. ep. ad Decent. c. 3. (H. no. 6.)

quoniam nihil — potest quod non habet, Ben. l. c. (Innoc. l. c.)

1 *Sic corr.* salute.

licet more humano loquamur, dare potest quod non habet? presertim cum pontifices non erant, ea que solis pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita que per manus inpositionem tangebant, cum ea que eis conlata non erant per aliquam benedictionem darent. Et ideo quicquid ex supradictis pontificalibus praesumebant, irritum erat et nihil tangenti proficiebat, sed magis iuxta prophetam maledictionem pro benedictione, si ratum est dicere, conferebant. Quapropter per illam inlicitam manus inpositionem, ut paulo superius praelibavimus, vulneratum capud illi qui videbantur aliquid accepisse habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere qua infixa sanetur macula, id est reiterari necesse est, quod legitime actum aut collatum minime adprobatur, si perfectum esse debebit. Non quomodo honorem possit retinere qui ab illo acceperit, qui potestatem dare non habuerit legitime, invenire non possum, cum ille qui honorem pontificalem non habuit, pontificalia non potest iura tribuere, nec hoc sibi poterant vindicare, cui capaces per hoc quod illis obstiterat non fuerunt.

Huius ergo discussionis curam nobis specialiter vindicantes ita misericordiam inrogamus ut si qua forsitan de his commissa sunt corrigantur, ne talia liceat ultra committi, ne qua excusatio de ignoratione nascatur, quia ut nobis gratulationem facit ecclesiarum status salubri dispositione adtributus vel adornatus, ita non levi nos merore contristat quotiens aliquid contra instituta canonum vel ecclesiasticam disciplinam praesumptum aut commissa cognoscimus. Que si non qua debemus vigilantia resecemus, illos qui nos speculatores esse volunt excusare non possumus, si eius ecclesiam que nobis generaliter commissa est in quantum praevalemus puram a tam inlicitis superstitionibus non[1] custodiamus, quia non aliter uni grex et uni pastor sumus, nisi quemadmodum apostolus docet idipsum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sapientia. Nec aliter veri discipuli domini erimus, nisi radicem amaritudinis sursum germinantem, sicut hec, ut asseritis modo, facit ne nocere valeat aut episcopale ministerium vilescere faciat per eorum neglegentiam, id est omnium sacerdotum, qui evellere mala et meliora plantare sunt ab eo propositi, unusquisque pro viribus extirpare festinet, et ipse qui pro suis ovibus est aeterno iudici rationem redditurus eas fovere et educare decertet. Si domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, ut de nobis dicatur: Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas et voco eas nominatim, et cognoscunt me meae, et reliqua. Et iterum monente dominicae vocis imperio quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves, qui Christum amat diligenter et cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctae sedis, cui per habundantiam divine gratie praesumus, amore et reverentia coarctamur[2], ut tante superstitionis, quae nullius, ut sepe dictum est, fulcitur auctoritate, periculum quantum possumus declinemus, ne beati magistri nostri Petri summi apostoli dilectio, qua se amatorem dei esse testatus est, vana inveniatur in nobis, quoniam omnis neglegenter pascens toties commendatum sibi

presertim cum — dare non poterant, sec. conc. Hispal. cit.

Et propterea — si perfectum esse debebit, Ben. l. c. (Innoc. ep. cit.)

Nam quomodo — iura tribuere, Ben. II. 369 („hominum confirmatio ... a chorepiscopis actae ... sunt reformandae canoniceque peragendae, quia chorepiscopi haec contingere non debuerunt nec agere potuerunt. Non enim ea tribuere valuerunt, quae non habent.")

Huius ergo discussionis — de ignoratione nascatur, Leon. M. ep. 4. c. 2. (1, 614.)

quia ut nobis — custodiamus, init. ep. cit. (1, 612.)

quia non aliter — in eadem sapientia, Leon. M. ep. 16. c. 2. (1, 718.)

nisi radicem amaritudinis — rationem redditurus sec. conc. Later. 649. secr. I. (Mansi 10, 882.)

Si domini desideramus etc. Eadem quae usque ad finem habentur leguntur in epistola Ioann. III. pp.

Ego sum — cognoscunt me meae, Ioann. X. 14.

Et iterum monente — non amare pastorem, Leon. M. ep. 16. i. pr. (1, 716.)

[1] *Add. ex cod. Par.* 3852. [2] *Cod.* quohortamur.

dominicum gregem convincitur summum non amare pastorem nec eius se velle discipulum fieri, cuius exempla neglegit imitari, nam gratia prorsus maior adquiretur, si de commissis ovibus lucrum offerat deo sollicitudo pastoris. Nam et beatum Iacob qui pro uxoribus diu servierat, dixisse meminimus: Viginti annis fui tecum. Oves tue et caprae steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam, et quicquid furto perierat a me exigebas, die noctuque estu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat et vigilat qui pascit oves Laban, quanto labori quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oves dei! Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ovibus animam et adiuvet nos ut de his qui nobis commissi sunt, fructum multiplicem ac mensuram supereffluentem ad eterna gaudia reportare concedat, tantusque vos beati Petri apostolorum principis amor accendat, ut in ovili ipsius cui omnes creature sunt tradite, omnes taliter errantes et inlicita atque prohibita praesumentes sanctis vestris studiis summo reintegrare cum desiderio festinetis, qualiter anime praetioso Christi sanguine redemte eorum non pereant deceptione.

Restat enim quod per hostium hi nequaquam subintrarunt, quia non habebant ostium per quod ingrederentur, quia ut dictum est: Si nec episcopi sunt et plus quam presbiteri ambiunt, per quod ostium intrabunt? cum hi tantum duo ordines in ecclesia leguntur, nec amplius ad pastorale officium aliquod patet ostium per quod pastor intret. Audite, fratres, non me sed ipsam veritatem dicentem: Qui non intrat per hostium in ovile omnium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, et reliqua. Cum etiam egregius praedicator dicat: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere preter id quod positum est. Cum praedicta duo fundamenta in ecclesia tantum inveniantur posita, quicquid amplius positum in his invenitur, stare nullatenus poterit: et ideo cum omnibus suis fundamentis et actionibus atque radicibus, ut evellatur necesse est, ita ut amplius pullulare nec germinare valeant. Non ergo generet, et non faciet vobis, fratres, toties repetita locutio fastidium, quia summa necessitas est, sepius prohiberi quod toties a vobis ut cognovimus inlicite usurpatur et quoniam veritas saepius exagitata magis splendescit in lucem, et quod toties repetendo admonetur minus usurpatur. Super his enim multa iam ab antecessoribus nostris dicta sunt, a quibus ipsi sicut nunc a nobis, ita olim ab eis damnati et prohibiti sunt. Ideo sepius repetentes omnes monemus ut vitentur huiusmodi et a talibus se abstineant, qui noluerint una cum eis a sacerdotali ministerio, ut rebelles fieri alieni, quod ita demum probare poterimus, si tales extirpare et non eis favere decertaveritis, et ita in postmodum de tali re querela cessabit, quia contumeliae studio fit, quicquid interdictum toties usurpatur. Omnia haec decretalia et cunctorum decessorum nostrorum constituta, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vobis et omnibus episcopis ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari, quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret, et merito nos qui summa ecclesiae tenere debemus gubernacula causa respicit, si silentio faveamus errori. Data Kal. Iun. Libio et Teudosio vv. cc. consulibus.

nam gratia prorsus maior — sollicitudo pastoris, Greg. M. ep. 43. i. f. lib. X. (2, 1074.)

Nam et beatum — suis dedit ovibus animam, eiusd. ep. 49. lib. IX. (2, 963.)

tantusque vos beati — cum desiderio festinetis, eiusd. ep. 93. lib. IX. (2, 998).

Qui non intrat — et latro, Ioann. X. 1.

Cum etiam egregius — quod positum est, Greg. ep. 49 cit. (2, 962.)

et ideo cum — nec germinare valeant, Leon. M. ep. 4. c. 2. (1, 615.)

quoniam veritas — in lucem, Innoc. I. ep. ad Ruf. et Geront. (H. no. 12.)

quia contumeliae — toties usurpatur, Zosimi ep. ad Hesych. c. 2. (H. no. 28.)

Omnia haec decretalia — sibi deinceps noverit denegari, Leon. M. ep. 4. ç. 5. (1, 616.)

quoniam occurreret — silentio faveamus errori, Coel. I. ep. ad Venerium, c. 1. (H. no. 33.) Cf. Sixt. II. pp. 8, Iul. 9, 19, Fel. II. pp. 10, Pelag. II. pp. ep. 1.

Nota cons. conficta a Ps.-Is.

ITEM DE SACERDOTIBUS QUI DE ECCLESIIS SUIS AD ALIAS MIGRANT ECCLESIAS. XX.

Eos autem sacerdotes qui de ecclesiis suis ad alias migraverunt, tandiu a communione nostra habemus alienos, quandiu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti, quoniam si alius alio transmigrante in locum viventis ordinatus est, tandiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit civitatem, quandiu successor eius quiescat in domino.

INCIPIT EPISTOLA DAMASI URBIS ROMAE PONTIFICIS. XXI.[1]

Quoniam apostolicae sedis reverentiam debitam erga me caritas vestra distribuit, quia plurimum, karissimi filii, praestitistis (nam licet ecclesiae in qua sanctus apostolus residens docuit quodam modo nos gubernacula teneamus, tamen profitemur nos honore minores esse et propterea omni modo festinamus ut ad gloriam eius beatitudinis pervenire possimus), scitote igitur quia dudum Timotheum profanum, ineruditum, Apollinaris heretici discipulum, cum impio eius dogmate condempnavimus, nec ultra concedimus eius reliquias qualibet ratione praevalere. Si autem adhuc ille serpens antiquus semel et secundo percussus ad poenam propriam revivescit quique extraneus ab ecclesia mortiferis venenis suis quosdam fidelium temptare non cessat, hanc tamquam pestiferam declinate corruptionem: quatenus memores apostolice fidei quae praecipue in urbe Nicena a patribus ex scripto prolata est, firmo gradu stabiles in fide et inmutabiles perduretis et non vaniloquia et interminabiles questiones ab isto audire patiamini clericos vestros ac plebem. Iam enim semel formam dedimus, ut qui semetipsum cognoscerit christianum, illud servet quod ab apostolis noscitur esse contraditum dicente sancto Paulo: Si quis vobis adnuntiaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. Christus enim filius dei dominus noster, humano generi per propriam passionem salutem plenissimam condonavit, ut totum hominem delictis obnoxium peccatis omnibus liberaret. Hunc si quis in deitate sive in humanitate minus aliquid dixerit habuisse, plenus spiritu diaboli gehennae semetipsum filium demonstravit. Cur itaque rursus a me queritis damnationem Timothei, qui et hic iudicio apostolice sedis praesenti quoque Petro Alexandrine civitatis episcopo cum Apollinari suo doctore damnatus est et in die iudicii tormenta debitaque supplicia sustinebit. Si vero quibusdam levioribus ille suadet, veluti quandam spem[2] qui veram spem in Christi confessionem mutavit, sciant se cum isti similiter perituros cum quo ecclesiastice regulae resultabant. Deus vos incolumes custodiat, filii karissimi.

[3]S e d e t i a m a l i a q u e d a m i n e m i n e n t i s s i m a R o m a c o l l i g e n t e s q u a e c o n t r a d i v e r s a s h e r e s e s c o n s c r i p t a s u n t s u b i u n x i m u s:

PROFESSIO CATHOLICAE FIDEI QUAM PAPA DAMASUS DESTINAVIT AD PAULINUM ANTIOCENUM EPISCOPUM.

Post Nicenum concilium aliud in urbe Romana postea congregatum est a catholicis episcopis, qui addiderunt de spiritu sancto et quia postea talis error exosus est ut quidam dicere profano ore praesumant sanctum spiritum per filium fuisse factum, ideo anathematizamus eos qui non cum omni praedicant libertate cum patre et filio spiritum sanctum unius eiusque substantiae atque potestatis existere.

II. Similiter autem anathematizamus et eos qui errorem Sabellii sunt secuti eundem dicentes patrem esse quem filium.

Item de sacerdotibus etc. Eos autem — quiescat in domino, c. 3. ep. Damas. ad Paulin. (H. no. 2.)

[1] *Ps.-Isid. desumsit epistolam ex Cass. hist. trip. IX.* 15. [2] *Apud Cass. l. c. additur:* habentes.
[3] *Cf. Cass. l. c. c.* 16.

III. Anathematizamus Arrium et Eunomium qui simili impietate, licet verbis discrepent, filium tamen et sanctum spiritum creaturam esse confirmant.

IV. Anathematizamus Macedonianos qui ex Arriana radice derivati non impietatem sed vocabulum mutaverunt.

V. Anathematizamus Fotinum qui Ebionis heresem renovans dominum nostrum Hiesum Christum solum ex Maria confitetur.

VI. Anathematizamus etiam eos qui duos filios esse profitentur, unum ante saecula et alium post carnis adsumpcionem ex virgine.

VII. Anathematizamus et eos qui pro rationali anima confirmant, quia dei verbum in humanam carnem conversum est, ipse namque filius verbum dei non pro rationali anima et intelligibili in suo corpore factus est, sed nostram, hoc est rationalem et intelligibilem animam sine peccato assumsit atque salvabit.

VIII. Anathematizamus et eos, qui dicunt verbum dei productione et corruptione a patre separatum et sine substantia eum terminandum esse plasphemant.

IX. Eos autem qui ab ecclesiis ad alias ecclesias migraverunt tam diu a[1] nostra communione alienos habemus, donec ad eas redeant civitates, in quibus primitus ordinati sunt.

X. Si quis autem alio de loco ad locum migrante in loco viventis[2] ordinatus est, tam diu vacet sacerdotio qui propriam deseruit civitatem, donec successor eius requiescat in pace.

XI. Si quis non dixerit, semper patrem et filium et semper spiritum sanctum esse, anathema sit.

XII. Si quis non dixerit, filium natum de patre, hoc est eius divina substantia, anathema sit.

XIII. Si quis non dixerit, verum deum filium dei sicut verum deum patrem eius et omnia posse et omnia nosse et patri equalem esse, anathema sit.

XIV. Si quis dixerit, quia in carne degens filius dei cum esset in terra, in caelo et cum patre non fuit, anathema sit.

XV. Si quis dixerit quia in passionem crucis dolorem passus est filius dei, deus et non caro cum anima, quam induta est formam servi, quam sibimet assumpsit, sicut scriptura dixit, anathema sit.

XVI. Si quis non dixerit, quia in carne quam assumpsit, sedet ad dexteram patris in qua etiam venturus est iudicare vivos et mortuos, anathema sit.

XVII. Si quis non dixerit, spiritum sanctum ex patre esse[3] vere et propriae, sicut et filium ex divina substantia et domini dei verbum, anathema sit.

XVIII. Si quis non dixerit, omnia posse spiritum sanctum et omnia nosse et ubique adesse, sicut et filium et patrem, anathema sit.

XIX. Si quis dixerit, spiritum sanctum facturam aut per filium factum, anathema sit.

XX. Si quis non dixerit, omnia per ipsum filium et spiritum sanctum fecisse patrem, hoc est visibilia et invisibilia, anathema sit.

XXI. Si quis non dixerit patris et filii et spiritus sancti unam deitatem, potestatem, divinitatem, virtutem, unam gloriam, dominationem, imperium, unam voluntatem et veritatem, anathema sit.

XXII. Si quis tres personas non dixerit veras patris et filii ac spiritus sancti aequales semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnipotentes, omnia iudicantes, omnia vivificantes, omnia creantes omniaque salvantes, anathema sit.

XXIII. Si quis non dixerit adorandum spiritum sanctum ab universa creatura sicut et filium et patrem, anathema sit.

1 *Sic apud Cass. l. c.; cod.* tam divina. 2 *Sic in Cass. l. c.; cod.* vivendis. 3 *Sic restitui sec. Cass. l. c.; cod.* iudicare vivos. XVII. Si quis non dixerit spiritum sanctum ex patre et mortuos, anathema sit, tre esse vere etc.

XXIV. Si quis de patre et filio bene sapuerit, de spiritu autem sancto non recte crediderit, hereticus est, quia omnes eretici de filio et de sancto spiritu male sapientes in iudeorum atque gentilium incredulitate consistere convincuntur.

XXV. Si quis autem diviserit patrem dicens et deum filium et deum spiritum sanctum, adfirmans deos dici et non deum propter unam deitatem ac potestatem quam esse credimus et novimus patris et filii et spiritus sancti, deum unum, subtrahens vero filium et spiritum sanctum, tamquam solum opinatus patrem deum, anathema sit.

XXVI. Nomen enim deorum et angelis et omnibus sanctis a deo positum est atque donatum. De patre vero et filio et spiritu sancto propter unam aequalemque divinitatem non deorum nomina sed dei nomen traditur atque significatur, ut credamus, quia in patre et filio et spiritu sancto solummodo baptizamur et non in archangelorum et angelorum nominibus, sicut heretici aut sicut iudaei gentilesque vesaniunt. Haec igitur christianorum salus est, ut credentes trinitati, hoc est patri et filio et spiritui sancto, in ea baptizati, unam deitatem et potestatem et divinitatem et substantiam in eo esse credamus.

Haec itaque Gratiano vivente sunt facta.

ITEM INCIPIT EPISTOLA DAMASI ROMANE ECCLESIE EPISCOPI QUI POST LIBERIUM PONTIFICATUS[1] IURA SUSCEPIT MULTIS SCILICET VIRTUTUM ORNATUS INSIGNIBUS. IS ENIM HIS IN EPISTOLIS HABUIT NONAGINTA CONSORTES EPISCOPOS QUI EX ITALIIS ATQUE GALLIIS IN ROMANAM CONVENERUNT URBEM QUORUM NOMIMA PROPTER MULTITUDINEM NON SUNT INSERTA.[2]

Damasus et ceteri episcopi Roma congregati dilectissimis fratribus in Ilirico constitutis episcopis in domino salutem.

Credimus sanctam fidem vestram in apostolorum eruditione fundatam hanc tenere et hanc populis universis exponere, quae videlicet a constitutis patrum nulla ratione dissentit, per quos iustum est ceteros erudiri. Sed relatione[3] Gallicanorum et venerandorum fratrum quosdam heresibus favere cognovimus. Quod malum non solum cavere debent episcopi, sed etiam reluctari contra ea que gesta sunt imperitia aut simplicitate quorundam pravis interpretationibus deceptorum. Variis ergo doctrinis non decet labefactari, sed magis patrum nostrorum laborare sententiam. Auxentium igitur Mediolanum praecipue in hac causa dampnatum esse liquet. Unde iustum est universo Romanorum orbe doctores legis ea quae legis sunt sapere et non fidem doctrinis variis maculare. Itaque dum primum hereticorum coepisset nequitia pullulare, sicut etiam nunc blasphemia nefandorum patet Arrianorum, tunc patres nostri trecenti decem et octo electi habito tractatu in urbe Nicena hunc murum fortissimum contra arma diabolica statuerunt et hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, ut pater et filius unius divinitatis, substantiae uniusque magnitudinis debeat credi, uniusque essentiae simul et spiritus sanctus. Aliter vero sapientes alienos esse a nostra communione iudicaverunt. Quem terminum salutarem adorabilemque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus atque temerari voluerunt, sed in ipso principio ab his ipsis qui in Arimino revocare aut retractare compellebantur, usque ad hoc causa correpta est ut confiterentur alia sibi circumventione subreptum aut certe quia non intellexerunt patrum sententiae in Nicena constitutae hoc esse contrarium, neque enim preiudi-

Item epistola Damasi etc. inscriptio a Ps.-Isid. conficta.

Damasus et ceteri — karissimi, epist. Dam. apud Cass. hist. trip. V. 29. prolata.

[1] *Sic corr.* pontifatus *sec. Par.* 3852. [2] *Numerus epistolae non apponitur.* [3] *Sic corr.* relatio *sec. Cassiod.*

tium aliquod fieri potuit, per numerum Arimino congregatum, quando constat neque Romanum episcopum cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus prebuisse consensum, maxime dum, sicuti prediximus, isti ipsi qui per conventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliori consilio haec sibi displicere testati sunt. Perspicit itaque vestra salubritas hanc solam fidem que Nicea apostolorum auctoritate fundata est esse perpetua firmitate servandam et simul Orientales hoc facere nobiscum qui se catholicos esse cognoscunt, Occidentales etiam gloriari. Credimus autem languentes in isto conamine non tarde a nostra separandos esse communione et ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore respirent. Nullo enim modo a deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet etiam cum omnibus dei sacerdotibus etiam caritatis vestrae sententia in qua vos fixos ac firmos existere iudicavimus. Si ergo etiam vobiscum recte credere debemus, vestrae nos caritatis litteris letificate reciprocis. Valete, fratres karissimi. Data XVII. Kal. Novembr. Siricio et Ardabure vv. cc. consulibus.

EIUSDEM DAMASI AD EPISCOPOS PER ITALIAM CONSTITUTOS.

Universis episcopis per Italiae provincias constitutis Damasus episcopus in domino salutem.

Optaveram, dilectissimi, pro nostri caritate collegii omnes domini sacerdotes, sicut in primitiva fuit ecclesia, unum esse cor et animam unam atque in una devotione persistere nec quemquam sacerdotum gratia aut formidine secularium depravari aut a via veritatis quoquo modo abscedere. Sed quia multa, que corrigi possunt, proveniunt, et superat culpas delinquentium misericordia dei, atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio. Relatum est enim ad sedem apostolicam vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore. Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri apostolica auctoritate prohibemus et quod nuper factum est absque ulla retardatione corrigere rogamus, nec umquam prius per scripta eorum qui accusantur causam discutere, nisi per quaerellantium institutiones vocati canonicae ad synodum veniant et praesens per praesentem agnoscat veraciter et intellegat quae ei obiciuntur. Quod bene et per sapientiam Salomonis dicitur: Antequam scruteris ne reprehendas, intellige prius et tunc increpa, antequam audieris non respondeas. Et licet aptissima sit contrariorum reprehensio, verumtamen oportet his qui clari sunt ad eorum examinationem ordinem servari ab his qui secundum deum scrutari deputati sunt, quatenus ita cum oratione cooperante inveniamus et confessorem deum qui dicit: Ubi duo sunt vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam et dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat: sed quoniam[1] non est presentialiter accusatus, ideo non est eiectus. Nec vos ullo modo agere oportet, quod ille noluit facere, leges enim saeculi accusatores praesentes exigunt, et non per scripta absentes. Unde canonica patrum constituta non semel, sed saepissime clamant nec accusationes nec testimonia ulla per scripta posse proferre, nec de

Nota cons. a Pseudo-Isid. conficta.
Eiusdem Damasi ad episc. per Italiam.
Optaveram dilectissimi — locum habere correctio, Leon. ep. 93. init. (1, 1067.) Cf. Praef. 6, Ioann. III. pp.
unum cor et animam suam, Act. Ap. IV. 32.
atque ideo etc. Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.
vos accusationes — legitimo accusatore, Ben. I. 398. II. 381. (c. 11 tit. conc. VI. Tolet.) Cf. infra et Eleuth. 3.
nec umquam prius — ibi sum in medio eorum sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi, 10, 890.)
Nam et dominus — ideo non est eiectus, Ben. I. 398. II. 381. (tit. c. 11. conc. VI. Tolet. et comm. ad Cor. I. 2. Ambrosio adscript. Tom. II. app. 127.) Cf. Eleuth. 3.
leges enim — esse noscuntur sec. Ben. II. 147. 345. aut l. Visig. II. 4. 5. Cf. Calist. 17.

[1] sed quoniam *add. ex cod. Par.* 3852.

XXIV. Si quis de patre et filio bene sapuerit, de spiritu autem sancto non recte crediderit, hereticus est, quia omnes eretici de filio et de sancto spiritu male sapientes in iudeorum atque gentilium incredulitate consistere convincuntur.

XXV. Si quis autem diviserit patrem dicens et deum filium et deum spiritum sanctum, adfirmans deos dici et non deum propter unam deitatem ac potestatem quam esse credimus et novimus patris et filii et spiritus sancti, deum unum, subtrahens vero filium et spiritum sanctum, tamquam solum opinatus patrem deum, anathema sit.

XXVI. Nomen enim deorum et angelis et omnibus sanctis a deo positum est atque donatum. De patre vero et filio et spiritu sancto propter unam aequalemque divinitatem non deorum nomina sed dei nomen traditur atque significatur, ut credamus, quia in patre et filio et spiritu sancto solummodo baptizamur et non in archangelorum et angelorum nominibus, sicut heretici aut sicut iudaei gentilesque vesaniunt. Haec igitur christianorum salus est, ut credentes trinitati, hoc est patri et filio et spiritui sancto, in ea baptizati, unam deitatem et potestatem et divinitatem et substantiam in eo esse credamus.

Haec itaque Gratiano vivente sunt facta.

ITEM INCIPIT EPISTOLA DAMASI ROMANE ECCLESIE EPISCOPI QUI POST LIBERIUM PONTIFICATUS[1] IURA SUSCEPIT MULTIS SCILICET VIRTUTUM ORNATUS INSIGNIBUS. IS ENIM HIS IN EPISTOLIS HABUIT NONAGINTA CONSORTES EPISCOPOS QUI EX ITALIIS ATQUE GALLIIS IN ROMANAM CONVENERUNT URBEM QUORUM NOMIMA PROPTER MULTITUDINEM NON SUNT INSERTA.[2]

Damasus et ceteri episcopi Roma congregati dilectissimis fratribus in Ilirico constitutis episcopis in domino salutem.

Credimus sanctam fidem vestram in apostolorum eruditione fundatam hanc tenere et hanc populis universis exponere, quae videlicet a constitutis patrum nulla ratione dissentit, per quos iustum est ceteros erudiri. Sed relatione[3] Gallicanorum et venerandorum fratrum quosdam heresibus favere cognovimus. Quod malum non solum cavere debent episcopi, sed etiam reluctari contra ea que gesta sunt imperitia aut simplicitate quorundam pravis interpretationibus deceptorum. Variis ergo doctrinis non decet labefactari, sed magis patrum nostrorum laborare sententiam. Auxentium igitur Mediolanum praecipue in hac causa dampnatum esse liquet. Unde iustum est universo Romanorum orbe doctores legis ea quae legis sunt sapere et non fidem doctrinis variis maculare. Itaque dum primum hereticorum coepisset nequitia pullulare, sicut etiam nunc blasphemia nefandorum patet Arrianorum, tunc patres nostri trecenti decem et octo electi habito tractatu in urbe Nicena hunc murum fortissimum contra arma diabolica statuerunt et hoc remedio venena mortifera sunt depulsa, ut pater et filius unius divinitatis, substantiae uniusque magnitudinis debeat credi, uniusque essentiae simul et spiritus sanctus. Aliter vero sapientes alienos esse a nostra communione iudicaverunt. Quem terminum salutarem adorabilemque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus atque temerari voluerunt, sed in ipso principio ab his ipsis qui in Arimino revocare aut retractare compellebantur, usque ad hoc causa correpta est ut confiterentur alia sibi circumventione subreptum aut certe quia non intellexerunt patrum sententiae in Nicena constitutae hoc esse contrarium, neque enim preiudi-

Item epistola Damasi etc. inscriptio a Ps.-Isid. conficta.

Damasus et ceteri — karissimi, epist. Dam. apud Cass. hist. trip. V. 29. prolata.

[1] *Sic corr.* pontifatus *sec. Par.* 3852. [2] *Numerus epistolae non apponitur.* [3] *Sic corr.* relatio *sec. Cassiod.*

tium aliquod fieri potuit, per numerum Arimino congregatum, quando constat neque Romanum episcopum cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, neque alios talibus prebuisse consensum, maxime dum, sicuti prediximus, isti ipsi qui per conventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliori consilio haec sibi displicere testati sunt. Perspicit itaque vestra salubritas hanc solam fidem que Nicea apostolorum auctoritate fundata est esse perpetua firmitate servandam et simul Orientales hoc facere nobiscum qui se catholicos esse cognoscunt, Occidentales etiam gloriari. Credimus autem languentes in isto conamine non tarde a nostra separandos esse communione et ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum liberati errore respirent. Nullo enim modo a deceptione poterunt corrigere populum, qui deceptionis laqueo detinentur. Concordet etiam cum omnibus dei sacerdotibus etiam caritatis vestrae sententia in qua vos fixos ac firmos existere iudicavimus. Si ergo etiam vobiscum recte credere debemus, vestrae nos caritatis litteris letificate reciprocis. Valete, fratres karissimi. Data XVII. Kal. Novembr. Siricio et Ardabure vv. cc. consulibus.

EIUSDEM DAMASI AD EPISCOPOS PER ITALIAM CONSTITUTOS.

Universis episcopis per Italiae provincias constitutis DAMASUS episcopus in domino salutem.

Optaveram, dilectissimi, pro nostri caritate collegii omnes domini sacerdotes, sicut in primitiva fuit ecclesia, unum esse cor et animam unam atque in una devotione persistere nec quemquam sacerdotum gratia aut formidine secularium depravari aut a via veritatis quoquo modo abscedere. Sed quia multa, que corrigi possunt, proveniunt, et superat culpas delinquentium misericordia dei, atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio. Relatum est enim ad sedem apostolicam vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore. Quod deinceps in omni orbe terrarum fieri apostolica auctoritate prohibemus et quod nuper factum est absque ulla retardatione corrigere rogamus, nec umquam prius per scripta eorum qui accusantur causam discutere, nisi per quaerellantium institutiones vocati canonicae ad synodum veniant et praesens per praesentem agnoscat veraciter et intellegat quae ei obiciuntur. Quod bene et per sapientiam Salomonis dicitur: Antequam scruteris ne reprehendas, intellige prius et tunc increpa, antequam audieris non respondeas. Et licet aptissima sit contrariorum reprehensio, verumtamen oportet his qui clari sunt ad eorum examinationem ordinem servari ab his qui secundum deum scrutari deputati sunt, quatenus ita cum oratione cooperante inveniamus et confessorem deum qui dicit: Ubi duo sunt vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam et dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat: sed quoniam[1] non est presentialiter accusatus, ideo non est eiectus. Nec vos ullo modo agere oportet, quod ille noluit facere, leges enim saeculi accusatores praesentes exigunt, et non per scripta absentes. Unde canonica patrum constituta non semel, sed saepissime clamant nec accusationes nec testimonia ulla per scripta posse proferre, nec de

Nota cons. a Pseudo-Isid. conficta.
Eiusdem Damasi ad episc. per Italiam.
Optaveram dilectissimi — locum habere correctio, Leon. ep. 93. init. (1, 1067.) Cf. Praef. 6, Ioann. III. pp.
unum cor et animam suam, Act. Ap. IV. 32.
atque ideo etc. Cf. Pelag. II. pp. ep. 1.
vos accusationes — legitimo accusatore, Ben. I. 398. II. 381. (c. 11 tit. conc. VI. Tolet.) Cf. infra et Eleuth. 3.
nec umquam prius — ibi sum in medio eorum sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi, 10, 890.)
Nam et dominus — ideo non est eiectus, Ben. I. 398. II. 381. (tit. c. 11. conc. VI. Tolet. et comm. ad Cor. I. 2. Ambrosio adscript. Tom. II. app. 127.) Cf. Eleuth. 3.
leges enim — esse noscuntur sec. Ben. II. 147. 345. aut l. Visig. II. 4. 5. Cf. Calist. 17.

[1] sed quoniam *add. ex cod. Par.* 3852.

aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his quae sub praesentia eorum esse noscuntur. Similiter et qui accusare alium elegerit, praesens per se et non per alium accuset, inscriptione videlicet praemissa, neque ullus umquam iudicetur, antequam legitimos accusatores presentes habeat locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum quoque est ne ira quemquam subripiat faciatque citius omne quod non licet. Omnipotens deus haec vos et cuncta divina mandata et apostolica precepta custodientes in cunctis actibus vestris coelestis brachii extensione protegat, atque ad celestis remunerationem patriae cum multiplici animarum fructu perducat. Amen. Data III. Id. April. Siricio et Ardabure vv. cc. consulibus. Explicit.

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS SYRICII PAPE AD EUMERIUM TARRACONENSEM EPISCOPUM. XVI.[1]

I. De Arianis catholicis non baptizandis.
II. Ut praeter pascha et pentecosten non celebretur baptismus.
III. De apostatis ab ecclesia separandis.
IV. Quod non liceat alterius sponsam in matrimonii iura sortiri.
V. De his qui acceptam poenitentiam minime servaverint.
VI. De monachis et virginibus propositum non servantibus.
VII. De ministris incontinentibus.
VIII. Quales debeant ad clericatus officium pervenire.
IX. De clericorum conversatione[2].
X. De his qui grandaevi in sacram militiam convertuntur.
XI. De clericis qui ad secundas nuptias transeunt ut deponantur.
XII. De feminis quae cum clericis debeant habitare.
XIII. De monachorum promotione ad clerum.
XIV. De clericis ut poenitentiam per impositionem manus sacerdotum accipiant.
XV. De poenitentibus vel digamis seu viduae maritis, ut non permittantur ad clericatus ordinem admitti.

Siricius Himerio[3] Tarraconensi episcopo salutem.

Directam ad decessorem nostrum sanctae recordationis Damasum fraternitatis tuae relationem me iam in sede ipsius constituto quia sic dominus ordinavit, inveni. Quam quum in conventu fratrum sollicitius legeremus, tanta invenimus quae reprehensione et correctione sint digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse nos erat in eius labores curasque succedere cui per dei gratiam successimus in honorem, facto ut oportebat primitus meae provectionis prius indicio, ad singula prout dominus aspirare dignatus est, consultationi tuae responsum competens non negamus, quia pro officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non tacere est libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui gravantur, quin immo haec portat in nobis beatus Petrus apostolus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae proteget et tuetur haeredes.

I. Prima itaque paginae tuae fronte signasti baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo velle baptizare: quod non licet, quum hoc fieri et apostolus vetet et canones contradicant et post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a venerandae memoriae praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant: quod nos cum Novatianis aliisque haereticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solum septiformis spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus: quod etiam totus Oriens Occidensque custodit, a quo tramite vos quoque post haec minime convenit deviari, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.

II. Sequitur deinde de baptizandorum tempore, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis et emendanda confusio, quae a nostris consacerdotibus, quod commoti dicimus, non ratione auctoritatis alicuius sed sola temeritate praesumitur, ut passim ac libere natalitiis Christi seu apparitionis necnon et apostolorum seu martyrum festivitatibus innumerae ut adseris plebes baptismi mysterium consequantur, quum hoc sibi privilegium apud nos et apud omnes ecclesias dominicum specialiter cum pen-

neque ullus umquam—crimina, Ben. I. 392. II. 381. III. 184. aut c. 19 Angilr. (Act. Apost. XXV. 16.) Cf. Steph. 8, Marcelli 9, Iul. 17, Dam. 19. *Curandum quoque — omne quod non licet*, Greg. M. ep. IX. 122. (2, 1030). *Omnipotens deus — fructu perducat*, eiusd. ep. IX. 121 (2, 1028) et 120 (2, 1026). Cf. Clem. 55, Bonif. II. exempl. prec. *Not. cons.* a Ps.-Is. conficta.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. epist. I. Siric. ed. cit. coll. Hisp.* (*no.* 3. *p.* 3.) [2] *Rubrica in ed. Merl. omissa in cod. cit. ceterisque A*1 *et in coll. Hisp. exhibetur.* [3] *Sic cod. cit. pro* Eumerio *quod est in Hisp.*

tecoste sua pascha defendat. Quibus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit sacramenta, his dumtaxat electis qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint et exorcismis quotidianisque orationibus atque ieiuniis fuerint expiati, quatenus apostolica impleatur illa praeceptio, ut expurgato fermento veteri nova incipiat esse conspersio. Sicut ergo paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus qui necdum loqui potuerint per aetatem vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit, sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de seculo, et regnum perdat et vitam. Quicumque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum vel cuiuslibet corporalis aegritudinis desperationem inciderint et sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri, eodem quo poscunt momento temporis expetitae regenerationis praemia consequantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolicae petrae soliditate divelli, super quam Christus universalem construxit ecclesiam.

III. Adiectum est etiam quosdam christianos ad apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos a Christi corpore et sanguine quo dudum redempti fuerant renascendo iubemus abscidi. Et si resipiscentes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his quamdiu vivunt agenda poenitentia est et in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda, quia docente domino nolumus mortem peccatorum, sed ut convertatur et vivat.

IV. De coniugali autem velatione requisiti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere: hoc ne fiat omnibus modis inhibemus, quia illa benedictio quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

V. De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt, de quibus quia iam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacris mysteriorum celebritatibus, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti et ipsi in se sua errata castigent et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscaenis cupiditatibus extrahantur. Quos tamen quoniam carnali fragilitate ceciderunt viatico munere, quum ad dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.

VI. Praeterea monachorum quosdam atque monacharum abiecto proposito sanctitatis in tantam protestaris demersos esse lasciviam, ut prius clanculo velut sub monasteriorum praetextu illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea vero in abruptum conscientiae desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procreaverint, quod et publicae leges et ecclesiastica iura condemnant. Has igitur impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusae in suis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes purificatorio possint poenitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem solius saltem misericordiae intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

VII. Veniamus nunc ad sacratissimos ordines clericorum quos in venerandae religionis iniuriam ita per vestras provincias calcatos atque confusos caritate tua insinuante reperimus, ut Ieremiae nobis voce dicendum sit: Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum et flebo populum hunc die ac nocte? Si ergo beatus propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrimas posse sufficere, quanto nos possumus dolore percelli, quum eorum qui in nostro sunt corpore compellimur facinora deplorare, quibus praecipue secundum beatum Paulum instantia quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum indesinenter incumbit? Quis enim infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror? Plurimos enim sacerdotes Christi atque levitas post longa consecrationis suae tempora tam de coniugiis propriis quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse et crimen suum hac praescriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur adtributa. Dicat mihi nunc quisquis ille est sectator libidinum praeceptorque vitiorum, si aestimat quod in lege Moysis passim sacris ordinibus a deo laxata sint frena luxuriae, cur eos quibus committebantur sancta sanctorum praemonet dicens: Sancti estote, quia et ego sanctus sum dominus deus vester? Cur etiam procul a suis domibus anno vicis suae in templo habitare iussi sunt sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possint carnale exercere commercium, ut conscientiae integritate fulgentes acceptabile deo munus offerrent. Quibus expleto deservitionis suae tempore uxoris usus solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia nisi ex tribu Levi quis-

quam ad dei ministerium fuerat praeceptus admitti. Unde et dominus Iesus quum nos suo illustrasset adventu, in evangelio protestatur, quia legem venerit implere, non solvere. Et ideo ecclesiae cuius sponsus est formam castitatis voluit splendore radiare, ut in die iudicii, quum rursus advenerit, sine macula et ruga eam possit, sicut per apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia deo nostro in his quae quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. Qui autem in carne sunt, dicente electionis vase, deo placere non possunt, vos autem iam non estis in carne sed in spiritu, si tamen spiritus dei habitat in vobis. Et ubi poterit, nisi in corporibus, sicut legimus, sanctis sanctus dei spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento in hoc quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent, si tamen post haec continentes se studuerint exhibere. Hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi adserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicae sedis auctoritate deiectos nec umquam posse veneranda adtrectare mysteria, a quibus se ipsi dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla praesentia cavere nos praemonent in futurum, si quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiae aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est excidantur vulnera quae fomentorum non senserint medicinam.

VIII. Didicimus etiam licenter ac libere inexploratae vitae homines, quibus etiam fuerint numerosa coniugia, ad praefatas dignitates, prout cuique libuerit, adspirare. Quod non tantum illis qui ad haec inmoderata ambitione perveniunt, quantum metropolitanis specialiter pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus connivent, dei nostri quantum in se est praecepta contemnunt. Et ut taceamus quod altius suspicamur, ubi illud est quod deus noster data per Moysen lege constituit, dicens: Sacerdotes mei semel nubant; et alio loco: Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem. Quod sequutus apostolus ex persequutore praedicator, unius uxoris virum, tam sacerdotem quam diaconum fieri debere mandavit. Quae omnia ita vestrarum regionum despiciunt episcopi, quasi in contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de huiusmodi usurpationibus negligendum, ne nos indignantis domini vox iusta corripiat, quae dicit: Videbas furem et currebas cum eo, et ponebas tuam cum adulteris portionem, quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.

IX. Quicumque itaque se ecclesiae vovit obsequiis, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet ministerio sociari, quia ab accessu adolescentiae usque ad tricesimum aetatis suae annum, si probabiliter vixerit, una tantum et ea quam virginem communi per sacerdotem benedictione percepit uxore contentus, acolythus vel subdiaconus esse debebit: postque ad diaconii gradum, si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probaverit, accedat: ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministraverit, congrue presbyterium consequetur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per haec tempora integritas vitae ac fidei eius fuerit adprobata.

X. Qui vero iam aetate grandaevus melioris propositi conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere et hanc virginem accepisse constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit expleto biennio per quinquennium aliud acolythus vel subdiaconus fiat, et sic ad diaconii, si per haec tempora dignus iudicatus fuerit, promoveatur officium: et exinde iam accessu temporum presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis evocarit electio, non immerito sortietur.

XI. Quisquis sane clericus aut viduam aut certe secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantum sibi communione concessa, quam ita demum poterit possidere, si nihil postea propter quod hanc perdat, tale quicquam admittat.

XII. Feminas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem synodus Nicaena permisit.

XIII. Monachos quoque quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis adgregari et optamus et volumus, ita ut qui intra tricesimum annum aetatis sunt digni in minoribus per gradus singulos crescentes promoveantur ordinibus, et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia maturae aetatis consecratione perveniant, nec saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem quae singulis dignitatibus superius praefiximus, tempora fuerint custodita.

XIV. Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuique non conceditur clericorum, ita et post poenitudinem ac reconciliationem nulli umquam laico liceat honorem clericatus adipisci,

quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere qui dudum fuerunt vasa vitiorum.

XV. Et quia his omnibus quae in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim solius pietatis intuitu necesse est clementer ignoscere, quicumque poenitens, quicumque digamus, quicumque viduae maritus ad sacram militiam indebite et incompetenter irrepsit, hac sibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, ut id magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc, de quo invenitur ordine, perpetua stabilitate permaneat. Scituri posthac provinciarum omnium summi sacerdotes, quod si ultra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint adsumendum et de suo et de eorum statu quos contra canones et interdicta nostra provexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam.

Explicuimus, ut arbitror, frater carissime, universa quae digesta sunt in querelam et ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum ad Romanam ecclesiam utpote ad caput tui corporis retulisti sufficientia, quantum opinor, responsa reddidimus. Nunc fraternitatis tuae animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut haec quae ad tua consulta rescripsimus, in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, et non solum eorum qui in tua sunt dioecesi constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses atque Baeticos Lusitanos atque Gallecos vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, ut haec quae a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum profectione mittantur. Et quamquam statuta sedis apostolicae vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum domini ignorare sit liberum, utilius tamen et pro antiquitate sacerdotii tui dilectioni tuae admodum poterit esse gloriosum, si ea quae ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuae sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus et quae a nobis non inconsulte, sed provide sub nimia cautela et deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant et omnibus in posterum excusationibus aditus, qui iam nulli apud nos patere poterit, obstruatur. Data III. Id. Febr. Arcadio et Bautone consulibus.

Item eiusdem per diversos episcopos missa adversus Iovinianum hereticum eiusque socios ab haec ecclesiae unitate removendos[1].

Optarem semper, fratres carissimi, dilectionis et pacis vestrae sinceritati gaudia nuntiare, ita ut vicissim discurrentibus litteris sospitatis indicio iuvaretur. At vero quia non patitur quietos nos ab incursatione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, aemulus hominis, quem ut deciperet se ante decepit, pudicitiae adversarius, luxuriae magister, crudelitatibus pascitur, abstinentia puniendus, odit ieiunia ministris suis praedicantibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, apostoli sententia repercussus dicentis: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. O infelix audacia, o desperata mentis astutia! Iam incognitus sermo haereticorum intra ecclesiam cancri more serpebat, ut occupans pectus totum hominem praecipitaret in mortem, et nisi dominus Sabaoth laqueum quem paraverant disrupisset, scena tanti mali et hypocrisis publica multorum simplicium corda traxerat in ruinam, quia facile ad deteriorem partem mens humana transducitur, malens per spatiosam viam ambulare, quam arctae viae iter cum labore transire.

Qua de re necessarium satis fuit, dilectissimi, mihi quae hic gesta sunt ad vestram conscientiam cognoscendam mandare, ne ignorantia cuiuspiam sacerdotis pessimorum hominum ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio violaret, sicut scriptum est domino dicente: Multi venient ad vos in vesti ovium, intus autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Hi sunt videlicet qui subtiliter christianos sese iactant, ut sub velamento pii nominis gradientes domum orationis ingressi sermonem serpentinae disputationis effundant, ut sagittent in obscuro rectos corde atque a veritate catholica avertendo ad suae doctrinae rabiem diabolico more transducant atque ovium simplicitatem defraudent. Et quidem multarum haeresum malignitatem ab apostolicis temporibus nunc usque didicimus et experti probavimus, sed numquam tales canes ecclesiae mysterium latratibus fatigarunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes doctrina perfidiae polluti, cuius sint discipuli verborum fructibus prodiderunt. Namque quum alii haeretici singula sibi genera quaestionum male intelligendo proposuerint convellere atque concerpere de divinis institutionibus, isti non habentes vestem nuptialem, sauciantes catholicos, novi ac veteris testamenti, ut dixi, continentiam pervertentes, spiritu diabolico, illecebroso atque ficto sermone aliquantos christianos coeperunt iam vastare atque suae dementiae sociare, intra se continentes nequitiae suae virus, electis blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt et desperatae mentis furore conciti passim in favorem gentilium publicarunt. Verum a fidelissimis christianis viris, genere optimis, religione praeclaris ad meam humilitatem subito scriptura horrifica videtur esse delata, ut sacerdotali iudicio detecta divinae legi contraria speciali sententia deleantur. Nos sane nuptiarum vota non aspernantes accepimus, quibus velamini intersumus, sed virgines

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ep. II. Siricii ed. cit. coll. Hisp.* (*no.* 4. *p.* 8.)

deo devotas maiori honorificentia numeramus. Facto igitur presbyterio constitit doctrinae nostrae, id est christianae legi esse contraria. Unde apostolicum sequuti praeceptum, quia aliter quam quod accepimus adnuntiabant, omnium nostrorum tam presbyterorum et diaconorum, quam etiam totius cleri una facta fuit sententia, ut Iovianus, Auxentius, Genialis, Geminator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius et Ingeniosus, qui auctores novae haeresis et blasphemiae inventi sunt, divina sententia et nostro iudicio in perpetuum damnati extra ecclesiam remaneant. Quod custodituram sanctitatem tuam non ambigens haec scripta direxi per fratres et compresbyteros meos, Crescentem, Leopardum et Alexandrum, qui religiosissimum fidei officium possint spiritu adimplere ferventi.

Item eiusdem pape Siricii per diversos episcopos directa. XVII.

I. Ut indignus nullus efficiatur episcopus.
II. Ut ignotis sacerdotium non detur.
III. Ut neofiti vel laici sacerdotes non fiant [1].

Siricius papa orthodoxis per diversas provincias.

Cogitantibus nobis metum divini iudicii, fratres carissimi, et post vitam hanc unumquemque prout gesserit, recepturum, quid veniat in querelam, tacere non licuit, sed nos loqui necessitas imperavit dicente propheta: Exalta ut tuba vocem tuam; et cui omnium ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam dominum dicentem: Reiicitis mandatum dei ut traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est reiicere mandatum dei quam privato consilio et humano iudicio novis rebus constituendis liberius delectari?

I. Perlatum namque est ad conscientiam apostolicae sedis contra ecclesiasticum canonem praesumi, et quae ita sunt a maioribus ordinata, ut ne vel levi susurro debeant violari, proprias quosdam novas observationes inducere et praetermisso fundamento supra arenam construere velle dicente domino: Non transferes terminos quos constituerunt patres tui. Quod et sanctus quoque apostolus Paulus novi et veteris testamenti praedicator monet, in quo loquutus est Christus: State, inquit, et tenete traditiones vestras quas didicistis sive per verbum sive per epistolam. Qua de re videt vestra sinceritas in sacris ministeriis aut in ordinationibus vestris sacerdotum magna cura et diligenti sollicitudine observari. Denique ad Timotheum loquitur: Manus cito nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis. Quod propterea memoratur, ut examine habito et probitate morum et ecclesiastico labore sit commendatior qui vocatur in medium, ut summum sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, non favore, susceptus veritate, non gratia, apostolico ordine functus, non praecipiti voluntate. De quo, carissimi mihi, antea ad vestram sinceritatem huiusmodi litterae cucurrerunt multo fratrum et consacerdotum consensu hac vestra subscriptione firmatae ut ecclesiastici canonis dispositio, quae apud Nicaeam tractata est, confirmata suo merito fundatissima permaneret, ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas iubet, non quales nunc ambitus causa conatur arripere, curiales dico, vel eos qui cingulo militiae saecularis adstricti olim gloriati sunt, qui posteaquam pompa seculari exultaverunt aut negotiis reipublicae optaverunt militare aut curam mundi tractare adhibita sibi quorumdam manu et proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis ut episcopi esse possint, qui per traditionem et evangelicam disciplinam esse non possint. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus! Sed nihil tale potuit eligi, quae ratio non compellit, etiam ut de longinquo veniant ordinandi, ut digni possint et plebis et nostro iudicio comprobari.

II. Quantum illud ferri non potest ut transeuntes sive simulent sive vero sint monachi ut se appellant, quorum nec vitam possumus scire nec baptismum, quorum fidem incognitam habemus, nec probatam nolint sumptibus adiuvare, sed statim aut diaconos facere aut presbyteros ordinare festinent, aut quod est gravius episcopos constituere non formidant. Carius apud illos dari sumptum est transeunti, quam sacerdotium nescienti. Inde in superbiam exaltantur, inde ad perfidiam cito corruunt, quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini discere non adserunt.

III. Certe etiam et illud non fuit praetermittendum, quod semel aut secundo necessitas haereticorum intulit contra apostolica praecepta velut lege licitum coepisse praesumi, neophytum sive laicum qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinari, quasi meliores apostolis sint, quorum audeant mutare praeceptum, et qui non didicit, iam docere compellitur: ita nullus reperitur idoneus clericorum, nec inter diaconos nec inter alios clericos invenitur qui sacerdotio dignus habeatur, sed ad condemnationem ecclesiae laicus postulatur? Quod ne fiat hortor, admoneo, praedico, ut unam fidem habentes unum etiam in traditione sentire debeamus, probantes nos un-

[1] *Inscript. et tituli capitt. sec. cod. cit. Tit. cap. I. apud Ps.-Is. confectus sec. inscriptionem epistolae eiusdem in ed. cit. coll. Hisp.* (*no.* 5. *p.* 9) *prolatam, ubi post verba* episcopos directa *additur:* ut indignus nullus efficiatur episcopus. *Tit. cap. I. in Hisp. exhib.:* quinam ad ecclesiasticum ordinem sint promovendi *omisit cod. cit. Pro num.* XVII. *inscriptioni apposito Paris.* 3852 *num.* XXVII., *Rotomag.* 15/9. *E. num.* XXVIII. *exhibet. Text. sec. ed. cit. coll. Hisp.*

animes atque concordes pacifici in Christo et in observationibus apostolicis habere caritatem. Medio itaque patre et unigenito filio eius et spiritu sancto et unius divinitatis trinitate convenio, ut in his fides catholica et disciplina nostra permaneat. Nec quisquam ordinet tamquam ordinationes terrenas fieri, cum coeleste sit sacerdotium, ut fidelibus gloria maneat dignitatis eiusdem et ante tribunal Christi exhinc non habeat quod accuset[1].

INCIPIUNT DECRETA ANASTASII PAPE.

(*Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840.)

Anastasius episcopus cunctis Germanicis et Burgundie regionis episcopis in domino salutem.

Exigit[2] dilectio vestra, karissimi, ut ex auctoritate sedis apostolicae vestris deberemus respondere consultis, et quamvis non prolixe sed succincte hoc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus, denuo tamen si necesse fuerit ob has vel alias occupationes quasi ad capud mittere caritative non dubitetis, quia vestras preces et nunc et tunc acceptas habemus. Significastis enim quosdam sacerdotes in ecclesia quando evangelia leguntur sedere et domini salvatoris verba non stantes, sed sedentes audire et hoc ex maiorum traditione se accepisse narrantur. Quod nullatenus deinceps fieri sinatis apostolica auctoritate mandamus, sed dum sancta evangelia in ecclesia recitantur, sacerdotes et ceteri omnes non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu evangelii stantes dominica verba intente audiant et fideliter adorent.

Similiter et transmarinos homines, de quibus nos consuluistis, in clericatus honore nolite suscipere, nisi quinque aut eo amplius episcoporum chirographis sint designati, quia multa per subreptionem solent evenire: et ideo haec summopere sunt cavenda.

Manicheos vero quos in urbe Roma invenimus et sequaces eorum nolite recipere neque eis communicare aut ullam cum eis participationem habere, priusquam ad rectam convertantur fidem, ne eorum male pullulantia semina quae a nobis in urbe extinguuntur, pessimis vobiscum radicibus seminentur vel germinentur. Plurimos vero eorum et sue sequaces impietatis atque illorum doctores investigatio nostra repperit, vigilantia divulgavit, auctoritas et censura coercuit, quos potuimus emendare correximus, et ut damnarent Manicheum cum predicatione et disciplinis suis publica in ecclesia professione et manus suae subscriptione compulimus, et ita de voragine impietatis suae confessos penitentiam concedendo levavimus. Aliquanti vero qui ita se demerserunt, ut nullum his auxiliantis posset remedium subvenire, subditi legibus secundum christianorum principum[3] constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati et omnia quae tam in scripturis quam in occultis traditionibus suis habent profana vel turpia, ut nosset populus quid refugeret aut vitaret, oculis christiane plebis certa manifestatione probavimus, adeo ut ipse qui eorum dicebatur episcopus a nobis tentus proderet flagitiosa in suis misticis quae teneret, sicut gestorum vos series poterit edocere. Ad instructionem etenim vestram etiam ipsa direximus,

Decreta Anastasii.

Exigit dilectio vestra — occupationes festinaremus sec. init. ep. Zosim. ad Hesych. (H. no. 28). Cf. Corn. 3, Greg. M. ad Fel.

quasi ad capud sec. Innoc. I. ep. ad Fel. Nucer. pr. (H. no. 9.) Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Fel. IV. pp. ep. 1.

Significastis enim — audiant et fideliter adorent sec. vit. Anast. c. 1. in libr. pontif.

Similiter et transmarinos — chirographis sint designati sec. cit. vit. c. 2.

quia multa per subreptionem solent evenire, c. 34. apostol. Cf. Eleuth. 3, Fel. II. pp. 12. IX.

Manicheos vero — convertantur fidem sec. vit. cit. c. 2.

ne eorum male pullulantia semina quae a nobis — necubi occultandi se repperiant facultatem, Leon. M. ep. 7. c. 1. 2. (1, 624. 625.) Cf. Dam. de corep.

[1] *Reliquae tres epistolae in ed. Merlin. prolatae tantum in codd. Ps.-Isid. classis C exhibentur.* (*Cf. comment.* §. 8.) [2] *Sic corr.* exiit *sec. Par.* 3852. [3] *Sic corr.* principium.

quibus e lectis omnia, quae a nobis deprehensa sunt, nosse poteritis. Et quia aliquantos de his quos ne absolverentur, artior reatus involverat cognovimus aufugisse, hinc ad dilectionem vestram epistolam misimus, ut effecta certior sanctitas vestra sollicitius agere dignetur et cautius, necubi Manicheae perversitatis homines plebes vestras facultatem laedendi et huius sacrilegii possint invenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos qui sunt perditores et perditi, zelo fidei dominicae persequamur et a suis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscidamus. Unde ortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos eos, necubi occultandi se repperiant facultatem. Hi, fratres, valde cavendi sunt, ne dominicum gregem perversitatibus quibus possunt contaminare valeant. Sunt ergo quidam eorum veste sua oves significantes, interius vero lupi rapaces existunt, quos iuxta veritatis vocem ex fructibus eorum debemus cognoscere. Quando autem ceperint assumere impietatem, illud quod hoccultabitur in illis aperitur et dolus omnis fit omnibus manifestus. Inveniuntur quoque infirme fidei homines et qui divinas lectiones sciunt, secum eos in perditionem precipitant, dissipant enim et vituperant patrum disciplinas et relinquunt sanctas scripturas ad suam perditionem, quos, ut predictum est, debemus providere et ab his multum cavere, ne in malitia sui aliqui occupati concidant de sua infirmitate.

Saluto itaque vos, fratres, et omnes quae vobiscum bene sentiunt ecclesias. Nos quoque, ut modo facitis, et alloquamini peto crebrius litteris et frequentius de fide et de bona intentione vestra adque sospitate laetificate, ut et gaudium commune habeamus et domino pari voto fideliter serviamus. Data Non. Octobris Archadio et Bautone vv. cc. conss.

CUIUS SUPRA NERIANO NOBILISSIMO VIRO DIRECTA.

Dilectissimo fratri Neriano Anastasius.

Multa michi in omnibus fidei et bonitatis tuae litteris causa gaudii est, quod tantum studium circa religionis cultum exibes et domini sacerdotes tuis in partibus adiuvare studes. Unde et domino gratias ago qui te ad hoc instigat, et ut perseverabilem in bonis operibus te faciat exoro. Vos tamen et in prosperis et in adversis deum laudare magnifice oportet eiusque sub potenti manu humiliari, ut in tempore vos tribulationis iuxta beatum Petrum apostolum confortet et exaltet. Fraternitatis ergo vestrae afflictio quam de ammissione parentum vestrorum vos habuisse audivimus, tantam nobis causam meroris iniecit, ut quia nos de duobus caritas unum fecit, cor nostrum in vestris specialiter uri tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multum me consolata est sanctitatis tue ad animum res deducta, qua et patienter ferre tristiciam decet, et de morte plebi tue ulterius[1] longam non habere mesticiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in vestra mente resideat, hortor quiescere a dolore, quia indecens est de illis tedio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo pervenire. Habent forsitan illi iustam longi doloris excusationem qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc seculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autem qui novimus, qui hoc credimus et doce-

a suis mentibus etc. Cf. Sot. 3, Fab. 7, Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3, Silv. ep., Bened. I. pp. ep.

Sunt ergo quidam — concidant de sua infirmitate, Flaviani episc. Constant. ep. 1. ad Leon. M. c. 2. vers. antiqu. (Leon. M. op. ed. Ballerin. 1, 759.) Cf. Sixt. I. pp. 3, Lib. 2.

Saluto itaque vos — adque sospitate laetificate, Innoc. I. ep. ad Alex. Ant. (H. no. 20.)

ut et gaudium — commune habeamus, eiusd. ep. ad Bonif. (H. no. 19.)

Not. cons. fictitia.

Multa michi in omnibus — adiuvare studes, Leon. M. ep. 115. init. (1, 1199.)

eiusque sub potenti — confortet et exaltet, I Petr. V. 6.

Fraternitatis ergo — sit ad fructum dilectio, Gregor. M. ep. IX. 107. (2, 1011.) Cf. Dion. 4. 5, Symm. syn. VI.

[1] *Sic corr.* alterius.

mus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet spetiem, hoc nobis magis in culpa fiat. Nam diffidentie quodammodo genus est contra hoc quod quisque praedicator quaerit iustitiam amans dicente apostolo: Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. Hac itaque, frater carissime, ratione prospecta, studendum nobis est[1], sicut diximus, ne de mortuis affligamur, sed affectum viventibus inpendamus, quibus et pietas ad utilitatem et sit ad fructum dilectio. Depone ergo, carissime, merorem et assume spiritalem fructum letitiae ad utilitatem sancte dei ecclesiae servorumque eius profectum, et vite eius quecumque sunt spacia eternis divinisque officiis inlustrare contende, ut qui insignem te prestitit reddat sibi per secula clariorem. Data VII. Id. Iun. Theodosio augusto VII. et Palladio vv. cc. conss.

EPISTOLA INNOCENTII PAPE AD DECENTIUM EPISCOPUM. VI.[2]

I. De pacis osculo dando post confecta mysteria.
II. De nominibus ante precem sacerdotis non recitandis.
III. Quod non debent baptizati nisi ab episcopis consignari.
IV. Quod rite omni sabbato ieiunetur.
V. De fermento civitatis presbyteris dirigendo.
VI. De energumenis baptizatis.
VII. De poenitentibus.
VIII. De epistola sancti Iacobi apostoli, in qua pro infirmis orare praecipitur[3].

Innocentius Decentio episcopo Eugubino salutem.

Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc aestimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana praesumptione corruptas, putant sibi aut ecclesiae non convenire aut ab apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari nec superduci aut introduci aliquid quod auctoritatem non habeat aut aliunde accipere videatur exemplum, praesertim quum sit manifestum in omnem Italiam, Galliam, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interiacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut eius successores constituerunt sacerdotes? Aut legant si in his provinciis alius apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur ommittere. Saepe dilectionem tuam ad urbem venisse ac nobiscum in ecclesia convenisse non dubium est, et quem morem in consecrandis mysteriis vel in ceteris agendis arcanis teneat cognovisse. Quod sufficere arbitrarer ad informationem ecclesiae tuae vel reformationem, si praecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerint satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse dixisses, quibus idcirco respondimus non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut maiori auctoritate vel tuos instituas vel si qui a Romanae ecclesiae institutionibus errant, aut commoneas aut indicare non differas, ut scire valeamus qui sint qui aut novitates inducunt aut alterius ecclesiae quam Romanae existimant consuetudinem esse servandam.

I. Pacem igitur adseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare vel sibi inter se sacerdotes tradere, quum post omnia quae aperire non debeo, pax sit necessaria indicenda, per quam constet populum ad omnia quae in mysteriis aguntur atque in ecclesia celebrantur, praebuisse consensum ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

II. De nominibus vero recitandis antequam precem sacerdos faciat atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit et ipse pro tua prudentia recognosces, ut cuius hostiam necdum deo offeras, eius ante nomen insinues, quamvis illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandae ac tunc eorum nomina quorum sunt edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quae ante prae-

et vite eius — per secula clariorem, Innoc. I. ep. ad Iul. (II. no. 18.) Cf. Fel. IV. pp. ep. 2.

Not. cons. fictit.

[1] *Cod. add.* ut. [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. ex ed. cit. coll. Hisp.* (*no.* 6. *p.* 10). [3] *Cod. cit. et cod. Carnot.* 67*bis* *titulis numeros* VII—XIV, *Par.* 3852 *et Rotomag.* 15/9. *E. inscriptioni numerum* I. *titulisque numeros* II—IX *apponunt. Cod. Par. int. suppl. lat.* 840 *post titulos inserit:* incipit epistola regularis pape Innocentii ad Decentium.

mittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

III. De consignandis vero infantibus manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificibus solis deberi, ut vel consignent vel paracletum spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio actuum apostolorum quae adserit Petrum et Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent spiritum sanctum. Nam presbyteris seu extra episcopum seu praesente episcopo quum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt spiritum paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.

IV. Sabbato vero ieiunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam si diem dominicum ob venerabilem resurrectionem domini nostri Iesu Christi non solum in pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac si sexta feria propter passionem domini ieiunamus, sabbatum praetermittere non debemus, quod inter tristitiam atque laetitiam tempore illius videtur inclusum. Nam utique constat apostolos biduo isto et in maerore fuisse, et propter metum iudaeorum se occuluisse. Quod utique non dubium est in tantum eos ieiunasse biduo memorato, ut traditio ecclesiae habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari; quae forma utique per singulas tenenda est hebdomadas propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant semel atque uno sabbato ieiunandum, ergo et dominica et sexta feria semel in pascha erit utique celebranda. Si autem dominici diei ac sextae feriae per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudinem sabbato praetermisso, quum non disparem habeat causam a sexta videlicet feria in qua dominus passus est, quando et ad inferos fuit, ut tertia die resurgens redderet laetitiam post biduanam tristitiam praecedentem. Non ergo nos negamus sexta feria ieiunandum, sed dicimus et sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam apostolis vel his qui Christum sequuti sunt indixerunt; qui die dominico exhilarati non solum ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

V. De fermento vero quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluistis, quum omnes ecclesiae vestrae intra civitatem sint constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos: quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per coemeteria diversa constitutis presbyteris destinamus, et presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.

VI. De his vero baptizatis, qui postea a daemonio aut vitio aliquo aut peccato interveniente arripiuntur, quaesivit dilectio tua, si a presbyteris vel diaconibus possint aut debeant signari, quod hoc nisi episcopus praecipere non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, episcopi est imperare ut manus eis vel a presbytero vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad episcopum deducatur, quum si talis casus ei in itinere acciderit, nec ferri ad episcopum nec referri ad sua facile possit?

VII. De poenitentibus vero qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante pascha eis remittendum Romanae ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis et ad fletus atque lacrymas corrigentis ac tunc iubere dimitti quum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in aegritudinem inciderit atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschae relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

VIII. Sane quoniam de hoc sicuti de ceteris consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus, Celestinus diaconus in epistola sua esse a tua dilectione positum illud quod in beati apostoli Iacobi epistola conscriptum est: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros et orent super eum ungentes eum oleo in nomine domini; et oratio fidei salvabit infirmum et suscitabit illum dominus, et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed et omnibus christianis uti licet in sua aut in suorum necessitate ad ungendum. Ceterum illud superfluum videmus adiectum, ut de episcopo ambigatur quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere. Nam poenitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reli-

qua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? His igitur, frater carissime, omnibus quae tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus respondere curavimus, ut ecclesia tua Romanam consuetudinem a qua originem ducit, servare valeat atque custodire. Reliqua vero quae scribi fas non erat, quum adfueris, interrogati poterimus edicere. Erit autem domini potentiae etiam id procurare, ut et tuam ecclesiam et clericos nostros qui sub tuo pontificio divinis famulantur officiis, bene instituas et aliis formam tribuas quam debeant imitari. Data XIV. Kal. Aprilis Theodosio augusto VII. et Palladio vv. cc. conss.

Item eiusdem Innocentii pape ad Victoricum Rotomagensem episcopum. XXX.[1]

I. Quod extra conscientiam metropolitani non sint ordinandi episcopi.
II. De his qui post baptismum cingulum militiae saecularis acceperunt.
III. De causis clericorum quae in provincia si minime finiuntur, ut ab apostolica sede determinentur.
IV. De uxoribus clericorum, ut virginibus socientur, et secundam non ducant uxorem.
V. Ut si laicus viduam duxerit, clericus non fiat.
VI. Ut clericus non sit qui secundam duxerit.
VII. Ut alterius clericum nullus episcopus ordinare usurpet.
VIII. Ut non rebaptizentur qui a Novatianis vel Montensibus veniunt.
IX. Ut sacerdotes et levitae cum mulieribus coire non debeant.
X. Ut monachus, si clericus factus fuerit, propositum suum servare debeat.
XI. Ut ex curialibus clericus non fiat propter voluptates quas a diabolo inventas exhibere compellitur.
XII. De virginibus sacratis, si lapsae fuerint.
XIII. De virginibus non velatis, si deviaverint.

Innocentius Victorico episcopo Rotomagensi salutem.

Etsi tibi, frater carissime, pro merito et honore sacerdotii quo plurimum polles, vivendi et docendi ecclesiasticae notae sint regulae, neque sit aliquid quod de sacris lectionibus tibi videatur incognitum, tamen quia Romanae ecclesiae normam atque auctoritatem magnopere postulasti, voluntati tuae morem admodum gerens digestas vitae et morum probabilium disciplinas adnexas litteris meis misi, per quas advertant ecclesiarum regionis vestrae populi quibus rebus et regulis christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri qualisque in urbis Romae ecclesiis ordo servetur. Erit dilectionis tuae per plebes finitimas et consacerdotes nostros qui in illis regionibus propriis ecclesiis praesident, regularum hunc librum quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare, ut et nostros cognoscere et ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent aut si quid adhuc desideratur, facile poterunt ex bona imitatione supplere. Incipiam igitur adiuvante deo et sancto Petro apostolo, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium, ut quoniam plures saepe emerserunt causae quae in aliquantis non erant causae, sed crimina, de cetero sollicitudo sit unicuique sacerdoti in sua ecclesia curam huiusmodi habere, sicut beatus apostolus praedicat Paulus, talem ecclesiam deo exhibendam non habentem maculam aut rugam, ne alicuius morbidae ovis afflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur qui vel ignorantia vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam et multa non praesumenda praesumunt, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi quam tenet ecclesia Romana forma servetur, non quod nova praecepta aliqua imperentur, sed ea quae per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus servari cupiamus, quae tamen apostolica et patrum traditione sunt constituta. Scriptum est namque ad Thessalonicenses apostolo Paulo monente: State et tenete traditiones nostras quas tradidi vobis sive per verbum sive per epistolam. Illud certe tuam debet mentem vehementius excitare ut ab omni labe seculi istius ante dei conspectum securus inveniaris. Cui multum enim creditur plus ab eo exigitur cum usura paenarum. Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed et pro populo Christi praestare cogimur rationem, disciplina dominica populum erudire debemus. Quosdam enim adseris extitisse qui statuta maiorum non tuentes castitatem ecclesiae sua praesumptione violarint, populi favorem sequentes et dei iudicium non timentes. Ergo ne silentio nostro existimemur his praebere consensum dicente domino per prophetam: Videbas furem et currebas cum eo, haec sunt quae deinceps intuitu divini iudicii omnem catholicum episcopum expedit custodire.

I. Primum, ut extra conscientiam metropolitani episcopum nullus audeat ordinare. Integrum est enim iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur, nec unus episcopus ordinare praesumat episcopum, ne furtivum beneficium praestitum videatur, hoc enim et synodus Nicaena constituit atque definivit.

II. Si quis vero post remissionem peccatorum cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum admitti omnino non debet.

III. Si quae autem causae vel contentiones inter clericos vel inter laicos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortae, secundum synodum Nicaenam congre-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 7. *p.* 13.

gatis eiusdem provinciae episcopis iudicium terminetur, nec alicui liceat sine praeiudicio tamen Romanae ecclesiae, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eisdem provintiis dei ecclesias gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte praesumpserit, ab officio clericatus submotus et iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causae in medium fuerint devolutae, ad sedem apostolicam, sicut vetus consuetudo exigit, post iudicium episcopale referantur.

IV. Ut mulierem viduam clericus non ducat uxorem, quia scriptum est: Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, nec eiectam. Utique quia ad sacerdotium labore suo et vitae probitate contendit, cavere debet, ne hoc praeiudicio impeditus pervenire non possit.

V. Ut is qui mulierem viduam licet laicus duxit uxorem seu ante baptismum sive post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina remittuntur, non acceptae uxoris consortium relaxatur.

VI. Ne is qui secundam duxerit uxorem, clericus fiat, quia scriptum est: Unius uxoris virum, et iterum: Sacerdotes mei semel nubant. Ac ne ab aliquibus aestimetur ante baptismum, si forte quis accepit uxorem et ea de seculo recedente alteram duxerit et dixerit in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, quia in baptismo peccata dimittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur, quum utique uxor ex legis praecepto ducatur in tantum, ut et in paradiso parentes humani generis quum iungerentur, ab ipso domino sint benedicti, et Salomon dicat: A deo praeparabitur viro uxor. Quam formam etiam sacerdotes omnes servare usus ipse ecclesiae demonstrat. Satis enim absurdum est aliquem credere uxorem ante baptismum acceptam post baptismum non computari, cum benedictio quae per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse a deo legis antiquitus institutae doceatur. Quod si non putatur uxor esse computanda quae ante baptismum ducta est, ergo nec filii qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habeantur.

VII. Ut de aliena ecclesia clericum ordinare nullus usurpet, nisi eius episcopus precibus exoratus concedere voluerit: quod etiam Nicaena videtur synodus continere. Abiectus a sua ecclesia clericus ab altera ergo non suscipiatur ecclesia.

VIII. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati, praeter eos qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi, si resipiscentes et ruinam suam cogitantes redire maluerint, sub longa poenitentiae satisfactione admittendi sunt.

IX. Praeterea quod dignum et pudicum et honestum est tenere ecclesia omnino debet, ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non misceantur, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum dominus deus vester. Nam si priscis temporibus de templo dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et praeterquam ex semine Aaron ad sacerdotium nullus fuerat praeceptus accedere, quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debeant, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est? Nec praeterit dies qua vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent. Nam si beatus apostolus Paulus ad Corinthios scripsit dicens: Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi, et hoc utique laicis praecepit, multo magis sacerdotes quibus et orandi et sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit aut qua conscientia quove merito exaudiri se posse credit, quum dictum sit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum? Sed fortasse licere hoc credit, quia scriptum est: Unius uxoris virum; non ad permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: Vellem autem omnes sic esse sicut et ego. Quod et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt, deo placere non possunt; vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.

X. De monachis qui diu morantes in monasteriis, si postea ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a priori proposito discedere. Aut enim, sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit, in meliori gradu positus amittere non debet, aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens et ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non potest, quia nec benedici cum sponsa potest iam ante corruptus. Quae forma servabitur in clericis, maxime quum vetus regula hoc habeat, ut quisque corruptus postea baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

XI. Praeterea frequenter quidam ex fratribus nostris curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos clericos facere contendunt, quibus postea maior tristitia quum de revocandis eis aliquid ab imperatore praecipitur quam gratia nascitur. Constat enim eos in ipsis monitis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inventas esse non dubium est et ludorum vel munerum partibus aut praeesse aut interesse.

Sic certe in exemplum sollicitudo et tristitia fratrum quam saepe pertulimus imperatore praesente, quum pro his saepius rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognovisti. Quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam iam in sacerdotio constituti ingens molestia ut redderentur instabat.

XII. Item, quae Christo spiritualiter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint vel occulte corruptae fuerint, non eas admittendas esse ad agendam poenitentiam, nisi hi quibus se iunxerant de hac vita discesserint. Si enim de laicis hominibus haec ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro alteri nupserit habeatur adultera nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est, quae ante immortali se sponso coniunxerat et postea ad humanas nuptias ut transiret elegit!

XIII. Hae vero quae necdum sacro velamine consecratae, tamen in proposito virginali se permanere promiserant, licet velatae non sint, si forte nupserint, his agendam aliquanto tempore poenitentiam sit liberum, quia sponsio earum a deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ita pollicitatio quam cum deo pepigerunt solvi sine vindicta non debet! Nam si apostolus Paulus quae a proposito viduitatis discesserint dixerit, eas habere condemnationem quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines quae pactionis suae fidem minime servaverunt!

Haec itaque regula, frater carissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus dei sacerdotibus custodita, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, haereses et schismata non emergent, locum non accipiet diabolus saeviendi, sed manebit unanimitas, iniquitas omnis superata calcabitur, veritas spirituali fervore flagrabit, pax praedicata labiis et mente servabitur, implebitur edictum apostoli, ut unanimes unum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed deo nostro salvatori placentes, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Datum sub die XV. Kal. Mart. Honorio augusto et Aristo coss.

Item Innocentii papae ad Exsuperium Tolosanum episcopum. XXXI.[1]

I. De innocentia sacerdotum vel levitarum.
II. De his qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti ultimo poenitentiam poscunt.
III. De administratoribus.
IV. Quod viri cum adulteris uxoribus non conveniant.
V. Quod qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.
VI. Quod hi qui intercedente repudio divortium pertulerunt, si se nuptiis aliis vinxerunt, adulteri esse monstrentur.
VII. Qui libri in canone recipiantur.

Innocentius Exuperio episcopo Tolosano salutem. Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae quae sunt visa respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet vel auctoritas lectionis ostenderet vel custodita series temporum demonstraret. Et quidem dilectio tua institutum sequuta prudentium ad sedem apostolicam referre maluit quid deberet de rebus dubiis custodire, potius quam usurpatione praesumpta quae sibi videntur de singulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus discere aliquid quam omnino nescire? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accidit, dum perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor, eoque fit ut aliquid semper addiscat qui postulatur ut doceat. Proponantur igitur singula subiiciamque responsum.

I. Proposuisti quid de his observari debeat, quos in diaconii ministerio aut officio presbyterii positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodiderunt. De his et divinarum legum est disciplina et beatae recordationis viri Siricii episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico privarentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodum sacrae legis auctoritas iam inde ab initio custodita, quod in templo anno vicis suae habitare praecepti sunt sacerdotes, ut servientes sacris oblationibus puros et ab omni labe mundatos sibi vindicent divina mysteria, neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est: Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus deus vester. Quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad sacerdotium nullus fuerat praeceptus accedere, quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est? Nec praeterit dies qua vel a sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent? Nam si beatus Paulus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi et hoc utique laicis praecepit, multo magis sacerdotes, quibus orandi et sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. Quod si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare usurpabit aut qua conscientia quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum? Sed for-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp.* (*no.* 8. *p.* 16.)

tasse hoc licere credit, quia scriptum est: Unius uxoris virum. Non ad permanentem in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit qui ait: Vellem autem omnes sic esse sicut et ego. Et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt deo placere non possunt, vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu; et ad habentem filios, non generantem dixit. Sed ea plane dispar et diversa sententia est. Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticae vitae pariter et disciplinae quae ab episcopo Siricio ad provincias commeavit non probabitur pervenisse, his ignorantibus venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere, et ita gradus suos in quibus inventi fuerint, sic retentent, ut eis non liceat ad potiora conscendere. Quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent non amittant. Si qui autem scire se formam vivendi missam a Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam praeponendam arbitrati sunt voluptatem.

II. Et hoc quaesitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti in extremo suae vitae fine poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur. Quum enim illis temporibus crebrae persequutiones essent, ne communionis concessa facultas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit iam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, et propter domini misericordiam quasi viaticum profecturis et ne, ut Novatiani haeretici negantes veniam, asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines huiusmodi vel in supremis suis, permittente salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

III. Quaesitum est etiam super his, qui post baptismum administraverunt et aut tormenta sola exercuerunt aut etiam capitalem protulere sententiam: de his nihil legimus a maioribus definitum. Meminerant autem a deo potestates fuisse concessas et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum quod auctore domino viderent esse concessum? De his ergo ita ut hactenus servatum est, sic habemus, ne aut disciplinam avertere aut contra auctoritatem domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur.

IV. Et illud desideratum est scire, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, quum contra uxores adulterorum virorum in consortio manere videantur. Super hoc christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant et non habent latentia peccata vindictam, viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consuerunt. Et ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur, virorum autem latente commisso non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui utique submovebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par causa sit, interdum probatione cessante vindictae ratio conquiescit.

V. Illud etiam sciscitari voluisti an preces dictantibus liberum concedatur, utique post baptismi regenerationem a principibus poscere mortem alicuius vel sanguinem de reatu. Quam rem principes numquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, ut causa cognita vindicentur. Quae quum quaesitori fuerint delegata aut absolutio aut damnatio pro negotii qualitate profertur, et dum legum auctoritas in improbis exercetur, erit dictator immunis.

VI. De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, intantum ut etiam hae personae quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in evangelio: Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, moechatur; similiter et qui dimissam duxerit, moechatur: et ideo tales omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut de propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

VII. Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum brevis adnexus ostendet. Haec sunt ergo quae desiderata voce monere voluisti: Moysis libri V, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; necnon et Iesu Nave et Iudicum et Regnorum libri quatuor, simul et Ruth, Prophetarum libri sexdecim; Salomonis libri quinque, Psalterium, item historiarum, Iob liber unus, Tobiae unus, Esther unus, Iudith unus, Machabaeorum duo, Esdrae duo, Paralipomenon duo; item novi testamenti evangeliorum libri quatuor, Pauli apostoli epistolae XIV, epistolae Ioannis tres, epistolae Petri duae, epistola Iudae, epistola Iacobi, actus apo-

stolorum, apocalypsis Ioannis. Cetera autem quae sub nomine Mathiae sive Iacobi minoris vel sub nomine Petri et Ioannis, quae a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreae, quae a Xenocharide et Leonida philosophis vel sub nomine Thomae, et si qua sunt alia non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda. Datum X. Kal. Mart. Stilicone II. et Anthemio coss.

Item Innocentii ad Felicem episcopum. XXXII.[1]

I. Si quis volens partem sibi corporis amputaverit, clericus esse non potest, nolens autem potest.

II. Quod digami admitti non possint ad clerum.

III. Qui de laicis ad clerum admitti non possunt.

IV. Qui de laicis possunt clerici fieri: hic aperte concubina prohibetur.

V. De temporibus in cleri ordinibus immorandis.

Innocentius Felici, episcopo Nuceriano.[2]

Mirari non possum dilectionem tuam sequi instituta maiorum omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem ad nos quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod nos et libenter accepimus et dilectionem tuam memorem canonum comprobamus. Scripsisti igitur quod fervore fidei quo polles et amore sanctae plebis vel reparaveris ecclesias dei vel novas quasque construxeris, sed in his clericos quos constituas non habere, aliquos vero mutilos, aliquos digamos esse, ad quod stupuimus prudentem virum de his voluisse consulere quae omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignoranti dicimus, sed in aliis forsitan occupatos istud oblitos esse vos dicimus.

I. Qui igitur partem cuiuslibet digiti sibi ipse volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigerit dum aut operi rustico curam impendit aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones praecipiunt clericos fieri; et si in clero fuerint reperti non abiici. In illis enim voluntas est iudicata, quae sibi causa fuerit ferro incidere, quod scilicet et alii id facere dubitare non possunt, in istis vero casus veniam meruit.

II. De digamis autem nec consuli debuit quod manifesta lectio sit apostoli, unius uxoris virum ad sacerdotium sive ad clericatum admitti debere, et hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea quae habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico postea fuerit copulata, clericus qui eam acceperit esse non poterit, quia in lege cautum est, non viduam, non abiectam habere posse coniugem sacerdotem.

III. De laicis vero religio tua consuluit quos canones ordinare prohibeant. Certum est quidem hoc regulas ecclesiasticas continere, sed non ita definitum est, ut de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci et non fieri possunt, sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum pervenire non possunt, id est, si quis fidelis causas egerit, hoc est postulaverit, si quis fidelis administraverit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam et si inveniantur huiusmodi viri qui debeant clerici fieri, tamen quoniam saepius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est propter tribulationem quae saepe de his ecclesiae provenit.

IV. Laici vero, qui habentes uxores baptizati sunt ac sic se instituerint, ut opinio eorum in nullo vacillet ut aut clericis iuncti sint aut monasteriis ex quo baptizati sunt haeserint, si non concubinam, non pellicem noverint, si in omnibus operibus vigilarint, non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem adsumi.

V. Ita sane ut in eos tempora a maioribus constituta serventur, nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat, quia in minoribus officiis si diu perdurent et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant, nec praeripiant quod vita probata meretur accipere. Quoniam ergo certa definitione monstratum est qui debeant admitti, qui vero reprobari, ex his hominibus quos videt dignatio tua non posse reprobari, eligere debebis quos clericos facias. Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium praestare velimus, tales invenire possumus, de quorum adsumptione nec incurrere nec erubescere valeamus.[3]

Item incipit epistola concilii Cartaginensis ad sanctum Innocentium papam urbis Romae.[4]

Domino beatissimo et honorandissimo fratri Innocentio papae Aurelius, Numidius,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 9. *p.* 18. [2] *Sic cod. cit.; Hisp.:* Nocerino *aut* Nucerino. [3] *Epistolae addunt cod. cit., codd. Carnot.* 67bis, *Par.* 3852, *Rotomag.* 15/9. *E., Ottobon.* 93, *Vatic.* 3791 *partem Leon. M. epistolae ad Anatolium:* nullus sibimet de — negavit effectum. Dat. XI. Kal. Iun. Erculano v. c. cons. (*Op. Leon. ed. Ball.* 1, 1163 *sqq. c.* 2 *i. f.* — *c.* 6.) *Deest additamentum in codd. class. A/B, B, C. Cf. comment.* §§. 3. 6. 7. 8. 13. [4] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. des. ex edit. collect. Quesnell. a Ballerin. in T. III. Leon. M. oper. vulgat. p.* 128. *Hanc epistolam ceterasque* 6 *sequentes hic inserui, quia in codd. classis A* 1 *hoc loco inveniuntur* (*cf. comment.* §. 3). *In codd. class. A/B, B, C istae* 7 *epistolae post omnes alias exhibentur* (*qua de re cf.* §§. 7. 6. 8). *Divisio capit. l. c. prolata in Ps.-Is. non exhibetur.*

Rusticianus, Fidentius, Evagrius, Antonius, Palatinus Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Pannonius, Victor, Restitutus, alius Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, Ampelius, Avivius, Felix, Donatianus, alius Adeodatus, Octavius, Serotinus, Maiorinus, Posthumianus, Crispulus, Victor, alius Victor, Leutius, Marianus, Fructuosus, Faustinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Megarius, Rusticus, Rufianus, Proculus, Thomas, Ianuarius, Octavianus, Praetextatus, Sixtus, alius Quodvultdeus, Pentadius, item Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Bazacenus, Germanus, Germanianus, Iuventius, Maiorinus, item Iuventius, Candidus, item Cyprianus, Emilianus, Romanus, Africanus, Marcellinus, qui in concilio ecclesiae Carthaginensis affuimus.

Cum ex more ad Carthaginensem ecclesiam solemniter venissemus atque ex diversis causis congregata ex nobis synodus haberetur, compresbyter noster Orosius nobis litteras sanctorum fratrum et consacerdotum nostrorum dedit Herotis et Lazari, quarum formam his constituimus esse subdendam. His ergo lectis Pelagium et Caelestium auctores nefarii prorsus et ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus. Unde factum est ut recensendum peteremus quid ante ferme quinquennium super Caelestii nomine hic apud ecclesiam Carthaginensem fuerit agitatum. Quo recitato sicut ex subditis advertere poterit sanctitas tua, quamvis iudicatio manifesta constaret quia illo tempore episcopali iudicio excisum hoc tantum vulnus ab ecclesia videretur, nihilominus tamen id communi deliberatione censuimus, huiusmodi persuasionis auctores, quamvis et ad presbyterium idem Caelestius postea pervenisse dicatur, nisi haec apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere, ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognita sententia quae in eos lata est, sanitas procuretur. Hoc itaque gestum, domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam apostolicae sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum et quorumdam perversitate etiam corrigenda. Id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium nullum locum relinquant gratiae dei qua christiani sumus, qua et ipsum nostrae voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; quod auxilium fides impetrat, quae est in Christo Iesu domino nostro. Isti autem asserunt, sicut a fratribus qui etiam eorum libros legerunt cognovimus, in eo gratiam dei deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quae per propriam voluntatem legem dei possit implere sive naturaliter in corde conscriptam sive in litteris datam, eamdem quoque legem ad gratiam dei pertinere, quod illam deus in adiutorium hominibus dedit. Illam vero gratiam qua, ut dictum est, christiani sumus, cuius apostolus praedicator est dicens: Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum — nolunt omnino cognoscere nec aperte quidem oppugnare audent. Sed quid aliud agunt cum hominibus animalibus non percipientibus quae sunt spiritus dei? Persuadere quippe non cessant ad operandam perficiendamque iustitiam et dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam non attendentes quod scriptum est: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; et: Non volentis neque currentis, sed miserentis est dei; et: Quod unum corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra; habentes dona diversa secundum gratiam quae data est nobis; et: Gratia dei sum id quod sum et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi, non autem ego, sed gratia dei mecum; et: Gratias ago deo qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum; et: Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex deo est; et: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia sit virtutis dei, non ex nobis, et innumerabilia quae de scripturis omnibus si colligere velimus tomus non sufficit. Et veremur ne apud te ista ipsa commemorando quae maiore gratia de sede apostolica praedicas inconvenienter facere videamur, sed ideo facimus, quia in eo quod infirmiores sumus quaquaversus unusquisque nostrum verbum dei praedicando putatur attentior, crebrius eos patimur in nos et audacius insurgentes. Si ergo Pelagius episcopalibus gestis quae in Oriente confecta dicuntur etiam tuae veneratione iuste fuerit visus absolutus, error tamen ipse et impietas quae iam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam auctoritate apostolicae sedis anathematizanda est. Consideret enim sanctitas tua et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiabile ovibus Christi quod istorum sacrilegas disputationes necessario consequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod dominus discipulos monuit et posuit in oratione quam docuit, aut ne deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est. Si enim possibilitate naturae et arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat inaniter a domino peti et fallaciter orari, cum orando poscuntur quae naturae ita iam conditae sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere dominum Iesum Christum: Vigilate et orate, sed tantummodo: Vigilate, ne intretis in ten-

tationem; nec beatissimo Petro primo apostolorum: Rogavi pro te, sed impero vel moneo ac praecipio, ne deficiat fides tua. Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur, quicquid eis a domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi placeant, vel illa quae pro fidelibus apostolus precatur dicens: Flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum eius. Si ergo voluerimus super populum benedicendo dicere: Da illi, domine, virtutem corroborari per spiritum tuum, istorum nobis disputatio contradicet, affirmans liberum negari arbitrium, si hoc a deo poscitur, quod in nostra est potestate, virtute enim, inquiunt, corroborari possumus, si volumus ea possibilitate naturae, quam non nunc accipimus, sed cum crearemur, accepimus. Parvulos etiam propter salutem quae per salvatorem Christum datur baptizandos negant ac sic eos mortifera doctrina in aeternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam aeternam nec pertinere ad eos de quibus ait dominus: Venit enim filius hominis quaerere et salvare quod perierat. Quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis salvetur aut tanto pretio redimatur, quia nihil in his vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captivum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionem legitur peccatorum. Quamquam per baptismum Christi etiam parvulorum fieri redemtionem libello suo Caelestius in Carthaginensi ecclesia iam confessus est. Sed multi qui eorum perhibentur esse vel fuisse discipuli, haec mala quibus fidei Christianae fundamenta conantur evertere, quacumque possunt affirmare non cessant. Unde etiam si Pelagius Caelestiusque correcti sunt vel si ista numquam sensisse se dicunt, et quaecumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negabunt, nec est quemadmodum de mendatio convincantur: generaliter tamen quicumque dogmatizat et affirmat humanam sibi ad vincenda peccata et dei mandata facienda sufficere posse naturam et eo modo gratiae dei quae sanctorum evidentius orationibus declaratur adversarius invenitur, et quicumque negat parvulos per baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam, anathema sit. Quaecumque autem eis alia obiiciuntur non dubium venerationem tuam, cum gesta episcopalia perspexerit quae in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, unde omnes in dei misericordia gaudeamus. Ora pro nobis, domine beatissime papa.

Item Innocentii rescriptum sancti suprascripto.[1]

Innocentius Aurelio et omnibus sanctis episcopis vel ceteris, qui in concilio Carthaginensis affuerunt ecclesiae, dilectissimis fratribus in domino salutem.

In requirendo de his rebus quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus maximeque a vero iustoque catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servantes et ecclesiasticae memores disciplinae, nostrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis: qui ad nostrum referendum approbastis esse iuditium, scientes quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas huius nominis emersit. Quem sequentes tam mala iam damnare novimus quam probare laudanda. Vel id vero quod patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quicquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae et velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptae manarent, quid praeciperent, quos abluerent, quos velut in coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret. Gratulor igitur, carissimi fratres, quod per fratrem et coepiscopum nostrum Iulium ad nos litteras destinastis et cum pro illius curam geritis quibus praesidetis ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis et per cunctas totius orbis ecclesias omnibus una quod prosit decernendum esse deposcitis, ut suis constabilita regulis ecclesia et hoc quo illos caveat pronuntiationis iustae firmata decreto talibus patere non possit, qui perversis instructi, immo destructi verborum argutiis sub imagine catholicae fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, ut hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quaerunt evertere disciplinam. Sanandum ergo celerius, ne longius execrandus animis morbus inserpat: ut si medicus, cum viderit aliquem huius terreni corporis esse languorem, magnum suae artis aestimat documentum, si cito quis illius interventu desperatus evadat, vel cum putre vulnus aspexerit, adhibet fomenta vel cetera quibus illud quod natum fuerat possit vulnus obduci. At si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat, quo reliquum servet integrum et intactum. Praecidendum id ergo est quod velut sano puroque nimium corpori vulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur in ipsis pene visceribus huius mali non exhaurienda post sentina considat. Nam quid nos rectum de his post haec mentibus aestimemus qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum conside-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Quesnell.* (*l. c. p.* 134), *divisio capitulorum ibid. exhibita in codd. Ps.-Isid. non profertur.*

rant, cuius quotidie gratiam consequuntur? Sed iam isti qui tales sunt nullam dei gratiam consequuntur qui sine illo tantum se posse assequi confidunt, quantum vix illi qui ab illo postulant et accipiunt, promerentur. Quid enim tam iniquum esse potest, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam christianis mentibus inimicum huic te negare debere, quicquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse debere confiteris quod natus es? Ergo eris tibi in providendo praestantior quam potest in te esse qui te ut esses effecit? Et cum te putes ei debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere quod quotidianam eius consequendo gratiam taliter vivis? Et qui nos adiutorio negas indigere divino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfectos, quomodo non adiutorium in nos cum tales etiam a nobis esse possumus, provocamus? Qui enim adiutorium dei negat, vellem interrogare quid dicat: nos non mereri an illum hoc praestare non posse, an nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc deum opera ipsa testantur. Adiutorio quotidiano nos egere negare non possumus. Hoc enim seu bene vivimus, provocamus, ut melius sanctiusque vivamus, seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, eius auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam praeceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis sufficere posse putantes quod liberum arbitrium dum nasceremur accepimus, ultra iam a domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, abiuremus? Quasi iam amplius quod dare possit, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit, nescientes quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenae labis et mundani corporis vincere errores conemur, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed dei solum facere possit auxilium. Nam si ille clamat adiutorio sibi opus esse divino qui digne hoc non quaereret, si cui liberum arbitrium plus prodesset, quippe cum vir beatus et iam electus a domino nihil egeret, tamen ita deum deprecatur postulans: Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, deus salutaris meus. Nos nobis liberum arbitrium, ille deum postulat adiutorem. Quod nati sumus, sufficere nobis posse dicimus; ille deum, ne derelinquatur, exorat. Non, rogo, manifeste discimus quid oremus, cum ille tantopere, ut supra diximus, beatus vir, ne despiciatur, exoptat? Illi enim necesse est, ista arguant qui illa confirmant. David enim orationis ignarus et suae naturae nescius accusetur, qui cum sciat tantum in sua esse natura adiutorem sibi deum et assiduum adiutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat et per corpus omne psalterii hoc et praedicat et clamat. Si ergo hoc ille ita magnum scit, ut assidue diceret, ita necessarium confessus est, ut doceret, quemadmodum Pelagius Caelestiusque seposita omni responsione psalmorum talique abdicata doctrina suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium dei nec debere quaerere nec egere, cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur. Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, cum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est et nihil quemadmodum inde exsurgere posset, invenit suaque in aeternum libertate deceptus, huius ruina iacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam relevasset adventus, qui per novae regenerationis purificationem omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit et eius firmans statum quo rectius constabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit. Nam quamvis hominem redemisset a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit: quotidiana praestat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiae qua dicat adiutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicae fidei et dei beneficiis profitetur ingratum, nec nostra communione sunt digni quam praedicando taliter polluerunt. Sic enim sua sponte dum sequuntur illa quae dicunt, longius a vera religione fugerunt. Cum enim totum hoc in nostra professione consistat, quotidianisque precibus nihil agamus, nisi quemadmodum dei misericordiam consequamur, quemadmodum ferre possumus ista iactantes? Quis, rogo, pectora illorum tantus error obcaecat, ut si ipsi nullam dei gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec merentur, nec de aliis considerent, quid quotidie singulis gratia divina largiatur? Sunt quidem isti omnes caecitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, ut se auxilio credant evocari ab erroribus posse divino. Negantes enim dei adiutorium non aliis, sed sibi hoc penitus abstulerunt, qui avellendi sunt longius et ab ecclesiae procul removendi visceribus, ne diutius multa occupans insanabilis post error increscat. Si enim diu fuerint sub hac impunitate versati, necesse est multos in hanc suae pravitatem mentis inducant decipiantque innocentes vel potius imprudentes qui fidem catholicam non sequuntur; putabunt enim eos recte sentire, quos adhuc vident in ecclesia perdurare. Separetur ergo a sano corpore vulnus insanum remotoque morbi saevientis afflatu, cautius quae sunt sincera perdurent, et grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio, quam vos sequi et tenere hac in illos pronuntiatione cognovimus et una vobiscum pari assensione firmamus. Qui si tamen aliquod in se dei adiutorium quod hucusque negaverunt

provocaverint et opus sibi eius auxilio esse cognoverint, ut de hac labe, in qua sui cordis incurvatione corruerant liberentur, et quasi in lucem de foeda tracti caligine, remotis abdicatisque omnibus quibus totus ne verum aspiceret eorum foedabatur et caligabat aspectus, damnent haec quae hucusque senserunt, et aliquando animum rectis disputationibus commodantes ab hac aliquantulum labe correcti, veris se sanandos consiliis tribuant atque summittant. Quod si fecerint, erit in potestate pontificum illis aliquatenus subvenire, et talibus aliquam curam praestare vulneribus, quam solet lapsis cum resipuerint ecclesia non negare, ut a suis praecipitiis intra ovile domini redigantur, ne foris positi et tanto praesidio aede a fide munitionis exclusi periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obsistere hac, qua illos in se irritaverant, doctrinae perversitate non possunt. Sed satis vestris monitis et sic satis abundantibus nostrae legis exemplis probatur esse responsum, nec quicquam superesse dicimus, quod dicamus; cum nihil praetermissum a vobis, nihil constat esse suppressum quo illi refutati et penitus cognoscantur esse convicti. Ideoque a nobis testimonia nulla ponuntur, quia et his plena relatio est, et satis constat, ut doctissimos sacerdotes cuncta dixisse, nec decet credere vos aliquid quod ad causam possit sufficere praeterisse. Et alia manu: Bene valete, fratres.

Incipit epistola Milevitani concilii ad eundem papam.[1]

Domino beatissimo meritoque venerabili et in Christo honorando papae Innocentio Silvanus senex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alipius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malchus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Pontianus, Saturninus, Cresconius, Honorius, Cresconius, Lucius, Adeodatus, Processus, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinus, Faustinus, Servius, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Cresconius, Victor, Gigantius, Possidonius, Antoninus, Innocentius, Antoninus, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Praesidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus ex concilio Milevitano in domino salutem.

Quia te dominus gratiae suae praecipuo munere in sede apostolica talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam venerationem quae pro ecclesia sunt suggerenda tacuerimus quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris. Nova quippe haeresis et nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum gratiae Christi, qui nobis dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim dominus docuerit ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, isti dicunt posse hominem in hac vita praeceptis dei cognitis ad tantam perfectionem iustitiae sine adiutorio gratiae salvatoris per solum liberae voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra. Illud vero quod sequitur: Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum tamquam divinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate et ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem, tamquam frustra apostolus dixerit: Non currentis neque volentis, sed miserentis est dei; et: Fidelis deus qui non permittit vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Frustra etiam dixerit dominus apostolo Petro: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et omnibus suis: Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem: si hoc totum est potestatis humanae. Pueros quoque parvulos etsi nullis imbuantur christianae gratiae sacramentis habituros vitam aeternam, nequaquam christiana praesumptione contendunt, evacuantes quod dicit apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; et alio loco: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. Ut ergo alia omittamus quae contra sanctas scripturas plurima disserunt, haec interim duo quibus omnino totum quod christiani sumus conantur evertere, quae fidelia corda sustineant: non esse rogandum deum, ut contra peccati malum atque ad operandam iustitiam sit noster adiutor, et non opitulari parvulis ad consequendam vitam aeternam christianae gratiae sacramentum. Haec insinuantes apostolico pectori tuo non opus habemus multa dicere et tantam impietatem exaggerare, cum procul dubio te ista permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant multosque contaminent vel potius interimant, dum sub nomine Christi a gratia Christi penitus alienant, omnino dissimulare non possis. Huius autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius et Caelestius, quos quidem in ecclesia sanari maluimus quam desperata salute ab ecclesia resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum unus, id est Caelestius, etiam ad presbyterium in Asia dicitur perve-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840, *qui addit:* urbem contuli, *pro quibus verbis Rotomag.* 15/9. *E. exhibet:* urbis Rome. *Par.* 3852 *inscriptionem ponit:* Epistola Silvani et ceterorum episcoporum ad Innocentium papam. *In edit. cit., unde textum desumsi, habetur* (*p.* 141): urbis contra eosdem haereticos *post verba:* eundem papam. *Divisio cap. l. c. exhibita in codd. Ps.-Is. non profertur.*

nisse, de quo ante paucos annos quid gestum fuerit sanctitas tua de Carthaginensi ecclesia melius instruitur. Pelagius vero, sicut a quibusdam fratribus nostris missae loquuntur epistolae, Ierosolymis constitutus nonnullos fallere asseritur. Verumtamen multo plures qui eius sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro gratia Christi et catholicae fidei veritate confligunt, sed praecipue sanctus filius tuus, frater et compresbyter noster Ieronymus. Sed arbitramur, adiuvante misericordia domini dei nostri, quae te et regere consulentem et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuae de sacrarum scripturarum auctoritate depromtae facilius eos qui tam perversa et tam perniciosa sentiunt esse cessuros, ut de correctione potius eorum gratulemur quam contristemur interitu, domine beatissime. Quodlibet autem ipsi eligant certe vel aliis quos plurimos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernit venerabilitas tua instanter et celeriter providendum. Haec ad sanctitatem tuam de concilio Numidiae scripta direximus, imitantes Carthaginensem ecclesiam et Carthaginensis provinciae coepiscopos nostros quos ad sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac caussa scripsisse comperimus. Et alia manu: Memor nostri in dei gratia augearis, domine beatissime meritoque venerabilis et in Christo honorande sancte papa.

Incipit epistola Innocentii ad quos supra.[1]

Innocentius Silvano seni, Valentino et ceteris qui in Milevitana synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus in domino salutem.

Inter ceteras ecclesiae Romanae curas et apostolicae sedis occupationes quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater et coepiscopus noster Iulius dilectionis vestrae litteras quas ex Milevitano concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam synodi querelae parilis scripta subiungens. Nimirum exultat ecclesia tantam sollicitudinem commissis gregibus exhibere pastores, ut non solum ex his neminem patiantur errare, sed etiam si quas ovium magis scaevae delectationis herba seduxit, ac si in errore permanserint aut segregari penitus velint aut illicite dudum petita vitantes, custodiae pristinae circumspectione tutari, in utraque parte videlicet consulentes, ne vel suscipiendo tales simili caeterae ducantur exemplo vel spernendo redeuntes luporum morsibus videantur ingestae. Prudens admodum et catholicae fidei plena consultatio. Quis enim aut tolerare possit errantem aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror conniventiam praebere peccantibus, ita impium iudico manum negare conversis. Diligenter ergo et congrue apostolici consulitis honoris arcanis, honoris, inquam, illius quem praeter illa quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum super anxiis rebus, quae sit tenenda sententia: antiquae scilicet regulae formam sequuti quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verum haec missa facio. Neque enim hoc credo vestram latere prudentiam, quod etiam actione firmastis, scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent: praesertim quoties fidei ratio mutilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris, auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio quod per totum mundum possit omnibus ecclesiis in commune prodesse. Fiant enim cautiores necesse est, cum inventores malorum ad duplicis relationem synodi sententiae nostrae statutis viderint ab ecclesiastica communione seiunctos. Gemino igitur bono caritas vestra fungetur, nam et canonum potiemini gratia servatorum et beneficio vestro totus orbis utetur. Quis enim catholicorum virorum cum adversariis Christi velit ulterius miscere sermonem? Quis saltem ipsam lucem vitae communione partiri? Novae haereseos nimirum fugiantur auctores. Quid enim acerbius in dominum fingere potuerunt, quam cum adiutoria divina cassarent causamque quotidianae precationis auferrent? Hoc est dicere: Quo mihi opus est domino? Merito in hos dicat hymnidicus: Ecce homines qui non posuerunt deum adiutorem sibi. Negantes ergo auxilium dei, inquiunt, hominem posse sibi sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitae perficienda mandata sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina. Adverte tandem quod primum hominem ita libertas ista decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur in praevaricationem praesumptionis conciderit, nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi domini reformasset adventus. Audi et David dicentem: Adiutor meus esto, ne derelinquas me neque despicias me, deus salutaris meus! et: Adiutorium nostrum in nomine domini! quae incassum dixerit, si tantum erat in eius positum voluntate, quod a domino flebili sermone poscebat. Quae cum ita sint, cum in omnibus divinis paginis voluntati liberae nonnisi adiutorium dei legamus esse nectendum eamque nihil posse caelestibus praesidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter, ut asseritis, defendentes sibimet, immo, quod est gravius et dignius dolore communi, iam plurimis Pelagius Caelestiusque persuadent? Multifariis equidem ad destruendum tale magisterium uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum scripturas omnes

[1] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Quesnell. p.* 144, *divisio capp. ibid. prolata in Ps.-Isid. omittitur.*

callere divinas, praesertim cum vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat praesens dogma rescindi opusque non esse reconditis, cum his quae facile vobis occurrentia posuistis, nec audeant obviare nec possint. Ergo gratiam dei conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate quaeramus: quippe qui nec aliquas diaboli machinas, nisi eadem possumus iuvante vitare. Illud vero quod eos asserit vestra fraternitas praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere quod in eos credunt nonnisi baptismate conferendum. Si ergo volunt nihil officere, non renasci, fateantur necesse est nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verum ut superfluorum hominum prava doctrina celeri possit veritatis ratione discingi, proclamat dominus in evangelio dicens: Sinite infantes et nolite prohibere eos venire ad me. Quare Pelagium Caelestiumque, id est, inventores vocum novarum, quae, sicut dixit apostolus, aedificationis nihil, sed magis vanissimas consueverunt parere quaestiones, ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem, eosque interim dominico ovili non recipi, quod ipsi perversae viae sequuti tramitem deserere voluerunt. Abscidendi sunt enim qui nos conturbant et volunt pervertere evangelium Christi. Simul autem praecipimus ut quicumque id pertinacia similiter defensare nituntur, par eos vindicta constringat; non solum enim qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, quia non multum interesse arbitror inter committentis animum et consentientis favorem. Addo amplius: plerumque dediscit errare, cui nemo consentit. Haec igitur, fratres carissimi, in supradictos maneat fixa sententia. Absint ab atriis domini, careant dumtaxat pastorali custodia, ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum rapacique lupus corde laetetur intra ovile dominicum tantas ovium fusas catervas, dum a custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum. Prospiciendum est ergo ne permittendo lupum mercenarii magis quam videamur esse pastores. Iubemus sane quoniam Christus dominus noster propria voce signavit, nolle se mortem morientis, tantum ut revertatur et vivat, si umquam sanum deposito pravi dogmatis errore resipuerint damnaverintque ea quorum seipsi praevaricatione damnarunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum ab ecclesia non negari, ne dum eos redeuntes forsitan prohibemus vere extra ovile remanentes et expectantis hostis rabidis faucibus glutiantur, quos in semetipsos spiculis malae disputationis armarunt. Bene valete, fratres. Data VI. Kal. Febr. Honorio et Constantio vv. cc. conss.

Incipit epistola familiaris episcoporum V ad suprascriptum papam Romanum.[1]

Domino beatissimo meritoque honorandissimo fratri Innocentio papae Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius salutem.

De conciliis duobus provinciae Carthaginensis atque Numidiae ad tuam sanctitatem non parvo episcoporum numero subscriptas litteras misimus contra inimicos gratiae Christi qui confidunt in virtute sua et creatori nostro quodammodo dicunt: Tu nos fecisti homines, iustos autem ipsi nos fecimus. Qui naturam humanam ideo dicunt liberam, ne quaerant liberatorem, ideo salvam, ut superfluum iudicent salvatorem. Tantum enim dicunt valentem, ut suis viribus semel in origine suae creationis acceptis possint per liberum arbitrium, nihil ulterius adiuvante illius gratia qui creavit, domare et extinguere omnes cupiditates tentationesque superare. Multi eorum insurgunt adversus nos et dicunt animae nostrae: Non est salus illi in deo eius. Familia Christi quae dicit: Quando infirmor tunc fortis sum, et cui dicit dominus eius: Salus tua ego sum, suspenso corde cum timore et tremore adiutorium domini etiam per caritatem tuae venerationis exspectat. Audivimus enim in urbe Roma, ubi ille diu vixit, esse nonnullos qui diversis caussis ei faveant: quidam, scilicet quia talia eis persuasisse perhibetur, plures vero qui eum talia sentire non credunt, praesertim quia in Oriente, ubi degit, gesta ecclesiastica facta esse iactantur, quibus putatur esse purgatus, ubi quidam si episcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit gratiam dei confiteri et ita posse hominem suo labore ac voluntate iuste vivere, ut ad hoc adiuvari dei gratia non negaret. His enim auditis verbis catholici antistites nullam aliam dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris dei legere et populis dei praedicare consueverunt, eam utique de qua dicit apostolus: Non irritam facio gratiam dei; nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: sine dubio gratiam qua iustificamur ab iniquitate et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate. Nam si intellexissent illi episcopi eam illum dicere gratiam quam etiam cum impiis habemus, cum quibus homines sumus, negare vero illam, qua christiani et filii dei sumus, quis eum patienter catholicorum sacerdotum, non dicimus audiret, sed ante oculos suos ferret?

[1] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Quesnell.* (*p.* 149). *Divisio cap. ibid. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.*

Quapropter non culpandi sunt iudices quia ecclesiastica consuetudine gratiae nomen audierunt, nescientes quid huiusmodi homines vel in suae doctrinae libris vel in suorum auribus solent spargere. Non agitur de uno Pelagio, quia iam fortasse correctus est — quod utinam ita sit! — sed de tam multis quibus loquaciter contendentibus et infirmas atque ineruditas animas velut convinctas trahentibus, firmas autem et in fide stabiles ipsa contentione fatigantibus usquequaque iam omnia plena sunt. Aut ergo a tua veneratione accersendus est Romam et diligenter, interrogandus, quam dicat gratiam, quam fateatur; si tamen fateatur ad non-peccandum iusteque vivendum homines adiuvari, aut hoc ipsum cum eo per litteras agendum. Et cum inventus fuerit hanc dicere quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo ecclesiae, sine latibulo ambiguitatis ullius absolvendus est, tunc est revera de eius purgatione gaudendum. Sive enim dixerit gratiam esse liberum arbitrium sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis praeceptum, nihil eorum dicit quae per sumministrationem spiritus sancti pertinent ad concupiscentiam tentationesque vincendas quem ditissime effudit super nos, qui ascendit in caelum et captivata captivitate dedit dona hominibus. Hinc enim oramus ut peccatorum tentationem superare possimus, ut spiritus dei, unde pignus accepimus, adiuvet infirmitatem nostram. Qui autem orat et dicit: Ne nos inferas in tentationem, non utique id orat ut homo sit quoniam est natura, neque id orat ut habeat liberum arbitrium, quod iam accepit cum crearetur ipsa natura, neque orat remissionem peccatorum, quia hoc superius dicitur: Dimitte nobis debita nostra, neque orat ut accipiat mandatum, sed plane orat ut faciat mandatum. Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est in tentatione defecerit, facit utique peccatum quod est contra mandatum. Orat ergo ut non peccet, hoc est ut ne quid faciat mali quod pro Corinthiis orat apostolus dicens: Oramus autem ad dominum ne quid faciatis mali. Unde satis apparet quod non ad peccandum, id est ad non malefaciendum, quamvis esse non dubitetur liberum arbitrium voluntatis, tamen eius potestas non sufficiat, nisi adiuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio clarissima est gratiae testificatio. Hanc ille confiteatur et eum gaudebimus sive rectum sive correctum. Distinguenda est lex et gratia: lex iubere novit, gratia iuvare. Nec lex iuberet, nisi esset voluntas, nec gratia iuvaret, si sat esset voluntas. Iubetur ut habeamus intellectum, ubi dicitur: Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur: Da mihi intellectum ut discam mandata tua. Iubetur ut habeamus, sapientiam ubi dicitur: Stulti, aliquando sapite, et tamen oratur ut habeamus sapientiam, ubi dicitur: Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non improperat et dabitur ei. Iubetur ut habeamus continentiam, ubi dicitur: Cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi deus det, et hoc ipsum erat sapientiae scire cuius esset hoc donum, adii dominum et deprecatus sum illum. Postremo ne nimium longum sit cuncta percurrere, iubetur ut non faciamus malum, ubi dicitur: Declina a malo, et tamen oratur ut non faciamus malum, ubi dicitur: Oramus autem ad deum, ne quid faciatis mali. Iubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur: Declina a malo et fac bonum, et tamen oratur, ut faciamus bonum, ubi dicitur: Non cessamus orantes pro vobis et postulantes, atque inter caetera quae illis orat dicit: Ut ambuletis digne deo in omne placitum, in omni opere et sermone bono. Sicut ergo agnoscimus voluntatem cum haec praecipiuntur, sic et ipse agnoscat gratiam cum petuntur.

Misimus reverentiae tuae librum quem dederunt religiosi et honesti adolescentes servi dei, quorum etiam nomina non tacemus, nam Timasius et Iacobus vocantur. Qui sicut audivimus et etiam nosse dignaris, ipsius Pelagii exhortatione spem quam habebant in saeculo reliquerunt et nunc continentes deo serviunt. Qui cum eodem errore tandem aliquando per qualemcumque operam nostram domino inspirante caruissent, protulerunt eumdem librum Pelagii esse dicentes et ut ei responderetur impendio rogaverunt. Factum est, et ad eosdem rescripta est ipsa responsio. Agentes gratias rescripserunt. Utrumque misimus et cui responsum est et quod responsum est. Et ne nimium essemus onerosi, signa fecimus his locis ubi petimus inspicere ne graveris, quemadmodum sibi obiecta quaestione quod gratiam dei negaret, ita respondit, ut eam esse non diceret, nisi naturam in qua nos condidit deus. Si autem hunc esse librum suum negat aut eadem in libro loca, non contendimus. Anathematizet ea et illam gratiam confiteatur apertissime quam doctrina christiana demonstrat et praedicat esse propriam christianorum, quae non est natura, sed qua salvatur natura: quae non auribus sonante doctrina vel aliquo adiumento visibili plantatur quodammodo et irrigatur extrinsecus, sed sumministratione spiritus et occulta misericordia sicut facit ille qui dat incrementum deus. Est enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia dei qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver quod non vivit, et arbor quae non sentit, aut pecus quod non intelligit, sed ut homines qui et essemus et viveremus et sentiremus et intelligeremus et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere valeamus, unde merito et ista gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita dei bonitate donata est, alia est tamen qua praedestinati vocamur, iustificamur, glorificamur, ut dicere possimus: Si deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis

omnibus tradidit illum. De hac gratia quaestio vertebatur, quando ab his quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret, quod non solum ad facienda, verum etiam ad perficienda mandata divina per liberum arbitrium sibi humana sufficeret natura. Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat qua salvamur et iustificamur ex fide Christi. De hac scriptum est: Non irritam facio gratiam dei, nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. De hac scriptum est: Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis. De hac scriptum est: Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non gratia. De hac scriptum est: Ei autem qui non operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam, et multa alia quae melius potes ipse meminisse et intelligere prudentius et illustrius praedicare. Illam vero gratiam qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis propheticis, evangelicis apostolicisque litteris legimus. Cum itaque de hac gratia christianis fidelibus catholicisque notissima illi obiiceretur quaestio, ut eam oppugnare desineret, quid est quod cum hoc sibi in libro suo, velut ab adversante persona, idem ipse obiecisset, ut se respondendo purgaret, nihil aliud respondit, nisi naturam creati hominis referri ad gratiam creatoris; atque ita se dicere impleri posse sine peccato iustitiam per liberum arbitrium cum adiutorio divinae gratiae, quod deus hoc dederit homini ipsa possibilitate naturae? Cui merito respondetur: Ergo evacuatum est scandalum crucis: ergo Christus gratis mortuus est. Numquid enim, si non moreretur propter delicta nostra et resurgeret propter iustificationem nostram, et si non ascenderet in altum et captivans captivitatem daret dona hominibus, ista naturae possibilitas quam defendit, in hominibus non esset? An forte dei mandatum deerat et ideo Christus mortuus est? Immo iam et hoc erat sanctum et iustum et bonum. Iam dictum fuerat: Non concupisces. Iam dictum fuerat: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. In quo sermone apostolus omnem legem dicit impleri. Et quoniam nisi diligat deum, nemo diligit seipsum, ideo dominus in his duobus praeceptis totam legem dicit prophetasque pendere: quae duo praecepta iam erant hominibus divinitus data. An aeternum iustitiae praemium promissum nondum erat? Hoc ipse non dicit qui in suis litteris posuit etiam in veteri testamento regnum caelorum esse promissum. Si ergo ad faciendam perficiendamque iustitiam iam erat naturae possibilitas per liberum arbitrium, iam erat legis dei sanctum, iustum, bonumque mandatum, iam erat promissum praemium sempiternum. Ergo Christus gratis mortuus est, ergo neque per legem iustitia, neque per naturae possibilitatem, sed ex fide ac dono dei per Iesum Christum dominum nostrum unum mediatorem dei et hominum: qui nisi in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra et resurrexisset propter iustificationem nostram, profecto et antiquorum fides evacuaretur et nostra: fide vero evacuata, quae homini iustitia remaneat, cum iustus ex fide vivat? Ex quo enim per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, procul dubio a corpore mortis huius, ubi lex alia repugnat legi mentis, neminem liberavit aut liberat sua possibilitas, quae perdita redemptore indiget, saucia salvatore, sed gratia dei per fidem unius mediatoris dei et hominum, hominis Iesu Christi qui et deus cum esset, hominem fecit, et manens deus homo factus refecit ipse quod fecit. Puto autem quod eum lateat fides Christi, quae postea in revelationem venit in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum, per quam tamen etiam ipsi dei gratia liberati sunt, quicumque omnibus humani generis temporibus liberari potuerunt occulto dei iudicio, non tamen vituperabili. Unde dicit apostolus: Habentes autem eumdem spiritum fidei, utique eumdem quem et illi, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur. Inde est quod ait ipse mediator: Abraham concupivit videre meum diem et vidit et gavisus est. Inde Melchisedech prolato sacramento mensae dominicae novit aeternum eius sacerdotium figurare. Iam vero data in litteris lege quam dicit apostolus subintrasse, ut abundaret delictum, et de qua dicit: Si ergo ex lege hereditas, iam non ex promissione, Abrahae autem per repromissionem donavit deus. Quid igitur lex? transgressionis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est, disposita per angelos in manu mediatoris; mediator autem unius non est, deus autem unus est. Lex ergo adversus promissa dei? Absit. Si enim data esset lex quae posset vivificare, omnino ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Nonne satis ostendit hoc actum esse per legem, ut peccatum agnosceretur et praevaricatione augeretur. Ubi enim lex non est, nec praevaricatio, et sic adversus victoriam peccati ad divinam gratiam quae in promissionibus est confugeretur: atque ita lex non esset adversus promissa dei, quia ideo per illam fit cognitio peccati et ex praevaricatione legis abundantia peccati, ut ad liberationem quaerantur promissiones dei, quod est gratia dei et incipiat in homine esse iustitia, non sua, sed dei, hoc est data dono dei. Quam etiam nunc quidam, sicut et tunc de iudaeis dictum est: ignorantes dei iustitiam et suam volentes constituere, iustitiae dei non sunt subiecti. Per legem quippe et illi se

iustificari arbitrantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio, hoc est iustitia sua prolata ex natura humana, non donata ex gratia divina, propter quod iustitia dei dicitur. Unde item scriptum est: Per legem enim cognitio peccati: nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata per legem et prophetas. Cum dicit: manifestata est, ostendit quia et tunc erat, sed tamquam illa pluvia quam Gedeon impetravit tunc velut in vellere occulta, nunc aut velut in area manifesta. Cum ergo lex sine gratia non mors peccati potuisset esse, sed virtus: sic enim dictum est: Aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati lex. Sicut confugiunt multi a facie repugnantis peccati ad gratiam velut in aream nunc patentem, ita pauci ad eam confugiebant velut in vellere tunc latentem. Haec vero temporum distributio refertur ad altitudinem divitiarum sapientiae et scientiae dei, de qua dictum est: Quam inscrutabilia sunt iudicia dei et investigabiles viae eius. Quapropter et ante tempus legis et tempore ipso legis iustos patres ex fide viventes non possibilitas naturae infirmae et indignae ac vitiatae et sub peccato venumdatae, sed dei gratia per fidem iustificabat et nunc eadem in apertum iam veniens revelata iustificat. Anathematizet ergo Pelagius scripta sua, ubi contra eam, etsi non per contumaciam, tamen per ignorantiam disputat, possibilitatem defendendo naturae ad vincenda peccata et implenda mandata: aut si ea esse sua negat aut scriptis suis ab inimicis suis dicit immissa quae sua esse negat, anathematizet ea et damnet paterna exhortatione et auctoritate sanctimoniae tuae. Si vult, onerosum sibi et perniciosum discat ecclesiae scandalum auferre, quod scandalum auditores et in perversum dilectores eius usquequaque spargere non quiescunt. Si enim cognoverint eumdem librum quem illius vel putant esse vel norunt episcoporum catholicorum auctoritate et maxime sanctitatis tuae quam apud eum esse maioris ponderis minime dubitamus, ab eodem ipso esse anathematizatum atque damnatum, non eos ulterius aestimamus ausuros loquendo contra gratiam dei quae revelata est per passionem et resurrectionem Christi, pectora fidelia et simpliciter christiana turbare, sed potius adiuvante misericordia dei concertantibus nobiscum caritate ac pietate flagrantibus orationibus tuis non solum ut in aeternum beati, verum etiam iusti et sancti sint, non in sua virtute, sed in eadem gratia confisuros. Unde et ad ipsum scriptam ab uno nostrum epistolam ad quem per quemdam diaconum Orientalem, civem autem Hipponensem, tamquam purgationis suae quaedam scripta transmisit, tuae beatitudini potius credidimus dirigendam, melius iudicantes et petentes ut eam emittere ipse digneris, sic enim eam legere potius non dedignabitur, magis in illa eum qui misit, quam qui scripsit attendens. Illud vero quod dicunt, posse esse hominem sine peccato et mandata dei custodire facile, si velit; quamvis cum hoc per adiutorium gratiae, quae tamen per incarnationem unigeniti eius revelata atque donata esse dicitur, tolerabilius dici videatur tamen quoniam non merito quaeri potest, ubi et quando per eamdem gratiam id efficiatur in nobis, ut sine illo prorsus peccato simus, utrum in hac vita quando caro concupiscit adversus spiritum, an vero in illa cum fiet sermo qui scriptus est: Ubi est, mors, victoria tua, ubi est, mors, aculeus tuus? aculeus enim mortis peccatum est: diligentius pertractandum est propter alios quosdam qui senserunt atque in suis litteris memoriae mandaverunt, etiam in hac vita posse esse hominem sine peccato, non ab initio nativitatis suae, sed conversione a peccatis ad iustitiam et a via reproba ad bonam vitam. Sic enim intellexerunt quod de Zacharia et Elisabeth scriptum est: Ambulasse eos in omnibus iustificationibus domini sine querela. Hoc quod dictum est sine querela, sine peccato dictum acceperunt, non quidem negantes, immo etiam quod aliis locis in litteris eorum invenitur pie confitentes adiutorium gratiae domini nostri non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem spiritum dei. Qui parum considerasse videntur ipsum Zachariam fuisse utique sacerdotem. Omnes autem sacerdotes necesse habebant ex lege dei primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populi. Sicut ergo nunc per orationis sacrificium convincimur non esse sine peccato quoniam iussi sumus dicere: Dimitte nobis debita nostra, ita et tunc per sacrificia victimarum animalium convincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis iubebantur offerre. Quod si res ita se habet, ut per gratiam salvatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate caritate crescente, perficiamur autem in illa vita, cupiditate extincta, caritate completa, profecto illud quod scriptum est: Qui natus est ex deo, non peccat, secundum ipsam caritatem dictum est quae sola non peccat. Ad nativitatem quippe quae ex deo est, augenda et perficienda caritas pertinet, non ea quae minuenda et consumenda est cupiditas. Quae tamen quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis, sed natus ex deo, non obediens desideriis carnis nec exhibens membra sua arma iniquitatis peccato potest dicere: Iam non ergo operor illud, sed id quod habitat in me peccatum. Sed quoquo modo se habeat ista quaestio, quia etsi non invenitur in hac vita homo sine peccato, id tamen posse fieri dicitur per adiutorium spiritus dei et gratiae. Quod ut fiat conandum atque poscendum est, tolerabiliter in eo quisque fallitur, nec diabolica impietas, sed error humanus est elaboranda et optanda affirmare, etiamsi quod affirmat non possit ostendere. Id enim credit fieri posse quod certe laudabile est velle. Nobis autem sufficit quod nullus in ecclesia dei fidelium reperitur in quolibet provectu excellentiaque iustitiae qui sibi audiat dicere non necessariam precationem

orationis dominicae: Dimitte nobis debita nostra, et dicat se non habere peccatum, ne seipsum decipiat et veritas in eo non sit, quamvis iam sine querela vivat. Non enim qualescumque etiam tentationis humanae, sed grave peccatum est quod in querelam venit. Cetera quae illi obiecta sunt, sicut gestis defensa perviderit, ita de his procul dubio tua beatitudo iudicabit. Dabit sane veniam mitissima suavitas cordis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis quam velles, misimus sanctitati tuae. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed in hac non parva tentatione temporis unde nos liberet, cui dicimus: Ne nos inferas in tentationem, utrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus: tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari.

Incipit epistola papae Innocentii ad suprascriptos.[1]

Innocentius Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio, Possidio episcopis salutem.

Fraternitatis vestrae litteras plenas fidei totoque religionis catholicae vigore firmatas a duobis missas conciliis vestris per fratrem et coepiscopum nostrum Iulium pergrato suscepimus animo, quod earum tenor omnisque contextio in consideratione quotidianae gratiae dei et in eorum correctione qui contra sentiunt integra ratione consistit: ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum dato quovis nostrae legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint praebere doctorem. Sed de his iam satis, ut opinor, supra diximus, cum vestris relationibus respondentes rescripsimus, quid vel de eorum perfidia vel de vestra sententia sentiremus. Sed subinde contra eos subvenit et suppeditat quod dicatur, nec potest aliquando esse quod vincat cum tam miserum impiumque sit quod nostrae fidei virtute et ipsa plenius veritate vincatur. Qui enim omnem vitae spem respuit atque contemsit inimica damnabilique cor suum disputatione confundens, cum credit nihil esse quod a deo accipiat, nec aliquid superesse quod petat ad sanandum se, qui sibi hoc abstulit ulterius quid reliquit? Si ergo sunt aliqui, quos in sui defensionem perversitas tanta devinxit, qui huic se dogmati dedant atque coniungant, sperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod abhorrens longius et penitus approbatur adversum infecti illorum et monitis et verbis ut labentur, inducti, quatenus ad rectum vitae tramitem redeant, festinabunt, ne diutius mentem obsidens velut eorum sensibus patres error invadat. Nam si Pelagius quocumque loco restitit, eorum animos qui facile vel simpliciter crederent disputanti, hac affirmatione decepit, seu hic illi in urbe sunt, quod nescientes nec manifestare nec negare possumus, cum et si sunt lateant, nec aliquando audeant vel illum praedicantem ista defendere vel talia aliquo nostrorum praesente iactare et in tanta populi multitudine non deprehendi aliquis facile vel alicubi possit agnosci, sive in quovis terrarum loco degant: domini nostri misericordia gratiaque credimus, quod facile corrigantur, audita eius damnatione qui fuerit pertinax et resistens huius dogmatis auctor inventus. Nec interest, ubi isti fuerint, dum ubicumque inveniri potuerint, sint sanandi. Nobis tamen nec persuaderi potest eum esse purgatum, quamvis ad nos a nescio quibus laicis sint gesta perlata, quibus ille et auditum se crederet et absolutum. Quae utrum vera sint dubitamus, quod sub nulla illius concilii prosecutione venerint, nec eorum aliquas accepimus de hac re litteras, apud quos istius rei iste praestitit caussas. Quod si de sua ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo verius esse potuerat, ut illos cogeret epistolis suis qui iudicaverant indicare. Verum cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quae obiecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentatis quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo. Sed utinam quod optandum magis est, etiam se ille ad veram catholicae fidei viam ab illo sui tramitis errore convertat, ut cupiat velitque purgari, considerans quotidianam dei gratiam adiutoriumque cognoscens, ut videatur vere et approbetur ab omnibus manifesta ratione correctus, non gestorum indicio, sed ad catholicam fidem corde converso. Unde non possumus illorum nec approbare nec culpare iudicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse quam se tota veritate purgasse. Qui si confidit novitque non nostra dignum esse damnatione quod dicat aut iam hoc totum se refutasse quod dixerat, non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit, quando se nostro iudicio quibusvis acceptis litteris, cum se sciat damnandum esse, committet? Quod si accersiendus esset, ab his melius fieret qui magis proximi et non longo terrarum spatio videntur esse disiuncti, sed non deerit cura si medicinae praebeat ille materiam. Potest enim damnare quae senserat ac datis litteris erroris sui, ut regressum ad nos decet veniam postulare, fratres carissimi. Librum sane qui eius esse diceretur nobis a vestra caritate transmissum evolvimus, in quo multa contra dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphema, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cuius similia nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. Nam hoc

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Quesnell.* (*p.* 160); *divisio capp. ibidem prolata in Ps.-Isid. non legitur.*

loco latius de lege disputare velut coram posito repugnanteque Pelagio necessarium esse non duximus cum vobiscum totam rem scientibus parique nobiscum assensione gaudentibus colloquamur. Tunc enim melius haec exempla ponuntur, quando cum his quos harum constat rerum imprudentes esse tractamus. Nam de naturae possibilitate, de libero arbitrio et de omni dei gratia et quotidiana gratia, cui non sit recte sentienti uberrimum disputare? Anathematizet ergo ista quae sensit, ut illi qui fuerant eius sermonibus praeceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera, cognoscant. Facilius enim revocari poterunt, cum ista a suo senserint auctore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est quatenus vel his possit subveniri, quos non suus sed huius magis error induxit, ne et illis haec medicina pereat, cuius iste talem non admittit, nec postulat curam. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data VI. Kal. Febr.

Item familiaris epistola papae suprascripti ad Aurelium Cartaginensem episcopum.[1]

Innocentius Aurelio Carthaginensi episcopo.

In familiaribus scriptis dilectio vera consistit, etenim ius firmius caritatis officia melius seorsum mercantur. Quamobrem per fratrem nostrum Iulium epistolae extrinsecus missae respondere gestivi, ne apud me forsitan remaneret peculiaris negatae salutationis offensa, frater carissime. Supradictum igitur fratrem nostrum tuae dilectioni restituo, cum apostolicae sedis ad relationem duplicis synodi iudicatis. Superest, ut oratus a nobis dominus praestare dignetur, quatenus omnis ecclesiae suae macula continuis laboribus nostris possit abstergi. Dominus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VI. Kal. Febr.

Item Innocentii ad Maximum et Severum episcopos de his qui in presbiterio filios genuerint, ut ab officio removeantur. XXXIII.[2]

Innocentius Maximo et Severo episcopis per Britios.

Ecclesiasticorum canonum norma nulli esse debet incognita sacerdoti, quia nesciri haec a pontifice satis est indecorum, maxime quum a laicis religiosis viris et sciatur et custodienda esse ducatur. Nuper quidem Maximilianus filius noster agens in rebus huiusmodi qualem querelam detulerit, libelli eius series adnexa declarat.

Quod hi qui in presbiterio filios genuerint, removeri ab offitio debeant.[3]

Qui zelo fidei ac disciplinae ductus non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios adserit procreasse: quod non licere exponerem nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres carissimi, libelli qui subiectus est tenore perspecto, eos qui talia perpetrasse dicuntur, iubebitis in medio collocari discussisque obiectionibus quae ipsis presbyteris impinguntur, si convinci potuerint, a sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt sancta adtrectare non possunt, atque alieni efficiantur a ministerio quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autem haec eorum dissimulare episcopos, ut aut connivere aut nescire esse illicita iudicentur.

Item Innocentii ad Agapitum et reliquos episcopos, quod post poenitentiam nullus ad clerum possit admitti.[4]

Innocentius Agapito, Macedonio et Mauriano, episcopis Apulis.

Multa in provincia contra canones ecclesiasticos decretaque maiorum usurpari a plurimis et relationes diversorum et suggestiones fidissimae retulerunt. Quae quidem possent facile resecari, si episcopi in his non invenirentur auctores, qui dum aut amicis aut obsequiis gratiam praestare nituntur, religionem violant ordinesque corrumpunt, ac sic evenit ut indigni quique honores suscipiant ecclesiasticos et admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere merentur, sicuti nunc dato nobis libello monstratum est, Modestum quemdam multis criminibus involutum, propter quae etiam poenitentiam egisse dicitur, non solum clericum effectum, quod non licet, verum etiam ad episcopatus apicem tendere, cum canones apud Nicaeam constituti poenitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludant. Et ideo, fratres carissimi, perspecto tenore libelli eum iubete praesentari, ut si vere constiterit talem qualem libellus adfirmat, non solum ab ambitione, sed etiam a clericatus removeatur officio.

Item Innocentii papae ad Rufum et Gerontium et ceteris per Macedoniam episcopis constitutis de Bubalio et Tauriano damnatis a provintialibus episcopis, quorum sententiam sedes apostolica retractare curavit.[5]

Innocentius Rufo, Gerontio, Sophronio, Flaviano, Macedonio, Prosdotio et Oristeo, episcopis per Macedoniam constitutis.

Mora coepiscoporum nostrorum Maximiani et Eumenii, vel potius importunitas temporis fecit, ut vos iteraretis de Bubalio et Tauriano querimoniam, et nos iterum in homines perditissimos insurgeremus. Sed, ut possum, paucioribus verbis malorum tanto-

[1] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Quesn.* (*p.* 164.) [2] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. des. ex ed. cit. coll. Hisp. no.* 10. *p.* 20. [3] *Quam inscriptionem in ipsam epistolam inserunt Par. cit., Carnot.* 67bis, *Rotom.* 15/9. *E.* [4] *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 11. *p.* 20. [5] *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 12. *p.* 21.

rum meditabor compendium et strictim quae in volumine litterarum vestrarum conspexerim retractabo. Grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris cuiuscumque retractari iudicium, quia veritas exagitata saepius magis splendescit in lucem, et pernicies revocata in iudicium gravius et sine poenitentia condemnatur. Nam fructus divinus est iustitiam saepius recenseri, fratres carissimi. Verum illud video movisse animos vestros quod in multis Bubalius saepe fallaciis reprehensus obiecerit exemplaria fictarum quasi a nobis litterarum, quum pro consuetudine hominis nihil quod proferret iam fide dignissimum videretur. Sed sileatur omne iam de tali negotio murmur et convicti diaboli ipsi anhelitus comprimantur. Subiunximus autem his priores litteras, quas per memoratos episcopos miseramus, quibus ita plenaria sententia nostrorum sensuum designata est, ut dum relegeritis nihil ambiguum, nihil requirendum in hac causa de cetero repetatis. Hanc autem paginulam nostram sollicitius Cretensibus episcopis relegendam mittite, ut sciant plenissime quid sit de Bubalio et Tauriano ceterisque pronuntiatum, ut servent qui digni admonitione sunt cavere a talibus, ne talibus sortiantur.

Item Innocentii papae ad Florentium episcopum Tiburtinensem de terminis minime transferendis. XIII.[1]

Innocentius Florentio episcopo Tiburtinensi.

Non semel sed aliquoties clamat scriptura divina transferri non oportere terminos a patribus institutos, quia nefas est, si quod alter semper possederat alter invadat, quod tuam bonitatem frater et coepiscopus noster Ursus asserit perpetrasse. Nam Nomentanam sive Faciliensem parochiam ad suam dioecesim a maioribus pertinentem invasisse te atque illic divina celebrasse inconsulto eodem ac nesciente non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leviter te incurrisse cognoscas. Unde si declinare cupis tantae usurpationis invidiam, nostris litteris admonitum te convenit abstinere. Certe si aliquid tibi credis iustitiae suffragari, integris omnibus et in pristino statu manentibus, post dies venerabiles paschae adesse debebis, ut memoratis possis intentionibus respondere, partibusque in medio collocatis quid antiquitas aut veritas habeat inquiramus.

Item Innocentii papae ad Probum si cuius uxor fuerit abducta in captivitatem et alteram maritus acceperit revertente prima secunda debet excludi.[1]

Innocentius Probo.

Conturbatio procellae barbaricae facultati legum intulit casum, et bene constituto matrimonio inter Fortunium et Ursam captivitatis incursus fecerat naevum, nisi sancta religionis statuta providerent. Quum enim in captivitate praedicta Ursa mulier teneretur, aliud coniugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur. Sed favore domini reversa Ursa nos adiit, et nullo diffitente uxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, domine fili merito illustris, statuimus fide catholica suffragante illud esse coniugium, quod erat primitus gratia divina fundatum conventumque secundae mulieris priore superstite nec divortio eiectae, nullo pacto posse esse legitimum.

Item Innocentii papae ad Aurelium Cartaginensem et Augustinum Iponiensem episcopos scripta salutaria plena caritate. XV.[2]

Innocentius Aurelio et Augustino episcopis.

Acceptissimi mihi Germani compresbyteri, illo recursus vacuus officio nostro esse non debuit. Per caros enim salutare carissimos naturale quodammodo nobis videtur et consequens. Gaudere igitur in domino vestram germanitatem, amantissimi, cupimus et pro nobis paria ad deum vota rependere precamur, quia, ut bene nostis, communionibus et alternis plus agimus orationibus quam singularibus aut privatis.

Item Innocentii papae ad eundem Aurelium Cartaginensem episcopum de pascha. XVI.[2]

Caritatis nostrae officium nullo intervallo dirimitur, etiam si charta nullos apices ferat; vivit enim spiritualis gratia alternis in cordibus, et amorem nostrum confovet sacerdotalis ipsa societas. Cura ergo, ut dignum est, unitatem ecclesiae custodire, idemque omnes pariter et sentiamus et pronuntiemus, frater carissime. Has ergo litteras de ratione paschali alterius, dico futuri anni praescripsi. Nam quum ante diem undecimum Kalendarum Aprilium plene luna XVI. colligatur (non quippiam minus est) itemque quum in ante diem IV. Kalendarum earumdem veniat XXIII., existimavi XI. Kalendarum memoratarum die festa paschalia celebranda, quoniam in vicesima tertia luna nullum pascha unquam ante hoc factum esse cognoscimus. Sententiae meae exposui atque edixi tenorem. Iam prudentiae erit tuae, consors mihi frater, cum unanimis et consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in synodo religiosissima retractare, ut si nihil dispositioni nostrae resultat, nobis plenissime aperteque scribas, quo deliberatam paschalem diem iam litteris ante, ut moris est, servandam suo tempore praescribamus. Compresbyterum autem Archidamum quamvis noverim quod libentissime ac more suscipias consueto, tamen ex abundantibus postulo ut eum inter tuos habere digneris.

1 *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. p.* 22. (*no.* 13 & 14). 2 *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. p.* 23. (*no.* 15 & 16).

Item ad eundem Aurelium Cartaginensem episcopum, ut nullus contra ordinem canonum efficiatur episcopus. XVII.[1]

Dilectissimo fratri Aurelio Innocentius.

Qua indignitate, qua molestia male tractari ecclesiam praecipueque episcopos relegam vel audiam, et tua fraternitas bene novit, et ego idonea tanto dolori verba invenire non possum, dum facile imponuntur manus, dum negligenter summus sacerdos adligitur. Ecce facta est querela publica quae fecit semper, ut communis omnibus tremenda sit reverentia. Sic clerici ecclesiasticorum dogmatum nutriti vel honorati intra altaria Christi respuuntur, sic praetereuntur, quasi nefas sit ad primatum per ordinem pervenire. Nam quum involuti mundanis nexibus, actibus vel moribus abrupte adsciscuntur ad tanti collegium sacerdotii, et illi videntur contemni, de quibus oportuerat eligi et isti male intromitti, qui praeter ordinem irrumpunt potius quam deliguntur. Quam enim miserum est eum magistrum fieri, qui numquam discipulus fuit! Eum summum fieri sacerdotem qui numquam ullo gradu obsequutus fuerit sacerdotii. Relege praefectorum litteras et vide quae falso vel pro certo sublimium potestatum adnotentur scriptis. Perdidimus profecto nos ipsi, nos, inquam, sanctimoniae reverentiam, qui quasi vilissimum aliquid summos efficimus sacerdotes, ut iam incipiat quasi noxium aliquid publicis interloquutionibus condemnari. Frater carissime, haec velim cuncta recitanda per omnes Africanas ecclesias scripta dirigas, et istis connectas quas adiunximus litteras praefectorum, ut consilium de his quae inique laudantur iudiciumque, si quid tale probari poterit, fiat, ut et praeterita mala, si doceantur admissa, digna severitate coerceantur et de futuro caveatur ne ecclesiae sanctitas per nostram fatigata negligentiam perdat privilegia quae est per viros venerabiles consequuta. Deus te incolumen custodiat. Data II. Non. Iun. Iulio IV. et Palladio V. conss.

Item Innocentii ad Iulianam nobilem scripta exortatioria. XVIII.[1]

Singulare membrum ecclesiae tuae religionis amplitudinem existere et a nobis reverentissime coli, satis est omnibus manifestum; ipso enim apice nobilitatis multo nobiliorem ecclesiae devotionem impendis, et magis laeta Christi agnitione praeceptis eius obtemperas et in fide potius exultas quam tanti generis flore iactaris. Summae virtutis est vicisse gloriam carnis et magnae est Christi gratiae nobilitatem moribus superasse, domina filia, merito illustris. Certa igitur existens, dilectissima, vitae huius quaecumque sunt spatia aeternis divinisque officiis illustrare contende, ut qui insignem te praestitit reddat sibi per secula clariorem.

Item Innocentii papae ad Bonifacium presbiterum de Antiocena ecclesia. XIX.[2]

Innocentius Bonifacio presbytero.

Ecclesia Antiochena quam priusquam ad urbem perveniret Romam beatus apostolus Petrus sua praesentia illustravit, velut germana ecclesiae Romanae diu se ab eadem alienam esse non passa est. Nam missis legatis ita pacem postulavit et meruit, ut Evagrianos suis ordinibus ac locis intemerata ordinatione quam acceperant a Memorato susciperet et Ioannis sanctae memoriae vel clericos vel laicos in unum colligeret atque congregaret, promittens ipsius civitatis episcopus frater meus Alexander, etiam si quis forte vel a nobis vel aliunde posterioris ordinationis ad eosdem advenerit, se sine controversia recepturum, ac nomen episcopi Memorati inter quiescentes episcopos recitaturum. Cuius rei nos noveris tradidisse manus, frater carissime, et eos in nostra viscera recepisse, ne diu membra quae requisiverant sanitatem ab universitate corporis haberentur aliena. Omnia vero quae per ordinem gesta sunt, filius meus diaconus Paulus, harum scilicet portitor litterarum, tuae dilectioni poterit enarrare, ut et gaudium commune nobiscum habeas et eos informes qui pro Attici partibus intervenire consueverunt.

Item Innocentii ad Alexandrum Antiocenum episcopum de pace. XX.[3]

Innocentius Alexandro episcopo.

Quam grata mihi, quam pia, quam necessaria legatio ex tua sanctitate, frater carissime, ad nos directa fuerit, gestorum ipsorum replicatione cognoces. Voluit enim compresbyter noster Cassianus hanc amicitiarum nostrarum paginulam, per compresbyterum nostrum Paulum, Nicolaum diaconum et Petrum subdiaconum filios nostros quasi primitias pacis nostrae conscribi. Saluto itaque et tuam mihi in Christo germanitatem et omnem illam quae tecum bene sentit ecclesiam, nosque, ut facitis, et adloquamini peto crebrius litteris et frequentius de vestra salute laetificetis. Dabit enim, ut confido, dominus totius nos praeteriti temporis dispendia amantissimo litterarum colloquio repensare.

Item Innocentii papae ad Maximianum episcopum de Attico Constantinopolitano episcopo. XXI.[4]

Innocentius Maximiano episcopo.

Miramur prudentiam tuam scripta ad Atticum episcopum Constantinopolitanae urbis

[1] *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. p.* 24. (*no.* 17 & 18). [2] *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 19. *p.* 25. [3] *Inscript. sec. Par. cit., in qua corr.* paca *in* pace; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 20. *p.* 26. [4] *Inscript. sec. cod. Par. cit., qui* beutico *pro* de Attico *habet; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 21. *p.* 26.

a nobis et prosequutione propria et dato libello, qui subter annexus est, postulare a quo nec missas ullas saltem epistolas ad nos vel ad nostram synodum utique protulisti. Idque non petenti aestimes tribuendum, quod videas deprecantibus discussa ratione concessum. Communio enim suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, iam esse detersas et profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos neque apud nos, ut praedixi, Atticus missis aliquibus suorum vel dicere voluit vel demonstrare completum, quemadmodum Antiochenae ecclesiae frater et coepiscopus noster Alexander digna legatione et prosequutus est et probavit. Quibus omnibus utique interesse dignatus cognovisti, quemadmodum sigillatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa beatissimi Ioannis quondam episcopi nostri discusserim, ut quae illi in omnibus satis evidenter monstraverint universa, quae apud Antiochiam fieri debuerint, fuisse completa. Quorum amplexati pacem utique fidem fecimus et magno tramite omnibus eamdem quam praestolaris ostendimus, si modo quae discussa sunt atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse vel complesse aliquando monstraverint communionemque, ut isti, legatione solemniter destinata sibi rogaverint redhiberi. Expectamus ergo et professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diversis temporibus praediximus et petitionem communionis, ut recte et petenti et probanti se eamdem mereri reddamus, frater carissime. Nam de omnibus plenissimas ad sanctam fratrum nostrorum synodum dudum litteras percepisti.

Item Innocentii ad Alexandrum Antiocenum episcopum de pace. XXII.[1]

Innocentius Alexandro Antiocheno episcopo.

Apostolici favoris gratia magno pacis usque ad nos decore resplenduit tantumque lucis gaudiorumque fulsit fidelibus, ut dicentes deo maximas laudes maiores nos debere fateamur, plusque a deo iucundati sumus, quod discussis omnibus lateribus actionum tuae fraternitatis, ita totum pietate ac patientia gestum cognovimus, ut in omnibus dominum laudaremus, successumque ipsum ideo praestitum tuis laboribus videamus, quod tanta virtute pacis amator existens eam requisitam inveneris et repertam summa caritate servaveris cum erga omnes tum praecipue circa illos qui quondam Paulini atque Evagrii episcoporum censiti fuerant nomine. Habeo summam votorum meorum, quum antiqui naevi purgatio tuis temporibus tuisque meritis prorogatur. Quorum etiam illos eiusdem nominis qui in Italia merita clericatus acceperant, censui bono quietis gratiam retinere susceptam. Et quia noster compresbyter Cassianus gratum dixit tuae fore dignationi, si meo consilio in civitate vestra clericatus ordinem ducere censerentur, statui propter benevolentiam tuam promissaque memorati, ut inter ceteros sacerdotes ministrosque qui in civitate sunt adnumerentur, frater carissime. Libenter praeterea de episcopis Helpidio atque Pappo cognovi quod sine quaestione suas ecclesias recuperaverint et multum in gestis, ut subiecta testantur, sollicitius inquisivi, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati et vere deo digni sacerdotis Ioannis. Et quum per singula assertio legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens domino communionem ecclesiae vestrae ita recepi, ut per me feram apostolicae sedis condiscipulos primos dedisse ceteris viam pacis, in qua firmatos vos nosque domini Christi ita benignitas amplexabitur atque communiet, ut nullo de cetero titillamento vel levi cuiusquam contentionis pudore pulsetur. Scripta autem Acacii episcopi, quoniam cum vestris porrecta suscepimus, ne per vestram iniuriam ille qui olim a nobis suspensus fuerat repudiaretur et tamen satis abunde quae in actis statuimus, sicut dignanter relegere procurabis, quid in eius persona debeat custodiri, ut si per omnia vestris consiliis actibusque tam sanctis se rogaverit esse communem, praestetur seni favore vestro nostroque iudicio communionis ac litterarum a nobis gratia prorogata. Subscripserunt viginti episcopi Italiae.

Item Innocentii papae ad eundem Alexandrum Antiocenum episcopum. XLV.[2]

I. Quod prima sedes beati Petri apud Antiochiam esse memoretur.[3]

II. Quod non oporteat secundum constituta imperatorum duos esse metropolitanos episcopos.

III. Quod Arianorum clerici non sint recipiendi in suis officiis, quamvis eorum baptismum, quod catholicum constat, confirmet ecclesia.

Innocentius Alexandro episcopo.

I. Et onus et honor nobis a tua fraternitate impositus necessarii tractatus causas induxit, quo litteris vel commonitorio vestro, ut dat sancti spiritus gratia respondere possimus. Revolventes itaque auctoritatem Nicaenae synodi quae una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quae censuit de Antiochena ecclesia cunctis fidelibus ne dixerim sacerdotibus esse necessarium custodire, qua super dioecesim suam praedictam ecclesiam non super aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem adtributum, quam quod prima apostoli sedes esse monstretur, ubi et nomen accepit religio christiana et quae conventum

[1] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no. 22. p. 27.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no. 23. p. 28.* [3] *Rubr. I. deest in ed. cit. Hisp.*

apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quaeque urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit ista susceptum apud se consummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu. Vicinos autem si aestimas ad manus impositionem tuae gratiae statuas pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura praecipue tuum debent mereri iudicium.

II. Nam quod sciscitaris utrum divisis imperiali iudicio provinciis, ut duae metropoles fiant, si duo metropolitani episcopi debeant nominari, non vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum dei ecclesiam commutari honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem metropolitanos episcopos convenit numerari. Ciprios sane asseris olim Arianae impietatis potentia fatigatos non tenuisse Nicaenos canones in ordinandis sibi episcopis et usque adhuc habere praesumptum, ut suo arbitratu ordinent neminem consulentes. Quocirca persuademus eis, ut curent iuxta canonum fidem fidem catholicam sapere atque unum cum ceteris sentire provinciis, ut appareat spiritus sancti gratia ipsos quoque ut omnes ecclesias gubernari.

III. Arianos praeterea caeterasque eiusmodi pestes qui eorum laicos conversos ad dominum sub imagine poenitentiae ac sancti spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipere dignitate. Quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus quod utique in nomine patris et filii et spiritus sancti perficitur nec sanctum spiritum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur, quoniam quum a catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem spiritus quam acceperant amiserunt. Nam nec dare eis plenitudinem possunt, quae maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suae perfidiam potius, quam fidem dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti spiritus percipiendam gratiam cum poenitentiae imagine recipiamus? Gravitas itaque tua haec ad notitiam coepiscoporum vel per synodi, si potes, vel per harum recitationem facias pervenire, ut ea quae ipse tam necessario percontatus es et nos tam elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur.

Item Innocentii papae ad Atticum Beroe episcopum de sancto Iohanne Constantinopolitano episcopo. XXIV.[1]

Adgaudere litteris fraternitatem tuam de receptis Paulini vel Evagrii episcoporum clericis populisque et de restitutis Helpidio atque Pappo coepiscopis percensuimus et vel sero receptae pacis gratiam te fovere postposita omni contentione pervidimus. Unde has ad praestantissimum fratrem et coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuae transmisimus unanimitati, videlicet, ut si omnis inimicitia, omnis aemulatio de nomine sancti Ioannis mirandi episcopi, quam de omnibus eiusdem communionis participibus a tua animositate discessit, has nostrae societatis recipias litteras, frater carissime, modo ut omnia, quae hic actis firmata sunt, apud mediatorem nostrum amabilem Alexandrum ore proprio, ut communicantem convenit fatearis. Ut enim haec nobis unanimitatis caritatisque causa venerabilis est, sic inhaeret sollicita, ne quid obliquum aut succisivum esse in quoquam residere noscatur.

Item Innocentii papae ad Laurentium Siniensem episcopum. XLVII.

I. De Bonosiacis quod iudaeis sint comparandi.

II. De suscipiendis clericis quos Bonosus antequam damnaretur ordinasse cognoscitur.[2]

Innocentius Laurentio episcopo Siniensi.

I. Diu mirati sumus dilectionis tuae litteris lectis haereticos Photini venena sectantes in territorio dilectionis tuae non solum esse, sed et publice sibi conventicula in aliquorum possessionibus praeparare, cum de toto pene orbe nusquam tam multi quam apud vos legerint habitare. Quorum doctrinae nefariae auctor Marcus dudum de urbe pulsus temeritatis tantae est ductus audacia, ut primum sibi inter eos vendicet locum. Sed ne ulterius debacchandi habeant facultatem et animam simplicium ac rusticanorum secum in gehennam cui destinati sunt trahant, actum est adversum eos a defensoribus ecclesiae nostrae, quod eos possint expellere, ut qui Christum deum ex patris substantia ante secula negant genitum, hi cum iudaeis, qui eius deitatem negaverunt et nunc usque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater carissime, quae praecepta sunt non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione

[1] *Inscript. sec. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no. 24. p. 29. In Hisp. rectius inscribitur epistola:* ad Acacium; *sed omnes codd. Ps.-Isid. cum Par. cit. conspirant. (Cf. Coustant, epist. Rom. pontif. p. 847.)* [2] *Inscript. et rubricae sec. cod. cit.; text. sec. coll. Hisp. ed. cit. no. 25. p. 29. In qua epistola inscribitur:* epist. eiusd. Iun. p. ad Laur. Sin. episc. de Bonosiacis quod iudaeis sint comparandi *et cap. II. quod in cod. cit. inscribitur* Martiano *ut pars epistolae ad Laurentium exhibetur.*

deperdas et incipias deo de perditis reddere rationem.

Innocentius Martiano, episcopo Naisitano.[1]

II. Superiori tempore, si tamen recte reor, me memini tam ad dilectionem tuam quam ad fratres et coepiscopos nostros Rufum et ceteros huiusmodi litteras de clericis Naxensibus transmisisse, his videlicet qui se ante damnationem Bonosi adsererant ab eodem tam presbyteros quam diaconos ordinatos, ut si relicto atque damnato eius errore vellent ecclesiae copulari, libenter reciperentur, ne forte qui essent digni recuperandae salutis in eodem errore deperirent. Verum nunc in Ravennati urbe mihi constituto propter Romani populi necessitates creberrimas Germanus, qui se adserit esse presbyterum, atque Lupentius qui se diaconum dicit, multorum talium quasi legatione suscepta prece fusa dolores proprios exprimere gestierunt, adserentes se quidem ecclesias in dilectionis tuae constitutas paroeciis retinere, sed tuam communionem non potuisse mereri, ea videlicet ratione, quia Rusticius quidem nomine iterata ordinatione presbyterium suscepisset. Et non levi impedimento fit, dum aut illi dolent huiusmodi hominem in ecclesia retineri aut ille sic peccare debere in alio arbitretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Et quamvis de eadem re plenius litterae meae contineant, quas superius memoravi, tamen etiam nunc admonendam duximus fraternitatem tuam, ut si vere constat aliquos ante damnationem Bonosi ordinatos ab eodem, postea voluisse vel nunc velle reverti, eos recipiendos esse censeamus, maxime quum memorati adserant se intantum anteriori tempore ordinatos, ut sanctae recordationis virum Cornelium episcopum Sirmiensis urbis, necnon et fratrem nostrum Nicetam aliosque nonnullos fuisse praesentes cum honoribus quos se habere commemorant, fateterentur. Unde, frater carissime, si eorum assertio fidem recipit veri, suscipiendos esse ambigere non debes, quos tamdiu ecclesias sibi creditas passus es retinere.

Item eiusdem Innocentii epistola ad Rufum et Eusebium ceterosque episcopos. XLVIII.[2]

I. Ut si sacerdos vel quilibet ex clero viduam uxorem duxerit vel abiectam, suum officium perdat.
II. Ut si quis catechumenus habuerit uxorem defunctam iam et post baptismum acceperit alteram, clericus esse non possit.
III. Quod non admittantur clerici ab haereticis ordinati.
IV. Quod in ordinationibus crimina vel vitia non bene credantur auferri.
V. Quod hi, qui a Bonoso haeretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret ecclesiae.
VI. Quod in ecclesia peccatum populi inultum soleat praeterire.
VII. Quod subreptum fuerit apostolicae sedi et suam in melius sententiam commutarit quando damnationem Photini rescindit.

Innocentius Rufo et Eusebio et ceteris episcopis Macedonibus et diaconis in domino salutem.

Magna me gratulatio habuit quum post discrimina totius, ut ita dixerim, mundi Vitalis archidiaconus vestrarum portitor litterarum ex illis partibus ad nos usque directus advenit. Quem quum vidissemus, illico ut oportebat percontati sumus de vestro statu. Verum ubi reperimus vos ex sententia degere, deo nostro uberes gratias retulimus, quod vos famulos suos suisque altaribus servientes et in adversis tueatur et in prosperis gubernare dignetur. Qui quum tradidisset epistolas, eas praecepi illico recenseri, in quibus multa posita esse pervidi, quae stuporem mentibus nostris indicerent facerentque nos non modicum dubitare, utrum aliter putaremus an ita illa essent posita quemadmodum personabant. Quae quum saepius repeti fecissem, adverti sedi apostolicae, ad quam relatio quasi ad caput ecclesiarum missa currebat, fieri iniuriam cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur. Unde de quibus iamdudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus germinata percontatio vestra compellit.

I. Eos qui viduas accepisse suggeruntur uxores non solum effectos clericos agnovi, verum etiam usque ad infulas summi sacerdotis pervenisse, quod contra legis esse praecepta nullus ignorat. Nam quum Moyses legislator clamitet: Sacerdos uxorem virginem accipiat, ac ne in hoc praeceptum aliquid putaretur ambiguum addidit: Non viduam neque abiectam. Contra quod praeceptum divina auctoritate subnixum nulla defensio mandati alterius opponitur, nisi consuetudo vestra, quae, ut ipsi fatemini, ex ignorantia et ut verecundius dicam, non ex apostolica traditione et ratione integra constituta est. Nos autem omnes que per Orientem Occidentemque ecclesias noverit vestra dilectio haec penitus non admittere, nec ad ultimum ecclesiastici ordinis locum tales adsumere et, si reperti fuerint, submovere.

II. Deinde ponitur non dici oportere digamum eum qui catechumenus habuerit atque amiserit uxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eamque primam videri quae novo homini copulata sit, quia illud coniugium per baptismi sacramentum cum ceteris criminibus sit ablutum. Quod quum de una utique dicitur, certe si tres habuerit in veteri positus homine uxores, erit ei quae

[1] *Sic cod. Par. cit. ceterique codd. Ps.-Isid. Deest in Hisp. Videtur ex collect. Hadriano-Dionysiana, ubi iis quae sequuntur:* Innocentius Martiano episcopo Narsitano (*cf. ed. cit. p.* 373) *inscribitur, in codices Gallicanos Hispanae irrepsisse.* (*Cf. Coustant l. c. p.* 820. 915.) [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 26. *p.* 30.

post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima: virginis aeque nomen accipiat quae quarto ducta est loco. Quis ergo istud non videat contra apostoli esse praeceptum, quod ait: Unius uxoris virum oportere fieri sacerdotem? Sed obiicitur quod in baptismo quidquid in vetere homine gestum est sit lotum. Dicite mihi, cum pace vestra loquor, crimina tantum dimittuntur in baptismo, an et illa quae secundum domini praecepta ac dei instituta complentur? Uxorem ducere crimen est aut non est crimen? Si crimen est, ergo praefata venia dixerim, erit auctor in culpa qui, ut crimina committerentur in paradiso, quum ipse eos iungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod deus iunxit nefas sit crimen appellari et Salomon addidit: Etenim a deo praeparatur viro uxor, quomodo creditur inter crimina esse dimissum quod deo auctore legitur consummatum? Quid de talium filiis percensetur? Nunquid non erunt admittendi in haereditatis consortio, quia ex ea suscipiuntur quae ante baptismum fuit uxor? Eruntque appellandi vel naturales vel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud, ut vobis videtur, quod post baptismum adsumitur. Ipse dominus quum interrogaretur a iudaeis, si liceret dimittere uxorem, atque exponeret fieri non debere, addidit: Quod ergo deus iunxit, homo non separet. Et ne de his loquutus esse credatur, quae post baptismum sortiuntur, meminerint hoc et a iudaeis interrogatum et iudaeis esse responsum. Quaero et sollicitus quaero, si una eademque sit uxor eius qui ante catechumenus postea fit fidelis filiosque ex ea quum esset catechumenus susceperit ac postea alios quum de fidelibus, utrum sint fratres appellandi, an non habeant postea defuncto patre herciscundae haereditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse? Quod quum ita sentire atque iudicare absurdum est, quae ratio est hoc malum defendi et vacuam magis opinionem iactari quam aliqua auctoritate probari, quum non possit inter peccata deputari quod lex praecepit et deus iunxit? Nunquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem sequutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatos qualibet ratione eripuerit, adulteria exhorruerit, castitatem tenuerit, quaero, si haec quum fuerit factus fidelis, amittit, quia per baptismum totum quod vetus homo gesserat, putatur auferri? Aspiciamus gentilem hominem Cornelium orationibus atque eleemosynis revelationem Petrumque ipsum vidisse, nunquid per baptismum haec illi ablata sunt propter quae ei baptismus videtur esse concessum? Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur, quia quidquid bene gestum fuerit et secundum praecepta legalia custoditum, non potest facientibus deperire. Nuptiarum ergo copula, quia dei mandato perficitur, non potest dici peccatum, et quod peccatum non est, solvi inter peccata omnino non debet eritque integrum aestimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex dei sit voluntate completum.

III. Ventum est ad tertiam quaestionem, quae pro sui difficultate longiorem exigit disputationem, quum nos dicamus ab haereticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput. Ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, quo possit recipere sanitatem. Quae sanitas post vulnus sequuta sine cicatrice esse non poterit atque ubi poenitentiae remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam sicut legitur quod tetigerit immundus immundum erit, quomodo ei tribuetur, quo munditia ac puritas consuevit accipere? Sed e contra adseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, et verum est: certe quia quod non habuit dare non potuit: damnationem utique quam habuit, per pravam manus impositionem dedit, et qui particeps affectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

IV. Sed dicitur vera iustaque legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium quod a vitioso fuerat iniectum. Ergo si ita est, adplicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri atque omnium criminum rei, quia per benedictionem ordinationis crimina vel vitia putantur auferri; nullus sit poenitentiae locus, quia id potest praestare ordinatio quod longa satisfactio praestare consuevit. Sed nostrae lex est ecclesiae venientibus ab haereticis qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum, subrogare.

V. At vero hi qui a catholica fide ad haeresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per poenitentiam suscipi, apud vos non solum poenitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur. Sed Anisii fratris quondam nostri aliorumque sacerdotum summa deliberatio haec fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, nec cum eodem remanerent ac ne fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur. Vicimus, ut opinor, ambigua. Iam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est constat, primitus non fuisse ac fuisse regulas veteres, quas ab apostolis aut ab apostolicis traditas ecclesia Romana custodit custodiendasque mandat his qui eam audire consueverunt. Sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit cessante necessitate debet utique cessare pariter quod urgebat; qui alius est ordo legitimus, alia usurpatio quam ad praesens fieri tempus impellit. Sed canones apud Nicaeam constituti de Novatianis fieri permiserunt. Prius ille canon a patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere vel quid vel qualiter ab eisdem sensum sit vel praeceptum. De his, inquit, qui nominant

seipsos catharos, id est mundos et aliquando veniunt ad catholicam ecclesiam, placuit sanctae et magnae synodo, ut accepta manus impositione sic maneant in clero. Possum vero dicere de solis hoc Novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent a Novatianis aliisque haereticis revertentes debere in suum ordinem recipi. Quod si ita esset, etiam illud maxime, quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmari, a quibus venientes iam baptizari praecipiuntur. Nunquidnam quum de Paulianistis iubent omnes qui ab haereticis revertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? Quod quum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse praeceptum ratio ipsa demonstrat. Denique baptizatos rite ab evangelista Philippo Petrus et Ioannes sola manus impositione consummant. Illos vero quos apostolus Paulus Ioannis baptismate baptizatos reperit interrogavitque, an spiritum sanctum suscepissent, fatentibusque se illud ne quidem nomen audiisse, iussit eos baptizari. Videtis ergo recte baptizatos illo dono iterari non posse et aliter sola aqua lotos baptizari in nomine patris et filii et spiritus sancti necessarium praevideri. Ita et de Novatianis tantum iussum esse lucida manifestatione perlegitur. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus haeresibus ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine patris et filii et spiritus sancti minime baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinae, hoc est patris et filii et spiritus sancti, quaestio aliquando commota est. Et ideo de omnibus segregatis haec sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in patris et filii et spiritus sancti sacramento peccarent. Si quis vero de catholica fide ad haeresim transiens aut fidelis ad apostasiam revertens et resipiscens redire voluerit, nunquid eadem ratione poterit ad clerum permitti, cuius commissum nonnisi per longam poenitentiam poterit aboleri? Nec post poenitentiam clericum fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt. Unde constat qui de catholica ad Bonosum transiere damnatum atque se passi sunt vel cupierunt ab eodem ordinari, non oportuisse ordinationis ecclesiasticae suscipere dignitatem, qui commune omnium ecclesiarum iudicium deserentes suam peculiariter in Bonoso vanitatem sequendam esse duxerunt. Sed multos constat vim passos atque invitos adtractos repugnantesque ab eodem ordinatos. Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit, si non post ordinationem Bonosi interfuit quum conficeret sacramenta, si communioni eius participatus non est, si statim discedens de eius pessimo conciliabulo ad ecclesiam rediit, iste talis potest habere colorem aliquem excusationis. Ceterum qui post annum aut mensem ad ecclesiam redierunt, intelligimus eos quia in catholica noverant se propter vitia sua non posse suscipere ordinationem, idcirco ad illum perrexisse qui passim et sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat, credentes se posse per istam institutionem locum in ecclesia catholica reperire de quo antea desperarunt. Nunc illud quod superest, interrogo, qui post mensem aut amplius rediit, quum se presbyterum a Bonoso confidit ordinatum, si non sacramenta confecit, si non populis tribuit, si non missas secundum consuetudinem complevit, quid de his censeatis, quaeso, promatis apertius. Ad summam certe qui nihil a Bonoso acceperunt rei sunt usurpatae dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vendicaverunt auctoritatem atque id se putaverunt esse quod de his nulla fuerat regulari ratione concessum.

VI. Pervidet ergo dilectio vestra hactenus talia transisse et advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit in pace iam ecclesias constitutas non praesumere, sed, ut saepe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dimittenda dico dei iudicio et de reliquo maxima sollicitudine praecavendum.

VII. Veniam nunc ad maximum quasi ad quoddam thema Photinum et quod mihi anxium est ac difficillimum, maiorum meorum revolvam sententias. Fuerat de illo quoquo pacto, ut etiam ipsi meministis, aliud utique gravius constitutum. Verum quoniam id per rumorem falsum, ut adseritis, subreptum huic sedi et elicitum per insidias demonstratis, quia res ad salutem rediit, veniam nos hanc intantum vobis adnitentibus post condemnationem more apostolico subrogamus tantisque vestris adsertionibus vobisque tam bonis, tam caris non dare consensum, omnibus durius rebus arbitramur. Pro vestra ergo adprobatione, fratres carissimi, et sententia ac postulatione episcopum Photinum habetote. Licitum est ita constituere, ut deprecamini, et nostram in melius conversam sententiam labore vel testimonio vestro compotes voti suscipite. Aeque Eustathium a me saepissime comprobatum nolite expectare ut diaconii gratia expolietur. Sollicitos enim vos pro salute libenter audio, contra caput etiam si faciendum est non libenter admitto. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. Haec enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, ut in uno spiritu ductam ac reductam sententiam boni semper indifferenter sequantur. Nam, fateor, haec me primum res bene habet erga Eustathium diaconum, quod nec contra fidem quidquam loquutus sit, nec loquentem admiserit, nec ad mortem crimen aliquod commisisse, vel iactatum unquam vel fictum recognoverim. Et qui in his salvus est, si quo pacto conversationes amabiles non habet, habendus est, ut minus pro tempore dilectus, non ut inimicus existimatus, diabolo in perpetuum mancipandus. Cognosco illum inter illas simultates ac turbines contra multorum studia, non dico qualia, diversa sensisse, et quum hinc res calamitatesque ipsae emendate sint, adhuc Dizoniani et Ciriaci diaconorum non potuisse apud vos emenda-

tionem reviviscere. Compescite, quaeso, ab illo praedictisque quorumcumque videtis animos ac non iustas aemulationes, ut ipse apud nos integer, apud vos cum suis reparatus mereatur pacem non fictam pervidens caritatem. Omnibus igitur vobis ac singulatim occurrat caritas et vinculis quae nullis modis a Christo solvuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexa laetetur in domino.

Eiusdem Innocentii pape ad universos episcopos in Tolosa. XLIX.[1]

I. De reprehensione Hispanorum qui inordinate constituunt clericos.
II. Ut causidici vel curiales vel saeculari militiae dediti ad clerum non admittantur.
III. Ut quicumque tales ordinati fuerint cum ordinatoribus suis deponantur.
IV. De commemoratione Nicaeni concilii, in quo supradicta prohibentur.
V. Quales eligendi sunt in ordine clericorum.
VI. De eo qui ante baptismum uxorem habuit et post baptismum aliam, clericus non fiat.

Innocentius universis episcopis in Tolosana synodo constitutis, dulcissimis fratribus, in domino salutem.

I. Saepe me et nimia quum teneret cura sollicitum super dissensiones et schismata ecclesiarum, quod malum per Hispanias latius inducens separationis gradu incedere fama proloquitur, necessarium tempus emersit quo non possit emendatio tanta differri et deberet congrua medicina provideri. Nam de ordinationibus quas pravae consuetudinis vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum maiorum traditiones statuendum, nisi perpenderemus ne perturbationes quamplurimas ecclesiis moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quae quoquomodo facta sunt in dubium non vocemus, sed dei potius dimittamus iudicio.

II. Quantos enim ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus et Gregorius perhibentur! Quantos ex militia qui quum potestatibus obedierint severa necessario praecepta sunt exsequuti, quantos ex curialibus qui dum parent potestatibus quae sibi sunt imperata fecerunt! Quantos qui voluptates et editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii pervenisse! Quorum omnium neminem nec ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire. Quae si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducimus. Idcirco remittenda potius haec putamus, sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestrae maturitas providere debebit, ut tantae usurpationis saltem nunc finis necessarius imponatur, eo videlicet constituto:

Ut quicumque tales ordinati fuerint cum ordinatoribus suis deponantur.

III. Post haec si quis adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverit, una cum ordinatoribus suis ipso in quo inventi fuerint ordine et honore privetur. Et quamvis dilectioni vestrae, fratres carissimi, regulae Nicaenae sint cognitae, secundum quas ordines faciendos esse per sententiam decernitis, tamen aliquam partem quae de ordinationibus est provisa inserendam putavi et secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur, ac primum quae sunt prohibita digerantur.

IV. Ne quispiam qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti, neque qui causas post acceptum baptismum egerint aut qui post acceptam dei gratiam administraverint, neque de curialibus aliquos ad ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerint vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, et editiones publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem, qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, poscantur. Quae omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri.

V. Quales vero eligendi sunt in ordine clericorum evidens forma declarat, id est, qui ab ineunte aetate baptizati fuerint et lectorum officio sociati, vel si maiores sunt, quum fuerint dei gratiam consequuti, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipaverint. Et si uxores habuerint, quaerendum si uxorem virginem acceperint, quia scriptum in veteri testamento: Uxorem virginem accipiat sacerdos; et alibi: Sacerdotes mei semel nubant; neque qui duas uxores habuerit, quia Paulus apostolus ait: Unius uxoris virum.

VI. Nec illud debere admitti quod aliquanti pro defensione pravi erroris opponunt et adserunt quod ante baptismum omnia dimittuntur, non intelligentes huiusmodi quod sola in baptismo peccata dimittuntur nec uxoris numerus aboletur. Nam si a deo, ut scriptum est, praeparatur viro uxor et quod deus iunxit, homo non separet, et ipsi auctores generis humani in origine a deo benedicuntur, quomodo inter peccata ista creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos qui ita credunt, verum est, ergo omnis iustitia quae a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum auferetur. Nullus ergo contra apostolum tale aliquid sentiat nec admittat, sed fideliter intelligat: Unius uxoris virum, sive ante baptismum esse nominatum, sive post baptismum. Si enim uxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt numerari. Quod quam absur-

[1] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. Hisp. coll. no.* 87. *p.* 34.

dum sit et alienum prudentia vestra melius aestimabit. Unde neminem liceat interpretari aliter divinas scripturas, nisi quod recta ratio permittit, ne dum quidam remedia sibi iniqua ad excusationem praeparant et corrupisse legem et regulas evertisse iudicentur. Sed ea tenenda sunt quae divinarum scripturarum series continet et a sacerdotibus utili ratione sunt constituta. Bene valeatis, fratres carissimi.

EPISTOLA DECRETORUM PAPAE ZOSIMI AD ESITIUM SALONITANUM. L.[1]

I. Quod monachi vel laici nisi per gradus ecclesiasticos non debeant ad summum sacerdotium pervenire.
II. Quod si quis interdicta despexerit, gradus sui periculo subiacebit.
III. Quae in singulis clericorum gradibus tempora sint praefixa.

Zosimus episcopus urbis Romae Hesitio[2] episcopo Salonitano salutem.

Exigit dilectio tua praeceptum apostolicae sedis in quo patrum decreta consentiunt, et significas nonnullos ex monachorum caetu, quorum solitudo quavis frequentia maior est, sed et laicos ad sacerdotium festinare.

I. Hoc autem specialiter et sub praedecessoribus nostris et nuper a nobis interdictum constat esse litteris ad Gallias Hispaniasque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista praesumptio, quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, ne quis penitus contra patrum praecepta qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non fuisset imbutus et temporum adprobatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiae sacerdotium adspirare praesumeret, ut non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in ordinatores eius, ut carerent eo ordine quem sine ordine contra praecepta patrum crediderant praesumendum. Unde miramur ad dilectionem tuam statuta apostolicae sedis non fuisse perlata. Laudamus igitur propositum constantiae tuae, frater carissime, nec aliud de pontificii tui censura veteris auctoritatis genus expectandum fuit, quam ut talibus ambitionibus pro praeceptis patrum in procinctu fidei constitutus occurreres. Igitur si quid auctoritatis, quod non opinamur, existimatur defuisse, supplemus. Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbis et arrogantiae venienti. Tecum faciunt praecepta patrum, tecum sit apostolicae sedis auctoritas. Si enim officia saecularia principalem locum non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis temporibus deferunt, quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in coelesti militia, quae propensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, quum tiro ante non fuerit et prius velit docere quam discere? Adsuescat in domini castris in lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii, nec illi vile sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri, nec hoc saltu sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen aetas impleat et meritum probitatis stipendia ante acta testentur. Iure inde summi pontificis locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum qui pompam multitudinis quaerunt et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis adquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis ubi solitudo est talium reperitur, dum parochias extendi cupiunt aut quibus aliud praestare non possunt, divinos ordines largiuntur: quod oportet districti semper esse iudicii, rarum est enim omne quod magnum est.

II. Proinde nos ne quid meritis dilectionis tuae derogaremus, ad te potissimum scripta direximus, quae in omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum qui in ea provincia sunt, sed etiam qui vicinis dilectionis tuae provinciis adiunguntur. Sciet quisquis hoc postposita patrum et apostolicae sedis auctoritate neglexerit, in his districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliae enim studio fit quidquid interdictum toties usurpatur.

III. Haec autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores ad vicesimum aetatis annum continuata observatione perduret. Si maior iam et grandaevus accesserit, ita tamen ut post baptismum statim se divinae militiae desiderat mancipari sive inter lectores sive inter exorcistas quinquennio teneatur. Exinde acolythus vel subdiaconus, quatuor annis sit et sic ad benedictionem diaconatus si meretur accedat, in quo ordine quinque annis si inculpate se gesserit, haerere debebit. Exinde suffragantibus stipendiis per tot gradus datis propriae fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco si eo illum exactior ad bonos mores vita produxerit, summum pontificatum sperare debebit: hac tamen lege servata, ut neque digamus nec viduae maritus neque poenitens ad hos gradus possit admitti. Sane ut etiam defensores ecclesiae qui ex laicis fiunt supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus. Data IX. Kal. Mart. dominis nostris Honorio XII. et Theodosio VIII. augustis consulibus.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 28. *p.* 36. [2] *Sic cod. cit. pro* Hesychio, *quod habet Hisp.*

Item eiusdem Zosimi papae ad clerum Ravennensem. LI.[1]

Zosimus episcopus urbis Romae presbyteris et diaconibus qui Ravennae sunt. Ex relatione fratris nostri Archidami presbyteri qualiter suscepti sitis vel quid egeritis cognovimus vel qualiter illi suscepti sunt, qui contra canones adversum nos ad comitatum, nescio qua audaci temeritate, ire voluerunt. Ad quos haec quae nunc emisimus, olim scripta feceramus eorum quas iniuriose miserant, respondentes epistolis. Sed quoniam non potuerunt rei in sua, hoc est in nostra ecclesia Romana cum nostris compresbyteris commorari, has ad vos illis tradendas litteras destinavimus, in quibus decreto nostro sanximus, memoratos perturbatores omnium ab apostolicae nostrae sedis communione alienos fuisse atque nostra subscriptione probatam sententiam suscepisse. Illos vero qui effrenato huius facto consilioque adsensum commodare voluerunt, vestrae caritatis est aestimare qualiter habeantur. Quibus hoc obiicere vos debeatis, quod iuxta canonum praecepta fortiter incurrere et qualiter presbyteros non decebat, rebelles existere tentaverunt. Vos autem monemus in speculis esse debere, ne qua eorum prorumpat audacia, quos anathematizatos scit esse sancta et apostolica ecclesia. De his vero qui eorum se societati iunxerunt, quid agere debeamus, quum reversi fueritis, consilio meliore tractabimus. [2]Et alia manu. Data V. Kal. Octobr. Honorio XII. et Theodosio augustis consulibus.

EPISTOLA DECRETORUM PAPAE BONIFATII AD HONORIUM AUGUSTUM.

Supplicatio eiusdem papae ut constituatur a principe quatenus in urbe Roma per ambitum numquam pontifex ordinetur. LII.[3]

Bonifacius episcopus Honorio augusto.

Ecclesiae meae, cui deus noster meum sacerdotium, vobis res humanas regentibus deputavit, cura constringit, ne causis eius quamvis adhuc corporis incommoditate detinear propter conventus qui a sacerdotibus universis et clericis et christianae plebis perturbationibus agitantur, apud aures christianissimi principis desim. Si quid enim secus quam oportet eveniat, non vos id facere qui cuncta aequa moderatione componitis, sed nos per nostram tacentes desidiam videbimur, quod civitatis quietem et ecclesiae pacem pervertere valeat, admisisse. Cum enim humanis rebus divinae cultor religionis domino favente praesideas, nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria quam certum est divinis semper rebus animo promptiore favisse, firmo et stabili iure custodiatur, quod per tot annorum seriem et sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostrae religionis cura constrinxit, id est ut fidens utar licitis et sub vestrae imperio clementiae quae sunt illicita formidentur. Ipsa enim ecclesia devotionem tuam, christianissime imperator, meo quidem sermone, sed suo venerabili appellat affectu, quam Christus dominus noster vestri fidus rector et gubernator imperii uni desponsatam sibi et intactam virginem servat, ut non in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi et quieta facie tempestatis insolitae tumore turbari, gloriosissime et tranquillissime imperator auguste. Ipsa ergo quae uni desponsata, vestra tamen mater est ecclesia pietatem vestram legatione quam suis sacerdotibus commisit appellat, praeterita praesentiaque repetit in vobis quibus religiose imperantibus crevit meus, modo tuus populus, tam fidus deo, quam tibi qui es princeps christianorum. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas quas pro vestri felicitate dependit imperii, teste apud quem et de cuius sede agitur sancto Petro sollicitis pro religionis observantia vocibus clamat, cum sollicita petitione miscetur oratione, ne nos in varias res semel avulsa detrahat et a culto solito tentatore sollicitante dissociet. Augeretur pluribus, princeps christianissime, nisi apud te suarum esset secura causarum et in oppressionibus idolorum, in haereticorum correctionibus fide tua divino cultu pariter cum imperio semper florente vicisset. Habet refugium tuae mansuetudinis animum cum suae religionis veneratione coniunctum, cum quidquid huic proficiat vos agatis et conferatis fratribus et consacerdotibus meis probatissimis viris a me et ab omnibus qui ecclesiam faciunt legatis, quibus, precamur, sacrae causam religionis prosequentibus in urbe vestrae mansuetudinis, hoc animo quo postulamus adunatis et in perpetuum statui universalis ecclesiae consulatis. Datum Kal. Iul.

Rescriptum Honorii augusti ad Bonifatium papam in quo statuit ut si denuo Romae episcopi ordinati fuerint duo, ambo de civitate pellantur. LIII.[4]

Victor Honorius inclytus triumphator, semper augustus, sancto et venerabili Bonifacio papae urbis Romae.

Scripta beatitudinis tuae debita reverentiae gratulatione suscepimus, quibus recensitis egimus omnipotenti deo maximas gratias quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optate redditam didicimus sanitati. Et ideo reverentibus venerabilibus viris gaudium nostrum sacrorum apicum adtestatione signamus ac petimus, ut quotidia-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. Hisp. no.* 29. *p.* 37. [2] *Omittit* Et alia manu etc. *ed. cit. Hisp.; ista verba desumsi ex cod. cit., codd. Carnot.* 67bis, *Par.* 3852, *Rotomag.* 15/9. *E. In ed. cit. coll. Dion.* (*p.* 392) *et apud Coustant* (*l. c. p.* 981) *adduntur:* Et alia manu. Dat. V. Non. Octobr. Honorio XII. et Theodosio VIII. aug. cons. [3] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. Hisp. no.* 30. *p.* 38. [4] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. Hisp. p.* 39.

nis orationibus apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere. Illud autem pietati nostrae satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est. Quae ne aliqua ratione possit evenire satis clementia nostra credidit esse provisum. Denique praedicante beatitudine tua id ad cunctorum clericorum notitiam volumus pervenire, ut si quid forte religioni tuae, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum, ac si duo forte contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem, sed illum solum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et universitatis consensus elegerit. Unde id observandum est, ut omnes tranquillam mentem et pacificos animos ex serenitatis nostrae admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur, quum certum sit nulli partium sua studia profutura.

Item epistola Bonifatii papae ad episcopos Galliae de Maximo episcopo diversis criminibus accusato. LIV.[1]

Bonifacius episcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Severo, Valerio, Iuliano, Castorio, Leontio, Constantino, Ioanni, Montano, Marino, Mauricio et ceteris episcopis per Gallias et septem provincias constitutis.

Valentinae nos clerici civitatis adierunt proponentes per libellum crimina quae Maximum teste tota provincia adserunt commisisse, delegata toties cognitione illum constituta semper subterfugisse iudicia, nec confisum conscientia festinasse, ut si esset innocens examinatis omnibus purgaretur, quae toties decreta ex vestrarum quoque chartarum instructione cognovimus. Qui e contrario probavit de se illa quae dicta sunt, cui ad ea confutanda quum essent innumera, a decessoribus meis provincialis est delegata cognitio. Conventus etiam dicitur evitasse et adesse minime voluisse. Et nullus dubitat quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quaerit. Sed astuta cavillatio eorum qui versutis agendum credunt esse consiliis, nunquam innocentiae nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille qui talis perhibetur in medium, nec prodest illi toties latuisse et toties subterfugisse, quem sui actus et commissa, quaecumque fuerint, ea quae obiiciuntur illi, si vera sunt, crimina persequuntur. Debueram quidem iam nunc dignam pro eius accusatis in nostro iudicio actibus qui cognitionem et decretum iudicium saepe declinando credidit illudendum, ferre sententiam. Ac ne aliquis praecocem forsitan iudicaret et sibi qui absens est, licet sit quaesitus a nobis reservatum esset nihil diceret, maluimus intercapedine temporis data differri, quum hoc etiam eius accusatores adsererent, de quorum intentionibus et moribus sit securum, Maximum tanto magis damnanda committere, quanto tardius se constituto iudicio praesentavit. Quem Manichaeorum involutum caligine arguunt turpi secta olim ita, ne eum posset abluere animum sordidasse, in probationem obiectae rei gesta synodalia proferentes et commissis involutum undique flagitiis nullum eum sanitatis habuisse respectum. Quem furore suo et insana temeritate ad secularium quoque iudicum tribunalia subditum quaestioni, quod in vili quoque persona turpissimum est, obiicerent pervenisse et homicidii damnatum adsererent, gestis prolatis in medium: et hunc talem post tanta taliaque commissa episcopatus adhuc sibi nomen in suis latibulis vindicare in propriae civitatis infamiam nimiis doloribus conqueruntur et sanctum nomen vindicando sibi velle polluere. Ideoque, fratres carissimi, quia audiendus hic praesentare se noluit, ne convictus forsitan ab accusantibus se clericis possit digna tandem aliquando praesentatus episcopali iudicio pronuntiationis congruae feriri sententia, quamquam illi quum haec edocta fuerint, quae potest huius nominis esse iactura, qui pudorem nunquam habuisse sacerdotii perhibetur et locum suum ne modico quidem tempore custodisse, dilationem dedimus et decrevimus vestrum debere intra provinciam esse iudicium et congregari synodum ante diem Kalendarum Novembrium, ut si adesse voluerit, praesens, si confidit, ad obiecta respondeat: si adesse neglexerit, dilationem sententiae non lucretur de absentia. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto et toties delegato iudicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in praesenti examine omnia quae dicta sunt comprobentur, quum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. Nos autem per omnes provincias litteras dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis obtendat, ut ad provinciam venire cogatur et illic se constituto praesentari iudicio. Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, quum ad nos relatum fuerit, nostra ut condecet necesse est auctoritate firmetur. Datum sub die Id. Iun. Monaxio v. c. consule.

Item epistola eiusdem Bonifatii papae ad Hilarium Narbonensem episcopum, ut in unaquaque provincia nemo contempto metropolitano episcopus ordinetur. LV.[2]

Bonifacius episcopus urbis Romae Hilario episcopo Narbonensi salutem.

[1] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. Hisp. no.* 31. *p.* 40. [2] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 32. *p.* 41.

Difficile quidem fidem querimoniis commodamus, quarum sacerdotes domini pulsat intentio, maxime quum eos loquuntur quippiam contra patrum statuta tentasse, sed frequenter has adserit sicut nunc multitudo causantium. Ecce enim, ut caritas tua recognoscit, ex subditis Lutubensis ecclesiae, cleri ordo vel plebis preces suas vel lacrimas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt dicentes coepiscopum nostrum Patroclum sua petitione cessante in locum decedentis episcopi, nescio quem in aliena provincia praetermisso metropolitano contra patrum regulas ordinasse. Quod nequaquam possumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita synodi constitutio Nicenae, quae ita praecepit, ut eadem proprie verba ponamus: per unamquamque provinciam ius metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas, quod illi quia aliter credendum non est, servandum sancto spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Unde, frater carissime, si ita res sunt et ecclesiam supradictam provinciae tuae limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantium et voluntate respecta, ad eumdem locum in quo ordinatio talis celebrata dicitur, metropolitani iure munitus et praeceptionibus nostris fretus accede, intelligens arbitrio tuo secundum regulas patrum quaecumque facienda sunt, a nobis esse concessa, ita ut peractis omnibus apostolicae sedi quidquid statueris te referente clarescat, cui totius provinciae ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminum audax temerator excedat, nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis quae sibi non videntur concessa defendat. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate praesumptio eorum qui ultra licitum suae limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua adeo nos canonum praecepta servare, ut ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus metropolitani sui unaquaeque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Datum V. Id. Febr. dominis nostris Honorio XII. et Theodosio X. consulibus.

EPISTOLA CELESTINI PAPE AD EPISCOPOS GALLIAE.[1]

I. De Prospero et Hilario qui quosdam Galliae presbyteros accusant Pelagii sectatores.

II. De sancto episcopo Augustino mira laudis assertio.

III. Praeteritorum sedis apostolicae episcoporum auctoritates de gratia dei.

IV. Quod Adam omnes homines laeserit nec quemquam nisi Christi gratia posse salvari.

V. Quod nemo sit bonus suis viribus nisi participatione eius qui solus est bonus.

VI. Quod nisi gratia dei continua iuvemur, insidias diaboli devitare non possumus.

VII. Quod per Christum libero bene utamur arbitrio.

VIII. Quod omnia sanctorum merita dona sint dei.

IX. Quod omnis sancta cogitatio et motus piae voluntatis ex deo sit.

X. Quod gratia dei non solum peccata dimittat, sed etiam adiuvet ne committantur, et praestat ut lex impleatur, non sicut ait Pelagius, facile, quasi sine gratia dei difficilius possit impleri.

XI. Quod praeter statuta sedis apostolicae omnes orationes ecclesiae Christi gratiam resonent, qua genus humanum ab aeterna damnatione reparatur.

XII. Quod gratiam dei etiam baptizandorum testetur instituta purgatio quum exorcismis et insufflationibus spiritus ab eis abiguntur immundi.

XIII. Quod profundiores quaestiones nec contemnendae sunt nec penitus asserendae.

Dilectissimis fratribus Venerio, Marino, Leontio, Auxonio, Arcadio, Fillacio et ceteris Galliarum episcopis Celestinus.

Apostolici verba praecepti sunt apud iudaeos atque gentiles sine offensione nos esse debere. Hoc quisquis christianus est tota animi virtute custodit. Quod quum ita sit non parum periculi illi manere poterit ante deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos qui neminem perire volumus ista contristent quae auctoribus christianis percellunt animos christianos, dominicus in evangelio sermo testatur. Ait enim ipse salvator quod expediat scandalizanti unum de pusillis in maris profundum demergi ideoque qualis sit eius iam poena quaeramus, cui tale supplicium legimus expedire.

I. Filii nostri, praesentes Prosper et Hilarius, quorum circa dominum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere qui dissensioni ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosequuti, ut indisciplinatas quaestiones vocantes in medium pertinaciter eos dicant praedicare adversantia veritati. Sed vestrae dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est non sibi debere quemquam in iniuriam doctorum vendicare doctrinam. Et hos ipsos a deo nostro positos novimus ad docendum, quum sit dicente apostolo eis tertius locus intra ecclesiam deputandus. Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus hi loquuntur? Qui, si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere sit hoc tacere, timeo ne

[1] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. p.* 42.

magis ipsi loquantur qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur huiusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem: desinat ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur saepe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non moventur. Recurrerunt ad apostolicam praedicti sedem, haec ipsa nobis quae tentat perturbatio conquerentes. Habetote, fratres carissimi, pro catholicae plebis pace tractatum. Sciant se, si tamen censentur presbyterii dignitate, vobis esse subiectos. Sciant sibi omnes qui male docent quod discere magis ac magis competat quam docere. Nam quid in ecclesiis vos agitis, si illi summam teneant praedicandi? Nisi forte illud obsistat quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, ut aliqui de fratrum numero nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeant vendicare. Super his multa iam dicta sunt eo tempore quo ad fratris Tuenti dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes saepius admonemus: Vetentur huiusmodi laborare per terras aliud quam ille noster iussit agricola seminare. Nec tamen mirari possumus, si haec erga viventes hi nunc tentare audent, qui nitunter etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

II. Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit et honori, unde resistatur talibus quos male crescere videmus. Nefas est hoc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari, quamvis maneat hos beatitudo promissa, quicumque probantur persequutionem pro iustitia sustinere, quibus quid promittat dominus in futurum sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum, quum universalis ecclesia quacumque novitate pulsatur. Intelligamus haec ipsa vobis quae nobis non placent displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio de tali re in posterum querela cessarit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

III. Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis haereticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes piissimis disputationibus obviare praesumunt: et quum Pelagium atque Coelestinum anathematizare non dubitant, ad magistros tamen nostros tanquam necessarium modum excesserint obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur quae sacratissima beati apostoli Petri sedes contra inimicos gratiae dei per ministerium praesulum suorum sanxit et docuit. Necessarium igitur fuerit diligenter inquirere quid rectores Romanae ecclesiae de haeresi quae eorum temporibus exorta fuerat iudicarint, et contra nocentissimos liberi arbitrii defensores quid de gratia dei sentiendum esse censuerint, ita ut etiam Africanorum conciliorum quasdam sententias iungeremus, quas utique suas fecerunt apostolici antistites, quum probarunt. Ut ergo plenius qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo. Quod si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem, si cum catholicis credat et dicat.

IV. In praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia dei miserantis erexerit, pronuntiante beatae memoriae papa Innocentio atque dicente in epistola ad Carthaginense concilium: Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit, suaque in aeternum libertate deceptus huic ruinae iacuisset oppressus, nisi eum postea Christi pro sua gratia elevasset adventus, qui per novae regenerationis purificationem omne praeteriti vitium sui baptismatis lavacro purgavit.

V. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet qui solus est bonus; quod in eisdem scriptis eiusdem pontificis sententia protestatur dicens: Nunquid nos de eorum post haec rectum mentibus aestimemus, qui sibi se putant deberi quod boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur qui sine illo tantum se adsequi confidunt?

VI. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. Quod eiusdem antistitis in eisdem paginis doctrina confirmat dicens: Nam quamvis hominem redimeret a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere multa servavit, quotidiana praestat ille remedia quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vicimus, iterum non adiuvante vincamur.

VII. Quod nemo nisi per Christum libero

bene utatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data praedicat dicens: Adverte tandem, o gravissimorum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ista decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur in praevaricationis praesumptionem concideret. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi domini reformasset adventus.

VIII. Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatae recordationis papae Zosimi regularis auctoritas, quum scribens ad totius orbis episcopos ait: Nos autem instinctu dei — omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt unde nascuntur — ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus. Hunc autem sermonem sincerissimae veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent: Illud vero quod in litteris quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens: Nos tamen instinctu dei et cetera, sic accepimus dictum, ut illos, qui contra dei adiutorium extollunt humani arbitrii libertatem districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecistis arbitrió, quam quod universa in nostrae humilitatis conscientiam retulistis? Et tamen instinctu dei factum fuisse fideliter sapienterque vidistis, veraciter fidenterque dixistis: ideo utique quia praeparatur voluntas a domino et ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse agit corda filiorum. Quotquot enim spiritu dei aguntur, hi filii dei sunt, ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium et in bonis quibusque voluntatis humanae singulis moribus magis illius valere non dubitemus auxilium.

IX. Quod ita deus in cordibus hominum aut in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonae voluntatis ex deo sit, quia per illum aliquid boni possumus sine quo nihil possumus. Ad hanc enim nos professionem idem doctor instituit, qui quum ad totius orbis episcopos de divinae gratiae opitulatione loqueretur: quod ergo, ait, tempus, intervenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adiutor et protector orandus est, superbum est enim ut quidquam sibi humana natura praesumat, clamante apostolo: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates aëris huius, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Et sicut ipse iterum dixit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Et iterum: Gratia dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit: sed plus illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia dei mecum.

X. Illud etiam quod inter Carthaginensis synodi decreta constitutum est, quasi proprium apostolicae sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est, ut quicumque dixerit gratiam dei qua iustificamur, per Iesum Christum dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium ut non committantur, anathema sit. Et iterum quarto capitulo ait: Ut quisquis dixerit gratiam dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Quum enim dicat apostolus: Scientia inflat, caritas vero aedificat, valde impium est ut credamus ad eam quae inflat nos habere gratiam Christi, et ad eam quae aedificat non habere, quum sit utrumque donum dei et scire quid facere debeamus et diligere ut faciamus ut aedificante caritate scientia non possit inflare. Sicut autem de deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est: Caritas ex deo est. Item quinto capitulo: Ut quisquis dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium facilius possimus implere per gratiam, tamquam et si gratia non daretur non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere.

XI. Praeter has autem beatissimae et apostolicae sedis inviolabiles sanctiones, quibus nos piissimi patres pestiferae novitatis elatione deiecta et bonae voluntatis exordia et incrementa probabilium studiorum et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab apostolis tradita in toto mundo atque in omni ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Quum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam et tota secum ecclesia congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idolatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis misericordiae aulae reserentur. Haec autem non perfunctorie, neque inaniter a domino peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni eorum genere plurimos deus dignatur attrahere, quos erutos de

potestate tenebrarum transferat in regnum filii caritatis suae, et ex vasis irae faciat vasa misericordiae. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

XII. Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta ecclesia uniformiter agit non otioso contemplamur intuitu, quum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt quam exorcismis et exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, et tunc vere appareat quomodo princeps mundi huius mittatur foras, et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem et donat dona hominibus. His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis ita adiuvante domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad deum tenditur, deum profiteamur auctorem et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga homines omnes bonitas dei, ut nostra velit esse merita quae sunt ipsius dona et pro his quae largitus est aeterna praemia sit daturus. Agit quippe in nobis ut quod vult et velimus et agamus, nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda non negligenda donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus qui sanat omnes languores nostros et redimit de interitu vitam nostram et cui quotidie dicimus: Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo.

XIII. Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quaestionum quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendum gratiam dei cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum praedictas regulas apostolicae sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium. Explicit de gratia dei et libero voluntatis arbitrio.

Item eiusdem Caelestini papae ad episcopos Galliae.[1]

I. Quod non debeant sacerdotes aut clerici amicti palleis et praecincti lumbis in ecclesia ministrare.

II. Quod nulli sit ultima poenitentia deneganda.

III. Quod per gradus ecclesiasticos ad episcopatus debeat officium perveniri.

IV. Quod unaquaeque provincia suo metropolitano debeat esse contenta.

V. Quod nolentibus clericis vel populis nemo debeat episcopus ordinari.

VI. Quod ab illicitis sit ordinationibus abstinendum.

Celestinus universis episcopis per Viennensem et Narbonensem provinciam constitutis in domino salutem.

Cuperemus quidem de vestrarum ecclesiarum ita ordinatione gaudere, ut congratularemur potius de profectu quam aliquid admissum contra disciplinam ecclesiasticam doleremus. Ad nostram enim laetitiam et benefacta perveniunt ac moeroris aculeis nos quae fuerint malefacta compungunt. Nec silere possumus, quum ad hoc ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu, in speculis a deo constituti ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus et quae observanda sunt sanciamus. Et quamvis circa longinqua specialis cura non deficit, sed se per omnia qua nomen dei praedicatur extendit, nec notitiam nostram subterfugiunt, quae in eversionem regularum novellae praesumptionis auctoritate tentantur.

I. Didicimus enim quosdam domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Sed non mirum si contra ecclesiasticum morem faciunt, qui in ecclesia non creverunt, sed alio venientes itinere secum haec in ecclesiam, quae in aliam conversationem habuerunt, intulerunt. Amicti palleo et lumbos praecincti credunt sese scripturae fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista praecepta sunt ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quae sequuntur, ut lucernae ardentes in manibus una cum baculo teneantur? Habent suum ista mysterium et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis qua decet significatione serventur. Nam in lumborum praecinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis indicatur, de quo dicitur: Sic opera vestra luceant. Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis et procul a ceteris degunt. Unde hic habitus in ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo vertatur? Discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina non veste, conversatione non habitu, mentis puritate non cultu. Nam si studere incipimus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad alia non debemus inducere, docendi enim sunt potius quam illudendi. Nec imponendum eorum est oculis, sed mentibus infundenda praecepta sunt. Erant quidem multa

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 34. *p.* 46.

quae pro disciplina ecclesiastica vel ipsius rei dicere ratione possemus, sed ab his ad alia revocamur.

II. Agnovimus enim poenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de dei pietate dispenset, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere quo se expediri desiderat, liberare? Quid hoc rogo aliud est quam morienti mortem addere eiusque animam sua credulitate ne absolvi possit occidere, quum deus ad subveniendum sit paratissimus et invitans ad poenitentiam sic promittat: Peccator, inquit, quacumque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei, et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis praeterea tempore poenitentiam denegarit, et desperavit de clementia dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce praemium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horae poenitentia non iuvisset. Quum esset in poena poenituit et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi deo promittente promeruit. Vera ergo ad deum conversio in ultimis positorum mente potius est aestimanda non tempore, propheta hoc taliter asserente: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. Quum ergo dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti, quum illi se obliget iudici, cui occulta omnia noverit revelari.

III. Ordinatos vero quosdam, fratres carissimi, episcopos, qui nullis ecclesiasticis ordinibus ad tantae dignitatis fastigium fuerint instituti contra patrum decreta huius usurpatione, qui se hoc recognoscit fecisse didicimus, quum ad episcopatum his gradibus quibus frequentissime cautum est, debeat perveniri, ut a minoribus initiati officiis ad maiora firmentur. Debet enim ante esse discipulus quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omnis vitae institutio hac ad id quo tendit se ratione confirmat. Qui minime litteris operam dederit praeceptor esse non potest litterarum. Qui non per singula stipendia creverit ad meritum et ordinem stipendii non potest pervenire. Solum sacerdotium inter ista rogo vilius est, quod facilius tribuitur, quum difficilius impleatur. Sed iam non satis est laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit, sed etiam quorum crimina longe lateque per omnes pene sunt nota provincias, pontifices ordinantur. Daniel enim nuper missa relatione ex Orientalibus ad nos partibus ab omni quod tenuerat virginum monasterio nefariis est obiectionibus accusatus, multa de multis obiecta flagitia. In quanam lateret terrarum parte quaesitus est, ut si suae innocentiae confideret, contra se iudicium postulatum minime declinaret. Missae ad Arelatensem episcopum per Fortunatum subdiaconum nostrum praeceptiones, ut ad iudicium destinaretur episcopale. Tantis gravatus testimoniis, tanta facinorum accusatione pulsatus, sacrarum, ut dicitur, virginum pollutus incesto episcopus asseritur ordinatus. In nostris libelli scriniis continentur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus, in pontificii dignitatem hoc tempore quo ad causam dicendam missis a nobis litteris vocabatur, obrepsit. Sacro nomini absit iniuria. Facilius est ut hanc dignitatem tali dando ipse amiserit ordinator, quam eam obtineat ordinatus. Cui convicto sociabitur qui eum sibi credidit largiendo pontificium sociandum. Qualis enim ipse sit quisquis tales ordinarit ostendit. His ergo in medium nunc deductis, quum plerique vestrum sint qui apostolicae sedis statuta cognoverunt nobiscum tempore aliquanto versati ad disciplinae normam nostris conventa adhortationibus omnia fraternitas vestra revocare festinet.

IV. Primum iuxta decreta canonum unaquaeque provincia suo metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus: alter in alterius provinciam nihil praesumat, nec emeritis in suis ecclesiis clerici peregrini et extranei et qui ante ignorati sint ad exclusionem eorum qui bene de suorum civium merentur testimonio praeponantur, ne novum quoddam de quo episcopi fiant institutum videatur esse collegium.

V. Nullus invitis detur episcopus: cleri plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis cui est episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito praeferantur. Habeat unusquisque suae fructum militiae in ecclesia in qua suam per omnia officia transegit aetatem. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam sibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis resistendi, si se viderint praegravari et quos sibi ingeri extraneorum agnoverint non timeant refutare: qui si non debitum praemium vel liberum de eo qui eos recturus est debent habere iudicium.

VI. Abstineatur etiam ab illicitis ordinationibus. Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui sit viduae maritus aut fuerit ordinetur, sed irreprehensibilis, qualem elegit apostolus fiat. Per Mosem dominus praecepit: Virginem accipiat sacerdos uxorem. Subsequitur et supplet apostolus eodem loquutus spiritu, unius uxoris virum debere episcopum consecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam sacerdotes et si quae factae sunt ordinationes illicitae, removeantur: quoniam stare non possunt, nec discussionem nostram

subterfugere poterunt, quamvis latere se aestiment qui aliter pervenerunt, ut nulla religionis reverentia obscuritate fuscetur. Non sit vana glorificatio palliatis, episcopalem morem qui episcopi sunt sequantur. Daniel, ut diximus, qui accusationem pontificali honore subterfugere se posse credidit, et ad fastigium tantum accusatores suos latendo pervenit, a sanctitatis vestrae coetu interim se noverit segregatum qui se nostro iudicio debet obiicere, si conscientiae suae novit confidentiam obtinere. Massiliensis vero ecclesiae sacerdotem qui dicitur — quod dictu nefas est — in necem fratris taliter gratulatus, ut huic qui eius sanguine cruentatus advenerat portionem cum eodem habiturus occurreret, vestro eum audiendum collegio delegamus. Data VII. Kal. August. Felice et Tauro consulibus.

Item cuius supra ad episcopos per Apuliam et Calabriam. LXIII.[1]

I. Quod nulli sacerdotum liceat canones ignorare.

II. Quod non oporteat contemptis clericis ecclesiarum de laicis episcopos ordinare.

III. Quod docendus sit populus, non sequendus.

Celestinus universis episcopis per Apuliam et Calabriam constitutis.

I. Nulli sacerdoti liceat canones ignorare nec quidquam facere quod patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?

II. Audivimus quasdam propriis destitutas rectoribus civitates episcopos sibi petere velle de laicis tantumque fastigium tam vilius credere, ut hoc his qui non deo, sed seculo militaverint, aestiment nos posse conferre, non solum male de suis clericis in quorum contemptum hoc faciunt iudicantes, sed et de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere sentientes. Quod nunquam auderent, si non quorumdam illic his consentiens sententia conniveret. Ita nihil quae frequentius sunt decreta proficiunt, ut hoc quasi numquam de hac parte scriptum fuerit ignoretur. Quid proderit per singula clericos stipendia militasse et omnem egisse in dominis castris aetatem, si qui his praefuturi sunt ex laicis requirantur. Qui vacantes seculo et omnem ecclesiasticum ordinem nescientes, saltu praepropero in alienum honorem ambiunt inmoderata cupiditate transcendere et in aliud vitae genus calcata reverentia ecclesiasticae disciplinae transire? Talibus itaque, fratres carissimi, qui iuris nostri, id est canonum gubernacula custodimus, necesse est obviemus, hisque fraternitatem tuam epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinem clericatus admittat et sinat fieri, unde et illum decipiat et sibi causas generet, quibus reus constitutis decretalibus fiat.

III. Docendus est populus, non sequendus. Nosque si nesciunt, eos quid liceat quidve non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus. Quisquis vero conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram apostolicae sedis minime defuturam. Quae enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc ergo quae propriis rectoribus carent ecclesias volumus innotescat, ut nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus illudat. Datum XI. Kalend. August. Florentio et Dionisio consulibus.

INCIPIUNT DECRETA SIXTI PAPAE.

(*Text. sec. cod. Par. int. suppl. latin.* 840.)

Sixtus episcopus omnibus Orientalibus episcopis in domino salutem.

Gratias vestrae referimus sanctitati, quod in tribulatione et persecutione nostra[2] visitare misistis et causae nostrae finem bonum scire et esse optatis, precibusque deum exorastis ut mihi in tribulatione succurreret mea meque[3] adiuvaret et ab emulis tribulantibus et persequentibus me liberaret. O quam bona est caritas que absentes per imaginem praesentes sibimet ipsis exhibet per amorem, divisa quoque unit, confusa ordinat, inequalia sociat, inperfecta confirmat. Quam recte praedicator istam, si[4] egregius apostolus videlicet Paulus, vinculum perfectionis vocat, quoniam virtutes quidem ceterae perfectionem generant, sed tamen eas caritas ita ligat, ut ab amantis mente dissolvi iam nequeant. Hac quoque virtute, fratres, plenos vos spiritus sancti gratia esse repperio, dum solaciari mihi in meis

Epistola Sixti III.
O quam bona est — spiritus sancti gratia esse repperio, Greg. M. ep. V. 53. (2, 780.) Cf. Silv. ep. ad Amat., Greg. M. ad Fel.

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 35. *p.* 49. 2 *In coll. altera Hincmari Laud.* (*Op. Hincm. Remensis II.* 369 *sqq.*), *ubi tota epistola exhibetur, additur:* nos. 3 *Sic corr.* neque *sec. Hincm. Laud.* 4 *Sic corr.* istansi, *quod est in cod.; Hincm.:* praedicator egregius etc.

anxietatibus sentio. Nec mirum, karissimi, si me persequuntur emuli mei, cum capud nostrum quod est Christus olim emuli sanctae dei aecclaesiae servorumque eius sint persecuti, unde et ipsa per se veritas dicit: Si patremfamilias Belzebuth vocaverunt, quanto magis domesticos eius! Quae iterum dicit: Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret; sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Haec, fratres, cum et nos aiamus et aliis[1] nosse predicamus[2] vosque ea perfecte scire non dubitemus, propter insidiantium vituperationes aut accusationes vel propter laudantium opiniones nec ad dexteram nec ad sinistram declinare debemus, sed inter verba[3] laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est, et si in ea non invenitur bonum quod nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum si in ea non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magna debemus letitia prosilire. Quid enim si omnes laudant[4] et conscientia nos liberos demonstretur[5], habemus Paulum dicentem: Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae. Iob quoque dicit: Ecce in celo testis meus. Si ergo est nobis testis in caelo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi aer[6] in pulverem sufflant atque in oculos suos terram excitant? Unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis vident; vocandi tamen sunt etiam ipsi et tranquille ammonendi eisque satisfieri modis omnibus debet, scientes quod de iudaeis veritas ait: Ne forte scandalizemus eos. Si autem satis fieri sibi ex veritate noluerint, habes consolationem quam in evangelio aspicias, quia cum domino dictum fuisset, scis quia audito hoc verbo scandalizati sunt, respondit: Sinite illos, caeci sunt duces caecorum. Paulus quoque apostolus ammonet dicens: Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, dicturus cum omnibus hominibus pacem habentes quia hoc difficile esse perspexit, praemisit: si fieri potest, et subiunxit: quod potest fieri, cum dicit quod est ex vobis; quia si nos in mente caritatem erga odientes servare cupimus, et si illi pacem nobiscum non habent, nos tamen cum illis nec[7] dubio habemus.

Quod ergo mandastis, ut scriberem vobis qualiter[8] iurgium contra me suscitatum sit, id est a quo, ut vestro amminiculo pelleretur et causa mea firmaretur, scitote me criminari a quodam Basso et iniuste persequi. Quod audiens Valentinianus augustus, nostra auctoritate synodum congregari iussit et facto concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet evadere aliter satis potuissem, suspitionem tamen fugiens coram omnibus me purgavi, me scilicet a suspitione et emulatione liberans, sed non aliis qui noluerint aut sponte hoc non elegerint, faciendum formam exemplumque dans, cum scriptum sit: Si quis crimen obicere voluerit, scribat se prius probaturum; et alibi: Criminationes adversum doctorem nemo recipiat; et iterum: Si quis episcopus, presbiter aut diaconus vel quilibet clerici apud episcopum a qualibet persona fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius generis persona qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, noverit docenda probationibus monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa uiusmodi personas non probanda detulerit,

unde et ipsa per se veritas — tamen cum illis nec dubio habemus, eiusd. ep. XI. 2. (2, 1093.)
Quid enim aliud etc. Cf. Fel. I. pp. 6.
Quod autem mandastis — omnibus me purgavi sec. Xysti III. vit. c. 1. in libr. pontif.
Si quis crimen — se prius probaturum, Ben. III. 365. aut c. 47 Angilr. aut ep. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 4. C. Th. IX. 1.
Criminationes adversus — recipiat, Ben. II. 357. aut c. 12 (bis) Angilr. (Xysti Pyth. s. 250.) Cf. Calist. 3, Steph. 13, Euseb. 17.
Si quis episcopus — infamiae sustinere, c. 21 Angilr. (Ben. III. 438 des. ex c. 41. C. Th. XVI. 2.) Cf. Gai. 4.

1 *Sic corr.* alias. 2 *Hincm. Laud.* sciamus et aliis saepe praedicemus *pro* aiamus — praedicamus. 3 *Verba:* laudantium opiniones — sed inter verba *omissa in cod. restitui sec. Par.* 3852 *et Hincm. Laud., qui pro* opiniones *habet* adulationes. 4 *Hincm. Laud. addit:* et conscientia nos accuset aut si omnes accusent. 5 *L. c.* demonstret. 6 *Sic corr.* er, *quod est in cod. pro* aer. *Apud Hincm.* er *aut* aer *omittitur.* 7 *Hincm.* sine. 8 *Hincm. add.* instans.

intellegat se iacturam infamiae[1] sustinere et[2] sub magna excommunicatione exilio deportari. Ista omnia postposui non aliis, ut paulo superius prelibatum est, exemplum dando, sed me a praefata infamia et suspitione liberando.

Condempnatus est autem memoratus Bassus a iam dicta synodo, ita tamen ut in ultima die viaticum ei non denegetur propter humilitatem piaetatis aecclesiae. Valentinianus quoque ante dictus imperator scripto eum condempnavit cum augusta matre Placidia et omnia praedia facultatum eius futuris de talibus dans hominibus formam ita faciendi aecclesiae catholicae sociavit. Sepe dictus ergo Bassus nutu divino non multo post moritur. Cuius corpus licet dignum non esset sepulture, propter misericordiam tamen sepelivi eum in cubiculo parentum eius. Et quamquam ipse erga me stulte et inprudenter egisset, ego vero misericorditer circa eum egi cogitans illud quod dominus in evvangelio loquitur dicens: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum nec pater vester caelestis dimittet vobis peccata vestra. Et in ipsa dominica oratione quam salvator noster discipulos orare docuit, cotidie supplicando domino dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et multa sunt alia et his similia. His ita de me[3] peractis, quia contra voluntatem omnium episcoporum qui nobiscum erant, propter humilitatem sensus mei nullo compulsus iuditio aut vim passus, sed sponte eligens, non formam, ut iam dictum est, aliis dando, sed me purificando feci, in aliis tamen episcopis competens adhibenda est de talibus medella vulneribus, ne inmatura curandi facilitas mortifera capitis peste nihil possit, sed segnius tracta pernities reatu non legitime curationis involvat pariter sautiatos et medentes. Ob id ergo statuentes decernimus, ut hi qui non sunt bone conversationis et quorum vita est accusabilis, vel quorum fides, vita et libertas nescitur, non possint domini sacerdotes accusare nec viles persone ad accusationem eorum admittantur. Similiter hi qui in aliquibus criminibus inretiti sunt vel qui sunt suspitiosi vocem adversus maiores natu non habeant accusandi, quia suspitiosa vox et inimica veritatem solet opprimere. Peregrina vero iuditia salva in omnibus apostolica auctoritate generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ut ab externis iudicetur, qui provintiales et a se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum; unde oportet, ut si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, ut ab omnibus audiatur, qui sunt in provintia episcopis, quia non oportet accusatum aliubi quam in foro suo audiri. Si quis vero iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, appellantem autem non debet afflictio ulla aut detentionis iniuriare custodia, sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare, liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem in supplitio sententia destinarit. Pulsatus ante suum iudicem causam dicat et non ante suum iudicem pulsatus, si voluerit taceat, et ut pulsatis quoties appellaverint indutiae dentur. Si quis ergo iratus crimen aliquid cuilibet temere obiecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur; ut si fortasse resipiscens que pro iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. Omnis ergo qui crimen obicit, scribat se probaturum revera. Ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur, et qui non probaverit quod obiecit, poenam quod[4] intulerit ipse patiatur.

Placuit etiam, ut si episcopus accusatus appellaverit apostolicam sedem, id statuendum, quod eiusdem sedis pontifex censuerit. Haec tamen omnino in sacerdotum causa forma servetur, ne quemquam sententia non a suo iudice dicta constringat. Occurrere quoque quisque fidelium ruinis debet oppressorum et miserorum

Condempnatus autem — in cubiculo parentum eius sec. vit. cit. c. 1. 2.
Si non dimiseritis — vobis peccata vestra, Matth. VI. 15.
Dimitte nobis debita — debitoribus nostris, Matth. VI. 12.
competens adhibenda est usque ad finem. Cf. Fab. 25—30, ubi eadem leguntur.

[1] *Sic sec. Hincm. corr.* infatie. [2] *Sic sec. Hincm. corr.* nec. [3] *Sic corr.* his ita demet *sec. cod. Par.* 3852 *et Hincm.* [4] *Hincm.* quam.

subsidio, quo valeant ex relevatione alienae vindicte a se dei removere vindictam. Libat ergo prospera qui ab afflictis pellit adversa, unde scriptum est: Frater fratrem adiuvans exaltabitur. Ecclesia enim dei sine macula et ruga debet existere, et ideo non oportet eam a quibusdam conculcare aut maculare[1], quia scriptum est: Una est columba mea perfecta mea, hinc iterum dominus ad Moysen ait: Est locus poenes me et stabis supra terram[2]. Quis est locus, qui non sit domini, dum cuncta in ipso per quem creata sunt, continentur? Sed tamen locus apud eum videlicet sanctae aecclaesiae unitas est, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. Vos quoque et omnes fratres nostros aecclesiam Christi sanguine[3] redemptam regentes monemus, ut omnes a praecipitio in quo fratres et domini pastores detrahendo et persequendo verbis et factis labuntur, laquehis quibus potestis retentetis, et labi eos in ima non permittatis, quia scriptum est: Ira viri iustitiam dei non operatur; hinc rursum dicitur: Sit omnis homo[4] velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram. Haec autem vos auctore deo omnia servare non ambigo, sed occasione ammonitionis exorta bonis vestris desideriis et operibus me furtive subiungo, ut quod non ammoniti facitis, quando vobis et ammonens additur, iam non solum[5] faciatis.

Quapropter, fratres, oportet vos et omnes fideles diligere invicem et non detrahere aut accusare alterutrum, scriptum est enim: Dilige proximum, et coniungere fidem cum illo; quod si denudaveris absconsa illius non persequeris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum et non eum capies, non illum sequaris, quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima eius, ultra eum non poteris conligare, et maledicta est concordatio, denudare autem amici misteria desperatio est animae infidelis, annuens oculo fabricat iniqua, et nemo eum abiciet. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum et super sermones tuos admirabitur. Novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa audivi, et non quoaequavi ei, dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidem, super capud eius cadet et plaga dolose dividet vulnera. Qui fodit foveam, decidet in illam, et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alio ponit, peribit in illo; facienti nequissimum consilium super ipsum devolvitur et non agnoscet unde adveniet illi[6]; laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum. Dolor autem consumet illos antequam moriantur. Ita et furor utraque execrabilia et vir peccatorum continens erit illorum. Qui vindicari vult, a deo inveniet vindictam et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te et tunc depraecanti tibi peccata solventur; homo homini servat iram, et a deo querit medellam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur altissimum? Ipse dum caro sit, servat iram et propitiationem petit a deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum et desine inimicari! Tabitudo enim et mors imminent in mandatis. Memorare timorem dei et non irascaris proximo. Memorare altissimi testamenti et dispice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata; homo enim iracundus incendit lites, et vir peccator turbabit amicos et in medio pacem habentium inmittet inimititiam. Secundum enim ligna silvae, sic ignis exardescit, et secundum virtutem hominis iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendet ignem, et lis festinans effundet sanguinem, et lingua testificans adducet mortem. Si sufflaveris, quasi ignis exardebit, et si expueris super illam extinguetur[7], et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes, lingua tertia multos commovit[8] et dispersit illos a gente in

[1] *Hincm.* conculcari aut maculari. [2] *Hincm.* petram. [3] *Sic corr.* sanguinem *sec. Hincm.* [4] *Om. in cod. sec. Hincm. restit.* [5] *Hincm.* soli. [6] *Hincm. add.* illusio et improperium superborum et vindicta sicut leo insidiabitur illa, *quae etiam in Par.* 3852 *omittuntur.* [7] *Sic corr.* extringuetur *sec. Par.* 3852 *et Hincm.* [8] *Sic corr.* cognovit *sec. cod. cit. et Hincm.*

gentem. Civitates muratas divitum destruxit et domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas[1] eiecit, et privavit illas de laboribus suis. Qui respicit illam non habebit requiem, nec habitabit cum requie. Flagelli[2] plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic, quomodo qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est a lingua nequam, et qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit iugum eius et vinculis illius non est ligatus. Iugum enim illius iugum ferreum est et vinculum illius vinculum aereum est. Mors illius mors nequissima est, et utilis potius inferis quam illa perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum, et flamma sua non comburet iustos. Qui derelinquunt deum, incidunt in illam, et exardescet in illis et non extinguetur, et immittetur quasi leo, et quasi pardus ledet illos. Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito hostia et seras auribus tuis, aurum tuum et argentum confla, et verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos, et adtende, ne forte labaris in lingua tua et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem: ista caveant omnes et cohibeant linguas a malo et labia eorum ne loquantur dolum.

De cetero, karissimi, confortamini in domino et in potentia virtutis eius. Induite vos armatura dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis conluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiae in caelestibus, propterea accipite arma dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti lorica iustitiae et calciati pedes in praeparatione evvangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite et gladium spiritus quod est verbum dei. Haec, fratres, vobis scripsimus, generaliter omnibus notum fieri volumus, ut quae caeteros tangunt omnibus nota fiant. Omnipotens deus vos et reliquos fratres ubique consistentes[3] protegat usque in finem, qui cunctum mundum est dignatus redimere Iesus Christus dominus noster, qui est benedictus in saecula. Amen. Data Kal. April. Valentiniano et Florentio vv. cc. cons.

Finiunt epistolae decretorum Caelestini et Sixti. Dehinc secuntur decreta papae Leonis.

INCIPIT EPISTOLA LEONIS PAPAE AD THEODORITUM POST CALCIDONENSE.[4]

Dilectissimo fratri Theoderito episcopo Leo episcopus.

Remeantibus ad nos fratribus et consacerdotibus nostris quos ad sanctum concilium sedes beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam Nestorianae impietatis quam Eutychianae vesaniae extitisse victricem. Unde gloriamur in domino cum propheta canentes: Adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit caelum et terram. Qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius christiani orbis iudicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent. In quo amplior nobis accrescit gaudendi materia, dum tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi ministros servus insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam quam ceteris omnium dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt qui de iudiciis no-

Not. cons. sec. vit. Xysti III. c. 1 et Coelest. I. ep. ad episc. Apul. (H. no. 35.)

1 *Sic corr.* veritas *sec. cod. cit.; Hincm.* irritas. 2 *Sic corr.* flagella *sec. cod. cit. et Hincm.* 3 *Sic corr.* consistentibus *sec. cod. cit. et Hincm.* 4 *Inscript. sec. cod. Paris. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. Baller. op. Leon. T. I. p.* 1218, *ubi inscriptio exhibetur:* ad Theodoritum episcopum Cyri. De fidei perseverantia. *Capitt. divisio quae ibidem habetur in Ps.-Isidor. non legitur. Cf. quae scripsi de hac epistola in* §. 13 *no. IV. comment. meae.*

stris ambigerent. Et dum nonnulli a dissensionis incitati auctore ad contradictionum bella prosiliunt, ad maius bonum, malo eius, auctore totius bonitatis dispensante perventum est. Dulcius si quidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur, et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per labores. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmarit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad maiorem dei gloriam proficit finis examinis quando ad hoc se accepit exerendi fiducia, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii praeiudicio videatur oppressum.

Exulta igitur, carissime frater, et in unico dei filio victor exulta. Vicit per nos ille pro se, cuius carnis veritas negabatur, vicit per nos et pro nobis ille cui vicimus. Secunda est post adventum domini haec orbi festivitas. Redditum saeculo est praedone prostrato incarnationis divinae mysterium, quod humani generis inimicus, quia rebus ipsis auferre non poterat, calumniis obscurabat. Quinimmo ab incredulorum corde perierat immortale mysterium, quia nihil prodest tanta salus incredulis ipsa veritate suis dicente discipulis: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Solis iustitiae iubar, densis per Orientem Nestorii et Eutychis nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit, ubi culmen suum in apostolis et doctoribus principaliter collocavit. Quamvis nec illic umquam defuisse credendus sit, quo confessores sibi egregios reservavit: ita ut dum denuo conaretur hostis antiquus per secundi Pharaonis impoenitens cor, fidei Abrahae semen et filios repromissionis extinguere, deo miserante languescens, nisi sibi nocere nihil posset. De quo et illud omnipotens mirabilius egit, quia et quos sibi socios ad Israelitici populi caedes asciverat, non cum tyrannidis auctore submersit, sed cum suo populo congregavit et sicut revera se dignum et soli sibi possibile fons misericordiae noverat, victos a nobis nobiscum fecit esse victores. Nam dum solus vere sit humani generis hostis spiritus falsitatis, omnes de illo iam triumphare non dubium est quos sibi veritas vindicavit. Nunc prorsus illa redemtoris nostri dicta quam sint divinae auctoritatis apparet, dum contra hostes fidei sic aptantur, ut de ipsis dictum esse dubitare non liceat: Vos, inquit, ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis implere. Ille homicida fuit ab initio et in veritate non stetit, quia veritas in eo non est. Quando loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur, quia mendax est et pater eius.

Nihil ergo mirandum est, quod hi qui in veritate dei nostrae naturae mendacium crediderunt, patri suo et circa ista concordant, quicquid visum, quicquid auditum, quicquid denique teste evangelio tactum est atque palpatum in unico dei filio, non eius cuius probatum est asserentes, sed coaeternae et coessentialis patri fuisse substantiae, quasi aut divinitatis natura crucis ligno transfixa sit aut inconvertibilis crescere per aetates et in sapientia proficere, sapientia sempiterna vel spiritu deus, qui spiritus est, subinde repleri potuerit. In hoc quoque se acerba vesania, ex quo auctore accesserit, prodit, quod quantum in se est, universis nocere molita est. Nam qui vos persequendo afflixit, ceteros ad consensum sceleris impellendo depravavit. Sed nec nos, licet in singulis fratribus, quia membra nostra sunt, vulnerasset, a speciali dolore fecit exceptos, quibus nova et inaudita atque incredibili audacia inferre contra suum caput est molitus iniuriam. Sed utinam vel post tot pessima resipiscens, non nos etiam de suo aeternae damnationis interitu contristasset. Quam mensuram sceleris praetermisit, cui nec hoc sufficere potuit, quod nec vivis parcendo nec mortuis etiam in sanguine innocentis et catholici sacerdotis pollutas iampridem abdicata veritate atque approbata falsitate, manus intinxit? Et cum scriptum sit: Qui odit fratrem suum, homicida est, ille quod odio iam fecisse addictus est, implevit operibus, quasi nec haec audisset, nec illud quod dominus ait: Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et onus meum leve est. Dignus diabolici praedicator erroris Aegyptius vastator inventus est, qui tamquam saevissimus tyrannus ecclesiae nefandas blasphemias per violentam seditiosorum turbam et per cruentas manus militum venerandis fratribus imponebat. Et cum voce redemtoris nostri firmatum sit unum eumdemque homicidii esse et falsitatis auctorem, ille pariter utrumque complevit, quasi non ut caveantur, sed ut perpetrentur scripta sint, ad perditionis suae cumulum trahens quae dei filius monuit ad salutem: illud quoque surda nimis aure praeteriens quod ab eodem domino dictum est: Ego quod vidi apud patrem meum loquor et vos quod vidistis apud patrem vestrum facitis. Igitur dum sanctae memoriae Flaviano vitam praesentis saeculi moliretur auferre, se verae vitae luce privavit. Dum vos ab ecclesiis vestris conaretur expellere, se a christianorum collegio segregavit. Dum trahit plurimos et impellit ad erroris assensum, multiplici animam suam vulnere sauciavit, solus ultra omnes et per omnes ac pro omnibus reus qui causa reatus omnibus fuit. Sed licet his tua fraternitas solido cibo firmata indigere minime videatur, tamen ut quod nostri loci est impleamus circa vocem dicentis apostoli: Praeter ea quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror? Hoc praecipue praesenti occasione credimus admonendum, frater carissime, ut quotiescumque divina gratia administrante,

illos qui foris sunt fonte doctrinae aut submergimus aut purgamus in nullo ab illis quas spiritus sancti divinitas in Calchedonensi concilio protulit fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem novellae perfidae sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non iam, quod absit, tamquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate summa quae bene definita sunt adstruentes, cum et in apostolicae sedis epistola universalis sanctae synodi assensu firmata tanta divinae auctoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullus queat ulterius dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit et synodalia gesta vel quibus primum definitio fidei legitur esse formata vel quibus praefatae litterae apostolicae sedis, etiam tuae fraternitatis studio defensae sunt et maxime ad piissimos principes totius concilii allocutio, tot sint praecedentium patrum testimoniis roborata, ut, cuivis imprudenti ac pertinaci animo, si tamen non iam cum diabolo pro sua impietate damnatus est, valeant suadere.

Unde hoc quoque contra hostes ecclesiae providere condignum est, ut eis nullam calumniandi occasionem, quod ad nos attinet, penitus relinquamus nec umquam contra Nestorianos aut Eutychianos agentes alteri eorum videamur terga vertisse, sed utrosque Christi hostes aequa lance vitemus atque damnemus: ita ut eos quoties audientium quantalibet poscit utilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promtissime atque evidentissime feriamus, ne si a nobis aut obscurius fieri videatur aut tardius putetur invitum. Quod quamvis prudentiam tuam res ipsa admonere sufficiat, iam tamen et experimenta docuerunt. Sed benedictus deus noster cuius invincibilis veritas ab omni haereseos macula mundum te secundum sedis apostolicae iudicium demonstravit, cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te qualem probavimus ac probamus, pro universalis ecclesiae defensione servaveris. Nam quod deus omnium calumniosorum fallacias solvit, maximam beatissimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus, qui postquam suae sedis iudicium in fidei definitione firmavit, nec circa cuiusquam vestrum qui nobiscum pro catholica fide laborastis personam quicquam reprobum videri permisit, quia nec poterat spiritu sancto iudicante quisquam non victor exire, quorum iam vicerat fides.

Quod superest exhortamur, ut quia illic nonnullas Eutychiani ac Nestoriani erroris reliquias cognovimus remansisse, nunc etiam sedi apostolicae collabores. Victoria enim quam Christus dominus noster suae donavit ecclesiae, quamdiu in hoc mundo versamur, licet fiduciam maiorem tribuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit, nec ut dormiamus donata est, sed ut suavius laboremus. Unde in hoc quoque tuae vigilantiae sollicitudinem volumus adiuvari, ut tua relatione currente, quid apud illas religiones doctrina dominica proficiat, apostolicam sedem festines instruere, quatenus illius religionis sacerdotes in quocumque usus exegerit adiuvemus. De his vero quae in saepe dicto concilio illicita contra venerabiles Nicaenos canones praesumtione tentata sunt ad fratrem et coepiscopum nostrum Antiochenae sedis praesulem scripsimus, adiicientes et illud quod nobis propter improbitatem monachorum quorumdam religionis vestrae verbo mandasti per vicarios nostros et hoc specialiter statuentes, ut praeter domini sacerdotes nullus audeat praedicare seu monachus sive ille sit laicus qui cuiuslibet scientiae nomine glorietur. Quas tamen litteras pro utilitate universalis ecclesiae per praedictum fratrem et coepiscopum nostrum Maximum ad omnium voluimus pervenire notitiam et ob hoc his nolumus earum exemplar adiicere, quia quae praedicto fratri et coepiscopo nostro iniunximus non dubitamus implenda. Et alia manu: Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data tertio Id. Iun. Opilione viro clarissimo consule.

Domino sancto et beatissimo patri Leoni Eusebius Mediolanensis per quam fidei eius quam ad Orientem direxerat assertionem aliis episcopis consentiens subscripsit.[1]

Reversis domino annuente fratribus nostris, quos ad Orientem fidei causa sollicite provida beatitudo vestra direxerat, decursisque litteris quas per eos tua sanctitas destinavit, omni exultatione in Christo relevatus sum, quod effectum commissae sibi legationis eosdem reportasse vestra pagina designavit. Nec mirum, quod dominus noster Iesus Christus catholicae fidei quam tenemus, maiestatis suae gratiam custodiamque praestiterit: quando vos idoneos cultus sui assertores in apostoli sui sede praesulem collocavit, qui et recta sentire de incarnationis dominicae sacramento et eadem potestis rectius custodire.

Admonitis ergo fratribus et coepiscopis meis habitoque conventu vestrarum formam tenuimus litterarum. Nam recensita epistola beatitudinis vestrae in sacerdotum domini concilio, quam sanctus frater et coepiscopus noster Abundantius et compresbyter meus Senator detulerant agnitaque eorum narratione, sicut scripta vestra signaverant, rerum gestarum ordine continuo requisita est recitataque epistola, quam fidei assertione plene

1 *Sic incipit epistola in cod. Par. int. suppl.* 840. *Text. des. ex ed. fr. Ball. op. Leon. M. T. I. p.* 1080, *ubi inscribitur epistola:* Synodica Eusebii Med. episc. ad S. Leonem papam. *Exhibetur epistola in c.* 56 *coll. Quesn.* (*cf. l. c. T. III. p.* 405). *Divisio capitt. apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. non invenitur.*

digestam, ad Orientem dudum sanctitas vestra transmiserat, quae ad nos ex vestra admonitione, sancto fratre et coepiscopo nostro Ceretio mutuante pervenit. Claruit eam plena fidei simplicitate fulgere, prophetarum etiam assertionibus, evangelicis auctoritatibus et apostolicae doctrinae testimoniis, nitore quodam lucis ac veritatis splendore radiare, omnibusque sensibus convenire, quos beatus Ambrosius de incarnationis dominicae mysterio suis libris spiritu sancto excitatus inseruit.

Et quia omnia maiorum fidei nobis antiquitus traditae tota puritate conveniunt, domine sancte et beatissime pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina proterit declarare, ut eos, qui impie de incarnationis dominicae sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui pravitate a catholicae fidei veritate recedentes, seipsos dignos abiectione fecerint, suo etiam consensu, auctoritatis vestrae praecedente sententia, damnatione congrua persequendos. Litterarum ergo vestrarum formam secuti; modum praescriptae ordinationis nos servasse, his per fratrem et coepiscopum nostrum Cyriacum missis ostendimus. Superest, ut annuente domino perfectis rebus palmam fidei et consummati certaminis coronam quiete perpetua retinentes, hoc futuris memorabile saeculis relinquatis, ut ob hoc extitisse praesenti tempore impiae sectae contumacia videatur, ut vobis propugnatoribus in aeternum prostrata succumberet. Et alia manu: Incolumem beatitudinem tuam summa divinitas tueatur atque custodiat, domine sancte ac beatissime pater.

Eusebius episcopus Mediolanensis ecclesiae in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Faventius episcopus Regiensis ecclesiae in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Maiorianus episcopus ecclesiae Placentinae in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Cyprianus episcopus ecclesiae Brixillianae in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Quintus episcopus ecclesiae Dertonensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Crispinus episcopus ecclesiae Ticinensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Floreius presbyter iussus a praesente sancto Eulogio episcopo meo ecclesiae Iporiensis, quia ipse propter infirmitatem subscribere non potest, subscripsi ad omnia supra scripta eo consentiente et anathema dicente his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Maximus episcopus ecclesiae Taurinatis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Gratus presbyter directus ab episcopo meo Euthasio ecclesiae Augustanae vice ipsius in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Cyriacus episcopus ecclesiae Laudensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Abundantius episcopus ecclesiae Comensis in omnia supra scripta consensi et pro me et pro absente sancto fratre meo Asinione, episcopo ecclesiae Curiensis, primae Rhaetiae, subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Paschasius episcopus ecclesiae Genuensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Pastor episcopus ecclesiae Astensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Simplicianus episcopus ecclesiae Novariensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Ioannes episcopus ecclesiae Cremonensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Optatianus episcopus ecclesiae Brixianae in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Iustianus episcopus ecclesiae Vercellensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Quintius episcopus ecclesiae Albigaunensis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt. Ego Praestantius episcopus ecclesiae Bergomatis in omnia supra scripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de incarnationis dominicae sacramento impia senserunt.

Ad Leonem papam Ravennii aliorumque episcoporum Galliorum fidei eius quam direxit ad Originem laudem dicentis.[1]

Domino vere sancto, merito in Christo beatissimo et apostolico honore venerando

[1] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840, *in quo* laude *corr. in* laudem *sec. Carnot.* 67bis *et Rotom.* 15/9. *E. Text. epistolae, c.* 57 *coll. Quesnell., sec. ed. Baller. cit.* (*T. III. p.* 406. *T. I. p.* 1107.) *Divisio capp. apud Baller. exhibita deest in Ps.-Isid.*

papae Leoni Ravennius, Rusticus, Venerius, Constantianus, Maximus, Armentarius, Florus, Sabinus, Valerianus, Constantius, Nectarius, Maximus, Asclepius, item Maximus, Ursus, Ingenuus, Iustus, Valerius, Superventor, Chrysaphius, Fonteius, Petronius, Idatius, Aetherius, Eulalius, Eustathius. Fraternus, Victurus, Eugenius, Hilarus, Verus, Amandus, Gerontius, Proculeianus, Iulianus, Helladius, Armentarius, Honoratus, Eparchius, Anemius, Dynamius, Maximinus, Ynantius et Palladius.

Perlata ad nos epistola beatitudinis vestrae quam ad Orientem pro catholicae fidei assertione misistis, optassemus statim apostolatui vestro pro tam immenso munere gratiarum actionem referre, nisi nobis difficultatem qua in unum celeriter non potuimus convenire, vel spatia quibus a nobis dispalati sumus longa terrarum vel aurarum, quae in regionibus nostris praeter consuetudinem fuit intemperies attulisset. Det ergo apostolatus vester nostrae veniam tarditati, quae non de otio aut dissimulatione, sed de certa necessitate descendit, quaeque a nobis etsi celeritatis gratiam abstulit, exultandi tamen materiam auferre non potuit.

Exultavimus itaque Christo propitio lectis beatitudinis vestrae litteris et omni instructione patefacta omnes intra Gallias constitutos exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiscum qui catholicae fidei lumine derelicto errorum tenebras inciderunt. Quae apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei quisquis redemtionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit et tenaci quo ad confundendos haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit. Multi itaque in ea gaudentes pariter et exultantes recognoverunt fidei suae sensum et ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester apostolatus exposuit, iure laetantur. Nonnulli sollicitiores facti beatitudinis vestrae admonitione percepta modis omnibus se gratulantur instructos datamque sibi occasionem gaudent, qua libere ac fiducialiter, suffragante etiam apostolicae sedis auctoritate eloquantur et asserat unusquisque quod credit.

Quis autem apostolatui vestro pro hoc tanto munere quod non solum Gallias, sed totum mundum velut quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas aestimet gratias posse persolvi? Doctrinae post deum vestrae debet fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua agnita veritate discedat et apostolicae institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat magisque sequatur et credat quod per os vestrum dominus noster Iesus Christus de sacramento incarnationis suae docet, quam id teneat quod diabolus humanae salutis et veritatis inimicus instillat.

Optassemus etiam ad filium vestrum gloriosissimum ac fidelissimum principem super eamdem causam litteras dare quibus congratulantes fidei ipsius, humilitatis quoque nostrae sollicitudinem qua vos in Christo sequimur proderemus, nisi ad nos de Orientalibus nuntio perlato fieri hoc minime necessarium putassemus. Meritis autem apostolatus vestri pius dominus praestitit, ut haeresim iam diu occulte nutritam vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestrae pertinet, quod malorum error latere non potuit: ad gloriam fidei redundat quod prava persuasio participes aut non invenit aut inventos amisit. Respiciat itaque, oramus, conservando apostolatum vestrum misericors dominus ecclesiam suam toto orbe diffusam. Vobis enim ita invigilantibus et hi qui curam animae suae gerunt sollicitiores in fide redduntur et hi qui paulo desides sunt, tanto ad sollicitudinem accenduntur exemplo.

Quod nos ante oculos semper habentes non desinemus domino ac deo nostro gratias agere et pariter supplicare gratulantes quod tantae sanctitatis, tantae fidei tantaeque doctrinae apostolicae sedi, unde religionis nostrae propitio Christo fons et origo manavit, antistitem dederit: petentes etiam ut datum concessumque munus pontificii vestri longissima ad aedificationem ecclesiarum suarum aetate custodiat. Nos autem etsi impares meritis pari tamen fidei si quid, quod absit, contra ecclesiam catholicam profana infestatione tentetur, parati sumus, confortante domino, cum beatitudine vestra pro veritate fidei animas nostras ponere et vitam hanc auctori salutis nostrae et largitori aeternitatis impendere. Et alia manu: Ora pro me, domine merito beatissime et apostolico honore venerande papa. Rusticus episcopus, apostolatum vestrum in domino venerans saluto et ut digneris pro me orare supplex rogo. Venerius te dominum in Christo meum, reverendissime, saluto, et ut digneris pro me orare supplex rogo. Constantianus episcopus beatitudinem vestram saluto. Similiter et omnes episcopi suprascripti salutaverunt.[1]

Leo episcopus Iuvenali episcopo Hierosolimitano.[2]

Acceptis dilectionis tuae litteris quas ad me filii nostri Andreas presbyter et Petrus diaconus detulerunt, gavisus quidem sum, quod tibi ad episcopatus tui sedem redire licuisset, sed confluentibus in recordationem omnibus causis quae te per quosdam excessus laborare fecerunt, dolui adversitatum tuarum temetipsum tibi fuisse materiam et resistendi haereticis constantiam perdidisse, qui aestimant non esse tibi liberum ut eos audeas redarguere, quos tibi professus sis in suo errore placuisse. Beatae enim memoriae Flaviani condemnatio et impiissimi Eutychis

[1] *Ceterae inscriptiones quibusdam in codd. exhibitae in Ps.-Isidor. non leguntur* (*cf. Baller. l. c. p.* 1109 *et* 1110). [2] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. epistolae, c.* 68 *coll. Quesnell., sec. ed. cit. Ball. T. III. p.* 467. *I. p.* 1285. *Divisio capp. ibid. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.*

receptio, quid nisi domini nostri Iesu Christi secundum carnem negatio fuit? quam ipse grandi misericordia sua fecit resolvi, cum detestandum illud Ephesinae synodi iudicium ita sancti Calchedonensis synodi auctoritate destruxit, ut nullum depravatorum a remedio correctionis arceret. Unde quia in tempore indulgentiae resipiscentiam magis quam pertinaciam delegisti, gaudeo te caelestem expetisse medicinam, ut fidei ab haereticis impugnatae tandem possis esse defensor. Quamvis enim nulli sacerdotum liceat nescire quod praedicat, inexcusabilior tamen est omnibus imperitis quilibet Ierosolymis habitans Christianus, qui ad cognoscendam virtutem evangelii non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur; et quod alibi non licet non credi, ibi non potest non videri. Quid laborat intellectus, ubi est magister aspectus? Et cur lecta vel audita sunt dubia, ubi se et visui et tactui tot humanae salutis ingerunt sacramenta? Quasi ad singulos quosque cunctantes dominus adhuc voce corporea utatur et dicat: Quid turbati estis et quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum. Palpate et videte, quia spiritus ossa et carnem non habet, sicut me videtis habere. Utere igitur, frater carissime, invictissimis catholicae fidei documentis et evangelistarum praedicationem sanctorum locorum, in quibus degis, testificatione defende. Apud te est Bethleem, in qua salutifer davidicae virginis partus illuxit, quem involutum pannis inter angustias diversorii praesepe suscepit. Apud te est declarata ab angelis, adorata a magis et per multorum infantium mortes ab Herode quaesita salvatoris infantia. Apud te est ubi pueritia eius adolevit, ubi adolescentia maturavit et per incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non sine cibo esuritionis, non sine somno quietis, non sine fletu miserationis nec sine pavore formidinis. Unus enim atque idem est qui et in dei forma operatus est miracula magna virtutis et in forma servi subiit saevitiam passionis. Hoc tibi ipsa crux indesinenter loquitur, hoc lapis clamat sepulcri, in quo dominus humana conditione iacuit et de quo divina potentia resurrexit, et cum ad montem Oliveti locum ascensionis veneraturus accedis, nonne illa vox angelica in tuo resultat auditu, qua elevationem domini stupentibus dicitur: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum, hic Iesus qui assumtus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis euntem in caelum. Veram igitur Christi generationem crux vera confirmat, quoniam ipse in nostra carne nascitur qui in nostra carne crucifigitur, quae nullo interveniente peccato, nisi fuisset nostri generis, non potuisset esse mortalis. Ut autem repararet omnium vitam, recepit omnium causam, ac vim veteris chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus solvendo vacuavit: ut sicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante iustitia ubi humana est suscepta natura. Nulla enim ratione extra nostri est corporis veritatem, de quo evangelista praedicationem inchoans dicit: Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham, beati Pauli apostoli consonante doctrina cum dicit: Quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in saecula. Itemque ad Timotheum: Memento, inquit, Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David. Haec autem veritas quantis et novi et veteris testamenti auctoritatibus declaretur, pro antiquitate sacerdotii tui evidenter agnoscis, cum fides patrum et scripta mea ad sanctae memoriae Flavianum data, quorum mentionem ipse fecisti, adiecta universalis synodi confirmatione sufficiant. Unde prospicere oportet dilectionem tuam ut contra redemtionis ac spei nostrae ineffabile sacramentum nullus obmurmuret. Sed si qui sunt qui adhuc aut ignorantia caligant aut perversitate discordant, eorum quorum in ecclesia dei apostolica fuit et clara doctrina auctoritatibus instruantur ut de incarnatione verbi dei hoc nos credere quod illi credidere cognoscant, neque se extra corpus Christi in quo commortui et conresuscitati sumus, sua obduratione constituant, quia nec pietas fidei nec ratio recipit sacramenti, ut aut in sua essentia passibilis fuerit deitas aut in nostrae susceptione naturae mentita sit veritas. Data pridie Nonas Septembris Aetio et Studio viris clarissimis consulibus.

[*Post quam epistolam in codd. Par. int. suppl. lat.* 840, *Carnot.* 67bis, *Paris.* 3852, *Rotomag.* 15/9. *E.*, *Ottobon.* 93, *Vatic.* 3791 *exhibetur rescriptum Leonis ad Flavianum episcopum* (*ed. Ball. T. I. p.* 801 *sqq.*, *ed. cit. Hisp. p.* 53). *Quod in iisdem codicibus denuo quoque repetitum tantum infra protuli. Cf. quoque* §. 13 *comm. meae.*]

Incipit epistola Leonis ad Pulcheriam augustam.[1]

Leo Pulcheriae augustae.

Quantum praesidii dominus ecclesiae suae in vestra clementia praepararit, multis saepe probavimus documentis, et quicquid nostris temporibus contra impugnatores catholicae veritatis industria sacerdotalis obtinuit, ad vestram maxime gloriam redundavit, dum, sicut spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subiicitis, cuius munere et protectione regnatis. Unde quia contra integritatem fidei christianae dissensionem quamdam in Constantinopolitana ecclesia Eutyche auctore generatam fratris et

[1] *Inscr. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. *Text. des. ex ed. cit. Op. Leon. T. I. p.* 853. *Exhibetur epistola in c.* 79 *coll. Quesn.* (*cf. l. c. T. III. p.* 470.) *Divisio capp. apud Ball. prolata deest in Ps.-Isid.*

coepiscopi mei Flaviani relatione cognovi, ita ut totius causae speciem sinodalium gestorum textus ostenderit, dignum gloriae vestrae est, ut error qui, ut arbitror, de imperitia magis quam de versutia natus est auferatur, priusquam ullas sibi vires de consensu imprudentium pertinacia pravitatis acquirat. Quia etiam ignorantia graves nonnumquam incidit in lapsus et plerumque in diaboli ruit foveam incauta simplicitas, per quam supradicto subrepsisse intelligo spiritum falsitatis, ut dum aestimat se religiosius de filii dei maiestate sentire, si ei naturae nostrae veritatem inesse non diceret totum illud, quod verbum caro factum est unius atque eiusdem putaret esse substantiae. Et quantum Nestorius a veritate excidit, dum Christum de matre solum hominem asseruit natum, tantum etiam hic a catholico tramite deviat, qui de eadem virgine non nostram credit editam esse substantiam: volens utique eam solius deitatis intelligi, ut quod forma servi gessit et quod nostri similis fuit atque conformis, quaedam nostrae naturae fuerit imago, non veritas.

Nihil autem prodest dominum nostrum beatae Mariae virginis filium verum perfectumque hominem dicere, si non illius generis homo creditur, cuius in evangelio praedicatur. Dicit enim Matthaeus: Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham, et ita humanae originis ordinem sequitur, ut generationum lineas usque ad Ioseph, cui mater domini erat desponsata, deducat. Lucas vero retrorsum successionum gradus relegens, ad ipsum humani generis principem redit, ut Adam primum et Adam novissimum eiusdem ostendat esse naturae. Potuerat quippe omnipotentia filii dei sic ad docendos iustificandosque homines apparere, quomodo et patriarchis et prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit aut sermonem conseruit cumve officia hospitalitatis non abnuit vel etiam appositum cibum sumsit. Sed illae imagines huius hominis erant indices, cuius veritatem ex praecedentium patrum stirpe sumendam significationes mysticae nuntiabant. Et ideo sacramentum reconciliationis nostrae ante tempora aeterna dispositum nullae implebant figurae, quia nondum supervenerat spiritus sanctus in virginem, nec virtus altissimi obumbraverat ei, ut intra intemerata viscera aedificante sibi sapientia domum, verbum caro fieret et forma dei ac forma servi in unam conveniente personam creator temporum nasceretur in tempore et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem, et consubstantialis patri, consubstantialis esse dignaretur et matri naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret, sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas, nec uti possemus triumphantis victoria, si extra nostram esset conferta naturam.

De hac autem participatione mirabili sacramentum nobis regenerationis illuxit, ut per ipsum spiritum per quem Christus et conceptus est et natus, etiam nos qui per concupiscentiam carnis sumus geniti, spirituali rursus origine nasceremur. Propter quod ab evangelista de credentibus dicitur: Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Cuius ineffabilis gratiae particeps non est, nec potest in filiorum dei adoptione censeri, quisquis a fide sua hoc quod nos principaliter salvat, excludit. Unde multum doleo multumque contristor, quod hic qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur, contra unicam spem nostram patrumque nostrorum vana et nimis stolida audet adstruere. Qui cum viderit insipientiae suae sensum catholicis auribus displicere, revocare se a sua opinione debuerat, nec ita ecclesiae praesules commovere, ut damnationis sententiam mereretur excipere, quam utique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim apostolicae moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis et veniam cupiat praestare correctis. Quia ergo multa mihi fiducia est de pietatis tuae sublimissima fide, obsecro gloriosam clementiam tuam, ut sicut sancto studio tuo catholica praedicatio semper adiuta est, ita nunc quoque eius faveas libertati, quam forte ideo permisit dominus hac tentatione pulsari, ut quales intra ecclesiam laterent, possent agnosci. Quorum plane non est negligenda curatio, ut nec ipsorum nos contristet amissio.

Augustissimus vero et christianissimus imperator cupiens quam celerrime turbata componi, episcopali concilio quod Ephesi vult haberi, nimium breve et angustum tempus indixit diem Kalendarum Augustarum praestituendo conventui, cum a tertio Iduum Maiarum, quo serenitatis eius scripta suscepimus maior pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud quod pietas ipsius etiam me credidit debere interesse concilio, etiamsi secundum aliquod praecedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum praesentium nimis incerta conditio a tantae urbis populis me abesse non sineret, et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si pro occasione causae ecclesiasticae viderer patriam et sedem apostolicam velle deserere. Quia igitur ad publicam utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut salva clementiae vestrae venia caritati me et precibus civium non negarem, in his fratribus meis quos vice mea misi, me quoque adesse cum ceteris qui adfuerint aestimate, quibus secundum causam satis mihi ex gestorum serie et ipsius de quo agitur professione patefactam evidenter et plene quid servandum esset, ostendi. Non enim de portiuncula aliqua fidei nostrae quae minus lucide declarata sit, quaeritur, sed hoc stultissima resultatio audet incessere, quod dominus noster in ecclesia neminem sexus utriusque voluit igno-

rare. Siquidem ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione caelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. Cuius symboli plenitudinem, si Eutyches puro et simplici voluisset corde concipere, in nullo a decretis sacratissimi Nicaeni concilii deviaret et hoc a sanctis patribus intelligeret constitutum, ut contra apostolicam fidem, quae non nisi una est, nullum se ingenium, nullum elevaret eloquium. Et ideo pro vestrae pietatis consuetudine elaborare dignemini, ut quod contra singulare sacramentum salutis humanae blasphema insipientia protulit, ab omnium animis repellatur. Ac si ipse qui in hanc tentationem incidit, resipiscat, ita ut per libellarem satisfactionem proprium damnet errorem, communio ei sui ordinis non negetur. Quod etiam sancto Flaviano episcopo me clementia tua scripsisse cognoscat, ut caritas non negligatur, si error aboletur.[1]

Incipit epistola papae Leonis ad Constantinopolitanos.[2]

Leo episcopus clero, honoratis et plebi consistenti Constantinopoli.

Licet de his quae in concilio sacerdotum nuper apud Ephesum gesta memorantur, multus nos maeror afficiat, eo quod sicut consonans fama dispersit et ipso rerum monstratur effectu, nec iustitiae illic moderatio, nec fidei est servata religio, de vestrae tamen devotionis pietate gaudemus et in sanctae plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrorum probavimus affectum; quia vivit ac permanet apud bonos filios optimi patris iusta dilectio et catholicae doctrinae eruditionem in nulla patimini parte corrumpi. Non dubie enim sicut vobis spiritus sanctus reseravit, Manichaeorum confoederantur errori, qui ab unigenito dei filio verum et nostrae naturae hominem negant esse susceptum, omnesque eius corporeas actiones simulatorii volunt fuisse phantasmatis. Cui impietati ne in aliquo praeberetis assensum, iam per filium meum Epiphanium et Dionysium Romanae ecclesiae notarium cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem quam expetistis ultro praebuimus: ut nos paternam vobis curam non dubitetis impendere ac modis omnibus laborare, ut auxiliante misericordia dei, omnia quae ab imperitis et insipientibus excitata sunt scandala destruantur. Nec quisquam sibi audeat de sacerdotali honore blandiri qui potuerit in execrandi sensus impietate convinci. Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui praesunt nec excusatione est digna nec venia, maxime cum etiam defendere perversarum opinionum commenta praesumunt et in consensum suum aut terrore aut gratia instabiles quosque traducunt? Spernantur huiusmodi a sanctis membris corporis Christi neque sibi catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi. Extra donum enim divinae gratiae et extra sacramentum habendi sunt salutis humanae, qui, negantes naturam nostrae carnis in Christo et evangelio contradicunt et symbolo reluctantur, nec sentiunt se in hoc praeruptum sua obcaecatione deduci, ut nec in passionis dominicae nec in resurrectionis veritate consistant; quia utrumque in salvatore vacuatur, si in eo nostri generis caro non creditur. In quibus isti ignorantiae tenebris, in quo hactenus desidiae torpore iacuere, ut nec audita discerent vel lectione cognoscerent, quod in ecclesia dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta taceatur? Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniae hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes virtutem caelestis cibi in carnem ipsius qui caro nostra factus est, transeamus. Unde et ad confirmationem caritatis vestrae quae laudabili fide inimicis veritatis obnititur, apte atque opportune sermone affectuque apostoli utar et dicam: Propterea et ego audiens fidem vestram quae est in domino Iesu et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut deus domini nostri Iesu Christi pater gloriae det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione eius illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis et quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nobis qui credidimus secundum operationem potentiae virtutis eius quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis et constituens illum ad dexteram suam in caelestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.

Dicant hic adversarii veritatis quando omnipotens pater vel secundum quam naturam filium suum super universa provexerit vel cui substantiae cuncta subiecerit? Deitas enim verbi par in omnibus et consubstantialis est patri et sempiternae atque intemporaliter una eademque potentia est genitoris et geniti. Creator quippe omnium naturarum, quoniam per ipsum omnia facta sunt et sine ipso fa-

[1] *Nota chronica:* Dat. Id. Ian. Asturio et Protogene vv. cc. coss. *quae in plurimis collect. epistolarum Leon. M. deest* (*cf. Baller. l. c. p.* 858) *in Ps.-Isidor. quoque omittitur.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840, *in quo* constantinopolitano *corr. sec. cod. Par.* 3852, *qui add. num.* LXXVIII. *Text. sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 975. *Epistola in c.* 80 *coll. Quesn. profertur* (*l. c. T. III. p.* 470). *Divisio capitt. apud Ball. prolata in Ps.-Isid. deest.*

ctum est nihil, superior est omnibus quae creavit, nec umquam creatori suo non fuerunt subiecta quae condidit. Cui proprium et sempiternum est, nec aliunde quam de patre, nec aliud esse quam pater est. Huic si addita est potestas, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente qui crevit nec habebat divitias eius naturae cuius indiguit largitate. Sed talia sentientem in societatem suam Arrius rapit, cuius perversitati multum haec suffragatur impietas, negans verbo dei humanam inesse naturam, ut dum humilitatem in dei maiestate fastidit aut falsam in Christo asserat imaginem corporis aut omnes actiones eius passionesque corporeas deitatis potius fuisse dicat quam carnis. Quodlibet autem defendere audeat, prorsus insanum est, quia nec pietas fidei nec ratio recipit sacramenti, ut aut aliquid passa sit deitas aut in ullo mentita sit veritas. Impassibilis igitur dei filius, cui cum patre et cum spiritu sancto in una incommutabilis trinitatis essentia, hoc quod est, esse perpetuum est, in ea plenitudine temporis quae sempiterno consilio fuerat praestituta et prophetica dictorum atque gestorum significatione promissa, factus filius hominis, non suae conversione substantiae, sed nostrae assumtione naturae venit quaerere et salvare quod perierat. Venit autem non locali accessu nec motione corporea tamquam praesens futurus unde abfuisset aut illinc recessurus unde venisset, sed venit per hoc quod erat visibile et commune cernentibus declarandus, humanam scilicet carnem atque animam in visceribus virginis matris accipiens, ut manens in forma dei, formam servi sibimet et similitudinem carnis peccati uniret, per quam non minueret divina humanis sed augeret humana divinis.

Talis enim erat omnium a primis ducta genitoribus causa mortalium, ut originali peccato transeunte per posteros nullus poenam damnationis evaderet, nisi verbum caro fieret et habitaret in nobis, in ea scilicet natura quae nostri et sanguinis esset et generis. Propter quod dicit apostolus: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam iusti constituentur multi. Et iterum: Quia enim per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Hi utique omnes qui licet in Adam sint nati, in Christo tamen inveniuntur renati, habentes fidei testimonium et de iustificatione gratiae et de communione naturae, quam qui susceptam ab unigenito dei filio in utero davidicae virginis diffitetur, ab omni sacramento christianae religionis alienus est et nec sponsum agnoscens nec sponsam intelligens, nuptiali non potest interesse convivio. Caro enim Christi velamen est verbi, quo omnis qui ipsum integre confitetur, induitur. Erubescens autem illud et quasi indignum refutans, nullum ex eo habebit ornatum, ac licet se regio inserat festo sacrisque se epulis importunus immisceat, discretionem tamen regis fallere improbus conviva non poterit, sed sicut ipse dominus protestatus est, tolletur et ligatis manibus et pedibus mittetur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Unde quicumque in Christo non confitetur corpus humanum, noverit se mysterio incarnationis indignum, nec eius sacramenti habere consortium, quod apostolus praedicat dicens: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Et exponens quid per hoc significaretur, adiecit: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia. Ab ipso ergo principio generis humani omnibus hominibus Christus est denuntiatus in carne venturus. In qua, sicut dictum est: Et erunt duo in carne una, utique duo sunt deus et homo, Christus et ecclesia, quae de sponsi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante sanguine et aqua sacramentum redemptionis et regenerationis accepit. Ipsa est enim novae conditio creaturae, quae in baptismate non indumento verae carnis, sed contagio damnatae vetustatis exuitur, ut efficiatur homo corpus Christi, quia et Christus corpus est hominis. Unde non deum tantum dicimus Christum sicut haeretici Manichaei, nec hominem tantum sicut haeretici Photiniani, nec ita hominem ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam sive mentem rationalem, sive carnem quae non de femina sumta sit, sed facta de verbo in carnem converso atque mutato, quae tria falsa et vana Apollinaristarum haereticorum tres partes varias protulerunt. Nec dicimus quod beata virgo Maria hominem sine deitate conceperit, qui creatus a spiritu sancto, postea sit susceptus a verbo, quod Nestorium praedicantem merito iusteque damnavimus. Sed dicimus Christum dei filium deum verum, natum de deo patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum natum de matre homine certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem qua maior est pater minuere aliquid eius naturae qua aequalis est patri. Hoc autem utrumque unus est Christus qui verissime dixit et secundum deum: Ego et pater unum sumus; et secundum hominem: Pater maior me est. Hanc fidem, dilectissimi, veram et indissolubilem, quae sola veros efficit christianos quamque, ut intelligimus et probamus, pio studio et laudabili amore defenditis, perseveranter tenete et constanter asserite! Et quoniam oportet vos post divinum auxilium etiam catholicorum principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, ut petitioni nostrae, qua plenariam indici synodum postulavimus, clementissimus imperator dignetur annuere, qua citius adiuvante misericordia

dei et sanis fortitudo augeatur et morbidis, si curari acquiescant, medicina praestetur.

Item incipit papae Leonis epistola ad Palestinos.[1]

Leo episcopus universis monachis per Palaestinam constitutis.

Sollicitudini meae quam universali ecclesiae omnibusque eius filiis debeo, multorum relatione patefactum est dilectionis vestrae animis quiddam offensionis illatum, dum aut imperiti, ut apparet, interpretes, aut maligni quaedam vos aliter intelligere, quam a me sunt praedicata fecerunt, non valentes in Graecum eloquium apte et proprie Latina transferre, cum in rebus subtilibus et difficilibus explicandis, vix sibi etiam in sua lingua disputator quisque sufficiat. Quod tamen apud me eo profecit, ut dum ea quae catholica fides respuit improbatis, intelligamus vos veris amiciores esse quam falsis, et id merito refutare, quod ex antiquae institutione doctrinae etiam ipse detestor. Quamvis enim epistola mea ad sanctae memoriae Flavianum episcopum data, satis sibi ad manifestationem sui ipsa sufficiat, neque in aliquo aut purgationis aut expositionis indigeat et alia tamen cum eadem mea scripta concordant, in quibus similiter praedicationis meae sensus in aperto est. Necessitatem enim habens contra haereticos, qui multos Christi populos conturbaverant et disserendi et clementissimis principibus et sancto concilio synodali et Constantinopolitanae ecclesiae quid de incarnatione verbi secundum evangelicam apostolicamque doctrinam deberemus sapere ac sentire patefeci et in nullo a sanctorum patrum confessione discessi, quia una est vera, singularis catholica fides, cui nihil addi nec minui potest. Quam Nestorius prius et nunc Eutyches diversa quidem assertione, sed simili impietate impugnare conati sunt, et ecclesiae dei duas haereses sibimet contrarias inferre tentarunt, ut uterque a discipulis veritatis merito damnaretur, quia insanum nimis et sacrilegum fuit quod varia falsitate ambo senserunt.

Anathematizetur ergo Nestorius qui beatam virginem Mariam hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis, nec unum Christum in verbo dei et carne sentiret, sed separatim atque seiunctum alium filium dei, alium hominis praedicaret, cum manente illa incommutabilis verbi essentia, quae ei cum patre et spiritu sancto intemporalis atque coaeterna est, ita intra virginea viscera verbum caro sit factum, uti uno conceptu unoque partu eadem virgo secundum unionem utriusque substantiae et ancilla domini esset et mater. Quod etiam Elizabet, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit: Unde hoc mihi ut veniat mater domini mei ad me? Eutyches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum haereticorum volutatus errores tertium Apollinaris dogma delegit, ut negata humanae carnis atque animae veritate, totum dominum nostrum Iesum Christum unius asserat esse naturae tamquam verbi deitas ipsa se in carnem animamque converterit et concipi et nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere et ascendere in caelum et in patris dextera, unde ad iudicandos vivos et mortuos veniet consedere, eius tantum essentiae fuerit, quae nihil horum in se sine carnis recipit veritate, quoniam natura unigeniti, natura est patris, natura est spiritus sancti simulque impassibilis, simul est incommutabilis, sempiternae trinitatis indivisa unitas et consubstantialis aequalitas. Unde si ab Apollinaris perversitate haereticus iste descisit, ne convincatur deitatem passibilem sentire atque mortalem et tamen verbi incarnati, id est verbi et carnis unam audens pronuntiare naturam, non dubie in Manichaei et Marcionis transit insaniam et mediatorem dei et hominum hominem Iesum Christum simulatorie credit egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium.[2]

Incipit epistola papae Leonis ad Aquilegensem episcopum.[3]

Relatione fratris et coepiscopi nostri Septimi quae in subditis habetur, agnovimus quosdam presbyteros et diaconos ac diversi ordinis clericos, quos Pelagiana sive Caelestiana haeresis habuerit implicatos, ita in vestra provincia ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris et pastoralibus excubiis nimium dormitantibus lupos ovium pellibus tectos in ovile dominicum non depositis bestialibus animis introisse, et quod per auctoritatem canonum decretorumque nostrorum, ne insontibus quidem conceditur, usurpasse, ut relictis ecclesiis in quibus clericatum aut acceperant aut receperant, instabilitatem suam per diversa circumferant, amantes semper errare et numquam in fundamento apostolico permanere. Quoniam qui nullo discussi examine, nullo sunt praeiudicio suae professionis obstricti, hunc maxime expetunt fructum ut sub velamento communionis plures domos adeant et per falsi nominis scientiam multorum corda corrumpant. Quodque utique efficere non possent, si ecclesiarum praesules necessariam diligentiam in talium receptione servassent, ne cuiquam eorum evagari in diversa licuisset. Ne ergo hoc ulterius audeatur, neve per quorumdam negligentiam

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. op. Baller. T. I. p.* 1236; *epistola profertur in c.* 81 *coll. Quesnell. (l. c. T. III. p.* 470). *Divisio capp. apud Baller. prolata in Ps.-Isid. non exhibetur.* 2 *Celera quae in ed. Baller. et in codd. classis C proferuntur, desunt in codd. A* 1.
3 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 589. *Est epistola c.* 82 *coll. Quesn. (cf. l. c. T. III. p.* 470). *Divisio capitt. apud Baller. prolata in Ps.-Isid. non exhibetur.*

introducta pernicies ad eversionem multarum tendat animarum, hac nostri auctoritate praecepti industriae tuae fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos synodo provincialium sacerdotum, omnes sive presbyteri sive diaconi sive cuiusque ordinis clerici, qui de Pelagianorum Caelestianorumque consortio in communionem catholicam ea imprudentia sunt recepti ut non prius ad damnationem sui coarctarentur erroris, nunc saltem posteaquam hypocrisis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem, quae et ipsis prodesse et nullis possit nocere, cogantur. Damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores et quicquid in doctrina eorum universalis ecclesia exhorruit, detestentur, omniaque decreta sinodalia quae ad excisionem huius haereseos apostolicae sedis confirmavit auctoritas amplecti se et in omnibus approbare plenis et apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum. Quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, quam a damnandorum soliditate discreverint, nihil sibi sensuum suorum aestiment esse non salvum. Cumque omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hoc sibi tota arte fallendi, nisi intelligatur, excipiunt, ut gratia dei secundum merita dari accipientium sentiatur. Quae utique nisi gratis detur, non est gratia, sed merces retributioque meritorum, dicente beato apostolo: Gratia salvi facti estis per fidem et hoc non ex vobis, sed dei donum est, non ex operibus ne forte quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis quae praeparavit deus, ut in illis ambulemus. Omnis itaque bonorum operum donatio divina praeparatio est, quia non prius quisquam iustificatur virtute, quam gratia quae unicuique principium iustitiae et bonorum fons atque origo meritorum est. Sed ab istis ideo per naturalem industriam dicitur praeveniri, ut quae ante gratiam proprio clara sit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata falsumque sit quod veritas ait: Quoniam filius hominis venit quaerere et salvare quod perierat.

Cavendum ergo dilectioni tuae est magnaque diligentia providendum, ne per huiusmodi homines extincta dudum scandala suscitentur et de exciso olim dogmate aliquod in provincia eiusdem mali germen oriatur, quod non solum in radicibus suis crescat, sed etiam sanctae ecclesiae sobolem veneno sui oris inficiat. Qui correctos se videri volunt ab omni suspicione se purgent et obediendo nobis probent se esse nostros. Quorum si quisquam salubribus praeceptis satisfacere detrectarit, sive ille clericus, sive sit laicus, ab ecclesiae societate pellatur, ne perditor animae suae saluti insidietur alienae.

Illam quoque partem ecclesiasticae disciplinae qua olim a sanctis patribus et a nobis saepe decretum est, ut nec in presbyteratus gradu nec in diaconatus ordine nec in subsequenti officio clericorum ab ecclesia cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus: ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est perseveret, ita ut si quis sua quaerens, non quae Iesu Christi et ad ecclesiam suam redire neglexerit et ab honoris privilegio et a communionis vinculo habeatur extraneus. Non autem dubitet dilectio tua nos si quod non arbitramur, neglecta fuerint, quae pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos, quia inferiorum ordinum culpae ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam saepe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Incipit epistola Leonis papae ad Iulianum episcopum.[1]

Leo urbis Romae episcopus dilectissimo fratri Iuliano episcopo.

Licet per nostros quos ab urbe pro fidei causa direximus plenissimas ad fratrem nostrum Flavianum litteras miserimus contra nimiae impietatis errorem, tamen quia per filium nostrum Basilium diaconem scripta tuae dilectionis accepimus quae multum nobis catholici sensus fervore placuerunt, etiam hanc paginam quae illis epistolis consonaret adiecimus, ut unanimiter atque constanter his qui evangelium Christi corrumpere cupiunt resistatis; quoniam sancti spiritus in nobis atque in vobis una est eruditio eademque doctrina quam quicumque non recipit, non est membrum corporis Christi, nec potest eo capite gloriari in quo naturam suam asserit non haberi. Quid autem prodest imprudentissimo seni Nestorianae haereseos nomine eorum lacerare opinionem quorum piissimam convellere non potest fidem, cum quantum Nestorius a veritate discessit deitatem verbi ab assumti hominis substantia separando, tantum a recto tramite etiam iste desciscat qui unigenitum dei filium sic de utero beatae virginis praedicat natum, ut humani quidem corporis speciem gesserit, sed humanae carnis veritas verbo unita non fuerit? De quo prodigio falsitatis, quis non videat quae opinionum monstra nascantur? Qui enim negat verum hominem Iesum Christum, necesse est ut multis impietatibus impleatur eumque aut Apollinaris sibi vindicet aut Valentinus usurpet aut Manichaeus obtineat, quorum nullus in Christo humanae carnis credidit veritatem. Qua utique non recepta, non solum quod secundum carnem atque animam rationalem qui erat in forma dei, manens idem in forma servi homo natus denegatur, sed etiam

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. epistolae in c.* 88 *coll. Quesnell. prolatae sec. ed. cit. op. Leon.* (*cf. T. I. p.* 875, *T. III. p.* 471).

quod crucifixus est et mortuus ac sepultus, quodque die tertio resurrexit et quod ad dexteram patris sedens ad iudicandos vivos et mortuos in eo corpore sit venturus, in quo est iudicatus, abnuitur: quia haec redemptionis nostrae sacramenta vacuantur, si Christus veram veri hominis totamque naturam suscepisse non creditur. An quia manifesta erant signa divina, falsa dicentur documenta corporea et testimonia utriusque naturae valebunt, ut creator intelligatur, non valebunt, ut creatura salvetur? Quod deitatis est, caro non minuit; quod carnis est, deitas non peremit. Idem enim et sempiternus ex patre et temporalis ex matre, in sua virtute inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis. In deitate trinitatis cum patre et cum spiritu sancto unius eiusdemque naturae, in susceptione autem hominis non unius substantiae, sed unius eiusdemque personae, ut idem esset dives in paupertate, omnipotens in abiectione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte. Nec enim verbum aut in carnem aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum simplex et incommutabilis natura deitatis tota in sua sit semper essentia nec damnum sui recipiens nec augmentum, et sic assumtam naturam beatificans ut glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens aut impossibile videatur ut verbum et caro atque anima unus Iesus Christus et unus dei hominisque sit filius, si caro et anima quae dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine verbi incarnatione personam: cum multo sit facilius, ut hanc unitatem sui atque hominis deitatis praestet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas. Nec verbum igitur in carnem, nec in verbum caro mutata est, sed utraque in uno manet et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex patre, alter ex matre, sed idem aliter ex patre ante omne principium, aliter de matre in fine saeculorum, ut esset mediator dei et hominum, homo Iesus Christus: in quo inhabitaret plenitudo divinitatis corporaliter, quia assumti non assumentis provectio est, quod deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quoniam dominus Iesus Christus in gloria est dei patris.

In eo vero quod Eutyches in episcopali iudicio ausus est dicere, ante incarnationem duas in Christo fuisse naturas, post incarnationem autem unam, necessarium fuerat, ut ad reddendam rationem professionis suae crebris atque sollicitis iudicum interrogationibus urgeretur, ne tamquam inane aliquid praeterflueret, quod nonnisi de haustu veneratorum dogmatum apparebat effusum. Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima, quam salvator assumsit prius in caelis sit commorata quam de Maria virgine nasceretur eamque sibi verbum in utero copularet. Sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant, quia nihil secum dominus de caelo veniens nostrae conditionis exhibuit; nec animam enim quae anterior extitisset, nec carnem quae non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumtione crearetur. Unde quod in Origene merito damnatum est, qui animarum antequam corporibus insererentur, non solum vitam sed et diversas fuisse asseruit actiones, necesse est, ut etiam in isto, nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur. Nativitas enim domini secundum carnem, quamvis habeat quaedam propria, quibus humanae conditionis initia transcendat, sive quod solus ab inviolata virgine sine concupiscentia est conceptus et natus, sive quod ita visceribus matris est editus, ut et fecunditas pareret et virginitas permaneret, non alterius tamen naturae erat eius caro quam nostrae, nec alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio, quae excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suae habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis. Verus homo vero unitus est deo, nec secundum existentem prius animam deductus est e caelo, nec secundum carnem creatus ex nihilo, eamdem gerens in verbi deitate personam et tenens communem nobiscum in corpore animaque naturam. Non enim esset dei hominumque mediator, nisi idem deus idemque homo in utroque et unus esset et verus. Incitat quidem nos ad latitudinem disserendi materiae magnitudo, sed apud eruditionem tuam non est copiose laborandum, praesertim cum iam per nostros ad fratrem Flavianum sufficientes literas miserimus ad confirmandos animos non solum sacerdotum sed etiam laicorum. Praestabit, ut credimus, misericordia dei, ut absque cuiusquam animae detrimento possint adversum diaboli dolos et sana defendi et vulnerata curari. Data Id. Iun. Asturio et Protogene vv. cc. consulibus.

Incipit epistola Leonis papae ad Theodosium augustum.[1]

Caesari Theodosio religiosissimo et piissimo augusto Leo papa ecclesiae catholicae urbis Romae.

Quantum rebus humanis consulere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiae vestrae spiritu dei incitata demonstrat, quae in catholica ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum, quoniam fides, quae non nisi una est, in nullo potest sui esse dissimilis. Unde licet Eutyches quantum gesto-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. epistolae* (*c.* 89 *coll. Quesn.*) *sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 839. *T. III. p.* 471.

rum episcopalium ordo patefecit, imperite atque imprudenter errare detectus sit, debueritque a sua quae merito reprobatur persuasione discedere, quoniam tamen pietas vestra, quae in honorem dei religiosissime catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit sinodale iudicium, ut imperito seni ea qua nimis caligat, veritas innotescat, fratres meos Iulium episcopum et Renatum presbyterum et filium meum Hilarum diaconem misi, qui ad vicem praesentiae meae pro negotii qualitate sufficerent, et qui eum secum deferrent iustitiae ac benignitatis affectum, ut quia dubitari non potest quae sit christianae confessionis integritas, et totius erroris pravitas damnaretur; et si resipiscens qui deviaverat, pro venia supplicaret, sacerdotalis ei benevolentia subveniret. Cum in libello suo quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut correcturum se esse promitteret quidquid nostra sententia de his quae male senserat improbasset. Quid autem catholica ecclesia universaliter de sacramento dominicae incarnationis credat et doceat, ad fratrem et coepiscopum nostrum Flavianum plenius continent scripta quae misi. Data Id. Iun. Asterio et Protogene vv. cc. consulibus.

Leo episcopus sanctae synodo apud Calchedonam habitae.[1]

Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo definitionem sanctae synodi, quae ob confirmationem fidei in Calchedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum, quia nulla sinebat ratio, ut qui unitatem catholicae fidei dolebam ab haereticis fuisse turbatam non exultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem non solum ab ipso beatissimae consensionis effectu, sed etiam ex epistolis meis quas post reditum meorum ad Constantinopolitanae urbis antistitem dedi, potuissetis agnoscere, si vobis responsionem sedis apostolicae manifestare voluisset. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae in synodo Calchedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, haec ad omnes fratres et coepiscopos nostros qui praedicto concilio interfuerunt, scripta direxi, quae gloriosissimus et clementissimus princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicae fidei amore dignabitur, ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum unisse sententiam in sola videlicet fidei causa quod saepe dicendum est, propter quam generale concilium et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae sedis placuit congregari, ut damnatis haereticis qui corrigi noluissent, nulla penitus resideret de vera domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Unde si quis umquam ausus fuerit vel Nestorii tueri perfidiam vel Eutychis ac Dioscori impium dogma defendere, a catholicorum communione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem, fratres carissimi. De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quae in synodo Nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut iura ecclesiarum sicut ab illis CCCXVIII patribus divinitus inspiratis sunt ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius immunitionem suum aliquis quaerat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio et appetitus suos conciliorum aestimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quicquid a praedictorum patrum canonibus discreparit, quorum regulis apostolica sedes quam reverenter utatur scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere et me auxiliante domino catholicae fidei et paternarum constitutionum esse custodem. Data duodecimo Kal. April. Opilione viro clarissimo consule.

Leo episcopus Anatholio episcopo.[2]

Diligentiam necessariae sollicitudinis quam fraternitas tua in dirigendis ad nos litteris exequitur, approbamus et acceptis per filium nostrum Olympium paginis tuis sacerdotalem in te curam vigere sentimus, cui nos quoque quantum dominus donat posse non desumus, exorantes dilectionem tuam, ut quia tempus laboris incidimus in sancta vigilantia perseveres, donec dextera domini faciat virtutem et sub pedibus ecclesiae suae conterat tentatorem. Consolatur etenim nos per omnia praeparata divinitus clementissimi principis fides, quem meo rursus, sicut oportuit, sum cohortatus alloquio, ut impiissimorum latronum ausibus districtiore constantia faciat obviari, quos nefas est tantum de suo favore praesumere ut etiam apud Constantinopolim audeant insanire. Sed hoc eis ideo divinae providentiae ratione permittitur, ut magis ac magis quo spiritu agitentur appareat, ne dubitari possit in quantam essent audaciam prorupturi, si post damnationem impiissimae haeresis disceptandi contra fidem acciperent potestatem, ut quantum in ipsis est, latius hoc furore saevirent, quem fratres et coepiscopi nostri qui ad vos nuper ex Aegypti partibus confugere se pertulisse deplorant, quibus et a christianissimo principe et a tuae fraternitatis deo placita caritate solatia pie-

[1] *Inscript. et text. epistolae* (*c.* 92 *coll. Quesnell.*) *sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 1193. *T. III. p.* 472. *Deest inscriptio in codd. Par. int. suppl. lat.* 840, *Carnot.* 67[bis], *Paris.* 3852, *Rotom.* 15/9. *E. Divisio capp. apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *textus epistolae* (*c.* 93 *coll. Quesn. sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 1317. *T. III. p.* 472. *Divisio capitum apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.*

tatis impendi non ambigerem, etiam si ipse non scriberes. Opportunum autem credidi ut ad ipsos quoque scripta dirigerem quae illos possint in communis fidei proposito roborare et quid pro patientia sua superna remuneratione mereantur, agnoscerent, sicut beatus apostolus docet, dicens: Excipite itaque illos cum omni gaudio in domino et huiusmodi cum honore habete, quoniam propter fidem Christi usque ad mortem accesserunt.

Illud sane plurimum mihi displicere significo, quod inter dilectionis tuae clericos quidam esse dicuntur, quid adversariorum conniveant pravitati et vasis irae vasa misericordiae misceantur. Quibus investigandis et severitate congrua coercendis debet diligentia tua vigilanter insistere, ita ut his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio. Oportuit etenim nos evangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate praecipitur, ut si nos oculus aut pes aut dextera scandalizaverit manus, a compage corporis auferatur, quia melius sit his in ecclesia carere membris, quam cum ipsis in aeterna ire supplicia. Nam superfluo extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt in eis quos decipiunt vulneramur. Abiicienda prorsus pestifera haec a sacerdotali vigore patientia est, quae sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando cum ipsis divinae iustitiae sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas invitat officii religiosissimum principem dilectio tua studeat frequentare et non solum regiam, sed et sacerdotalem ipsius mentem precibus meis obsecrare persiste, ut memor communis fidei quam spiritu sancto docente suscepimus, omnia haereticorum machinamenta confringat, neque quicquam illis in ecclesiis Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint divina mysteria, quibus in domo dei pro scelerum suorum magnitudine nec habitandi ius residet nec orandi. Data V. Idus Octobris Constantino et Rufo viris clarissimis consulibus.

Leo episcopus Leoni augusto per Philoxenum agentem in rebus.[1]

Multo gaudio mens mea exultat in domino et magna mihi est ratio gloriandi, cum clementiae vestrae excellentissimam fidem augeri per omnia donis gratiae caelestis agnosco et per incrementa diligentiae devotionem in vobis animi sacerdotalis experior. Nam in vestrae pietatis alloquiis non dubie patet, quid per vos in totius ecclesiae salutem spiritus sanctus operetur et quantum universorum fidelium precibus sit optandum, ut in omnem gloriam vestrum extendatur imperium, qui supra curam rerum temporalium religiosae providentiae famulatum divinis et aeternis dispositionibus perseveranter impenditis, ut scilicet catholica fides, quae humanum genus sola vivificat, sola sanctificat, in una confessione permaneat; et dissensiones quae terrenarum opinionum varietate nascuntur, a soliditate illius petrae supra quam civitas dei aedificatur, abigantur, gloriosissime imperator. Haec autem dei munera ita demum nobis divinitus conferentur, si de his quae sunt praestita, non inveniamur ingrati et tamquam nulla sint quae adepti sumus contraria potius expectamus. Nam quae patefacta sunt quaerere, quae perfecta sunt retractare, et quae sunt definita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratias non referre et ad interdictae arboris cibum improbos appetitus mortiferae cupiditatis extendere? Unde quia ad pacem universalis ecclesiae et ad custodiam catholicae fidei cura dignamini sollicitiore respicere, evidenter agnoscitis quod magnis haereticorum audetur insidiis, ut inter Eutychis Dioscorique discipulos et eum quem apostolica sedes direxerit diligentior, tamquam nihil fuerit ante definitum, tractatus habeatur et quod totius mundi catholici sacerdotes in sancta Calchedonensi synodo probant gaudentque firmatum, in iniuriam etiam sacratissimi concilii Nicaeni efficiatur infirmum. Quod enim nostris temporibus apud Calchedonam de domini nostri Iesu Christi incarnatione firmatum est, hoc etiam apud Nicaeam mysticus ille patrum numerus definivit, ne catholicorum confessio aut unigenitum dei filium in aliquo crederet patri imparem aut eumdem cum factus est filius hominis, non veram carnis nostrae atque animae habuisse naturam. Detestandum ergo nobis est perseveranterque vitandum, quod fraus haeretica nititur obtinere, nec in aliquam disceptationem pie et plene definita revocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quae manifestum est per omnia propheticis et evangelicis atque apostolicis auctoritatibus consonare. Unde si qui sunt qui ab his quae caelitus sunt constituta dissentiunt, suis opinionibus relinquantur et ab unitate ecclesiae cum ea quam elegerunt perversitate discedant. Nam nullo modo fieri potest, ut qui divinis audent contradicere sacramentis, aliqua nobis communione socientur. Iactent se in sui eloquii vanitate et de argumentationum suarum versutia, quae inimica est fidei, glorientur: nobis placet apostoli obedire praeceptis dicentibus: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem hominum. Nam secundum eumdem apostolum: Si quae destruxi haec aedifico, praevaricatorem me constituo et eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatae memoriae principis Marciani, sed etiam ego mea consensione firmavi. Quia, sicut sancte veraciterque dixistis, perfectio incrementum et adiectionem plenitudo non recipit. Unde cum sciam te,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. epistolae* (*c.* 94 *coll. Quesnell.*) *sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 1339. *T. III. p.* 472. *Divisio capp. apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.*

venerabilis princeps, sincerissimo veritatis lumine imbutum in nulla fidei parte nutare, sed sancto perfectoque iudicio a pravis recta discernere et a refutandis amplectenda dividere, obsecro, ne humilitatem meam de diffidentia putes esse culpandam, cum haec mea cautio non solum universali ecclesiae consulat, sed etiam tuae gloriae famuletur: ne sub imperii tui tempore et haereticorum aucta videatur improbitas et catholicorum perturbata securitas. Quamvis ergo multum per omnia de pietatis vestrae corde confidam, et per inhabitantem in vobis spiritum dei satis vos instructos esse perspiciam, nec fidei vestrae ullus possit error illudere, praeceptioni tamen vestrae in eo adnitar obedire, ut aliquos de fratribus meis dirigam, qui apud vos praesentiae meae instar exhibeant, et quae sit apostolicae fidei regula, licet — ut dixi — vobis bene sit nota, demonstrent, patefacientes in omnibus et probantes non esse omnino inter catholicos computandos, qui definitiones venerabilis synodi Nicaenae vel sancti Calchedonensis concilii regulas non sequuntur, cum utrorumque sancta decreta ex evangelico et apostolico manifestum sit fonte prodire et quicquid non est de irrigatione Christi, poculi esse viperei. Praenoscat igitur pietas tua, venerabilis imperator, hos, quos spondeo dirigendos, non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos a sede apostolica profecturos, quia de rebus et apud Nicaeam et apud Calchedonam, sicut deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint quae tanta per spiritum sanctum fixit auctoritas. Instructioni autem parvulorum nostrorum qui post lactis alimoniam cibo desiderant solidiore satiari, ministerii nostri praesidium non negamus, et sicut simpliciores non spernimus, ita a rebellibus haereticis abstinemus, memores praecepti dominici dicentis: Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Nimis quippe indignum nimisque iniustum est eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat spiritus sanctus per prophetam dicens: Filii alieni mentiti sunt mihi. Qui etiam si evangelio non resisterent, de illis tamen se esse monstrarent de quibus scriptum est: Deum se profitentur scire, factis autem negant, clamante adhuc iusti Abel sanguine adversum impium Cain, qui increpatus a domino non quievit ad poenitudinem, sed exarsit ad caedem, cuius vindictam sic domini iudicio volumus reservari, ut improbus praedo et parricida crudelis in seipsum recidat et nostra non teneat. Neque sanctae ecclesiae Alexandrinae lamentabilem captivitatem patiamini ulterius prolongari, cui oportet fidei vestrae iustitiaeque praesidio suam restitui libertatem, ut per omnes Aegypti urbes dignitas patrum et ius sacerdotale reparetur. Data duodecimo Kalendas Aprilis Leone et Maioriano augustis consulibus.

Leo Anatholio episcopo per Patricium diaconum.[1]

Lectis dilectionis tuae litteris quas per filium nostrum Patricium diaconem direxisti, intellexi tibi studium meae sollicitudinis displicere, quae secundum dominicam caritatem, quam tibi a nobis impendi experimentis plurimis approbasti, de cavendis his qui communis fidei adversarii dicerentur admonui, ne ad negligentiam rectoris referretur, si quisquam in ecclesia catholica ea praedicare praesumeret quae haereticorum sensibus convenirent. Quod utrum veraciter fama iactaret dilectionis tuae inquirendum iudicio delegavi. Neque in aliquo honorem tuum laesi, cui discutienda ea quae ad me erant perlata commisi, ut scilicet Atticus presbyter, quem talia audere cognoveram, nisi perfecta se satisfactione purgasset et non solum voce haereticos, sed etiam propriae manus subscriptione damnasset, a communionis gratia esset alienus. Qui scripta mittendo dubiae fidei et professionis incertae confirmavit magis quam diluit quicquid ad nos de eo fama pertulerat. Cum si conscientiam suam voluisset probare sinceram, non Eutychen sibi odiosum fuisse, sed quod perfidiam ipsius reprobaret atque damnaret, debuerat confiteri, quia aliud sunt humanae etiam inter catholicos simultates, aliud diabolici, quos fides catholica damnat errores. Et ideo, frater carissime, in nullo debes de nostra dilectione dubitare, si prophetae exemplum sequaris et dicas: Nonne qui te oderant, domine, oderam illos et super inimicos tuos tabescebam? Per omnia enim volo te esse certissimum, quod sicut meam existimationem illaesam cupio permanere, ita opto te quoque in omnibus irreprehensibilem reperiri. Praedictus autem Atticus ut ab omni suspicione contraria liber appareat, quid in Eutyche anathematizet ac damnet evidenter ostendat, et in damnationem erroris expressi remota omni dubitatione subscribat. Ita ut Calchedonensis synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua subscribendo consensit et quam apostolicae sedis firmavit auctoritas profiteatur se per omnia servaturum, adiecta subscriptione propriae manus, quae in ecclesia christiano populo praesente recitetur, ut pro catholica fide neque nos negligentes neque ipse ultra suspectus habeatur. Qui si in eadem pravitate perdurans praeceptis salubribus parere noluerit, sententiam synodi Calchedonensis, cuius definitionibus resultat, excipiat. Data V. Kalendas Aprilis Leone et Maiorano augustis conss.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. epistolae* (*c.* 95 *coll. Quesnell.*) *sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 1342. *T. III. p.* 472. *Divisio capitum apud Ball. exhibita deest in Ps.-Isid.*

Leo Anatholio per Nectarium hagentem in rebus.[1]

Si firmo incommutabilique proposito dilectio tua curam gratiae communis habuisset, nihil profecto quod ullam anxietatem tibi ingereret, exstitisset. Non enim sinebat ratio, ut eius caritatem spernerem quem amore pacis et studio reparandae catholicae fidei inter ipsa episcopatus rudimenta iuvissem, optans in ecclesiasticis curis talem habere consortem, ut mihi de sanctis praecessoribus tuis, nec Ioannis spiritualem copiosamque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec industriam Procli, nec fidem beati Flaviani deesse sentirem, et ita studiis tuis uterer, ut nullus auderet vel fidei catholicae resultare vel Nicaenis venerabilium patrum regulis contraire. Sed cum in iniuriam canonum, ut agnoscis, illa tentata sint quae omnibus ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem quam ut te primum ut ab hac intentione recederes, fraterno animo missis litteris admonerem? Ad quas cum non rescriberes, ipse te a colloquii mei consortio separasti. Denique inde iam tacui, sed clementissimo principi, custodi fidei, frequenti litterarum petitionem suggessi, ut pro pace ecclesiarum quam tibi maxime prodesse cognoscis, haec quae nunc a dilectione facta sunt implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod secundum eruditionem spiritus sancti, cuius est virtute plenissimus sacerdotali dignatur studere concordiae, sciens sibi orationes supplicantium copiosius profuturas, si famuli unius domini in nullo sint a verae pacis unitate divisi.

Quod ergo in Constantinopolitana ecclesia quaedam in officiis clericorum correcta significas, ut et Aetium presbyterum in gratiam tuam affectionemque revocaveris, et Andream ab archidiaconi actione submoveris, nobis placuisse rescribo, quia existimationem tuam, ut optabam, plurimum erigit atque commendat, et merito post correctionem in oblivionem deducitur quod reprehensioni obnoxium videbatur, cum haereticorum provectione et sanctae memoriae Flaviani iniuria gravaveris quae nunc simul ab omni offensione cum tui, ut volui, laude cessarunt, quia in ordinem suum quae fuerant turbata redierunt. Andream sane qui rationabiliter archidiaconi est privatus officio, et Eufratam qui sanctae memoriae Flaviani, ut comperi, improbus extitit accusator, si professionibus plenissime scriptis non minus Eutychianam haeresim quam Nestorianum execrabile dogma condemnant, quoniam venia est praestanda correctis, presbyteros consecrabis, ut sibi remedium catholicae fidei sentiant profuisse, electo primitus et probato qui archidiaconi officium possit implere, id est, quem nulla umquam praedictarum impietatum fama resperserit. Ceteri vero quos par reatus involverat, si veniam simili professione cum satisfactione deposcunt, suis ordinibus reformentur, his tantum ad officiorum primatum admissis quos ab omni errore liberos fuisse constiterit.

Illam autem culpam quam de augenda potestate aliena, ut asseris, adhortatione contraxeras, efficacius atque sincerius tua caritas diluisset, si quod tentari sine tua voluntate non potuit, non ad sua clericorum consilia transtulisses, quia sicut in mala suasione delinquitur, ita et in mala consensione peccatur. Sed gratum mihi, frater carissime, est, quod dilectio tua id profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiae communis regressum professio dilectionis tuae et attestatio principis christiani, nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit. Abiiciatur penitus inconcessi iuris qui dissensionem fecerat appetitus. Sufficiant limites quos sanctorum patrum providentissima decreta posuerunt, ut quieta sit suis meritis et antiquis privilegiis dignitas omnium sacerdotum. Renovetur et maneat in te dominicae caritatis affectio, ad quam dilectionem tuam saepius cohortatus sum cum fratre et coepiscopo nostro Iuliano, qui communem gratiam semper optavit, cuius industria et sollicitudines tuae relevabuntur et fides catholica munietur. Super omnia autem fraterna caritate hortor et moneo, ut ea quae ad gloriam vel ad munimen pertinent sacerdotalis officii, Nicaenorum canonum universalis ecclesiae pacem servantia decreta custodias. Sic enim inter domini sacerdotes inviolata caritas permanebit, si paribus studiis quae sunt a sanctis patribus constituta, serventur. Data IV. Kalendas Iunii Aetio et Studio viris clarissimis consulibus. Explicit ad Anatholium.

DEHINC SECUNTUR DECRETA PAPAE LEONIS ADVERSUS EUTICEN CONSTANTINOPOLITANUM ABBATEM QUI VERBI ET CARNIS UNAM AUSUS EST PRONUNTIARE NATURAM DUM CONSTAT IN DOMINO IESU CHRISTO UNAM PERSONAM NOS CONFITERI IN DUABUS NATURIS DEI SCILICET ATQUE HOMINIS.[2]

Scriptum Leonis episcopi urbis Rome ad Euticen Constantinopolitanum abbatem adversus Nestorianam heresem.[3]

Ad notitiam nostram tuae dilectionis epistolam retulisti quod Nestoriana haeresis quorumdam studiis pullularet. Sollicitudi-

[1] *Inscript. sec. cod. cit.; text. epistolae (c. 96 coll. Quesnell.) sec. ed. cit. op. Leon. T. I. p.* 1277. *T. III. p.* 472. *Divisio capp. apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. non profertur.* [2] *Verba:* explicit ad Anatholium — atque hominis *leguntur in Par. cit., Carnot.* 67bis, *Par.* 3852, *Rotom.* 15/9. *E.* [3] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *textus desumtus ex ed. cit. coll. Hisp. no.* 36. *p.* 50.

nem tuam ex hac parte nobis placuisse rescribimus, quoniam index animi tui est sermo quem sumpsimus, unde non ambigimus auctorem catholicae fidei dominum tibi in omnibus adfuturum; nos autem quum plenius quorum hoc improbitate fiat potuerimus agnoscere, necesse est, auxiliante domino providere, quatenus nefandum virus dudumque damnatum radicitus possit extingui. Deus te custodiat incolumem, dilectissime fili.

Epistola Leonis papae ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum ubi quaerit, quod Eutiches contra fidem catholicam sentiens a communione ecclesia ab eo fuerit separatus.[1]

Dilectissimo fratri Flaviano Leo.

Cum christianissimus et clementissimus imperator sanctae et laudabilis fidei pro ecclesiae catholicae pace sollicitus ad nos scripta transmiserit de his qui apud vos perturbationis strepitum commoverunt, miramur fraternitatem tuam, quid illud scandali fuit, nobis silere potuisse et non potius procurasse, ut primitus nos insinuatio tuae relationis instrueret, ne rerum gestarum fidem possemus ambigere. Accepimus enim libellum Eutichetis presbyteri, qui se queritur accusante Eusebio episcopo immerito communione privatum, maxime cum evocatum se adfuisse testatur, nec sui praesentiam denegasse, adeo ut in ipso iudicio libellum appellationis suae adserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum, qua ratione compulsus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana urbe proponeret. Quibus rebus intercedentibus necdum agnoscimus, qua iustitia a communione ecclesiae fuerit separatus, sed respicientes ad causam facti tui nosse volumus rationem et usque ad nostram notitiam cuncta deferri: quoniam nos qui sacerdotum domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus in cuiusquam partis praeiudicium definire, priusquam universa quae gesta sunt veraciter audiamus. Et ideo fraternitas tua per idoneam maxime aptamque personam plenissima nobis relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quod severiori sententia dignum fuerit vindicari. Nam et ecclesiae moderatio et religiosissimi principis fides multam nobis sollicitudinem christianae pacis inducunt, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur et his qui prava defendunt ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur. Nec aliqua poterit ex hac parte difficultas afferri, cum memoratus presbyter libello proprio sit professus, paratum se esse ad corrigendum, si quid in se fuerit inventum, quod reprehensione sit dignum. Decet enim in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum et caritas custodiatur et veritas defendatur, frater carissime. Et ideo quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos quam plenissime et lucide universa nobis quod ante facere debuit, indicare festinet, ne inter assertiones partium aliqua ambiguitate fallamur et dissensio quae in suis initiis abolenda est, nutriatur, quum in corde nostro observantia deo inspirante permaneat, ne constitutiones venerabilium patrum divinitus roboratae et ad soliditatem fidei pertinentes prava cuiusquam interpretatione violentur. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

Rescriptum Flaviani Constantinopolitani episcopi ad Leonem urbis Romae papam.[2]

I. De subdoli hostis insidiis.
II. De fraudulenta subtilitate haereticorum.
III. De blasphemiis Eutichetis.
IV. De excommunicatione eius iustissima.

Domino beatissimo amabili patri Leoni Flavianus in domino aeternam salutem.

I. Nulla res diaboli venena compescit, nec continet mortiferas eius sagittas: sursum enim atque deorsum pervolans quaerit quos possit occidere, quos possit separare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est et orationibus atque deo opera danda est, ut fatuas inquisitiones evitare possimus. Decet autem sequi patres nostros nec commutare definitionem eorum perpetuam, quorum secundum scripturas didicimus regulam. Depositis ergo fletibus et lacrymis, quia sub me clericus degens invasus est a fero daemone, et non potui eum liberare nec auferre de tali lupo, qui animam meam pro illo paratus eram ponere, quomodo raptus est, quomodo resiliit a proposito divino et ad illum cucurrit, qui perdere consuevit, praecepta patrum declinans et constituta eorum despiciens, iam incipio enarrare.

II. Sunt enim quidam veste sua oves significantes, interius raptores lupi, quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro essent, nobiscum mansissent. Quantum autem coeperint assumere impietatem, illud quod occultabatur in illis aperitur et dolus omnis fit manifestus omnibus. Inveniuntur autem infirmae fidei homines et qui divinas lectiones nesciant et secum eos in perditionem praecipitant, dissipantes et vituperantes patrum disciplinas et relinquunt sanctas scripturas ad suam perditionem, quos debemus praevidere et a quibus multum cavere, ne in malitia sua aliqui occupati concidant de sua firmitate. Acuerunt enim linguam suam quasi serpentes, et venenum in labiis habent quasi aspides, de his propheta clamavit.

III. Talis nobis Eutiches emersit quondam

[1] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 37. *p.* 50.
[2] *Inscr. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. p.* 51.

presbyter et archimandrites, qui quasi nostrae religionis sectam sapiebat et hanc praeferebat, Nestorii autem impietatem confirmabat et succingebatur pro Nestorio militare in pugna, quae contra Nestorium parabatur. Trecentorum autem decem et octo sanctorum patrum de fide expositionem factam ad Nestorium vel ad similes eius cui omnes assenserunt, tentavit avellere, antiquam impii Valentini et Apollinaris reparans sectam[2], et non timuit praeceptum veri dei dicentis: Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut mola asinaria alligetur collo eius et demergatur in profundum maris. Verecundiam autem omnem abiecit et quam gerebat infidelitatis pellem excussit: in sancta synodo asserebat instanter dicens, dominum Iesum Christum non oportere confiteri de duabus naturis post humanam susceptionem, quum a nobis unius substantiae et unius personae cognoscatur, neque carnem domini coessentialem nobis subsistere tamquam ex nobis susceptam et coadunatam deo verbo secundum substantiam, sed dicebat virginem quidem quae eum genuit secundum carnem consentivam nobis esse: ipsum autem dominum non suscepisse ex ea carnem consentivam nobis, sed corpus domini non esse quidem corpus hominis, humanum vero corpus esse quod est ex virgine, omnium patrum expositionibus contraria sentiens.

IV. Sed ne multa dicens longam faciam epistolam, olim quidquid egerimus, misimus ad beatudinem vestram, quibus litteris docuimus et presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est, et iussimus eum cum monasteriis nullam habere rationem et exclusimus eum a communione nostra, ut sanctitas vestra hoc cognoscens quod circa illum actum est, omnibus episcopis sub beatitudine vestra agentibus manifestare dignetur illius impietatem, ne nescientes aliqui quid ille sentiret quasi ad orthodoxum vel per litteras vel per aliquam coniunctionem loquantur.

Item Leonis ad Martianum augustum in qua gratias ei agit quod per Chalcedonense concilium pax ecclesiae catholicae reddita sit.[2]

Leo episcopus Martiano augusto.

Multa mihi in omnibus clementiae vestrae litteris causa gaudendi est, dum ex magna divinae providentiae misericordia praestitum humanis rebus experior, quod ecclesiasticam pacem quae non nisi unitate praedicationis evangelicae custoditur, piissimo studio adiuvare dignamini, ut fidei vestrae gloria non solum utilitate reipublicae, sed etiam religionis profectibus augeatur, gloriosissime auguste. Unde ineffabiliter deo gratias ago, qui eo tempore, quo oboritura haereticorum scandala praesciebat, vos in imperii fastigio collocavit, in quibus ad totius mundi salutem et regia potentia et sacerdotalis vigeret industria. Nam quum vestro praecipue opere sit perfectum, ut per synodale concilium damnatis impii dogmatis defensoribus omnes vires sacrilegus error amitteret, ad eiusdem devotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus oppressum est, etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitratur implendum, si per universas ecclesias definitiones sanctae synodi Chalcedonensis apostolicae sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quae ad me secundum formam apostolicae doctrinae ac paternae traditionis emissa est et per fratrem meum Lucianum episcopum talia ad gloriam vestram et ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim, quae evidenter ostenderent me ea quae de fide catholica in praedicta synodo definita fuerant, approbare. Sed quia in eisdem litteris ea quae per occasionem synodi male sunt attentata reprehenderam, maluit praedictus antistes meam gratulationem tacere, quam suum ambitum publicare. Mihi autem multum fiduciae deo per vos operante collatum est, quod probasse vos observantiam meam de custodia canonum paternorum pietatis vestrae affatibus indicastis, et merito geminatur gaudium meum, quum vobis religiosissime placere cognosco, ut et fides Nicaena suam teneat firmitatem et privilegia ecclesiarum illibata permaneant. Quamvis autem de praeclaro fidei vestrae opere, nihil vestra pietas indicarit, mihi tamen per venerratorem una mecum specialiter vestrum, fratrem meum Iulianum episcopum innotuisse significo, quam pio dignati fueritis responso imperitorum monachorum animos cohibere pariter et docere, ut si illos non penitus deseruit divina miseratio, sentiant se et didicisse quod credant et agnovisse quod timeant. Quia vero omnibus modis obediendum est pietati vestrae religiosissimaeque voluntati, constitutionibus synodalibus quae mihi de confirmatione fidei catholicae et haereticorum damnatione placuerunt, libens adieci sententiam meam. Quae ut in notitiam omnium sacerdotum ecclesiarumque perveniat, vestrae clementiae praeceptio ordinare dignabitur. Adfuturam credo et spero gratiam dei, quae tam sanctam tanti principis curam plenissimum desiderii sui fructum faciat obtinere, ut omnibus dissentiendi occasionibus amputatis apostolicae ubique doctrinae et pax regnet et veritas. Fratri autem meo Iuliano episcopo noverit vestra clementia hoc me proprie delegasse, ut quidquid illic ad custodiam fidei pertinere probaverit, meo nomine vestrae fiducialiter suggerat pietati,

[1] *De fine huic epistolae in cod. Par. cit. ceterisque et classis A* 1 *et A/B et B adiuncto disserui in comment.* §§. 3. 7. 6. 13. [2] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hispan. no.* 57. *p.* 78.

quoniam certus sum vos ad haec omnia emendanda vel defendenda deo auxiliante sufficere. Data XII. Kal. April. Opilione viro clarissimo consule aera CCCCXI.

EIUSDEM LEONIS AD MARTIANUM AUGUSTUM INCIPIUNT TITULI.

I. De Proterio Alexandrino episcopo, ut priorum suorum decreta conservet.

II. Ubi postulat imperatorem, ut epistolam quam ad Flavianum Constantinopolitanum miserat in Greco translatam Alexandrinae aecclesiae destinaret.[1]

Leo episcopus Martiano augusto.

Puritatem fidei christianae, qua clementia vestra praefulget, etiam his litteris, quas frater et coepiscopus meus Nestorius detulit demonstrastis, iustissimum fratri meo Proterio Alexandrinae urbis antistiti impendentes favorem, quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiam si taceret. Sed accedit ad gratiam quod proprio quoque sermone cognoscitur, et quam sincerus sit catholici dogmatis praedicator ipsius professione clarescit. Unde plenissimo affectu dilectionem orthodoxi fratris amplector et deo gratias ago, quod amoto eo qui evangelio Christi voluit contraire et a sanctorum patrum intelligentia dissidere, talem prospexit Alexandrinae ecclesiae sacerdotem qui praecedentibus rectoribus et fide concordaret et vita. Nam quum amplecti se epistolam meam quam ad beatae memoriae Flavianum contra Eutichetem impium misi toto corde profitetur, quid aliud quam apostolorum se ostendit esse discipulum, quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet et non potest esse diversum quod unum est atque divinum? Rescripsi itaque praedicto fratri quod debui atque ut in sancto studio ut perseveret admonui, qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiae vestrae cohortationibus adiuvetur. Nec in aliquo eum terreat quorumdam imperita dissensio quos paucorum haereticorum instigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod ergo sua negligentia assequi nequeunt opportune eorum insinuetur auditui, et ne memoratus nova inferre et propria videatur adstruere, venerabilium patrum qui eidem ecclesiae praefuerunt, scripta relegantur et quid beatus Athanasius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam Orientales magistri de incarnatione domini sentiant, cognoscant. Nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim evangelici sermonis sunt virtute prostrati: quoniam omnes fere haereses quae diversis temporibus extiterunt, dum sacramentum corporeae nativitatis et passionis ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab evangelio deviarunt. Et possemus minus laborare in haereticis repellendis, si rudes animos ea non turbarent mendacia, quae peremit antiquitas. Sed nunc, ut dixi, hic docendi optimus modus est, ut paternorum sensuum lineae Alexandrinae plebis et clericorum auribus innotescat, ac si qui sunt qui nostra scripta despiciant, illis saltem qui nobiscum apostolicis sensibus congruunt, adquiescant. In quo opere multum consacerdotis mei devotione gaudebo et semper ipsius unanimitate laetabor, quia fraterna pax nonnisi una fidei confessione servatur.

Quia vero quorumdam haereticorum versuta nequitia ad conturbandam nostrorum simplicitatem epistolam meam quam beatae memoriae Flaviano dedi falsasse perhibetur, ut commutatis quibusdam verbis vel syllabis receptorem me Nestoriani erroris adsererent, obsecro venerabilem clementiam vestram, ut eamdem epistolam per fratrem meum Iulianum episcopum vel eos quos idoneos ad opus pietas vestra elegerit, in Graecum sermonem iubeatis integre diligenterque translatam per idoneum perlatorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis qui eam clero et plebi ipsius civitatis cum praedictorum episcoporum praedicationibus, quibus et mea scripta consentiunt, faciant recitari, ut agnoscant se fallacium hominum fraude ulterius decipi non debere et probentur apostolicae sedis sinceri esse discipuli, apud quam nec Eutiches nec Nestorius ullum obtinent locum, quia sicut alios haereticos ita et istos universalis ecclesia damnavit. Datum VI. Id. Mart. Aetio et Studio viris clarissimis cons. aerà CCCCLXII.

ITEM LEONIS AD MARTIANUM AUGUSTUM IN QUA SCRIBIT EI DE EXILIO EUTICHETIS UT AD SECRETIORA LOCA EUM TRANSFERRET, QUIA UBI POSITUS ERAT ADHUC PRAVA DOCEBAT. LXIV.[2]

Leo episcopus Martiano augusto.

Quod saepissime multa iam experimenta docuerunt, sanctum pietatis vestrae studium circa religionem christianam glorisiosis perseverat et crescit augmentis et haec fides vestrae clementiae non solum me, sed et omnes domini sacerdotes consolatur et roborat, dum in christianissimo principe sacerdotalem experimur affectum. Quem si Orientalium partium sacerdotes studeant imitari, nihil

[1] *Inscriptio et tituli capitulorum sec. Par. cit., in quo inscript. coll. Hisp.* Epistola eiusdem Leon. ad Martianum aug. De Proterio Alexandrino episcopo ut priorum suorum decreta converset, et imperatorem rogat, ut epistolam ad Flavianum Constantinop. episcopum missam in Graecum sermonem translatam Alexandrinae ecclesiae destinaret *in titulos prolatos dissecta est. Textus epistolae in capita non dividitur. Text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 58. *p.* 79. [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 59. *p.* 80.

scandalorum neque pax neque fides christiana patietur. Unde quum Constantinopolitanus antistes ad omnem pietatis profectum praesenti clementiae vestrae doceatur exemplo, si fideliter vestris acquiescat hortatibus, habet in me sincerae gratiae animum tantum, ut quod verbis spondet corde perficiat. Si vero quae deo et pietati vestrae displicent pertinaci intentione delegerit, salva mansuetudinis vestrae reverentia utar cum omnibus et pro omnibus vobis quoque adnitentibus adversum superbientem liberiore constantia quem, quod saepe dicendum est, mallem pro sanctis actibus fraterna caritate complecti, gloriosissime imperator. Quia vero suggestiones meas pro tranquillitate catholicae fidei libenter accipitis, significatum mihi fratris et coepiscopi mei Iuliani sermone cognoscite, Eutichetem impium pro suis quidem meritis exulare, sed in ipso suae damnationis loco multa adversus integritatem catholicam blasphemiarum desperatius venena profundere et quod in illo totus mundus horruit atque damnavit impudentia maiori, ut innocentes decipere possit, evomere. Plenum itaque rationis existimo, ut vestra clementia ad longinquiora eum iubeat et secretiora transferri. Monasterio vero eius Constantinopoli constituto in quo habitatores ipsius monachi evangelica apostolicaque doctrina crebrius sunt et plenius roborandi, salubriter, ut arbitror, fiet, si is qui ipsi monasterio praepositus esse dicitur, a societate veneratoris vestri Iuliani episcopi quem in speculis propter fidem illic esse constitui, non recedat, cuius assidua visitatione profectus servorum dei illic habitantium possit augeri. Petitionem autem de festivitate paschali gaudeo, ita a vestra pietate susceptam, ut confestim agentem in rebus Alexandriam mitteretis de errore removendo, quem sanctae memoriae Theophili constitutio videtur inferre. De qua re sicut scribere dignamini quidquid ad pietatis vestrae notitiam perlatum fuerit, iubete me nosse, ut de observantia quam non licet esse diversam, quid potissimum sit tenendum ecclesia universalis agnoscat. Precor autem quod vestrae novi clementiae convenire, ut eos maxime tueamini contra omnes insidias quos mihi et vestrae mansuetudini propter amorem dei placere cognoscitis, ut eos Constantinopolitanus episcopus laedendi non habeat facultatem. Datum XVII. Kal. Mai. Aetio et Studio viris clarissimis consulibus aera qua supra.

Eiusdem Leonis ad Leonem augustum.

I. De blasphemiis Nestorii et Eutichetis eorumque digno anathemate.

II. Quod in una domini persona gemina sit deitatis et humanitatis asserenda natura.

III. De capitulis fidei ex sanctorum patrum libris collectis.[1]

Leo episcopus Leoni augusto.

I. Promisisse me memini, venerabilis imperator, in causa fidei de qua clementiam tuam novi pie esse sollicitam, pleniorem humilitatis meae dirigendum esse sermonem, quem nunc auxiliante domino fideli occasione persolvo, ut sancto pietatis tuae studio, utilis, quantum arbitror, deesse non possit instructio. Quamvis enim sciam clementiam tuam humanis institutionibus non egere et sincerissimam de abundantia spiritus sancti hausisse doctrinam, officii mei tamen est et patefacere quod intelligis, et praedicare quod credis, ut ignis ille quem dominus veniens misit in terram motu crebrae meditationis agitatus sic concalescat ut ferveat, et sic inflammetur ut luceat. Magnas enim caligines Eutichiana haeresis Orientis partibus inferre molita est et ab illa luce, quae, sicut evangelium loquitur, lucet in tenebris et tenebrae eam non comprehenderunt, imperitorum oculos tentavit avertere. Quumque ipsa in suam reciderit caecitatem, nunc in discipulis recrudescit quod in actore defecit. Non longo namque temporis intervallo catholica fides quae est singularis et vera, cui nihil addi nihilque minui potest, a duobus est hostibus oppetita, quorum prior Nestorius, Eutiches secundus emersit, qui ecclesiae dei duas haereses sibimet contrarias inferre voluerunt, ut uterque a praedicatoribus veritatis merito damnaretur, quia insanum nimis et sacrilegum fuit quod varia falsitate ambo senserunt.

Anathematizetur ergo Nestorius qui beatam virginem Mariam non dei, sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec unum Christum in verbo dei et carne sentiret, sed separatim atque seiunctim alterum filium dei, alterum hominis praedicaret; quum manente illa incommutabili verbi essentia quae ei cum patre et cum spiritu sancto intemporalis atque coaeterna est, ita intra virginea viscera verbum caro sit factum, ut per id quod ineffabile est sacramentum uno conceptu unoque partu secundum veritatem utriusque naturae eadem virgo et ancilla domini esset et mater. Quod etiam Elisabeth, sicut Lucas evangelista declarat, intellexit et dixit: Unde hoc mihi, ut veniat mater domini mei ad me?

Eutiches quoque eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum haereticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit, ut negata humanae carnis atque animae veritate totum dominum nostrum Iesum Christum unius assereret esse naturae, tanquam verbi deitas ipsa se in carnem animamque converteret et concipi ac nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere et ascendere in coelum et in patris dextera, unde ad

[1] *Inscript. et tit. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 60. *p.* 80. *Desunt tituli in Hisp.*

iudicandos vivos et mortuos veniet, consedere, divinae tantum essentiae fuerit, quae nihil horum in se sine carnis recipit veritate: quoniam natura unigeniti natura est patris, natura est et spiritus sancti, simulque impassibilis, simul est incommutabilis sempiternae trinitatis indivisa unitas et consubstantialis aequalitas. Unde si ab Apollinaris perversitate Eutichianus quisque desciscit, ne convincatur deitatem passibilem sentire atque mortalem et tamen verbi incarnati, id est verbi et carnis unam audet dicere naturam, manifeste in Valentini et Manichaei transit insaniam et mediatorem dei et hominum, hominem Iesum Christum, simulatorie credit omnia egisse, nec humanum in ipso corpus, sed phantasmaticam corporis speciem oculis apparuisse se cernentium. Quae impietatis mendacia, quoniam olim fides catholica detestatur et aliarum assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt damnata sententiis, non dubium est eamdem nos fidem praedicare atque defendere, quam sancta synodus Nicaena confirmavit dicens: Credimus in unum deum patrem omnipotentem, visibilium et invisibilium factorem; et in unum dominum nostrum Iesum Christum filium dei, natum de patre unigenitum, hoc est de substantia patris, deum de deo, lumen de lumine, deum verum de deo vero, natum non factum, unius substantiae cum patre, quod Graeci dicunt homousion, per quem omnia facta sunt, sive quae in coelo, sive quae in terra. Qui propter nos et propter nostram salutem descendit de coelo et incarnatus est et homo factus, passus est et resurrexit tertia die, ascendit in coelos, venturus iudicare vivos et mortuos; et in spiritum sanctum. In qua professione hoc evidentissime continetur, quod etiam nos de domini incarnatione confitemur et credimus qui ad salutem humani generis reformandam veram carnem nostrae fragilitatis non de coelo secum detulit, sed in utero virginis matris assumpsit.

II. Quicumque ergo sunt ita obcaecati et a lumine veritatis alieni ut verbo dei a tempore incarnationis humanae carnis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent, et cum evangelio veritatis qua ratione concordent, si beatae virginis partu aut caro sine deitate aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest evangelista dicente, quod verbum caro factum est et habitavit in nobis: ita negari non potest, beato Paulo apostolo praedicante, quod deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quae autem reconciliatio esse posset qua humano generi repropitiaretur deus, nisi omnium causam mediator dei hominumque susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma dei aequalis est patri in forma servi particeps esset et nostri, ut mortis vinculum unius praevaricatione contractum unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim pro iniustis sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam, sicut apostolus ait: Ubi abundavit peccatum superabundavit gratia. Et quum sub peccati praeiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis quam debitum servitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti praesidio spem relinquunt, qui in salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti? Quis est, ut apostolus ait, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis? Aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus et aeternus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit? Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae, non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum inter filios hominum unus solus dominus noster Iesus Christus, qui vere erat agnus immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Fides est enim vestra iustificans impios et creans iustos ad humanitatis suae tracta participem, in illo adquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem, liberum habens per gratiam dei de eius potentia gloriari qui contra hostem humani generis in carnis nostrae humilitate congressus his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit. Licet ergo in uno domino Iesu Christo vero dei atque hominis filio verbi et carnis una persona sit, quae inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones, intelligendae tamen sunt ipsorum operum qualitates et sincerae fidei contemplatione discernendum est, ad quae provehatur humilitas carnis et ad quae inclinetur altitudo divinitatis. Quid sit quod caro sine verbo non agit, et quid sit quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia nec conciperet virgo nec pareret, et sine veritate carnis obvoluta pannis infantia non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent magi puerum stella indice declaratum, et sine veritate carnis non iuberetur transferri in Aegyptum puer et ab Herodis persequutione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris missa de coelo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite, et sine veritate carnis non protestaretur Ioannes: Ecce agnus

dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum, et sine veritate carnis nec cibus ieiuno, nec sommus esset necessarius fatigato. Postremo sine verbi potentia non se dominus patri profiteretur aequalem, et sine veritate carnis non idem diceret patrem se esse maiorem, quum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat quae secundum confessionem beati apostoli Petri unum Christum dei vivi filium et hominem credit et verbum. Quamvis itaque ab illo initio quod in utero virginis verbum caro factum est nihil umquam inter utranque formam divisionis extiterit, et per omnia incrementa corporea unius personae fuerint totius temporis actionis, ea ipsa tamen quae inseparabiliter facta sunt, nulla commixtione confundimus, sed quid cuius formae sit ex operum qualitate sentimus. Dicant ergo isti hypocritae, qui caecis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno dominus maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulchro et revoluto monumenti lapide quae tertio die caro surrexit? Et in qua post resurrectionem suam non credentes quosdam discipulos arguebat et haesitationem cunctantium confutabat quum diceret: Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere; et apostolo Thomae: Infer manum tuam in latus meum, et vide manus meas et pedes, et noli esse incredulus sed fidelis? Qua utique manifestatione corporis sui iam haereticorum mendacia destruebat, ut universa ecclesia Christi imbuenda doctrinis hoc non sibi dubitaret credendum quod apostoli susceperant praedicandum. Ac si in tanta luce veritatis tenebras suas haeretica obduratio non relinquit, ostendant unde sibi spem vitae polliceantur aeternae, ad quam nisi per mediatorem dei et hominum hominem Iesum Christum non potest perveniri. Sicut enim ait beatus Petrus apostolus: Non est aliud nomen datum hominibus sub coelo in quo oporteat nos salvos fieri, nec est redemptio captivitatis humanae nisi in sanguine eius qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, et qui, sicut praedicat beatus apostolus Paulus, quum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et deus illum exaltavit et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Quum ergo unus sit dominus Iesus Christus et verae deitatis veraeque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen qua illum sicut doctor gentium dicit, exaltavit deus et donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad eam intelligimus pertinere formam quae ditanda erat tantae glorificationis augmento.

In forma quippe dei aequalis erat filius patri et inter genitorem atque unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in maiestate diversitas, nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat verbo quod ei patris munere redderetur. Forma autem servi per quam impassibilis deitas sacramentum magnae pietatis implevit, humana humilitas est, quae in gloriam divinae potestatis evecta est in tanta unitate ab ipso conceptu virginis deitate et humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine deo agerentur humana. Propter quod sicut dominus maiestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate aequalis est deo, dicitur exaltatus, quia inseparabiliter manente unitate personae, unus atque idem est et totus hominis filius propter carnem et totus dei filius propter unam cum patre deitatem. Quidquid enim in tempore accepit Christus secundum hominem accepit, cui quae non habuit conferrentur. Nam secundum potentiam deitatis indifferenter omnia quae habet pater, etiam filius habet et quae in forma servi a patre accepit, eadem in forma dei etiam ipse donavit.

III. Secundum formam enim dei ipse et pater unum sunt; secundum formam autem servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit eum. Secundum formam dei sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso. Secundum formam servi tristis est anima eius usque ad mortem, secundum formam dei mortuis vitam noscitur contulisse, et idem ipse est, sicut apostolus praedicat, et dives et pauper: dives, quia evangelista dicente: In principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum, omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil: pauper vero, quia propter nos verbum caro factum est et habitavit in nobis. Quae autem est eius exinanitio quaeve paupertas, nisi formae servilis acceptio, per quam verbi maiestate velata dispensatio humanae redemptionis impleta est? Nam quia captivitatis nostrae resolvi originalia vincula non poterant, nisi existeret homo nostri generis nostraeque naturae, quem peccati praeiudicia non tenerent et qui immaculato sanguine suo chirographum letale dilueret, sicut ab initio erat divinitus praeordinatum, ita est in plenitudine praefiniti temporis factum, ut multis modis significata promissio in diu expectatum veniret effectum, nec posset esse ambiguum quod continuis testificationibus semper fuerat nuntiatum. In magno autem sacrilegio se versari haereticorum manifestat impietas, quum sub spe-

-cie deitatis honorandae humanae carnis in Christo denegat veritatem et religiose existimat credi, si dicatur in salvatore nostro verum non esse quod salvat, quum ita secundum promissionem omnia saecula percurrentem mundus sit deo reconciliatus in Christo, ut nisi verbum dignaretur caro fieri, nulla possit caro salvari. Omne enim sacramentum fidei christianae magno, ut haeretici volunt, decoloratur obscuro, si lux veritatis sub mendacio putatur latuisse phantasmatis. Non ergo quisquam sibi erubescendum existimet christianus de nostri in Christo corporis veritate, quia omnes apostoli apostolorumque discipuli et praeclari ecclesiarum quique doctores, qui ad martyrii coronam vel ad confessionis meruerunt gloriam pervenire, in huius fide lumine splenduerunt consonis ubique sententiis intonantes, quod in domino Iesu Christo deitatis et carnis una sit confitenda persona. Qua autem rationis similitudine, qua divinorum voluminum portione haeretica impietas se aestimat adiuvari, quae veritatem negat corporis Christi, cum hanc non lex testificari, non prophetia praecinere, non evangelia docere, non ipse destiterit Christus ostendere? Quaerant per omnem seriem scripturarum, quo tenebras suas fugiant, non quo verum lumen obscurent, et per omnia saecula ita veritatem invenient coruscantem, ut magnum hoc et mirabile sacramentum ab initio videant creditum, quod est in fine completum. De quo quum sanctarum litterarum nulla pars sileat, sufficit quaedam consona veritatis signa posuisse, quibus diligentia fidei in splendidissimam latitudinem dirigatur et sincera intelligentiae luce perspiciat, quod in filio dei qui se incessabiliter filium hominis et hominem profitetur non sit christianis erubescendum, sed constantissime gloriandum. Ut autem pietas tua cum venerabilium patrum praedicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic crediti subiiciendas esse sermoni. Quibus si digneris attendere recensitis, non aliud nos praedicare reperies quam quod sancti patres nostri toto orbe docuerunt nec quemquam ab illis nisi solos impios haereticos discrepare. His igitur, gloriosissime et venerabilis imperator, quanta potui brevitate perstrictis, cum inspirata tibi divinitus fide etiam nostram praedicationem unitam esse cognosce, nec in aliquo nos ab evangelica apostolicaque doctrina vel a catholicae professionis symbolo discrepare, quoniam, sicut docet beatus apostolus Paulus, magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria. Quid igitur tuae utilius est saluti, quid tuae congruentius pietati, quam ut paci ecclesiarum domini tua constitutione prospicias et in omnibus tibi subditis dona dei defendas, neque ulla ratione patiaris per invidiam diaboli ministros ipsius in cuiusquam saevire perniciem, ut qui in hoc seculo temporali emines regno, in aeternum merearis regnare cum Christo?

Sancti Hilarii Pictaviensis episcopi et confessoris de fide in libro secundo inter cetera: Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una haec felix fidei petra Petri ore confessa: Tu es, inquit, Christus filius dei vivi; tanta in se argumenta sustinens veritatis, quantae perversitatum quaestiones et infidelitatis calumniae movebuntur. Iam in ceteris dispensatio voluntatis paternae est: Virgo, partus et corpus, postque crux, mors, inferi, salus nostra est. Humani enim generis causa dei filius natus est ex virgine et spiritu sancto ipso sibi in hac operatione famulante, et sua dei videlicet inumbrante virtute corporis sibi initia consuevit et exordia carnis instituit, ut homo factus ex virgine naturam in se carnis acciperet, perque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret, ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderetur, ita rursum in omnes ipse per id quod eius est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit et per conceptionem, partum, vagitum et cunas, omnes naturae nostrae contumelias transcucurrit. Quid tandem dignum a nobis tantae dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a deo originis unus unigenitus deus in corpusculi humani formam sanctae virginis utero insertus accrescit, qui omnia continet et intra quem et per quem cuncta sunt, humani partus lege profertur et ad cuius vocem archangeli atque angeli tremunt, coelum et terra et omnia huius mundi resolvuntur elementa, vagitu infantiae auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non visu, sensu tractuque moderandus, cunis est obvolutus. Haec si quis indigna deo recolit, tanto se maioris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus haec dei convenerint maiestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est, sed nos eguimus ut deus caro fieret et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universae carnis incoleret. Humilitas eius nostra nobilitas est, contumelia eius noster honor est. Quod ille est deus in carne consistens, hoc nos vicissim in deum ex carne renovati.

Item eiusdem in libro nono inter cetera: Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Iesum ut verum deum ita et verum hominem ignorat, et eiusdem periculi res est Christum Iesum vel spiritum deum vel carnem nostri corporis denegare. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in coelis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui est in coelis. Haec verbum caro factum loquebatur et homo Iesus Christus dominus maiestatis docebat, mediator ipse in se ad salutem ecclesiae constitutus et ipso illo inter deum et

homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturae utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte deus esse homo nascendo desineret et homo rursum deus manendo non esset. Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est deum et hominem praedicare, verbum et carnem confiteri, neque deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod verbum sit.

Item eiusdem in eodem libro inter cetera: Natus igitur unigenitus deus ex virgine homo et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se dei filium credi doceret et hominis filium praedicari admoneret, loquutus et gerens homo universa quae dei sunt, loquens deinde et gerens deus universa quae hominis sunt, ita tamen ut in ipso illo utriusque generis sermonem numquam nisi cum significatione et hominis loquutus et dei sit.

Item alio loco in eodem libro inter cetera: Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes haereticis occasio est, ut quae ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturae divinae infirmitatem mentiantur, et quia unus atque idem est loquens omnia quae loquitur de se ipso, omnia eum loquutum esse contendant. Nec sane negamus totum illum qui eius manet naturae suae esse sermonem. Sed si Iesus Christus et homo et deus est et neque quum homo tum primum deus, neque quum homo tum non etiam et deus, neque post hominem in deo non totus homo totus deus, unum atque idem necesse est dictorum eius sacramentum esse quod generis, et quum in eo secundum tempus discernis hominem a deo, dei tum atque hominis discerne sermonem, et quum deum atque hominem in tempore confiteberis, dei atque hominis in tempore dicta diiudica. Quum vero ex homine et deo rursum totius hominis, totius iam dei temporis intelligis, si quid illud ad demonstrationem eius temporis dictum est tempori coaptato quae dicta sunt, ut quum aliud sit ante hominem deus, aliud sit homo et deus, aliud sit post hominem et deum totus homo et totus deus, non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, quum pro qualitate generum ac naturarum, alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc moriturо, alium iam aeterno. Nostri igitur causa haec omnia Iesus Christus manens et corporis nostri homo natus secundum consuetudinem naturae nostrae loquutus est, non tamen omittens naturae suae esse, quod deus est. Nam tametsi in partu et passione et morte naturae nostrae res peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturae suae gessit. Et reliqua.

Item alio loco in eodem libro inter cetera: Videsne ita deum et hominem praedicari, ut mors homini, deo vero carnis excitatio deputetur? Non tamen ut alius sit qui mortuus est, et alius sit per quem mortuus resurgit. Spoliata enim caro Christus est mortuus et rursum Christum a mortuis excitans idem Christus est carne se expolians. Naturam dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et quum sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Iesum eum memento esse qui utrumque est.

Item post pauca: Haec igitur demonstranda a me paucis fuerunt, ut utriusque naturae personam tractari in domino Iesu Christo meminissemus, quia qui manens in forma dei formam servi suscepit, ipse divinitatem nequaquam amisit.

Sancti Athanasii Alexandrinae ecclesiae episcopi et confessoris ad Epictetum Corinthiorum episcopum: Quomodo autem vel dubitare ausi sunt qui dicuntur christiani, si dominus qui ex Maria virgine processit filius quidem substantia et natura est dei, id vero quod est secundum carnem, ex semine David est et carne sanctae Mariae?

Sancti Ambrosii episcopi et confessoris Mediolanensis ecclesiae, quod misit ad imperatorem Gratianum de libro secundo de fide inter cetera: Unde illud quod lectum est dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate crucifixum putemus, sed quia idem deus, idem homo, per divinitatem deus, per susceptionem carnis homo Christus Iesus dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturae, id est humanae atque divinae in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete et dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de coelo.

Item alio loco in eodem libro inter cetera: Sileant igitur inanes de sermonibus quaestiones, quia regnum dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed ostensione virtutis. Servemus distinctionem divinitatis et carnis: unus in utroque loquitur dei filius, quia in eodem utraque natura est, et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam dei, nunc hominis passiones. Quasi deus loquitur quae sunt divina, quia verbum est; quasi homo dicit quae sunt humana, quia in ea substantia loquebatur.

Item eiusdem in libro de incarnatione domini contra Apollinaristas: Sed dum hos redarguimus, emergunt alii qui carnem domini dicant et divinitatem unius naturae. Quae tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiae robur adolescit, ut maiore contentione asserant patrem et filium et spiritum sanctum unius non esse substantiae, quia isti divinitatem domini et carnem substantiae unius dicere tentaverunt.

Item infra: Et hi mihi frequenter Nicaeni concilii tractatum se tenere commemorant, sed in illo tractatu patres nostri non carnem sed dei verbum unius substantiae cum patre esse dixerunt: et verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem aut ex virgine

esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicaeni concilii nomen obtenditur et nova inducuntur quae nunquam nostri sensere maiores? Et reliqua.

Item eiusdem ad Sabinum episcopum inter cetera: Unde pulchre apostolus eiusdem verbi repetitione usus est dicens de domino Iesu Christo: Quum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Quid est in forma dei nisi in plenitudine deitatis in illa perfectionis divinae expressione? Ergo quum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se et accepit plenitudinem naturae et perfectionis humanae. Sicut deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi ut esset perfectus in utraque forma. Unde et David dicit: Speciosus forma prae filiis hominum. Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat: formam servi accepit, non servus loquutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est in forma dei? Respondit: In natura dei. Sunt enim, ait apostolus, qui non sunt natura dii. Quaero quid sit formam servi accipiens? Sine dubio perfectionem naturae et conditionis, ut dixi, humanae, ut esset in hominum similitudine. Et pulchre non carnis sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Unde et propheta ait: Et homo est et quis cognoscit eum? Homo secundum carnem, sed ultra hominem divina operatione. Denique quum leprosum tangeret, homo videbatur, sed ultra hominem quum mundaret. Et cum Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat, sed supra hominem erat quum mortuum vinctum iuberet pedibus exire. Homo videbatur, quum penderet in cruce, sed supra hominem, quum reseratis tumulis mortuos suscitaret.

Sancti Augustini episcopi Hipponensis ecclesiae ad Dardanum inter cetera: Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum unde venturus est, memoriterque recole et fideliter tene christianam confessionem qua resurrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quam inde venturus est ad vivos et mortuos iudicandos, illa angelica voce testante quemadmodum est ire visus in coelum, id est in eadem forma carnis atque substantia cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit.

Item eiusdem in epistola ad Volusianum inter cetera: Nunc vero ita inter deum et homines mediator apparuit ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis et insolita solitis temperaret.

Item eiusdem in expositione evangelii secundum Ioannem inter cetera: Quid igitur, haeretice, quum Christus sit deus et homo, loquitur ut homo; et calumniaris deo? Ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare divinam?

Et iterum infra: Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet qua aequalis est patri, humanam qua maior est pater: utrumque autem simul non duo, sed unus Christus, ne sit quaternitas non trinitas deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro, sic unus est Christus deus et homo ac per hoc Christus est deus anima rationalis et caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma servi.

Item cuius supra: Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus: verum haec omnia non duo vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quoniam naturae humanae gratulandum est, eo quod sic assumpta est a verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in coelo atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram patris.

Sancti Ioannis Constantinopolitani episcopi et confessoris in homilia de cruce et latrone: Sed cur cum cruce veniat videamus. Scilicet ut hi qui eum crucifixerunt suae sentiant dementiae caecitatem et ideo dementiae eorum signum portatur. Ideo propheta ait: Tunc lamentabuntur omnes tribus terrae, videntes accusatorem et agnoscentes peccatum. Et quid mirum est, si crucem portans adveniet, quando et vulnera corporis ipsa demonstrant, tunc enim, inquit, videbunt quem confixerunt? Et sicut post resurrectionem Thomae voluit diffidentiam confutare et illi clavorum loca monstravit et lateris vulnera declaravit et dixit: Mitte manum tuam et vide quoniam spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere. Sic et tunc ostendens vulnera crucemque demonstrabit, ut ostendat illum esse qui fuerat crucifixus.

Item eiusdem in homilia de ascensione domini: Nam sicut duobus iurgio separatis unus in medio positus altercantium litem discordiamque dissolvit, ita et Christus fecit. Deus nobis iuste irascebatur et nos contemnebamus iratum et clementem dominum declinabamus et se medium Christus ingessit et sociavit utramque naturam et nobis quod imminebat supplicium ipse sustinuit.

Item eiusdem in eadem homilia inter cetera: Christus igitur nostrae naturae primitias obtulit patri et oblatum donum miratus est pater, quod tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur nulla macula foedabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum et suae sedis fecit esse participem et, quod plus est, ad patrem suae dexterae collocavit. Cognoscamus quis ille est qui audivit: Sede ad dexteram meam; quae natura est, cui dixit: Esto meae particeps sedis; illa natura quae audivit: terra es et in terram ibis.

Item eiusdem in eadem homilia inter ce-

tera: Quo sermone utar, quo verbo dicam reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta et omnibus monstrata deterior omnia vicit, omnia superavit et omnibus hodierna die meruit excelsior reperiri. Hodie angeli diu vota desiderata coeperunt, hodie archangeli, quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt, naturam nostram in sede dominica immortali fulgentem gloria perviderunt.

Sancti Theophili episcopi Alexandrini de epistola paschali quam per Aegyptum destinavit: Cuius rei testis est ille qui loquitur: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, et prophetae Christi auxilium deprecantes: Domine, inclina coelos et descende, non ut mutaret locum in quo omnia sunt, sed ut propter salutem nostram carnem humanae fragilitatis assumeret, Paulo apostolo eadem concinente: Quum esset dives, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate ditaremur, venitque in terram, sed de virginali utero, quem sanctificavit egressus homo interpretationem nominis sui Emmanuel, id est nobiscum deus, dispensatione confirmans, mirum in modum coepit esse quod nos sumus et non desiit esse quod erat, sic assumens naturam nostram, ut quod erat ipse non perderet. Quamquam enim Ioannes scribat: Verbum caro factum est, id est aliis verbis, deus homo factus est, verbum tamen non est versum in carnem, quia nunquam deus esse cessavit, ad quem et spiritus sanctus loquitur: Tu autem idem ipse es; et pater de coelo contestatur et dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ut et homo factus nostra confessione permanere dicatur, quod fuit priusquam homo fierit, Paulo nobiscum eadem praedicante: Iesus Christus heri et hodie idem ipse et in aeternum. In eo enim quod ait ipse, ostendit eum pristinam non mutasse naturam, nec divinitatis suae imminuisse divitias, quia propter nos pauper effectus plenam similitudinem nostrae conditionis assumpserat.

Item eiusdem in alia epistola paschali contra Origenem inter cetera: Unus filius patris nostrique mediator nec aequalitatem eius amisit, nec a nostro consortio separatus est: invisibilis deus et visibilis homo, forma servi absconditus et dominus gloriae confessione credentium comprobatur. Neque enim privabit eum pater naturae suae nomine postquam pro nobis homo et pauper effectus est, nec in Iordane fluvio baptizatum altero appellavit vocabulo, sed filium unigenitum: Tu es filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Nec similitudo nostra in divinitatis est mutata naturam, nec divinitas in nostrae naturae versa est similitudinem.

Sancti Gregorii episcopi Nazianzeni in homilia de epiphania inter cetera: Quum ergo processisset ex virgine deus in ea quam assumpserat humana natura, unum e duobus sibi invicem contrariis existens carne ac spiritu, aliud in deum assumitur, aliud deitatis gratia praestat.

Item infra: Missus est quidem sed ut homo, duplex enim erat in eo natura. Inde denique et laboravit ex itinere, inde et esuriit et sitivit et contristatus est et flevit humani corporis lege.

Sancti Basilii episcopi Cappadocis: Quum ergo quaedam in Christo ita videmus humana, ut nihil a communi mortalium fragilitate distare videantur, quaedam ita divina quae nulli alii nisi illi ineffabili naturae conveniant deitatis, haeret humani intellectus angustia et tantae admirationis stupore perculsa quo declinet, quid teneat, quo se vertat, ignorat. Si hominem putet, devicto mortis regno cum spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter quod cum omni metu et reverentia contemplandum est, ut in uno eodemque ita utriusque naturae veritas demonstretur, ut neque aliquid indignum et indecens de divina illa et ineffabili substantia sentiatur, neque rursum quae gesta sunt falsis illusa imaginibus aestimentur.

Sancti Cyrilli episcopi Alexandrini: Homo nominatus est quum sit natura deus dei patris verbum, quoniam similiter ut nos sanguini communicavit et carni. Sic enim in terris apparuit, ut non amittens id quod erat, sed assumens humanitatis naturam in sua ratione perfecta.

Item eiusdem in libro qui dicitur Scholia: Unus igitur est et ante incarnationem deus verus et qui in humanitate mansit id quod erat et est et erit. Non discernendum igitur unum dominum Iesum Christum hominem seorsum et seorsum in deum, sed unum eum eumdemque Iesum Christum esse dicimus: non ignorantes differentias naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.

Item cuius supra: Intelligitur namque certe tanquam aliud in alio habitare, id est divina natura in humanitate non perpessa commixtionem aut commutationem ut esset quod non erat. Quidquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum fit tale quale est id in quo habitat, sed aliud in alio magis intelligitur. At vero in verbi persona et humanitatis solam nobis differentiam designat diversitas naturarum. Unus enim ex utraque intelligitur Christus: ergo in confusione, ut ante dixi, servata inhabitasse ait verbum in nobis. Scit enim unum esse filium unigenitum carnem factum et hominem.

Item cuius supra ad Nestorium: Ait igitur sancta et magna synodus ipsum qui est ex deo patre naturaliter natus, filium unigenitum deum verum de deo vero, lumen de lumine, per quem et cum quo omnia fecerit pater, hunc descendisse, incarnatum esse et hominem factum, passum esse, resurrexisse tertia die et ascendisse rursus ad coelos.

Haec nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quid sit incarnatum esse et hominem factum dei verbum. Non enim dicimus quod dei natura conversa vel immutata facta sit caro, nec quod in totum hominem qui est ex anima et corpore transformata sit, sed illud

magis quod carnem animatam anima rationabili sibi copulaverit verbum et substantialiter, ineffabiliter et irreprehensibiliter factus sit homo et nuncupatus sit etiam filius hominis, non nuda tantummodo voluntate, sed nec assumptione sola personae, sed quod diversae quidem naturae in unum convenerint, unus tamen ex ambabus Christus et filius, non evacuata aut sublata diversitate naturarum per coniunctionem, sed quia simul nobis effecerunt unum dominum et Christum et filium, id est divinitas et humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad unitatem. Itaque is qui ante secula omnia est natus ex patre, etiam ex muliere carnaliter dicitur procreatus, non quia divina ipsius natura de sacra virgine sumpsit exordium, nec quod propter seipsam opus habuit secundo nasci post illam nativitatem quam habebat ex patre — est enim ineptum et stultum hoc dicere, quod is qui ante omnia secula est consempiternus patri secundae generationis eguerit ut esse inciperet —, sed quia propter nos et propter nostram salutem naturam sibi copulavit humanam et processit ex muliere, idcirco dicitur natus esse carnaliter. Neque enim primum natus est homo communis de sancta virgine et tunc demum habitavit in eo verbum, sed in ipsa vulva uteroque virginali secum carne coniunxit et sustinuit generationem carnalem, carnis suae nativitatem suam faciens. Sic illum dicimus et passum esse et resurrexisse, non quia deus verbum in sua natura passus sit aut clavorum transfixiones aut alia vulnera susceperit; deus namque incorporalis extra passionem est, sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est, passum est, ideo haec omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur deus qui pati non poterat. Simili modo et mortem ipsius intelligimus. Immortale enim et incorruptibile est naturaliter et vita et vivificans dei verbum, sed quia corpus ipsius proprium gratia dei iuxta Pauli vocem pro omnibus mortem gustavit, idcirco ipse dicitur mortem passus esse pro nobis, non quod in se mortem esset expertus quantum ad ipsius naturam pertinet — insania est enim hoc vel dicere vel sentire —, sed quod, ut supra diximus, caro ipsius mortem gustavit. Ita et resurgente carne ipsius rursus resurrectionem dicimus, non quia in corruptionem ceciderit, absit, sed quia eius surrexit corpus. Ita Christum et dominum unum confitemur, non tanquam hominem cum verbo coadorantes, ne divisionis quaedam species inducatur, sed unum iam et eumdem adorantes, quia non est alienum a verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet patri. Nec hoc ita dicimus quasi duobus filiis assidentibus, sed uno cum carne per unitatem. Quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi impassibilem aut quasi parum decoram voluerimus accipere, in id incidimus ut duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere et dicere hominem separatim fuisse sola filii appellatione honoratum, et rursus verbum quod est ex deo et nomine et veritate filium dei, sed discernere in duos filios non debemus unum dominum Iesum Christum. Neque enim id adiuvat rectam fidei rationem, licet nonnulli nescio quam perhibeant copulationem personarum. Non dixit enim scriptura verbum dei personam sibi hominis assumpsisse, sed carnem factum esse. Id autem est ostendere dei verbum similiter ac nos participationem habuisse carnis et sanguinis et corpus nostrum proprie suum fecisse, et hominem ex muliere processisse, non abiecta nec deposita deitate aut generatione illa quam habebat ex patre, sed mansisse etiam in assumptione carnis dominum quod erat. Hoc ubique rectae fidei ratio protestatur, in tali sensu sanctos patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitaverunt sanctam virginem dicere theotocon, non quod verbi natura deitasque in sancta virgine sumpsit exordium, sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum, anima rationabili, cui substantialiter adunatum dei verbum carnaliter natum esse dicitur.

EIUSDEM LEONIS AD TURIBIUM ASTURICENSEM EPISCOPUM.[1]

I. Contra Priscillianistas qui sanctam trinitatem non personis sed tantum nominibus distinguunt.

II. Adversus id quod dominum deum pro patre credunt fuisse.

III. Adversus id quod dicunt ideo unigenitum dici Christum quia solus sit de virgine natus.

IV. De natali domini quod in eo Priscillianistae ieiunia celebrarent.

V. Adversus id quod aiunt animam hominis ex divina esse substantia.

VI. Contra illud quod aiunt diabolum ex se vel ex chao esse et propriam habere naturam.

VII. Contra illud quod nuptias et procreationes filiorum adstruant esse peccatum.

VIII. Contra id quod corpora humana diaboli dicunt esse figmenta et a daemonibus in utero formari.

IX. Contra illud quod filios repromissionis ex sancto spiritu dicunt esse conceptos.

X. Contra id quod animas in coelestibus peccare credunt et secundum qualitatem peccati in hoc mundo accipere sortem vel bonam vel malam.

XI. Contra id quod fatalibus stellis dicant animas hominum obligatas.

XII. Contra id quod sub aliis potestatibus partes animae, sub aliis corporis membra describunt.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 61. *p.* 90.

XIII. Contra id quod patriarcharum nomina per singula corporis membra disponunt.
XIV. Contra id quod duodecim signa quae mathematici observant per corpus omne distinguunt.
XV. De apocryphis scripturis eorumdem Priscillianorum.
XVI. Emendanda de libro Dictinii.

Leo episcopus Thuribio episcopo salutem.

Quam laudabiliter pro catholicae fidei veritate movearis et quam sollicite dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas tradita nobis per diaconum tuum fraternitatis tuae scripta demonstrant, quibus notitiae nostrae insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquae pestilentiae reliquiis errorum morbus exarserit. Nam et epistolae sermo et commonitorii series et libelli tui textus eloquitur, Priscillianistarum apud vos foetidissimam recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumcumque sensibus impiorum quod non in hoc dogma confluxerit, quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem sibi faecem commiscuerunt, ut soli totum biberent quidquid alii ex parte gustassent. Denique, si universae haereses quae ante Priscilliani tempus exortae sunt diligentius retractentur, nullus pene invenietur error, de quo non traxerit impietas ipsa contagium, quae non contenta eorum recipere falsitates, qui ab evangelio Christi sub Christi nomine deviarunt, tenebris se etiam paganitatis immersit, ut per magicarum artium profana secreta et mathematicorum vana mendacia religionis fidem morumque rationem in potestate daemonum et in effectu siderum collocaret. Quod si et credi liceat et doceri, nec virtutibus praemium nec vitiis poena debebitur, omniaque non solum humanarum legum, sed etiam divinarum constitutionum decreta solventur, quia neque de bonis neque de malis actibus ullum poterit esse iudicium, si in utramque partem fatalis necessitas motum mentis impellit et quidquid ab hominibus agitur non est hominum, sed astrorum. Ad hanc insaniam pertinet et prodigiosa illa totius humani corporis per duodecim coeli signa distinctio, ut diversis partibus diversae praesideant potestates, et creatura, quam deus ad imaginem suam fecit, in tanta sit obligatione siderum, in quanta est connexione membrorum. Merito patres nostri, sub quorum temporibus haeresis haec nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt, ut impius furor ab universa ecclesia pelleretur, quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem eius cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri omnemque coniugiorum copulam solvi simulque divinum ius humanumque subverti, si huiusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium qui timent corporale supplicium. Ex quo autem multas provincias hostilis occupavit irruptio et exequutionem legum tempestates interclusere bellorum, ex quo inter sacerdotes dei difficiles commeatus et rari coeperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata quibus debuit esse correcta. Quae vero illic aut quanta pars plebium pestis huius aliena est, ubi, sicut dilectio tua indicat, letali morbo etiam quorumdam sacerdotum corda corrupta sunt, et per quos opprimenda falsitas et defendenda veritas credebatur, per ipsos doctrinae Priscilliani evangelium subditur Christi, ut ad profanos sensus pietate sanctorum voluminum depravata, sub nominibus prophetarum et apostolorum non hoc praedicetur, quod spiritus sanctus docuit, sed quod diaboli minister inseruit. Quia ergo dilectio tua fideli quantum potuit diligentia damnatas olim opiniones sexdecim se capitulis comprehendit, nos quoque strictim omnia retractamus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur aut dubium.

I. Primo itaque capitulo demonstratur, quam impie sentiant de trinitate divina, qui et patris et filii et spiritus sancti unam atque eamdem asserunt esse personam, tanquam idem deus, nunc pater, nunc filius, nunc spiritus sanctus nominetur, nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit, sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, sed non in tribus sit accipienda personis. Quod blasphemiae genus de Sabellii opinione sumpserunt, cuius discipuli etiam Patripassiani merito nuncupantur, quia si ipse filius qui et pater, crux filii patris est passio, et quidquid in forma servi filius patri obediendo sustinuit, totum in se pater ipse suscepit. Quod catholicae fidei sine ambiguitate contrarium est, quae trinitatem deitatis sic homousion confitetur, ut patrem et filium et spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credat aequales, quia unitatem in trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.

II. In secundo capitulo ostenditur ineptum vanumque commentum de processionibus quarumdam virtutum ex deo quas habere coeperit et quas essentia sui ipse praecesserit. In quo Arianorum quoque suffragantur errori dicentium quod pater filio prior sit, quia fuerit aliquando sine filio et tunc pater esse coeperit, quando filium genuerit. Sed sicut illos ecclesia catholica detestatur, ita et istos qui putant unquam deo id quod eiusdem est essentiae defuisse, quem sicut mutabilem ita et proficientem dicere nefas est. Quam enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.

III. Tertii vero capituli sermo designat, quod idem impii adserunt, ideo unigenitum dici filium dei, quia solus sit natus ex virgine. Quod utique non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni et Photini virus hausissent, qui dixerunt dominum nostrum Iesum Christum antequam nasceretur ex Maria virgine non fuisse. Si autem aliud isti de suo sensu intelligi volunt neque principium de matre dant Christo, adserant necesse est non unum esse filium dei, sed alios quoque ex summo patre genitos, quorum hic unus sit natus ex foemina et ob hoc appelletur unigenitus, quia hanc nascendi conditionem alius filiorum dei nemo susceperit. Quoquoversum igitur se contulerint, in magnae tendunt impietatis abruptum, si Christum dominum vel ex matre volunt habere principium vel patris dei unigenitum diffitentur, quum et de matre is natus sit qui erat deus verbum et de patre nemo sit genitus praeter verbum.

IV. Quarto autem capitulo continetur quod natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis catholica veneratur, quia verbum caro factum est et habitavit in nobis, non vere isti honorent, sed honorare se simulent, ieiunantes eodem die sicut et die dominico, qui est dies resurrectionis Christi. Quod utique ideo faciunt, quia Christum dominum in vera hominis natura natum esse non credunt, sed per quamdam illusionem ostentata videri volunt, quae vera non fuerint, sequentes dogma Cerdonis atque Marcionis et cognatis suis Manichaeis per omnia concordantes. Qui sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, dominicum diem quem nobis salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in moerore ieiunii, solis, ut proditum est, reverentiae hanc continentiam devoventes, ut per omnia sint a nostrae fidei unitate discordes, et dies qui a nobis cum laetitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum est ut inimici crucis et resurrectionis Christi talem accipiant sententiam qualem elegere doctrinam.

V. Quinto autem capitulo refertur quod animam hominis divinae adserant esse substantiae, nec a natura creatoris sui conditionis nostrae distare naturam. Quam impietatem ex philosophorum quorumdam et Manicheorum opinione manantem catholica fides damnat, sciens nullam tam sublimem tamque praecipuam esse facturam cui deus ipse natura sit. Quod enim de ipso est, hoc est, quod ipse neque aliud est quam filius et spiritus sanctus. Praeter hanc autem summae trinitatis unam consubstantialem et sempiternam atque incommutabilem deitatem nihil omnium creaturarum est, quod non in exordio sui ex nihilo sit creatum. Non autem quidquid inter creaturas eminet deus est, nec si quid magnum atque mirabile est hoc est quod ille qui facit mirabilia magna solus. Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritatis et sapientiae atque iustitiae. Solus autem deus nullius participationis est indigus. De quo quidquid digne utcumque sentitur, non qualitas est sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit, quia esse illi quod est semper aeternum, semper est proprium. Unde in se manens innovat omnia et nihil accipit quod ipse non dederit. Nimium igitur superbi, nimiumque sunt caeci, qui quum dicunt humanam animam divinae esse substantiae, non intelligunt nihil se aliud dicere quam dominum esse mutabilem et ipsum perpeti, quidquid potest naturae eius inferri.

VI. Sexta adnotatio indicat eos dicere, quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium dei sit, sed eum ex chao et tenebris emersisse, quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia, quum fides vera quae est catholica omnium creaturarum sive spiritualium sive corporalium bonam confiteatur substantiam et mali nullam esse naturam, quia deus, qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde et diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Sed quia naturali excellentia male usus est et in veritate non stetit, non in contrariam substantiam transiit, sed a summo bono cui debuit adhaerere descivit, sicut ipsi qui talia asserunt a veris in falsa proruunt et naturam in eo arguunt, in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria perversitate damnantur. Quod utique ipsis malum erit, et ipsum malum non erit substantia, sed poena substantiae.

VII. Septimo loco sequitur quod nuptias damnant et procreationem nascentium perhorrescunt. In quo sicut pene in omnibus cum Manicheorum profanitate concordant. Ideo sicut ipsorum mores probant coniugalem copulam detestantes, quia non est illic libertas turpitudinis ubi pudor matrimonii servatur et spes sobolis.

VIII. Octavum eorum est plasmationem humanorum corporum diaboli esse figmentum et semina conceptionum opere daemonum in mulierum uteris figurari: propter quod resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animae dignitati. Quae falsitas sine dubio opus diaboli est, et alia prodigia opinionum figmenta sunt daemonum, qui non in foeminarum ventribus formant homines, sed in haereticorum cordibus tales fabricant errores. Quod immundissimum virus de Manichaeorum impietatis specialiter fonte procedens olim fides catholica deprehendit atque damnavit.

IX. Nona autem annotatio manifestat, quod filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex spiritu sancto dicunt esse conceptos, ne illa soboles quae de carnis semine nascitur ad dei conditionem pertinere videatur. Quod catholicae fidei repugnans

atque contrarium est, quae omnem hominem in corporis animaeque substantia a conditore universitatis formari atque animari intra materna viscera confitetur, manente quidem illo peccati mortalitatisque contagio, quod in prolem a primo parente transcurrit, sed regenerationis subveniente sacramento, quo per spiritum sanctum promissionis filii renascuntur, non in utero carnis, sed in virtute baptismatis. Unde et David quod utique promissionis erat filius dicit ad dominum: Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me, et ad Ieremiam dominus ait: Priusquam te formarem in utero novi te et in vulva matris tuae sanctificavi te.

X. Decimo autem capitulo referuntur asserere animas quae humanis corporibus inseruntur fuisse in corpore et in coelesti habitatione peccasse, atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas in diversae qualitatis principes incidisse et per aereas ac sidereas potestates in diversis corporibus esse conclusas sorte diversa et conditione dissimili, ut quidquid in hac vita varie et inaequaliter provenit ex praecedentibus causis videatur accidere: quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt, sed omnes eos catholica fides a corpore suae unitatis abscidit, constanter praedicans atque veraciter quod animae hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere nec ab alio incorporantur nisi ob opifice deo, qui et ipsarum est creator et corporum. Et quia per primi hominis praevaricationem, tota humani generis propago vitiata sit, neminem posse a conditione veteris hominis liberari, nisi per sacramentum baptismatis Christi, in quo nulla est discretio renatorum dicente apostolo: Quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque foemina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. Quid ergo hic agunt cursus siderum, quid figmenta factorum, quid mundanarum rerum mobilis status et inquieta diversitas? Ecce tot impares gratia dei facit aequales, qui inter quoslibet vitae huius labores si fideles permanent, miseri esse non possunt, apostolicum illud in omni tentatione dicentes: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio an angustia, an persequutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis, sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Et ideo ecclesia, quae corpus est Christi, nihil de mundi inaequalitatibus metuit, quia nihil de bonis temporalibus concupiscit, nec timet inani strepitu factorum gravari, quae patientia tribulationum novit augeri.

XI. Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis et animas hominum et corpora opinantur obstringi, per quam amentiam necesse est, ut omnibus paganorum erroribus implicati et faventia sibi, ut putant, sidera colere et adversantia studeant mitigare. Verum ista sectantibus nullus in ecclesia catholica locus est, quoniam qui se talibus persuasionibus dedit, a Christi corpore totus abscessit.

XII. Duodecimum inter haec illud est, quod sub aliis potestatibus partes animae, sub aliis corporis membra describunt et qualitates interiorum praesulum in patriarcharum nominibus statuunt, quibus e diverso signa siderea, quorum virtuti corpora subiiciantur opponunt, et in his omnibus inextricabili se errore praepediunt, non audientes dicentem apostolum: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis; et iterum: Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum crescit in augmentum dei. Quid ergo opus est in cor admittere, quod lex non docuit, quod prophetia non cecinit, quod evangelii veritas non praedicavit, quod apostolica doctrina non tradidit? Sed haec operta sunt eorum mentibus de quibus apostolus loquitur dicens: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Nihil itaque nobiscum commune habeant, qui talia audent vel docere vel credere et quibuslibet modis nituntur adstruere quod substantia carnis ab ope resurrectionis aliena sit atque ita omne sacramentum incarnationis Christi resolvant, quia indignum fuit integrum hominem suscipi, si indignum erat integrum liberari.

XIII. Tertio decimo loco positum est dicere eosdem, quod omne corpus scripturarum canonicarum sub patriarcharum nominibus accipiendum sit, quia illae duodecim virtutes quae reformationem hominis interioris operantur, in horum vocabulis indicentur: sine qua scientia nullam animam posse assequi, ut in eam substantiam, de qua prodiit reformetur. Sed hanc impiam vanitatem despectui habet christiana sapientia, quae novit verae deitatis inviolabilem et inconvertibilem esse naturam, animam autem sive in corpore viventem sive a corpore separatam multis passionibus subiacere. Quae utique si de divina esset essentia, nihil adversi posset incidere. Et ideo ineffabiliter aliud creator est, aliud creatura. Ille enim semper idem est et nulla varietate mutatur: haec autem muta-

bilis est etiam non mutata, quia ut non mutetur datum poterit habere, non proprium.

XIV. Sub quarto decimo vero capitulo de statu corporis sentire dicuntur, quod sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneatur, et ideo multa in sacris libris, quae ad exteriorem hominem pertineant reperiri, ut in ipsis scripturis inter divinam terrenamque naturam quaedam sibi repugnet adversitas et aliud sit quod sibi vindicent animae praesules, aliud quod corporis conditores. Quae fabulae ideo disseruntur, ut anima divinae affirmetur esse substantiae et caro credatur malae esse naturae, quoniam et ipsum mundum cum elementis suis non opus dei boni, sed conditionem mali profitentur auctoris, atque ut haec mendaciorum suorum sacrilegia bonis titulis colorarent, omnia pene divina eloquia sensuum nefandorum inmissione violarunt.

XV. De qua re quinti decimi capituli sermo conqueritur et praesumptionem diabolicam merito detestatur, quia et nos istud veracium testium relatione comperimus et multos corruptissimos eorum codices qui canonici titularentur invenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle praelinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia quae essent futura mortifera? Curandum ergo est et sacerdotali diligentia maxime providendum, ut falsati codices et a sincera veritate discordes in nullo usu lectionis habeantur. Apocryphae autem scripturae, quae sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendae sunt, sed etiam penitus auferendae atque ignibus concremandae. Quamvis enim sint in illis quaedam, quae videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt venenis, et per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cuiuscumque erroris involvant. Unde si quis episcoporum vel apocrypha habere per domos non probibuerit vel sub canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione vitiati, haereticum se noverit iudicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat seipsum errare demonstrat.

XVI. Postremo autem capitulo hoc prodidit iusta querimonia, quod Dictinii tractus, quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione legerentur, quum, si aliquid memoriae Dictinii tribuendum putant, reparationem eius magis debeant amare quam lapsum. Non ergo Dictinium, sed Priscillianum legunt, et illud probant quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impune praesumat nec inter catholicos censeatur, quisquis utitur scriptis non ab ecclesia solummodo catholica, sed etiam a suo auctore damnatis. Non sit perversis liberum simulare quod fingunt, nec sub velamine nominis christiani, decretorum imperialium statuta declinent. Ideo enim ad ecclesiam catholicam cum tanta cordis diversitate conveniunt, ut et quos possunt suos faciant et legum severitatem, dum se nostros mentiuntur, effugiant. Faciunt hoc Priscillianistae, faciunt hoc Manichaei, quorum cum istis tam foederata sunt corda, ut in solis nominibus discreti, sacrilegiis autem suis inveniantur uniti. Quia etsi vetus testamentum, quod isti se suscipere simulant, Manichei refutant, ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio, cum quod illi abdicando impugnant, isti praecipiendo corrumpunt. In execrabilibus autem mysteriis eorum, quae quanto immundiora sunt, tanto diligentius occuluntur, unum prorsus nefas, una est obscoenitas et similis turpitudo. Quam, etsi eloqui erubescimus, sollicitissimis tamen inquisitionibus indagatam et Manichaeorum, qui comprehensi fuerant, confessione detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam, ne ullo modo dubium possit videri, quod in iudicio nostro, cui non solum frequentissima praesentia sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas et pars quaedam senatus ac plebis interfuit, ipsorum, qui omne facinus perpetrarant, ore reseratum est, sicut ea quae ad dilectionem tuam nunc direximus gesta demonstrant. Quod autem de Manichaeorum foedissimo scelere, hoc etiam de Priscillianistarum incestissima consuetudine olim compertum multumque vulgatum est: et qui per omnia sunt in impietate sensuum pares, non possunt in sacris suis esse dissimiles.

Decursis itaque omnibus, quae libelli series comprehendit et a quibus commonitorii forma non discrepat, sufficienter, ut opinor, ostendimus, quid de his, quae ad nos fraternitas tua retulit, censeamus, et quam non ferendum sit, si tam profanis erroribus etiam quorundam sacerdotum corda consentiunt vel, ut mitius dixerim, non resistunt. Qua conscientia honorem sibi praestitum vindicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? Bestiae irruunt et ovium septa non claudunt, fures insidiantur et excubias non praetendunt, morbi crebrescunt et remedia nulla prospiciunt. Quum autem etiam illud addunt, ut his qui sollicitius agunt, consentire detrectent et impietates olim toto orbe damnatas subscriptionibus suis anathematizare dissimulent, quid de se intelligi volunt, nisi quod non de numero fratrum, sed de parte sunt hostium?

In eo vero quod in extrema familiaris epistolae tuae parte posuisti, miror cuiusquam catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo caro eius requieverit in sepulchro, quae sicut vere et mortua et sepulta, ita vere est die tertia suscitata. Hoc enim et ipse dominus denuntiaverat, dicens ad iudaeos: Solvite templum hoc et in triduo suscitabo illud. Ubi evangelista subiungit:

Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Cuius rei veritatem etiam David praedixerat, loquens sub persona domini salvatoris et dicens: Insuper et caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Quibus utique verbis manifestatum est, quod Christi caro et vere sepulta requievit, et corruptionem non subiit, quia celeriter vivificata reditu animae resurrexit. Quod non credere satis impium est et ad Manichaei Pricillianique doctrinam pertinere non dubium, qui sacrilego sensu ita se Christum simulant confiteri, ut et incarnationis et mortis et resurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos episcopale concilium et ad eum locum qui omnibus opportunus sit vicinarum provinciarum conveniant sacerdotes, ut secundum haec quae ad tua consulta respondimus plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter episcopos, qui huius haeresis contagio polluantur a communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est ut, qui praedicandae fidei suscepit officium, is contra evangelium Christi, contra apostolicam doctrinam, contra universalis ecclesiae symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, ubi tales docebunt magistri? Quae illic religio populi? quae salus plebis? ubi contra humanam societatem pudoris sanctitas tollitur, coniugiorum foedus aufertur, propagatio generationis inhibetur, carnis natura damnatur, contra verum dei cultum trinitas deitatis negatur, personarum proprietas confunditur, animabus humanis divina essentia datur et eadem ad diaboli arbitrium carne concluditur. Dei filius per id quod de virgine ortus, non per id quod ex patre natus est, unigenitus praedicatur, idemque nec vera dei proles nec verus virginis partus asseritur, ut per falsam passionem mortemque non veram mendax etiam resurrectio resumptae de sepulchro carnis habeatur? Frustra utuntur catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt, possunt haec credere, qui possunt talia patienter audire? Dedimus itaque litteras ad fratres et coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallaecos eisque concilium synodi generalis indiximus. Ad tuae dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostrae ordinationis auctoritas ad praedictarum provinciarum episcopos deferatur. Si autem aliqui, quod absit, obstiterint, quominus possit celebrari generale concilium, Gallaeciae saltem in unum conveniant sacerdotes, quibus congregandis fratres nostri Idatius et Coëponius imminebunt coniuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur. Datum XII. Kal. Aug. Callipio et Ardabure conss.

Eiusdem Leonis ad episcopos per Italiam quod plurimi Manichaeorum vigilantia papae Leonis in urbe Roma deiecti sunt. LXXVII.[1]

Leo universis episcopis per Italiae provincias constitutis in domino salutem.

In consortium vos nostrae sollicitudinis, dilectissimi fratres, advocamus, ut vigilantia pastorali, ne quid diabolicae licere possit astutiae, commissis vobis gregibus diligentius consulatis, ne is qui domini misericordia revelante per nostram curam a nostris ovibus morbus abigitur, necdum vobis praemonitis et adhuc quod agitur ignaris, per vestrae sedis pergat ecclesias et suarum furtim cuniculos inveniat latebrarum, ut quod a nobis in urbe extinguitur, tenebrosis apud vos radicibus seminetur. Plurimos impietatis Manichaeae sequaces et doctores in urbe investigatio nostra reperit, vigilantia[2] divulgavit, auctoritas et censura coercuit: quos potuimus emendare, correximus, et ut damnarent Manichaeum cum praedicationibus et discipulis suis publica in ecclesia confessione et manus suae subscriptione compulimus et ita de voragine impietatis suae confessos poenitentiam concedendo levavimus. Aliquanti vero qui ita se demerserant, ut nullum his auxiliantis posset remedium subvenire subditi legibus secundum christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati. Et omnia quae tam in scripturis quam in occultis traditionibus suis habent profana vel turpia, ut nosset populus quid refugeret aut vitaret, oculis christianae plebis certa manifestatione probavimus, adeo ut ipse qui eorum dicebatur episcopus a nobis tentus proderet flagitiosa in suis mysteriis quae teneret, sicut gestorum vos series poterit edocere. Ad instructionem enim vestram etiam ipsa direximus, quibus lectis omnia quae a nobis deprehensa sunt, nosse poteritis, et quia aliquantos de his quos ne absolverentur arctior reatus involverat, cognovimus aufugisse, hanc ad dilectionem vestram nostram epistolam misimus per acolythum nostrum, ut effecta certior sanctitas vestra sollicitius agere dignetur et cautius, nec ubi Manichaeae perversitatis homines plebes vestras facultatem laedendi et huius sacrilegii possint invenire doctores. Aliter enim nobis commissos regere non possumus, nisi hos qui sunt perditores et perditi zelo fidei dominicae persequamur et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possumus abscidamus. Unde hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos eos, necubi occultandi se reperiant facultatem. Ut enim habebit a deo diligens remunerationis praemium qui diligentius quod ad salutem commissae sibi plebis proficiat fuerit exequutus, ita ante tribunal

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. Hisp. no.* 62. *p.* 96. [2] *De fine huius epistolae cum fine rescripti Flaviani permutata cf. supra p.* CI.

domini de reatu negligentiae suae non poterit excusari quicumque plebem suam contra sacrilegae persuasionis auctores noluerit custodire. Data tertio Kal. Febr. Theodosio XVIII. et Albino viris clarissimis consulibus.

Leonis rescriptum ad Flavianum episcopum contra Euthices perfidiam. LXVIII.[1]

I. Quod ignorantia sanctarum scripturarum Eutichetem haereticum fecerit.
II. Contra eos qui in duos filios dispensationis dominicae mysterium scindere moliuntur.
III. Contra eos qui passibilem divinitatem unigeniti filii dei audent adserere.
IV. Contra eos qui in duabus naturis Christi temperamentum vel confusionem argumentantur.
V. Contra eos qui coelestem aut alterius cuiuscumque substantiae existere formam servi quam ex nobis assumpsit insaniendo adserunt.
VI. Contra eos qui duas quidem ante adunationem naturas domini delirant, unam vero post adunationem confingunt.

Dilectissimo fratri Flaviano Leo.

Lectis litteris tuae dilectionis quas miramur fuisse tam seras et gestorum episcopalium ordine recensito, tandem, quid apud vos scandali contigerit atque contra integritatem fidei exortum fuisset, agnovimus, et quae prius videbantur occulta, nunc nobis reserata patuerunt.

I. Quibus Eutiches qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens et nimis imperitus ostenditur, ut etiam de ipso dictum sit a propheta: Noluit intelligere ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquius quam impia sapere et sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui quum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obstaculo, non ad propheticas voces, non ad apostolicas litteras, non ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt et ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Quam enim eruditionem de sacris novi et veteris testamenti paginis adquisivit, qui ne ipsius quidem symboli initia comprehendit, et quod per totum mundum omni regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur?

II. Nesciens igitur quid deberet de verbi dei incarnatione sentire, nec volens ad promerendum lumen intelligentiae in sanctarum scripturarum latitudine laborare, illam saltem communionem et indiscretam confessionem sollicito recepisset auditu, quam fidelium universitas profitetur credere se in deum patrem omnipotentem et Iesum Christum filium eius, qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine. Quibus tribus sententiis omnium fere haereticorum machinae destruuntur. Quum enim deus et omnipotens et pater creditur, sempiternus eidem filius demonstratur in illo a patre differens, quia de deo deus et de omnipotente omnipotens, de aeterno natus est coëternus, non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. Idem vero sempiterni genitoris unigenitus sempiternus natus est de spiritu sancto ex Maria virgine. Quae nativitas temporalis illi nativitati divinae et sempiternae nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini qui erat deceptus, impendit, ut et mortem vinceret et diabolum qui habebat mortis imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de spiritu sancto intra uterum virginis matris, quae illum ita salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. Sed si de hoc christianae fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obcaecatione sibi propria tenebrabat, doctrinae se evangelicae subdidisset, dicente Matthaeo: Liber generarationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham. Apostolicae quoque praedicationis expetiisset instructum et legens in epistola ad Romanos: Paulus servus Iesu Christi vocatus apostolus segregatus in evangelium dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo qui factus est ex semine David secundum carnem. Ad propheticas quoque paginas piam sollicitudinem contulisset, inveniens promissionem dei ad Abraham dicentis: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et ne de huius seminis proprietate dubitaret, sequutus fuisset apostolum dicentem: Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: et semini tuo, quod est Christus. Esaiae quoque praedicationem interiori apprehendisset auditu, dicentis: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum deus; eiusdemque prophetae fideliter verba legisset: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius potestas super humeros eius et vocabitur nomen eius magni consilii angelus, admirabilis consiliarius, deus fortis, princeps pacis, pater futuri seculi. Nec frustratorie loquens ita verbum diceret carnem factum, ut editus utero virginis Christus haberet formam hominis, et non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit dominum nostrum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad beatam Mariam angelus ait: Spiritus san-

[1] *Inscript. sec. cod. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 38. *p.* 53. *Cf. de hac epistola p.* C.

ctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius dei; et quia conceptus virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti? Sed non ita a nobis intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim virgini spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est et aedificante sibi sapientia domum verbum caro factum est et habitavit in nobis, hoc est in ea carne quam suscepit ex homine et quam spiritus vitae rationabilis animavit.

III. Salva igitur proprietate utriusque naturae et in unam coeunte personam suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas; et ad resolvendum conditionis nostrae debitum natura inviolabilis naturae est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat unus atque idem mediator dei et hominum homo Christus Iesus et mori posset ex uno et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est deus, totus in suis, totus in nostris. Nostra autem dicimus quae in nobis ab initio creator condidit et quae reparanda suscepit. Nam illa quae deceptor intulit et homo deceptus admisit, nullum habuerunt in salvatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam servi sine sorde peccati, humana augens, divina non minuens: quia exinanitio illa qua se invisibilis visibilem praebuit et creator ac dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura et sicut formam servi dei forma non ademit, ita formam dei servi forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de praevaricatoris consortio invenisse solatium, deum quoque iustitiae exigente ratione erga hominem quem tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam, opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis deus, cuius voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suae dispensationem sacramento occultatiore compleret et homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam contra dei propositum non periret.

IV. Ingreditur ergo hac mundi infima filius dei de coelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens coepit esse ex tempore, universitatis dominus servilem formam obumbrata maiestatis suae inmensitate suscepit, impassibilis deus non dedignatus est homo esse passibilis et inmortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate generatus, quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit et carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre domini natura, non culpa; nec in domino Iesu Christo ex utero virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostrae est naturae dissimilis. Qui enim verus est deus, idem verus est homo, ut nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo deitatis. Sicut enim deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis, et sicut verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est, vere filius dei et vere hominis filius: deus per id quod in principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum: homo per id quod verbum caro factum est et habitavit in nobis, deus per id quod omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, homo per id quod factus est ex muliere, factus est sub lege. Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae: partus virginis divinae est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo altissimi declaratur vocibus angelorum, similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere, sed dominus est omnium, quem magi gaudent suppliciter adorare. Iam quum ad praecursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine tegeretur, vox patris de coelo intonans dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quem itaque sicut hominem diaboli tentat astutia, eidem sicut deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lasescere atque dormire evidenter humanum est, sed quinque panibus quinque millia hominum satiare et largiri Samaritanae aquam vivam, cuius haustus bibenti praestet ne ultra iam sitiat, supra dorsum maris plantis non desidentibus ambulare et elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa praeteream, non eiusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum et eumdem remoto quatriduanae aggere sepulturae ad vocis imperium excitare redivivum aut in cruce pendere et in noctem luce conversa omnia elementa tremefacere aut clavis transfixum esse et paradisi portam fideli latroni aperire, ita non eiusdem naturae est dicere:

Ego et pater unum sumus, et dicere: Pater maior me est. Quamvis enim in domino Iesu Christo dei et hominis una persona sit, aliud tamen est unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor a patre humanitas, de patre illi est aequalis cum patre divinitas.

V. Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam et filius hominis legitur descendisse de coelo, quum filius dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit, et rursus filius dei crucifixus dicitur ac sepultus, quum haec non in divinitate ipsa qua unigenitus consempiternus et consubstantialis est patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum filium dei crucifixum et sepultum omnes etiam in symbolo confitemur secundum illud apostoli dictum: Si enim cognovissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Quum autem ipse dominus noster atque salvator fidem discipulorum suorum suis interrogationibus erudiret, quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Quumque illi diversas aliorum opiniones retexuissent: Vos autem, ait, quem me dicitis esse? me utique qui sum filius hominis et quem in forma servi atque in veritate carnis aspicitis quem me esse dicitis? Ubi beatus Petrus divinitus inspiratus et confessione sua omnibus gentibus praefuturus: Tu es, inquit, Christus filius dei vivi. Nec immerito beatus est pronuntiatus a domino et a principali petra soliditatem et virtutis traxit et nominis, qui per revelationem patris eumdem et dei filium est confessus et Christum, quia unum horum sine alio receptum non proderat ad salutem et aequalis periculi erat dominum Iesum Christum aut deum tantummodo sine homine aut sine deo solum hominem credidisse. Post resurrectionem vero domini quae utique veri hominis fuit, quia non alter est resuscitatus, quam qui fuerat crucifixus et mortuus, quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quam ut fidei nostrae integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis et cohabitans atque convescens et pertractari se diligenti curiosoque contactu ab eis quos dubietas praestringebat admittens, ideo et clausis ianuis ad discipulos introibat et flatu suo dabat spiritum sanctum et donato intelligentiae lumine sanctarum scripturarum occulta pandebat. Et rursus idem vulnus lateris, fixuras clavorum et omnia recentissimae passionis signa monstrabat, dicens: Videte manus meas et pedes, quia ego sum, palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere, ut agnosceretur in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere et ita sciremus verbum non hoc esse quod carnem, et unum dei filium et verbum confiteremur et carnem. Quo fidei sacramento Eutiches iste nimium aestimandus est vacuus, qui naturam nostram in unigenito dei nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnovit, nec sententiam beati apostoli et evangelistae Ioannis expavit dicentis: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex deo est, et omnis spiritus qui solvit Iesum, ex deo non est, et hic est antichristus. Quid autem est solvere Iesum nisi humanam ab eo separare naturam, et sacramentum per quod salvati sumus imprudentissimis evacuare figmentis? Caliginans vero circa naturam corporis Christi necesse est ut etiam in passione eius eadem obcaecatione desipiat. Nam si crucem domini non putat falsam et susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat, cuius credit, agnoscat et carnem, nec diffiteatur nostri corporis hominem quem cognoscit fuisse passibilem, quoniam negatio verae carnis negatio est etiam corporeae passionis. Si ergo christianam suscepit fidem et a praedicatione evangelii suum non avertit auditum, videat quae natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno et aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat unde sanguis et aqua fluxerit, ut ecclesia dei et lavacro regeneraretur et poculo. Audiat et beatum Petrum apostolum praedicantem quod sanctificatio spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi, nec transitorie legat eiusdem apostoli verba dicentis: Scientes quod non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni incontaminati et immaculati Iesu Christi. Beati quoque apostoli Ioannis testimonio non resistat dicentis: Et sanguis Iesu Christi filii dei mundat nos ab omni peccato, et iterum: Haec est victoria quae vicit mundum, fides nostra: et quis est qui vicit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine, et spiritus est qui testificatur quoniam spiritus est veritas, quia tres sunt qui testimonium dant: spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt: spiritus utique sanctificationis et sanguis redemptionis et aqua baptismatis, quae tria unum sunt et individua manent, nihilque eorum a sua connexione seiungitur, quia ecclesia catholica hac fide vivit, hac proficit, ut in domino Iesu Christo nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas.

VI. Quum autem ad interloquutionem examinis vestri Eutiches responderit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse dominum nostrum ante adunationem, post vero adunationem unam naturam confiteor; miror tam absurdam tamque perversam professionem nulla iudicantium increpatione reprehensam et sermonem nimis insipientem ita omissum, quasi nihil quod

offenderet, esset auditum, quum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus dei fuisse dicatur, quam nefarie, postquam verbum caro factum est, natura in eo singularis adseritur. Quod ne Eutiches ideo et recte vel tolerabiliter aestimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, dilectionis tuae igitur diligentiam commonemus, frater carissime, ut si per inspirationem misericordiae dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui macula per te purgetur, qui quidem, ut sicut gestorum ordo patefecit, bene coeperat a sua persuasione discedere, quum ex vestra sententia coarctatus profiteretur se dicere, quod antea non dixerat et ei fidei acquiescere cuius prius fuisset alienus: sed quum anathematizando impio dogmati noluisset praebere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia dignumque esse qui iudicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque utiliter dolet et quam recte mota sit episcopalis auctoritas vel sero cognoscet vel si ad satisfactionis plenitudinem omnia quae ab eo male sunt sensa viva voce et praesenti subscriptione damnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio, quia dominus noster verus est bonus pastor qui animam suam posuit pro ovibus suis et qui venit animas hominum salvare, non perdere imitatores nos vult esse suae pietatis, ut peccantes quidem iustitia coerceat, conversos autem misericordia non repellat. Tunc enim fructuosissime fides vera defenditur, quando etiam a sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem vero causam pie ac fideliter exequendam fratres nostros Iulianum episcopum et Renatum presbyterum, sed et filium nostrum Hilarum diaconum vice nostra direximus, quibus Dulcitium notarium nostrum cuius nobis fides est saepe probata sociamus, confidentes adfuturum divinitatis auxilium, ut is qui erraverat damnata sensus sui pravitate salvetur. Datum Id. Iun. Asterio et Protogene vv. cc. conss. aera CCCCLXXXVI.

Epistola Ravennii ad Eutichetem presbiterum ubi contra eius errores illi apto exemplo respondet. LXIX.[1]

Dilectissimo et merito honorabili filio Euticheti presbytero Petrus episcopus.

Tristis legi tristes litteras tuas et scripta moesta moerore debito percucurri, quia sicut nos pax ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis gaudere facit gaudio coelesti, ita nos affligit et deiicit fraterna dissensio, praesertim quum talibus oriatur ex causis. Triginta annis humanae leges humanas adimunt quaestiones. Christi generatio quae divina lege scribitur inenarrabilis post tot secula disputatione temeraria ventilatur. Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus est disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Iesum in cunabulis dominum mysticis muneribus confitentur et sacerdotes qui sit qui virginali partu de spiritu sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt. Quum vagitum daret Iesus in cunis, Gloria in excelsis deo coelestis clamabat exercitus, et modo quando in nomine Iesu omne genu flectitur coelestium, terrestrium et infernorum, originis ei quaestio commovetur. Nos, frater, cum apostolo dicimus: Etsi novimus Iesum secundum carnem, sed nunc iam non novimus nec possumus iniuriose replicare, qui iubemur honorem dare et timorem reddere et expectare, non discutere quem iudicem confitemur. Haec in omnibus respondi, frater, litteris tuis.

Item epistola Leonis papae ad Ephesianam sinodum in qua convocat progregatos episcopos Euthicetis blasphemias condemnare. LXX.[2]

Leo episcopus sanctae synodo quae apud Ephesum convenit.

Religiosa clementissimi principis fides sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum auctoritatem apostolicae sedis adhiberet, tamquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in eius confessione laudatum sit, quando dicenti domino: Quem me esse dicunt homines filium hominis? varias quidem diversorum opiniones discipuli memorarunt. Sed quum ab eis, quid ipsi crederent, quaereretur, princeps apostolorum plenitudinem fidei brevi sermone complexus: Tu es, inquit, Christus filius dei vivi, hoc est, tu qui vere es filius hominis, idem vere es filius dei vivi. Tu, inquam, verus in deitate, verus in carne, et salva geminae proprietate naturae utrumque unus. Quod si Eutiches intelligenter ac vivaciter crederet, nequaquam ab huius fidei tramite deviaret, propter quam ei respondetur a domino: Beatus est Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in coelis est. Et ego tibi dico: Quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Nimis autem a compage huius aedificationis alienus est, qui beati Petri confessionem non capit et Christi evangelio contradicit, ostendens se nullum unquam studium cognoscendae veritatis habuisse et superfluo honorabilem visum qui nulla auctoritate cordis ornavit canitiem senectutis. Verum quia etiam talium non est negligenda cura et pie ac religiose christianissimus imperator haberi voluit episcopale concilium, ut pleniore iudicio omnis possit error aboleri,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 39. *p.* 57. [2] *Inscript. sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. no.* 40. *p.* 58.

fratres nostros Iulianum episcopum, Renatum presbyterum et filium nostrum Hilarum diaconum, cumque his Dulcitium notarium probatae nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestrae fraternitatis intersint et communi vobiscum sententia, quae domino sint placitura, constituant: hoc est ut primitus pestifero errore damnato etiam de ipsius qui imprudenter erravit, restitutione tractetur: si tamen doctrinam veritatis amplectens sensus haereticos quibus imperitia eius fuerat irretita plene aperteque propria voce et subscriptione damnaverit. Quod etiam in libello quem ad nos miserat est professus, spondens per omnia nostram sequuturum se esse sententiam. Acceptis autem fratris et coepiscopi nostri Flaviani litteris plenius ad eum de his quae ad nos videtur retulisse rescripsimus, ut abolito hoc, qui natus videbatur errore, in laudem et gloriam dei per totum mundum una sit fides et una eademque confessio, et in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus in gloria est dei patris. Datum Id. Iun. Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus aera qua supra.

Item Leonis papae epistola ad Theosium augustum. De secunda synodo Ephesina in qua Eutichetis haeresis quorumdam episcoporum pravo intellectu adiuta est, unde hortatur eumdem augustum, ut priscae fidei constitutio ab eis non violetur, donec sacerdotes totius orbis coadunentur.

LXXI.[1]

Leo episcopus et sancta synodus quae in urbe Roma convenit, Theodosio augusto.

Litteris clementiae vestrae quas dudum ad beati Petri apostoli sedem pro catholicae fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendae per vos veritatis et pacis, ut in causa tam simplici tamque minuta, nihil putaremus posse existere quod noceret, praesertim quum ad episcopale concilium quod haberi apud Ephesum praecepistis tam instructi sint missi, ut si scripta quae ad sanctam synodum vel ad Flavianum episcopum detulerunt, episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimae fidei quam divinitus inspiratam et accepimus et tenemus, omnium concertationum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi aemulatio reperiret. Sed dum privatae causae religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum quod universam ecclesiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuntio, sed fidelissimo rerum quae gestae sunt, narratore Hilaro diacono nostro qui vix ne subscribere per vim cogeretur, effugit, convenisse ad synodum plurimos sacerdotes, quorum utique frequentia consultationi et iudicio profuisset, si is qui sibi locum principem vindicabat sacerdotalem moderationem custodire voluisset, ut, sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo et aequo constitueretur examine quod et fidei congrueret et errantibus subveniret. In ipso autem iudicio non omnes qui convenerant interfuisse cognovimus; nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederent et nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent, talemque ab eo prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem ecclesiam saeviretur. Quod nostri ab apostolica sede directi adeo impium et catholicae fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli, constanterque in eadem synodo, ut decuit, fuerunt protestati nequaquam id quod constituebatur sedem apostolicam recepturam, quoniam revera omne christianae fidei sacramentum, quod absit, a temporibus vestrae pietatis excinditur, nisi hoc scelestissimum facinus quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. Quia vero diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, et ita quorumdam imprudentiam per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus nocitura persuadeat, removete, quaesumus, a vestrae pietatis conscientia periculum religionis et fidei. Quodque in saecularibus negotiis legum vestrarum aequitate conceditur in rerum divinarum pertractione praestate, ut Christi evangelio vim non inferat humana praesumptio. Ecce ego, christianissime et venerabilis imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiae vestrae sinceri amoris officium cupiensque vos placere per omnia deo, cui pro vobis ab ecclesia supplicatur, ne ante tribunal domini rei de silentio iudicemur, obsecramur coram unius deitatis inseparabili trinitate, quae tali facto laeditur, quum ipsa vestri sit custos et auctrix imperii et coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus congregetur, nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia quod necesse est nos dicere, veremur ne cuius religio dissipatur, indignatio provocetur. Prae oculis habete et tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam et communes cum ipso omnium apostolorum coronas cunctorumque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio verae divinitatis et verae humanitatis in Christo. Cui sacramento quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum ecclesiae, omnes mansuetudini vestrae cum gemitibus et lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum iubeatis intra Italiam celebrari, quae omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 41. *p.* 58.

fide dubium, vel in caritate divisum: convenientibus utique orientalium provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis atque iniuriis a veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur, ipsique, quorum est causa durior si consiliis melioribus adquiescant, ab ecclesiae unitate non excedant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessarie postuletur, canonum Nicaeae habitorum decreta testantur, quae a totius mundi sunt sacerdotibus constituta, quaeque subter adnexa sunt. Favete catholicis vestro more parentumque vestrorum, date defendendae fidei libertatem, quam salva clementiae vestrae reverentia nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre. Quum enim ecclesiae causa statum regni vestri agimus et salutis, ut provinciarum vestrarum quieto iure potiamini, defendite contra haereticos inconcussum ecclesiae statum, ut et vestrum Christi dextera defendatur imperium. Data III. Id. Octobr. Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus aera qua supra.

Item Leonis papae ad Pulcheriam augustam contra secundam Ephesinam synodum ut eius errores in alia synodo retractarentur.[1]

Leo episcopus et sancta synodus quae in urbe Roma convenit, Pulcheriae augustae.

Si epistolae quae in fidei causa ad pietatem vestram directae sunt, per nostros clericos pervenissent, certum est remedium vos in rebus quae contra fidem factae sunt, adspirante vobis domino, praestare potuisse. Quando enim sacerdotibus, quando christianae religioni aut fidei defuistis? Sed quum ad mansuetudinem vestram adeo non potuerunt pervenire qui missi sunt, ut ad nos vix unus illorum Hilarus diaconus noster fugiens sit reversus, iteranda scripta credidimus, et ut validiores preces nostrae esse mereantur, ipsorum scriptorum quae ad clementiam vestram non pervenerunt exempla subiecimus, amplioribus vos obtestationibus obsecrantes, ut quanto acerbiora facta sunt, quibus pro sede regia vos convenit contraire, tanto maiori gloria curam eius in qua excellitis religionis habeatis, ne catholicae fidei integritas ulla humanarum concertationum occasione violetur. Quae enim congregata apud Ephesum synodo sopienda et sananda pacis remedia credebantur, haec non solum in maiora pacis dispendia, sed, quod nimis dolendum est, etiam in ipsius fidei qua christiani sumus, excidia processerunt. Et hi quidem qui missi sunt quorumque unus vim Alexandrini episcopi sibi omnia vindicantis effugiens rerum gestarum nobis ordinem fideliter nuntiavit, reclamarunt in synodo, sicut oportuit, unius hominis non tam iudicio quam furoris protestantes ea quae per vim metumque gererentur sacramentis ecclesiae et ipsi symbolo ab apostolis instituto praeiudicare non posse, neque se ab ea fide ulla iniuria separandos quam plenissime expositam atque digestam a sede beati apostoli Petri ad sanctam synodum detulissent. Cuius quum recitatio poscentibus episcopis non sit admissa, ut scilicet remota ea fide quae patriarchas, prophetas, apostolos et martyres coronavit, generatio Iesu Christi domini nostri secundum carnem et verae mortis ac resurrectionis eius confessio, quod horremus dicere, solveretur, scripsimus de hac re, ut potuimus, ad gloriosissimum principem et, quod est maximum, christianum, cuius epistolae pariter exempla subiecimus, ut fidem qua renatus per dei gratiam regnat, nulla sineret novitate corrumpi. Quoniam Flavianus episcopus in nostra omnium communione persistit atque hoc quod factum est sine consideratione iustitiae et contra omnium canonum disciplinam ratum haberi ratio nulla permittit, et quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina synodus, sed auxisset, de habendo intra Italiam concilio et locus constitueretur et tempus omnibus querelis et praeiudiciis partis utriusque suspensis, quo diligentius universa quae offensionem generaverant, retractentur et absque vulnere fidei, absque religionis iniuria in pacem Christi redeant, qui per impotentiam subscribere coacti sunt sacerdotes, et soli auferantur errores. Quod ut obtinere mereamur probatissimae nobis fidei pietas tua, quae labores ecclesiae semper adiuvit, supplicationem nostram apud clementissimum principem sive specialiter a beatissimo Petro apostolo legationem commissam dignetur adserere, ut priusquam civile hoc et exitiale bellum intra ecclesiam convalescat, redintegrandae illi unitatis copiam deo auxiliante concedat, sciens imperii sui viribus profuturum quidquid catholicae libertati benigna ipsius fuerit dispositione collatum. Data III. Id. Octobr. Asterio et Protogene viris clarissimis consulibus aera qua supra.

Item Leonis papae ad Pulcheriam augustam.[2]

Leo episcopus Pulcheriae augustae.

Gaudere me plurimum et exultare in domino pietatis tuae scripta fecerunt, quibus evidenter ostenditur quantum catholicam diligis fidem et quantum haereticum detesteris errorem. Haeresis quippe est nimis impia et evangelio veritatis inimica quae non portionem aliquam laedere, sed ipsa christianae religionis conatur fundamenta convellere, negans sempiterni patris filium sempiternum de utero beatae virginis matris veram carnem nostrae sumpsisse naturae et eos damnatione percellens qui ab evangelica et apostolica fide nullo deduci errore potuerunt, illudque frustra praetendens quod Nicaenae synodi fidem teneat, cuius eum constat esse alienum, gloriosissima augusta. Unde quia

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. no.* 42. *p.* 61. [2] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 43. *p.* 62.

non deserit ecclesiam suam divina protectio dicente domino: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, eodemque opere et tempore spiritus dei et clementiae vestrae sollicitudinem et curam nostri cordis accendit, ut de remediis procurandis eadem utrique cuperemus et quae prius poposci, nunc quoque instantius peto, maiori utens fiducia deprecandi, posteaquam praesidium venerandae exhortationis accepi, sperans autem adfuturam misericordiam dei, ut cooperante vestra elementia, pestiferi erroris possit morbus auferri; et quidquid ipso inspirante atque auxiliante potuerit salubriter fieri, cum vestrae fidei laude peragatur, quoniam res humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent et regia et sacerdotalis defendat auctoritas. Data XVI. Kal. Apr. Valentiniano augusto VII. et Avieno viris clarissimis consulibus aera CCCCLXXXVIII.

Item Leonis exortatoria ad Martianum et Faustum presbyteros de damnatione Ephesini concilii secundi. LXXIV.[1]

Leo episcopus Martiano Faustoque presbyteris.

Bonorum operum et spiritualium studiorum deum auctorem esse non dubium est, qui quorum incitat mentes adiuvat actiones. Quod nobis praesenti experimento evidenter apparuit: si quidem inter discretarum spatia longinqua regionum unum sumpserint corda nostra consilium, ut quod a nobis desiderabatis, eo vobis tempore quo epistolae vestrae emittebantur, occurrerit; si tamen dilectioni vestrae tradi scripta nostra potuerunt, quae non solum apostolicae sedis auctoritate, sed etiam sanctae synodi quae ad nos frequens convenerat, unanimitate directa sunt, ut in his quantam curam totius ecclesiae habeamus, appareat, hortando scilicet omnium fidelium mentes et clementissimorum principum praesidia ad defensionem fidei postulando, quorum pios et catholicos animos non diffidimus opem atque auctoritatem suam iustis petitionibus praestaturos, quo citius auxiliante domino perniciosa haeresis et dudum sanctorum patrum auctoritate damnata quae nuper Ephesi male adiuta est, auferatur. Interim vero det operam quantum fieri potest vestra dilectio ut omnibus ecclesiae filiis innotescat, quod contra impium sensum secundum doctrinam evangelicam et apostolicam praedicemus. Quia licet plene quae semper fuisset atque esset catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addidimus. Memor enim sum me sub illius nomine praesidere, cuius a domino Iesu Christo est glorificata confessio et cuius fides omnes quidem haereses destruit, sed maxime impietatem praesentis erroris expugnat, et intelligo mihi aliud non licere quam ut omnes conatus meos ei causae in qua universalis ecclesiae salus infestatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiae occasione scripta nostra ad vos non potuerint pervenire, exemplaria eorumdem nunc mittenda credidimus, ut nullo modo fidei quam defendimus, praedicatio vestrae notitiae subtrahatur. Datum XVI. Kal. April. Valentiniano augusto VII. et Avieno vv. cc. conss. aera qua supra.

Item Leonis papae ad Theodosium augustum ubi scribit ut id quod de incarnatione filii dei ab Anatolio Constantinopolitano episcopo praedicatur agnoscat et ut universale concilium in Italia fiat. LXXV.[2]

Leo episcopus Theodosio augusto.

Omnibus quidem vestrae pietatis epistolis inter eas sollicitudines quas pro fide patimur spem securitatis nobis maximam praestitistis Nicaenum commendando concilium, adeo ut ab illo, sicut saepe iam scribitis, non patiamini sacerdotes domini deviare. Sed ne aliquid in praeiudicium catholicae defensionis viderer egisse de ordinatione eius qui Constantinopolitanae coepit ecclesiae praesidere, nihil interim in alterutram partem temere rescribendum putavi, non dilectionem negans, sed manifestationem catholicae veritatis expectans. Quod aequanimiter ferat, obsecro, vestra clementia, ut quum talem se erga fidem catholicam qualem cupimus, adprobarit, de sinceritate ipsius et copiosius et securius gaudeamus. Ne vero aliqua illum de nostro animo mordeat sinistra suspicio, occasionem totius difficultatis amoveo, nec aliquid exigo quid aut arduum videatur aut dubium, sed ad id quod nullus catholicorum refutet invito. Noti enim sunt per universum mundum atque manifesti qui ante nos sive Graeca sive Latina lingua in catholicae veritatis praedicatione fulserunt, ad quorum scientiam atque doctrinam quidam etiam nostrae aetatis accedunt, de quorum scriptis par et multiplex profertur instructio: quae sicut Nestorianam haeresim destruxit, ita etiam hunc qui nunc repullulat abscidet errorem. Relegat itaque sollicite quae a sanctis patribus incarnationis dominicae fides fuerit custodita semperque similiter praedicata, et quum sanctae memoriae Cyrilli Alexandrini episcopi epistolam, qua Nestorium corrigere et sanare voluit, pravas praedicationes ipsius arguens et evidentius fidem Nicaenae definitionis exponens, quamque ab eo missam apostolicae sedis scrinia susceperunt, praecedentium sensui perspexerit consonantem. Ephesinae etiam synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorii impietatem et a sanctae memoriae Cyrillo inserta et alligata sunt de incarnatione domini catholicorum testimonia sacerdotum. Non aspernetur etiam meam

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 44. *p.* 63. 2 *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 45. *p.* 64.

epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet. Quumque a se hoc quod eidem profuturum sit expeti desiderarique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde consentiat, ita ut sinceram communis fidei professionem absolutissima subscriptione coram omni clero et universa plebe declaret apostolicae sedi et universis domini sacerdotibus atque ecclesiis publicandam, ut, pacificato per unam fidem mundo possimus omnes dicere quod angeli nato de Maria virgine salvatore cecinerunt: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Quia vero et nos et beati patres nostri, quorum doctrinam et veneramur et sequimur, in unius fidei concordia sumus, sicut provinciarum omnium protestantur antistites, agat clementiae vestrae devotissima fides, ut quamprimum ad nos Constantinopolitani episcopi, qualia debent probati et catholici sacerdotis scripta perveniant, aperte scilicet atque dilucide protestantia, quod si quis de incarnatione verbi dei aliud aliquid credat aut adserat quam catholicorum omnium et mea professio protestatur, hunc a sua communione secernat, ut ei fraternam in Christo caritatem merito possimus impendere. Ut autem salubribus curis velocior pleniorque auxiliante domino per vestrae clementiae fidem praestetur effectus, ad pietatem vestram fratres et coepiscopos meos Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem presbyteros, quorum mihi est devotio probata, direxi, per quos quae nostrae forma sit fidei manifestatis instructionibus quas misimus, possitis dignanter agnoscere, ut si Constantinopolitanus antistes in eamdem confessionem toto corde consentit, securi, ut dignum est, de ecclesiastica pace laetemur, neque aliquid residere videatur ambiguum, ut de superfluis forsitan suspicionibus laboremus. Sin vero aliqui a puritate nostrae fidei atque a patrum auctoritate dissentiunt, concilium universale intra Italiam sicut synodus quae ob hanc causam Romae convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat, ut in unum convenientibus omnibus his qui aut ignorantia aut terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur, nec cuiquam ultra sit liberum, ita Nicaenae synodi facere mentionem, ut eius fidei inveniatur esse contrarius, quoniam et universae ecclesiae et vestro imperio hoc profuturum est, si unus deus, una fides, unum sacramentum salutis humanae una totius mundi confessione teneatur. Data XVI. Kal. August. Valentiniano aug. VII et Avieno vv. cc. conss. aera qua supra.

Item Leonis ad Pulcheriam augustam pro his quae superius a Theodosio augusto postulavit. LXXVI.[1]

Leo episcopus Pulcheriae augustae.

Gaudeo fidei clementiae vestrae quod religiosum studium dignanter impenditis, ut pax ecclesiastica renovetur, quae quorumdam dissensionibus videtur esse turbata. Debetur enim hoc vestrae specialiter gloriae, ut ablatis omnibus scandalis quae contra catholicam fidem inimicus excitaverat, una eademque sit per totum mundum confessio veritatis, quae facilius certiusque reparabitur si pravorum sensuum nulla semina, nulla vestigia relinquantur. Quod tamen mearum partium est, praeterire non debeo, ut scilicet quid de incarnatione filii dei a Constantinopolitano episcopo teneatur agnoscam, praesertim quum in ordinatione ipsius dura praecesserint, taliaque ad nos debuerit scripta dirigere quae illum a contagione huius qui nuper emersit erroris alienum evidenter ostenderint. Optans itaque securam cum eo habere concordiam, gratiamque illi fraternae caritatis impendere, scribere ei interim distuli non dilectionem negans, sed manifestationem catholicae veritatis expectans. Simplex enim est absolutumque quod posco, ut remoto longarum dispositionum labore, sanctae memoriae Cyrilli Alexandrini episcopi epistolae quam ipse ad Nestorium miserat, acquiescat, in qua et errorem Nestorii arguit et fidem Nicaenae definitionis exposuit, vel etiam epistolae meae quae ad sanctae recordationis Flavianum episcopum est directa, consentiat. Quibus vigilanter inspectis, Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi quod ausus est contra puram et singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat, quia et mea et sanctorum patrum de incarnatione domini concors per omnia et una confessio est. Quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se a compage catholicae unitatis abscindet, quum tamen nos ut in integrum omnia revocentur optemus. Ad effectum vero salubrium dispositionum velocius obtinendum fratres et coepiscopos meos Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiae vestrae formam fidei quam secundum doctrinam venerabilium patrum praedicamus, offerrent et remotis circumloquutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de incarnatione filii dei a totius orbis probatis sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post divinam gratiam sancto vestrae pietatis auxilio dignum est adiuvari, ne in totius ecclesiae perturbationem imprudens procedat intentio, quum correctione adhibita omnes oporteat in unius confessionis redire concordiam: a qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale concilium sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra adnitente iubeatur; quo remota arte fallendi, tandem pateat quid altiore tractatu aut coerceri debeat aut sanari. Datum XIII. Kal. Aug. Valentiniano augusto VII. et Avieno viris clarissimis consulibus.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 46. *p.* 65.

Item ad Faustum et Martianum ceterosque presbyteros. LXXVII.[1]

Leo episcopus Fausto, Martiano, Petro, Manueli, Iob, Anthioco, Abraamio, Theodoro, Pientio, Eusebio, Helpidio, Paulo, Asterio et Caroso presbyteris et archimandritis et Iacobo diacono et archimandritae.

Causa fidei in qua salus christiana consistit multa me sollicitudine laborare compellit metuentem, ne pravitas quae in suis fuerat amputanda principiis processu temporis et pertinacior fiat et latior. Nam, quum clementissimus imperator talia ad nos scripta direxerit, quibus sollicitudinem suam pro pace universalis ecclesiae demonstraret, ipse Constantinopolitanus episcopus, et hi qui eumdem consecrarunt, praeter id quod ad ordinationem novi antistitis pertinebat, nihil nobis de compressis vel abdicatis erroribus indicarunt, quasi in illa ecclesia nullum scandalum, nulla extitisset offensio, aut non hinc praecipue fuerint ordinati meritum demonstrandum, si aliena a se quae catholicorum sensibus sunt adversa, docuisset. Ne ergo quod inter longinquas regiones accidere solet, in nimias dilationes tenderent veritatis examina, fratres et coepiscopos nostros Abundium et Asterium, sed et Basilium et Senatorem presbyteros probatissimos viros ad piissimum principem cum sufficienti paternarum auctoritatum instructione direximus. Quos in omnibus, fratres carissimi, diligentia ac sollicitudine vestra cupimus adiuvari, ut impietas quae caecis ausibus in exitialia abrupta processit, simplices quoque decipiendi ulterius non habeat potestatem, quum altiore medicina etiam illis cupiamus per correctionis remedia subveniri, qui aut imperitia sunt lapsi aut errore traducti. Et ideo vos qui iustificamini per fidem, qui catholicam diligitis veritatem et de singulari sacramento salutis humanae per spiritum sanctum estis edocti, collaborate nobiscum et quanta potestis devotione id agite, ut falsitate destructa et fidei soliditate defensa, secura per totum mundum dei pace potiamur. Datum XVI. Kal. August. Valentiniano augusto VI. et Avieno vv. cc. conss.

Item Leonis ad Pulcheriam augustam ubi ei gratias agit quod Nestorianam et Eutichianam haeresem fidei defensione destruxerit. LXXVIII.[2]

Leo episcopus Pulcheriae augustae.

Quod semper de sancta pietatis vestrae mente praesumpsimus, id plenissime experiendo cognovimus, christianam fidem quamvis diversis pravorum adpeteretur insidiis, vobis tamen praesentibus et in defensionem eius a domino praeparatis, non posse turbari. Non enim deus aut suae misericordiae sacramentum aut vestri laboris deserit meritum, quo dudum subdolum sanctae religionis hostem ab ipsis visceribus ecclesiae depulistis, cum haeresem suam tueri impietas Nestoriana non potuit, quia non fefellit famulam et discipulam veritatis, quantum simplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia. De quo virtutum agone processit, ut per sollicitudinem vestram ea quae per Eutichetem diabolus molitus est non laterent, et qui sibi singulas partes geminae impietatis elegerant, una catholicae fidei virtute procumberent. Secunda ergo haec vobis de perempto Eutichetis errore victoria est, quem si quid sani cordis habuisset, dudum in auctoribus suis perculsum olimque prostratum facile potuerat declinare, ne de sepultis cineribus rediviva tentaret incendia commovere, ut in eorum transiret consortium quorum sequutus esset exemplum gloriosissima augusta. Libet igitur exultare cum gaudio et pro vestrae clementiae prosperitate digna deo vota persolvere, qui vobis per omnes partes mundi, in quibus domini evangelium praedicatur, duplicem iam et palmam contulit et coronam. Clementia igitur vestra cognoscat omnem Romanam ecclesiam de universis fidei vestrae opibus plurimum gratulari, sive quod legationem nostram pio per omnia iuvistis affectu et quod sacerdotes catholicos qui de ecclesiis suis iniusta fuerant eiecti sententia reduxistis, sive quod reliquias sanctae memoriae Flaviani innocentis et catholici sacerdotis ad ecclesiam, cui bene praefuit, fecistis cum honore debito revocari. In quibus utique omnibus gloriae vestrae multiplicatur augmentum, dum et sanctos pro suis meritis veneramini et ab agro dominico spinas et tribulos vultis auferri. Quosdam sane episcopos de his qui rebus impiis videntur praebuisse consensum, reconciliationem poscere et catholicorum communionem desiderare, tam nostrorum quam fratris et coepiscopi mei Anatolii, cui testimonium ferre dignamini, relatione cognovimus, quorum desideriis sic praebemus effectum, ut correctis et quae male sunt facta propria subscriptione damnantibus participata nostrorum quos misimus cura cum supradicto episcopo pacis gratia tribuatur, quia devotionis utrumque est christianae, ut et pertinaces veritas iusta coerceat et conversos caritas non repellat. Quia vero novimus quantum piae sollicitudinis catholicis sacerdotibus mansuetudo vestra dignetur impendere, indicandum esse curavimus fratrem et coepiscopum meum Eusebium nobiscum degere et nostrae communionis esse consortem, cuius commendamus ecclesiam, quam dicitur vastare qui illi iniuste adseritur subrogatus. Illud etiam a vestra pietate poscentes, quod vos spontaneo facere non dubitamus arbitrio, ut tam fratrem et coepiscopum meum Iulianum, quam Constantinopolitanos clericos, qui sanctae memoriae Flaviano fidelibus officiis adhaeserunt, ea qua debetis gratia foveatis. De omnibus vero pietatem vestram per nostros,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 47. *p.* 66. [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 48. *p.* 67.

quid fieri aut ordinari deberet, instruximus. Datum Id. April. Adelphio viro clarissimo consule aera CCCCLXXXIX.

Item Leonis ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum. LXXIX.[1]

I. De fide eius scriptis missis probata.

II. De his qui metu in haeresem lapsi sunt: si conversi fuerint, recipiantur.

III. De nominibus haereticorum ad sacrum altare non recitandis.

IV. De commendatione Iuliani episcopi, vel illorum clericorum qui Flaviano episcopo in fide adhaeserunt.

Leo episcopus Anatolio episcopo.

I. Gaudeamus in domino et in dono gratiae ipsius gloriemur, quia sicut dilectionis tuae litteris et fratrum nostrorum, quos Constantinopolim miseramus, relatione cognovimus, sequacem te evangelicae eruditionis ostendis, ut per sacerdotis probabilem fidem merito praesumamus, quod tota ecclesia eidem credita est nec rugam cuiusquam sit erroris habitura nec maculam dicente apostolo: Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Illa est enim virgo ecclesia sponsa unius viri Christi, quae nullo se patitur errore vitiari, ut per totum mundum una nobis sit unius castae communionis integritas, in qua societatem tuae dilectionis amplectimur et gestorum quae sumpsimus seriem necessariis, sicut oportuit, munitam subscriptionibus approbamus. Ut ergo invicem dilectionis tuae animus nostris confirmaretur alloquiis, filios nostros Carterium presbyterum, Patricium et Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta detulerunt cum epistolis nostris post venerabilem diem festi paschalis emisimus indicantes nos, ut supra diximus, de Constantinopolitanae ecclesiae pace gaudere, cui hanc curam semper impendimus, ut eam nulla velimus haereticorum fraude violari.

II. De fratribus vero quos et epistolis et legatorum nostrorum relatione communionis nostrae cupidos esse cognovimus, eo quod doleant se contra potentiam contraque terrores non tenuisse constantiam et alieno sceleri praebuisse consensum, cum ita eos formido turbasset, ut in damnationem catholici atque innocentis antistitis et in receptionem detestabilis pravitatis trepido famularentur obsequio: illud quidem quod praesentibus et agentibus nostris constitutum est approbamus, ut suarum interim ecclesiarum essent communione contenti, sed cum legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine voluimus disponatur, quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant et accusare magis se eligunt quam tueri pacis et communionis nostrae unitatem laetentur, ita ut digno prius anathemate quae contra fidem catholicam sunt recepta damnentur. Aliter enim in ecclesia dei, quae corpus est Christi, nec rata sunt sacerdotia nec vera sacrificia, nisi in nostrae proprietate naturae verus nos pontifex reconciliat, verus inmaculati agni sanguis emundat. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne quam sumpsit ex virgine sacramentum propitiationis exequitur, dicente apostolo: Christus Iesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est in dextera dei, qui etiam interpellat pro nobis. Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, quum satisfacientes recipimus quos doluimus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis nostrae gratia deneganda est, nec temere largienda, quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhiberi, ita iustum est omnia perturbationis auctoribus imputari.

III. De nominibus autem Dioscori, Iuvenalis et Eustachii ad sacrum altare non recitandis dilectionem tuam hoc decet custodire quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint, quodque honorandae sancti Flaviani memoriae non repugnet et a gratia tua christianae plebis animos non avertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum eos qui innocentes et catholicos sua persequutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, quum damnatam impietatem non deserentes ipsi se sua pravitate condemnent quos convenit aut percelli pro perfidia aut laborare pro venia.

IV. Fratrem vero et coepiscopum nostrum Iulianum vel clericos qui sanctae memoriae Flaviano fidelibus officiis adhaeserunt, dilectioni quoque tuae volumus adhaerere, ut quem fidei suae meritis vivere apud dominum nostrum novimus, in te sibi eum praesentem esse cognoscant. Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus, fratrem et coepiscopum nostrum Eusebium qui causa fidei multa discrimina laboresque toleravit, nobiscum interim demorari et in nostra nunc communione persistere, cuius ecclesiam tua sollicitudine volumus esse defensam, ut et nihil eodem absente depereat et nullus ei in aliquo praeiudicare praesumat, donec cum litterarum nostrarum ad vos prosequutione perveniat. Et ut maior circa te vel nostra vel totius christianae plebis affectio provocetur, hoc quod ad dilectionem tuam scripsimus, in omnium volumus notitiam pervenire, ut qui deo nostro deserviunt de confirmata apud te pace sedis apostolicae gratulentur. De ceteris vero causis atque personis dilectio tua litteris quas per nostros accipiet, plenius instruetur.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 49. *p.* 68.

Eiusdem Leonis ad Martianum augustum ubi de illo pro conservatione catholicae fidei gratulatur. LXXX.[1]

Leo episcopus Martiano augusto.

Quamvis per Constantinopolitanos clericos ad pietatem tuam ante rescripserim, sumptis tamen clementiae vestrae litteris per virum illustrem praefectum urbis filium meum Tatianum magnam materiam gratulationis accepi, quia studiosissimos vos ecclesiasticae pacis agnovi. Cui sancto desiderio digne aequitate confertur, ut quem statum esse cupitis religionis, eumdem habeatis et regni. Nam inter principes christianos spiritu dei confirmante concordiam, gemina per totum mundum fiducia roboratur, quia profectus caritatis et fidei utrorumque armorum potentiam insuperabilem facit, ut propitiato per unam confessionem deo, simul et haeretica falsitas et barbara destruatur hostilitas, gloriosissime imperator. Aucta igitur per imperialem amicitiam spe coelestis auxilii confidentius pietatem vestram pro sacramento salutis humanae incitare praesumo, ne cuiusquam procaci impudentique versutia, quasi de incerto quid sequendum sit, sinatis inquiri. Et quum ab evangelica apostolicaque doctrina nec in uno quidem verbo liceat dissidere aut aliter de scripturis divinis sapere quam beati apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatae moventur et impiae quaestiones quas olim mox ut eas per acta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis spiritus sanctus extinxit. Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum et ad carnalium disputationum bella revocemur, tanquam reparata disceptatione tractatum sit, utrum Eutiches impie senserit et utrum perverse Dioscorus iudicarit, qui in sanctae memoriae Flaviani condemnationem se pertulit et simpliciores quosque ut in eamdem ruinam provolverentur impegit, quorum multis iam, ut cognovimus, ad satisfactionis remedia conversis et veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cuiusmodi sit fides tenenda, tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Unde piissimae sollicitudini vestrae quam de indicenda synodo habere dignamini, per legationem quae confestim ad clementiam vestram deo annuente perveniet, quidquid ad causae utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur. Datum IX. Kal. Mai. Adelphio viro clarissimo consule.

Eiusdem Leonis ad Martianum augustum ubi inter cetera pro defensione fidei catholicae imperatori congratuletur. LXXXI.[2]

Leo episcopus Martiano augusto.

Multam mihi fiduciam scribendi ad clementiam vestram et litterae vestrae, quas veneranter accepi et coepiscopi mei reverentes Constantinopoli praebuerunt, non sola assertione verborum, sed ipsis iam operum effectibus demonstrantes ad defensionem catholicae fidei divinum in vobis vigere praesidium. Quo utique non solum ecclesiae status, sed etiam vestri robur munitur imperii, ut merito eius expectetis protectionem, cuius colitis veritatem, gloriose imperator. Nam, ut et fratris mei Anatolii citius manifestaretur integritas et olim damnati erroris redivivus assertor locum in Christi ecclesia non haberet, ut catholici episcopi, quos nuper haereticorum persequutio depravare non potuit ab iniustis revocarentur exiliis, utque reliquiis beatae memoriae Flaviani digno honore susceptis, impietatem suam condemnator eius agnosceret, vestrae virtutis titulus, vestrae pietatis est fructus. Cui confido etiam aliarum insignia adcumulanda palmarum, ut sicut Constantinopolitana ecclesia recepta apostolicae fidei libertate laetatur, ita omnes regni vestri provinciae et mundatas se a diabolici dogmatis contagione glorientur. Ut ergo praecedentibus litteris indicavi, fratres meos Lucensem episcopum et Basilium presbyterum qui sollicitudinis meae partes possint implere, direxi, favori eos pietatis vestrae in omnibus, quae sunt agenda commendans. Nam quum et fratris mei Anatolii scriptis et nostrorum sermone cognoverim multos de his qui apud Ephesum Dioscori factione compulsi detestabilibus statutis poenitendum praebuere consensum, inconstantiae suae veniam postulare et communionem catholicam per satisfactionem correptionis expetere: non fuit talium negligenda conversio, qui non proprio sensu, sed improbi praesumptoris impulsu in haec incidisse noscuntur, in quibus liberum non habuere iudicium. Ne itaque resipiscentium desideria mora longior fatigaret, vel incuriosa facilitas temere aliquos ac sine discretione susciperet, iniunctum est ab apostolica sede directis ut in consortium suae deliberationis adscito Constantinopolitanae urbis antistite et pestilentiae contagia non admittantur et sanitatis remedia non negentur. Quae industria in omnibus quae nequiter gesta sunt emendandis celerem iuvante domino consequetur effectum, si reparationi pacis ecclesiasticae opem suam vestra pietas dignetur adiungere, ut vobis ita regnantibus et dei regnum intra vos habere mereamini et catholicam fidem nulla falsitas violet, nulla haeresis inquietet nec cuiquam liceat doctrinam evangelicam deserere et sacerdotali honore gaudere. Synodum vero fieri, ut meminit vestra clementia, etiam ipsi poposcimus. Sed sacerdotes provinciarum omnium congregari praesentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illae provinciae e quibus maxime sunt evocandi inquietante bello ab ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempori propitiato domino, quum firmior

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 50. *p.* 69. [2] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 51. *p.* 70.

fuerit restituta securitas, iubeat vestra clementia reservari. De qua re plenius inter cetera apud pietatem vestram poterunt allegare quos misimus. Datum V. Id. Iun. Adelphio v. c. cons.

Eiusdem Leonis ad Anatholium Constantinopolitanum episcopum de his qui aereticorum erroribus metu non voluntate inplicentur per satisfactionem ab ecclesia suscipiantur et ut aereticorum nomina ad altare non recitentur. LXXXII.[1]

Leo episcopus Anatholio episcopo.

Licet sperem dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, ut tamen efficacior tua fieri possit industria, et congruum fuit fratres meos Lucensium episcopum et Basilium presbyterum, ut promisimus, destinare quibus tua dilectio societur, ut nihil in his quae ad universalis ecclesiae statum pertinent aut dubie agatur aut segniter: quum residentibus vobis quibus exequutionem nostrae dispositionis iniunximus, ea possint agi cuncta moderatione, ut nec benevolentiae partes nec iustitiae negligantur, sed absque personarum acceptione divinum in omnibus iudicium cogitetur. Quod ut recta observantia valeant custodire, catholicae primitus fidei servetur integritas, et quia per omnia angusta et ardua via est quae ducit ad vitam, neque in sinistram neque in dexteram ab eius tramite devietur. Et quia evangelica et apostolica fides omnes expugnat errores et ab uno latere Nestorium deiicit, et ab alio Eutichetem et participes eius elidit, hanc regulam mementote servandam, ut quicumque in illa synodo quae nomen synodi nec habere poterit nec meretur, et in qua malevolentiam suam Dioscorus, imperitiam autem Iuvenalis ostendit, dolent ut dilectionis tuae relatione comperimus, se metu victos et terrore superatos ad consensum scelestissimi iudicii potuisse compelli et communionem catholicam obtinere desiderant, satisfactioni eorum pax fraterna praestetur, ita ut non dubiis professionibus Eutychetem cum suo dogmate cumque consortibus suis anathematis execratione condemnent. De his autem qui in hac causa gravius peccaverunt et ob hoc superiorem sibi locum in eadem infelici synodo vindicarunt, ut humilium fratrum simplicitatem arrogantiae suae praeiudiciis adgravarent, si forte resipiscunt et a facti sui defensione cessantes in condemnationem proprii convertuntur erroris, horum si satisfactio talis accedit, quae non refutanda videatur, maturioribus apostolicae, sedis consiliis reservetur, ut examinatis omnibus atque perpensis de ipsis eorum agnitionibus quid constitui debeat aestimetur. Neque prius in ecclesia, cui te dominus voluit praesidere cuiusquam talium, ut ante iam scripsimus, nomen ad altare recitetur, quam quid de his constitui debeat, processus ostendat. De commonitorio vero a clericis dilectionis tuae nobis oblato necessarium non fuit epistolis quid videretur inserere, quum sufficeret legatis cuncta committi, quorum sermone ex omnibus diligentius instrueris. Adnitere itaque, frater carissime, ut quae ecclesiae dei congruunt fideliter et efficaciter cum his fratribus, quos tantae rei idoneos actores eligimus, exequaris, praesertim quum et ipsa vos causae ratio spesque divini auxilii cohortetur, et clementissimorum principum, tam sancta sit fides, tam religiosa devotio, ut in eis non solum christianum, sed etiam sacerdotalem experiamur affectum. Qui utique pro ea pietate qua se esse dei famulos gloriantur, omnes suggestiones vestras fidei catholicae profuturas dignanter accipient, ut ipsorum quoque opere et pax christiana reparari et error impius possit aboleri. Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate causarum nostra quid observari debeat, sollicitudo constituat. Data V. Id. Iun. Adelphio viro clarissimo consule.

Eiusdem Leonis ad Martianum augustum. De directa vicis suae legatione Constantinopolim pro Calcidonensi concilio fatiendo. LXXXIII.[2]

Leo episcopus Martiano augusto.

Poposceram quidem a gloriosissima clementia vestra, ut synodum quam ad reparandam Orientalis ecclesiae pacem etiam a nobis petitam necessariam iudicatis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis hi quoque episcopi quos hostilitatis metus detinet convenirent. Sed quia pio studio humanis negotiis divina praeponitis et rationabiliter ac religiose regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in evangelii praedicatione discordia, ego etiam vestris dispositionibus non renitor, optans ut in omnium cordibus catholica fides, quae non potest nisi una esse, firmetur. A cuius integritate et Nestorius antea et nunc Eutiches diversis quidem callibus, sed impietate non impari deviarunt, abominandi prorsus in persuasionibus suis quas contra sincerum veri luminis fontem de coenosis lacubus diabolicae falsitatis hauserunt. Prior itaque synodus Ephesina Nestorium cum dogmate suo merito iusteque damnavit, et quisquis in illo errore perstitit, ad nullius potest spem remedii pertinere. Sequens vero in praedicta civitate non possum vocare concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis catholicis affutura aliud statuendo cassabit, gloriosissime imperator. Unde per ipsum dominum nostrum Iesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clemen-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. no.* 52. *p.* 71. [2] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 53. *p.* 72.

tiam vestram, ut in praesenti synodo fidem quam beati patres nostri ab apostolis sibi traditam praedicarunt non patiamini quasi dubiam retractari, et quae olim maiorum sunt auctoritate damnata redivivis non permittatis conatibus excitari: illudque potius iubeatis, ut antiquae Nicaenae synodi constituta, remota haereticorum interpretatione, permaneant. Nec me quoque, ut voluit vestra clementia ab illo credatis abesse concilio, quum in his fratribus quos direxi, id est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, sed et fratre meo Iuliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit aestimanda praesentia, quos auxiliante Christo, ita acturos esse confido, ut ea quae domino nostro placeant, decernantur, accedente pietatis vestrae studio, quod et paci prosit et religionis custodiae ac veritatis. Datum VI. Kal. Iul. Adelphio v. c. cons. aera qua supra.

Eiusdem Leonis ad synodum Calcidonensem ubi ortatur per legatos suos dei sacerdotes, ut secundum scripturas cuncta disponerent. LXXXIV.[1]

Leo sanctae synodo apud Chalcedonem constitutae.

Optaveram quidem, dilectissimi, pro nostri caritate collegii omnes domini sacerdotes in una catholicae fidei devotione persistere, nec quemquam gratia aut formidine potestatum saecularium depravari aut a via veritatis abscedere. Sed quia multa saepe quae poenitudinem possint generare proveniunt et superat culpas delinquentium misericordia dei atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli et ad reformandam ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri apostoli iure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc litteris invitaret, ut venerabili synodo nostram praesentiam praeberemus, quod quidem nec necessitas temporis nec ulla poterat consuetudo permittere. Tamen in his fratribus hoc est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas aestimet praesidere, non seiunctam a vobis praesentiam meam qui nunc in vicariis meis adsum et iamdudum in fidei catholicae praedicatione non desum, ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non potestis dubitare quid cupiam. Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat nec liceat defendi quod non licet credi, quum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime per litteras, quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum quae sit de sacramento incarnationis domini nostri Iesu Christi pia et sincera confessio. Quia vero non ignoramus per pravas aemulationes multarum ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque episcopos qui haeresim non reciperent sedibus suis pulsos et in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, his primitus vulneribus adhibeatur medicina iustitiae, nec quisquam ita careat propriis ut alter utatur alienis, quum si, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis qui pro fide laboraverunt cum omni privilegio suo oporteat ius proprium reformari. Prioris autem Ephesinae synodi cui sanctae memoriae Cyrillus episcopus tunc praesedit contra Nestorium specialiter statuta permaneant, ne tunc damnata impietas ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutiches iusta execratione percellitur. Puritas enim fidei atque doctrinae, quam eodem quo sancti patres nostri spiritu praedicamus, et Nestorianam et Eutichianam cum suis auctoribus condemnat pariter et persequitur pravitatem. Data VI. Kal. Iul. Adelphio viro clarissimo consule.

Eiusdem Leonis ad Martianum augustum ubi de eius gratulatur fide quae in Calcidonense concilio gesta est de Anatholio Constantinopolitano episcopo, qui in eodem concilio Alexandrinam et Anthiocenam ecclesias contra constituta per ambitum sibimet voluit subiugare.[2]

Leo episcopus Martiano augusto.

Magno munere misericordiae dei totius ecclesiae catholicae multiplicata sunt gaudia, quum sancto et glorioso clementiae vestrae studio perniciosissimus error extinctus est, ut labor noster citius ad desideratum perveniret effectum, quem deo serviens principatus et fide et potestate iuvisset. Quia etsi in virtute spiritus sancti inter quaslibet dissensiones per sedis apostolicae famulatum evangelii erat defendenda libertas, manifestior tamen apparuit gratia dei quae praestitit mundo, ut in victoria veritatis auctores tantum violatae fidei deperirent et sua integritas ecclesiae redderetur. Bellum igitur quod pacis nostrae inimicus excitaverat adeo feliciter dextera domini pugnante confractum est, ut triumphante Christo omnium sacerdotum esset una victoria et coruscante lumine veritatis, solae erroris tenebrae cum suis assertoribus pellerentur. Nam sicut in ipsa domini resurrectione credenda ad corroboranda initia fidei multum securitatis accessit, quod quidam apostoli de corporea domini nostri Iesu Christi veritate dubitaverunt et visu atque contactu fixuras clavorum et vulnus lanceae perscrutando ambiguitatem cun-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. Hisp. no.* 54. *p.* 73. [2] *Inscript. sec. cod. Par. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 55. *p.* 74.

ctis dum ambigunt abstulerunt: ita nunc quoque dum aliquorum infidelitas confutatur, omnium haesitantium corda firmata sunt et profecit universis ad illuminationem quod quibusdam intulit caecitatem. In quo opere digne et iuste exultat vestra clementia, quae fideliter proprieque prospexit, ut Orientalibus ecclesiis diabolicae insidiae non nocerent, sed ad propitiandum deum efficaciora ubique offerrentur holocausta, quando per mediatorem dei et hominum hominem Christum Iesum eadem confessio plebium, eadem sacerdotum, eadem esset et regum, gloriosissime fili et clementissime auguste.

His autem propter quae cuncta facta est congregatio sacerdotum, bono et optabili fine compositis miror et doleo, quod pacem universalis ecclesiae divinitus reformatam ambitionis rursus spiritus inquietet. Quamvis enim necessarie sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur ut ordinatorum suorum errorem deserens in assensum catholicae fidei salubri correctione transiret, custodire tamen debuit, ut quod vestro beneficio noscitur consequutus nullius cupiditatis pravitate turbaret. Nos enim vestrae fidei et interventionis habentes intuitum, quum secundum suae consecrationis auctores eius initia titubarent, benigniores circa ipsum quam iustiores esse voluimus, quo perturbationes omnes quae operante diabolo fuerant excitatae, adhibitis remediis leniremus, quae illum modestum magis quam immoderatum facere debuerunt. Qui etiamsi praecipuis meritis optimoque iudicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus, contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra statuta spiritus sancti, contra antiquitatis exempla nullis posset suffragiis adiuvari. Apud christianum et vere religiosum vereque orthodoxum principem loquor: multum Anatolius episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam et protegente dei dextera diuturno clementiae vestrae fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum saecularium, alia divinarum, nec praeter illam petram, quam dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit qui indebita concupiscit. Satis sit praedicto quod vestrae pietatis auxilio et mei favoris assensu episcopatum tantae urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam facere non potest sedem, nec ullo modo speret, quod per aliorum offensiones possit augeri. Privilegia enim ecclesiarum sanctorum patrum canonibus instituta et venerabilis Nicaenae synodi fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum quae in synodo Nicaena ad totius ecclesiae regimen spiritu dei instruente sunt conditae, me, quod absit, connivente violentur et maior sit apud me unius fratris voluntas, quam universae domus domini communis utilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram ecclesiasticae studere concordiae et his quae pacificae congruunt unitati, piissimum praestare consensum, precor et sedula suggestione vos obsecro, ut ausus improbos unitati christianae pacique contrarios ab omni pietatis vestrae abdicetis assensu et fratris mei Anatolii nocituram ipsi, si persistiterit, cupiditatem salubriter comprimatis, ne ea quae vestrae gloriae atque temporibus inimica sunt cupiens, maior suis velit esse prioribus, liberumque illi sit quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi caritate magis voluerit ornari, quam ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderii conceptionem, nunquam quidem debuit intra cordis sui recipere secretum, sed quum illi fratres et coepiscopi mei, qui vice mea aderant, obviarent, ab illicito appetitu ex eorum saltem salubri contradictione cessasset. Nam et vestrae pietatis apices et ipsius scripta declarant, legatos sedis apostolicae, sicut oportuit, contradictione iustissima restitisse, ut inexcusabilior esset praesumptio, quae se nec increpata cohiberet. Unde convenit fidei vestrae vel gloriae, ut sicut haeresis deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur. Agite quod et christianae est probitatis et regiae, ut praedictus episcopus pareat patribus, consulat paci neque sibi aestimet licuisse, quod Antiochenae ecclesiae sine ullo exemplo contra statuta canonum episcopum ordinare praesumpsit, quod nos amore reparandae fidei et pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ergo ab ecclesiasticarum iniuria regularum et illicitos declinet excessus, ne se ab universali ecclesia, dum inimica pace tentat, abscindat. Quem opto magis irreprehensibiliter agentem diligere, quam in hac praesumptione quae illum ab omnibus separare poterit, perdurare. Frater autem et coepiscopus meus Lucianus, qui cum filio meo Basilio diacono clementiae vestrae ad me scripta portavit, omni devotione partes susceptae legationis implevit, qui non est aestimandus negotio defuisse, quem potius causa deseruit. Data XI. Kal. Iul. Herculano v. c. cons. aera CCCCXC.

Eiusdem Leonis ad Anatholium Constantinopolitanum episcopum in qua imprimis eumdem episcopum de fide in Calcidonense concilio laudat, deinde arguit illum quod contra Nicenam synodum Alexandrinam atque Anthiocenam ecclesias sibi subdere voluisset.[1]

Leo episcopus Anatolio episcopo.

Manifestato, sicut optavimus, per gratiam dei lumine evangelicae veritatis et ab uni-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 56. *p.* 76.

versali ecclesia perniciosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudeamus in domino quod creditae nobis dispensationis labor ad desideratum pervenit effectum, sicut etiam epistolae tuae textus eloquitur, ut secundum apostolicam doctrinam idipsum dicamus omnes et non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. In cuius operis devotione gratulamur dilectionem tuam esse consortem, ut et corrigendis tua prodesset industria et ab omni te deviantium participatione purgares. Decessore enim tuo beatae memoriae Flaviano propter defensionem catholicae veritatis eiecto, non immerito credebatur, quod ordinatores tui contra sanctorum canonum constituta viderentur sui similem consecrasse. Sed adfuit misericordia dei in hoc te dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris et non te iudicio hominum, sed dei profectum benignitate monstrares: quod vere ita accipiendum est, si hanc divini muneris gratiam alia offensione non perdas. Virum enim catholicum et praecipue domini sacerdotem sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari. Dicente quippe scriptura sancta: Post concupiscentias tuas ne eas et a voluntate tua avertere, multis mundi huius illecebris, multis vanitatibus resistendum est, ut verae continentiae obtineatur integritas, cuius prima est labes superbia initium transgressionis et origo peccati. Quoniam mens potentiae avida nec abstinere novit vetitis nec gaudere concessis, dum inordinato pravoque processu impunitarum transgressionum augentur excessus et crebrescunt culpae, quae toleratae sunt studio reparandae fidei et amore concordiae. Post illa itaque ordinationis tuae non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni episcopi quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicaenorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit et Antiochena ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit, ut his locis iuri tuo subditis omnes metropolitani episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis et numquam ante tentatis ita praeveniris excessibus, ut sanctam synodum ad extinguendam solam haeresim et ad confirmationem fidei catholicae studio christianissimi principis congregatam in occasionem ambitus trahas et ut conniventiam suam tibi dedat impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, et illa Nicaenorum canonum per sanctum vere spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis.

[1]Quos videt dignitatio tua non posse reprobari, eligere debebis quos clericos facias: si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium praestare velimus, tales invenire possumus de quorum adsumptione nec metuere nec erubescere valeamus.

Item Leonis ad episcopos per Siciliam cum capitulis suis. LXXXVII.[2]

I. Quod in die epiphaniorum prohibeatur baptismum celebrari.

II. Quod cuncta nobis per ordinem rerum per incarnationem domini nostri salutis sacramenta digesta sint.

III. Quod in baptismo mors interveniat interfectione peccati et sepulturam imitetur trina dimersio et ab aquis elevatio sit velut resurrectio de sepulchro.

IV. Quod beatus apostolus Petrus in die pentecostes virorum tria millia baptizarit.

V. Quod haec duo tempora, id est pascha et pentecostes ad baptizandum a Romano pontifice legitime sint praefixa.

VI. Quod omni tempore hi qui necessitate mortis urgentur, id est aegritudinis, obsidionis, persequutionis et naufragii, debeant baptizari.

VII. Ut de Sicilia terni semper annis singulis de episcopis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam sociandi synodo indissimulanter occurrant.

Leo universis episcopis per Siciliam constitutis in domino salutem.

Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, ac si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium celeri sollicitudine aut ab ignorantiae imperitia aut a praesumptionis usurpatione revocemus. Monente enim dominicae vocis imperio, quo beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves qui Christum diligit pascat, ipsius sedis cui per abundantiam divinae gratiae praesumus reverentia cohortamur ut periculum desidiae quantum possumus declinemus, ne professio summi apostoli qua se amatorem domini esse testatus est non inveniatur in nobis, quia negligenter pascens toties commendatum gregem convincitur suum non amare pastorem.

I. Quum ergo mihi de caritatis vestrae actibus fraterna affectione sollicito certis indiciis innotuerit, vos in eo quod inter sacramenta ecclesiae principale est, ab apostolicae institutionis consuetudine discrepare, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die epiphaniae quam paschali tempore celebretur, miror vos vel praecessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio nullam esse differentiam

[1] *Haec verba ex* c. 5 *epist. Innocentii I. ad Felicem Nucerianum desumta in cod. cit. ceterisque vetustioribus classis A*1, *velut Carnot.* 67bis, *Paris.* 3852, *Rotom.* 15/9. *E.*, *Ottobon.* 93, *Vatic.* 3791 *nec non in Montecas.* (*classis A/B*) *pro fine epistolae in coll. Hisp. et in ed. Baller. T. I. p.* 1163 *exhibito ponuntur, qua de re cf. p.* CI. *comm. meae.* [2] *Inscr. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 63. *p.* 97.

crederetis inter diem, quo adoratus est Christus a magis, et diem quo resurrexit Christus a mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere si unde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius observantiae sumeretis et beati Petri apostoli sedes quae vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis. A cuius vos regulis recessisse minore posset aequanimitate tolerari, si aliqua commonitionis nostrae increpatio non praecessisset. Nunc autem quia non desperatur correctio, est servanda mansuetudo, et licet vix ferenda sit in sacerdotibus excusatio quae praetendat inscientiam, malumus tamen et censuram necessariam temperare, et ratione vos apertissimae veritatis instruere.

II. Semper quidem in aeterno consilio dei mansit humani generis incommutabiliter praeordinata reparatio, sed ordo rerum per Iesum Christum dominum nostrum temporaliter gerendarum in incarnatione verbi sumpsit exordium. Unde aliud tempus est quo annuntiante angelo beata virgo Maria foecundam se per spiritum sanctum credidit et concepit, aliud quo salva integritate virginea puer editus exultante gaudio coelestium ministrorum pastoribus indicatur, aliud quo infans circumciditur, aliud quo hostia pro eo legalis offertur, aliud quo tres magi claritate novi sideris incitati in Bethleem ab Oriente perveniunt et adoratum parvulum mystico munerum oblato venerantur. Nec iidem sunt dies quibus impio Herodi ordinata divinitus in Aegyptum translatione subtractus est vel quibus ab Aegypto in Galilaeam mortuo persequutore vocatus est. Inter has autem dispensationum varietates accedunt augmenta corporea, crescit dominus, sicut evangelista testatur, profectibus aetatis et gratiae. Per diem paschae in templum Ierusalem cum parentibus venit et quum abesset a societate redeuntium, sedens cum senioribus et inter admirantes magistros disputans invenitur rationemque mansionis suae reddens: Quid est, inquit, quod me quaerebatis? Nesciebatis quod in patris mei templo oportet me esse? significans eius esse filium cuius esset et templum. Iam vero quum in annis maioribus apertius declarandus baptismum praecursoris sui Ioannis expetiit quid deitatis eius remansit ambiguum, quando baptizato domino Iesu spiritus sanctus in columbae specie super eum descendit et mansit audita de coelis patris voce dicentis: Tu es filius meus dilectus, in te bene complacui? Quae omnia ideo quanta potuimus brevitate perstrinximus, ut notum sit dilectioni vestrae universos dies Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus et in cunctis eius actionibus sacramentorum mysteria coruscasse, sed aliter quoque signis denuntiari, aliter rebus impleri, nec quaecumque numerantur in operibus salvatoris ad tempus pertinere baptismatis. Nam si etiam illa quae post beati Ioannis lavacrum a domino gesta cognovimus, sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis. Verum quia spiritus sapientiae et intellectus ita apostolos et totius ecclesiae erudivit magistros, ut in christiana observantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernendae sunt causae solemnitatum et in omnibus constitutis patrum principumque nostrorum rationabilis servanda discretio, quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi, quemadmodum apostolus dicit, idipsum dicamus omnes: Simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.

III. Quamvis ergo et illa quae ad humilitatem et illa quae ad gloriam pertinent Christi in unam concurrant eamdemque personam, totumque quod in illo et virtutis divinae est et infirmitatis humanae ad nostrae reparationis tendat effectum, proprie tamen in morte crucifixi et in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita, dicente beato apostolo: An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit dominus a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus, et caetera, quae latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit, ut appareret ex huius doctrinae spiritu regenerandis filiis hominum et in dei filiis adoptandis illum diem et illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea quae geruntur in membris, his quae in ipso sunt capite gesta congruerent, dum in baptismatis regula et mors intervenit interfectione peccati et sepulturam triduanam imitatur trina demersio et ab aquis elevatio resurgentis instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandae generaliter gratiae diem legitimum eum esse, in quo ornata est virtus muneris et species actionis. Ad cuius rei confirmationem plurimum valet quod ipse dominus Iesus Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum praesules docebantur et formam et potestatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse. Additur sane huic observantiae etiam pentecostes ex adventu sancti spiritus sacrata solemnitas, quae de paschalis festi pendet articulo, et quum ad alios dies alia festa

pertineant, haec semper ad eumdem diem qui resurrectione domini est insignis, occurrit, porrigens quodammodo auxiliantis gratiae manum, ut ii quos a die paschae aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris aut navigationis difficultas interclusit invitos aut quibuslibet necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono spiritus consequantur. Ipse enim unigenitus dei in fide credentium et in virtute operum nullam inter se et spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura dicens: Rogabo ego patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut vobiscum sit in aeternum spiritum veritatis. Et iterum: Paraclitus autem spiritus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret universa quaecumque dixi vobis. Et iterum: Quum venerit ille spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem. Quum itaque veritas Christus sit et spiritus sanctus veritas nomenque paracliti utrique si t proprium, non dissimile est festum ubi unum est sacramentum.[1]

IV. Hoc autem nos non ex nostra persuasione defendere, sed ex apostolica auctoritate servare, satis idoneo probamus exemplo sequentes beatum apostolum Petrum qui in ipso die quo omnem credentium numerum promissus sancti spiritus replevit adventus, trium millium populum sua praedicatione conversum, lavacro baptismatis consecravit. Quod sancta scriptura quae apostolorum actus continet, fideli historia docet dicens: His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et reliquos apostolos, quid faciemus viri fratres? Petrus vero ait ad illos: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum sancti spiritus. Vobis est enim repromissio et filiis vestris et omnibus qui longe sunt quoscumque advocaverit dominus deus noster. Aliis etiam pluribus verbis testificatus est et exhortabatur eos, dicens: Salvamini a generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt et appositae sunt in illa die animae circiter tria millia.

V. Unde quia manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis haec duo tempora, de quibus loquuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiae misceatis.

VI. Quia etsi sunt alio quoque festa quibus multa in honorem dei reverentia debeatur, principalis tamen et maximi sacramenti custodienda nobis est mysticae rationis exceptio, non interdicta licentia qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Ita enim ad has duas festivitates connexas sibimet atque cognatas incolumium et in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare praesidium cuiquam denegemus. Si quis autem epiphaniae festivitatem quae in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant quod in eadem die dominus ad baptismum sancti Ioannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Dominus enim nullius indigens remissione peccati, nec quaerens remedium renascendi, sic voluit baptizari, quomodo et voluit circumcidi hostiamque pro se emundationis offerri, ut qui factus erat ex muliere, sicut apostolus ait, fieret et sub lege quam non venerat solvere, sed implere et implendo finire, sicut beatus apostolus praedicat dicens: Finis autem legis Christus ad iustitiam omni credenti. Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens se docuit esse principium, et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis. Sicut enim vetus testamentum novi testificatio fuit et lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est, sic diversa sacrificia unam hostiam praeformarunt et multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sic et Ioannes, non Christus, sed Christi praevius, non sponsus, sed sponsi amicus fuit adeo fidelis et non sua quaerens, sed quae Iesu Christi, ut se profiteretur ad solvenda calceamenta pedum eius indignum, quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in poenitentiam, ille autem baptizaturus esset in spiritu sancto et igne, qui duplici potestate et vitam redderet et peccata consumeret. His itaque, fratres carissimi, tot ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota evidenter agnoscitis, qui secundum apostolicam regulam et exorcismis scrutandi, ieiuniis sanctificandi et frequentibus sunt praedicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est pascha et pentecosten esse servanda, hoc vestrae indicimus caritati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu, quia inultum post haec esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

VII. Quare illud primitus pro custodia concordissimae unitatis exigimus, ut quia sa-

1 *De epistola Leonis ad Dorum Beneventanum:* „iudicium" (*c.* 98 *coll. Quesn.; op. Leon. ed. Ball. I.* 732.) *in codd. Paris.* 3852 *et Ottob.* 93 *hic inserta, in codd. Rotom.* 15/9.*E. et Vat.* 3791 *huic epistolae praemissa cf. comm. meae* §. 13.

luberrime a sanctis patribus constitutum est binos in annis singulis debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi indissimulanter occurrant, quoniam adiuvante gratia dei facilius poterit provideri, ut in ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, quum coram beatissimo Petro apostolo id semper in communione tractandum sit, ut omnia ipsius constituta canonumque decreta apud omnes domini sacerdotes inviolata permaneant. Haec autem quae inspirante domino vobis insinuanda credimus, per fratres et coepiscopos nostros Vacillum et Paschasinum ad vestram notitiam volumus pervenire. Quibus referentibus cognoscamus quam reverenter a vobis apostolicae sedis instituta serventur. Datum XII. Kal. Novembr. Calapodio et Ardabure conss.

[Epistola eiusdem Leonis ad universos episcopos.][1] LXXXVIII.[2]

I. Ut nullus episcoporum servum alterius ad clericatus officium promovere praesumat.
II. Ut quicumque ad sacerdotium vel viduarum mariti vel habentes numerosa coniugia promoti fuerint, ab omnibus ecclesiasticis officiis arceantur.
III. Quod usuram non solum clerici exigere non debent sed nec laici christiani.
IV. Ut clericus nec suo nec alieno nomine foenus exerceat.
V. Ut si quis sacerdotum contra haec interdicta fecerit a suo sit officio removendus.

Leo episcopus urbis Romae universis episcopis per Campaniam et Picenum vel Tusciam et per universas provincias constitutis in domino salutem.

Ut nobis gratulationem facit ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non levi nos moerore contristat, quoties aliqua contra constituta canonum et ecclesiasticam disciplinam praesumpta vel commissa cognoscimus: quae si non qua debemus vigilantia recensemus, illi qui nos speculatores esse voluit excusari non possumus permittentes sincerum corpus ecclesiae quod ab omni purum macula custodire debemus ambientium improba contagione foedari, quum ipsa sibi membrorum per dissimulationem compago non congruat.

I. Admittuntur passim ad ordinem sacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt ad fastigium sacerdotii, tamquam servilitas hunc honorem capiat, provehuntur et probari posse deo creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac reatus est, quod et sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur et dominorum quantum ad illicitae usurpationis temeritatem pertinet, iura solvuntur. Ab his itaque, fratres carissimi, omnes vestrae provinciae abstineant sacerdotes, et non tantum ab his, sed ab illis etiam qui originali aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vendicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis qui divinae militiae fuerit aggregandus, ut a castris dominicis quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

II. Qualis vero unicuique natalium honestas et morum esse debeat qui sacri altaris ministerio sociandus, et apostolo nos docente et divina praeceptione didicimus et canonum regulis, a quibus plerosque fratrum declinasse et penitus deviasse reperimus. Nam constat ad sacerdotium pervenisse viduarum maritos, quosdam etiam quibus fuerint numerosa coniugia et ad omnem licentiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos contra illam beati apostoli vocem qua talibus exclamat dicens: Unius uxoris virum, et contra illud antiquae legis praeceptum quo dicitur et cavetur: Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam. Hos ergo quicumque tales admissi sunt ab ecclesiasticis officiis et a sacerdotali nomine apostolicae sedis auctoritate iubemus arceri. Nec hoc enim sibi poterunt vindicare, cuius capaces per hoc quod illis obstiterat, non fuerunt, huius discussionis curam nobis specialiter vindicantes, ut si qua forsitan de his commissa sunt corrigantur, ne liceat ultra committi, et ne qua excusatio de ignoratione nascatur, quamquam ignorare nunquam licuerit sacerdotem quid canonum regulis fuerit definitum. Haec ergo ad provincias vestras per Innocentium, Legitimum et Segetium fratres et coepiscopos nostros scripta direximus, ut quae male pullulasse dignoscuntur, radicitus evellantur et messem dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum uberem quae sunt sincera praestabunt, si ea quae natam segetem enecare consuerunt, diligentius amputentur.

III. Nec hoc quoque praetereundum duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam et foenore velle ditescere. Quod nos non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cadere, qui christianos se dici cupiunt, condolemus, quod vindicari acrius in eos qui fuerunt confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

IV. Illud etiam duximus praemonendum, ut sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercendum foenus attentet. Indecens enim est crimen suum commodis alienis impendere. Foenus autem hoc so-

[1] *Inscriptio quae in cod. Par. cit., Par.* 3852, *Carnot.* 67bis, *Rotomag. deest, et text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 64. *p.*100. [2] *Num. in Par. int. suppl. lat.* 840 *epistolae apponitur.*

lum aspicere et exercere debemus, ut quod hic misericorditer tribuimus, a domino qui multipliciter et in perpetuum mensura retribuet, recipere valeamus.

V. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrum contra haec constituta venire tentaverit et prohibita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio submovendum nec communionis nostrae futurum esse consortem qui socius esse noluit disciplinae. Ne quid vero sit quod praetermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatae memoriae Innocentii quam omnium decessorum nostrorum quae de ecclesiasticis ordinationibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.

Data VI. Id. Octobr. Maximo II. et Paterio viris clarissimis consulibus.

Eiusdem Leonis ad Ianuarium episcopum. Quod omnis cuiuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens eretice se communioni miscuerit, si ad ecclesiam reversus fuerat, in eo gradu quo erat sine promotione permaneat. LXXXIX.[1]

Leo episcopus urbis Romae Ianuario episcopo Aquileiensi.

Lectis fraternitatis tuae litteris vigorem fidei tuae, quem olim noveramus, agnovimus, congratulantes tibi quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequeris, ne lupi qui sub specie ovium subintrarunt, bestiarum saevitia simplices quoque dilacerent et non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea quae sunt sana corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia dilectionem tuam duximus commonendum insinuantes ad animae periculum pertinere, si quisquam de his qui a nobis in haereticorum atque schismaticorum sectam delapsus et se utcumque haereticae communionis contagio macularit, resipiscens in communione catholica sine promotione legitima satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim et spiritualis medicinae utilitate plenissimum est, ut sive presbyteri sive diaconi vel subdiaconi aut cuiuslibet ordinis clerici qui se correctos videri volunt, atque ad catholicam fidem quam iam pridem amiserant, rursum reverti ambiunt, prius errores suos et ipsos auctores erroris damnari a se sine ambiguitate fateantur, ut sensibus pravis etiam peremptis nulla sperandi supersit occasio, nec ullum membrum talium possit societate violari, quum per omnia illis professio propria coeperit obviare. Circa quos etiam illam canonum constitutionem praecipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non levem apud deum noxam incurrit qui de talibus ad sacros promovendos ordines iudicarit. Quod si cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius devotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris et det operam ut circumspecte ac velociter impleantur quae ad totius ecclesiae incolumitatem et laudabiliter suggesta sunt et salubriter ordinata. Non autem dubitet dilectio tua nos, si, quod non arbitramur, neglecta fuerint quae pro custodia canonum et pro fidei integritate decernimus, vehementius commovendos; quia inferiorum ordinum culpae ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam saepius nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Datum III. Kal. Iul. Alipio et Ardabure conss.

Eiusdem Leonis ad Rusticum Narbonensem episcopum.[2]

I. Quod non habeantur episcopi quos nec clerus elegit nec populus exquisivit nec provinciales episcopi consecrarunt. Si qui tamen clerici ab his pseudoepiscopis ordinantur, rata potest ordinatio talis existere.

II. Quod presbyteri aut diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositionem poenitentiae remedium consequi.

III. Quod diaconi, sicut episcopus et presbyter, cessare debent ab opere coniugali, non tamen repudiare coniugia.

IV. Quod aliud sit uxor, aliud concubina, nec erret quisquis filiam suam in matrimonium concubinam habenti tradiderit.

V. Quod non sit coniugii duplicatio quando ancilla reiecta uxor adsumitur.

VI. De communione privatis et vita defunctis.

VII. De his qui poenitentiam agere differunt.

VIII. Quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere.

IX. Quod poenitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat.

X. Quod ad militiam secularem post poenitentiam redire non decet.

XI. Quod adolescens si urgente quocumque periculo poenitentiam gessit et non se continet, uxoris potest remedio sustineri.

XII. Quod si quis propositum monachi deseruerit, publica sit poenitentiae satisfactione purgandus.

XIII. Quod puellae quae non coactae sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, delinquunt quum nupserint, etsi nondum fuerint consecratae.

XIV. De his quae iam consecratae sunt, si postea nupserint.

XV. De his qui dubitant utrum baptizati sint, eos necesse et baptizari.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 65. *p.* 102.

[2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 66. *p.* 103.

XVI. Quod eos qui se baptizatos agnoscunt, sed in qua professione nesciunt, per manus impositionem suscipiantur.

XVII. De baptizatis qui postea conviviis gentilium et escis immolatitiis usi sunt.

Leo Rustico episcopo Narbonensi.

Epistolas fraternitatis tuae quas Hermes archidiaconus tuus detulit libenter accepi, diversarum quidem causarum connexione multiplices, sed non ita patientiae legentis onerosas, ut aliquid earum per intercurrentes undique sollicitudines fuerit praetermissum. Unde totius sermonis tui allegatione concepta et gestis quae in episcoporum honoratorumque examine confecta sunt recensitis, Sabiniano et Leoni presbyteris actionis tuae intelleximus fiduciam defuisse, nec eisdem iustam superesse querimoniam qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint. Circa quos quam formam quamve mensuram debeas tenere iustitiae tuo relinquo moderamini, suadens tamen caritatis hortatu ut sanandis aegris spiritualem debeas adhibere medicinam et dicente scriptura: Noli esse nimium iustus, mitius agas cum eis qui zelo pudicitiae videntur modum excessisse vindictae, ne diabolus qui decepit adulteros de adulterii exultet ultoribus. Miror autem dilectionem tuam in tantum scandalorum quacumque occasione nascentium adversitate turbari, ut vacationem ab episcopatus laboribus praeoptare te dicas et malle in silentio atque otio vitam degere, quam in his quae tibi commissa sunt permanere. Dicente vero domino: Beatus qui perseveraverit usque in finem, unde enim erit beata perseverantia, nisi de virtute patientiae? Nam secundum apostolicam praedicationem, omnes qui volunt in Christo pie vivere persequutionem patiuntur, quae non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur aut quibuscumque suppliciis, quum persequutionum saevitiam suppleant et dissimilitudines morum et contumaciae inobedientium et malignarum tela linguarum, quibus conflictationibus quum omnia semper membra pulsentur et nulla piorum portio a conflictatione sit libera, ita ut periculis nec otia careant, nec labores. Quis inter fluctus maris navem diriget, si gubernator abscedat? Quis ab insidiis luporum custodiet oves, si pastoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obsistet et furibus, si speculatorem in prospectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo est in opere credito et in labore suscepto constanter tenenda est iustitia et benigne praestanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi et quod in peccatis severius castigare necesse est, non saevientis plectatur animo sed medentis. Ac si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus quasi illi adversitati propriis sit viribus resistendum, quum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ut, sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus, qui confirmans praedicatores evangelii et sacramentorum ministros: Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi; et iterum: Haec, inquit, loquutus sum vobis ut in me pacem habeatis: in hoc autem mundo tribulationem habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Quas pollicitationes quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmare, ne electioni dei videamur ingrati, cuius tam potentia sunt adiutoria, quam vera promissa. De consultationibus autem dilectionis tuae quas separatim conscriptas archidiaconus tuus detulit, quid sentiendum sit inter praesentes opportunius quaereretur, si nobis conspectus tui copiam praebuisses. Nam quum quaedam interrogationis modum videantur excedere, intelligo eas altiores esse colloquiis quam scriptis: quia sicut quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his quae vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum.

I. Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati. Unde quum saepe quaestio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non doceatur fuisse collatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quae ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu et iudicio praesidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est consecratio, quae nec loco fundata est nec auctore munita.

II. Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui presbyterali honore aut diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

III. Lex continentiae eadem est altaris ministris quae episcopis atque presbyteris: qui quum essent laici sive lectores, licite et uxores ducere et filios procreare potuerunt. Sed quum ad praedictos pervenerint gradus, coepit eis non licere quod licuit. Unde ut id de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere uxores et quasi non habeant sic habere, quo et salva sit caritas connubiorum et cessent opera nuptiarum.

IV. Non omnis mulier viro iuncta uxor est

viri, quia nec omnis filius haeres est patris. Nuptiarum autem foedera inter ingenuos sunt legitima et inter aequales, et multo prius hoc ipsum domino constituente quam initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est uxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam apostolus ad manifestandarum harum personarum discretionem testimonium ponit ex Genesi ubi dicitur Abrahae: Eiice ancillam et filium eius; non enim haeres erit filius ancillae cum filio liberae. Unde quum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et ecclesiae sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Igitur cuiuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam coniugato dederit, nisi forte illa mulier et ingenua facta et dotata legitime et publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iniunctae carent culpa si mulieres quae a viris habebantur in matrimonio non fuerunt, quia aliud est nupta, aliud concubina.

V. Ancillam a toro abiicere et uxorem certae ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugii, sed profectus est honestatis. Culpanda est sane talium negligentia, sed non penitus desperanda, ut crebris cohortationibus incitati, quod necessarie expetierunt fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum in hoc corpore constitutus est: quia nonnumquam quod diffidentia aetatis differtur, consilio maturiore perficitur.

VI. Horum causa dei iudicio reservanda est, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

VII. Dissimulatio haec potest non de contemptu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi, unde poenitentia quae dilata est, quum studiosius petita fuerit non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiae medicinam anima vulnerata perveniat.

VIII. Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam a multis licitis abstinere, dicente apostolo: Omnia licent, sed non omnia expediunt. Unde si poenitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius exigit ecclesiasticum quam forense iudicium.

IX. Qualitas lucri negotiantem aut excusat aut arguit, quia est et honestus quaestus et turpis. Verumtamen poenitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter vendentis ementisque commercium non intervenire peccatum.

X. Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post poenitentiae actionem redire ad militiam secularem, quum apostolus dicat: Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus. Unde non est liber a laqueis diaboli qui se militia mundana voluerit implicare.

XI. In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis aut captivitatis periculo poenitentiam gessit et postea timens lapsum incontinentiae iuvenilis copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fecisse venialem, si praeter coniugem nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius, aestimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis congruit ei qui poenitentiam gessit, quam castitas perseverans et mentis et corporis.

XII. Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit deo, debet et reddere. Unde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicae paenitentiae satisfactione purgandus est, quia etsi innocens militia et honestum potest esse coniugium, electionem meliorem deseruisse, transgressio est.

XIII. Puellae quae non parentum coactae imperio, sed ex spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, praevaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit, cuius utique non fraudarentur munere, si in proposito permanerent.

XIV. Ambigi non potest, magnum crimen admitti, ubi et propositum deseritur et consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eas manebit, quae corruperint divini foedera sacramenti?

XV. Si nulla extant iudicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quaeritur baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne manifeste pereant. In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse, quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab ipsa memoria alienum est, conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.

XVI. Hi autem de quibus scripsisti qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint qui eos baptizaverant se nescire profitentur, quoniam quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtute spiritus sancti quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

XVII. Si convivio solo gentilium et escis

immolatitiis usi sunt, possunt ieiuniis et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per poenitentiam publicam non oportet admitti.

Eiusdem Leonis ad Anastasium Thessalonicensem episcopum.[1]

I. Ut metropolitanis iura sua serventur.

II. Quod a metropolitanis non laici, non digami, non viduarum mariti, sed irreprehensibiles ordinentur episcopi.

III. Quod subdiaconis carnale coniugium denegetur.

IV. Ut nullus invitis ordinetur episcopus.

V. Ut metropolitanus Epiri de electo quem est ordinaturus episcopum, ad Thessalonicensem pontificem referat, et de metropolitano electo similiter provinciales episcopi.

VI. Ut bina per annos singulos provincialia episcoporum concilia celebrentur et si res difficilis emerserit nec fuerit Thessalonicensis episcopi iudicio terminata, ad Romanum referatur antistitem.

VII. Ut si quis episcopus suam deserens civitatem maiorem sedem ambitus causa petierit, nec illam obtinere poterit et sua carebit.

VIII. Ut nullus alienum clericum sollicitare vel tenere praesumat, suo episcopo non praebente consensum.

IX. Ut in evocandis provincialibus episcopis a Thessalonicensi pontifice moderatio conservetur, ne sub hoc colore sacerdotalis honor contumeliis addicatur: nec amplius quam bini de provinciis episcopi quos metropolitani probaverint, dirigantur.

X. Ut non amplius ab statuto concilii tempore quam dies XV remorentur episcopi et si inter eos de negotio fuerit oborta contentio, cuncta Romano pontifici sub gestorum insinuatione pandantur, ut ab eo quod deo placuerit, ordinetur.

Quanta fraternitati tuae a beatissimi Petri apostoli auctoritate commissa sint et quali etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres et iusto examine ponderares, multum possemus de iniunctae tibi sollicitudinis devotione gaudere. Quoniam sicut praecessores mei praecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuae priorum sequutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam universis ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostrae mansuetudinis effectus adiuvares et longinquis a nobis provinciis praesentiam quodammodo nostrae visitationis impenderes, si quidem a continenti opportunoque prospectu promptum tibi esset agnoscere, quid in quibusque rebus vel tuo studio componeres vel nostro iudicio reservares. Nam quum maiora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostrae sententiae expectatione suspendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit in id quod mensuram tuam excederet deviandi. Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, ut commendatas tibi Christi ecclesias per exhortationem caritatis ad salubritatem obedientiae provocares. Quia etsi plerumque existit inter negligentes vel desides fratres, quae oporteat maiori auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correptio, ut semper sit salva dilectio. Unde et beatus apostolus Paulus ad ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens dicit: Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iuvenes ut fratres, anus ut matres, iuvenculas ut sorores in omni castitate. Quae moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus et coepiscopis nostris sine offensione reddenda est? Et licet nonnumquam accedant, quae in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas. Sed ab his qui quae sua sunt quaerunt, non quae Christi Iesu, facile ab hac lege disceditur, et dum dominari magis quam consulere subditis quaeritur, placet honor, inflat superbia, et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Quod ut necesse habeamus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit. Meipsum enim quodammodo trahi in culpam sentio, quum te a traditis tibi regulis immodice deviasse cognosco, qui si tuae existimationis parum diligens eras, meae saltim famae parcere debuisti: ne quae tuo tantum facta sunt animo, nostro viderentur gesta iudicio. Relegat fraternitas tua paginas nostras, omniaque ad tuos emissa maiores apostolicae sedis praesules scripta decurrat, et vel a me vel a praecessoribus meis inveniet ordinatum quod a te cognovimus esse praesumptum. Venit namque ad nos cum episcopis provinciae suae frater noster Atticus veteris Epiri metropolitanus antistes, et de indignissima afflictione quam pertulit lacrymabili actione conquestus est coram adstantibus diaconis tuis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo ea quae nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem diaconi detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturae professione signasset, ut de illo non aliud a nobis posset intelligi quam proprii arbitrii et spontaneae devotionis fuisse quod venerat, quoque chartulam de obedientiae sponsione conscripserat, in cuius tamen chartulae mentione signum prodebatur iniuriae. Non enim necessarium fuerat, ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarii adventus probabat officio. Unde deplorationibus supradictis haec verba

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 67. *p.* 107.

epistolae tuae testimonium praebuerunt, et per hoc quod non est tacitum, nudatum est illud quod silentio fuerat adopertum, additam scilicet Illyrici praefecturam et sublimissimam inter mundanos apices potestatem inhibitione insontis antistitis incitatam, ut missa exequutione terribili quae omnia sibi officia publica ad effectum praeceptionis adiungeret, a sacris ecclesiae adytis nullo vel falso insimulatus crimine extraheretur sacerdos, cui non ob molestiam aegritudinis, non ob saevitiam hyemis darentur induciae, sed iter aspidum et periculis plenum per invias nives agere cogeretur. Quod tanti laboris tantique discriminis fuit, ut ex his qui episcopum comitati sunt, quidam defecisse dicantur. Multum stupeo, frater carissime, sed et plurimum doleo, quod in eum de quo nihil amplius indicaveras quam quod evocatus adesse differret et excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter et tam vehementer potueris commoveri, praesertim quum etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberem. Sed, ut video, bene de meis moribus aestimasti et quam civilia pro conservanda sacerdotali concordia responsurus essem verissime praevidisti, et ideo motus tuos exequi sine dilatione properasti, ne quum moderationis nostrae aliud disponentia scripta sumpsisses, faciendi id quod factum est licentiam non haberes. An forte aliquod tibi facinus fratris innotuerat et metropolitanum episcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse etiam tu nihil ei obiiciendo confirmas, sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres quam quid nobis placeret cognosceres. Vices enim nostras ita tuae credimus caritati ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde sicut multum nos ea quae a te pie sunt curata laetificant, ita nimium ea quae perperam sunt gesta contristant, et necesse est post multarum experimenta causarum sollicitius prospici et diligentius praecaveri, quatenus per spiritum caritatis et pacis omnis materia scandalorum de ecclesiis domini, quas tibi commendavimus, auferatur, praeeminente quidem in illis provinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.

I. Igitur secundum sanctorum patrum canones spritu dei conditos et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuae cura praetenditur, ius traditae sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut a regulis praestitutis nulla aut negligentia aut praesumptione discedant.

II. In civitatibus, quarum rectores obierint, de substituendis episcopis haec forma servetur, ut is qui ordinandus est, etiamsi bonae vitae testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus, nec secundae coniugis sit maritus aut qui unam quidem habeat vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio ut haec quae in aliis membris ecclesiae non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

III. Nam quum extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum arbitrium, ad exhibendam tamen perfectam continentiae puritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur, ut et qui habent sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo tertiove servandum est, ne aut levitico ministerio aut presbyterali honore aut episcopali excellentia quisquam idoneus aestimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frenasse detegitur.

IV. Quum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, metropolitani iudicio is alteri praeferatur, qui maioribus et studiis iuvatur et meritis: tantum ut nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne plebs invita episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

V. De persona autem consecrandi episcopi et de cleri plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam perferat, quodque in provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas, quae rectis dispositionibus nihil morae aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus domini diu desit cura pastorum. Metropolitano vero defuncto, quum in locum eius alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa ex presbyteris eiusdem ecclesiae vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes impleturi vota poscentium, quum quod ipsis placuit tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante praesumi.

VI. De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus quam sancti patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis quae inter diversos ecclesiae ordines nasci adsolent, iudicetur: ac si forte inter ipsos qui praesunt de maioribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quae provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis partibus nec tuo fuerit res

sopita iudicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est, transferatur.

VII. Si quis autem episcopus civitatis suae mediocritate despecta administrationem loci celebrioris ambierit et ad maiorem se plebem quacumque occasione transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit et propria, ut nec illis praesideat quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit; suis igitur terminis quisque contentus sit nec supra mensuram iuris sui affectet augeri.

VIII. Alienum clericum invito episcopo ipsius nemo suspiciat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis iniuriae reus est qui de fratris ecclesia id quod est utilius aut pretiosius audeat vel allicere vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad ecclesiam suam metropolitanus redire compellat. Si autem longius recessit, tui praecepti auctoritate revocabitur, ut nec cupiditati nec ambitioni occasio relinquatur.

IX. In vocandis autem ad te episcopis moderatissimum te esse volumus, ne per maioris diligentiae speciem fraternis gloriari videaris iniuriis. Unde si causa aliqua maior exstiterit, ob quam rationabile ac necessarium sit fraternum advocare conventum, binos de singulis provinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos ad fraternitatem tuam venire sufficiat.

X. Ifa ut in praestituto tempore non ultra quindecim dies qui convenerint, retardentur. Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversae horum fuerint a tua voluntate sententiae, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus quod deo placeat decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiae et quod ad custodiam pertinet disciplinae, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur. Et te igitur, frater dilectissime, et eos fratres nostros qui de tuis offenduntur excessibus, quum tamen non sit omnibus similis materia querelarum, hortor et moneo, ut quae pie sunt ordinata salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur. Nemo quod suum est quaerat, sed quod alterius, sicut ait apostolus: Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. Non enim poterit unitatis nostrae firma esse compago, nisi nos ad inseparabilem soliditatem vinculum caritatis adstrinxerit: quia sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit et haec quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: et rursum quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam patris sedem universalis ecclesiae cura conflueret et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo se scit quibusdam esse praepositum, non moleste ferat aliquem sibi esse praelatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat, et sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii importabile pondus imponere. Disciputi enim sumus humilis et mitis magistri dicentis: Discite a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suave est et onus meum leve est. Quod quomodo experiemur, nisi et illud in observantiam veniat, quod idem dominus ait: Qui maior est vestrum, erit minister vester, qui autem se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.

Eiusdem Leonis ad Nicetam Aquiligensem episcopum. XCII.[1]

I. Quod debeant foeminae, quae captis viris nupserant aliis, regressis de captivitate viris prioribus copulari, ut quod suum est unusquisque recipiat.

II. Quod non probetur esse culpabilis qui uxorem capti in matrimonio videtur esse sortitus.

III. Ut si viri de captivitate regressi intemperantia uxorum offensi non fuerint et voluerint eas in coniugium recipere, liberam habeant facultatem.

IV. Ut si mulieres ad priores maritos redire noluerint, velut impiae ecclesiastica communione privandae sunt.

V. Captivis aut terrore aut fame, non veneratione cibos immolatitios edere compulsis poenitentia concedenda.

VI. Quod hi qui ad iterationem baptismi vel vi vel timore coacti animos inclinarunt, poenitentiae sint sublevandi remedio, et ut senilis aetatis periculorum quoque et aegritudinum ceterarumque necessitatum habeatur sollicita consideratione respectus.

VII. Ut hi qui ab haereticis baptizati sunt, sola sancti spiritus invocatione firmentur.

Leo episcopus Nicetae episcopo Aquileiensi.

Regressus ad nos filius meus Adeodatus sedis nostrae diaconus dilectionem tuam po-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 68. *p.* 111.

poscisse memoravit, ut de his a nobis auctoritatem sedis apostolicae acciperes, quae quidem magnam difficultatem diiudicationis videntur afferre, sed pro inspectione temporalium necessitatum adhibenda curatio est, ut vulnera quae adversione hostilitatis illata sunt, religionis maxime ratione sanentur.

I. Cum ergo per bellicam cladem et per gravissimos hostilitatis incursus ita quaedam dicatis divisa esse coniugia ut abductis in captivitatem viris foeminae eorum remanserint destitutae, quae viros proprios aut interemptos putarent aut nunquam a dominatione crederent liberandos et in aliorum contagium solitudine cogente transierint, quumque nunc statu rerum auxiliante domino in meliora converso nonnulli eorum qui putabantur periisse remearint, merito caritas tua videtur ambigere quid de mulieribus quae aliis iunctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia novimus scriptum, quod a deo iungitur mulier viro et iterum praeceptum agnovimus, ut quod deus iunxit homo non separet, necesse est ut legitimarum foedera nuptiarum redintegranda credamus et remotis malis quae hostilitas intulit, unicuique hoc quod legitime habuit, reformetur: omnique studio procurandum est ut recipiat unusquisque quod proprium est.

II. Nec tamen culpabilis iudicetur et tanquam alieni iuris pervasor, qui personam eius mariti qui iam non esse aestimabatur, assumpsit. Sic enim multa quae ad eos qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potuerunt et tamen plenum iustitiae est, ut iisdem reversis propria reformentur. Quod si in mancipiis vel in agris aut etiam in domibus ac possessionibus rite servatur, quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum est, ut quod bellica necessitate turbatum est pacis remedio reformetur?

III. Et ideo si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum coniugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, omittendum est et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit.

IV. Si autem aliquae mulieres ita posteriorum virorum amore sunt captae ut malint his cohaerere, quam ad legitimum redire consortium, merito sunt notandae, ita ut etiam ecclesiastica communione priventur, quia inexcusabiliter contaminationem criminis elegerunt, ostendentes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod iusta remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum statum voluntaria redintegratione coniugia, neque ullo modo ad opprobrium malae voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit. Quia sicut hae mulieres quae reverti ad viros suos nolunt impiae sunt habendae, ita illae quae in affectum ex deo initum redeunt, merito sunt laudandae.

V. De his autem christianis qui inter eos a quibus fuerant captivati immolatitiis cibis asseruntur esse polluti, consultationi caritatis tuae hoc etiam respondendum esse credimus, ut poenitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda est, et sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit, non dubitetur abolendum, cum huiusmodi cibus pro metu aut indigentia non pro religionis veneratione sit sumptus.

VI. His vero de quibus similiter dilectio tua nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti vel errore traducti sunt et nunc se contra catholicae fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea est custodienda moderatio, qua in societatem nostram non nisi per poenitentiae remedium et per impositionem manus episcopalis, communionis recipiant unitatem, temporis poenitudinis habita moderatione tuo constituenda iudicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos, pariter etiam habens aetatis senilis intuitum et periculorum quorumque aut aegritudinum respiciens necessitates, in quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc poenitet de salute ipsius desperatur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri.

VII. Nam hi qui baptismum ab haereticis acceperunt, quum baptizati antea non fuissent, sola sancti spiritus invocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam ut scitis servandam in omnibus ecclesiis praedicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur dicente apostolo: Unus deus, una fides, unum baptisma, cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed, ut diximus, sola sanctificatio sancti spiritus invocanda, ut quod ab haereticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur. Hanc autem epistolam nostram quam ad consultationem tuae fraternitatis emisimus, ad omnes fratres et comprovinciales tuos episcopos facies pervenire, ut ad omnium observantiam data prosit auctoritas.

EIUSDEM LEONIS AD AFFRICANOS EPISCOPOS.[1]

I. Ne inlicitate persone ad episcopatum proveniantur.

II. De Donato Novatianorum episcopo et de Maximo ex Donatistis.

III. De Aggaro et Tiberiano qui ex laicis fuerant ordinati.

[1] *Inscript. et text. epistolae sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Paris.* 3852.

IV. De virginibus sacris qui vim barbaricam pertulerunt.
V. De statutis canonum conservandis.

Leo universis episcopis per Africam constitutis in domino salutem.

Cum de ordinationibus sacerdotum quedam apud vos inlicitate usurpata crebrior ad nos fama narraret, ratio et pietas exegit, ut pro sollicitudine quam universe aecclesiae ex divina institutione dependimus, rerum fidem studeremus agnoscere, vicem cure nostrae proficiscenti a nobis fratri et consacerdoti nostro Potentio iniungentes, qui secundum scripta que per ipsum ad vos dereximus[1] de episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, quid veritas haberet inquireret nobisque omnia fideliter indicaret. Unde quia idem plenissime notitiae nostrae cuncta reseravit et sub quibus qualibusque rectoribus quedam Christi plebes[2] in partibus provintiae Cesariensis habeantur, sincera nobis relatione patefecit, necessarium fuit ut dolorem cordis nostri quo pro dominicorum gregum periculis aestuamus, datis ad vos litteris promeremus: mirantes tantum apud vos per occasionem temporis inpacati aut ambientium praesumptionem aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio ecclesiae crederetur, non post hoc consulere populum, sed nocere, nec prestare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim presidentium salus est subditorum et ubi est incolumitas oboedientiae, ibi sana est forma doctrinae. Principatus autem quem aut seditio extorsit aut ambitus occupavit, etiamsi moribus[3] atque actibus non offendit, ipso tamen initus vie est pernitiosus exemplo et difficile est, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt incohata principio. Quod si in quibuslibet ecclesiae gradibus providenter scienterque curandum est, ut in domini domo nihil sit inordinatum nihilque praeposterum, quanto magis elaborandum est, ut in electione eius qui super omnes gradus constituitur, non erretur! Nam totius familiae domini status et ordo notabitur[4], si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. Ubi est beati Pauli apostoli per spiritum dei emissa praeceptio, qua in persona Thimothei omnium sacerdotum Christi numerus eruditur, et inde unicuique nostrum dicitur: Manus cito nemini inposueris neque communices peccatis alienis? Quid est cito manus inponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam discipline, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem qualis ille est qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium, ita gravi semetipsum afficit dampno, qui ad sue dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cuiusquam persona praetermittendum est quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus qui fuerit contra divine legis praecepta conlatus; dicente enim apostolo, quod inter alias electionis regulas, is episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse aut esse constiterit. Tam sacra semper habita est ista praeceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intellegetur servanda conditio, ne forte illa[5] priusquam in matrimonium eius veniret qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta coniugium. Quis igitur dissimulare audeat quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam? Cum huic magno venerandoque mysterio ne divine legis quidem statuta defuerint, quibus evidenter est definitum, ut virginem sacerdos accipiat et alterius thorum nesciat coniugis que uxor futura est sacerdotis? Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi et ecclesiae spiritale coniugium, et quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa verbi non alium virum nosse quam Christum, qui eam unam elegit, unam diligit et aliam preter ipsam suo consortio non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento et sacerdotalium coniugiorum forma servata est, quanto magis sub evangelii iam gratia constituti apostolicis debemus obedire pre-

[1] *Sic sec. Par.* 3852; *cod.* 840: proficiscenti a nobis qui secundum scripta quo per ipsum ad vos direximus, fratri et consacerdoti nostro Potentio iniungentes de episcopis etc. [2] *Sic* ples *corr. sec. Par.* 3852. [3] *Sic* morbis *corr. sec. cod. cit.* [4] *Par.* 3852: nutabit. [5] *Sic* illi *correxi.*

ceptis, ut quamlibet[1] quis bonis moribus praeditus et sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad diaconi gradum vel ad presbiterii honorem vel ad episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum aut uxorem eius non unius viri fuisse constiterit, monente vero apostolo atque docente: Et hi autem probentur primum et sic ministrent. Quid aliud intelligendum putemus, nisi ut in his provectionibus non solum matrimoniorum castimoniam, sed etiam laborum merita cogitemus, ne aut a baptismo rudibus aut seculari actu repente conversis officium pastorale credatur, cum omnis gradus militiae christianae de incrementis provectuum[2] debent[3] existimari, an possint cuiquam maiora committi? Merito sanctorum patrum venerabiles sanctiones cum de sacerdotum electione loquerentur eos demum idoneos sacris administrationibus censuere, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per[4] disciplinae ecclesiasticae stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior vita preberet, nec posset de eius provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis celsioris loci praemium deberetur. Si enim ad honorem mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est perveniri et notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adiuvant, quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum et coelestium dignitatum, ne in aliquo apostolica et canonica decreta violentur et his ecclesia domini regenda credatur qui legitimarum institutionum nescii et totius humilitatis ignari non ab infimis sumere incrementum, sed a summis volunt habere principium? Cum valde iniquum sit et absurdum ut imperiti magistris, novi antiquis et rudes praeferantur emeritis. In domo quidem magna, sicut apostolus disserit, necesse est, ut vasa diversa sint, quaedam aurea et argentea, quaedam vero lignea et fictilia, sed horum ministerium pro materiae qualitate dividitur, nec idem est pretiosorum usus et vilium. Nam inordinata erunt omnia si fictilia aureis et lignea praeferantur argenteis. Sicut autem in ligneis et fictilibus eorum omnium speties figuratur, qui nullis adhuc virtutibus nitent, ita in aureis et argenteis, hi sine dubio declarantur, qui per longum eruditionis ignem et fornacem diuturni laboris excocti aurum probatum et argentum purum esse meruerunt[5]. Quibus si merces pro devotione non redditur, omnis ecclesiastica disciplina resolvitur, omnis ordo turbatur, dum in ecclesia, qui nullum subiere ministerium, perverso eligentium iuditio indebitum obtinent principatum. Cum ergo inter vos tantum valuerint aut studia[6] populorum aut ambitus superborum, ut non solum laicos, sed etiam secundarum uxorum viros aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos, nonne aptissime exigunt causae, ut ecclesiae in quibus ista commissa sunt, iuditio severiore purgentur, et non solum in tales praesules, sed etiam in ordinatores eorum digna districtione movemur? Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiae, hinc censura iustitiae: et quia universae viae domini misericordia et veritas, cogimur secundum sedis apostolicae pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato[7] pondere delictorum, que constat non unius esse mensure, quaedam definiamus utcumque toleranda, quaedam vero penitus amputanda. Eos enim qui vel secundas nuptias inierunt vel viduarum se coniugio sociarunt, in sacerdotio manere non patimur, et multo magis illum, si fuerit vestro iudicio confutatus, qui, sicut ad nos relatum est, duarum simul est maritus uxorum, vel illum qui prima uxore dimissa alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus, ceteros vero quorum provectio hoc tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium episcopale delecti sunt, neque ex hoc quod uxores habeant, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus, non preiudicantes apostolicae sedis statutis nec praedecessorum nostrorum nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est, ne

[1] *Sic* quemlibet *correxi.* [2] *Par.* 3852: profectuum. [3] *Cod. cit.* debeat. [4] *Sic cod. cit.*; *Par.* 840: quod. [5] *Post quae verba in cod. Par.* 840 *inseruntur* c. 1. 2. *epistolae Leon. ad Dioscorum Alexandr.*, *qua de re cf.* §. 13 *comment. meae.* [6] *Sic* stadia *sec. Par.* 3852 *correxi.* [7] *Sic* trutinate *correxi.*

primum vel secundum aut tertium in ecclesia gradum quisquam laicorum quibuslibet suffragiis fultus ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima aucmenta perveniat; quod enim nunc utcumque veniale est, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id quod omnino interdicimus usurpare praesumpserit, quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, paciemur amplius impune committi. Cum itaque de omnibus fere quae fratris nostri Potentii relatio continebat plenissime dilectionem vestram per David fratrem et coepiscopum nostrum, qui et sacerdotii merito nobis est probatus, et moribus videatis instructam. Superest, fratres, ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus serviatis et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari. Quae enim certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iuxta postulationem[1] plectamus in eos spetialius et propensius commovendi qui in episcopis ordinandis sanctorum patrum statuta neglexerint et quos refutare debuerant consecrarint. Unde qui episcopi talem consecraverint sacerdotem, qualem non liceat, etiamsi aliquo modo dampnum proprii honoris evaserint, ordinationum[2] tamen ius ulterius non habebunt, nec umquam ei sacramento interesse, quod neglecto divino iuditio inmerito prestiterunt. Illud sane quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis neque quibuscumque castellis et ubi ante non fuerint, episcopi consecrentur. Cum ubi[3] minores sunt plebes minoresque conventus, presbiterorum cura sufficiat. Episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis et frequentioribus civitatibus oporteat praesidere, ne quod sanctorum patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt vinculis et possessionibus vel obscuris et solitariis municipiis[4] tribuatur sacerdotale fastigium et honor cui debent excellentiora committi, ipsa sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua dioecesi Restitutus episcopus factus esse causatus est, et rationabiliter postulavit, ut si episcopi locorum, in quibus non debuerant ordinari humana conditione decesserint, loca ipsa ad ius eius antistitis redigantur, cuius ante fuerant ante priora. Et inutile est ut sacerdotalis dignitas inconsideratione[5] ordinantis, facilitate, superflua multiplicatione minuatur.

De his autem quae in sacro virginitatis proposito constitutae barbaricam pertulere violentiam et integritatem pudoris, non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis videtur servanda moderatio, ut neque in viduarum deiciantur gradum, neque in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur. Quibus si in omnibus virginalibus perseverant et castimoniae soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio, quia iniustum est illas in eo argui vel notari, quod non voluntas amittit[6], sed vis hostilis eripuit.

Causam quoque Lupicini episcopi illic iubemus audiri, cui multum et sepius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum iudicium provocasset, inmerito eum pendente negotio a communione videbamus fuisse suspensum. Adiectum etiam illud est quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in praesenti positus aut confutatus aut certe confessus iuste possit subiacare sententiae, ut vacantem locum quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur, exciperet. Si quae vero aliae emerserint causae quae ad statum ecclesiarum et ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore domini volumus ventilentur et de conponendis atque conpositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quae iuxta ecclesiasticum morem iuste et rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. Data IV. Id. Augusti.

[1] *In Par.* 3852 *corriguntur* iuxta postulationem *in:* iusta haec ultione. [2] *Sic* ordinationem *correxi.* [3] *Sic* ibi *corr. sec. Par.* 3852. [4] *Sic* mancipiis *sec. cod. cit. corr.* [5] *Cod. cit.* inconsiderata. [6] *Cod. cit.* admisit.

II. Donatum autem Salinicensem[1] ex Novatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita dominico volumus gregi praesidere, ut libellum fidei suae ad nos meminerit dirigendum quo et Novatiani dogmatis damnet errorem et plenissime confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex[2] laico licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est et ab spiritu schismatice pravitatis alienus est, ab episcopali quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut et ipse libello ad nos edito chatholicum se esse manifestet.

III. De Aggaro et Tiberiano quorum ceteris qui ex laicis ordinati sunt, in hoc[3] causa diversa est, quod eorum ordinationi tumultus et sevae seditiones memorantur esse famulatae, vestro iuditio cuncta commisimus, ut relata habito apud vos examine fide quid de supradictis statuendum sit scire possimus.

IV. Ille autem famulae dei que integritatem pudoris oppressione barbarica perdidere, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Quamvis enim omne peccatum ex voluntate nascatur et potuerit corruptione carnis mens invita non pollui, minus tamen illis oberit[4], si quod potuerint animo non amittere[5], doleant se vel corpore[6] perdidisse.

V. Cum itaque de omnibus quae[7] confratris nostri Potenti relatio continebat plenissime dilectionem videatis instructam, superest, fratres, ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unamines divinis et apostolicis constitutionibus pareatis et in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Quae enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, posthac ultione plectamus.

EIUSDEM LEONIS AD TEODORUM FOROIULIENSEM EPISCOPUM UT HIS QUI IN EXITU SUNT POENITENTIA ET COMMUNIO NON NEGETUR.[8]

Leo Theodoro episcopo Foroiuliensi salutem.

Sollicitudinis quidem tuae iste ordo esse debuerat, ut cum metropolitano tuo primitus de eo quod quaerendum esse videbatur, conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis quae ad generalem observantiam pertinent nihil sine primatibus oportet inquiri. Sed quomodo instruatur ambiguitas consulentis quid de poenitentium statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia dei ita lapsibus humanis subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim dei et hominum homo dominus Iesus Christus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus poenitentiae sanctionem darent et eadem salubri satisfactione purgatos communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse salvator intervenit, nec unquam ab his abest: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, ut si quid per servitutem nostram bono ordine et grato impletur effectu, non ambigamus per sanctum spiritum fuisse donatum. Si autem aliquis eorum pro quibus domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiae praesentis exciderit et priusquam ad constituta remedia perveniret, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint meritum actusque discutere, cum dominus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotem implere ministerium non sinivit, suae iustitiae reservaret: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio intercidenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera

[1] *Sic* Novatinensem *corr.* (*cf. op. Leon. ed. Ball.* 1, 665). [2] *Sic* et *correxi.* [3] *Sic* ac *correxi.* [4] *Sic* opera *correxi sec. Par.* 3852. [5] *Sic* admittere *sec. cod. cit. corr.*. [6] *Sic* corripere *sec. cod. cit. correxi.* [7] *Verba* omnibus quae *omissa in cod. sec. text. eiusdem cap. antea prolati restitui.* [8] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 70. *p.* 115.

conversio dicente spiritu dei per prophetam: Quum conversus ingemueris, tunc salvus eris; et alibi: Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris; item: Quia apud dominum misericordia est et copiosa apud eum redemptio. In dispensandis itaque dei donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque negligere, quum ipsam poenitendi affectionem ex dei credamus inspiratione conceptam, dicente apostolo: Ne forte det illis deus poenitentiam ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur in ipsius voluntate. Unde oportet unumquemque christianum conscientiae suae habere iudicium, ne de die in diem differat ad dominum converti, nec satisfactionis sibi tempus in vitae suae finem constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum spatium se reservet incertum, et quum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio poenitentis vel reconciliatio sacerdotis. Ita ergo etiam talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis poenitentiae nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus quaerere comprobentur. Quod si ita aliqua in aegritudine fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul tamen et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula canonum circa eorum personas qui in dominum a fide discedendo peccarunt. Haec autem, frater, quae ad interrogationem dilectionis tuae ideo respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiae excusatione gereretur, in metropolitani tui notitiam facies pervenire, ut si qui forte sunt fratrum qui de his antea putaverunt ambigendum, per ipsum de omnibus quae ad te scripta sunt, innotescat. Datum III. Kal. Iun. Herculano v. c. cons.

Eiusdem Leonis ad Leonem Ravennensem episcopum.[1]

I. De parvulis qui in captivitatem devenerunt et baptismi gratiam non reminiscuntur.

II. Ut ab haereticis baptizatus per manus impositionem accipiat spiritum sanctum.

Leo Leoni episcopo Ravennensi salutem.

Frequenter quidem in diversarum ambiguo quaestionum titubantia fratrum corda spiritu dei instruente solidavimus responsionis formam vel ex sacrarum scripturarum disciplinis vel ex patrum regulis colligentes, sed nuper in synodo novum et inauditum antea genus consultationis exortum est.

I. Nam quorumdam fratrum suggestione comperimus aliquos captivorum ad sedes suas libertate redeuntes qui scilicet in captivitatem illa aetate pervenerunt, quae nullius rei firmam poterit habere notitiam, remedium quidem implorare baptismatis, sed utrum eiusdem mysterii ante sacramenta perceperint per infantiae scientiam non posse reminisci: et ideo sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia quae ideo non impenditur, quia putatur impensa. Quum itaque tribuere talibus dominici sacramenta mysterii non immerito quorumdam fratrum formido dubitaret, in synodali, ut diximus, coetu formam huius consultationis accepimus, quam diligentius discuti et pro uniuscuiusque sensu sollicita volumus ratione tractari, quo ad veritatem habita cognitione multorum certius pervenire possimus. Eadem ergo quae in sensum nostrum divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assensio. Imprimis itaque providere debemus, ne dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita sit suspicionibus suis deditus, ut verum esse definiat quod domini manifestatione cessante ex opinione ambigua suspicatur? Quum itaque baptizatum se nec ille recordetur qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit qui nesciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, quum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit qui consecratur nec ille qui consecrat. Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties iuxta haereticorum damnata a sanctis patribus instituta cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire apostolica reclamante doctrina, quae nobis unam praedicat in trinitate deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum. Sed in hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen venire quod factum esse omnino nescitur. Atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite et longo tempore, nisi forte supremus finis imminet, indagate, utrum nemo penitus sit qui testimonio suo iuvare possit ignorantiam nescientis. Et quum constiterit hunc qui baptismatis indiget sacramento sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam cuius in se nullum scit esse vestigium: nec vereamur huic ianuam salutis aperire quam numquam ante docetur ingressus.

II. Quod si ab haereticis baptizatum quemquam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem sancti spiritus consequatur. Quam rem, frater carissime, ideo generaliter ad omnium vestrum volumus notitiam pervenire, ne dum plus iusto metuitur, misericordia dei salvari cupientibus dene-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 71. *p.* 117.

getur. Datum VIII. Kal. Novembr. consulatu Maioriani augusti.

Eiusdem Leonis ad Dioscorum Alexandrinum episcopum.[1]

I. De ordinatione presbyteri vel diaconi ut sabbato sancto celebretur, id est, die dominico.

II. De festivitatibus si una agenda populis non suffecerit, nulla sit dubitatio iterare sacrificium.

Leo Dioscoro episcopo Alexandrino salutem.

Quantum dilectioni tuae dominicae caritatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius fundare festinemus initia, ne quid caritati tuae ad perfectionem deesse videatur, quum tibi spiritualis gratiae merita, ut probavimus, suffragentur. Paterna igitur et fraterna collatio debet sanctitati tuae esse gratissima et a te taliter suscipi, quemadmodum eam a nobis intelligis proficisci. Unum enim nos sentire oportet et agere, ut sicut legimus, in nobis quoque unum esse cor et unam animam comprobetur. Quum enim beatissimus Petrus apostolicum a domino acceperit principatum et Romana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere quod sanctus discipulus ipsius Marcus, qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit, quum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut quum unius nos esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus et alia doctoris, alia discipuli statuta videantur.

I. Quod ergo a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed post diem sabbati eius noctis quae in prima sabbati lucescit exordia deligantur: in quibus his qui consecrandi sunt ieiuniis et a ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem observantiae erit, si mane ipso dominico die continuato sabbati ieiunio celebratur, a quo tempore praecedentis noctis initia non recedunt quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in pascha domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam praeter auctoritatem consuetudinis quam ex apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra scriptura manifestat, quod quum apostoli Paulum et Barnabam ex praecepto spiritus sancti ad evangelium gentibus mitterent praedicandum, ieiunantes et orantes imposuerint eis manus, ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per ecclesias, quibus dominus praeesse te voluit, etiam ipse servaveris, ut his qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die dominicae resurrectionis tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat adscribi et tantis divinarum dispositionum mysteriis consecratum, ut quidquid a domino est insignius constitutum in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi et mors interitum et vita accepit principium, in hac apostoli a domino praedicandi omnibus gentibus evangelii tubam sumunt et inferendum universo mundo sacramentum regenerationis accipiunt, in hac, sicut beatus Ioannes evangelista testatur, quum congregatis in unum discipulis clausis ianuis ad eos dominus introisset, insufflavit et dixit: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis et quorum retinueritis, retenta erunt. In hac denique promissus a domino apostolis spiritus sanctus advenit, ut coelesti quadam regula insinuata et tradita noverimus in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in qua consulto tribuuntur omnia dona gratiarum.

II. Ut autem omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut quum solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit et ad eamdem fidelium multitudo convenerit quam recipere basilica una simul non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti; quum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam in qua agitur praesentia novae plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quaedam populi pars sua devotione privetur, si unius tantum missae more servato sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo dilectionem tuam et familiariter admonemus, ut quod nostrae consuetudini ex forma paternae traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, ut omnia nobis fide et actibus congruamus. Propter quod remeanti filio nostro Possidonio presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam qui nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit et toties ad nos missus, quid in omnibus apostolicae auctoritatis teneremus, agnovit. Data XI. Kal. Iul.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 72. *p.* 118.

LEONIS PAPAE DE PRIVILEGIO CHOREPISCOPORUM SIVE PRESBITERORUM AD UNIVERSOS GERMANIE ATQUE GALLIE ECCLESIARUM EPISCOPOS. XCVII.[1]

Leo Romane ecclesiae et apostolice sedis episcopus universis Germaniarum adque Galliarum regionum episcopis salutem.

Cum in dei nomine in Romana aecclesia synodum episcoporum sive ceterorum consacerdotum Christique fidelium coadunatum habuissemus et de ordinationibus inlicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo perveniret, adque de aliis necessariis ecclesiasticis negotiis tractantes sacrosque canones relegentes solerter egissemus, a multis lacrimabili vultu relatum est nobis, quod quidam Germaniarum ac Galliarum urbium episcopi frequenter chorepiscopos, qui iuxta canones Cesarienses sive secundum aliorum decreta patrum idem sunt qui et presbiteri, vel presbiteros destinarent, qui absente pontifice altaria erigerent basilicasque consecrarent. Quod quidem non est mirum id praecepisse viros ecclesiasticae disciplinae ignaros quod est canonicae regulae contrarium et statim a[2] saeculari milicia in sacerdotale ministerium delegatos atque promotos. Ergo ne ultra talis a vobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit scientes quia, sicut chorepiscopo vel presbitero inlicita consecratio est altaris, ita et constitutio. In divinis enim litteris praecipiente domino solus Moses in tabernaculo dei erexit altare, solus ipse unxit[3], qui utique summus sacerdos dei erat, sicut scriptum est de eo: Moses et Aaron in sacerdotibus eius. Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum iussum est, quorum tipum[4] Moses et Aron tenuerunt, omnino decretum est, ut chorepiscopi vel presbiteri qui filiorum Aaron gestant figuram arripere non praesumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbiterorum et diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel unctio: siquidem nec erigere eis altaria et ecclesias vel altaria consecrare[4], nec per inposiciones manuum fidelibus baptizandis vel conversis ex heresi[5] paracletum spiritum sanctum tradere, nec crisma conficere, nec chrismate baptizandorum frontes signare, nec publice quidem in missa quemquam penitentem reconciliare nec formatas cuilibet epistolas mittere. Haec enim omnia inlicita sunt chorepiscopis, qui ad exemplum et formam septuaginta discipulorum esse noscuntur vel presbiteris qui eandem gestant figuram. Quoniam quanquam consecrationem habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quae omnia solis debere summis pontificibus auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur: sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec praesente antistite infantem tinguere aut signare, nec penitentem sine praeceptione episcopi sui reconciliare, nec eo praesente, nisi illo iubente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari[6]. Reliqua[7].

DAMPNATIO VIGILII.[8]

Silverius episcopus Vigilio.

Multis te transgressionibus inretitum sacerdotalis iam dudum novit generali-

Epistola Leonis papae de privilegio chorepiscoporum.
Cum in dei — perveniret sec. Leon. M. ep. 12. c. 1. (1, 658.)
qui iuxta canones, cf. c. 13. conc. Neocaes.
qui absente pontifice — exortari sec. c. 7. conc. II. Hispal. Cf. Dam. de corep.
Dampnatio Vigilii.
Multis te — generalitas sec. Fel. III. ep. ad Acacium (H. no. 80).

[1] *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. *Adhibui Par.* 3852. [2] *Sic* ad *correxi.* [3] *Sic Par.* 3852; *cod.* unus. [4] *Par.* 3852 *add.* permittimus. [5] *Sic* heresem *corr.* [6] *Sic* exornari *sec. Par.* 3852 *corr.* [7] Reliqua *additur quoque in Par.* 3852. [8] *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Par.* 3852.

tas: et quia cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris pervicatia tua subripiens leviticis praesumseris excubare misteriis, plerique noverint fidelium. Nam quia contra iura canonica temporibus sanctae memoriae Bonifacii papae ipso vivente successor eius designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obviasset iustitia, tunc providentia pastorali tua a pontificali auctoritate execranda iam debuerant auspicia detruncari. Sed dum parvum vulnus in te neglectum est, insanabile adcrevit apostema[1], quae nisi ferro altius abscidatur, fomentorum non potest sentire medicinam: quippe qui nequissimi spiritus audacia ambicionis frenesim concipiens in illius apostolici medici cui animas ligandi solvendique concessa potestas est, versaris contumeliam novumque scelus erroris in apostolica sede rursus nitaris inducere et in more Symonis cuius te discipulum ostendis operibus, data pecunia meque repulso qui favente domino tribus iam iugiter emensis temporibus, tempora mea nitaris invadere. Habe ergo cum his qui tibi consentiunt, poene dampnationisque sententiam sublatumque tibi nomen et munus mysterii[2] sacerdotalis agnosce sancti spiritus iudicio et apostolica a nobis auctoritate dampnatus. Sic enim decet fidem sanctorum patrum in ecclesia servari catholica ut quod habuit ammittat, qui inprobabili temeritate quod non accepit assumserit. Data VIII. Kal. Iul. principi Basili v. c.

Item subscriptio: Caelius Silverius papa urbis aeternae huic decreto anathematis in Vigilio pervasore facto ad omnia statuta consensum praebens subscripsi, pariter et quatuor episcopi subscripserunt, id est Terrorcinenses, Fundanus, Firmenses et Meterrenses. Data ista cartula est per Anastasium subdiaconum.

quae nisi ferro — sentire medicinam, Siric. ep. ad Eumer. c. 7 i. f. (H. no. 3.) Cf. Anacl. 40, Fab. 11, Symm. syn. VI. Pelag. II. ep. 1.

Habe ergo — auctoritate dampnatus, Fel. III. ep. cit. i. f.

EIUSDEM LEONIS AD EPISCOPOS PER CAMPANIAM. XCVIII.[3]

I. Ut non omni tempore baptismi regeneratio detur, nisi pascha et pentecoste et si periculosa infirmitas obrepserit.

II. De poenitentia fidelium, ut confessio eorum non publicetur.

Leo universis episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum salutem.

I. Magna indignatione commoveor et multo dolore contristor, quod quosdam ex vobis comperi ita esse apostolicae traditionis oblitos et studio sui erroris intentos, ut praeter paschale festum, cui sola pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet non aliqua humanae infirmitatis necessitate cogente, sed sola indisciplinati arbitrii libertate ius baptismatis vindicare et in natalibus martyrum quorum finis aliter honorandus est quam dies dominicae passionis, regenerationis celebrare mysteria ac sine ullis spiritualium praeparationum eruditionibus, ita rudibus et imperitis tradere sacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinae ecclesiasticae, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieiunia quibus vetus homo destruitur, operentur, neque in tot mysteriis salutis humanae nulla eius diei habeatur exceptio, in qua ipsum donum est conditum renascendi. Admonemus igitur et non sine periculo status eorum qui hoc faciunt protestamur, ut ab hac praesumptione cessetur et summam hanc potentissimamque dei gratiam non nisi in paschali et pentecostes die desiderantibus et credentibus conferatis, manente quolibet tempore gravium necessitatum ac periculorum consideratione secundum quam oporteat subvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur, quum servata, sicut perloquuti sumus, duarum tantummodo festivitatum reverentia propter multa pericula sit cavendum, ne cuiquam aut in desperata aegritudine aut in hostilitatis incursu aut in timore naufragii per sacerdotes domini regeneratio denegetur. Si quis vero post interdictum in eadem fuerit usurpatione detectus, dignam pertinaciae suae incidet ultionem, quoniam ostendit se turpe potius lucrum quam religionis cultum esse sectatum.

II. Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: de poenitentia scilicet quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, quum reatus conscientiarum sufficiat solis

[1] *Sic* apostoma *corr.* [2] *Par.* 3852: ministerii. [3] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 73. *p.* 119.

sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis quae propter dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea quae poenitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possit legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quae primum deo offertur, tunc etiam sacerdoti qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Datum II. nonas Mart. Recimero consule.

De epistola Leonis ad Theodorum Foroiuliensem (cf. supr. p. 625) hic quibusdam in codicibus classis A 1 repetita cf. comm. meae §. 13.

INCIPIT HILARI PAPAE SINODALE DECRETUM.[1]

I. Canonum statuta servanda.

II. Ut bigamus aut viduae vel corruptae maritus ad ecclesiasticos gradus non accedat.

III. Ut poenitentes vel inscii litterarum sive defectu membrorum aut decissione aliquid minus habentes ad superiores ordines non veniant.

IV. Ut ea quae illicite episcopus vel decessor eius ordinavit, ab eo qui superest emendentur.

V. Ut nullus episcopus sibi eligat successorem.

Flavio Basilisco et Hermerico viris clarissimis consulibus sub die XII. Kal. Decembris in basilica sanctae Mariae residente venerabili papa Hilario una cum episcopis, numero quinquaginta, residentibus etiam universis presbyteris, adstantibus quoque diaconibus, Hilarius episcopus urbis Romae synodo praesidens dixit:

I. Quoniam religiosus sancto spiritu congregante conventus hortatur, ut quaedam quae pro disciplina ecclesiastica necessaria sunt, cura diligentiore tractemus, si placet, fratribus ea quae ad ordinationum tenorem pertinent, iuxta divinae legis praecepta et Nicaenorum canonum constituta ita iuvante domino in omne aevum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicae sedis decreta temerare, ne nos qui potentissimi sacerdotii administramus officia, talium transgressionum culpa respiciat, si in causis dei desides fuerimus inventi, qua meminimus quod timere debemus, qualiter comminatur dominus negligentiam sacerdotum, siquidem reatu maiore delinquit qui potiori honore fruitur, et graviora facit vitia peccantium sublimitas dignitatum.

II. Cavendum ergo imprimis ne ad sacratos gradus, sicut gestis prioribus ante praescriptum est, quisquis qui uxorem virginem non duxit, aspiret. Repellendus etiam quisquis in secundae uxoris nuptias contra apostolica praecepta convenerit.

III. Inscii quoque litterarum aut aliqua membrorum damna perpessi vel hi qui ex poenitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare non audeant. Quisquis talium consecrator exstiterit, factum suum ipse dissolvet.

IV. Sed et quodcumque quis commisit illicitum aut a decessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit: nos enim in nullo volumus severitatem ultionis excedere. Sed qui in causis dei vel contumacia vel in aliquo decessu deliquerit, aut ipse quidquid in aliquo non resecaverit, inveniet. Quod ut deinceps possit tenacius custodiri si placet omnes sententias et subscriptiones proprias commodata, ut synodali iudicio aditus claudatur illicitus. Ab universis episcopis dictum est sexies: Haec et confirmamus et docemus. Dictum est octies: Haec tenenda sunt, haec servanda sunt. Dictum est quinquies: Doctrinae vestrae gratias agimus. Dictum est decies: Ista ut in perpetuum serventur rogamus. Dictum est quindecies: Ista per sanctum Petrum ut in perpetuum serventur optamus. Dictum est octies: Haec praesumptio numquam fiat. Dictum est decies: Qui haec violaverit, in se inveniet excommunicationis censuram. Et facto silentio, Hilarius episcopus dixit:

V. Praeterea, fratres, nova et inaudita, sicut ad nos missis de Hispaniis epistolis sub certa relatione pervenit, in quibusdam locis perversitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui non nisi meritis praecedentibus datur, non divinum munus, sed haereditarium putant esse compendium, et credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium legati aut testamentario iure posse dimitti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, ut, scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificati populi habeatur assensu. Quod quam grave sit aestimatis. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de ecclesiis auferamus, ne, quod turpe dictu est, homini se quisquam putet debere quod dei est. Ut autem quod ad nos perlatum est, ad vestram etiam possit pervenire notitiam, Hispanorum fratrum et coepiscoporum nostrorum scripta legantur. Paulus notarius recitavit, et statutum est, ne quid ultra huiusmodi a sacerdotibus praesumatur.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 74. *p.* 120.

Item eiusdem Hilari papae ad Ascanium et ad universos Tarraconensis provinciae episcopos.[1]

I. Ut nullus sine consensu metropolitani episcopus ordinetur.
II. Ut nullus episcoporum relicta propria ecclesia ad aliam transeat.
III. Ut Irenaeus remotus a Barcinonensi ad propriam reverteretur.
IV. De removendis episcopis qui illicite ordinati sunt et ne in una ecclesia duo episcopi habeantur.
V. De damnatione Irenaei, si ad suam ecclesiam non reverteretur.

Dilectissimis fratribus Ascanio et universis episcopis Tarraconensis provinciae Hilarius episcopus.

Postquam litteras vestrae dilectionis accepimus, quibus praesumptiones Silvani episcopi Calagurrensium ecclesiae retundi petistis et rursum Barcinonensium quaeritis nimis illicita vota firmari, honoratorum et possessorum, Turiassonensium, Cascautensium, Calagurritanorum, Varegensium, Tritiensium, Legionensium et Birovescentium civitatum cum subscriptionibus diversorum litteras nobis constat ingestas, per quas id quod de Silvano querela vestra deprompserat, excusabant. Sed reprehensione iustissima eorum pariter allegatio non carebat, quia praeter conscientiam metropolitani fratris et coepiscopi nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos claruit sacerdotes. Unde quoniam quidquid ab alterutra parte est indicatum omne vidimus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere quod gestum est, ut nihil deinceps contra praecepta beati apostoli, nihil contra Nicaenorum canonum constituta tentetur.

I. Hoc autem primum iuxta eorumdem patrum regulas volumus custodiri, ut nullus praeter notitiam atque consensum fratris Ascanii metropolitani aliquatenus consecretur antistes, quia hoc vetus ordo tenuit, hoc et trecentorum decem et octo sancta patrum definivit auctoritas: cui quisquis obvias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum praeceptionibus reluctarit.

II. In quorum contumeliam a superbo spiritu etiam pars illa contemnitur qua cavetur, ne quis relicta ecclesia sua ad aliam transire praesumat. Quod nimis improbe conniventibus et, ut doleatur gravius, vobis asserentibus Irenaeus episcopus conatur admittere, qui nostra auctoritate roborare cupitis, quos maxime de rebus illicitis magna indignatione probatis accendi. Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat litteris vestris quae de ordinandis episcopis secundum statuta canonum vel praedecessorum meorum decreta fuerit prolata sententia gestorum, quae pariter direximus tenore discetis.

III. Unde remoto ab ecclesia Barcinonensi atque ad suam remisso Irenaeo episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quae per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderant, quod non licet obtinere, talis protinus de clero proprio Barcinonensibus episcopus ordinetur, qualem te praecipue, frater Ascani, oporteat eligere et deceat consecrare, ne si aliter forte factum fuerit, non sine obiurgatione maxima tui nominis retundat nostra praeceptio, quod in iniuriam dei, a quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum didicerimus admissum, nec episcopalis honor haereditarium ius putetur, quod nobis sola dei nostri benignitate confertur.

IV. Ordinatos ergo nunc episcopos, qui licet dum te ignorante provecti sunt cum suis auctoribus meruerint submoveri, hac ratione firmamus, si nec viduae maritus fuerit quisquam, nec in secundae coniugis nuptias ac vota convenerit, sicut et legalia constituta praecipiunt dicendo: Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam: secundum etiam quod beatus apostolus Paulus magister gentium de his qui fieri desiderant sacerdotes propria institutione non tacuit dicens: Unius uxoris virum, cuius tenore sententiae ita informati esse debetis, fratres carissimi, ut inter cetera quae cavenda sunt haec studeatis praecipue custodiri, quae cognoscitis ante universa mandari. In quibus etiam prospiciendum est, ne duo simul sint unius ecclesiae sacerdotes aut litterarum ignarus aut carens aliqua parte membrorum vel etiam ex poenitentibus aliquis ad sacrum mysterium prorsus sinatur accedere. Nec tantum putetis petitiones valere populorum, ut quum his parere cupitis voluntatem dei nostri, quae peccare prohibet deseratis. Cuius indignatio ex hoc gravius commovetur, quia benignitas eius, dum fiunt illicita per eos qui sunt interpretes placationis, offenditur.

V. Ut autem omnia secundum haec quae scripsimus corrigantur, praesentes litteras Traiano subdiacono nostro veniente direximus. Quod si Irenaeus episcopus ad ecclesiam suam depositus improbitatis ambitu redire neglexerit, quod ei non iudicio, sed humanitate praestabitur, removendum se ab episcopali consortio esse cognoscat. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

Item eiusdem Hilari papae ad eumdem Ascanium Tarraconensem episcopum de his quae superius sunt scripta. CI.[2]

Dilectissimo fratri Ascanio Hilarius episcopus.

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 75. *p.* 122. [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 76. *p.* 123.

Divinae circa nos gratiae non immemores esse debemus, qui nos per dignationis suae misericordiam ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhaerentes et in quadam sacerdotii eius specula constituti prohibeamus illicita et sequenda doceamus. Unde directis per Traianum subdiaconum nostrum litteris admonemus, ut quae male facta sunt, corrigantur. Et miramur admodum dilectionem tuam Barcinonensium petitiones non solum nulla auctoritate retulisse, verum etiam directis ad nos litteris consummationem pravi desiderii postulasse adhibendo in epistolarum proaemio concilii mentionem, tamquam culpae minuerentur excessus per multitudinem imperitorum, quum si etiam sub significatione unusquisque sui nominis tecum pariter retulisset et subscriptiones proprias fratres singuli commodassent, dilectionem tamen tuam rei de qua displicet summa tangebat, quia pro loco et honore tibi debito ceteri sacerdotes docendi fuerant, non sequendi. Unde sicut generalibus litteris indicavi, Irenaeus ad propriam revertatur ecclesiam et Barcinonensibus de suo clero protinus consecretur antistes, cui tamen statuta canonum et apostolica praecepta concordent. Et licet hi qui praeter notitiam atque consensum tuae dilectionis ordinati sunt sacerdotes, cum suis debuerunt auctoribus submoveri, ne quid tamen in tanta necessitate decernamus austerum, eos qui episcopi facti sunt ita volumus permanere, si apostolicis praeceptionibus et statutis sanctorum patrum non reperiantur obnoxii ac deinceps nihil quod contra disciplinam ecclesiasticam veniat, sicut hactenus factum est perpetretur. Tuae sollicitudinis est, frater carissime, debitam tibi auctoritatem tueri et illicitis non solummodo non praebere assensum, sed etiam cuncta quae contra regulam facta repereris coercere atque ante omnia quod sola humanitate decernimus, Irenaeum ad ecclesiam suam redire compelle: ad quam sponte potius remeare debebit, si sacerdotali consortio meruit separari. Nec unius ecclesiae duo esse permittantur antistites, quod opportunius supradicti subdiaconi fieri delegamus instantia, quem etiam pro conservanda ecclesiae disciplina commeare ad Hispanias dispositionis nostrae fecit auctoritas. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

DECRETA PAPAE SIMPLICII DIRECTA AD ZENONEM SPALENSEM EPISCOPUM DE COMMISSA FIDE APOSTOLICAE SEDIS. CII.[1]

Dilectissimo fratri Zenoni Simplicius.

Plurimorum relatu comperimus dilectionem tuam fervore spiritus sancti ita te navis ecclesiasticae gubernatorem existere, ut naufragii detrimentum deo auctore non sentiat. Talibus idcirco gloriantes indiciis congruum ducimus vicaria sedis nostrae te auctoritate fulciri, cuius vigore munitus apostolicae institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum nullo modo transcendi permittas, quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus divinitus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

Epistola Acatii episcopi Constantinopolitani ad Symplicium episcopum urbis Romae. CIII.[1]

Domino sancto patri archiepiscopo Simplicio Acacius.

Sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes nos indesinenter hortamini, quamvis sponte vigilantes ac praecurrentes et vos divinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinae ecclesiae certius requirentes, ut pro paternis canonibus suscipiatis laborem piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum; sed Christus deus noster qui diligentibus se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus insidens, ut unam nobis in his mentem atque eamdem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam ipse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo principe faciens, et Timotheum quidem decessorem spirantem procellas et ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit, conturbantem vitae subtraxit humanae dicens ei: Tace et obmutesce. Petrum quoque qui ab Alexandria more simili procellae surrexerat, dissipavit atque in aeternam fugam sancto spiritu flante convertit unum ex his qui olim fuerant et ante damnati. Sicut enim in nostris archiviis inventum est et de nostris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere quae de eodem subsecuta ab Alexandrino episcopo ad Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus noctis existens filius et operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum congruas earum cooperator inveniens media nocte adhuc iacente cadavere illius qui paternos canones subvertertat insepulto, subrepsit in sedem, sicut ipse arbitratus est uno et solo praesente et eo qui consors ipsius insistebat insaniae, ita ut propter hoc maioribus suppliciis subderetur, nec quod sperabat effectum est, sed ille quidem de se ex parte vel minima iudicans nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem paternorum custos canonum qui Davidicae mansuetudinis exemplo subditur et usque in finem patiens atque potestati propriae restitutus a Christo propriae sedis honore laetatur et spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis expectat, multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum, propter quem et tolerantiae coronam sibimet religavit. Attentius igitur oret vestra beatitudo pro christianissimo imperatore et pro nobis ipsis; nihil enim praetermittitur eorum quae ad

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 77. *p.* 124. [2] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 78. *p.* 125.

ad custodiam ecclesiasticae respiciunt disciplinae. Universam fraternitatem quae vobiscum est in Christo, ego et qui mecum sunt, salutamus. Et alia manu: In domino ora pro nobis, iustissime pater.

EPISTOLA FELICIS PAPAE AD EPISCOPOS PER SICILIAM. CIV.[1]

I. De his qui rebaptizati doluerunt et postea poenitere noluerunt.
II. De presbyteris vel diaconibus qui in lapsum haereticorum sese baptismati dederunt.
III. De his qui se rebaptizandos impie dederunt.
IV. De his qui per ignorantiam aetatis rebaptizati sunt.
V. De illis qui ab haereticis baptizati aut rebaptizati sunt, ut ad ecclesiasticam militiam non pertingant.
VI. De poenitentibus ut ab aliis episcopis non suscipiantur.[2]

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Siciliam constitutis Felix in domino salutem.

Qualiter in Africanis regionibus astutia diaboli saevierit in populum christianum atque in id multiplici deceptione proruperit, ut non modo vulgus incautum, sed ipsos in mortis profunda demerserit sacerdotes, nullus non orbis ingemuit, nulla terra nescivit. Unde in grandi moerore positi dissimulare non possumus pereuntium atque a nobis exigendarum discrimen animarum. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste nihil prosit, sed segnius tractata pernicies reatu non legitimae curationis involvat pariter saucios et medentes.

I. Imprimis itaque venientis ad vos et remedium postulantis sollicite discutienda est professio et persona decepti, ut medela possit congruens exhiberi, et qui satisfacturus deo per poenitentiam rebaptizatum se legitime doluerit, utrum ad hoc facinus occurrerit an impulsus accesserit, requiratur sciens quod se decipiat ipse qui fallit, nihilque per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio derogari, cui illa sunt rata, quae pia, quae vera, quae iusta sunt et aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Deterior est autem causa illius, qui forte pretio sollicitatus est, ut periret. Nihil enim intentatum reliquit inimicus, cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis et conterendus est venantis laqueus, ut infucatum lamentationibus lapsum tam iustitiae moderatione, quam compunctione pietatis ad aulam quam reliquerat, sit regressus. Nec pudeat forsitan aut pigeat indictis ieiuniorum gemituumque temporibus obedire aut aliis observantiae salubrioris obtemperare praeceptis, quia humilibus datur gratia, non superbis. Sit ergo ruina sua prostratus si quis in Christo fieri quaerit erectus et per dispositionis nostrae ministerium, quod vestram sequi convenit caritatem, nec alicui fas est velle vel posse se transcendere, causas eius, qui contra apostolicam doctrinam ad iterationem se baptismi dedit vel eius qui aliquibus argumentis excusandum callide proprium putaverit esse consensum, sacerdotali vigore et humanitate tractemus ut in eis fides, quae nisi est una iam nulla est, adiutorio domini iudicis ad salutem sine nostrae properationis offensione reparetur. Quia quum peccatoris a nobis satisfactio protrahitur, non praeter nostram laudem atque laetitiam mens eius ad veniam purgatior invenitur. Et ideo memineritis hanc super his nos habere sententiam, ut, servata discretione peccantium, non eadem cuncti qui lapsi sunt lance pensentur, quoniam maioris castigationis est exigendus usura, cui domus domini commissa fuerit disciplina.

II. Ut ergo ab ecclesiae summitatibus inchoemus, eos quos episcopos, presbyteros vel diaconos fuisse constiterit et seu optantes forsitan seu coactos lavacri illius unici salutarisque claruerit fecisse iacturam et Christum quem non solum dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris induerant exuisse, quum constet, neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palam christianum negaverit et professus fuerit esse paganum. Quod cum generaliter sit in omnibus execrandum, multo magis in episcopis, presbyteris et diaconibus auditu saltem dictuque probatur horrendum. Sed quia idem dominus atque salvator clementissimus est et neminem vult perire, usque ad exitus sui diem cum poenitentia si resipiscunt iacere conveniet, nec orationi non modo fidelium, sed nec catechumenorum quidem omnimodis interesse, quibus communio laica in morte redhibenda est. Quam rem diligentius explorare vel facere probatissimi sacerdotis cura debebit.

III. De clericis autem et monachis vel puellis dei aut secularibus servari praecipimus hunc tenorem, quem Nicaena synodus circa eos qui lapsi sunt vel fuerunt servandum esse constituit, ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo se ut rebaptizarentur impie dederunt, si tamen eos ex corde poeniteat, tribus annis inter audientes sint, septem autem annis subiaceant inter poenitentes manibus sacerdotum, duobus etiam oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantum-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 79. *p.* 126. [2] *Verba in ed. Merl. hic inserta:* Flavio Boetio — diaconus recitavit (*initium cap. I. decreti Felic. in Hadriano-Dionys.*) *tantum in codd. classis C habentur.*

modo popularibus in oratione socientur, nec confundantur deo colla submittere. Quod si utpote mortales sint, intra metas praescripti temporis coeperit vitae finis urgere, subveniendum est imploranti et seu ab episcopo qui poenitentiam dederit seu ab alio qui tamen datam esse probaverit aut similiter a presbytero viaticum abeunti de seculo non negetur.

IV. Pueris autem quibus quod adhuc impuberes sunt a pueritate vocabulum est, seu clericis sive laicis aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur aetatis, aliquandiu sub manus impositione detentis reddenda communio est, nec eorum expectanda poenitentia, quos excipit a coercitione censura. Quod est a nobis provide constitutum, ne hi quibus in terreni labe contagii plus minusve restat ad vitam, dum adhuc in poenitentia sunt, poenitenda committant. Quod si forte ante praefinitum poenitentiae tempus despectus a medicis aut evidentibus mortis prorsus indiciis recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus in eo quod Nicaeni canones ordinarunt, ut habeatur inter illos qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem praestitutum. Nec catecumenos nostros, qui sub tali professione baptizati sunt praeterimus, quia non est causa dissimilis, sicut iidem sancti canones ordinarunt, eius qui quolibet modo Christum quem semel confessus est adiurarit. Tribus annis inter audientes sint et postea cum cathecumenis permittantur orare per manus impositionem communionis catholicae gratiam percepturi, exceptis sane tantummodo episcopis, presbyteris et diaconibus quos solo mortis suae tempore reconciliandos esse iam diximus. Ceteros, id est seu clericos sive monachos seu laicos utriusque sexus personas, quos violentia et periculis coactos iterationem baptismatis subiisse constiterit vel qui aliquo commento huius se facinoris piaculo dixerit non teneri, his poenitentiam per triennium durare decernimus et per manus impositionem ad societatem recipi sacramenti.

V. Illo per omnia custodito, ne ex his unquam qui in qualibet aetate alibi quam in ecclesia catholica, aut baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quod in catholicorum numero sunt recepti, quoniam de suo ordine et communione videbitur ferre iudicium, quisquis hoc voluerit antistitum vel qui non removerit eum quem ex his ad ministerium clericale obrepsisse cognoverit.

VI. Curandum vero maxime et omni cautela est providendum, ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum, etiam presbyterorum in alterius civitate vel dioecesi poenitentem vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris aut in parochia presbyteri aut episcopi civitate suscipiat. Quod si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam clericos qui locis, in quibus hoc minus curatum fuerit, commorantur. His itaque rite dispositis et ad ecclesiarum vestrarum notitiam vestra deliberatione perlatis parere vos convenit, quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui novi aliquid et quod praeterire nos potuit, fuerit revelatum, secundum beatum apostolum Paulum, tacente priore fideliter insinuet, quia spiritus sanctus ubi vult inspirat, maxime quum sua causa tractatur, nec nos pigebit audire, et si quae sunt omissa, non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare. Deus vos custodiat, dilectissimi fratres.

Item eiusdem Felicis ad Acatium de dampnatione eius qui hereticis ausus fuerit communicare. CV.[1]

Felix episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae Acacio.

Multarum transgressionum reperiris obnoxius et in venerabilis concilii Nicaeni contumelia saepe versatus alienarum tibi provinciarum iura temerarie vindicasti, haereticos et pervasores atque ab haereticis ordinatos et quos ipse damnaveras, atque ab apostolica institisti sede damnari, non modo domo tua recipiendos putasti, verum etiam ecclesiis aliis, quod nec de catholicis fieri poterat, praesidere fecisti, aut etiam honoribus quos non merebantur, auxisti. Testatur hoc Ioannes, quem a catholicis Apameae non receptum pulsumque de Antiochia Tyriis praefecisti, et Humerius tunc de diaconio eiectus atque christiani nominis appellatione privatus, a te etiam in presbyterii provectus officium. Et quasi haec tibi minora viderentur, in ipsam doctrinae apostolicae veritatem ausus tuos et superbiam tetendisti, ut Petrus quem damnatum a sanctae memoriae decessore meo ipse retuleras, sicut testantur annexa, beati Evangelistae sedem connivente te rursus invaderet et fugatis orthodoxis episcopis et clericis sui procul dubio similes ordinaret, pulsoque eo qui illic fuerat regulariter constitutus, captivam teneret ecclesiam. Cuius tibi adeo grata persona est et ministri eius accepti, ut episcopos et clericos plurimos orthodoxos tunc Constantinopolim venientes detegaris affligere et apocrisarios ipsius confovere atque anathematizantem eumdem Petrum Chalcedonensis decreta concilii et violantem sanctae memoriae Timothei sepulturam, sicut ad nos certiores nunc quoque nuntii detulerunt, per Mesenum et Vitalem credideris excusandum nec eum laudare desineres et multis efferre praeconiis, ita ut damnationem ipsius quam ante retuleras, veram non fuisse iactares. Tantum autem perseveras in hominis defensione perversi, ut quosdam episcopos, nunc vero honore et com-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 80. *p.* 128.

munione privatos, Vitalem atque Mesenum, quos ad eius expulsionem specialiter miseramus, sublatis chartis custodiae passus fueris mancipari et ad processionem quae tibi cum haereticis habetur, exinde productos, sicut eorum professionibus patefactum est ad haereticorum tuamque communionem contempta, quae vel gentium iure servari debuit, legatione pertrahere praemiisque corrumpere et in laesionem beati Petri apostoli, a cuius sede profecti fuerant non solum inefficaces redire feceras, sed etiam impugnatores omnium quae fuerant mandata monstrares. In quorum deceptionem tuam nequitiam prodidisti et ad libellum fratris et coepiscopi mei Ioannis, qui te gravissimis obiectionibus impetivit, in apostolica sede secundum canones respondere diffidens obiecta firmasti. Felicem quoque defensorem fidelissimum nobis necessitate faciente serius subsequutum indignum tuis oculis censuisti. Eos quoque tecum litteris communicare testatus est quos constat haereticos. Quid enim sunt aliud qui post obitum sanctae memoriae Timothei ad ecclesiam sub Petro redeunt, vel qui se ex catholicis eidem tradiderunt, nisi quod Petrus ab universali ecclesia atque a te fuerat iudicatus? Habe ergo cum his quos libenter amplecteris, portionem ex sententia praesenti quam per tuum tibi direximus ecclesiae defensorem, sacerdotali honore et communione catholica, necnon etiam a fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen et munus ministerii sacerdotalis agnosce sancti spiritus iudicio et apostolica per nos auctoritate damnatus, nec iam unquam anathematis vinculis exuendus.

Epistola Felicis papae ad Zenonem Spalensem episcopum.[1]

Dilectissimo fratri ZENONI FELIX.

Filius noster, vir clarissimus Terentianus, ad Italiam dudum veniens dilectionis tuae singularis extitit praedicator talemque te esse vulgavit, qui ita Christi gratia redundares, ut inter mundi turbines gubernator ecclesiae praecipuus appareres. Quapropter, frater carissime, quum ad provinciam commearet seduleque deposceret nostras ad dilectionem tuam litteras destinari, gratanter annuimus, quia et dignum deo sermone complecti cuperumus antistitem et per eum maxime vellemus id fieri cuius nobis fuerat laudibus intimatus. Quamvis ergo sanctis operibus ex omni parte praedictam fraternitatem tuam vir praefatus adstruxerit multumque fiduciae de tua benevolentia iam teneret, aequum tamen est, ut quod desideravit magnopere consequatur, quatenus qui tuis olim gratus est animis contemplatione nostri reddatur acceptior, simulque materna et sacerdotali consolatione foveatur, peregrinationisque praesidium pastorali pietate reperiat, cuius procul dubio et probetur dignitatis affectu non parvi apud sinceritatem tuam nostrum, quo nimium salutaris, valuisse colloquium. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

IN CHRISTI NOMINE INCIPIUNT DECRETA DE RECIPIENDIS ET NON RECIPIENDIS LIBRIS QUAE SCRIPTA SUNT A GELASIO PAPA CUM LXX ERUDITISSIMIS VIRIS EPISCOPIS IN SEDE APOSTOLICA URBIS ROMAE.[2]

Post propheticas et evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam dei fundada est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universae per orbem catholicae diffusae ecclesiae unus thalamus Christi sit. Sancta tamen Romana ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce domini nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Cui addita est etiam societas beatissimi Pauli apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est, et pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo domino consecraverunt talesque omnibus urbibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana ecclesia non habens maculam neque rugam nec aliquid huiusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo et evangelista consecrata est, ipseque a Petro apostolo in Aegypto directus verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero sedes apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri apostoli habetur honorabilis, eo quod ibidem, priusquam Roma venisset, habitavit et ibidem primum nomen christianorum novellae gentis exortum est. Et quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus, tamen ad aedificationem sanctam eandem sanctam Romanam ecclesiam post illas veteris et novi testamenti quas regulariter suscipimus, etiam suscipi non prohibet scripturas, id est sanctam synodum Nichenam secundum trecentos decem et octo patres, mediante Maximo Constantino augusto: sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, cum consensu beatissimi Coelestini papae, mediante Cheryllo Alexandrinae sedis antistite et Arcadio ab Italia destinato: sanctam synodum Chalcedonensem mediante Marciano augusto et Anatholio Constantinopolitano episcopo, in qua Nesto-

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 81. *p.* 128. 2 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. edit. cod. Lucens. in T. VIII. p.* 156 *coll. conc. Mansii.*

riana et Euticiana haeresis simul cum Dioscoro eiusque complicibus damnatus est. Opuscula beati Cicili Cipriani martyris et Carthaginensis episcopi: opuscula beati Gregorii Nazanzeni episcopi: opuscula beati Basili Cappadociae episcopi: opuscula beati Athanasii Alexandrini episcopi: opuscula beati Theophili Alexandrini episcopi: opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi: opuscula beati Hilari Pictabensis episcopi: opuscula beati Iohannis Constantinopolitani episcopi: opuscula beati Ambrosii Mediolanensis episcopi: opuscula beati Augustini Ipone-Regiensis episcopi: opuscula beati Hieronimi presbyteri: opuscula beati Prosperi viri religiosissimi: opuscula beati Leonis papae ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum destinata, cuius textum quispiam, si usque ad unum iota disputaverit et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit. Opuscula, tractatus omnium patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctae ecclesiae Romanae consortio deviarunt, nec ab eius fide vel praedicatione seiuncti sunt, sed ipsius ut communicationis per gratiam dei usque in ultimum diem vitae suae fuere participes legendos decernimus. Item decretales epistolas quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt venerabiliter suscipienda. Item gesta sanctorum martyrum qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ista catholicorum dubitet, maiora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia dei et adiutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripserunt nomina penitus ignorantur et ab infidelibus vel idiotis superflua aut minus apta quam rei ordo fuerit esse putatur. Sicut cuiusdem Quirici et Iulitae, sicut Georgii aliorumque eiusmodi passiones quae ab haereticis perhibentur compositae. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio in Romana ecclesia non leguntur. Nos tamen cum praedicta ecclesia omnes martyres et eorum gloriosos agones qui deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur. Item vitas patrum, Pauli, Antonii, Ilarionis et omnium heremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item actus beati Silvestri apostolicae sedis praesulis, licet eius qui conscripsit nomen ignoretur, a multis tamen in urbe Roma catholicis legi cognovimus et pro antiquo usu multa hoc imitantur ecclesiae. Item scriptura de inventione sanctae crucis dominicae et alia scriptura de inventione capitis Ioannis baptistae novellae quidam relationes, nonnulli eas catholici legunt, sed cum haec ad catholicorum manus pervenerint beati apostoli praecedat sententia: Omnia probate, quod bonum est tenete. Item Rufinus vir religiosissimus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronimus eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit, illa sentiemus quae praedictum Hieronimum sentire cognoscimus, et non solum de Rufino, sed etiam de universis quos vir saepius memoratus zelo dei et fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuscula quae vir beatissimus Hieronymus non repudiat legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse rennuenda. Item cronica Eusebii Cesariensis episcopi atque eiusdem ecclesiasticae historiae libros, quamvis in primo narrationis suae libro tepuerit et post in laudibus atque excusatione Origenis unum scismatici conscripserit librum, propter rerum tamen singularem notitiam, quae ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus rennuenda. Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde de nobis necessariam adversus paganorum calumnias dignam ordinavit historiam miraque brevitate contexuit. Veneramur viri Seduli paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, et insigni laude proferimus. Iuvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramus. Caetera autem quae ab haereticis sive scismaticis conscripta vel praedicta sunt nullatenus recipit catholica et apostolica Romana ecclesia, e quibus pauca quae ad memoriam venerunt et a catholicis vitanda sunt credimus esse subdenda. Item notitia de librorum apocriforum qui non recipiuntur. Ariminensium synodum a Constantio Caesare Constantini augusti filio congregatam, mediante Tauro praefecto ex tunc et nunc et in aeternum confitemur esse damnatam. Itinerarium nomine Petri apostoli quod appellatur sancti Clementis libri numero decem apocryphum, Actus nomine Andreae apostoli apoc. Actus nomine Thomae apostoli apoc. Actus nomine Petri apostoli alius apoc. Actus nomine Philippi apostoli apoc. Evangelia nomine Matthiae apoc. Evangelia nomine Barnabae apoc. Evangelia nomine Iacobi minoris apoc. Evangelia nomine Petri apost. apoc. Evangelia nomine Thomae, quibus Manicheae utuntur apoc. Evangelia nomine Bartholomaei apostoli apoc. Evangelia quae falsavit Lucianus apoc. Liber de infantia salvatoris apoc. Liber de nativitate salvatoris et de Maria obstetrice apoc. Liber qui appellatur pastoris apoc. Libri omnes quos fecit Lucius discipulis diaboli apoc. Liber qui appellatur fundamentum apoc. Liber qui appellatur Thesaurum apoc. Liber de filiabus Adae Lictoageneseos apoc. Liber qui appellatur actus Theclae et Pauli apostoli apoc. Liber qui appellatur Nephotes apoc. Liber proverbiorum qui ab haereticis conscriptus et sancti Xisti nomine praesignatus apoc. Revelatio quae appellatur Thomae apostoli apoc. Revelatio quae appellatur Pauli apoc. Revelatio quae appellatur Stephani apoc. Liber qui appellatur transitus, id est assumptio sanctae Mariae apoc. Liber qui appellatur paenitentia Adae apoc. Liber de Eu-

genia nomine gigantis qui cum dracone post diluvium ab haereticis pugnasse perhibetur apoc. Liber qui appellatur testamentum Iob apoc. Liber qui appellatur poenitentia Origenis apoc. Liber qui appellatur poenitentia S. Cipriani, apoc. Liber qui appellatur poenitentia Iamne et Membre apoc. Liber qui appellatur sors apostolorum apoc. Liber fisiologus, qui ab haereticis conscriptus et beati Ambrosii nomine praesignatus apoc. Storia Eusebii Pampeli apoc. Opuscula Tertulliani apoc. Opuscula Lactanti apoc. Opuscula Africani apoc. Opuscula Postumani et Galli apoc. Opuscula Montani, Priscillae et Maximillae apoc. Opuscula omnia Faustini Manichaei apoc. Opuscula Commodiani apoc. Opuscula alterius Clementis Alexandrini apoc. Opuscula Tassii Cypriani apoc. Opuscula Arnobi apoc. Opuscula Ticoni apoc. Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apoc. Opuscula Victorini Pictabensis ap. Opuscula Fausti Regensis Gallearum apoc. Opuscula Frumenti Coeci apoc. Centonem de Christo Virgilianis compaginatum versibus, ap. Epistola Iesu Abaguso ap. Epistola Abaguio ad Iesum apoc. Passio Quyrici et Iulitae apoc. Passio Georgii ap. Scriptura quae appellatur contradictio Salomonis ap. Filacteria omnia quae non angelorum, ut illi confingunt, sed daemonum magis arte conscripta sunt, apoc.

Haec et his similia quae Simon magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilidis, Ebion, Paulus etiam Samosianus, Fotinus et Bonosus et qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollenaris, Valentinus sive Manicaeus, Faustus, Africanus Sabellius, Arrius, Machedonius, Eunomius, Novatus, Sabacius, Coelestus, Donatus, Eustacius, Ioviahus, Pelagius, Iulianus Celumensis, Caelestius, Maximinus, Priscillianus ab Spania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioscorus, Eutices, Petrus et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, necnon et omnes haeresei haereseorumque discipuli sive scismatici docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur, non solum repudiata, sed ab omni Romana et apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in aeternum confitemur esse damnanda.

Cuius supra Fausto magistro fungenti legationis officium Constantinopolitanum.[1]

Ego quoque mente percepi Graecos in sua obstinatione mansuros, ne cui velut insperatum videri potest, quod est in ante praecognitum. Quapropter non iam propter religionis caussas student publicis dispositionibus obviare, sed potius per occasionem legationis regiae catholicam fidem moliuntur evertere, et tali commento nituntur sperata praestare. Quid sibi vult autem quod dixerit imperator, a nobis se in religione damnatum, cum super hac parte et decessor meus non solum minime nomen eius attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiae potestatis exeruit, in eius se rescripsit imperii promotione gaudere, et ego nulla ipsius umquam scripta percipiens honorificis, ut nostis, eum litteris salutare curaverim? Decessores mei sacerdotes qui praevaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, a communione apostolica submoverunt. Si isti placet se miscere damnatis, nobis non potest imputari, si ab eis velit abscedere, tanto magis a nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam sincerae communionis admissus. Ad senatum vero pertinet Romanum, ut memor fidei quam a parentibus suscepisse se meminit, contagia vitet communionis externae, ne a communione sedis apostolicae, quod absit, reddatur externus. Veniam sibi dari debere proponunt. Legatur, ex quo est religio christiana vel certe detur exemplum in ecclesia dei a quibuslibet pontificibus, ab ipsis apostolis, ab ipso denique salvatore veniam nisi corrigentibus fuisse concessam. Auditum autem sub isto coelo non legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce depromitur: date nobis veniam, ut tamen nos in errore duremus. Id quoque parum est. Ostendant qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione quove documento, sive a maioribus nostris, sive ab ipsis apostolis quos potiores merito fuisse non dubium est, sive ab ipso domino salvatore qui iudicaturus creditur vivos et mortuos, sive factum est umquam vel faciendum esse mandatur. Mortuos suscitasse legimus Christum: in errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certe faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat apostolo: Quae ligaveris super terram, ligata erunt et in caelo, et quae solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Super terram, inquit, nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi. Quod ergo numquam factum est vel mente concipere formidamus, scientes in divino iudicio non posse penitus excusari. Si autem, quod nunc praetendunt, a Romana se ecclesia divisuros, quod iamdudum fecisse monstrantur.

Euphemium vero miror si ignorantiam suam ipse non perspicit qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit secundum formam synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum, nec novit aut se nosse dissimulat? In qua utique per numerosam sententiam sacerdotum erroris huius auctores constat fuisse damnatos, sicut in unaquaque haeresi a principio christianae religionis et factum fuisse et fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessorem-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. c.* 48 *coll. Quesnell. ed. Ball.* (*op. Leon. T. III. p.* 333). *Divisio capp. apud Ball. exhibita in Ps.-Isid. deest.*

que meum executorem fuisse veteris constituti, non novae constitutionis auctorem. Quod non solum praesuli apostolico facere licet, sed cuicumque pontifici, ut quoslibet et quemlibet locum secundum regulam haereseos ipsius ante damnatae a catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi vel proprii erroris inventor, ut in eum nova scita procederent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est ut in illam recideret iusta lance sententiam quam cum suis successoribus per convenientiam synodalem susceperat auctor erroris.

Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt quod primae sedi sana rectaque suadenti parere refugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero prorsus nusquam appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de ipsius umquam praeceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius sequenda decreta mandarunt. In hac ipsa caussa Timotheus Alexandrinus et Petrus Antiochenus, Petrus, Paullus, Ioannes et ceteri non solum unus, sed plures utique nomen sacerdotii praeferentes sola sedis apostolicae sunt auctoritate deiecti. Cuius rei testis etiam ipse docetur Acacius qui praeceptionis huius extitit executor. Quod utique sicut apostolicam sedem iuxta formam synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum. Hoc igitur modo recidens in consortium damnatorum est damnatus Acacius, qui eorum damnationem antequam praevaricator extitisset, fuerat executus. Nobis ausi sunt canonum facere mentionem, contra quos ambitionibus semper illicitis tetendisse monstrantur. Qua ipsi synodo vel secundum cuius synodi formam Alexandrinum Ioannem de ecclesia cui ordinatus fuerat expulerunt? Qui nullis causis evidentibus nec ante convinci nec postea provocans etiam in iudicio competenti potuit accusari? Quod si dicunt: Imperator hoc fecit, hoc ipsum quibus canonibus, quibus regulis est praeceptum? Cur huic tam pravo facto consensit Acacius cum auctoritas divina dicat: Non solum qui faciunt prava reos esse, sed et qui consentiunt facientibus. Quibus canonibus, quibus regulis Calendion exclusus est vel primi urbium diversarum catholici sacerdotes? Qua traditione maiorum apostolicam sedem in iudicium vocant? An secundae sedis antistites et tertiae ceterique bene sibi conscii sacerdotes debuerunt, et qui extitit religionis inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur.

Ceterum isti qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solum sedem apostolicam ad iudicium vocare non possunt: et Constantinopolitanae episcopus civitatis, quae utique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoveri? An qui homini mentiti dicuntur imperatori et imperatorem laesisse perhibentur, depelli debuerunt et in deum qui summus ac verus imperator est, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini sacramenti cum perfidis miscere studentem secundum synodum qua haec est damnata perfidia, non oportebat excludi? Sed velint nolint ipsius iudicia antiqua canonum constitutione firmantur. Sed religiosi viri atque perfecti secundum canones concessam sedi apostolicae potestatem nimirum conantur eripere et sibimet eam contra canones usurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes, nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienae divina scriptura praedicante: Haereticum hominem post primam et secundam correptionem devita, sciens quod perversus est huiusmodi proprio iudicio damnatus. Ecce cognoscant, quia non solum ab alio, sed a se quoque ipse damnetur haereticus. Illud autem nimis est impudens, quod Acacium veniam postulasse confingunt, et nos extitisse difficiles. Testis est frater vester, filius meus, vir illustris Andromachus, quia et a nobis abundanter instructus est, ut cohortaretur Acacium deposita obstinatione resipiscere et ad sedis apostolicae remeare consortium, quique se sub iureiurando magnis cum eodem molitionibus egisse testatur, nec ad ea quae recta sunt potuisse deflecti, sicut rerum probatur effectu. Certe proferatur iudicium, quando miserit, quando veniam postularit correctionemque suam nobis promiserit exhibendam. Nisi forte hunc animum gessit quem successores eius habere perspicimus, ut tamen veniam etsi postularet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominus in errore persisteret; ubi utique non tam a nobis recipi videretur, quam in suam potius nos traduceret pravitatem. Quem reatum se confessurum asserunt ante certamen? Si reatus est, utique corrigendus est: si corrigendum non putant, fallaciter se reatum perhibent profiteri: nisi quod est infelicius, cum et fatentur reatum et non aestimant corrigendum. Illud quoque ridere me libuit, quod ait: Si necesse fuerit veniam postulare, existimans nimirum tunc se necessario veniam peccati postulare, si ei concedamus ne peccare desistat, immo etiam, quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio inter quae prodigia mundi haec vox possit admitti. Remitti culpa de praeterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps sinitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assentatio. Non mirum si isti sedem beati apostoli Petri blasphemare praesumant, qui talia portenta vel corde gerunt vel ore diffundunt et nos insuper superbos esse pronuntiant, cum eis prima sedes, quicquid est pietatis, non desistat offerre, illi eam ipso protervo se spiritu subiugare posse confidant. Sed captos mente facere ista non mirum est. Si phrenetici solent

medicantes quoque velut hostes putare vel caedere. Quaero tamen ab his iudicium quod praetenduut, ubinam possit agitari? an apud ipsos ut iidem sint inimici, testes et iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia, nedum divinae legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, non nisi apostolicae sedi iuxta canones debetur totius summa iudicii: si quantum ad saeculi potestatem illa a pontificibus et praecipue a beati Petri vicario debet cognoscere quae divina sunt, non ipsa eadem iudicare. Nec sibi hoc quisquam potentissimus saeculi, qui tamen christianus est, vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam quae confessioni beati Petri apostoli inferni portas numquam praevalituras asseruit. Quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi et maiorum traditio et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius ecclesiam semper ipsa diiudicet. Sed cogitent magis, si quis in eis religionis est sensus, ne pravitatem suam nullatenus deponentes, apud deum hominesque sedis apostolicae constitutione perpetua damnentur. Sic autem dicitur fuisse diffinitum, ut deinceps de negotio nihil dicatur quasi vel nunc eos, quemadmodum novistis, meo duxerim nomine specialiter alloquendos. Neque plane cum istis non corrigentibus ineunda congressio, quemadmodum cum aliarum quoque haeresum sectatoribus dimicatio renuenda. Vos autem salvos et sospites quantocius huc reverti continuis divinitatem votis expetimus.

Cuius supra ad Anastasium imperatorem.[1]

Famuli vestrae pietatis, filii mei, Faustus magister et Irenaeus viri illustres atque eorum comites publica legatione fungentes ad urbem reversi, clementiam vestram dixerunt quaesisse, cur ad vos meae salutationis scripta non miserim. Non meo fateor instituto: sed cum directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam sibi vestris praeceptionibus abnegatam tota urbe dispersserint, a litteris credidi temperandum ne onerosus potius quam officiosus existerem. Videtis igitur non mea dissimulatione provenisse, sed competentis fuisse cautelae, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed ubi serenitatis tuae benevolentiam comperi praefatis indicantibus humilitatis meae clementer expetisse sermonem iam revera perpendi reputandum mihi non immerito si tacerem, quia, gloriose fili, te sicut Romanus natus Romanum principem amo, suscipio, colo, et sicut christianus cum eum qui zelum dei habet, secundum scientiam veritatis habere desidero, et qualiscumque apostolicae sedis vicarius, quod ubicumque plenae fidei catholicae deesse comperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione enim mihi divini sermonis iniuncta: Vae mihi est, si non evangelizavero. Quod cum vas electionis beatus apostolus Paullus formidet et clamet, multo magis mihi exiguo metuendum est, si divinitus inspirato et paterna devotione transmisso subtraxero ministerium praedicandi.

Pietatem tuam precor, ne arrogantiam iudices divinae rationis officium. Absit, quaeso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur iniuriam. Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quoniam licet praesideas humano generi dignitate, verumtamen praesulibus rerum divinarum devotus colla submittis atque ab eis caussas tuae salutis expetis inque sumendis caelestibus sacramentis eisque, ut competit, disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Si enim quantum ad ordinem publicae pertinet disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus humanis exclusae videantur obviare sententiae, quo, oro te, decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis. Proinde, sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt: et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda summitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit pervenire et subsequens ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit? Ubi pietas tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni quem Christi vox praetulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota, primatem. Impeti possunt humanis praesumptionibus quae divino sunt iudicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum quod ab ipso sacrae religionis auctore praefixum est, non potest ulla virtute convelli: Firmamentum enim dei stat. Num quidnam cum ab aliquibus religio infestata est, quantacumque potuit novitate superari et non magis hoc invicta permansit, quo aestimata est posse succumbere?

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. c.* 49 *coll. Quesnell. ed. Baller.* (*l. c.* p. 338). *Divisio capitt. ibidem prolata in Ps.-Isid. non exhibetur.*

Desinant ergo, quaeso te, temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticae praecipitanter ambire quae non licent, ne et illa quae male appetunt, nullatenus apprehendant et modum suum apud deum hominesque non teneant. Quapropter sub conspectu dei pure, sincere pietatem tuam deprecor, obtestor, exhortor, ut petitionem meam non indignanter accipias; rogo, inquam, ut me in hac vita potius audias deprecantem, quam, quod absit, in divino iudicio sentias accusantem. Nec me latet, imperator auguste, quod pietatis tuae studium fuerit in privata vita. Optasti semper fieri particeps promissionis aeternae. Quapropter noli precor irasci mihi, si te tantum diligo, ut regnum quod temporaliter assecutus es, velim te habere perpetuum et qui imperas saeculo, possis regnare cum Christo. Tuis certe legibus, imperator, pateris nihil perire Romano nomini, nihil admittis ingeri detrimenti. Itane verum est, princeps egregie, qui non solum praesentia Christi beneficia, sed et futura desideras, ut religioni, ut veritati, ut sinceritati catholicae communionis et fidei temporibus tuis non patiaris quemquam inferre dispendium? Qua fiducia, rogo te, illic eius praemia petiturus es, cuius hic damna non prohibes? Non sint gravia, quaeso te, quae pro tuae salutis aeternitate dicuntur. Scriptum legisti: Meliora sunt vulnera amici quam oscula inimici. Quaeso pietatem tuam, ut quo affectu dicuntur a me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat. Verum est quod figuraliter per prophetam scriptura testatur: Una est columba mea, perfecta mea. Una est christiana fides, quae est catholica; catholica autem veraciter illa est, quae ab omnium perfidorum atque ab eorum successoribus consortibus, sincera, pura, immaculata communione divisa est. Alioquin non erit divinitus mandata discretio, sed miranda confusio. Nec ulla causa iam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis haeresibus aditum ianuamque pandamus. Qui enim in uno offenderit, omnium reus est, et qui minima spernit, paulatim decidit.

Hoc est, quod sedes apostolica magnopere praecavet, ut quia mundo radix est apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod deus avertat, quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret vel cui iam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde pietas tua unius civitatis populum negat posse componi. Quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si, quod absit, nostra fuerit praevaricatione deceptus? Si totus correctus est mundus, profana patrum suorum traditione despecta, quomodo non corrigatur unius civitatis populus, si praedicatio fida succedat? Ergo, gloriose imperator, nolo ego ecclesiarum pacem, quam etiamsi cum mei sanguinis impendio provenisse posset, amplector, sed precor te cuiusmodi debeat esse pax ipsa, non utcumque, sed veraciter christiana mente libremus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualiter esse debeat, nobis evidenter per apostolum praedicatur, qui ait: Et caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Quomodo, quaeso te, de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? Quomodo de conscientia bona, si pravis fuerit malisque commixta? Quemadmodum fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis? Quae cum a nobis saepe iam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari et tamdiu non tacere, quamdiu nomen pacis obtenditur, ut nostrum non sit, ut, invidiose iactatur, facere pacem, sed talem velle nos doceamus qualis et sola pax esse et praeter quam pax nulla esse monstretur? Eutychianum certe dogma contra quod apostolicae sedis cautela pervigilat, si creditur salva catholicae fidei veritate posse constare, promatur, asseratur et quantislibet viribus astruatur, ut non solum per seipsum quam inimicum sit fidei christianae possit ostendi, sed et quantas et quam lethales haereses in sua contineat colluvione monstrari. Si autem, ut magis confidimus, a catholicis iudicatis mentibus excludendum, quaeso te, cur non et contagia simul eorum qui hoc probantur esse polluti, decernitis refutanda, cum dicat apostolus: Non solum qui non facienda faciunt reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus. Proinde sicut non potest perversitatis communicatore suscepto non pariter perversitas approbari, sic non potest refutari perversitas, complice et sectatore perversitatis admisso.

Legibus certe vestris criminum conscii susceptoresque latrocinantium pari iudiciorum poena constringuntur, nec expers facinoris aestimatur, qui, licet ipse non fecerit, facientes tamen in foedus familiaritatemque receperit. Proinde cum Calchedonense concilium pro fidei catholicae atque apostolicae veritate communioneque celebratum damnaverit Eutychetem detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter eius quoque consortem Dioscorum ceterosque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in unaquaque haeresi vel factum semper vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum Timotheus, Petrus atque alter Antiochenus Petrus non singulariter, nominatim unusquisque pro parte sua viritim propter singulos quosque rursus facto concilio, sed synodi semel actae regula consequenter elisi. Quemadmodum ergo non apparet evidenter etiam cunctos simili tenore constringi, qui eorum communicatores et complices extiterunt atque omnes omnino a catholica atque apostolica merito communione discerni? Hinc Acacium quoque iure dicimus a nostro consortio submovendum qui maluit in sortem transire perfidiae quam in catholicae et apostolicae communionis sinceritate constare, cum fere triennium ne in id veniret apostolicae sedis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam vero communionis est factus alie-

nae, non potuit nisi a catholicae et apostolicae mox societate praecidi, ne per eum, si vel paullulum cessaremus, nos quoque subiisse videremur contagia perfidorum. Sed revera vel tali perculsus poena resipuit, correctionem promisit, emendavit errorem, aut ille tractatus lenius voluerat coerceri, qui etiam verbera dura non sensit? Quo in sua perfidia et damnatione moriente tam eius in ecclesiastica recitatione non potest nomen ascribi, quam externae contagium non debet communicationis admitti. Quapropter aut doceatur ab haeretica participatione sincerus, quorum se ille permiscuit communioni, aut cum iisdem non potest non repelli.

Sic autem susurrant Orientis episcopi quod ad eos sedes apostolica non ista conscripserit, quasi vel ipsi de recipiendo legitime Petro sedem apostolicam suis litteris fecerint certiorem vel huius receptionis inconditae non iam pariter complices extitissent, quem sicut non possunt docere ab haeretica pravitate fuisse purgatum, ita se haereticorum nullatenus poterunt excusare consortes. Qui si fortassis astruxerint quod ad apostolicam sedem de susceptione Petri per Acacium cuncti consona voluntate retulerint per eumdem sibimet omnes pari voce sentiant fuisse rescriptum. Apostolicae vero sedis auctoritas, quod cunctis saeculis christianis ecclesiae praelata sit universae et canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur. Sed vel hinc vel utrum sibi quisquam contra Nicaenae synodi constituta quippiam valeat usurpare, collegio potest unius communionis ostendi, non mentibus externae societatis aperiri. Apud illos si quis confidit egrediatur in medium et apostolicam sedem de utroque revincat et instruat. Tollatur ergo nomen e medio quod ecclesiarum discretionem procul a catholicae communione operatur, ut sincera pax fidei communionisque reparetur et unitas. Et tunc quis nostrum contra venerandam vel insurrexerit vel nitatur insurgere vetustatem, competenter et legitime perquiratur, et illic apparebit quis modesto proposito custodiat formam traditionemque maiorum, quis supra haec irreverenter insiliens, quis rapina posse fieri arbitretur.

Quod si mihi persona populi Constantinopolitani proponitur, per quam dicatur nomen scandali, id est Acacii, non posse removeri, taceo quia et haeretico quondam Macedonio pulso et Nestorio nuper eiecto plebs Constantinopolitana catholica manere delegerit, potius quam maiorum praesulum damnatorum a defectione retineri. Taceo quod ab eisdem ipsis damnatis praesulibus, a quibus baptizati fuerant in fide catholica manentes nulla sint exagitatione turbati. Taceo quod pro rebus ludicris populares tumultus nunc etiam vestrae pietatis auctoritas refraenarit atque ideo multo magis pro salute animarum suarum necessario nobis Constantinopolitanae civitatis obtemperat multitudo, si eam ad apostolicam et catholicam communionem vos principes reducatis. Etenim, imperator auguste, si contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nulla id pati ratione potuisses; ad divinitatis puram sinceramque devotionem, ut tibi plebs subdita redigatur conscientiae tuae non putas interesse? Postremo, si unius populi civitatis animus non putatur offendi, ne divina, ut res postulat, corrigantur, quanto magis, ne divina offendantur catholici nominis universi piam fidem nec laedere debemus omnino nec possumus! Et tamen iidem poscunt se nostra voluntate sanari. Competentibus ergo se sinant curari posse remediis, alioquin, quod absit, in eorum transeundo perniciem cum illis perire possumus; ipsos vero salvare non possumus. Iam hic quid sit magis sequendum sub divino iudicio vestrae conscientiae derelinquo, utrum, sicut nos optamus, simul omnes certam redeamus ad vitam, an sicut illi poscunt, manifestam tendamus ad mortem. Sed adhuc apostolicam sedem sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare arrogantemque contendunt. Habet hoc qualitas saepe languentium, ut accusent medicos congruis eos observationibus ad salubria revocantes magis quam ut ipsi suos noxios appetitus depromere vel reprobare consentiant. Si nos superbi sumus, qui animarum remedia convenientia ministramus, quid vocandi sunt qui resultant? Si nos superbi sumus qui obediendum paternis dicimus constitutis, qui refragantur quo appellandi sunt nomine? Si nos elati sumus, qui divinum cultum puro atque illibato cupimus tenore servari, qui contra divinitatem quoque sentiunt, dicant qualiter nuncupentur. Sic et nos ceteri qui in errore sunt, aestimant quod eorum non consentiamus insaniae. Ubi tamen spiritus superbiae veraciter pugnet et consistat, veritas ipsa iudicat.

Incipiunt rationes reddende Accatium a sede apostolica competenter fuisse dampnatum.[1]

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Dardaniam constitutis Gelasius.

Valde mirati sumus, quod vestra dilectio quasi novam et veluti difficilem quaestionem et adhuc tamquam inauditum quippiam nosse desiderat, quod Eutychianae pestilentiae communicatores, non habentes quid pro suae perditionis obstinatione respondeant, frequenti iam ratione convicti sola contentione summurmurant, non quia sit alicuius momenti quod garriunt nec inveniunt penitus quid loquantur. Ubi magis eos qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc haerere miramur, quam illos qui a veritate exciderunt et ab antiqua ecclesiae traditione sunt devii, profanas vocum novitates et ineptias caducae perversitatis obtendere. Quibus eos vestra

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. c.* 50 *coll. Quesnell. l. c. p.* 347. *Divisio capp. ibid. prolata apud Ps.-Isid. non exhibetur.*

dilectio retulit iactitare, ideo Acacium non putare iure damnatum, quod non a speciali synodo videatur fuisse deiectus et insuper dementiam suae vanitatis accumulare pueriliter adiicientes: Praecipue pontificem regiae civitatis. Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum percurrere vos oportet ab ipsis beatis apostolis et considerare prudenter, quoniam patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices in unaquaque haeresi quolibet tempore suscitata quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque apostolica secundum scripturarum tramitem praedicationemque maiorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum deinceps voluerint firmumque constare; nec in eadem causa denuo quae praefixa fuerant, retractari qualibet recenti praesumptione permiserint, sapientissime providentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret ecclesiae constitutum ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam praefixis positarum semel synodalium regularum non cessant elisae pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere et simplicia quaeque corda percutere, quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire concilium? Cum quaelibet illa manifesta sit veritas, numquam desit quod perniciosa depromat falsitas, etsi ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen intentione non cedens. Quae maiores nostri divina inspiratione cernentes necessarie praecaverunt, ut quod contra unamquamque haeresim coacta synodus pro fide, communione et veritate catholica atque apostolica promulgasset, non sinerent novis post haec retractationibus mutilari, ne pravis occasio praeberetur, quae medicinaliter fuerant statuta pulsandi, sed auctore cuiuslibet insaniae ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci.

Et ut brevitatis caussa priora taceamus, quae diligens inquisitor facile poterit vestigare, Sabellium damnavit synodus, nec fuit necesse, ut eius sectatores postea damnarentur, singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquae cunctos, qui vel pravitatis illius vel communionis extitere participes, universalis ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arrii forma fidei communionisque catholicae Nicaeno prolata conventu, Arrianos omnes vel quisquis in hanc pestem sive sensu sive communione deciderit sine retractatione concludit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium synodus semel gesta condemnans ulterius ad nova concilia venire non sivit, sed universos quocumque modo in has blasphemias recidentes tradito sibi limite synodali refutavit ecclesia nec umquam recte cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente noviter quae fuerant salubriter constituta temerasse. Non autem nos latet in tempestate persecutionis Arrianae plurimos pontifices de exiliis pace reddita respirantes per certas provincias congregatis secum fratribus ecclesias composuisse turbatas: non tamen ut illius synodi Nicaenae quicquid de fide et communione catholica diffiniverat, immutarent, nec nova quemquam prolapsum damnatione percellerent, sed illius decreti tenore, nisi resipuisset, iudicavere damnatum, essetque consequens, ut, nisi corrigeret, damnationi procul dubio subiaceret. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus quod nullus iam veraciter christianus ignoret uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis ecclesiae probavit assensus, nullam magis exequi sedem oportere prae ceteris quam primam, quae et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus apostolus Petrus domini voce praeceptum, ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.

Haec dum Acacium certis comperisset indiciis a veritate deviasse, diutius ista non credens, quippe quem noverat executorem saepe necessariae dispositionis suae contra haereticos extitisse, per triennium fere litteris destinatis eumdem monere non destitit, sicut per diversos missa familiariter scripta testantur. Quibus ille primum tamquam dedito silentio nihil respondere proponens tandem aliquando missis litteris profitetur, sed Alexandrino Petro quem expetita apostolicae sedis auctoritate executor ipse quoque damnaverat absque apostolicae sedis notitia communione permixtum. Beati autem Petri sedes quae Alexandrinum Petrum se tantummodo damnasse, non etiam solvisse noverat, non recepit, atque ideo ne per Acacium in Petri quoque consortium duceretur, ipsum quoque a sua communione submovit et multis modis transgressionem a sua societate fecit alienum. Hic si examinatio quaeritur, iam iudicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est. Si auctoritatis pondus inquiritur Calchedonensis synodi tenore illius definitionis executio reperitur, quo damnati illic erroris communicator effectus, praefixae nihilominus damnationis particeps existeret, quoniam idem ipse error qui semel est cum suo auctore damnatus in participe quolibet pravae communionis effecto et execrationem sui gestat et poenam. Quo tenore Timotheus etiam atque ipse Alexandrinus Petrus, qui secundam certe sedem tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantummodo sedis apostolicae ipso quoque Acacio postulante vel exequente probantur esse damnati. Quod si utrum errori vel praevaricationi communicarit Acacius, forsitan dicatur oportuisse constare, breviter praebemus ad ista responsum: Aut enim ipsi doceant Petrum veraciter legitimeque purgatum et

ab omni haereticorum contagione rite discretum, cum ei communicavit Acacius, si eius communicatorem putant Acacium aliquatenus excusandum, aut si quod magis est verum, convenienter atque legitime Petrum non probaverint expiatum, restat ut eius inexpiatione fuerit et qui ei communicavit infectus.

Nec plane tacemus, quod cuncta per mundum novit ecclesia, quoniam non quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resolvi, utpote quae de omni ecclesia fas habeat iudicandi neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Quapropter constat satis Acacium nullum habuisse pontificium sententiam sedis apostolicae sine ulla eius notione solvendi. Qua certe synodo hoc ille praesumsit, quod nec sic absque apostolica sede fas quidem haberet efficere? Cuius sedis episcopus, cuius metropolitanae civitatis antistes? Nonne parochiae Heracleensis ecclesiae? Si illi certe licuit sine synodo sententiam apostolicae sedis abrumpere, nulla eius consultatione quaesita, itane vero non licuit primae sedi Calchedonensi synodi constituta, sicut decuit exequenti huiusmodi praevaricatorem sua auctoritate detrudere? Sed nec illa praeterimus quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more maiorum etiam sine ulla synodo praecedente exsolvendi quos synodus iniqua damnaverat et damnandi nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctae quippe memoriae Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum sedes apostolica, quia damnationi Graecorum non consensit, absolvit. Sanctae memoriae nihilominus Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum praesulum certe damnaverat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctum Flavianum, pontificem Graecorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit; potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundae sedis praesulem sua auctoritate damnavit et impiam synodum non consentiendo sola summovit et pro veritate ut synodus Calchedonensis fieret sola decrevit. In qua ut ergo sola ius habuit absolvendi eos quos synodica decreta perculerant, sic etiam sine synodo in hac eadem caussa plurimos etiam metropolitanos damnasse cognoscitur.

Quod si quis haec ab apostolica sede vel secundum synodum acta reprehendit, praeter quod prisca rerum probatione convincitur, interim multo magis Acacio non licuisse fatebitur. Dicat ergo qua ipse synodo secundae sedis antistitem, qualemcumque certe catholicum et a catholicis ordinatum, nec de catholica fide et communione aliquatenus impetitum duxerit excludendum et haereticum manifestum Petrum sua quoque executione damnatum catholico pontifici permiserit subrogari. Qua synodo tertiae sedis episcopum sanctum Calendionem fecit expelli ac nihilominus eidem Petrum tam manifestum haereticum, ut eidem palam nec se communicare praetenderet sua passus est dispositione substitui? Qua denique per totum Orientem synodo eiectis orthodoxis, nullo crimine maculatis, pravos quosque et criminibus involutos sua provisione supposuit? Qua synodo tot aliena privilegia nefandus populator invaserit? Sed libri non sufficient, si tragoedias eius quas per ecclesias totius Orientis exercuit, singillatim describere moliamur. An illud ipsius argumentum nobis aestimant opponendum, quo facinora sua in imperialem visus est iactare personam. Cur igitur, quando voluit, obstitit Basilisco tyranno certe et haeretico vehementer infesto? Cur ipsi imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit in aliis resultare, si vellet. Annon apostolus dixit: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus reatu pariter sunt irretiti? Sed ut ea quae latius explicanda sunt omittamus, quid quod ipse Zeno imperator suis litteris profitetur cuncta sese ex Acacii gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse quoque testatur Acacius. Qui et eum nihilominus universa recte gessisse conscripsit et suo consilio haec eadem gesta non tacuit. Quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acacius praevaricator extiterit et non in omnibus quos vel fecit depulsis catholicis pontificibus tamquam tyrannus ecclesiis quibuscumque praeponi vel taliter praepositis perversa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat christianus quod catholicis pontificibus a propria sede deiectis, nonnisi haeretici potuerunt introduci? Quibus tamen cunctis vel auctor fuit Acacius subrogandis vel subrogatis communicator accessit, his utique, qui a communione haereticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum haec fieri videret, non sicut sub Basilisco iam fecerat, ad apostolicam sedem referre curavit, ut si solus ipse non poterat iunctis cum eadem consiliis atque tractatibus apud imperatorem possent, quae religioni competerent, allegari? Nam si Basiliscus, ut dictum est, tyrannus haereticus, scriptis apostolicae sedis vehementer infractus est et a plurimis revocatus excessibus, quanto magis legitimus imperator qui se catholicum videri volebat, potuit cum apostolica sede cunctorum quoque pontificum moderata suggestione mitigari, praecipue cum eiusdem Acacii esset specialis fautor et amator et qui litteris suis, tam ipsum Acacium quam sanctum papam Simplicium magnis laudibus extulisset, quod haeretico constantissime restitissent? Cur tanto tempore Acacius inter ista conticuit, nisi quia praepediri nolebat ullatenus quae desiderabat expleri.

Ponamus tamen etiam, si nulla synodus

praecessisset, cuius apostolica sedes recte fieret executrix, cum quibus erat de Acacio synodus ineunda? Numquid cum his qui iam participes tenebantur Acacio et per Orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis et per exilia diversa relegatis socii evidenter existebant communionis externae, prius se ad haec consortia transferentes, quam sedis apostolicae scita consulerent? Cum quibus ergo erat synodus ineunda? Catholici pontifices fuerant undique iam depulsi solique remanserant socii perfidorum, cum quibus nec licebat habere conventum dicente psalmo: Non sedi in concilio vanitatis et cum iniqua gerentibus non introibo. Nec ecclesiastici moris est cum his qui pollutam habent communionem permixtamque cum perfidis miscere concilium. Recte igitur per Calchedonensis synodi formam huiusmodi praevaricatio repulsa est potius quam ad concilium, quod nec opus erat post primam synodum, nec cum talibus habere licebat. Nam et quid ageretur de fide catholica intelligere, si vellent, ignorare non poterant, cum viderent catholicos pontifices nulla synodi discussione, nullo concilio, praecipue cum novas caussas esse perpenderent, toto Oriente depelli et ceteri quid caverent, ex illorum discernere qualitate potuissent. Restat igitur ut illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dederunt meritoque ab apostolica sede ceterisque catholicis, non iam consulendi erant, sed potius notandi. Risimus autem quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiae civitatis. Numquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Num quidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quippiam suis dignitatibus usurparunt? Numquid Acacius ut Ioannem qualemlibet hominem, catholicum tamen a catholicis ordinatum de Alexandria excluderet Petrumque in haeresi iam detectum atque damnatum absque sedis apostolicae consultatione reciperet, aliqua synodo saltem illic habita hoc audacter arripuit, ut Calendionem de Antiochia depelleret haereticumque Petrum quem ipse damnaverat, absque notitia sedis apostolicae rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certe de dignitate agitur civitatum, secundae sedis et tertiae maior est dignitas sacerdotum, quam eius civitatis quae non solum intra sedes minime numeratur, sed nec intra metropolitanorum iura censetur. Nam quod dicitis regiae civitatis, alia potestas est regni saecularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. Sicut enim, quamvis parva civitas praerogativam praesentis regni non minuit, sic imperialis praesentia mensuram dispensationis religiosae non mutat. Sic clara urbs illa potestate praesentis imperatoris religio sub eodem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius hoc praesente propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.

Sed dicatur forsitan de Alexandrino et Antiocheno certis ex caussis principem magis illa quae gesta sunt, non Acacium praecepisse. Sed principi christiano decuerat suggerere sacerdotem, maxime cuius familiaritate et favore fruebatur, salvam fore de eius iniuria contumeliaque vindictam, tantum ut ecclesiae sineret christianus princeps regulas custodiri, quia et nova in utroque pontifice caussa esset exorta et novam discussionem consequenter inquireret. Et si, sicut semper esset effectum, sacerdotali concilio de sacerdotibus iudicia provenirent, non a saeculari viderentur qualescumque pontifices, et si errore humanitatis accedente, non tamen contra religionem ullatenus excedentes potestate percelli. An et haec iusta ratione principis suggerenda non erant? Regiae civitatis honore sublimis, si factus erat illa regia civitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his quae pro religione fuerant exerenda extitit contemtibilis atque despectus et aut segnis aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam civitatem maior effectus est? Nathan propheta palam publiceque in facie regi David et commissum pronuntiavit errorem et ipsum commisisse non tacuit et confessione correctum consequenter absolvit. Hic autem vir bonus et sacerdos egregius in tantum se et suggerere potuisse monstravit et noluisse depromsit, immo favisse patefecit, ut et imperator cuncta se ex eius gessisse consilio non taceret et ipse imperatorem magnis praeconiis elevaret ista facientem, seseque proderet his agendis rebus fuisse participem.

Sed esto Calendion nomen imperatoris abstulerit, Ioannes principi mentitus fuisse iactetur: quae tamen cum novae essent caussae, nova debuit ecclesiastica pervenire discussio? An qui in hominem imperatorem peccasse dicebantur, nulla interveniente synodo deiici debuerunt: et in deum, qui summus et verus est imperator, Acacium delinquentem sinceramque communionem divini sacramenti studentem miscere cum perfidis secundum synodum qua haec est damnata perfidia, non oportebat excludi? Quid per totum Orientem de innumeris urbibus pulsi catholici sacerdotes et haeretici subrogati? Novae certe erant caussae et his consequenter nova synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, ut in talibus caussis peteretur a principe saltem qualiscumque synodus celebranda, ut quocumque vel colorato iudicio traditionis ecclesiasticae passim pontifices viderentur exclusi, non solum quarumcumque urbium sacerdotes, sed metropolitani incunctanter antistites? His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit consensit Acacius communicando cunctis qui in catholicorum locum haeretici fuerunt subrogati. Apostolus autem dicit: Non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, reos indubitanter ascribi. An haec licuit saeculari potestati et actis talibus

Acacio consentienti absque ulla synodo, quam ipsa rerum novitas exigebat, absque sedis apostolicae consultatione perficere, et sedi apostolicae non licuit, secundum tenorem synodi Calchedonensis in veteri utique caussa et veteri constituto iusta definitione damnatis inimicis synodi Calchedonensis Acacium communicantem a sua communione depellere? Sed Acacius, inquiunt, principibus obviare non potuit, cur Basilisco, quia voluit, obviavit? Cur ipsi Zenoni, ne palam Petro Antiocheno, quamvis latenter hoc fecerit, communicare videretur, non communicavit assensum? Ecce resultanti non restitit imperator: ecce vim nolenti non intulit: ecce refugienti contagia manifesta concessit: postremo cur tanto tempore cum ista gererentur vel gerenda cognosceret, non ad sedem apostolicam, a qua sibi curam illarum regionum noverat delegatam, referre curavit? Sed prius laudator factus est ipse gestorum, quam vel praemoneret talia esse tentanda vel ne tentarentur obsisteret, sicut sub Basilisco iam fecerat. Cur illis ceteris communicare consensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus indubitanter haeretici singulis urbibus fuerant substituti? Postremo, si ille defuit suis partibus et quae sacerdoti catholico competerent agere non curavit, ideo sedes apostolica quod ad eam pertinebat vel potuit vel debuit praeterire? Quolibet modo haereticorum complicem refutavit et consortem communionis externae a sua communione dimovit: nec opus fuit nova synodo cum veteris constituti sufficienter hoc forma praescriberet, nec opus fuit ut haec facienda Orientis episcopis intimaret, quos et expulsione catholicorum, quae agebantur in caussa fidei non ignorasse manifestum sit et communicando haereticis subrogatis facto tali consensisse. Non dubium est etiam externae communionis effectos, atque ideo cum eis iam nec potuisse nec debuisse sedis apostolicae scita tractari. Ecce agnoverunt in eorum professione, qui constantissime perdurarunt, quid fidei communionique catholicae deberetur.

Ecce agnoverunt, quemadmodum a talibus recedendo, immo talibus contraria moliendo, a fide et communione catholica deviarit Acacius, seque pariter cum eodem errori subdiderint. Ecce agnoverunt quam iustis ex caussis pro fide et communione catholica atque apostolica, cui et illi qui in ea perstiterant, congruebant, et illi qui perstantibus obviabant, ab eadem docebantur alieni, sedis apostolicae auctoritate sit remotus Acacius, eiusque pariter quicumque complices extiterunt, atque ab illa merito communione cum his discretus, a qua se ipse primum cum suis consortibus a pontificibus catholicis discrepando cognoscitur separasse, iureque sententiam ille damnationis excepit, ceteris consortibus promulgandam qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiae ad apostolicam sedem missis litteris est professus. Cui si communicaverant Orientales episcopi, antequam huc referret, pari utique sine dubio reatu probabantur involvi, iureque per eum sententiam transgressionis susceperunt, tamquam facti cum eodem communionis externae. Qui utique non consuli tamquam nostrae communionis homines iam deberent, sed tamquam in contrario positi consortio refutari. Si vero non communicaverant, antequam Acacius huc referret, et communicantem notare debuerant et ipsi potius de eodem huc referre atque apostolicae sedis vigore perculsum merito comprobare; cumque sede apostolica tantisque illis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciverant et eorum successoribus communicare delegerant, ideo cum sede apostolica minime congruebant, quia in sortem reciderant praevaricatoris Acacii et illius se sine dubio pervidebant sententia consequenter astringi. Ob hoc eum videri nolebant esse damnatum, quia se cognoscebant in eadem praevaricatione damnatos, in qua hodieque manere persistunt. Sed sicut hi simili conditione constricti complicem suum non possunt iudicare non iure damnatum neque rei reum possunt competenter absolvere: sic illo praevaricatore iuste damnato isti quoque pari iacent damnatione prostrati, neque nisi resipiscentes inde poterunt prorsus absolvi, quia sicut per unum scribentem eorum omnium vulgata transgressio est, qui in eamdem perfidiae reciderant actionem, sic in uno eodemque qui pro omnibus scripserat vel scribendo omnium prodiderat voluntates, transgressio est punita cunctorum.

Quae ad instructionem vestrae dilectionis satis abundeque sufficere iudicamus, quamvis eadem latius, si dominus concesserit facultatem, studeamus exponere, quatenus et fidelium quisque cognoscat, nihil apostolicam sedem, quod absit, praepropere censuisse. Quae tamen sententia in Acacium destinata, etsi nomine tantummodo praesulis apostolici, cuius erat utique potestatis legitime probatur esse depromta, praecipue cum secretim dirigenda videretur, ne custodiis ubique praetentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita, necessarium habere non posset effectum, tamen quia orthodoxis ubique deiectis et haereticis tantummodo eorumque consortibus iam relictis in Oriente catholici pontifices aut residui omnino non essent aut nullam gererent libertatem, plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum rationabiliter cognovit in Acacium fuisse prolatam. Quae congregatio facta pontificum non contra Calchedonensem, non tamquam nova synodus contra veterem primamque convenit, sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps apostolicae executionis effecta est, ut satis appareat ecclesiam catholicam sedemque apostolicam, quia alibi iam omnino non posset ubi potuit, et cum quibus potuit nihil penitus omisisse quod ad fraternum pertineret pro intemerata fide et sincera communione tractatum.

Incipit de eadem ratione reddenda ad episcopos Orientales.

Dilectissimis fratribus universis episcopis Orientalibus Gelasius.[1]

Quid ergo isti prudentes viri et argutis mentibus totius religionis interna rimantes in Orientis partibus constituti, si cognoverunt huiusmodi personam in Antiochena ecclesia constitutam, cur communicando talibus praebuere consensum? Cur non illico reclamaverunt? Cur non se tali contagio submoverunt, cum iam evidenter animadverterent ideo Calendionem depulsum, ut haereticis panderetur introitus? Quare hic nihil de synodo, nihil de re, nihil de fide christiana, nihil de personarum examinatione tractarunt? Si vero illi se communioni voluntarie subdiderunt, ab apostolica sede certe separati sunt cum talibus et apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset omnino synodus provenire. Quod si ignorasse se dixerint, qualis apud Antiochiam post Calendionem successisset antistes, quid mirum, si qui in Oriente positi quae in regione sua contigerant scire nequiverunt, ea quae apud apostolicam sedem gesta fuerant ignorarint? Cur tamen posteaquam ad eorum notitiam pervenit, qualis esset sacerdos apud Antiochiam constitutus, non eius consortia continuo respuerunt? Quid excusationem de ignorantiae colore praetendunt, cum hodieque et manifestata contagia perfidorum et a nobis saepius exprobrata sectentur? Quo satis apparet, quia ne tunc quidem, etiamsi cognoscerent, refutarent, quando nunc etiam publicata non renuunt. Prorsus in quamlibet se partem caussationemque convertant, manifestae veritati ita laqueis suffocantur, ut suis ipsi verbis possint actibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatae perfidiae residuam ventilare.

Haec autem quae de Calendione venerabili dicta sunt et in Ioannis Alexandrini conveniunt certa ratione personam, immo si caussa eadem latius inquiratur, tantae illic tragoediae, tanti reperiuntur errores, ut si ipsi sint iudices qui eadem perpetrarunt, cum evidenter fuerint confutati, a sui damnatione non temperent. Palam enim illic aperteque monstratur nihil aliud quam quaesitam caussam quemadmodum catholico qualicumque depulso pontifice haeretico Petro reseraretur accessus. Nunc istud nemo discutiebat, synodum nemo poscebat, passim omnia licito fieri a quibuscumque videbantur, nullum discrimen rerum, nulla examinatio postulabatur ecclesiae, sed prout de unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam tertiae et secundae sedis antistes. In his nulla rerum vestigatio quaerebatur, nulla facienda concilia iactabantur, subrogabantur haeretici, nemo resultabat, sed velut muta pecora in captionem ducta subditis voluntatibus perfidiam sectabantur. Non mirum quidem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam caecis mentibus secuti sunt vilitatem; sed miramur, cur eos non pudeat in istorum damnatione de synodo non facta caussari, cum sciant tot tantosque pontifices nulla synodo fuisse depulsos. In istorum eiectione de non inito concilio conqueruntur, cognoscant se, cur non et hoc in aliorum eiectione quaesiverint accusari. Si vero in ceterorum reiectione concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum deiectione non fuit opus synodo, et fuit magnopere congreganda in praevaricatoris damnatione confessi?

Quid igitur restat, nisi ut dicant haereticos non fuisse? Non ergo de synodo conquerantur, qui se palam communionis externae perhibent sectatores. Cur ergo eis synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Calchedonensem venisse cognoscunt, qua Eutychianus error cum suis auctoribus generalis ecclesiae voce damnatus est? Nec dubium quod sicut in unaquaque haeresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatae semel pravitatis pari sorte censentur. Ideoque sit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores secundum tenorem illius synodi nulla recenti facta pontificum congregatione damnati sunt, sic etiam qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors sit factus et poenae. Quid igitur ambagibus et nebulis ista praetexunt, ut impudentiam suam mentemque vesanam inanibus potius fabulis celare letaliter quam perdendo medicinaliter sanare contendant? Nihil enim nobis commune cum hominibus communionis externae. Ideo certe vocatur ad iudicium certum quaecumque persona, ut aut fateatur obiecta aut convincatur obiectis. Post confessionem porro litterarum tenore depromtam, cur ad iudicium vocaretur Acacius qui se confessus est Petro, quem petita sedis apostolicae praeceptione damnarat, communione sociasse, nec ei credi iam externae communionis effecto vel pro sua vel pro illorum vel pro Petri defensione iam posset, cui se prius miscuerat nefando consortio feceratque secum eius caussam sine dubitatione communem? Cui examinatione praemissa et legitima, si ita esset, purgatione suscepto regulariter misceretur. Sed cum eodem nondum legitime discusso atque purgato communione sociatus, quam adhuc reo se miscuit, tam pro eodem loquendi fiduciam non habuit. Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede posset ferre iudicium, non potuit iure quemquam damnare: simili modo, nisi primae sedis auctoritate percepta, nec exa-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. c.* 51 *coll. Quesnell. ed. cit. p.* 361. *Divisio capp. ibid. exhibita deest in Ps.-Isid.*

minandi Petri ius habuit, nec recipiendi penitus potestatem.

Quo regulariter constituto nec apud nos Petro ullatenus absoluto quem damnasse nos novimus, examinasse vel absolvisse nescimus. Restat ut illud etiam demonstremus eumdem Petrum quem se purgatum communione recepisse praetendit Acacius, numquam ab haereticae communionis contagione cessasse, ac non solum ipso tempore quo communicavit Acacius, sed etiam post communionem praevaricatoris Acacii semper Alexandrinum Petrum in haereticorum collegio perdurasse. Atque ita et per hunc Acacium perfidae communionis suscepisse contagium et per eamdem illis haereticis, quibus Petrus communicabat, eadem peste coniunctum. Qui praesumsit non servato ordine Petrum suscipere, nec eum examinatum nec purgatum cognoscitur recepisse, et ideo praeter sedis apostolicae notitiam, non legitimam sibi eius receptionem usurpare voluisse, ut examinationem et purgationem eius posset pro sua voluntate metiri, atque eum nec examinatum nec omnino purgatum reciperet. Quem si revera vellet examinatum purgatumque recipere, ordinem in eius examinatione et receptione potius custodisset, sed ut magis videretur quam veraciter esset iure purgari. Sicut ergo ante non prius damnavit, quam et referret et posceret apostolica potestate damnandum, sic et in recipiendo modum servare debuisset, ut priusquam se ei communioni misceret per sedem apostolicam posceret examinari eum et legitima ratione purgari, cum nec examinandi aut recipiendi eum haberet ipse pontificium, et nonnisi per illius sedis auctoritatem consensumque hoc posset implere, sine cuius auctoritate eum non poterat ipse damnare et cuius principali diligentia et discuti potuit et purgari et ad communionem convenienter admitti. Cum enim constet semper a sede apostolica huiusmodi personas aut discussas vel esse purgatas aut sic ab aliis quibus competebat episcopis absolutas, ut tamen absolutio earum ex sedis apostolicae consensione penderet, ubi utrumque defuit, nec discussionem legitimam nec purgationem firmam, ac per hoc receptionem fuisse constat indebitam. Si tu absque mea communione Petrum iudicasti esse catholicum, meque despecto tuo eum iure recepisti, quod caussaris, si ego illum a communione mea quam tu voluisti contemtam, tamquam absque tua notitia vel consultatione repulerim. Vis acquiescere? Meus es. Non vis acquiescere? Meus non es. Qui enim mecum non est, contra me est, et qui mecum non colligit, spargit.

Quaero abs te, Petrum haereticum fuisse putas, an catholicum, an ab haeresi postea esse correctum? Si haereticum, nullatenus eidem communicare debuisti eidemque communicando haeretici te manifestum est factum fuisse participem et eius consequenter ex synodi tenore veniente damnatione constringi. Si catholicum, palam totius dogmatis es defensor, quod catholicum esse pronuntias, ac nihilominus illius errore censeris, si haereticum fuisse definias, sed postea correxisse praetendas, eique purgato te communicasse pronunties. Interim in cuius persona me negligendum esse credidisti, caussari non potes quod in hac eadem te eius persona neglexerim. Deinde cum sine me ius non habueris vel absolvendi vel recipiendi huiusmodi rite personam: nec purgatam legaliter nec regulariter constat esse, quam regulariter non receptam, tam legaliter non constat esse purgatam, et ideo non iure purgatam, quia legaliter non receptam. Mea enim in illum manente sententia, te sine me pontificium, ut meam sententiam resolveres, non habente, qua potestate vel discussus est vel qua auctoritate receptus asseritur? Ecce interim in his caussa vestra nutat et labitur, et si haec sola sint, prorsus tota subruitur.

Sed adiicitur adhuc aliud quod ad cumulum vestrae commotionis accedat. Quid enim si doceatur non solum priusquam in eius communionem veniretis, neque tantummodo cum ad eius communionem venistis, sed etiam postea in haereticorum nihilominus eum communione durasse? Nonne aut per illum apud vos communio perveniebat haeretica aut in haereticam communionem vos eius commercio transibatis? Docete igitur Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri umquam communione descisse et non usque ad diem cum Antiochenus Petrus in hac luce versatus est, individuum utrisque fuisse consortium. An dicturi estis, et Antiochenum Petrum fuisse correctum? Cur usque in finem se non communicasse gloriabatur Acacius? Sed quid profuit quod illi per seipsum communicare non voluit, cum eidem per Alexandrinum Petrum sine ulla se communicare putaret invidia? Quid facimus de tot tantisque civitatibus ex quibus catholici pontifices sunt repulsi? Si catholici subrogati sunt, cur catholici sunt reiecti? Sed evidenter apparet, quia cum catholici sunt reiecti, non catholici fuerunt subrogati. Restat ergo, ut catholicis haeretici quicumque successerint. Cur eis temere communicastis? Cur non ut ista nova facies rerum et tanta tragoedia de pontificum successione viventium synodo discuteretur, egistis? An de uno dolet Acacio, quod speciali synodo non fuerit confutatus, cum proprium crimen suis litteris ipse detexerit, nec audiri debuerit iam sponte confessus, et de tantis pontificibus catholicis non dolent sine ulla discussione seclusis? Qui utique si catholicos nossent eos, quorum cummunionem vitaverant, his potius communicare maluissent quam non communicantes eis dura persecutione depelli.

Ecce tanti catholici sacerdotes hoc ipso se indicant, quid apostolica sedes censuerit cognovisse, constanterque probasse retinendum, quo communionem catholicam reservantes et eos qui apostolicae sedi communicarent, elegere consortes, et illos quibus sedes apostolica minime communicaret, usque ad

persecutionis incursus non tenuere consortes. Certe quae sedes apostolica decreverat, Orientalibus episcopis non innotuisse iactatur. Unde ergo tot tantique pontifices unum idemque cum apostolica sede sentientes eamque probantes apta sacrosanctae religioni veraque sanxisse quae non solum sibi sequenda iudicaverint, sed etiam usque ad persecutionem viriliter exerenda? Ecce habuistis qui apostolicae constitutionis et notitiam vobis ingererent et retinendi constantiam ministrarent. Si apostolica sedes misisset, vix duos aut tres dirigere potuerat. Ecce tot pontifices apostolicae sedis scita sectantes, ingerunt nobis notitiam et praebent servandae veritatis exempla. Qui contra tantos clausistis oculos ibidem constitutos, quomodo duas vel tres audire possetis? Hoc ipso sine dubio cognovistis, illos apostolicae sedi placere, quo vos displicere videbatis. Aut illos ergo sectamini per quos intelligebatis sedis apostolicae voluntatem aut nihil est quod de ignorantia velitis obtendere, cum indiciis tantis et talibus abutentes sedis apostolicae constituta tantis testimoniis praedicantibus respuere potius quam recipere maluistis.

Numquid omnes isti quos memoravimus episcopi imperatori mentiti sunt? Numquid omnes imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt? Cum igitur pellerentur et vivis pontificibus catholicis successores haeretici crearentur et non de inferioribus quibusque civitatibus, sed etiam metropolitani pontifices in catholica iugiter communione durantes, cur igitur compassi non estis tantis fratribus vestris? Cur non adiistis imperatorem? Cur non ecclesiae caussam et sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis, allegantes numquam de pontificibus nisi ecclesiam iudicasse; non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque ecclesiae principaliter constitutis pontificibus; obsequi solere principes christianos decretis ecclesiae non suam praeponere potestatem, episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare: quibus ecclesiae conciliis, qua synodo pellerentur, quid denique commisissent, ut sine ulla discussione rerum tot ecclesiarum praesules pro humano libitu et saecularis potestatis arbitrio pellerentur: inauditos, indiscussos, inconvictos non debere percelli, maxime cum novae causae et nova rerum facies appareret, ut rectores isti plebium repentinis incursionibus pro mundanae potentiae voluntate sacris dignitatibus privarentur: ex nulla caussa veteri, ex nullo collegio reatus nec participatione cuiuslibet erroris iam ante damnati teneri eos convincique consortes, ut tamquam ex praeterita definitione iudicarentur obstricti. Et ideo quia nullus ante praecedentibus caussis recentes essent, cur eiicerentur incursus qui illi essent debere monstrari et ecclesiasticis legibus ut semper oportere constare. Saltem vel pro vestro loco illorum duceretis miseriis consulendum, formidantes in vobis quod in aliis cerneretis, praeter ullum morem violenter admitti. Si crimine respersi erant aliquo, ecclesiastica debuit examinatione cognosci.

Taceo et ad sedem apostolicam ex more deferri, ne nostra privilegia curare videamur. Satis sit ostendere quid secundum regulas et patrum canones facere deberetis, praecipue cum etiam ipsae leges publice ecclesiasticam regulam obsequentes, tales personas non nisi ab episcopis sanxerint iudicari. Si vero de qualibet haeresi fuerant impetiti, tanto magis eos decuit ista cognoscere, qui et secundum religionis tenorem possent ista discutere et haberent pristinum, ex quo est christiana religio, pontificium iudicandi. Aut catholici enim erant aut haeretici, de quibus passim illa ludibria gerebantur et latrocinia detestanda saeviebant. Si haeretici, prodi, discuti et legitime convinci modis omnibus debuerant et vel suis confessionibus vel aliorum vocibus confutari. Taceo quia ad nos fuerat paterna consuetudine referendum tantumque commoneo, quid fieri ecclesiastico iure convenerat. Si vero catholici probabantur, vos qui in eorum non solum depulsione cessastis, sed etiam subrogatis communicare delegistis indubitanter haereticis. Qui depulsis catholicis succedentibusque haereticis non ignorastis caussam fidei communionisque catholicae per tantos antistites toto orbe patefactam, sed plane scientes volentesque sine ulla discussione rerum, sine ulla synodali examinatione, sine ulla sedis apostolicae reverentia, assensistis haereticis; libenter habentes patienterque sinentes catholicos antistites inaudita prius et miserabili sorte detrudi. Quos si a fide integra communioneque catholica putaretis errare ad apostolicam sedem secundum scita maiorum et sicut semper est factum, referre debuistis, sicut de Petro Alexandrino vel Antiocheno Petro de Ioanne et Paullo fecisse monstratur Acacius. Sed quoniam noveratis eos cum apostolica sede sentire et quid apostolica sedes sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat Orientales antistites nullatenus ignorasse, et per illos catholicae atque apostolicae communioni prodidisse contrarios, et ab eadem defecisse, cum illis non estis passione coniuncti, sed potius persecutoribus eorum societate connexi. Hic vobis synodus numquam venit in mentem, et certe de personis, ut dictum est, nulla veteri lege constrictis. Hic nullo concilio, non unius urbis vel unius episcopi, sed totius Orientis ecclesiam subiit animum vestrum facto sacerdotali concilio debere curari. Sed homines qui in contrariam partem toto proposito et toto recesseratis affectu, concilia potius necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid censeretur, quo vobis rebus evidenter ostensis et legitime confutatis, in haereticorum non liceret venire consortium.

Quid igitur de ignorantia praetenditis, cum per totum Orientem catholicam fidem communionemque sinceram sedi apostolicae con-

gruentem non solum cognovisse tot pontifices videbatis, sed etiam usque ad extremum constantissime defendisse? Si nos non audieratis, quid de fide et communione catholica atque apostolica censeremus, illos aspicere debuistis et aut sequi si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credebatis errasse. Quid illos iuvat vel suo proposito illam tenuisse sententiam, an agnoscendo quid sedes apostolica definiret? Aut igitur collegas et fratres de proximo in conspectu vestro vel catholicos sequi debuistis vel impetere, si credebatis errare: nec illis a quibus nullo discrimine vexabantur praebere consensum, donec veritas ex omnibus patefacta constaret, et regulariter de eis ecclesiastici iudicii forma procederet. Si vero apostolicae sedis regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam, consequenter per illos et quid nostra diffinitio contineret, non habuistis incertum et illorum persecutoribus annuendo a sedis vos apostolicae, non ignorantes eius sententiam, consortio retraxistis. Et adhuc dicitis ignorare vos quid sedes apostolica censuisset, cum illis sacerdotibus catholica fide et communione pollentibus non verbis aut litteris, sed personis praesentibus didiceritis universa et ab eadem vos proprio iudicio separasse videamini. Et adhuc dicitis synodum in unius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quaesistis? Quibus autem vultis ut de talium caussarum relatione credamus: catholicis? an haereticis? ab omni haereticorum contagione discretis an haereticorum communione pollutis? Quis autem non videat illos esse catholicos et ab omni haeretica peste prorsus alienos, qui a propriis urbibus detrusi et in exilium sunt redacti, et eos qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed aut Eutychianos manifestos aut eorum sectatoribus communicantes?

Haec pestis apud eos hodieque perdurat; siquidem cum Petro Alexandrino et cum Antiocheno Petro indifferenter hi qui catholicis successerant, communione permixti sunt et successoribus utriusque Petri hodieque miscentur. His adde etiam illos qui licet catholicis non successerint, tamen dum catholici pontifices haberentur talium se communioni iunxerunt. Haec est illa mixtura, haec est illa confusio qua per Orientem totum inter catholicam haereticamque communionem nulla discretio est. Immo qui discerni tentaverit, potius habetur haereticus, persecutione percellitur, exiliis et afflictione multatur. Restat ergo ut in hac colluvione cunctorum, sicut quisquis ab eadem separatus est, sincerae communionis et ideo catholicus comprobatur, ita quisquis illius detestandi commercii particeps invenietur, quantum a sincera communione, tantum a catholica atque apostolica sit remotus. Nec praetendat quisquam quod alicui forsitan evidentiori non communicasse vel non communicare videatur haeretico. Quid enim iuvat, si illi non communicet et his tamen communione iungatur qui ab illius non sunt communione diversi? Quid si eorum nulli communicavit vel omnino non communicat, hic erit ille sincerae catholicaeque apostolicaeque communionis et fidei, alioquin nullo modo poterit indiscretae illius mixtionis insincerum vitare contagium. Hoc modo etiam ille vir bonus Acacius Antiocheno Petro, cui se palam non communicare iactabat per alios sine ambiguo communicasse detegitur. Neque enim ab omnium qui Antiocheno Petro communicabant, semet Acacius communione suspendit. Ac per hoc quid profuit quod videri volebat, illi palam non communicare, cui per suos complices subcisivae communionis nectebatur. Alexandrino Petro communicavit Acacius, sed donec advixit Antiochenus Petrus, qui utique post Acacianum cum Petro Alexandrino foedus initum defunctus ostenditur, numquam Antiocheno Petro Alexandrinus Petrus communicare desivit.

Quod catholicorum continet relatio sacerdotum ceterorumque in catholica fide durantium, nec conscientiam potest latere totius Orientis. Et ut taceam quod per ipsum Zenonem imperatorem, qui utique Antiocheno Petro quem introduxerat et cuius sacerdotium comprobaverat, sine dubio communione permixtus communicabat Acacius: plurimos diversarum urbium praesules possumus demonstrare, quibus cum Antiocheno Petro communicantibus nihilominus communicabat Acacius et per illos Antiocheno consequenter communicabat et Petro. Sed haec apud Graecos facilis et inculpabilis putatur esse permixtio, apud quos nulla est veri falsique discretio, et cum omnibus reprobis volunt esse communes, in nulla monstrantur probitate constare. Hic autem ille est Petrus Antiochenus, quem nec per poenitentiam ad catholicam communionem recipi etiam a sede apostolica poposcit Acacius. Ac per hoc quid queruntur a nobis Acacium fuisse damnatum, cum hac professione praemissa et per anfractus Antiocheni Petri recepta communione se doceatur ipse damnasse. Ubi tamen non solum reus tenetur Acacius, sed et omnes pontifices Orientis, qui pari modo in haec recidere contagia meritoque simili damnatione tenentur obstricti, nec inde possunt ullatenus expediri, nisi, dum supersunt, a talibus abstinendo. Nec nos oportet in talibus causis nisi illis credere, qui aut omnino sciunt se ab huius perfidiae nexibus divino beneficio servare discretos, aut his qui a perfidorum consortio recesserunt. Nam in perfidorum contagio constitutis, quam fidem pro sincerae communionis testificatione possumus adhibere, qui in non sincera communione sunt positi? Nec eorum testimoniis niti pro veritate poterimus, qui impugnare nituntur falsitatibus veritatem. Restat, ut non nisi illis credere debeamus, qui ab omni contagione sunt liberi.

Item incipit pape Gelasii generale decretum.[1]

I. De institutis ecclesiasticis moderamine pro temporis qualitate dispositis.
II. Ut ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inviolata serventur.
III. Ut quum defuerint clerici, de monachis eligantur.
IV. Ut si de laicis eligantur ad clerum, quantum temporis observetur.
V. De digamis aliisque personis quae ad ministerium clericatus nullatenus applicantur.
VI. Ut sine praeceptione episcopi novae basilicae non dedicentur.
VII. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur.
VIII. De presbyteris, ut nihil super episcopos praesumant.
IX. Ut diacones mensuram propriam iuxta patrum decreta custodiant.
X. Quod diaconi in presbyterio residere non possint.
XI. Quod apostolica sedes paternos canones pio studio devotoque custodiat.
XII. Ut praeter paschale tempus vel pentecosten nemo baptizare praesumat, nisi eos tantum quos aegritudo extrema compulerit.
XIII. De presbyterorum et diaconorum ordinationibus certis celebrandis temporibus.
XIV. De virginibus sacris quando velentur.
XV. Ut viduae non velentur.
XVI. Ut servi sub obtentu religionis non recipiantur in clero vel in monasterio.
XVII. Ut clerici nullas negotiationes inhonestas vel turpia lucra sectentur.
XVIII. Ut nemo litteras nesciens vel aliqua parte corporis imminutus ad clerum promoveatur.
XIX. De his qui seipsos abscidunt.
XX. De criminosis ut ad clerum non promoveantur.
XXI. Quod daemoniacis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat.
XXII. Quod hi qui se sacris virginibus sociant et foedera incesta commiscent communicare non possint, nisi publicam poenitentiam gesserint.
XXIII. Quod viduae, ut supra dictum est, non velentur, sed si professam continentiam proposito mutato calcaverint, ipsae pro se rationem domino reddant.
XXIV. Quod secunda coniugia secularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minime venire conceditur.
XXV. Ut si quis susceperit ecclesiae propriae desertorem et aliqua provexerit dignitate, subiaceat sententiae quam canones praefixerunt.
XXVI. De laicis vel monachis, qui per praemium ordinantur, ut dantem et accipientem Simonis magi crimen involvat.
XXVII. Ut nulla basilica sub defunctorum constituta nomine dedicetur.
XXVIII. De feminis ut sacris altaribus non ministrent vel aliquid ex his quae virorum sunt officiis deputata, praesumant.
XXIX. De reditibus ecclesiae vel oblatione fidelium ut quatuor portiones fieri debeant.
XXX. Ut episcopus, presbyter et diaconus, qui contra haec constituta fecerit, sui honoris periculum sit subiturus.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Lucaniam, Britios et Siciliam constitutis Gelasius.

I. Necessaria rerum dispositione constringimur et apostolicae sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare et retro praesulum decessorumque nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus, quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, et reparandis militiae clericalis officiis quae per diversas Italiae partes, ita belli famisque consumpsit incursio, ut in multis ecclesiis, sicut fratris et coepiscopi nostri Ioannis Ravennensis ecclesiae sacerdotis frequenti relatione comperimus, usquequaque deficiente servitio ministrorum, nisi remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervalla praefixa remaneant, sine quibus administrari nequeant sacris ordinibus ecclesiae funditus destitutae, atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii salutare subsidium redimendarum desit animarum, nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo non aliquatenus consulamur, innexi.

II. Priscis igitur pro sua reverentia manentibus constitutis, quae ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, quatenus ecclesiis quae vel cunctis sunt privatae ministris vel sufficientibus usque adeo spoliatae servitiis, ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam instituendi quam providendi clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus.

III. Ut si quis etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedat, imprimis eius vita praeteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortasse uxorem, nec a marito relictam sortitus ostenditur, si poenitentiam publicam non gessit, si nulla corporis parte vitiatus apparet, si servili aut originariae non est conditioni obnoxius, si curiae etiam probatur nexibus absolutus, si assequutus est litteras sine quibus fortassis nec ostiarium possit implere, ut si his omnibus quae sunt praedicata fulcitur, continuo lector vel notarius aut certe defensor effectus post tres menses existat acolythus,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 82. *p.* 130.

maxime si huic aetas etiam suffragatur, sexto mense subdiaconi nomen accipiat: ac si modestae conversationis honestaeque voluntatis existit, nono mense diaconus completoque anno sit presbyter. Cui tamen, quod annorum fuerint interstitia collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur praestitisse devotio.

IV. Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto sollicitius in singulis quae superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinare personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis, quia utique convenientia ecclesiae ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus meritis ingerenda, tantoque magis quod sacris aptum potest esse servitiis in eorum quaerendum est institutis, quantum de tempore quo fuerant haec assequenda decerpitur, ut morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit, ne per occasionem supplendae penuriae clericalis vitia potius divinis cultibus intulisse, non legitimae familiae computemur procurasse compendia. Quorum promotionibus super anni metas sex menses nihilominus subrogamus, quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem: quae tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis quibus infestatione bellorum vel nulla penitus vel exigua remanserunt ministeria renoventur, quatenus his deo propitio restitutis, in ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma servetur, nec contra eos ulla ratione praevaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur, non adversus scita maiorum nova lege proponitur: ceteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam: quo magis hac opportunitate commoti observantiam venerandorum canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus.

V. Nec fas esse confidat quisque pontificum bigamos aut coniugia sortientes ab aliis derelicta, sive quoslibet post poenitentiam vel sine litteris vel corpore vitiatos vel conditionarios aut curiae publicarumque rerum nexibus implicatos aut passim nulla temporis congruentis expectatione discussos divinis servituros applicare mysteriis, neque pro suo libitu iura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicae iusta dispositione mandante.

VI. Basilicas noviter institutas non petitis ex more praeceptionibus dedicare nemo audeat: non ambiant sibimet episcopi vindicare clericos potestatis alienae.

VII. Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla praefigant nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a praedictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti vel indignatione revocati redemptionis suae causas adire despiciant; certum habentes quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

VIII. Nec minus etiam presbyteros ultra suum modum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem, non praesente quolibet antistite, nisi fortasse iubeantur, vel orationis vel actionis sacrae suppetere sibi praesumant esse licentiam, neque sub eius aspectu, nisi iubeantur aut sedere praesumant aut venerabilia tractare mysteria. Nec sibi meminerint ulla ratione concedi sine summo pontifice subdiaconum vel acolythum ius habere faciendi, nec prorsus addubitent, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari. Quod fieri necesse est censeamus, si eorum praesule deferente huiusmodi fuerit praevaricatio comprobata, nec ipso eorum episcopo a culpa conniventiae et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare.

IX. Diaconos quoque propriam constituimus observare mensuram nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus, nihil eorum suo ministerio penitus applicare quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat: quod et laicis christianis facere plerumque conceditur.

X. Hos non in presbyterio residere cum divina celebrantur vel ecclesiasticus habetur quicumque tractatus. Sacri corporis praerogationem sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus ius non habeant exercendi.

XI. Quum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnopere custodire nitamur ac sine eorum dispendio etiam illa quae pro alicuius utilitatis fortasse compendio videantur laxanda credamus, quumque nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, et quum sedes apostolica superior his omnibus favente domino quae paternis canonibus sunt praefixa pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare,[1] quam beati Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus ecclesiae in hac sibimet

observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi dominus ecclesiae totius posuit principatum dicente scriptura: Ordinate in me caritatem; et iterum: Omnia certo ordine fiant; atque iterum psalmista praedicante: Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus eius, ponite corda vestra in virtute eius et distribuite gradus eius, ut enarretis in progenie altera, quoniam hic est deus noster in aeternum et ipse reget nos in secula. Hic procul dubio qui in ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum et in cuius virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus utique distributis, cunctis deus noster et rector populis praedicandus est christianis, ubi nemo sibimet aliquid aestimet imminutum, quum et uniuscuiusque gradus profectione nihil deperit et convenienter retinendo, quod coelesti dispensatione collatum est, pariter nobis et cognoscibilem deum fieri et tribuit esse rectorem. Nam etsi quid indulgetur de temporum quantitate moribus aggregata strenuitate pensatur, si vitae iam proposito continetur, quod protelata fuerit aetate curandum, dummodo illa nullatenus dissimulata subrepant, quorum quodlibet, si inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Et si illa nonnumquam sinenda sunt, quae, si ceterorum constet integritas, sola nocere non valeant; illa tamen sunt magnopere praecavenda, quae recipi nisi manifesta decoloratione non possint. Ac si ea ipsa quae nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur vel rerum temporumque cogit intuitus vel acceleratae provisionis respectus excusat: quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt quae nec ulla necessitas nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

XII. Baptizandi sibi quispiam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam praeter paschale festum et praeter pentecostes venerabile sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis aegrotans exitio praeventus abscedat.

XIII. Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exercere non debeant, id est quarti mensis ieiunio septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii ac mediana quadragesimae die sabbati ieiunio circa vesperam noverint celebrandas. Nec cuiuslibet utilitatis causa seu presbyterum seu diaconum his praeferre qui ante ipsos fuerint ordinati.

XIV. Devotis quoque virginibus nisi aut in epiphaniorum aut in albis paschalibus aut apostolorum natalibus sacrum minime velamen imponant, nisi forsitan, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur.

XV. Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quoniam nec auctoritas divina delegat nec canonum forma praestituit, non est penitus usurpandum eisque sic ecclesiastica sunt conferenda praesidia, ut nihil committatur illicitum.

XVI. Generalis etiam querelae vitanda praesumptio est, qua propemodum causantur universi, passim servos aut originarios dominorum iura possessionumque fugientes, sub religiosae conversationis obtentu vel ad monasteria sese conferre vel ad ecclesiasticum famulatum conniventibus quoque praesulibus indifferenter admitti. Quae modis omnibus est amovenda pernicies, ne per christiani nominis institutum aut aliena pervadi aut publica videatur disciplina subverti, praecipue quum nec ipsam ministerii clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem cogaturque pro statu militantium sibi conditioneque iurgari aut videri, quod absit, obnoxia. Quibus sollicita competenter interdictione prohibitis quisquis episcopus, presbyter et diaconus vel eorum qui monasteriis praeesse noscuntur, huiusmodi personas apud se tenentes non restituendas patronis aut deinceps vel ecclesiasticae servituti vel religiosis congregationibus putaverint applicandas, nisi voluntate forsitan dominorum, sub scripturae testimonio primitus absolutas vel legitima transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant communionisque subituros, si super hac re cuiusquam verax nos querela pulsaverit. Magnis quippe studiis secundum beatum apostolum praecavendum est, ne fides et disciplina domini blasphemetur.

XVII. Consequens fuit, ut illa quoque quae de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit non praetereunda putaremus, id est plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes evangelicam lectionem, quae ipse dominus negotiatores e templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec apostoli verba recolentes, quibus ait: Nemo militans deo implicat se negotiis secularibus, psalmistam quoque David surda dissimulantes aure cantantem: Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quaestibus noverint abstinendum, et ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, mox a clericalibus officiis abstinere cogantur, quoniam domus dei domus orationis esse debet et dici, ne officina negotiationis et spelunca potius sit latronum.

XVIII. Illitteratos quoque et nonnulla parte corporis imminutos sine ullo respectu ad ecclesiasticum dicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio et apostolicae sedis vetus forma non recipit, quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis et vitiosum nihil deo prorsus offerri

legalia praecepta sanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus haec vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. Si qui vero vel temeritate propria vel incuria praesidentium tales ante suscepti sunt, in his in quibus constituti sunt locis eatenus perseverent, ut nihil unquam promotionis accipiant satisque habeant, hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

XIX. De his autem qui semetipsos abscidunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere clericali debere eos secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat quidquam praeter illa quae memorabilis decrevit forma, censere.

XX. Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos tota discretione submota non solum de factis atrocibus necessariam poenitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente ad divinum ministerium honoremque contendere: nonnullos autem in ipsis ordinibus constitutos gravibus delinquentes facinoribus non repelli, quum et apostolus dicat, nemini cito manus imponendas neque communicandum peccatis alienis: et maiorum veneranda constituta pronuntient, huiusmodi etiamsi forte subrepserint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere repelli, quam sacrae professionis oblitos praevaricatoresque sancti propositi procul dubio submovendos.

XXI. Usque adeo sane comperimus illicita quaeque prorumpere, ut daemoniacis similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidat, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet scandalum generetur infirmis, pro quibus Christus est mortuus. Postremo si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permisit, quanto magis doni coelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos!

XXII. Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus et post dedicatum deo propositum incesta foedera sacrilegaque miscere. Quos protinus aequum est a sacra communione detrudi et nisi per publicam probatamque poenitentiam omnino non recipi, sed his certe viaticum de seculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negari.

XXIII. Nam de viduis sub nulla benedictione velandis superius late sufficienterque praediximus. Quae si propria voluntate professam pristini coniugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali deum debeant satisfactione placare, quia iuxta apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim, si se forsitan continere non poterant, secundum apostolum nullatenus nubere vitabantur, sic habita secum deliberatione promissam deo pudicitiae fidem debent custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus iniicere, sed solas adhortationes praemii sempiterni, poenasque proponere divini iudicii, ut et nostra sit absoluta conscientia et illarum pro se deo rationem reddat intentio. Cavendum est quippe quae de earum moribus actibusque beatus Paulus testatur apostolus, quod plenius exponere praeterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri quam admoneri videatur.

XXIV. Secundas nuptias sicut secularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanae fragilitatis generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio dedicata.

XXV. Quisquis propriae desertor ecclesiae nullis exstantibus causis ad aliam putaverit transeundum temereque susceptus fuerit et promotus, reverendorum canonum vel ipse vel receptor eius atque provector constituta non fugiet, quae de huiuscemodi praesumptoribus praefixere servanda.

XXVI. De monachis vero laicisque in prima copiosius praeceptionis huius parte digestum est, quae vel quatenus pro rerum temporumque necessitate concessa sint vel quemadmodum, ubi nullius necessitatis interesse probabitur, non nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos vero constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale patrantes, quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit.

XXVII. De locorum consecratione sanctorum quamvis superius strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque praecepto sedis apostolicae nonnulli factas ecclesias vel oratoria sacrare praesumant. Hoc sumus tamen indicio detestabiliore permoti, quod in quocumque nomine defunctorum et quantum dicitur, nec omnino fidelium constructiones aedificatas sacris professionibus audacter instituere memorantur. Quae quoniam tam acerba, tam dura sunt, ut eadem vix noster ferre possit auditus, si vere christianitatis affectus in illis certus et fixus est, et districtius ista quaerantur, et a quibus fuerint gesta, prodantur: quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non extat in quem sententia debita proferatur, ita quum manifestis fuerit documentis expositus, quem sceleris tanti poscit immanitas, non vitabit ullatenus ultionem.

XXVIII. Nihilominus impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut feminae sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque quae non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum

cui non competit exhibere, nisi quod omnium delictorum quae singillatim perstrinximus noxa omnis, reatus omnis et crimen eos respicit sacerdotes qui vel ista committunt vel committentes minime publicando pravis excessibus favere significant: si tamen sacerdotum iam sint vocabulo nuncupandi qui delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quaeque profanaque declives sine ullo respectu regulae christianae praecipitia funesta sectentur. Quumque scriptum sit: Minima qui spernit paulatim decidit, quid est de talibus aestimandum qui immensis ac multiplicibus pravitatum molibus occupati ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quae non solum ipsos videatur obruere sed et ecclesiis universis mortiferam, si non sanentur, inferre perniciem? Nec ambigant qui haec ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt sub honoris proprii iacere dispendio, si non quanta possunt celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicina sanentur. Quo enim more teneant iura pontificum qui pontificalibus excubiis eatenus iniuncta dissimulant, ut contraria domui dei cui praesident, potius operentur? Qui quantum apud deum possent, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur aspiciant, quum execrabili studio sectentur adversa. Et quasi magis haec regula sit qua ecclesiae debeant gubernari, si quidquid est ecclesiasticis inimicum regulis perpetratur, quum etsi cognitos habuit canones unusquisque pontificum intemerata debuerit tenere custodia. Etsi forsitan nesciebat consulere fidenter oportuerit, quo magis excusatio nulla succurrit ignorantibus, quia nesciens proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

XXIX. Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit, integram ministris ecclesiae memoratam dependere quantitatem, sic clericus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quae ecclesiasticis aedificiis attributa sunt huic operi veraciter praerogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est si sacris aedibus destitutis in lucrum suum praesul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est: Ut videant opera nostra bona et glorificent patrem qui est in coelis, oportet etiam praesenti testificatione praedicari et bonae famae praeconiis non taceri.

XXX. Quapropter nec clericorum quispiam se huius offensae futurum confidat immunem, si in his quae salubriter sequenda deprompsimus, sive episcopum seu presbyterum sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat et ceteris interdictio delinquendi. Sic vero modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum vel ecclesiae totius auditui haec putaverit supprimenda. Data V. Id. Mart. Asterio et Praesidio vv. cc. consulibus.

Item eiusdem papae Gelasii ad Sicilienses episcopos.[1]

I. De bene gerendis rebus ecclesiae ab episcopis.
II. De tricennali praescriptione.

Gelasius Romanae ecclesiae episcopus dilectissimis et in Christi caritate una mecum connexis fratribus episcopis qui in Sicilia sunt constituti.

I. Praesulum nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates ecclesiae episcopi ad regendum habeant potetatem, ita tamen ut viduarum pupillorumque atque pauperum, nec non et clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis statuimus dari quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, ut, sicut ante diximus, peregrinorum atque captivorum largitores esse possint.

II. Illud etiam adnecti placuit ut si, quod absit, facultates ecclesiae, necnon et dioeceses quae ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit, quia et filiorum nostrorum principium ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare quod legum tempus exclusit. Dat. Id. Mai. Asterio et Praesidio vv. cc. consulibus.

INCIPIT EPISTOLA ANASTASII PAPAE URBIS ROMAE AD IMPERATOREM ANASTASIUM PRO PACE ECCLESIARUM MISSA.[2]

I. Quod pro Christo fungatur legatione, dum pro pace precatur ecclesiae.
II. Quod non sit temere iudicandum de his qui iam ad dominum migraverunt.
III. Ut specialiter in ecclesia nomen taceatur Acacii.
IV. Quod magnopere contentio sit cavenda.
V. Ut Alexandrinos imperator admoneat ad

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 83. *p.* 136.
[2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 84. *p.* 136.

fidem sinceram et ad pacem redire catholicam.

VI. Admonetur imperator ut constitutis apostolicae sedis obtemperet.

VII. Quod eos quos post damnationem suam vel baptizavit vel ordinavit Acacius, nulla portio laesionis attingat.

VIII. Quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec ecclesiae sacramenta commaculent.

Gloriosissimo et clementissimo filio Anastasio augusto Anastasius episcopus.

Exordium pontificatus mei primitus oblata populis pace pronuntio, consequenter pro fide catholica humilis pietati tuae precator occurro, in quo primum mihi divinum favorem propinquasse confido, quod consonantia in me augustissimi nominis tui non dubium praestat auxilium, ut sicut praecelsum vocabulum pietatis tuae per universas gentes toto orbe praefulget, ita per ministerium meae humilitatis, sicut semper est, sedes beatissimi Petri in universali ecclesia assignatum sibi a domino deo teneat principatum. Nec propter unum mortuum diutius tunica illa salvatoris desuper contexta per totum malae sortis patiatur incertum, quae sola in discisionem pro firmitate sui venire non potuit, serenitate tua praecipue rempublicam gubernante. Cui etiam in privata vita tantum sincerae religionis studium fuit, ut sicut fama certissima celebravit, nemo magis vel inter praecipuos sacerdotes praefixas a sanctis patribus regulas ecclesiae custodisse dicatur, quod sanctum studium cum maiestate imperii crevisse confidimus.

I. Legatione itaque fungimur pro Christo, nec eos propter offensionem vel scandalum patiamini publice nominari, quorum merita vel actus illi iudici latere non possunt, in cuius iam sunt iudicio constituti. Nec illic se potest interserere in corpore mortali adhuc temeraria praesumptio, in quo non solum confessio facit aperta merita singulorum, sed etiam silentii ipsius non potest latere secretum. Namque et praedecessor noster papa Felix et etiam Acacius illic procul dubio sunt, ubi unusquisque sub tanto iudice non potest perdere sui meriti qualitatem.

II. Itaque monente nos beatissimo Paulo apostolo, ne quod sit in hoc offendiculum in ecclesia, dum quod facere non possumus de his qui iam transierunt iudicare conemur, observandum esse tranquillitas tua cognoscat. Ait enim de his qui de rebus ad dominum solum pertinentibus iudicare praesumunt: Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo nostrum sibi moritur. Sive enim vivimus, domino vivimus, sive morimur, domino morimur; sive ergo vivimus sive morimur, domini sumus. In hoc enim Christus resurrexit a mortuis, ut et vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal dei. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu et omnis lingua confitebitur deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet deo. Non ergo amplius invicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum. Monet igitur beatus apostolus, ne de his nobis praesumamus iudicium de quibus nemo potest verius vel melius iudicare quam deus, nec in hoc sibi quispiam temerarios ausus usurpet et propter hoc pax atque unitas ecclesiae dissipetur. Nam et in regnorum libro dicitur: Non quomodo videt deus, homo videt, quia homo videt in facie, deus autem videt in corde. Item in paralipomenon libro primo: Et nunc, o Salomon, scito deum patrum tuorum et servi illi in corde perfecto et in anima volente, quoniam omnia corda scrutatur deus et omnem cogitationem novit. Item in Ezechiel: Haec dicit dominus: Sic dixistis, domus Israel, et cogitationes spiritus vestri novi ego. Unde et de domino iudice dicitur in evangelio: Sciens autem Iesus cogitationes eorum dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

III. Precamur itaque clementiam vestram, ut specialiter nomen taceatur Acacii; multum enim scandalum vel offendiculum ecclesiae concitavit. Speciali appellatione taceatur, quum, sicut diximus, in generalitate sacerdotum uniuscuiusque meritum illum iudicem latere non possit, quid cuique tribuendum sit, pro aestimata dispensatione meritorum, cui soli cogitationes quoque manifestae sunt. Quantos vero excessus atque praesumptiones habuerit Acacius ne clementiae tuae per singula suggerere fortasse videatur onerosum, Cresconio vel etiam Germano fratribus et coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam, de causis singulis Acacii qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus clementiae vestrae specialiter recensendam, si hoc pietati tuae placuerit curiosius indagare, ne in aliquo suggestioni nostrae veritas defuisse videatur, ut pro divina sapientia vestra perspicue videre possitis, non superbia vel elatione sedis apostolicae in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis quantum nos extra illud iudicium quod solum falli non potest aestimemus, zelo magis divinitatis extortam.

IV. Nos vero humiliter supplicantes controversiam in ecclesia remanere nolumus, quum magis vitanda contentio sit, sicut dicitur in proverbiis: Odium suscitat contentio. Omnes autem qui non contendunt, protegit amicitia. Nam et apostolus ad Corinthios: Quum enim sint inter vos aemulationes et contentiones, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? Item ad Philippenses: Si qua ergo consolatio in Christo, si qua allocutio caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera et miserationes, implete gaudium meum, ut idipsum dicatis omnes eamdem caritatem

habentes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis invicem aestimantes sibimet ipsis superiores, non in sua singulis respicientes, sed aliorum.

V. Hoc tamen praecipue insinuo serenitati tuae, gloriosissime et clementissime fili auguste, ut quum causae Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad sinceram et catholicam fidem eos auctoritate, sapientia divinisque vestris monitis redire faciatis. Nam quid tenendum sit in religione catholica secundum definita patrum et praedicationem omnium sacerdotum qui in ecclesia floruerant, si hoc quoque praeceperitis scientibus in memoriam transmittendo renovabimus, ignorantibus ad discendum pro officio nostrae instructionis offeremus, ut nulla extra haec ingeniorum iactantia vel pravitas audiatur.

VI. Illud vero peculiarius pro amore imperii vestri et beatitudine quae consequi poterit regnum pro apostolico officio praedicamus, ut, sicut decet et sanctus spiritus dicit, monitis nostris obedientia praebeatur, ut bona omnia vestram rempublicam consequantur, sicut in exodo promittitur: Si audieris vocem domini dei tui, et quae placent ei feceris coram ipso, et obedieris praeceptis eius et custodieris omnem iustitiam eius, omnem infirmitatem quam importavi Aegyptiis non importabo in te. Ego enim sum dominus, qui salvum facio te. Et illic iterum tuba potentissima canitur: Et nunc, Israel, quid dominus tuus postulat a te aliud, quam ut timeas dominum deum tuum et ambules omnes vias eius et diligas eum, et servias domino deo tuo ex toto corde tuo et ex tota anima tua custodire praecepta domini dei tui et iustitias eius, quas ego mando tibi? Haec me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens domini in evangelio verbum: Qui audit vos, me audit, et qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum qui me misit. Nam et apostolus concinens salvatori nostro ita loquitur: Quapropter qui haec spernit, non hominem sed deum spernit, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis. Pectus clementiae vestrae sacrarium est publicae felicitatis, ut per instantiam vestram quam velut vicarium praesidere iussit in terris, evangelicis apostolicisque praeceptis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quae sunt salutifera compleantur.

VII. Nam secundum ecclesiae catholicae consuetudinem sacratissimum serenitatis tuae pectus agnoscat, quod nullum de his vel quos baptizavit Acacius vel quos sacerdotes sive levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio laesionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia minus firma videatur. Nam et baptisma, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa qua sonuit per columbam, omnem maculam humanae pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: Hic est qui baptizat in spiritu sancto et igne. Nam si visibilis solis istius radii quum per loca foetidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multo magis illius qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate contingitur. Nam et Iudas quum fuerit sacrilegus atque fur, quidquid egit inter apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data nulla ex hoc doctrimenta senserunt, declarante hoc ipsum domino manifestissima voce: Scribae, inquit, et pharisaei super cathedram Moisis sedent: quae dicunt facite, quae autem faciunt nolite facere, dicunt enim et non faciunt. Quidquid ergo ad hominum perfectum quilibet in ecclesia minister officio suo videtur operari, hoc totum contineri implente divinitatis effectu, ita ille per quem Christus loquitur Paulus affirmat: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed deus incrementum dedit; itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. A deo autem non quaeritur, quis vel qualis praedicet, ut invidos etiam bene Christum praedicare confirmet, quo malo diabolus ipse deceptus est et hoc ipso praecipitare non desinit.

VIII. Ideo ergo et hic cuius nomen dicimus reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit: nam inviolabile sacramentum quod per illum datum est aliis perfectionem suae virtutis obtinuit. Quod si est aliquorum, in tantum se extendit curiosa suspicio, ut imaginetur prolato a papa Felice iudicio postea inefficaciter in sacramentis quae Acacius usurpavit egisse, ac perinde eos metuere qui vel in consecrationibus vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia divina videantur: meminerint in hac quoque parte similiter tractatum praevalere superiorem, quia non sine usurpato nomine sacerdotii adiudicatus hoc egit, in quo virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur: Verumtamen deus conquassavit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Nam superbia semper sibi, non aliis facit ruinam. Quod universa scripturarum coelestium testatur auctoritas, sicut etiam per spiritum sanctum dicitur in propheta: Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam. Unde quum sibi sacerdotis nomen vindicaverit condemnatus in ipsius verticem superbiae tumor inflictus est, quia non populus qui in mysteriis domum ipsius sitiebat exclusus est, sed anima sola illa quae peccaverat, iusto iudicio proprie erat obnoxia, quod ubique numerosa scripturarum testatur instructio. Unde remotis hominum studiis sive versutiis in hac adhuc praesenti fragilitate positorum secundum

preces nostras annisu et auctoritate imperiali offerte deo nostro unam catholicam ecclesiam et apostolicam, quia hoc solum est in quo non solum in terris, sed etiam in coelo triumphare sine fine possitis. Subscriptio: Omnipotens deus regnum et salutem tuam perpetua protectione custodiat, gloriosissime et clementissime semper auguste.

EPISTOLA PAPAE SYMMACHI AD CESARIUM EPISCOPUM. CX.[1]

I. Ut res ecclesiae non alienentur, sed clericis vel monachis aut peregrinis in usum tantummodo largiantur.
II. Ut nullus honorem praemiis accipiat.
III. Ut raptores viduarum vel virginum ab ecclesiae communione pellantur.
IV. Ut viduae vel virgines professae continentiam ultra non nubant.
V. Ut nullus per ambitum ad episcopatum accedat.

Dilectissimo fratri Caesario Symmachus.

Hortatur nos aequitas postulationis desiderio fraternitatis gratanter annuere de singulis quae ab apostolica sede concedi supplicas quod a patrum cautela et provisione non discrepat. Et quamvis ecclesiasticae regulae pene omnia comprehendant, tamen superfluum esse non credimus, denuo quae sunt saepius interdicta repetere.

I. Possessiones igitur, quas unusquisque ecclesiae proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus vel sub quocumque argumento non patimur, nisi forsitan aut clericis honorum meritis aut monasteriis religionis intuitu aut certe peregrinis, si necessitas largiri suaserit, sic tamen, ut haec ipsa non perpetuo sed temporaliter perfruantur.

II. Illud magnopere commonens ut hi qui non dei gratia, sed promissione rerum ecclesiasticarum praemissa ad sacerdotium conantur accedere, desideriorum talium priventur effectu. Qui autem ab huiusmodi intentione se non cohibent vindictis canonum sciant se sine dubitatione facile ad sacerdotium non permitti accedere, de quibus et gradus et tempora constituta sunt, per quae ad hanc dignitatem debeant adspirare, quia quicumque sine statuto promovetur, non facile caret offensa et sine experimento non potest quis electionis obtinere sententiam.

III. Raptores igitur viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris detestamur, illos vehementius persequendo quod sacras virgines vel volentes vel invitas matrimonio sociare tentaverint: quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate a communione suspendi praecipimus.

IV. Neque viduas ad nuptias transire patimur, quae in religioso proposito diuturna observatione permanserint. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasteriis aetatem peregisse contigerit.

V. Nullus itaque per ambitum ad episcopatus honorem permittatur accedere. Nam quum hic excessus in laica conversatione culpetur, qui dubitat quod religiosis et deo servientibus inurat opprobrium? Episcopatum desiderans data pecunia potentes personas minime suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos vel cives subscribere adhibito cuiuslibet generis timore compellat vel praemiis aliquibus hortetur. Decretum sine visitatoris praesentia nemo conficiat, cuius testimonio cleri ac civium potest unanimitas declarari. Hortamur itaque ut pro catholicae religionis intuitu et ecclesiarum pace haec universi fideles devota mente custodiant, quia non est dubium praevaricatores interdictorum talium iuxta venerandos canones propriae communionis subire iacturam. Haec tamen ad omnium episcoporum volumus perferri notitiam. Deus incolumem te custodiat, frater carissime. Datum VIII. Id. Ianuar. Probo v. c. consule.

Incipiunt decreta papae Symmachi.[2]

I. Suggestio Fulgentii archidiaconi ecclesiae Romanae de congregata synodo ex praecepto papae Symmachi, ut episcopalis ambitus radicitus amputetur.
II. Sententia synodi, ut si quis papa superstite pro Romano pontificatu cuiquam quolibet modo favorem praestare convincitur, loci sui ordine vel communione privetur.
III. Ut si papa praeventus morte non potuerit ante de sui successoris electione decernere, is ordinetur antistes quem cunctus clerus aut certe pars maior elegerit.
IV. Ut si quis ambientes vel fautores ambientium coniuratoresque prodiderit, non solum purgatus videatur esse, si fuerit particeps, verum etiam remuneratione dignissimus aestimetur.[3]

Post consulatum Paulini viri clarissimi die Kalendarum Martiarum in basilica beati Petri apostoli synodo praesidente beatissimo papa Symmacho Fulgentius archidiaconus dixit:

I. Beatitudo vestra directis antehac per provincias authoritatibus frequenter Italiae sacerdotum synodum convocavit, quorum praesentia in vestris videtur oculis constituta, nunc beatitudo vestra quae ad ecclesiasticas indemnitates vel ad pacem totius ecclesiae pertinent sive concordiam digne-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. coll. Hisp. cit. no.* 85. *p.* 139. [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Dionys. p.* 555. [3] *Quas IV rubricas cod. cit. omittit.*

tur tractabiliter ordinare. Acclamatum est ab omnibus episcopis et presbyteris: Exaudi, Christe, Symmacho vita, dictum est. Cuius sedem et annos, dictum est VIII. Ut facias rogamus, dictum est X.

[1]Symmachus, episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae, dixit: Concilium dilectionis vestrae neglecta hyemis asperitate sollicitudo nostra pro ecclesiastica indemnitate specialiter congregavit, ut episcopalem ambitum et confusionis incertum vel popularem tumultum quem per subreptionem constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus robuste ac vivaciter amputare, atque ideo caveamus in posterum, ne subversio disciplinae aut audacia praesumentum gestiat tentare similia et pari donatione tractemus expressis scilicet sententiis sancientes quod circa Romani episcopi ordinationem debeat custodiri. Universi episcopi vel presbyteri dixerunt, ut fiat rogamus, dictum est X. Ut scandala amputentur rogamus, dictum est IX. Ut ambitus extingatur rogamus, dictum XII. Exaudi, Christe, Symmacho vita, dictum VI. Cuius sedem et annos, dictum V. Ut de praesentia fiat, dictum est X.

[2]Symmachus episcopus dixit: Quoniam fraternitas vestra curam provisionis nostrae suis exhortationibus incitavit et parilem circa ecclesiae tranquillitatem dei nostri contemplatione animum praestat, sicut praefati sumus, deliberatione in praesenti habita quid placeat ex omnibus vestris informate sententiis quae in hoc venerabili concilio per ecclesiastica recitentur officia. Cumque surrexissent et paulo post iterum consedissent, Aemilianus notarius synodi decreta vulgavit.

II[3]. Propter frequentes ambitus atque ecclesiae nuditatem vel populi conlisionem quae molesta incompetenter episcopatum desiderantium generavit aviditas, ut extinguatur futuris praesumptio, tam perniciosa temporibus, constituit sancta synodus, ut si quis presbyter aut diaconus aut clericus papa incolumi et eo inconsulto aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare aut pitatio committere aut sacramentum praebere tentaverit aut aliquod certe suffragium polliceri vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate vel communione privetur. Universa synodus surgens adclamavit: Exaudi, Christe, Symmacho vita, dictum X. Hic pax cum Symmacho, dictum XV. Cuius sedem et annos, dictum VIII. Pari severitate feriendo eo qui hoc vivo, sicuti dictum est, pontifice quolibet modo fuerit ambisse convictus aut certe tentasse omnibus pariter huius culpae reis anathematis poena plectendis. Symmachus episcopus dixit:

III[4]. Ergo universitati placet et omnibus recognoscitur vel probatur ista sententia? Universa synodus dixit: Placet, et quod omnibus placet, fiat.

Si, quod absit, transitus papae inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non possit ante decernere, siquidem in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si enim, ut fieri solet, studia coeperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum, sic tamen, ut sacerdotio careat qui captus promissione non recto iudicio de electione decreverit. Synodus dixit: Placet. Dictum est decies.

IV[5]. Propter occultas autem fraudes et coniurationum secretas insidias quas huius sententia districtionis consequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam, consilia eorum qui contra hanc synodum de pontificali egerint ambitu et rationabili probatione convicerit particeps actionis huiusmodi, non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione quae non indigna sit, sublevetur. Universa synodus surgens adclamavit: Placet. Et adiecit: Exaudi, Christe, Symmacho vita, dictum est XXX. Ut ita serventur rogamus, dictum X. Ut nullus aliter ad episcopatum Romanum deinceps veniat, precamur, dictum X. Ut decreta nostra confirmes rogamus, dictum X.

Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Acclamationes vestras synodique iudicium praesentia gesta suscipient. Et adiecit: Ea quae ad sopiendos veternosae praesumptionis errores vel infensos rebus ecclesiasticis aegritudinis morbos, quibus universalis afficiebatur ecclesia, deliberatio religioni congrua pacique constituit firmitatem perpetim sortientur, ut praestante deo quem custodem rerum constat bonarum, synodalis ordinatio vigeat atque omnes qui sine personae alicuius distinctione venire praesumpserit, indita superius districtione plectetur.

Et subscripserunt: Caelius Symmachus, episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae, his constitutis synodalibus a me probatis atque firmatis consentiens subscripsi. Caelius Rusticus episcopus civitatis Meturnensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia. Caelius Bonifacius episcopus ecclesiae Veliternensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia. Missenus Cumanus, Cresconius Tudertinus, Basilius Tollentinatis, Decius Triumtabernarum, Valentinus Amiterninus, Vitalis Fanestris, Maximus Blenarus, Benignus Aquaevivensis, Palladius Sulmontinus, Constantius Otriculanus,

[1] *Cod. hic ponit numerum I., quem antea omisit.* [2] *Cod. hic num. II. ponit.* [3] *Cod. num. III. et rubricam cap. III. ponit.* [4] *Deest num. in cod.* [5] *Deest num. in cod.*

Germanus Pisaurensis, Candidus Tiburtinus, Vitalianus Narniensis, Iustus Acherontinus, Stephanus Nursinensis, Fortunatus Anagninus, Rufinus Canusinus, Clarus Alifanus, Vitalis Fundanus, Innocentius Mibanatis, Bassus Ferentininovi, Vitalianus Rosellanus, Constantinus Capuanus, Fortunatus Suessanus, Vindemius Antiatinus, Ioannes Ariminensis, Martyrius Terracinensis, Laurentius Trebiensis, Serenus Nomentanus, Adeodatus Cerrensis, Dulcitius Sabinensis, Paschasius Vulturnensis, Fortunatus episcopus ecclesiae Anagninae pro Sanctulo episcopo civitatis Signinae quia subscribere non potuit pro eodem subscripsi. Valerius Calenitanus, Felicissimus Forosempronienais, Valentinus Amiterninus pro Romano episcopo ecclesiae Pitinanatium subscripsit. Colonius Foroclodiensis, Ioannes Spoletinus, Maximianus Perusinus, Sucianus Tarquiniensis, Florentius Pestanus, Fortunatus Fulgentanus, Gaudentius Tudinatis, Felix Nepesinus, Aucupius Puteolanus, Rosarius Surrentinus, Epiphanius Beneventanus, Constantius Venafranus, Salustius Amerinus, Molensis Centumcellensis, Maximianus Subaugustanus, Ioannes Vivonensis, Mercurius Sutrinus, Serenus Nolanus, Timotheus Abellinatis, Stephanus Neapolitanus, Rosarius episcopus pro fratre meo Urso episcopo subscripsi. Gaudentius Volsinensis. Item Gaudentius episcopus Volsinensis pro Proiectitio episcopo Foronovano. Quintus Theanensis, Bellator Ostiensis, Lampadius Urbis Albensis, Ursus Stabianus, Gaudentius Salernitanus, Marius Tiferninus, Adeodatus Formiensis, Saturninus Herdonitanus. Subscripserunt episcopi numero LXXIII.

Caelius Laurentius archipresbyter tituli Braxedis hic subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia. Ianuarius presb. tituli Vestinae. Martianus p. t. sanctae Caeciliae. Gordianus p. t. Pammachii, Petrus p. t. sancti Clementis, Urbicus p. t. sancti Clementis, Paulinus p. t. sancti Iulii, Valens p. t. sanctae Sabinae, Petrus p. t. Chrysogoni, Soranus p. t. Vestinae, Asterius p. t. Pudentis, Iustinus p. t. Pudentis, Felix p. t. Equitii, Redemptus p. t. Chrysogoni, Proiectitius p. t. Damasi, Iovinus p. t. Aemilianae, Bonus p. t. Crescentianae, Paschasius p. t. Eusebii, Ioannes p. t. Pammachii, Sebastianus p. t. Nicomedis, Martinus p. t. Cyriaci, Andreas p. t. sancti Matthaei, Servus dei p. t. sancti Clementis, Opilio p. t. Vestinae, Petrus p. t. Chrysogoni, Romanus p. t. Tigridae, Marcellinus p. t. Iulii, Dominicus p. t. Crescentianae, Abundantius p. t. Sabinae, Marcellus p. t. Romani, Asellus p. t. Vizantis, Sebastianus p. t. Equitii, Agatho p. t. Vizantis, Valentinus p. t. Eusebii, Anastasius p. t. Anastasiae, Genesius p. t. Nicomedis, Dionysius p. t. Aemilianae, Epiphanius p. t. Apostolorum, Acontius p. t. Fasciolae, Paulinus p. t. Fasciolae, Agapetus p. t. Apostolorum, Adeodatus p. t. Equitii, Benedictus p. t. Gaii, Dominicus p. t. Priscae, Redemptus p. t. Tigridae, Severus p. t. Gaii, Stephanus p. t. Marcelli, Crescentius p. t. Apostolorum, Iulianus p. t. Anastasiae, Septiminius p. t. Iulii, Cyprianus p. t. Marci, Epiphanius p. t. Fasciolae, Bonifacius p. t. Caeciliae, Petrus p. t. Praxedis, Timotheus p. t. Marcelli, Hilarius p. t. Lucinae, Victorius p. t. Sabinae, Laurentius p. t. sancti Laurentii, Eutyches p. t. Aemilianae, Iulianus p. t. Anastasiae, Marcus p. t. Lucinae, Unicemalus p. t. Crescentianae, Stephanus p. t. Eusebii, Paulinus p. t. sancti Laurentii. Subscripserunt presbyteri numero LXVII.

Subscriptio diaconorum: Cyprianus diaconus sanctae ecclesiae Romanae regionis VII. his subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia. Anastasius diaconus regionis primae subscripsi, Citonatus diaconus regionis quintae subscr., Ioannes diaconus regionis secundae subscr., Tarrenis diaconus regionis primae subscr., Tertullus diaconus regionis quartae subscr.

Exemplar constituti facti a domno Symmacho papa de rebus ecclesiae conservandis.[1]

Flavio Aviento v. c. iuniore sub die VIII. Iduum Novembrium in basilica beati Petri apostoli, praesidente venerabili viro papa Symmacho una cum venerabilibus viris Laurentio, Maximo, Aemiliano, Tigridio, Crescone, Pacatiano, Innocentio, Ioanne, Ioanne, Sereno, Fortunato, Laurentio, Iocundo, Candido, Eutychio, Elpidio, Mercurio, Hilario, Asello, Innocentio, Pascasio, Vitale, Hilaro, Venerioso, Colonico, Siluno, Severino, Propinquo, Sebastiano, Romano, Petro, Laurentio, Felice, Bassiano, Benigno, Refentio, Maximo, Stephano, Eulalio, Proculeiano, Eustachio, Martiano, Fortunato, Felice, Aprile, Innocentio, Fortunato, Conandio, Stephano, Gerontio, Memore, Severino, Innocentio, Casto, Maximiliano, Aristone, Martyrio, Valentino, Vindemio, Victore, Dulcitio, Urso, Servodei, Adeodato, Felice, Eusebio, Chrysogono, Venantio, Probo, Amando, Mercurio, Asello, Asterio, Martiniano, Augusto, Proiectitio, Rustico, Sallustio, Basilio et Florentio episcopis residentibus; etiam Proiectitio, Martino, Servodei, Epiphanio, Abundantio, Vicomalo, Marcello, Agathone, Paschasio, Iuliano, Adeodato, Ioanne, Hilario, Adeodato, Venantio, Petro, Litorio et Chrysogono, Fortunato, Epiphanio, Sebastiano, Octaviano, Anastasio, Paulino, Iuliano, Benedicto, Crescentiano, Severo, Paulino, Timothio, Laurentio, Marco, Stephano, Petro, Chrysogono, Tinulo vel Maximo, presbyteris, adstantibus quoque diaconibus Anastasio, Hormisda, Ioanne et Agapeto, Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit:
I. Bene quidem fraternitas vestra ecclesia-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Dion. p.* 565.

sticis legibus obsequuta sub divini timore iudicii, quae erant statuenda definivit et ad iustitiae cumulum pervenit, dum sufficienter universa complectitur nec adiectione indiget plenitudo, maxime de clericis quos amor dominationis invasit et iugum disciplinae ecclesiasticae fecit respuere, quos propterea schisma fecisse apud vos constitit, quibus misericordiam tamen quam deus mandat universis impendi, sicut oportuit non negastis, si duritia cordis eorum non sibi acquirat poenam, dum contemnit oblata remedia, quorum excessus enarrare difficile est. Unum tamen quod occurrit venerando ordini vestro intimare non differo. Dixerunt inter alia scripturam quandam inlustris memoriae Basilium quasi pro ecclesiasticae amore substantiae conscripsisse, in qua nullus Romanae ecclesiae nec interfuit, nec scripsit antistes per quem potuisset sortiri legitimam firmitatem. Ne ergo inde disputem, unde potest vestrum iudicare concilium, requiratur et referatur in medium, ut lectione agnoscatis cuiusmodi possit habere substantiam. Sancta synodus respondit: Deferatur in medium, ut cuiusmodi sit possit agnosci, et dum diceret, Hormisda diaconus recitavit:

II. Cum in unum apud beatum Petrum apostolum resedissent, sublimis et eminentissimus vir praefectus praetorio atque patricius, agens etiam vices praecellentissimi regis Odoacris, Basilius dixit: Quanquam studii nostri et religionis intersit, ut in episcopatus electione concordia principaliter servetur ecclesiae, ne per occasionem seditionis status civilitatis vocetur in dubium, tamen admonitionem beatissimi viri papae nostri Simplicii quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum et venerabilis ecclesiae detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cuiuslibet celebretur electio. Et cum legeret, Cresconius episcopus civitatis Tudertinae ecclesiae surgens e consessu dixit: Hic perpendat sancta synodus, ut praetermissas personas religiosas, quibus maxime cura est, de tanto pontifice in suam redigeret potestatem. Quod contra canones esse manifestum est. Item Hormisda diaconus legit, ne quid confusionis atque dispendii venerabilis ecclesia sustineret, miramur praetermissis nobis quicquam fuisse tentatum cum sacerdote nostro superstite nihil debuisset adsumere. Quare si amplitudini vestrae vel sanctitati placet incolumia omnia quae ad futuri antistitis electionem respiciunt, religiosa oneratione servemus, hanc legem specialiter praeferentes, quam nobis haeredibusque nostris christianae mentis devotione sancimus: Ne unquam praedium seu rusticum seu urbanum vel ornamenta aut ministeria ecclesiarum, quae nunc sunt vel quae ex quibuslibet titulis ad ecclesiarum iura pervenerint, ab eo qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus et illis qui futuris saeculis sequentur, quocunque titulo atque commento alienare voluerit, inefficax atque irritum iudicetur, sitque facienti, consentienti accipientique anathema. Maximus episcopus Bledanae ecclesiae dixit: Modo sancta synodus dignetur edicere, licuit laico homini anathema in ordine ecclesiastico dictare, aut si potuit laicus sacerdoti anathema dicere et contra canones quod ei non competebat, constituere? Dicite, vobis quid videtur de me? Licuit laico legem dare? Sancta synodus dixit: Non licuit. Et adiecit: Lege sequentia. Hormisda diaconus legit: Et iis qui praedium rusticum vel urbanum iuris ecclesiastici fuerit consequutus, noverit se nulla lege vel praescriptione munitum, sed sive is qui alienaverit, sive qui eum sequentur voluntate contraria praedium huiusmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consequutus. Et cum legeret Stephanus episcopus Venusinae ecclesiae surgens e consessu dixit: Perlegatur. Hormisda diaconus legit: Quam etiam poenam placuit accipientis haeredes prohaeredesque respicere, in qua re cuilibet clericorum contradicendi libera sit facultas. Iniquum est enim et sacrilegii instar, ut quae vel pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit aut certe reliquerit, ab iis quos maxime servare convenerat in altitudine transferantur. Plane quaecunque in gemmis vel auro atque argento, necnon et vestibus minus apta usibus vel ornatui videbuntur ecclesiae, quae servari ac diu manere non possunt, sub iusta aestimatione vendantur, et erogatio religiose proficiat. Cumque lecta fuissent, Laurentius Mediolanensis ecclesiae dixit: Ista scriptura nullum Romanae civitatis potuit obligare pontificem, quia non licuit laico statuendi in ecclesia praeter papam Romanum habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, maxime cum nec papa Romanus subscripserit, nec alicuius secundum canones metropolitani legatur assensus. Petrus episcopus Ravennatis ecclesiae dixit: Scriptura quae in nostra congregatione vulgata est, nullis etiam viribus subsistere manifestum est, quia nec canonibus convenit et a laica persona concepta videtur, maxime quia in ea nullus praesul sedis apostolicae interfuisse vel propria subscriptione firmasse monstratur. Eulalius episcopus Syracusanae ecclesiae dixit: Scriptura quae in sacerdotali concilio recitata est evidentissimis documentis constat invalida. Primum quod contra patrum regulas a laicis quanvis religiosis quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi

legitur unquam attributa facultas, facta videtur: deinde quod nullius praesulis apostolicae sedis subscriptione firma docetur. Quod si cuiuslibet provinciae sacerdos intra suos terminos concilio habito, quicquid sine metropolitani sui antistitis authoritate tentaverint, irritum esse debere patres sancti sanxerunt, quanto magis quod in apostolica sede non existente praesule qui praerogativa beati meriti Petri apostoli per universum orbem primatum obtinens sacerdotii statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem a laicis, licet consentientibus aliquantis episcopis (qui tamen pontifici a quo consecrari probantur praeiudicium inferre non potuerunt) praesumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

III. Sancta synodus dixit: Licet secundum prosequutionem venerabilium fratrum nostrorum Laurentii, Petri, Eulalii, Cresconii, Maximi vel Stephani, nec apud nos incertum habetur hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, quae etiam si aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus in synodali conventu provida beatitudinis vestrae sententia enervari conveniebat et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret praesumendi quibuslibet laicis, quamvis religiosis vel potentibus in quacunque civitate, quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus: quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a deo cura commissa docetur.

Symmachus episcopus dixit: Modo quia deus praesentiam vestram votivam mihi sub qualibet occasione concessit, volo, si placet, rem fieri firmam quam credo ecclesiasticis facultatibus convenire, ut agnoscant omnes, quos in me vanus furor excitavit nihil me magis studere quam ut salvum esse possit quod mihi est a deo sub dispensatione commissum, sed etiam quibuslibet successoribus deum timentibus gratum esse debeat et ad ecclesiastici custodiam patrimonii pertinere. Sancta synodus dixit: Scimus provisionem vestram necessariis studere et ideo in vestra est potestate sequenda disponere.

Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Magna quidem veneranda sacerdotali debetur cultura proposito cui imminet de studio quae recta sunt, non de necessitate disponere. Sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus vitiorum mater avaritia repudiatis honestatis repagulis totum putat expedire quod licet et ita, dum praedae inhiat, patientia supernae pietatis abutitur expectantibus correctionem coelo moderante iudiciis se existimant non teneri et clarum sit, quod apud certos in occasionem rapiendi procedat divinae mora sententiae. Sed nobis quos pastoralis cura et ecclesiasticae adstringit pro dispensatione credita ratio reddenda substantiae opus est, ut sollicitudinem nostram non solum ad praesentia, sed etiam ad secutura saecula porrigamus, ne ad animae nostrae detrimenta contingat; si hi qui possunt statutis debere innocentia praesumentis de libertate deliquerit, cum religiosa possint et nos et successores nostri potestate fulciri, legibus ecclesiasticis servientes.

IV. His ergo perpensis mansuro cum dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli apostolicae sedis praesuli a praesenti die, donec disponente domino catholicae fidei manserit doctrina salutaris liceat praedium rusticum, quantaecunque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre, nec cuiusquam excusentur necessitatis obtentu, quippe cum non sit personale quod loquimur, nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur, sed nec in usumfructum iura aliquibus dari liceat, nec data retineri praeter clericos et captivos atque peregrinos, ne male tractationis ministretur occasio, cum liberalitati illi alia itinera reserventur.

V. Sane tantum domus in quibuslibet urbibus constitutae quarum statum necesse est expensa non modica sustentari acceptis, si auferri contigerit, sub iusta existimatione reditibus et divini timore iudicii commutentur.

VI. Pari etiam ecclesiarum per omnes Romanae civitatis titulos qui sunt presbyteri vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas dictu est obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri. Quicunque tamen oblitus dei et decreti huius immemor, cuius Romanae civitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum praesens committens quicquam de iure titulorum vel ecclesiae superius praefatae quolibet modo praeter aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque si sunt vel si accesserunt aliqua mobilia ad ornamenta divina minime pertinentia perpetuo iure exceptis duntaxat sub praefata conditione domibus, alienare tentaverit donator, alienator ac venditor honoris sui amissione multetur.

VII. Praeterea qui petierit aut acceperit vel qui presbyterorum aut diaconorum seu defensorum danti subscripserit, quo iratus deus animas percutit anathemate feriatur, sitque accipienti vel subscribenti de personis superius compraehensis, id est, quas anathemate feriri censuimus, instituta poena contubernalium servata, quam praemisimus in alienatore vindicta, nisi forte et alienator sibi dum repetit, et qui acceperit celeri restitutione prospexerit.

VIII. Quod si minore animae suae cura quisquam remedium oblatum forte neglexerit, supra ea poenarum genera quae superius tenentur adscripta contra fas, si quod con-

ceptum fuerit documentum universis viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) effectetur. Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre et ecclesiastica authoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere, nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, quia religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Huius autem constitutionis legem in apostolica tantum sede volumus servari, universis ecclesiis per provincias secundum animarum considerationem quem proposito religionis convenire rectores earum viderint more servato. Et subscripserunt: Caelius Symmachus episcopus ecclesiae Romanae huic constituto a nobis facto subscripsi. Caelius Laurentius episcopus sanctae Mediolanensis ecclesiae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi. Petrus episcopus catholicae Ravennatis ecclesiae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi. Eulalius episcopus sanctae ecclesiae Syracusanae huic constituto a venerabili papa Symmacho facto subscripsi. Felix Interamnensis, Aemilianus Tetelensis, Tigridius Taurinatis, Passus Mutinensis, Maximus Bleranus, Rufentius Ignatinus, Martinianus Ostiensis, Fortunatus Vessanensis, Eucarpus Messanensis, Stephanus Venusinus, Romulus Praenestinus, Vindemius Antiatinus, Fortunatus Fulgenatis, Martianus Aecaniensis, Chrysogonus Albanensis, Laurentius Vobianensis, Paschasius Vulturnensis, Aprilis Nucerinus, Innocentius Forosemproniensis, Felix Nepesinus, Amandus Potentanus, Colonius Foroclod., Proiectus Forinovi, Bonifacius Foroflaminiensis, Rusticus Bursentinus, Victor Dunensis, Sylvimus Veliterninus, Ariston Ostiensis, Felix Nepesinus, Asterius Aquinatis, Eusebius Fanestris, Cresconius Tudertinus, Iocundus Augustinus, Vitalis Fundanus, Pacatianus Coaniliensis, Martyrius Terracinensis, Basilius Tollentinas, Benignus Aquaevivensis, Severinus Tyndarinensis, Ioannes Spoletinus, Valentinus Amiterninus, Probus Carmeianensis, Candidus Tiburtinus, Proculeianus Sepinatis, Maximianus Perusinus, Eutychius Tranensis, Fortunatus Anagninus, Marcus Samninus, Memor Canusinus, Florentius Blestinensis, Concordius Mesetanis, Asellus Populoniensis, Elpidius Veliterninus, Veneriosus Pellensis, Sebastianus Syranus, Venantius Senogaliensis, Innocentius Tiphernus, Iustus Signiensis, Augustus Liparitanus, pro Urso Propinquus Trebiatis, Romanus Nomentanus.

RUFFIO MAGNO, FAUSTO AVIENO, VV. CC. CONSS. SUB DIE X. KALENDARUM NOVEMBRIUM. QUARTA SYNODUS HABITA ROMAE PALMARIS.[1]

Sancta synodus apud urbem Romam ex praecepto gloriosissimi regis Theodorici ex diversis regionibus congregata in Christi nomine dixit: Cum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepisset authoritas, ut de his quae de venerabili papa Symmacho apostolicae sedis praesule ab adversariis ipsius dicebantur impingi sanctum concilium iudicaret, Liguriae, Aemiliae vel Venetiarum episcopis quos ad praesentiam principis spei itineris ductos attraxit consulendi regem incubuit necessitas, quae hos voluisset aetate fractos, debilitate corporis invalidos causa congregari. Respondit praefatus rex piissimus bonae conversationis affectu: Plura ad se papae de Symmachi actibus horrenda fuisse perlata et in synodo oportere tractari, si vera esse inimicorum eius obiectio iudicatione constaret. Memorati pontifices quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum qui dicebatur impetitus debuisse synodum convocare, scientes, quia eius sedis primum Petri apostoli meritum vel principatus, deinde sequuta iussione domini, conciliorum venerandorum authoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictum sedis antistitem inimicorum minimorum subiacuisse iudicium, in propositione simili facile forma aliqua testaretur. Sed potissimus princeps ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit. A mansuetudine eius paginae postulatae sunt, quas ab eo directas constabat, has dari sacerdotibus sine tarditate constituit vel quicquid in eodem negotio actum scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus dei prosequutione perventum est. Et dum venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio, prout poscebat causa tractatus, sanctus papa Symmachus basilicam Iulii in qua pontificum erat congregatio, prout habuit cura celeriter ingressus est et de evocatione synodali clementissimo regi gratias retulit et rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis quae de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat abscissa est, auctoritatem ordini colligendo, sicut poscebant ecclesiastica statuta in omnium qui ibidem convenerant episcoporum praesentia, se dare professus est, sperans, ut visitator qui contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas maiorum a parte cleri vel ab aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum sicut decebat sanctum propositum prima fronte cederet, et omnia quae per suggestiones inimicorum suorum amiserat,

[1] *Inscript. et text. sec. ed. cit. coll. Dionys. p.* 579; *inscript. et tituli ibid. praemissi in cod. Par. int. suppl. lat.* 840 *desunt.*

potestati eius ab honorabili concilio redderentur et tanti loci praesul legaliter prius statui pristino redderetur, et tunc veniret ad causam, et si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet. Digna res visa est maximo sacerdotum numero, atque ut mereretur, effectum optabant. Decernere tamen aliquid synodus sine rege non praesumpsit, sed suggestio iusta per legatorum negligentiam non meruit secundum vota responsum. Iussus est regis praeceptionibus papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum quas amiserat receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere, qui potestatis suae privilegia, et quae pro conscientiae (quantum iuste aestimamus) emendatione submiserat, nec hac voluit vice resumere, sed dum esset synodus in Hierusalem basilica sessoria palatii constituta, aliquibus sacerdotibus visum est, ut libellus quem accusatores paraverant qui quotidie seditionibus appellabant, susciperetur a synodo; in quo suscepto duo erant quae vel veritati inimica essent vel ipsi quantum ostenditur conventus ecclesiastico proposito repugnare. Unum, quia dicebant crimina memorati superius Symmachi papae apud regiam constitisse notitiam: quod falsum esse declaravit, non enim quasi novam causam audientiae commisisset, si eius conscientiam convictam de errore solam sciret expectare sententiam. Aliud quod per servos de his quae obiiciebant se eum loquebantur posse convincere, addentes ut ipse mancipia traderet, quibus quantum illi asserebant, posset in iudicatione superari. Quae res canonibus et ipsis publicis erat legibus inimica, cum patrum statuta sanxissent, ut quos ad accusationem leges saeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione vel accusandi aliquid delegandam non esse licentiam. Et dum inter ista quae essent facienda tractatur, praefatus papa, ut causam diceret, occurrebat, qui veniens ab irruentibus turbis aemulorum suorum ita tractatus est, ut multis presbyteris qui cum ipso ierant per caedem ipsam mortis fuisset occasio et recentium adhuc vestigia vulnerum inlustris vir comes Aliernius et sublimes viri Iudila et Vedeulfus maiores domus regiae perspexissent, quod se unde egressus fuerat, ad beati Petri apostoli septa convexerit. His ita actis et rebus varia confusione turbatis, iterum nos ad iustitiam contulimus principalem, scientes divinitatem propriam regere dominum, quae ad Italiae gubernacula ipsa provideret, cuius mansuetudini omnia per relationis seriem, sicut res poscebat, ingessimus. Intimantes etiam saepe nominatum papam per sedem, cui subiacuerat cum suis, si voluntatem rursus haberet exeundi ad iudicium, fuisse commonitum, sed allegasse eum per directos episcopos, mandatis canonibus sibi concessisse affectu purgationis suae culmen humiliat, quantis periculis pene fuisse oppressos. Domnum regem habere quod vellet faciendi, se interim iustitiae renitentem statutis canonicis non posse compelli. Ad haec serenissimus rex taliter deo aspirante respondit: In synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere, committens etiam potestati pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione concilii pax esset in civitate Romana christianis omnibus, quae cum iuste offertur dei mandata complentur; Italiae suae dare rectorem, agnoscentes nullum nobis laborem alium remansisse, nisi ut dissidentes cum humilitate propositi nostri ad concordiam hortaremur, quia unum tantae rei restabat, unde deo pareremus, ut sanctae principis voluntati invitamus senatum amplissimum, quali oportuit legatione destinata monentes et instruentes, causas dei ipsius iudicio esse committendas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam, qui dicit mihi vindictam et ego retribuam, apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Cogitare prudentes viros oportere, quanta inconvenienter et praeiudicialiter in huius negotii principio contigissent, et nos viam per hanc quam ipsi vocabant remissionem peccatis non aperire sed claudere, qui quod dicebatur maiori iudicio servamus instruentes eos, quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias praevidere sed pastoris: maxime quia in causa praefata multos qui se dignabantur cognoscere et deo satisfacere error involverat, et quia non poterant plura sub hac occasione ecclesiae membra dispergi, sed magis per mansuetudinem sustineri, sicut boni vos operis Paulus instruxerat, dicens: Sanandos esse plurimos per patientiam et doctrinam. Et quicumque putantur rei et gravibus peccatis involuti, quamvis nullus sit qui delicto careat, sicut Ioannes testatur apostolus: Si dicam quoniam peccatum non habeo, mendax sum; hos tamen magis pressuris omnium sustentari et perterreri, has passiones, iudicia divina suspendi, maxime cum illa quae praemisimus inter alia de authoritate sedis obstarent, quia quod possessor eius quondam beatus Petrus meruit in nobilitate possessionis accessit, et claritatem veterem vobis dat, det Christi dote rectoribus. Clamantes: Scriptum esse per prophetam ex persona dei: Nunquid non valet manus mea ad consumendum eos qui erraverunt? Haec eadem saepissime, sicut oportuit commonentes, ut habita intentione discederent et factum nostrum quod deus inspiraverat iuxta mandatum principis non discuterent, sed sequerentur, sicut decebat ecclesiae filios, nec sub hac intermissione contenderent et crescerent ecclesiae detrimenta. Quae res poscebat cum festinatione succurri et nobis huius celeritatis et illius obedientiae necessitas imminebat, maxime cum omnem pene plebem cernamus eius communione indissociabiliter adhaesisse, cuius nos non modica quidem cura stimulabat, ne in aliquo laberetur errore. Quibus

allegatis cum dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum vel religionum consideratione adstricti et coelesti perpensis omnibus quae in causa erant inspiratione secretis Symmachus papa sedis apostolicae praesul ab huiusmodi propositionibus impetitus quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus superius designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum. Sit immunis et liber et christianae plebi sine aliqua de obiectis oblatione in omnibus ecclesiis suis ad ius sedis suae pertinentibus et tradat divina mysteria, quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem propter superius designatas causas obligari non potuisse cognovimus. Unde secundum principalia praecepta quae nostrae hoc tribuunt potestati, ei quicquid ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris iuris est, reformamus, totam causam dei iudicio reservantes universos hortamur, ut sacram communionem sicut res postulat ab eo percipiant et dei et animarum suarum meminerint, quia ipse et amator pacis est et ipse pax est qui monet: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et in quacunque civitate pacem esse confirmandam adfirmans beatos esse dicit pacificos. Haec quicunque ex instructione nostra, quod non aestimamus, vel non admittit vel retrectari posse crediderit, videat, quia in divino iudicio contemptus sui rationem est, sicut de deo confidimus, redditurus. De clericis memorati papae qui ab episcopo suo ante tempus aliquid contra regulas discesserunt et schisma fecerunt, hoc fieri decernimus, ut eos satisfacientes episcopo suo misericordia subsequatur et officiis ecclesiasticis se gaudeant restitui, quia dominus et redemptor noster oves perditas ab errore laetatur inventas et super profugum filium paternam libertatem caelestis medicator accommodat. Quisquis vero clericorum post hanc formam a nobis propalatam, quocunque sacrato deo loco in ecclesia Romana missas celebrare praesumpserit praeter conscientiam papae Symmachi, dum vivit statutis canonicis, velut schismaticus percellatur. Ista sufficiat cum dei notitia sincere protulisse.

Subscriptiones episcoporum: Laurentius episcopus ecclesiae Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam dei iudicio commisimus, subscripsi. Petrus episcopus ecclesiae Ravennatis huic statuto nostro in quo totam causam dei iudicio commisimus subscr. Felix Interamnensis, Maximus Bleramus, Maximus Ticinensis, Gerontius Fundensis, Laurentius Boensis, Mercurius Sutrinus, Hilarius Tempsanus, Innocentius Forentinatis, Vitalis Fundanus, Aristus Ostiensis, Victor Lunensis, Chrysogonus Albanensis, Romanus Nomentanus, Cresconius Tudertinus, Ioannes Spoletanus, Laurentius Vergomatis, Rufentius Agnatinus, Martianus Acanus, Fortunatus Agninus, Innocentius Forosemprovien., Hilarius Tempranen., Severinus Tyndaritanus, Sebastianus Soranus, Felix Atellanus, Propinquus Trebiensis, Bonifacius Camentanus, Vindemius Antiatinus, Valentinus Amiterninus, Bonifacius Aquaevivensis, Aemilianus Soranus, Cassianus Mutinensis, Stephanus Venusinus, Fortunatus Fulginensis, Stephanus Neapolitanus, Maximilianus Perusinus, Concordius Mesinatis, Castus Pratensis, Martyrius Terracinensis, Asterius Aquinatis, Amantius Potentinus, Ursus Reatinus, Innocentius Mivanatis, Eustasius Cremonensis, Eucarpus Meresape, Serenus Nolanus, Eutychius Tranensis, Paschasius Vulturnensis, Felix Nepesinus, Innocentius Direntium Tiberinorum, Sylvanus Veliternus, Mercurius Gabinatis, Rusticus Buxentinus, Adeodatus Formianus, Iustus Signanus, Augustus Liparitanus, Fortunatus Suessanus, Iocundus Augustanus, Viticanus Celeniensis, Porculeianus Sepinatis, Aprilis Lateranensis, Memor Canusinus, Elpidius Volaterranus, Adeodatus Silvae Candidae, Rogatus Taurominitanus, Probus Carmeganensis, Tigridius Tauriganus, Ioannes Ariminensis, Candidus Tiburtinus, Asellus Populoniensis, Callonicus Foroclodiensis, Ioannes Turritanus, Venerius Pallensis, Servusdei Verenensis, Dulcitius Sancti Antimi.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI INCIPIT V^TA SYNODUS A CC^TIS XXX^TA EPISCOPIS IN CONSISTORIO LATERANENSIS XV^MO KALENDARUM NOVEMBRIUM DIE AUCTORITATE ET PRESENTIA SYMMACHI PAPAE ROMAE HABITA ET AB ENNODIO DIACONO PRECEPTO ET AB AUCTORITATE MEMORATI PAPAE ATQUE OMNIUM EPISCOPORUM QUI IN EANDEM SYNODUM CONVENERUNT SCRIPTA ET POSTMODUM IN CONSPECTU EORUM OMNIUM RECITATA ATQUE ADPROBATA DIGNAQUE AB OMNIBUS LAUDE ROBORATA ADVERSUS EOS QUI CONTRA SYNODUM SCRIBERE PRAESUMPSERUNT, UT NEC DE APOSTOLICAE SEDIS PRAESULE NEC DE ULLO UMQUAM TEMPORE PRESUMANT, QUALIA DE IAM DICTO DOMNO SYMMACO PAPA PRAESUMPTA SUNT. INCIPIT PREFATIO SYNODI.[1]

[2]Solet dicendi affectum multarum rerum ardor exigere, si avarus laudis est animus et favorem desiderat sudore mercari et per blandimenta gloriae crucem narrantis igno-

[1] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. [2] *Text. desumtus ex editione operum Ennodii* (*Iac. Sirmondi. Paris.* 1611) *p.* 317 *sqq.*

rat, aut lucri adstrictus compedibus linguae vendit obsequium, ut dum animus habendi cupidine subiugatus praesumptum aestimat iam tenere compendium, sic ingruentia per styli exercitium nescit timere discrimina, aut necessitate conclusus profert eloquium sine quacumque lima captivum, et nesciam pudoris frontem monstrat in medium, ut dum intentioni famulatur, diligentiam decoris abiuret, quia dicendi ornamenta non sunt negotii, sed quietis, nec militiae sunt picta verba, sed otii. Campus fortem postulat, pax profunda redimitum, qui profutura asserit, loquelam quae peniculo artis est colorata contemnit. His ergo ita se habentibus causam narrationis insinuo, et coactam vocem pravorum latratu religiosis mentibus commendo, scriptum esse reminiscens: tempus tacendi, tempus loquendi, vel post fidem prophetici oraculi cuiusdam oratoris exemplum qui refert, nisi cum necessariam dicendi nimis ineptam esse conditionem. Oris ergo ministerium pro ingenii valitudine sacerdotibus dedo, adversus quos sibilantium effusa sunt venena linguarum, licet scuto munita fidei spiculorum imbrem patientia religiosa non timeat, et ad auctorem redeant tela, quae sine bellandi arte diriguntur. Quibus enim pro lorica Christus est, vim non metuunt et inimicos longa expectatione prosternunt. Quisquamne tamen in hac acie praelium putet esse formidini, in qua deo et pontificibus infertur sine virium aestimatione certamen? Quisquamne fluxum et lacessentem hostem videat, et praeliorum causis adversarium debilem expavescat? Invidet ipse sibi victoriam qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non prius causas quam aliud expendit. Dat vires iaculis innocentia, et mucronem acuunt ex aequo venientia vota bellandi. Percutiendi impetum plus iustum dolorem scimus dedisse quam brachia, inde paucorum telis multitudo non substitit. Dicente ergo mecum propheta: plures nobiscum sunt quam cum illis, placiturum bonis, quantum aestimo, opus incipiam.

AC IN SINODO OPTIMAE LECTOR REGULAREM SYNODI INTELLEGE RATIONEM EIUSQUE OBIECTORUM DISCERNE LATRATUM LICET ENNODIUS IN PERSONA DOCTOR EPISCOPORUM OMNIUM AD HOC CONCILIUM CONVENIENTIUM SCRIPSERIT ROGITUS.[1]

Sufficeret quidem schismaticam imperitiam propositione cecidisse, maxime cum secum habeant obiecta responsum et mereantur titulus sine lectionis discussione cum auctoritate damnari, cum in praenotatione ipsa significantia operis innotescat immundi dicentium adversus synodum absolutionis incongruae. Ego tamen nunc sic agam quasi opus sit alieno ense perire mala proponentem. Istud praeloquium potest dementissimi hominum tantum inscitiae adscribi? Estne aliquis praeter vos sic inter oves ulcerosas deputandus et erraticas, qui magnum regem potuisset lacessere pastorum dicente propheta: filios nutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; et domino de apostolis: qui vos spernit, me spernit. Quos episcopos fuisse propheta testatur de Iuda dicendo: et episcopatum eius accipiat alter. Apostolo aeque Paulo proclamante: obedite praepositis vestris, quoniam ipsi exorabunt pro vobis. Sed redeamus ad gravem et venerabilem non solum ex ala productam, sed mysticam propositionem. Non omnes (inquiunt) sacerdotes regis ad concilium adscivit auctoritas, nec omnes in iudicatione senserunt. Mancipia tartari, et liquido Satanae ministri, quoscumque non evocavit scriptum principis novis nexibus et actuum vestrorum spiris causa pertraxit. Nolo dicere in quo fuerint voto, in qua deliberatione discedentes, quibus taedium illa peperit expectatio, cum viderent venerabilem papam longas in vita contra fas suum inducias accepisse. Videbant aether tantum directis a se iaculis verberari. His ne liceret infelicibus in malorum actibus consolatione secreto delitescere? Libris vestris nudantur absconditi, et per vos in turpi facto habere solitudinem non sinuntur, dicente domino in evangelio: Omnis malus odit lucem. Post haec asseritis adversarios papae Romani dici non debuisse qui praedictis prolatis petitionibus accusabant. Dolose videlicet hoc agentes eo quod adversarios suspectosque canonica synodalibus clamante in decretis auctoritate in suam recipi accusationem episcopos minime oportuisse vos non latuisset: ad assertiones fidem iungentes quod eos isto nomine praecepta regia non vocassent. O homines omni artis lima compositos et caminis fabrilibus excoctos, qui ad stipulationem doctorum desudata invenere testimonia! Amamus reverendi viri sententiam vestram, et (ut aiunt) in ipsam pedibus imus. Cognoscimus errata quae dicitis; inimicum vocet aliquis accusantem et tragico nomine appellet contumeliam non merentem? Dehinc subiunctam quaestionem rhetorica fibula momordistis allegando: Testis est Romana civitas, si omnes episcopi senes et debiles convenerunt, ecce orationem veri nervis nitentem, et ipsi Cepasio praeferendam nitore sermonum. Ergo quia se aetate valentes et corpore imbecilles esse dixerunt, ipsi

[1] *Sec. cod. Par. cit. Eadem leguntur in cod. Rotomag.* 15/9 *E., qui pro* ac in sinodo *ponit* hoc in libello *et verba* licet Ennodius etc. *omittit, et in cod. Par.* 3852, *qui pro* ac in sinodo *ponit* hoc in libello *et scripsit* rogatus *pro* rogitus.

se ineptos iudicio esse testantur, quoniam membrorum se dixerunt iam sustinere dispendia, maxime si hoc ingerere clementissimi domini auribus praesumpserunt. Vos putatis ab universis dei conspectibus pulsi illo vestrorum more congressuum ubique narranda confundi, et apud principem de collectione pontificum alios protulisse sermonem, nisi quos aetatis maturitas ordiendae loquelae fecit auctores, quibus anni veteres reverentiam contulerunt, qui putabantur bonorum meritorum suffragio in longum fuisse servati. Ipsos ergo de gravidae aetatis fatigationibus queri decuit, quos aetas iusserat allegare. Viri optimi, subdidistis, ex praeceptis regiis evocationis causam fuisse iam cognitam, et Italiae summa moderantem non fuisse, quasi de novo negotio consulendum, plus chartae et scriptioni religionis debitum quam praesentiae principali. Nullus ergo in praedicto negotio titulus remanserat, ad cuius inquisitionem pergentes illud iure praeloquerentur exordium. Ex hinc digressi bonarum rerum in rege laudatis affectum, et colitis verbis innocentiam quam actibus ignoratis. Si tamen cultus est in loquela vestra, quam scabro vomere velut agentes per devium aratra proscinditis marcenti solo lolia commendantes, recepturi pro tali impendio paleas quibus gehennae in perniciem vestram ignis animetur. Sed nunc ut quidam fertur dixisse, quae quibus anteferam? Contra apostolum dicitis impugnatores summi pontificis non auditos, qui caelestis mandati memores partem suam a consortio adulteri subduxerunt. Hic non incesso ignorantiam: rimosam memoriam non accuso. Nolo dicere quod prophetae verba apostolo contulistis, qui novi et ipsos apostolos recte vocitari, quos missos esse non nescio. David enim dicit: furem videbas et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Deinde quis se de illa vestra enodem faciat quaestione qua dicitis in criminibus obiectis quod non excluditur, approbatur? En vocem Romanae ecclesiae militibus congruentem, in qua nescias, utrum prius nitorem praedices, an saporem. Putasne, audistis legi, quod iustum est iuste exequeris? Audistis de malefactis hominum, si tamen aliquando conversatio humana vos tenuit, quicquid non suis ordinibus approbatur excludi? Ubi est illud prophetae: dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui? et de vobis dictum: peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, vae animabus eorum? Sed quid facto opus est, quotiens nulla desperatis medela succurrit, nisi implorandus est dominus qui promisit per prophetam futurum se super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem, ut humilietur? Sed foetidum opus vestigiis insequar et ferrata si valeo, calce contundam. Ut vere dicam res cum re, causa cum causa, ratio cum ea quam putant ratione pugnabit. Oblocutos sacerdotes praeceptionibus regiis allegatis, et quoddam sacrilegium creditis, mali aliquid cum caelestem nesciatis de terreni domini iussione sentiri, opponendo quis regi debuit dicere, papam oportuisse synodum convocare? Certe quod in hac parte constat exemplum? Illum praecipue qui criminosis multorum propositionibus iam iacebat, quem hoc fuerat damnare, quod argui; cui praerogativam caelitus adscriptam hostium suorum oblocutio iam tulisset? Ad hanc vos dementiam malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, ut hoc credatis esse lacessere quod convincere, nec apud vos habeant a veritate differentiam odia quae plerumque contra meritum impetiti studiis, non rationi obsequentia vota concinnant? Ubi est illud: Priusquam agnoscas ne adiudices quemquam? Olim vos accepit grex positus in sinistra collegas, apud quos ex praeiudicio excepisse sententiam creditur, qui meruit ad examen adduci et hoc est reum existere quod libram disceptationis intrare. Praelocutioni tamen optime divinum subdidistis exemplum, quod ita quadratis constat alloquiis, ut ipsum in eo Archisippum tenere lineam putes. Peccatori dicit deus: Quare tu enarras iustitias meas? Huic dicto conserentes quasi ad sacerdotes apostrophen, quia beati Petri apostoli vicarius aestimatur: prohibetis archiatrum eius corpori afferre medicinam. Quomodo vos animae eius curationem exhibere renuetis? Magnum per divina ridiculum, an maxima lamenta sint nescio. Vos alienae febri curam quaeritis, vos fatiscenti animae medelam adhiberi cupitis, et in leti proximitate positi, vestri immemores, de alterius salute tractatis. Quid si illud vere vobis a propheta dictum sit: Nunquid parum est quod molesti estis hominibus: quia molesti estis et deo meo. Et iterum: Medice, cura teipsum? Sed hinc alias. Novimus, quia sanari non potest conclamatus et improbus in profundum deveniens mira temeritate contemnit. Sed credo vivit in istis et in malae conversationis suae morte consilium, et potest optare quis alteri, quod ipse iam perdidit. Nunc recte vobis cum propheta dicam: Omnia quae loquitur populus iste coniuratio est, et timorem eius ne timeatis nec formidetis. Facessat a nobis qui in vobis est pruritus iste linguarum quos vere idem propheta arguit: Scribentes iniustitiam scripsistis. Non nos beatum Petrum sicut dicitis a domino cum sedis privilegiis vel successores eius peccandi iudicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum haereditate innocentiae misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantae dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum sufficiunt quae a loci decessore praestantur. Aut enim claros ad haec fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. Praenoscit enim quid ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur. Sed hinc actibus vestris caelestem potentiam putatis esse suffragio, quod ad praesidium beati Petri apostoli adiutricem,

ut dicitis, dexteram commodatis. Nescitis, stolidi, solem facibus non iuvari, nec ad praesidium diurnae lucis lychnos accendi? Scriptum est enim: Scrutatur corda et renes deus. Sed in illa parte quis audeat argumentis vestris respondere, nisi quia sine arte dicitur verum et fides mendacio sermonum technis assuitur? Cur, inquiunt, ad principem convenistis, si audiri non licebat impetitum? Sic vos in stuporem pecualem peccati nebula aut divinus horror oblimat, ut verecundam excusationem aut fraude mens vestra transeat aut belluarum pressa hebetudine non agnoscat? An forte aliud putatis fuisse quod dictum est, ipsum debuisse synodum convocare, cuius opus erat officio? ut vos videlicet per pontificale examen divina sententia percelleret, quos a capitis sui compage in salutis detrimento insanus furor absciderat. Post Esau mentionem operi vestro, nescio verbis an latratibus indidistis, comparantes ei antistitem nostrum qui senioris naturae beneficium unius cibi commutatione perdiderit, et primogeniti canam dignitatem amiserit faucibus obsequendo. Ad ista quid referam, qui ex omni obiectorum parte concludor? Quis, rogo, vestrum Symmacho benedictionem, dum patri plus deservit, eripuit? Cui tantorum munerum Iacob vice est collata nobilitas? Quis ex vobis coeci parentis desideriis pariturus occurrit? Quis vestrum devotione sua genitorem venerabilem captum oculis nulla fecit lucis damna sentire? Nonne collatione tenebrarum vestrarum nox putatur per sudum rutilans iubar ostendere et omnis obscuritas actibus vestris collata decorem solis adsumit? Praeterea tunc Iacob quamvis congruentem moribus filii benedictionem tamen contulit iam promissam. Nunc quid his longius immoramur, cum docendi non sint, qui calces stimulis intulerunt? Credite mihi, pacis inimica sunt, impugnationi non sunt idonea quae profertis. Sed sequitur vinculum cum aenigmate quod nescio, qua replicationis arte solvamus. Tullianae enim profunditatis pelagus ingressi cymbulam nostram quaestionum flatibus per littorum incerta transmittunt. In qua tamen Christo clavum tenente portum ingrediar, et sigillatim de turbinibus vestris universa discutiam, habiturus in ductu illorum facultatem, non meam. Aiunt enim: si vera est episcoporum assertio, sedis apostolicae praesulem minorum nunquam subiacuisse sententiae, cur ad iudicium districta conventione productus est? Multum quidem annosa hic in vobis laborat infantia: cui ille advocandus est, qui ineluctatae nobiscum semper pondus propositionis exsuperat, cum manifeste pro sacerdotibus cum propheta clamitem: Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam, ut sit mihi illud suffragio divinum oraculum: Quomodo si cessavit exactor, tributum quiescit, ita contrivit dominus baculum impiorum. Tribue, domine, quod praedixisti in illis, ut sicut errat ebrius et vomens, ita pereat incredulus, qui infideliter agit. Propter hoc propheta vobis insultans vociferat: Audite verbum domini, viri illusores. Quisquamne causarum ex praecognitione sancit eventum et rabidis terminum positura conflictibus sic metitur, ut pernix decisio dum inquisitione esse senior innotescit, anticipet, favorem censentis accuset? Nunc paulisper ore, actibus, annis indignus, pontificali voce vos arguam. Nos qui statuta nostra non una apud vos volumus lance constare, quibus de impugnatorum qualitate lati sunt canones, apud quos nefas est cana patrum definita transcendere, quibus scriptum est in Carthaginensi concilio, quod apostolicae sedis per Faustinum episcopum qui tunc ab ea missus interfuit, approbavit auctoritas, accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum, in quibus odio succensa vicinitas per nutrimenta arida flammam persecutionis exsuscitat et universam doli fabricam sumptu et machinis cohaerentibus secreta dispositione componit: istos quae domus evomeret, qui scire potuisset nostra collectio, nisi praesentes? et impugnationis qualitatem, unde nisi ex scripta propositione didicisset? in quibus sentinam criminum, dum simulato ferunt persecutionem se debere criminibus, agnovisset? Post illa quae de accusatoribus prolata sunt, addidistis: Cur personae iussae sint praesentari quas saepe imperialis flagitasset auctoritas, ad defraudationem genii pertinere eius qui nunc in sede apostolica quasi in quadam arce consistit. Vere vobis dicit sapientia: Homo infirmus et exigui temporis ad intellectum non perveniet, sed laboret ut sciat quid acceptum sit apud dominum. Et iterum dicunt proverbia: Odit se qui negligit studia: imperitis enim obviat mors. Quid enim illam quae in viperina scientia descendit, ignorantiam fingitis? Quid adhibetis mira latrocinandi arte praestigia, simplicitatem fronte monstrando? De vobis vere dictum est: Qui loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Istam laetitiae faciem ex iudiciorum censura venientem callida provisione sacerdotis vestri oculis abstulistis, ut eum talibus adversus acies vestras instructum munitionibus et innocentiae in testimonio orbis tela deferentem ab ipsis iudiciorum adytis pelleretis, providentes ut nec sine impugnatione insons viveret, nec haberet solatium de incorrupta iudicum inquisitione pulsatus. Vos praefato et dedistis et invidistis examen, cum uno eodemque itinere a vobis disceptationum dubia subire et prohibetur et cogitur et per singularem callem ad causam arcendus evocatur, ne manifestam salutem aut non lacessitus obtineret aut subriperet absolutus. Adolescentiae meae memini me legisse temporibus de quodam dictum: Exsuli exilium imperas, nec das. Vos impetit prophetae sententia: Isti sunt viri qui conturbaverunt terram et qui concusserunt regna. Et iterum: Excidentur ramusculi eorum falcibus, et quae derelicta fuerint, abscindentur. Et rursus: Dum non speratis

veniet contritio vestra et comminuetur multitudo vestra sicut lagena figuli. Nec non propheta ad hanc causam specialiter locutus intonuit: Dominus inclinabit manum suam et corruet qui fert malis auxilium, et cadet cui praestatur auxilium, simulque omnes consumentur. Redeo tamen post vetusta exemplorum suffugia ad novellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginense concilium: Quascumque ad accusationem personas leges publicae non admittunt, his impugnandi alterum et nos licentiam submovemus, et nullae accusationes a iudicibus audiantur ecclesiasticis quae legibus saeculi prohibentur. Quaero a vobis viri quibus indita est ad unguem polita perfectio, cuius conditionis fuerunt ista mancipia quae postulata scriptis principalibus intimastis? Si ea servilis adhuc in potestate alterius catena retinebat et nulla ab obscaenae obligationis compedibus vestigia in libertatem missa laxabant, vel vobis disceptantibus fidem aliquam praedictorum verba portassent? Sed, credo, replicabitis: veritatem quam sponte prolata in illis vox habere non poterat, hanc diversis cruciatibus est latebris suis religiosus tortor exegerat, ut dum poenis corpora solverentur, quae gesta fuisse noverat, anima non celaret. Sed, quaeso, primum ad leges publicas deinde ad iudices ora convertite, qui possunt in defensione sua sic eloqui: nos quos dei servitium post istarum rerum abiectionem fecit ingenuos, qui servulorum insultantium contumelias aut despicimus aut ridemus: quibus scriptum est de famulis per apostolum: Mementote quia vester et illorum in caelis est dominus: ad haec saeculi mala revocabimur? Faciendum a nobis est, quod facientem alterum profanum esse contendimus, quod per ministerium iussionis et manus alienae incestaret aspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad universas ecclesias mentem rapacium luporum more et natura servare, quia postquam nos maculasset forte pro desideriis vestris cruenta discussio effectum in his quo tenditis non haberet. Sed dicente vobis propheta: Ponamus circulum in naribus vestris et fraenum in labiis et reducamus vos in viam qua venistis. Qui eodem propheta asserente impugnamini qui dicit: Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt vobis. Hoc etiam novo adversus nos subdidistis invento, ipsum dominum et redemptorem nostrum servorum subiisse iudicia et caeli operatorem particulae cuidam sponte subiacuisse terrenae, dum testatur et loquitur: Homo Iuda et qui habitas Ierusalem, iudicate inter me et vineam meam: hoc etiam beatum Petrum, hoc Paulum apostolum non horruisse narratis, et illam vestram elegantiam ad ius pertrahitis exemplorum nexibus praecedentem quasi vobis in hac parte remanserit cum renitente contentio et validis facundiae vestrae digitis exigantur oblata. Samuelem etiam prophetam mirificum de conscientiae suae serenitate vulgi dicitis implorasse testimonium. Quid enim Samuel dixit? Scire dominum quod nullius unquam substantiam, nullius pecus abegisset, adversatum se muneribus et quod est supra hominem sponte venientia dona vitasse, providens scilicet ne per suspicionum praeiudicia opinionis damna pateretur. Postremum sub divina attestatione patefecit innocentiam, ne humanum subiret examen. Redemptor noster iudicium quod inter se et vineam suam optat evenire, dum vestra in praesenti negotio mala respicit, magis implorat. S. Athanasius Alexandrinae urbis episcopus, dum participum vestrorum argueretur invidia, agnoscens sibi per contumeliarum multitudinem exercitium contingere non timorem, vere ad coronae pretium iunxit, quod de dignitate submisit et ante caelestem de absolutione sententiam personam rei innocentiae bonus aestimator implevit. Sic enim Christi milites sudore suo bonorum sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore humilitate castigant, inde laudum cumulos mercaturi, unde indepta culmina sublimi parcitate moderantur. Sed quamvis beatum Athanasium Romano antistiti quantum nosse datur, imparem locus ostendat, facto tamen in negotiis comparantur. Ille praesto fuit iudicibus, iste quantum et vos dicitis advocavit, ille intentatam discussionem ut dei famulus non refugit, iste triumphi sui spem in discussorum collectione constituit. Sed quid his longis collationibus immoremur? Iudicia et iste voluit, amavit, attraxit, ingressus est, et quod posset fidelium corda doloris iusti aculeis excitare venerando concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit. Quis in hac allegationis ipsius fronte nesciret, fultum ad coepiscopos puritatis testimoniis convenisse, qui hoc quod districtionem eorum minus licebat, exhorruit, aestimans illud magis quolibet modo labefactandum quod statuisset censor invalidus. Quid praefatum incessistis canina loquacitate? Quid laeditis non merentem? Votum eius est, quod vestrum putatis esse terrorem. Sed astutior in vobis quam in Athanasii adversariis novelli virus serpentis insibilat. Illi nescierunt quod vos optime calletis qualiter triumphus tolleretur impetito, illi provocatum, ne audiendus occurreret formidabant. Vos moram quam habebant examina non ferentes, venientem iaculis repulistis, et taedium vobis de sententia praeparatum armorum ultricium armorum assumptione commutastis. O malorum commemoratio, quae vocem et praestat et subruit, dum illos quos in clamorem coegerit, eorum etiam gravitate facti verba confundit! Quis patiatur vos aequo animo garrientes? Ergo nos secundum assertionem vestram novellae utilitatis commoda non amamus, dum definitis senioribus praestamus obsequium? Hic tota ingenii vela suspenditis, hic resupinae cervicis ex secessu pectoris quicquid habuit flaminis ructus evomuit. Aiunt enim: Moysi a vobis ieiunia et Elisaei miracula quae egit dum mortuum suscitavit, si annosa tantum sectamini, con-

demnantur. Quid hic rationis invenit scrutator idoneus? Non si auri pallidus inquisitor occurrat in sensibus vestris latentium venarum motus inveniat, et insuetis lucem latebris sermonum fossor admittat. Idcirco ergo cana miracula non probamus, si iuvenilibus consensum non praebemus excessibus? Si servum domino, discipulum magistro evangelii memores subiungamus, quicquid potuit prodesse negligimus? Alia sunt improbissimi hominum, quae ad usum recentem sine iniuria vetustatis adhibemus.

Novam deinde culpam, et quam investigatio nostra transierat, reclusistis: quare papa sine exempli instituto praecedentis synodum convocavit, ut de criminum eius obiectione cognosceret. Post haec nos falsitatis arguitis, cur a principe, quae in praefato negotio scripta sunt, dicimus postulata. Praesta, domine, ut labyrinthi huius sine errore sinuosos superemus anfractus: dirige semitam quam flexibilis coluber iuxta fabricam proprii corporis aut mentis operatur, ut vere dicamus: Dominus virtutum nobiscum, adiutor noster deus Iacob, et cum Salomone exultemus dicente: Equus paratur ad diem belli, apud dominum autem est omne praesidium. Superforaneum quidem est absurdis respondere propositionibus, dicente propheta: Ne respondeas imprudenti ad imprudentiam eius. Sed si quid contemptus transierit, vereor ne quasi validum putetur non tetigisse formido. Melius est nobis cum beato Paulo insultationis causas incidere et plena voce testari: Factus sum insipiens, vos me coegistis. Hoccine ergo nullo constabat exemplo, ut sacerdotum papa concilium convocaret, cuius arbitrium est collectio synodalis? Aut parva erant quae de vestris cum hac multitudine facinoribus damnarentur? Nonne directa sunt verba canonum: Quicumque clericorum ab episcopo suo ante sententiae tempus pro dubia suspicione discesserit, manifestam in eum manere censuram? Ad huius rei ministerium devotum deo oportuit agmen occurrere, ut perditi et profligati gregis ulceribus medicorum exercitus subveniret, quia quotiens morborum violentia celeri gressu ad animae secreta festinat, obvias manus afferre non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum. Nam et hoc a rege nostra poposcit allegatio, ut abscissis clericorum praeiudiciis de accusatorum papa merito per humanum os supernum iudicaret imperium. Videamus tamen, si placet, et illas disputatoris didascalici libelli vestri relegamus argutias: habentibus etiam nobis ante oculos patrum sanctiones, quibus excessuum vestrorum sentina ponderetur. Lex ecclesiastica pontificem ab aliis accusatum, priusquam sub lucem obiecta constiterint, exigit non relinqui. Vos vero divini, ut puto, iuris memores, quia levia errata despicitis qui peccati nobilitate gaudetis, ne una vos ex desertione sacerdotis culpa respiceret, accusastis cum incrementis delictorum. Ad hanc vos valetudinem, ille qui est praevius vester adduxit, ut post desolatum, post impetitum pontificem, sine ullius rigore sententiae totius pene Italiae improbandam antistitum crederetis esse censuram: quomodo quidam dixit de cohorte vestra: festinantem animam morti non credidit uni. Potestne mens indocilis criminum iam ditata successibus a detestabili proposito velut effoeta feriari? Ille vos his locupletes malis effecit cui elationum copiae opes angelicas sustulerunt, et divinum censum nocendi quo exuberat thesaurus invidit.

Sed promissi memores universa quae operi ipsorum recolimus inserta, tangamus. Arguitur stylo splendidissimo papa Symmachus, quare conventionem praeveniens, cum populorum coetibus examen intravit, et postea iudicia cum evocatus quater fuisset, sprevit. Sic a vobis veri discessit affectio, ut mendaciorum nebulis urbis testimonium putetis involvi et fallaciae peniculo depicta verba plus virium credatis habere quam veritatem Roma quam retinet? Ergone ille disceptationem vel importunus adiit vel expectatus aufugit? Ergone illam multitudinem devotae deo plebis non pro fidei diligentia christiana magis expectatio, quam furor evocavit? Quisquamne ad inferendam violentiam currens lacrymas comites habet, et qui studet esse formidini vultum timentis ostendit? Multitudo illa iuncta sacerdotis officiis attulit ad nos lamenta, non iacula, nec venit telorum minax, sed fletibus miserabilis, una tantum intentionem vestram ostentatione gravatura, quia uberibus oculorum fluminibus demonstrabat quam esset per acerbitatem vestram conditio dolenda pulsati et in sobrietate venerandi examinis afflictione propria commendabat, quem voce non poterat. Sed habetis manifestum ex hac re qui bilem furor accendat, quia pene absolutus ad iudicia venit, pro quo orbis illacrymat, et dum rebus extraneam in praedictum invidiam sermone colligitis, paulisper reverentiae nostrae diu cervix superba submittitur. Sacram enim congregationem tunc vocatis, quando extinctorem nostrum Symmachum vultis asserere, et crudeli pietate honori nostro putatis accrescere, quod residens in ecclesiarum arce perdiderit. Nos ista non solum non sensimus, sed diversa sentimus. Ad alios magis tutelae vestrae venena convertite. Non habet testimonium defensoris, qui repugnanti impendit oris obsequium. Perdit quam esse putat beneficii gratiam, qui aliquid praestat invito, quia non est munus, nisi quod velis accipere.

Nunc longa non opus est admonitione iam perditis; odium debemus operi de cuius iam non superest quod damnetur auctoribus. Mulierum turbas asseritis urbanis coloribus cum praefato ad iudicia convenisse et illa vestra subtilitate ostenditur sexus qui maiorem antistiti debuisset affectum. Profanissimi hominum scriptum retineo: Aliud est maledicere, aliud accusare. Et prophetam dixisse: Reprobantes verbum sperastis in calumnia et in tumultu et estis in eo: propterea

erit vobis iniquitas haec sicut interruptio; quia pro nobis dicit dominus: Eos qui iudicant vos, ego iudicabo. Et iterum ad servos suos dicit: Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis. Rursus etiam vobis clamat: Accedite huc semen adulterii et fornicarii, super quem lusistis, super quem dilatastis os et eiecistis linguam? Nunquid non vos filii scelesti estis, semen mendax? Quae quibus copulatis advertite dicentes: Indicta causa derelictis defensoribus papa discessit: fori nobis in negotio praesenti et platearum quarum estis hypocritae exempla proponentes. Nobis scriptum est, per Paulum apostolum: Quibus crucifixus est mundus, quid illis cum foro? Sed ista nescitis aut quod est gravius nota contemnitis. Peregrinum credo aliquid et a ratione separatum postulans papa discessit? Nonne hoc speravit pro statu labentis ecclesiae pastorali cura constrictus, quod et religiosa providentia et causae ipsius ordo flagitabat? Quae enim iudiciorum forma praecesserat, ut vobis hostiliter disruptis etiam per suggestionem vestram sublatis ecclesiae opibus, qui diu fuerat cibus esurientium, famis mancipium videretur effectus, dum alimentis distributor egebat, ut fieret in dominatu servitus et in servitute dominatus? Quae hoc qualitas praecedentis aevi per memoriam in medium transacta reddebat? Qualis habuit effici ex censura convictus, in quo causam adiudicatio praecedebat? Non fuit privilegium, quo spoliari potuit iam nudatus. Unum vobis putastis residere in sacra collectione subsidium, ut ad tuendorum immanitatem criminum sacerdotes vobis comites iungeretis et fieret impunitum facinus pollutione multorum. Nunquam convenienti tempore censor adsciscitur, qui ad decisum pene negotium convocatur. Criminosi etsi est meritum tollit accusator, qui in eo plus furori suo vult licere quam iudici. Dicit enim vos impetens propheta: Haec est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. Ite angeli veloces ad gregem convulsum et dilaceratum et populum terribilem. Ad vos angelus missus est, scilicet per sacerdotes, quorum voce atque merito proferenda Christo dona suscipiunt et placato dominante impetrata mortalibus vota concedunt, per quos vobis oblata sunt munera repudiata concordiae; qui poenam moerentibus delectationis praemia detulerunt, qui dum se considerant in nullo quod merebamini respexerunt. Quis eum, inquit, vidit cum accusatoribus suis aperta, ut aiunt, pugna confligere? Imprudentissimi hominum quem cum quibus vultis decertare, respicite, et utriusque partis si quid salutis in vobis resedit, loca, tempora et personas attendite, et si vos nefarie congesta cordis adhuc pravi non subegit opulentia, oculos ad deum paulisper attollite et vel brevi tempore sinistri monitoris iussa contemnite. Agnoscitis summi regis praeceptionibus vos in his quae merito plectenda sunt non muniri, quia quamvis responsi qualitatem dictent dogmata postulati et petitio, dum existit praevia, quae sint secutura describat. Nunquam tamen cassibus vestris libera regnantis verba cepistis, nunquam desideriis per aucupia calliditatis imperialia vobis scripta militarunt. Quotiens vanis hiatibus nocendi inefficax morsus increpuit? Quotiens de accusato quicquid spe tenuistis effugit et vacuos imago praesumptione occupata deseruit? Deo gratias qui hanc providentiam indidit ei, cui rerum humanarum summam commisit. Spes certa quietis est, et salutis perfecta in gubernatore sapientia. Puppis, cuius magister ad clavi regimen intellectus dote praeparatur, ubique stationem ubique portum habet in fluctibus. Certa est generalitatis securitas, quando rempublicam nobilibus regit artibus institutus. Scit imperatoris nostri caelo infusa dispensatio obviam manum famosis in fallendum ingeniis exhibere. Labore apud eum non opus est, quem sortita est olim nuda veritas defensorem. Cessent impia commentitia apud illum simplicitatem fraude mentiri, quicquid sit, dum iustitiam moverit, mox tenetur. Nihil apud praedictum tutius innocentia est; legatione valida utitur quia aequitati res congruentes insinuat. Quae gravis est plerumque principibus impugnatio minus fidelium blanditiis non legatur. Sed haec deo melius narrantur a quo frugis huius planta descendit.

Ad vos me reducit propositi operis non amica conditio, qui melioribus hactenus operam volui navare sermonibus, dum captivam orationem exigit imperiosa necessitas. Dixistis enim: Quomodo de causa vel qualitate eius primitus tractabitis, necdum haberet synodus firmitatem? O frontem dictionis immundae et faciem libelli, quam non sola maculavit imperitia. Tractatus nostri provinciam et narratis et quaeritis. Hinc eramus nempe dubii, quia quemadmodum loquimini, non habebat synodus firmitatem, transibat negotii qualitas audituros et plus adhuc remanserat in reverentia pulsati, quam esset in nostri integritate collegii.

Deinde pro quaestionum tormentis venerabilem Laurentium et Petrum episcopos a communione papae se suspendisse replicatis, et quicquid providit cautio convocatorum ducitis ad crimen impetiti. Ullone ergo tempore dum celebrarentur ab his sacra missarum a nominis eius commemoratione cessatum est? Unquam pro desideriis vestris sine ritu catholico et cano more semiplenas nominati antistites hostias obtulerunt? Aliquando quod capiti vestro adscribatur, facta est apud deum offensa per gratiam et extitit nutrix veniae, peccati mater oblatio? Fuerunt quidam corporis tantum conventione separati, quos loqueris, animarum tamen praesentiam non vitarunt. Si eos putas a consortio mutuo dissociatos quos fibula religionis pio mordens dente coniungit procul te ab aestimatione catholica culparum duxit affectus. Mandati caelestis habitatio nos aut

miscet aut separat. Non interest quae intervalla nos segregent, si uno in supera mansione conclave retinemur. Vere hinc coniicimus esse vos servos ventris et corporis et per hanc sententiae vestrae vilitatem declaratis mancipia vos esse terrena. Scriptum est enim: Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus.

Post haec versis in fugam ordinibus lymphatici more sermonis addidistis: Ergo concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus quot annis decreta per provincias, quia praesentiam papae non habent, valitudinem perdiderunt? Legite, insanissimi, aliquando in illis praeter apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, et non de maioribus negotiis ad collationem, si quid occurrit, praefatae sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habes: Si quis episcoporum iudicio provinciali depositus fuerit, Romanum papam, si placet, rursus appellet, et ipse, si videtur, reparet iudicia in opitulatione damnati. Ecce enode est quod ad laqueum praeparastis, nisi forte arctissimis in illa parte nexibus adstringamur, et replicationum nobis itinera non patescant, dum callis ante pervius dumetis novella interclusione vestitur.

His enim nos eloquii vepribus dum gradimur per plana, retinetis, cum dicitis laesum principem, quare attributum visitatorem, contra ecclesiasticas regulas prima voluimus fronte discedere, et nihil amplius liceret hunc vitiis ne duresceret lolium, ne profana messis nulla disciplinae ante maturitatem succisa falce decumberet et putaretur non licere quod iudices non vetabant. Unde ex aperto constat nulla vos extra praestantiam piissimi regis quam frustra desideratis noxae copulari, exemplorum auctoritate fulciri.

Superest ut et ipsum doceam in his excessibus quod bono universatis contigit non teneri, quia directum non occasionem litis nec fomentum iurgii, sed causam voluit esse concordiae, praevidens scilicet quod nisi simplicem iussionum suarum tutela vallaret, cito in escam discidii toxica vestra subreperent. Scriptum est enim: Vir simplex credit omni verbo. Idcirco mandati limitem fixit, quem nulla licerèt transgressione violari. Praefatum ad beati Petri basilicam mox Romam perductus fuisset, mandavit occurrere faciens de sacerdotis voto regis imperium. Quis enim non putaret pontificem sponte pariturum in ea parte quam licere sibi princeps non credidit, etiamsi vetaret? Ibique papam ab eò salutatum suo ore iussit affari, ut traderet coepiscopo mancipia nullis subdenda tormentis, servanda profecto ad disceptationem synodalis examinis. O castitatem praecepti quae dum faciem praesentibus praefert temporibus, in umbram cogit antiqua! Quae rapit lumen veteribus inauspicato splendore novitatis! Quis taliter commentitiis laudibus locupletavit fama dominum actuum suorum veritate mendicum? Non derogo vobis de scriptoribus, quorum beneficio contigit ornata ad nos maiorem gesta perduci, sed dei beneficia non tacebo, quia princeps noster rebus superat decora sermonum. Obnoxiam linguis gloriam venerabilis causarum trutinator inspexit, ut cum petitioni vestrae effectus artifex praestaretur, in omnibus tamen iura ecclesiastica custodiret. Quae ad hanc aestimationem, quamvis acutiora caeteris corda sufficiunt? Uno tempore, una scriptione sine aequitatis detrimento desideria vestra supplentur et eadem charta ad ministerium religionis et vestrum destinatur ad gaudium. Boni enim principis praevidit inquisitio servilem assertionem innocenti examine non probandam. In electione enim venerandorum iudicum ipse accusantes extra ordinem repulit, ipse ad spem retulit accusatum.

Videamus tamen ista si facta sunt, si dei inimici, etiam terreni domini non fuistis, dum Christum et regem parili temeritate despicitis, et unus vobis ad utramque contumeliam ductus est criminum. Destinatus antistes ab ipso complendae iussionis confinio oris vestri spiritus abripitur et ad incentivam confusionis aptatur, qui paci militaturus advenerat. Invisis beati apostoli liminibus, ad usum furoris vestri iam nescius sui advocatur: et illud quod ex omnibus orbis cardinibus devotos attrahit, positum in vicinitate transitur. Ecclesiarum fundamentum adire non permittitur structura mediocris. Tunc spem bonorum fructuum perdidit a radice separatus. Dicatis forsitan apostoli genio decerpi, si putatur caeli civis terrarum locis includi. Tamen quamvis benedictio poscentibus ubique praestetur et exigat praesentiam martyris fides et devotio supplicantis, negari non potest diligentiae natali solo plus tribui et maiorem affectum loca impetrare, de quibus ad superna transitur. Quam fidem allegationi curationum multitudo iam praestitit et utimur post obsidionem diabolicam testibus iam sanatis. Haec licet per redemptorem nostrum in toto orbe celebrentur, est tamen non modica monumenti illius per frequentiam comparata nobilitas, quia per eum qui hominem mutavit in angelum, illustrari potuit natura telluris. Hanc visitatori vestro invidistis gratiam, aestimantes quia errorum vestrorum sectator esse desisteret, si reverendae passionis penetralia contigisset. Ecce non habetis in regia auctoritate subsidium. Ecce post caelestem commotionem iuste vos et principalis, quam sperni fecistis censura percellit.

Videamus si superest aliqua de regulari propositione defensio. Visitatores, inquiunt, et aliis episcopis ipse dedit et iustum est, ut facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: diu mendaciis adhaerentia verba non arguo. Dico tamen latorem iuris definitionis suae, nisi velit, terminis non includi, et nisi princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud quod dederit ius vocatur. Lex probitatis et mentis est quae hominem viventem sine lege castigat: proprie moribus impendit, quia necessitati non debet

disciplinam. Aliorum forte hominum causas deus voluerit per homines terminare, sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri apostoli successores caelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite aestimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem quas deus prae caeteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste quo iudice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erat in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Et rursus sanctorum voce pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per prophetam: Si haec humiliatur, ad cuius fugietis auxilium et ubi relinquetis gloriam vestram?

Quid si immunda mihi labia habenti et nullis succensi carbonis, ut Isaiae concessum est, undis abluta ipsum ad possessionis suae tuenda privilegia Petrum apostolum liceret evocare, et quod agit precibus humana voce loqueretur? Quem si audiretis, hoc diceret: Filii hominum usquequo graves corde, ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Scitote quoniam mirificavit dominus sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid canum possessionis genium illius qui per culpas iuvenescit ariete pulsatis et divisione ecclesiastici gregis novis me et post carnem passionibus subiugatis. Inauditum sacrilegii genus est, quod mentitae religionis honore coloratis. Dehonestat venerandi reverentiam nominis, qui adiutorem se in his quae in deum iactat commissa, pollicetur. Contumeliae genus est quasi in solatio adesse sublimi, iuxta apostolum: Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Quid auribus imperitis illuditis et graviorem vindictae speciem facitis esse quam culpae? Si odium debetis excessibus, vos mundate. Cur liberius condemnatis scelera quam vitatis? Sui impugnator est, qui fornicationis officiis urget adulteria et per animarum stupra carnis accusat. Scriptum nempe retinetis: Maledicti omnes qui fornicantur abs te. Foedera ergo a nitore domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis coelestibus minus mera fide dependit officia. Possessionis nostrae vobis, ut video, claritas movit invidiam, quam simulata in mali possessoris indignatione transfertis, dum desudatis impendiis. Arcem qua fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis obruere et caelo stabilitam machinam, quanta sit obtendere per ruinam. Nolite praestolari de clade vestra victoriam. Nolite triumphum superando perdere meis laboribus, meo sudore quaesitum. Quicquid ad trophaeum ducit, obtinui; quicquid vos illustres faceret in sede congessi. Vobis tribuit claritatem fax ista quam viperino liquore putatis extingui. In perniciem propriam accenditur, qui sic saevit in gratiae suae germina, ut plantas abscidat, liberior iusto iracundia plus quam alios lacessit auctorem. Symmachi quos vocatis excessus si sunt illa qua et vos expectatione sustineo. Nefas est peccantem patientiam iudicis non amare. Quid nisi ultionem flagitat qui dum reus et ipse sit, vindictae in altero moras accusat? Haec illis a me vox debetur studiis, quoniam deum dixisse teneo pronum esse hominem in malitia et omnem carnem amicam esse peccatis. Nolo occasione personae innumeris datura dignitatem, fiat in abiectione possessio, ne dum homo incessitur lex divina frangatur: Mihi credite, si sunt ista quae dicitis, respicio, quia et in illis quibus nihil tale dicebatur, quid fuisset inspexi. Errat qui falli deo proximum credit: Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit dominus. Vos potius olim filii, de quibus spiritalis ventrem partus onerabat, ad abiuratam redite concordiam. Pio vos sinu, sicut habuerit hactenus ecclesia mater accipiat. Nunquam est sera correctio. Scit diu expectare immodico labore quaesitos: nescit pro vilibus despicere magno pretio comparatos. Multis gradibus recursus est ad salutem. Praeter desperantem nullus excluditur, fructus veniae proximus est coronae. Nolite Symmachum papam pressuris vestris iuvare. Si reus est, mihi credite, cum cessaverit humanae impugnationis ministerium, divinum mox succedet arbitrium. Nonne in splendidissimi cognitoris lance praedicto aut poena debetur aut praemium? Syllogismos a me sermonum et schemata non quaeratis. Antiquo adhuc utor reti post hominem, et irrisam a sapientibus saeculi cymbulam non reliqui. Illa me per mundi freta sustentat, ditat probatum in captione hominum rete quod cernitis. Redite ergo quia fuga vos necdum essetis agrestes eripuit; currite ad ovile, ne luporum vos exponatis insidiis, ne per moram amittatis gratiam sponte venientium, quia contemptam invitationem gehenna subsequitur. Ego, si quid dulcedinis ut pater debui, si quid districtionis ut attributus a deo magister implevi, providete ne diutius qualemcumque crucis meae angelum rara levitarum corona circumdet, ne dolenda etiam extraneis in longum solitudo dominetur, ne labor uteri mei sterilitatis vice hostilem peperisse familiam et numerosa proles per sinistros actus infecunditatem parentis ostendat.

Pauca sunt quae asserui, sed quanta ex eis pendeant aestimate. Venite, filii, audite me, timorem domini docui vos. Romam respicite, quam ab idolorum servitute sine auri, sine argenti pretio liberam sanguinis Christi fecit effusio, cui etiam meam servuli sui mortem iussit impendi, quae per multa tempora famosis cultum delubris exhibuit, quae diu

venerata est in imaginibus daemonum, quem laborante censu indiderat manus magistra terrorem, quae suspexit potestatem numinum emptam pretio metallorum, cui sublimiores deos peperit exercitatior manus artificis, et divinitatem quam homo per fabricam contulit apud homines dei habuerit forma maiorem. Ecce iam Christo propitio ad novas fornaces simulacra redierunt. Ecce iam de obsoleta superstitione usus vester accipit quod laetetur, dum de veteri tonante nova merito vascula praeparantur. Quid hanc adnitimini interrumpere quietem? Quid ludere vanis intentionibus felicitatem? Excusationem non habet furor iste, si creditis. Non interest quibus itineribus ad mundi principem currat, qui a sancta unitate desciscit. Pingues hostias litat diabolo qui contristat ecclesiam. Vanas ergo repudiate tendiculas, simplicem habet defensionem pacis affectus. Nimis armatus est qui illa quae adversarius concordiae ministrat, tela contemnit. Sufficit contra omnia iacula iurgiorum fidei nuda oppositio. Quid Eulalii et Bonifacii tempora, dum malorum solatium quaeritis, revocatis in medium? Quid incrementis excessuum praesentatis vetusta contagia et per iniquam voluntatem senectuti in operiendis delictis facitis nil licere? Alia tunc fuit causa discordiae, et nisi narrando cogeret sustinere transacta, ostenderem vobis nullum evenire solatium de comparatione factorum, quia illos quos ad pontificale fastigium intentioni obsequens fervor evexerat, utrosque repuli. Hunc elegi, quia de illis teste exitu nemo mihi placuit: de istis contra regulas nitentem profugam feci: provectum legitime mundo impugnante servavi. Scitis ista, non nova sunt, quia dum ille truditur, iste firmatur, vester mihi militavit assensus. Deinde cur in perniciem vestram laeditis sacerdotale concilium? Cur laceratis sententiam, in qua inspirante Christo oracula superna patuerunt, et inter deum atque homines interpres extitit lingua pontificum? Quid generalis ecclesiae dolorem facitis, quamvis in principali, tamen in una commissum? Illa enim caeli curia variarum dotibus aucta curulium et multo redemptoris nostri auro ostroque decorata, nihil in illa discussione auctore se protulit, sed per humanae linguae ministerium divino militavit imperio. Intellexit non esse suum quicquid impulsa constituit, nihil habet in illa sententia, nisi unde de sola devotione gratuletur. Peregrinum stylus sensit eloquium, inde sumens solam gloriam, quod infusa sibi servavit et coluit. Quid his de exemplis evangelicis praeparastis calumniam? sicut de vobis scriptum est: Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. Nam dum profanis memoratos verbis caeditis et inscitiam proditis et livorem. Isti ergo resurrectionem corporis quam praedicant non credentes, haereticis se miscuere contagiis? Isti quod abiurant linguis corde sectantur? Ergo quia dixerunt eum timendum esse qui potest corpus occidere et animam mittere in gehennam, ideo a fide aliena texuerunt? Ecce profundam imperitiam! En beatum Lucam cuius potestis assertione convinci, qui clamat: Timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam. Quis hic locus erroris, ubi congruentia pari ductu exempli et historiae verba concurrunt, nec diversum est ab intellectu catholico et lectionibus quod profertur? Nunquam bene nodus in scirpo quaeritur, non involvit nebula praedicatae lucis auctores. Resurrectionem ergo carnis non credunt, quia posse corpus confitentur occidi, quia peccatricem animam gehenna mancipari? Densis cor vestrum vepribus suffocatur et interna vitia aliis certat adscribere. Ioannis etiam apostoli iactatis scripta violari, quia ex verbis eius dictum est: Si dicamus quia peccatum non habemus, mendaces sumus et veritas in nobis non est. De codicum diversitate nil queror. Ideo ergo corrupta sunt apostoli monita, quia non iunxerunt: nos ipsos decipimus et quia iunxerunt mendaces sumus? Non solum divinae, sed etiam humanae rationis ignari, qui veritatem non habet, mendax recte censetur: nec alia re, nisi falsitate plenus est, qui integritate vacuus innotescit. Sed haec in vobis non curanda sunt linguae oratione, sed gemituum, nec magis sunt vobis exhibenda verba quam lacrymae, quia liquido nocens est qui insontibus aut meritum culpabilis aut nomen opponit.

Reliqua obiectionum vestrarum capita non revolvam, praestat silentio damnanda sepeliri. Nobilitatem dat facinoribus qui ventilationem ipsorum multiplici ad aures posteras relatione transmittit. Beati Pauli est sequenda sententia qui monet per discipulum cunctos et clamat: Inanes quaestiones evita. Multa enim sunt in propositionibus vestris quae ita faeculentis ulnis peccandi amor amplectitur, ut fiant indigna memoratu. Plura levitas dehonestat, dum subductis eviscerantur verba vestra ponderibus et de religionis causis elocutio ventosa componitur, auris congruenter sortita gravitatem quae in palearum abundantia nihil est horreis illatura de tritico, dum infaecundam frugibus culmorum parturit ubertatem et spem de herbae luxuria mentitur agricolis. De quibus nihil lucri ventilabra reperiunt igni debita incendioque peritura. De his scriptum est: Dormierunt viri somnum suum et nihil invenerunt. Nihil est, carissimi, pace dulcius, si tamen saporem eius non plenum amaritudine pectus excludat. Breviorem quidem admonitionem debueram, quam prolixam non parva vestri consideratio et diu in vobis iurgiis exercitata frons protulit. Usus est multa peccantum, stricta allocutione non corrigi et effusionem plurimi quam in delictis habuerunt, in monitoris sermonibus hanc requirunt. Me satis est et diligentiae vestrae et iussis caelestibus obsecutum. In his quae secuta sunt locum sermonibus non relinquam, quia haec refero. Mundi caput Ro-

mam per vestras intentiones esse prostratam et nutricem pontificii cathedram quasi ultimum videre sedile despectam. Cuius vocem beatus Paulus excepit et illa qua semper usus est eloquii intonuit libertate. Apostolorum principem lenitatis incessens quod fluxis et profligatis mentibus parentis adhuc affectum servaret, nec in profundum ductis ulceribus ferro medicante succurreret. Rescindenda docens lanienis secreta morborum et manifestae desperationi salutiferum esse vulnus adhibendum, ne dum manus medici per impietatem a sectione carnis corruptae suspenditur, de abstinentia teli invitetur exitium, quia dum parcit aegris dextera curandos interficit. Nec grandis est differentia utrum lethum inferas, an admittas: mortem languentibus qui cum possit non excludit, inflixit. His ergo adversus eos oris ianuam patefecit alloquiis. Omnis qui iudicas in quo alium iudicas teipsum condemnas: eadem enim agis quae iudicas. Scimus autem quia iudicium dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Et iterum: Beatus qui non iudicat in quo probat seipsum. Quae, malum, ratio est, ut praedicet non furandum qui furatur, et prodigam verecundiae frontem nube vestiat impugnationis alienae? Nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat et amorem innocentiae conversatione demonstrat. Nam adiacet etiam publicanis amica moribus vitia damnare sermone et sceleratioribus linguae officiis punire quod diligant. Quasi non quoddam genus sit maiorum excessuum dare rei affectum labiis quam mente despicias et ingenii virus colloquii melle vestire. Haec sic ago quasi si vobis esset pudor, pudicitia, venustas affectui; liceret accusare doctorem et adversus electum oris lividi morsus aptare, cum ante futuri praescius per epistolam ad vos datam plena voce monuissem: Quis accusabit adversus electos dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? Et iterum: O homo qui iudicas eos qui talia agunt, et facis illa, putas quoniam effugies iudicium dei? An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? Accusatis malitiam repleti iniquitate, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidiis, condemnatione, dolo, malignitate; superbi, elati, inventores malorum, parenti non obedientes, insipientes, incompositi, sine misericordia. Docetis fornicantibus neminem esse miscendum, adulteri Laurentii aut sequaces aut praevii, per quos ille aut exeruit quae habebat toxica, aut quae effundens monstravit accepit. Post illam illecebrosae communionis maculam et pestem toto orbe execrabilem sacerdotes dei quasi obsoleta comparatos communione culpatis, reos putatis esse qui subiere consortium nullo teste convicti, et sectamini hominem toto ecclesiasticae inscriptionis, non dicam stylo, sed ense perfossum. Quod licet, non licet; et quod non licet, licet. Quemadmodum Iamnes et Mambres restiterunt veritati, sic et vos mente reprobi circa fidem proditores protervi, inflati, amantes voluptatem magis quam deum, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ipsius abnegantes. O vim doloris interni qui nequit expedire quod concepit, qui profundis ingestum visceribus loquendi affectum quem imperavit irrumpit. Nihil vobis ultra plus eloquar quod de oratione remanet, lamenta supplebunt.

Post haec si inter manus medicorum curatione aegrescitis, nec aliqua a coepto salutis consideratio vos reducit, saltem orbis parentem urbem vestram respicite. Ipsa vos post defensores suos apostolos moerens aggreditur, ipsa compellat, et si quid est pietatis, in reliquum, orditur impetratura sermonem. Me quam dei summi templa repudiatis fanorum cultibus et novae lucis nitore gaudentem fecerunt esse conspicuam, quam post sacella sordentia, et multo pecudum tabo polluta ab hostiarum cruore dominici et apostolici sanguinis effusio purgavit, quam reducta post longum sanitas febrium fecit delubra contemnere, quam a victimis liberavit oblatio, quae pacem Christi per idolorum inimicitias acquisivi, cui non fuerunt pene numerosiora dona quam numina, quam religiosus reddebat varia devotione mendicam, quam egestas oppresserat frequentia a diis suis beneficia postulantem, quae Curios, Torquatos, Camillos quos ecclesia non regeneravit et reliquos misi plurimae prolis infoecunda mater ad tartarum, dum exhaustis emarcui male foeta visceribus; quia Fabios servata patria non redemit, Deciis multo sudore gloria parta nil praestitit. Profligata est operum sine fide innocentia, criminosis iunctus est aequi observantissimus, quia Christum ignoravit Scipio. Per totam vellem stylum ducere si orbatae pectus sustinere pateretur infantiam. Sed quisquis lamentationis transacta relegit, lacrymarum tempora videtur optare. Nemo creditur non odisse quorum relatione non laeditur, qui siccam faciem de filiorum funeribus referens servat, certo teste crudelitatis arguitur. Illa posteritas plus moeroris attulit perdita, quam iucunditatis acquisita. Relegamus tamen quibus mutata sint ista successibus. Ecce iam in illo sacrario libertatis nihil servile de idolorum cultibus invenitur. Ecce honorum corona, orbis genius, flos Romanus qui diu venerata est plena sanctitate calcat altaria. Ecce iam curia mea ad coelum vocatur, laudatur, accipitur. Nec possum dicere perdidisse me sobolem post gratiam baptismi quam vel repentina mors abstulit. Multos trabearum vel curulium possessores supremus regnator sine dispendio cultus aut dignitatis amplectitur. Pene iam terreni munificentia triumphi divinum mercatur affectum, et hoc ad Christi gratiam proficit quod mundo studetis esse venerabiles. Mentior, nisi egena agmina consulatus vestri in subsidio miseriarum praestolantur adventum. Etenim purpura vestra qua anni vocabulum nobilitatis subripientem miseris vestimentorum largitate pellit algorem. Prope iam iterum necessitatibus ferunt auxilium de-

cora fastorum, et veteri infidelitate deposita in tali praeparatione census dispendia efficiuntur lucra animarum. Ecce nunc ad gestatoriam sellam apostolicae confessionis uda mittunt limina candidatos et uberibus gaudio exactore fletibus collata dei beneficio dona geminantur. Quis tempore, quo pretiosis siccamus ubera partubus, quo prolem nostram aeterna genitrix rursus paritura nunc suscipit, cuius post primam nativitatem grandaevis faetibus alvus impletur, quae mihi prolem regenerando dulcem facit esse quam peperi, quae ad se venientes senium facit exuere et ad vitae principia redire confractos? Quis hanc felicitatem, rogo, interpellatione commutat? Quis per discordiam viperina mente compositam aurei mihi saeculi iubet perire beneficia? Quis in renovatione mea occasum clandestinus inspirat et per blandae frontis speciem inimicitiis vires acquirit? Generosam in tali negotio prosapiem non agnosco. Si qui sunt tamen summorum quos vilibus tempestatis huius procella sociavit aliis auctoribus facinorum participatione maculantur. Splendor sanguinis et si communionem criminum incurrit, nescit tamen ducem se praebere peccantibus. Habet forsitan reatum de neglecta cautione, non habet dignum supplicium de scelerum principatu. Sub quadam verecundia iungitur delinquentibus qui ad adulta iurgia convocatur. Non meretur desperationem perditi, in quo facilis tantum crudelitas improbatur. Vos potius video triviorum germina. Vos agnosco in quibus naturae vilitas convenientes sibi mores peperit, quos degenerasse claritas fuerat, qui per mentitae titulum religionis gaudetis impunitate vitiorum, quorum labia nunquam aut honorum sapor tetigit aut quietis, qui fas omne origini parendo violatis, quos de latebris et specubus productos praesens causa monstravit. Quis ante concinnationem mali huius qui essetis agnovit? Diu favistis secreta quibus vos nox generationis abdiderat. Redite potius ad amicam coecitatem, nobis serenam et diurnam lucem relinquite. Concordiam ecclesiae aut absentia aut correctione praestate. Si tamen vultis vos numerari inter splendidas prosapias, actuum emendatione cognoscam.

[1]ACTIO QUINTAE SYNODI CCXVIII EPISCOPORUM PRAESIDENTE SANCTISSIMO PAPA SIMACHO ROMAE TEMPORIBUS TEODORICI REGIS.

Post consulatum Avieni[2] cum in unum annuente domino ante confessionem beati Petri apostolorum principis resedissemus, sancta sinodus dixit: Libellus qui synodali auctoritate contra eos qui adversus quartam nostram synodum quae habita est Romae palmari mutire[3] praesumpserunt ab Ennodio conscriptus est coram omnibus deferatur et in praesentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato et ab omnibus consona voce roborato sancta synodus dixit:

Haec futuris temporibus conserventur atque ab omnibus teneantur et in omnibus serventur. Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur atque inter IVor[4] et quinti sinodorum nostrarum hactiones interpolatur et ita sicut harum sinodorum decreta habeatur, quia sinodarum auctoritate conscriptus est et roboratus. Ad quae beatissimus papa respondit iuxta vestram omnium fiat voluntatem, et ut iudicatis apostolica habeatur auctoritate et inter apostolica quo dicitis interpolatur decreta et sicut cetera apostolica ab omnibus teneatur decreta. Ad quae omnes ter una voce responderunt dicentes: Ut fiat rogamus, ut fiat rogamus, ut fiat rogamus. Post quae acclamatum est ab omnibus episcopis et presbiteris: Illi qui papam Simachum accusaverunt et dampnationem ei inferre temptaverunt et illi qui eum iudicaverunt aut contra nostram synodum garrire aut scribere praesumpserunt, ut dampnentur rogamus. Et paulo post omnes episcopi et presbiteri voce magna clamantes dixerunt: Exaudi, Christe, Symmachum papam[5] vita. Dictum est octies. Cuius sedem et annos, dictum est decies. Ut fiat rogamus, dictum est duodecies.

Quibus cessatis Simachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Rome dixit: Quoniam fraternitas vestra curam provisionis nostrae suis exhortationibus incitavit

Syn. V. Symmachi.
Post consulatum Avieni cum — sancta synodus dixit sec. pr. exempl. const. Symm.
Et paulo post — dictum est duodecies, Symm. syn. I. c. 1. acclam.
Quoniam fraternitas vestra curam — contemplationem animi praestet, syn. cit. 1 i. f.

1 *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. *Adhibui cod. Par.* 3852. 2 *Sic* autem *corr. sec. Par.* 3852. 3 *Sic corr.* mutilare. 4 *Par.* 3852: quartae et quintae. 5 *Cod. cit.* Symmacho papae.

et parilem circa ecclesiae tranquillitatem domini nostri contemplationem animi praestet flagitamus, ut circa insidiatores et persecutores nostros mitius agatis et licet iuste dampnentur propter misericordiam tamen conserventur ut in nobis illa domini declaretur sententia, qua praecipitur, ita fratribus dimitti, sicut sibi a domino cupiunt dimitti. De caetero vero ne usquam talia, non solummodo iam[1] apostolicae sedis praesule a quoquam praesumantur, sed nec in ullo christianorum episcopo usurpentur. Non ergo est necesse super his nova cudere, sed vetera recitare atque firmare. Est enim a multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum, ut oves quae pastori suo commissae fuerunt eum nec reprehendere, nisi a recta fide exorbitaverit, praesumant, nec ullatenus pro quacumque re alia, nisi pro sua iniustitia accusare possunt, quia pastoris actus gladio oris non sunt feriendi, quamquam rite reprehendendi estimantur, nec ullus episcopus suis rebus expoliatus vel a sedibus vi aut dolo aut quocumque ingenio pulsus, sicut et vos de nobis iudicatis aut ad synodum tam provintialem quam generalem posse convocare aut in aliquo iudicare antequam cuncta quae eis ablata sunt legibus potestati eorum pacifice per omnia redintegrentur[2]. Prius ergo oportet omnia illis legibus redintegrari et ecclesias quae sublatae sibi sunt cum omni privilegio suo restitui et postmodum non sub augusto temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad sinodum provocentur et ab omnibus quisque suae provintiae episcopis audiatur. Nam nec convocari ad causam nec diiudicari potest expoliatus vel expulsus, quia non est privilegium quo expoliari possit iam nudatus. Unde et antiquitus decretum est omnes possessiones et omnia sibi sublata atque fructus cunctos ante contestatam litem praeceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille qui violentiam pertulit, universa in statu[3] quo fuerant recipiat et quae possedit securus teneat. Et alibi in synodalibus patrum decretum et regum edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis praesentialiter ordinatione pontificum et in eorum, unde abscesserunt, potestate funditus revocanda, quaecunque conditione temporis aut dolo aut captivitate aut virtute maiorum aut per quascumque iniustas causas res ecclesiae vel proprias aut substantias suas perdidisse noscuntur, ante accusationem aut regularem ad synodum vocationem eorum, et reliqua. Est etiam in antiquis ecclesiae statutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat inpunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde et in evangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum. Et in legibus saeculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cuius res direpta est, in undecuplum quae sublata sunt restituat. Et in lege divina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui; et dicit omnis populus: Amen. Talia ergo non praesumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua dampnatione. Accusatoribus vero inimicis vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis morantur aut suspecti sunt ne credatur, ne irati nocere cupiant, ne lesi se ulcisci velint.

Quid ad haec vobis, karissimi fratres, videntur prudentia vestra pro ecclesiastica quiete vel indempnitate universi edicite. Universa sinodus dixit: Episcopalem persecutionem et ecclesiarum abscisionem vel vastationem atque servorum dei insectationem fulti praedicta auctoritate et omnium sanctorum patrum prohibitione vestraque consolatione communi tractatu pariter in futurum robuste ac

oves quae pastori suo — nec exerceantur absque damnatione. Cf. Euseb. 11, Ioann. I. pp. ep. 1; ubi eadem leguntur.

Accusatoribus vero — prodeuntibus, Ennod. apol. (p. 327) aut Ben. add. III. 15. Cf. Sixt. I. pp. 3, Marcelli 11, Ioh. I. pp. ep. 1.

vel qui cum — ne credatur, Ben. III. 187. Cf. Telesf. 4, Iul. 12, Ioh. I. pp. ep. 1.

ne irati nocere — se ulcisci velint, Ambros. ep. 5. no. 2. (2, 765.) Cf. Anacl. 35, Ioann. I. pp. ep. 1.

Episcopalem persecutionem — futuris temporibus praesumantur sec. Symm. syn. I. c. 1 i. f.

[1] *Par.* 3852: in. [2] *Cod. cit. add.* decernimus. [3] *Sic* statuta *corr. sec. cod. cit.*

veraciter amputantes sanctorumque patrum statuta firmantes expressis sententiis sancimus, ne talia a quoquam umquam nostris aut futuris temporibus praesumantur. Et silentio facto Simachus episcopus ecclesie catholicae urbis Rome dixit: Quod si aliqui haec transgressi fuerint et talia praesumpserint, quid super his vobis videtur pari adunatione manifestate. Cumque surrexissent et paulo post iterum consedissent una voce dixerunt: Si quis haec quae hodie hac sancta synodo prohibita sunt infringere praesumpserit aut voluntarie transgredi temptaverit, si clericus est, gradu proprio paenitus careat, si vero monacus aut laicus fuerit, communione privetur, et si non emendaverit vitium, anathemate feriatur. Secretas vero insidias vel manifestas pontificibus a quibuscumque inlatas vel ea quae huius sanctae synodi sententia conplectitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam, potiatur honore, et hi qui adversa eis moliuntur, sicut a sanctis patribus dudum statutum est et hodie sinodali et apostolica auctoritate firmatur, penitus abiciantur et exilio suis omnibus sublatis perpetuo tradantur. Haec vero quae in hac sancta sinodo statuta sunt et ea quae in libello quem Ennodius nostra auctoritate conscripsit, sicut in nostra praesentia relecta sunt, ut propriis manibus roborentur, rogamus atque in perpetuum conserventur, sicut praedictum est, vestra apostolica auctoritate firmentur. Sed Symachus ecclesiae catholicae urbis Romae episcopus dixit: Aclamationes vestras synodique iudicium praesentia suscipient gesta. Adiecitque et dixit: Ea quae ad suscipiendos veternosae[1] praesumptionis errores vel infense pontificibus praesumptionis morbos quibus status affligi solet ecclesiae servorumque eius deliberatione religioni congrua pacique constituit, perpetua sotientur firmitate, ut annuente domino quem custodem rerum constat esse bonarum sinodalis ordinatio vigeat atque omnis qui sine persone alicuius distinctione venire praesumpserit, inposita superius districtione plectetur. Universa synodus dixit: Ut fiat rogamus, dictum est X. Ut scandala amputentur et insidiae atque detractiones erga episcopos vitentur rogamus, dictum est XII. Et facto silentio universi in sancta synodo congregati clamantes dixerunt: Exaudi, Christe, Symacho vita, dictum est VIII. Hic pax cum Symacho, dictum est IX. Cuius sedem et annos, dictum est X; ut de praesentia[2] fiat, dictum est XII. Et paulo post dum resedissent, facto silentio universa sinodus dixit: Quisquis clericorum aut monachorum aut laicorum maioris ordinis quam etiam inferioris, post hanc formam a nobis prolatam his decretis contraire praesumpserit, statutis canonicis velut scismaticus percellatur. Et subscripserunt: Caelius Symachus, episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis huic statuto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Laurentius episcopus ecclesiae Mediolanensis huic constituto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Petrus ecclesiae Ravennatis huic statuto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Eulalius episcopus ecclesiae Syracusane huic constituto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Felix ecclesiae Teranensis huic constituto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Stephanus episcopus ecclesiae Cordobensis huic constituto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Fortunatus episcopus ecclesiae Vasensis huic constituto a nobis inspirante domino peracto subscripsi. Benignus Equivensis subscripsi. Ioannis Spolitanus subscr. Romulus Pelestinus s. Stephanus Venusinus s. Candidus Tudertinus s. Valentinus Amiterninus s. Fortunatus Ful-

Cumque surrexissent — una voce dixerunt sec. c. 1. ultima verba.
si clericus est — anathemate feriatur, c. 27 conc. Chalc.
Secretas vero insidias — pertulerit notitiam, Symm. syn. I. c. 4.
Aclamationes vestras — superius districtione plectetur, c. 4 cit. i. f. Cf. eiusd. syn. VI.
Ut fiat rogamus — dictum est XII., acclam. in c. 1. syn. cit.
Exaudi Christe — dictum est duodecies, acclam. in c. 1. syn. cit.
Quisquis clericorum — velut scismaticus percellatur, Symm. syn. III i. f.
Subscriptiones desumtae ex exempl. Symm. et conc. Chalced. (D.)

[1] *Sic* unt. . etnose *sec. cod. cit. corr.* [2] *Sic* unde praesentia *corr.; cod. Par.* 3852: ut de praesenti.

genatus s. Grisogonus Abinensis s. Eutitius Tranensis s. Amandus Poturanus s. Laurentius Bobianensis s. Clorensis Calestinensis s. Eusebius Fenestris s. Romanus Numentanus s. Propincus Trebeatis s. Asterius Aequinatis s. Silvanus Voliterninus s. Iustus Simiensis s. Arenton Ostiensis s. Augustus Liparitenus s. Rusticus Bersentinus s. Venantius Sinagoliensis s. Victor Dunensis s. Innocentius Tifernatius s. Bonifacius Foroflammiensis s. Sebastianus Siraninus s. Asellus Populinitanus s. Empilius Voliterninus s. Proiectus Forinovi s. Venerius Pellensis s. Colonius Forocludiensis s. Probus Carmelanensis s. Vindemius Anteatinus s. Proculeianus Sepinatis s. Fortunatus Abenignus s. Vascasius Vulterinensis s. Martianus Ecaniensis s. Basus Mitinensis s. Pacatianus Coraniliensis s. Maras Codrolonensis s. Macedon Maidonensis s. Marcellinus Isidonensis s. Paulus Progloriensis s. Diodorus Listiniensis s. Necun Simisu s. Teodorus Adria s. Epiphanius Pergensis, Levausa Anforiensis, Alcimedeseides Graconicensis, Dionisius Ananensis, Andreas Satalenus, Amaxasius Salconensis, Cinctus Gerohensis, Helias Benedicanus, Paulus Triponitanus, Policarpus Gabalensis, Patricius Crassensis, Meneeratis Carosensis, Florentius Sardonensis, Iulianus Ippepoptanus, Paulinus Perperentinus, Noemius Nissenis, Petronius Mirineus, Esperos Epitanensis, Esaias Eleas, Olimpius Evatitonatis, Rufinus Brionolitanus, Filippus Neasletanus, Basiliccus Peleasitanus, Croton Pasitidonensis, Philippus Barbarensis, Theodorus Antipollenus, Leontius Araxenus, Antipatros Caumenos, Gratinos Panormitanus, Andreas Ptholontanus, Nicollo Sacrasuranus, Romanus Bobonensis, Oniforus Iconsis, Neoptofonis Cronsis, Paulus Deruensis, Pluthareos Listron., Eugenius Canenrufos, Tyrannos Imadianensis, Ascholias Lalandensis, Prodo Salgizonus, Quintinus Focensis, Lerentinus Manisias, Mamas Aminetii, Quiriacus Eleas, Valerianus Basionensis, Foninus Zitrenus, Feticius Archonomensis, Didimus Lapitensis, Steros Prodosianensis, Eliodorus Ametimos, Eprafoditus Camasenus, Olimpius Canensis, Barachos Laxensis, Eufrotius Hui[1], Florentius Motilensis, Ioannes Rudii, Gemnadius Mosenensis, Evandros Diupoleas, Iohannes Trapotutanus, Filippus Ageresitanus, Thomas Thilensis, Gemnadius Amonensis, Caris Dioplotanus, Paulus Aristensis, Mathias Themessianensis, Eulalius Fibriensis, Amphilotius Fidecensis, Gaios Suedronensis, Eudoxius Eletenensis, Marcianus Corallensis, Eusebius Coctinensis, Obremus Coracesiensis, Romanus Myrrensus, Aristoditos Olimponensis, Eudoxius Comatensis, Palladius Capalalensis, Cirinus Patarensis, Stephanus Limmirensis, Zenodotus Telinisu, Pergamius Attichenus, Eutropius Adadomensis, Paulus Philodemensis, Longinus Apapermenus, Teoctistus Tyreu, Eorticius Metropolitanus, Cyros Simondensis, Libanus Palatonensis, Dolestos Sebastensis, Danielus Cadonensis, Munecheus Laodicias, Trimitanus, Stragimus Polibatensis, Aquila Aurodenus, Basilius Nachoriensis, Eustochius Docimiu, Quiriacus Eucharpensis, Abirtius Caraspolitus, Epiphanius Mardagensis, Philippus Liciados, Mocimus Epsu, Muros Baladensis, Eusebius Durileu, Marianus Sinalidensis, Calandion Alabarnensis, Iohannis Enidiensis, Teodoretus Alabandensis, Tiganius Appollonensis, Ioannis Amizonensis, Eupitichius Sitrachonensis, Menandros Eracleos, Dionisius Latomenus, Panias Eristodensis, Placalus Lassu, Ioannes Alisdonensis, Dioffisius Antiocenus, Maximinus Zotilonensis, Musenius Limensis, Florentinus Adrianopolitanus, Bassones Neaspilitanus, Mesalim Laudicensis, Fotianus Salagessuensis, Olimpius Sozopolites, Alexander Seleucensis, Valerianus Afrus, Apafroditus Camassensis, Barachos Naxensis, Charis Dionysiipolitanus, Eusebius Clazomenus et Baventia Napolitanus, Thomas Arliocomenus, Etercus Smyrnensis, Stephanus Ephesinus, Patritius Adrianopolites, Danihel Lampsacenus, Erimas Abidensis, Teusebius Ilui, Stephanus Pinameni, Pionius Troadensis, Eulalius Pionensis, David Adrinesis, Thalasius Parius, Petrus Dardanensis, Diogenis Giticuntos, Olimpius Prudisiadensis, Theophilios Adrianopolitanos, Apramonius Titanos, Theodorus Era-

[1] *Corruptum ex* Chii, *legitur enim in subscript. conc. Chalc. inter episcopos provinc. Ionnes.* Euphrotius Chii.

densis, Calegorus Cladiopolitos, Theoderos Seronnensis, Policronius Didinersinti, Renosi Iulliopolites, Etthericus Pampiu, Petrus Gagrotanus, Antiocus Synoponus, Atticos Zelonensis, Uranius Iborensis, Paralios Adriponensis, Cleudadius Minzitianus, Eustasius Galatiniensis, Misterus Amorrui, Aquilas Eudoxiados, Quiriacus Troanodensis, Pios Petenissensis.

Explicit quinta sinodus Symmachi papae indictione nona.

INCIPIUNT REGULAE SEXTE SYNODI SIMACHI PAPE SUB TEODERICO REGE ROMAE HABITAE SUB DIE KALENDAR. OCTOBR.[1]

Cum in unum apud beatum Petrum apostolum sancta sexta synodus canonicae a beato Symmacho Romae congregata resedisset, Symmachus predictus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae eidem synodo praesidens dixit: Quoniam religiosus spiritu sancto congregante conventus ortatur, ut quecumque pro disciplina ecclesiastica necessaria sunt cura diligentiore tractemus, nos enim et apostolicae sedis moderamine compellimur et aecclesiasticarum dispositione constringimur, sic canonum paternorum decreta librare et retro praesulum antecessorumque nostrorum decreta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandi sunt ecclesiae relaxanda exposcit, adhibita diligenti consideratione quantum fieri potest auxiliante domino temperemus, quia nos qui potissimi sacerdotis administramus officia transgressionum culpa respiciet, si in causis dei desides fuerimus inventi, quia meminimus quod timere debemus et qualiter comminetur dominus neglegentiae sacerdotum. Sane reatu maiore delinquit qui potiore honore perfruitur et graviora facit vitia peccaminum sublimitas dignitatum. Ideo tacere non debemus sed ea que necessaria fore cognoverimus, viriliter corrigere et emendare satagamus, et ea quae nociva[2] sunt stirpare, prout dominus dederit, non neglegamus. Ab universis episcopis et presbiteris acclamatum est: Exaudi, Christe, Symmacho papae vita, dictum est sexies. Haec confirmamus et hec docemus, dictum est octies. Doctrinae vestrae gratias agimus ingentes; dictum est decies. Ista teneantur et ista observentur rogamus, dictum est duodecies. Dignus papa, dignus doctor.

Et facto silentio Symmachus episcopus dixit: Communis dolor et generalis est gemitus, quod intra ecclaesiam nostris et retroactis temporibus de invasione rerum aecclaesiarum et vexatione sacerdotum cognovimus, que res non nos solos, sed omnes domini tangit sacerdotes. Et licet haec a praecessoribus nostris iam prohibita sunt et tales presumptores dampnati et a sanctis canonibus anathematizati, ne tamen denuo praesumantur, est enim super eis promenda sententia, ut qui eorum casum non timent, timeant saltem perpetuam eorum dampnationem, et quod sepe presumitur, sepius ut inhibeatur necesse est. Sancta synodus dixit: Haec ne fiant denuo synodali conventu provida beatudini vestrae sententia enervari convenit, et ne in exemplum remaneat praesumendi funditus exstirpari. Symmachus episcopus dixit: Modo quia deus praesentiam vestram votivam mihi concessit, necesse est rem fieri firmam, quam credo aecclaesiasticis facultatibus convenire, ut agnoscant omnes quos vanus furor et avaritia excitavit, talia absque ultione non posse praesumi. Sancta synodus dixit: Scimus provisionem nostram necessariis

Syn. VI. Symm.

Cum in unum — congregata resedisset sec. c. 2. exempl. const. Symm.

Quoniam religiosus — diligentiore tractemus, Hilarii decr. synod. c. 1. (H. no. 74.)

nos enim et apostolicae — domino temperemus, init. Gelas. I. ep. ad ep. per Lucan. (no. 83.) Cf. Calist. 1.

quia nos qui potissimi — sublimitas dignitatum, Hilarii decr. cit. c. 1.

Exaudi Christe — dignus doctor sec. Symm. syn. I. c. 4. acclam. et Hilarii synod. decr. c. 4. (H. no. 74.)

Sancta synodus dixit — funditus extirpari sec. exempl. const. Symm. c. 3 pr.

Symmachus episcopus dixit: Modo quia — legimus ecclesiasticis servientes, c. 3 cit. med.

[1] *Inscript. et test. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852. [2] *Sic* noca *corr. sec. cod. Par.* 3852.

studere, et ideo in vestra est potestate sequenda disponere. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Magna quidem venerando et sacerdotali debetur cultura proposito cum imminet de studio quae recta sunt, non de necessitate disponere. Sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus vitiorum mater avaritia repudiatis honestatis frenis, repagulis[1], totum putat expedire quod libet et ita dum praedae inhiat, patientia superne civitatis abutitur expectantibus correctionem celo moderante iudiciis se existimant non teneri, cum clarum sit quod apud certos in occasione rapiendi procedat divinae mora sententiae. Sed nobis quos pastoralis cura et aecclaesiastica adstringit, pro dispensatione certa ratio reddenda substantiae opus est, ut sollicitudinem vestram non solum ad praesentia, sed etiam ad futura saecula porrigamus, ne ad animae nostrae detrimenta contingant, si hi qui possunt statutis debere innocentiam presumentes de libertate deliquerint, cum religiosa possunt et nostra et successoris nostri potestate fulciri, legibus aecclaesiasticis servientes. Sancta synodus dixit: Scimus spiritum dei[2] cor vestrum esse succensum et instinctu dei vos ita loqui. Quapropter omnibus summopere convenit observare ut oblationes fidelium a nemine presumantur, et absque consensu et voluntate episcopi in cuius dinoscuntur esse parroechia possidere vel dominare temptentur; quoniam nonnulli memores sui pro remissione peccaminum suorum et pro aeternae vitae in creatione de facultatibus suis tam rerum immobilium quedam vero per scripturas ecclesiis tradiderunt et deo creatori suo perpetualiter habenda dederunt, que econtra adversis deum minus timentibus eatenus mortifera calliditate tenentur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam. Nec intueri corde possunt diem iudicii et dum nimiae cupiditatis delectantur ardore. Unde precamur ut antiquorum patrum regulas que modo propter iniuriam quorumdam quasi oblitae habentur, renovetis et tale iudicium super eis fiat, ut aut manifeste heretici qui ecclaesiam dei scindunt et anathematizati atque ab aecclaesia dei extorres habeantur aut per satisfactionem aecclaesiae ad paenitentiam et demum iuxta regulas aecclaesiasticas ad reconciliationem et, si digni inventi fuerint ad communionem, recipiantur.

Symmachus episcopus aecclaesiae catholicae urbis Romae dixit: His ergo rite perpensis, ne illi in ruinam cadant et perpetuo dampnentur exitio et sancta aecclaesia pretioso Christi sanguine redempta restauretur eique pie famulantes non opprimantur, sed releventur mensura cum dei nostri consideratione una cum nostro iudicio sancimus, ut quicumque inmemor aut memor interitus sui res aecclaesiae delegatas et domino oblatas absque proprii episcopi iussu possidens presumpserit deinceps tenere, quocumque in loco et veritate comperta res dei servis suis dissimulaverit aut renuerit reformare, liminibus aecclesiae ab episcopo eiusdem loci prius arceatur: indigne enim ad altare dei properare permittitur qui res aecclaesiasticas audet invadere aut iniuste id est sine licentia episcopi possidere aut iniqua vel iniusta defensione in eis perduret. Necatores enim pauperum iudicandi sunt prefixo tenore et, si non emendaverint vitium, extirpandi. Debet tamen esse provisio ut vindictam ammonitio manifeste precedat et res usurpatas iniuste qui abstulit aut iniuste ablatas retinet, aequitate patrocinante legibus restituat. Quod si neglexerit et necessitas compulerit, demum praedonem sacerdotalis districtio maturata percellat, neque quisquam per interna[3] domini res defensare nitatur, quia dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Quod si praesumpserit, et ipsius offensam et praedictae dampnationis periculum sustinebit.

Sancta synodus dixit: Scimus — vos ita loqui, conc. Rom. sub Greg. II. a. 721. pr.

Quapropter omnibus summopere — cupiditatis delectantur ardore, Conc. III. Paris. a. 557. c. 1.

ut quicumque inmemor—canonica districtione condempnetur sec. conc. Paris. cit. 1.

[1] *Sic corr.* refrenis pagulis. *Cod. Par.* 3852: repudiatis honestatis repagulis. [2] *Sic* deum *corr. sec. Par.* 3852. [3] *In conc. Par. a.* 557: interregna *pro* interna.

Competitoribus etiam huiusmodi frena districtionis inponimus qui facultates ecclesiae sub spetie largitatis regiae vel cuiuscumque potestatis inproba subreptione pervaserint. Sera namque de his rebus penitudine commovemur, cum iam transactis temporibus contra huiusmodi personas canonum suffulti praesidio se sacerdotes domini erigere debuissent, ut non mansuetudo indulgentiae ad similia perpetranda improborum audatiam adhuc cotidie provocaret. Nunc tarde iniuriarum mole depressi damnis quoque dominicis compellentibus excitamur. Quod si is qui res dei competit, in aliis quam ubi res agitur maxime solet territoriis commorari sacerdotem loci ipsius ubi habitat episcopus illi[1] huiusmodi pravitate contemptus, neglectu persone litteris reddat instructum. Tunc antistes ipsius fratris anxietate comperta aut pervasorem rerum dominicarum ammonitione corrigat aut praetaxata canonica districtione condempnetur. Unde et in canonibus in Gangrensi aecclaesia apostolica auctoritate conditis de fructuum oblationibus quae ministris aecclesiae debentur, et de his quae in usus pauperum conferuntur, scriptum habetur:

Si quis oblationes aecclesiae accipere vel dare voluerit praeter episcopi conscientiam vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Et iterum in eodem consilio: Si quis oblata deo dederit vel acceperit praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema sit. Valde ergo iniquum et ingens sacrilegium, ut quaecumque vel pro remedio peccatorum vel salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili aecclesiae contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenit, id est christianis et deum timentibus et super omnia principibus et primis regionum, in alia transferri vel converti. Propterea qui haec non praeviderit et aliter quam scriptum est, praedia ecclesiis tradita petierit vel acceperit aut possederit vel iniuste defenderit aut retinuerit, nisi se cito correxerit, quo iratus deus animas percutit, anathemate feriatur, sitque accipienti et danti vel possidenti anathema et institutae paenae contubernium assiduum. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Ab universis episcopis et presbiteris adclamatum est: Ut haec poenitus abscindantur rogamus; dictum est quinquies. Ut haec amputentur precamur; dictum est sexies. Ut res aecclaesiae quibus tradite sunt, intemerato iure serventur, rogamus; dictum est septies. Ut secundum hoc quod persecuti synodali estis conventu per omnia fiant unanimiter deprecantes rogamus; dictum est octies. Ut in praesumptoribus vindicetur rogamus; dictum est decies. Ut disciplina servetur rogamus; dictum est undecies. Quae male admissa sunt, per vos corrigantur; dictum est duodecies. Ut inlicita facta amputentur, ita ut deinceps non fiant, rogamus; dictum est tredecies. Apostolica inlibata ordinatio servetur; dictum est XV. Exaudi, Christe, Symmacho vita; dictum est sexdecies. Dignus, quod non licet, non fiat; dictum est XIV. Ut canones custodiantur rogamus; dictum quindecies. Ut ordinatio apostolica, dignus papa, dignus doctor; dictum est novemdecies. Haec omnes unanimiter confirmamus et ut unanimiter serventur rogamus; dictum vigesies. Haec tenenda sunt, hec servanda sunt; dictum est XX. Per domnum Petrum ut in perpetuo serventur rogamus; dictum est vigesies. Ut haec praesumptio numquam fiat; dictum est XX. Qui haec violaverit, in se iuxta in praetaxatum modum inveniat; dictum est vigesies.

Et facto silentio Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Praesentis definitionis formam que iuxta sanctorum patrum est statuta sen-

Si quis oblationes aecclesiae — in alia transferri, conc. Aquisgr. a. 836. lib. III. c. 26.
Propterea qui haec non — contubernium assiduum sec. exempl. const. Symm. c. 7.
Nec aliquo se ante — consideratione dispergit, l. c. c. 8.
Ab universis episcopis — inveniat dictum est vigesies sec. acclam. c. 1. 2. 3. 4. Symm. syn. I.

[1] *Deest in Par.* 3852.

studere, et ideo in vestra est potestate sequenda disponere. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Magna quidem venerando et sacerdotali debetur cultura proposito cum imminet de studio quae recta sunt, non de necessitate disponere. Sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus vitiorum mater avaritia repudiatis honestatis frenis, repagulis[1], totum putat expedire quod libet et ita dum praedae inhiat, patientia superne civitatis abutitur expectantibus correctionem celo moderante iudiciis se existimant non teneri, cum clarum sit quod apud certos in occasione rapiendi procedat divinae mora sententiae. Sed nobis quos pastoralis cura et aecclaesiastica adstringit, pro dispensatione certa ratio reddenda substantiae opus est, ut sollicitudinem vestram non solum ad praesentia, sed etiam ad futura saecula porrigamus, ne ad animae nostrae detrimenta contingant, si hi qui possunt statutis debere innocentiam presumentes de libertate deliquerint, cum religiosa possunt et nostra et successoris nostri potestate fulciri, legibus aecclaesiasticis servientes. Sancta synodus dixit: Scimus spiritum dei[2] cor vestrum esse succensum et instinctu dei vos ita loqui. Quapropter omnibus summopere convenit observare ut oblationes fidelium a nemine presumantur, et absque consensu et voluntate episcopi in cuius dinoscuntur esse parroechia possidere vel dominare temptentur; quoniam nonnulli memores sui pro remissione peccaminum suorum et pro aeternae vitae in creatione de facultatibus suis tam rerum immobilium quedam vero per scripturas ecclesiis tradiderunt et deo creatori suo perpetualiter habenda dederunt, que econtra adversis deum minus timentibus eatenus mortifera calliditate tenentur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam. Nec intueri corde possunt diem iudicii et dum nimiae cupiditatis delectantur ardore. Unde precamur ut antiquorum patrum regulas que modo propter iniuriam quorumdam quasi oblitae habentur, renovetis et tale iudicium super eis fiat, ut aut manifeste heretici qui ecclaesiam dei scindunt et anathematizati atque ab aecclaesia dei extorres habeantur aut per satisfactionem aecclaesiae ad paenitentiam et demum iuxta regulas aecclaesiasticas ad reconciliationem et, si digni inventi fuerint ad communionem, recipiantur.

Symmachus episcopus aecclaesiae catholicae urbis Romae dixit: His ergo rite perpensis, ne illi in ruinam cadant et perpetuo dampnentur exitio et sancta aecclaesia pretioso Christi sanguine redempta restauretur eique pie famulantes non opprimantur, sed releventur mensura cum dei nostri consideratione una cum nostro iudicio sancimus, ut quicumque inmemor aut memor interitus sui res aecclaesiae delegatas et domino oblatas absque proprii episcopi iussu possidens presumpserit deinceps tenere, quocumque in loco et veritate comperta res dei servis suis dissimulaverit aut renuerit reformare, liminibus aecclesiae ab episcopo eiusdem loci prius arceatur: indigne enim ad altare dei properare permittitur qui res aecclaesiasticas audet invadere aut iniuste id est sine licentia episcopi possidere aut iniqua vel iniusta defensione in eis perduret. Necatores enim pauperum iudicandi sunt prefixo tenore et, si non emendaverint vitium, extirpandi. Debet tamen esse provisio ut vindictam ammonitio manifeste precedat et res usurpatas iniuste qui abstulit aut iniuste ablatas retinet, aequitate patrocinante legibus restituat. Quod si neglexerit et necessitas compulerit, demum praedonem sacerdotalis districtio maturata percellat, neque quisquam per interna[3] domini res defensare nitatur, quia dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Quod si praesumpserit, et ipsius offensam et praedictae dampnationis periculum sustinebit.

Sancta synodus dixit: Scimus — vos ita loqui, conc. Rom. sub Greg. II. a. 721. pr.

Quapropter omnibus summopere — cupiditatis delectantur ardore, Conc. III. Paris. a. 557. c. 1.

ut quicumque inmemor—canonica districtione condempnetur sec. conc. Paris. cit. 1.

[1] *Sic corr.* refrenis pagulis. *Cod. Par.* 3852: repudiatis honestatis repagulis. [2] *Sic* deum *corr. sec. Par.* 3852. [3] *In conc. Par. a.* 557: interregna *pro* interna.

Competitoribus etiam huiusmodi frena districtionis inponimus qui facultates ecclesiae sub spetie largitatis regiae vel cuiuscumque potestatis inproba subreptione pervaserint. Sera namque de his rebus penitudine commovemur, cum iam transactis temporibus contra huiusmodi personas canonum suffulti praesidio se sacerdotes domini erigere debuissent, ut non mansuetudo indulgentiae ad similia perpetranda improborum audatiam adhuc cotidie provocaret. Nunc tarde iniuriarum mole depressi damnis quoque dominicis compellentibus excitamur. Quod si is qui res dei competit, in aliis quam ubi res agitur maxime solet territoriis commorari sacerdotem loci ipsius ubi habitat episcopus illi[1] huiusmodi pravitate contemptus, neglectu persone litteris reddat instructum. Tunc antistes ipsius fratris anxietate comperta aut pervasorem rerum dominicarum ammohitione corrigat aut praetaxata canonica districtione condempnetur. Unde et in canonibus in Gangrensi aecclaesia apostolica auctoritate conditis de fructuum oblationibus quae ministris aecclesiae debentur, et de his quae in usus pauperum conferuntur, scriptum habetur:

Si quis oblationes aecclesiae accipere vel dare voluerit praeter episcopi conscientiam vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Et iterum in eodem consilio: Si quis oblata deo dederit vel acceperit praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema sit. Valde ergo iniquum et ingens sacrilegium, ut quaecumque vel pro remedio peccatorum vel salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili aecclesiae contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenit, id est christianis et deum timentibus et super omnia principibus et primis regionum, in alia transferri vel converti. Propterea qui haec non praeviderit et aliter quam scriptum est, praedia ecclesiis tradita petierit vel acceperit aut possederit vel iniuste defenderit aut retinuerit, nisi se cito correxerit, quo iratus deus animas percutit, anathemate feriatur, sitque accipienti et danti vel possidenti anathema et institutae paenae contubernium assiduum. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Ab universis episcopis et presbiteris adclamatum est: Ut haec poenitus abscindantur rogamus; dictum est quinquies. Ut haec amputentur precamur; dictum est sexies. Ut res aecclaesiae quibus tradite sunt, intemerato iure serventur, rogamus; dictum est septies. Ut secundum hoc quod persecuti synodali estis conventu per omnia fiant unanimiter deprecantes rogamus; dictum est octies. Ut in praesumptoribus vindicetur rogamus; dictum est decies. Ut disciplina servetur rogamus; dictum est undecies. Quae male admissa sunt, per vos corrigantur; dictum est duodecies. Ut inlicita facta amputentur, ita ut deinceps non fiant, rogamus; dictum est tredecies. Apostolica inlibata ordinatio servetur; dictum est XV. Exaudi, Christe, Symmacho vita; dictum est sexdecies. Dignus, quod non licet, non fiat; dictum est XIV. Ut canones custodiantur rogamus; dictum quindecies. Ut ordinatio apostolica, dignus papa, dignus doctor; dictum est novemdecies. Haec omnes unanimiter confirmamus et ut unanimiter serventur rogamus; dictum vigesies. Haec tenenda sunt, hec servanda sunt; dictum est XX. Per domnum Petrum ut in perpetuo serventur rogamus; dictum est vigesies. Ut haec praesumptio numquam fiat; dictum est XX. Qui haec violaverit, in se iuxta in praetaxatum modum inveniat; dictum est vigesies.

Et facto silentio Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Praesentis definitionis formam que iuxta sanctorum patrum est statuta sen-

Si quis oblationes aecclesiae — in alia transferri, conc. Aquisgr. a. 836. lib. III. c. 26.
Propterea qui haec non — contubernium assiduum sec. exempl. const. Symm. c. 7.
Nec aliquo se ante — consideratione dispergit, l. c. c. 8.
Ab universis episcopis — inveniat dictum est vigesies sec. acclam. c. 1. 2. 3. 4. Symm. syn. I.

[1] *Deest in Par.* 3852.

tentias in omnium aecclaesiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro sua possit ignoratione licere quod non licet, et qui talia praesumpserint, sciant se praetaxato condemnatos esse modo. Similiter et hoc ad omnium aecclesiarum notitiam vestra[1] cunctorum exortatione et iudicio censemus pervenire, et ab omnibus firmiter teneri, quia episcoporum res aecclaesiae non dubitantur esse, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate crassatum, pervassores rerum memoratarum predictae canonum districtionis feriantur vindicta, ut qui moribus propriis ac nulla conscientiae castigatione corrigantur, saltem aecclaesiasticae et canonicae vindictae perfodiantur aculeis. Generaliter vero quicumque res aecclaesiae confiscare aut conpetere aut pervadere periculosa aut sua infestatione praesumpserit, nisi se citissime per ecclesiae, de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter et hi qui res aecclesiae iussu vel largitione principum vel quorundam potentum aut quadam invasione aut tyrannica potestate retinuerint et filiis vel heredibus suis, ut a[2] quibusdam iam factum audivimus, quasi hereditarias reliquerint, nisi cito res dei ammoniti a pontifice agnita veritate reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim esse censemus, ut potius custodes cartarum quam defensores rerum creditarum, ut preceptum est, iudicemur. Sanandum est ergo celerius, ne longius exsecrandus animi morbus inserpat, ut si medicus, cum viderit huius terreni corporis aliquem esse languorem, magnum suae artis aestimat documentum, si cito quis illius interventu desperatus evadat, vel cum posse[3] vulnus aspexerit adhibet fomenta, vel cetera quibus illud posset quod natum fuerat vulnus obduci, ac si id manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputet quod nocebat, quo reliquum integrum et servet intactum. Precidendum id ergo est quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepsit: ne cum tardius abstergitur, in ipsis poene visceribus huius mali non haurienda sentina considat. Ferro enim abscidenda sunt vulnera quae fomenta non sentiunt. Similiter et illi extorres debent fieri ab aecclesia qui sacerdotali ammonitione non corriguntur, dicente domino: Auferte malum a vobis. Universa synodus surgens adclamavit: Ut ista fiant rogamus; dictum est octies. Ita serventur precamur, dictum est decies. Ut in perpetuum maneant et vestra auctoritate firmentur, dictum est duodecies. Exaudi, Christe, Symmacho pape vita, dictum est duodecies.

Et facto silentio Symmachus episcopus aecclesiae catholicae urbis Romae synodo presidens dixit: In hoc cognoscimus omnes quia deum diligimus, mandata eius faciamus; haec enim karitas dei, ut mandata eius custodiamus, et mandata eius gravia non sunt. Iustus enim est dominus et omnia iudicia eius iusta sunt atque omnes viae eius misericordia et veritas et iudicium, in manu dei potestas terre, cui exsecrabilis est omnis iniquitas; in manu dei potestas hominis, et super fatiem scribe inponet honorem suum. Perdit deus memoriam superborum et iniqua agentium, et relinquit memoriam humilium et bonorum hominum. Hoc autem pro certo habet omnis qui recte colit deum, quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur, et si in tribulatione, liberabitur. Si vero in correptione fuerit, ad miseri-

quia episcoporum res ecclesiae — correxerit perpetuo anathemate feriatur, conc. III. Paris. a. 557. c. 2.

Similiter et hi qui — ut preceptum est iudicemur, l. c. c. 1 i. f.

Sanandum est ergo — sentina considat, Innoc. I. ep. ad Aurel. et conc. Carth. c. 2. (Op. Leon. M. ed. Ball. Tom. III. p. 135.)

Ferro enim abscindenda — non sentiunt, Siric. ep. ad Eumer. c. 7 i. f. (H. no. 3.) Cf. Anacl. 40, Fab. 11, damn. Vigilii, Pelag. II. ep. 1.

Auferte malum a vobis, Deut. XIX. 19.

Universa synodus surgens — dictum est duodecies, accl. c. 4. syn. I. Symm.

In hoc cognoscimus — gravia non sunt, I Ioann. V. 2. 3.

Iustus est enim — et veritas et iudicium, Tob. III. 2.

cui exsecrabilis est — inponet honorem suum, Ecclesiastic. X. 4. 7. 5.

Hoc autem pro — misericordiam perveniet, Tob. III. 21.

[1] *Sic* vestram *corr.* [2] *Addidi ex cod. Par.* 3852. [3] *In ep. cit. Innoc.* putre *pro* posse.

cordiam perveniet. Omne quod reprebensibile est, catholica defendit aecclaesia. Non licet ergo imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina presumere, nec quicquam quod evangelicis propheticisque et apostolicis regulis obviatur agere. Iniustum enim iudicium et definitio iniusta regio metu vel iussu a iudicibus ordinata non valeat, nec quicquam quod contra evangelicae vel propheticae aut apostolicae doctrinae constitutionem eorum sive sanctorum patrum actum fuerit, stabit, et quod ab infidelibus aut hereticis factum fuerit, omnino cassabitur.

Nociva ergo sancti praedecessores mei dampnare confidenter studerunt, quorum et pusillitas mea, licet inpar et minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Vae enim erit nobis qui huius ministerii onus susceptum habemus, si veritatem salvatoris nostri Iesu Christi quam apostoli predicaverunt, predicare neglexerimus: vae enim erit nobis si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummulariis iubemur, id est christianos populos imbuere et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonem eius, veritatem confundimus praedicare? Quid erit de nobis cum de commissis nobis animabus et de officio suscepto rationem iustus iudex deus noster districtam exegerit? Ideo nos oportet semper nociva resecare et auxiliante domino profutura erigere. Unde obiurgando, ortando, suadendo, blandiendo, consulendo, prodesse quibus possumus festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus, timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortando succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur, ut quia doctores dicimur viam salutis gradientibus ostendamus. Simus[1] in custodia vigilantes, aditus contra hostis insidias solliciti muniamus, et si perditam ovem de commissis gregibus error abduxerit, toto illam adnisu ad caulas revocare dominicas contendamus, ut de pastoris nomine, quod habemus, non supplicium, sed premium consequamur. Quia ergo in his omnibus divinae gratiae adiutorio opus est omnipotentis dei assiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad haec nobis operanda et velle tribuat et posse concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est dirigat, ut sine quo nihil aspergimus[2] per ipsum omnia implere valeamus. Universa synodus surgens adclamavit: Placent omnia. Ut perpetua stabilitate firmentur rogamus; dictum est octies. Et adiecit: Exaudi, Christe, Symmacho vita, dictum est octies. Ut haec intemerata serventur, dictum est decies. Ut ista intemerato iure custodiantur precamur, dictum est duodecies. Qui haec sponte violaverit, perpetuo anathema[3] feriatur rogamus, dictum est quindecies. Ut decreta nostra confirmes precamur, dictum est decies et octies. Et facto silentio Symmachus episcopus aecclaesiae catholicae urbis Romae dixit: Adclamationes vestras synodique iudicium presentia gesta suscipiunt. Et adiecit: Ea quae ad sopiendos veternosae praesumptionis errores vel infensae rebus aecclaesiasticis egritudinis morbos, quibus universalis afficiebatur aecclaesia deliberatio religioni congrua pacique constituit firmitate perpete socientur, ut praestante deo quem custodem rerum constat esse bonarum synodalis ordinatio vigeat, atque omnis qui sine personae alicuius districtione venire presumserit, indicta superius districtione plectetur.

Omne quod reprehensibile — defendit aecclesia, c. 9 i. f. conc. Nicen. Cf. Calist. 5, Marcellini 3, Dam. 14.

Non licet ergo imperatori — divina praesumere, Cass. hist. trip. X. 6. aut Ben. I. 402. aut c. 16 (bis) Angilr. Cf. Calist. 6, Marcellini 4.

iniustum enim iudicium — ordinata non valeat, l. Visig. II. 1. 28 tit. aut Ben. I. 405. aut c. 18 (bis) Angilr. Cf. Calist. 6, Marcellini 4.

quorum et pusillitas — districtam exegerit, conc. III. Const. act. IV. (Mansi 11, 242.) Cf. Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 2, 3.

Unde obiurgando, hortando — sed premium consequamur, Gregor. M. ep. IX. 107. (2, 1011.) Cf. Dion. 4. 5, Anast. I. pp. ep. 1.

Quia ergo in his omnibus — implere valeamus, eiusd. ep. cit. (2, 1012.) Cf. Pont. 1, Dion. 5.

Universa synodus surgens — superius districtione plectetur, Symm. syn. I. c. 4. Cf. Symm. syn. V. i. f.

1 *Pro* scimus *quod est in cod.* 2 *Cod. Par.* 3852: agere possumus. 3 *Cod. cit.* anathemate.

Et subscripserunt: Caelius Symmachus episcopus sanctae aecclaesiae catholicae urbis Romae his constitutis synodalibus a me probatis atque firmatis annuens subscripsi. Laurentius episcopus aecclaesiae Mediolanensis his constitutis synodalibus a nobis probatis atque firmatis subscripsi. Petrus episcopus Ravennatis ecclesiae his constitutis synodalibus a nobis probatis atque firmatis annuens subscr. Felix Traonensis, Bonefacius Aquivivensis, Maximus Bleranus, Emilianus Suranus, Maximus Ticinensis, Cassianus Mutunensis, Gerentius Sicculensis, Stephanus Benusinus, Laurentius Benensis, Fortunatus Fulginensis, Mercurius Succinus, Stephanus Neapolitanus, Hilarus Temsanus, Maximilianus Perusinus, Innocentius Fertinatis, Concordius Mesitanus, Vitalis Fundanus, Castus Portunensis, Aristus Ostensis, Martirius Terracinensis, Victor Lunensis, Asterius Aquinatis, Grissogonus Albinensis, Amandus Potentanus, Romanus Numentanus, Ursus Reatinus, Cresconius Tudertinus, Innocentius Mavanatis, Iohannis Spolitanus, Eustasius Cremanensis, Laurus Vergomatis, Euscarpus Meresarpe, Rufentius Agnatinus, Serenus Nolanus, Martianus Acanus, Euticius Tranensis, Fortunatus Anagninus, Pascasius Vulternensis, Innocentius Forsimproniensis, Felix Nepesinus, Hilarius Temperanensis, Innocentius Direntium Tiberinorum, Severinus Tundaritanus, Silianus Veliterninus, Sebastianus Suranus, Mercurius Gavinati, Felix Atellanus, Rusticus Baxentius, Propinquus Tribensis, Adeodatus Sormianus, Bonifatius Cameritanus, Iustus Signatinus, Vindemius Anteantinus, Augustus Liparitanus, Valentinus Amiterninus, Fortunatus Suestanus, Iucundus Augustanus, Tigridius Tauriganus, Viticanus Celemensis, Iohannes Arimenensis, Proculeianus Sepinatis, Candidus Tiburtinus, Aprilis Lateranensis, Asellus Populimensis, Memor Cassinus, Colonius Forocludiensis, Helpidius Voloternanus, Iohannes Turritanus, Adeodatus Silvecandide, Venerius Palensis, Rogatus Tauromentanus, Servusdei Ferenensis, Probus Carmeranensis, Dulcitius sancti Anatoni, Leucadius Marzytanus, Eufrasius Galitimensis, Theoctistus Pessinuntos, Helpidios Mirecenonternis, Misterius Ammorius, Aquilas Eudoxiados, Quiriacus Trocnadensis, Pios Petenissensis, Longinus Ortissu, Talasius Cesariensis, Mussonius Nissenis, Firminus Termis, Patritius Tranensis, Teodosius Mantiazensis, Aristomachus Cobonensis, Cyros Cybostronensis, Iohannis Saebastensis, Cecrupius Sebastianopolites, Iohannis Nicepolites, Constantinus Militinensis, Acatius Arimatheus, Adonius Cravissu, Iohannis Arcis, Dorotheus Neocesariensis, Iohannis Polemiacus, Gratiadus Cerassutenus, Atarbius Tazebuntis, Seleucos Amassenus, Antonius Ammissenus.

Explicit sexta sinodus Romana Symmachi pape.

INCIPIT EPISTOLA SIMMACHI PAPAE LAURENTIO MEDIOLANENSIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO DIRECTA.[1]

Dilectissimo atque carissimo fratri LAURENTIO Mediolanensis aecclesiae archiepiscopo SYMMACHUS episcopus in domino salutem.

[2]Prodit religiosae votum conscientiae mens laudibus devota pontificum. Assertio ingenii est deo obsequentibus mancipare quod loquimur, in quorum praeconiis forte angustus sermo praefulget inperitiam, manifestat tamen si abstineatur infantiam. Quis mendicam narrationem estimet quam vota locupletant? Sepe in facundiae dotibus pauper invenitur vena praedicantis, et e diverso thesaurus cordis inradiat in egestate verborum. Qui vice dei iudicat, non desiderat picta colloquia, sed que infucatus commendat nitor ingenii, quia in his etiam sine amore blanditur eloquentia in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine faleris est

Subscriptiones desumtae ex exempl. const.
Symm. et conc. Chalced. (D.)

1 *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. 2 *Quae sequuntur sunt Ennodii Ticinensis dictio* (III.) *data Stephano v. c. vicario dicenda Maximo episcopo* (*op. eiusd. ed. Sirmond. p.* 473).

omne quod dictat affectio: ad unguem fabricatur illa quae volumus non tam[1] speciem recti habere quam similitudinem. Ad te, venerabilis mihi antistes maxime, sermo est cui in meritorum testimonio virtus cepit a vocabulo in quo actus eloquitur vel quod qui nomen appellat. Provida[2] parentum tuorum diligentia prius te eligi voluit quam probari. Te olim secularibus inherentem titulis castrensis sudor excoluit, et ad aecclaesiae gubernacula pars adversa solidavit, sicut deus loquitur per prophetam: Qui in modico fidelis, et in magno fidelis est. Te sacrum iudex et consilii comitem meruit et laboris. Bene venerandis initiandus altaribus et in laica conversatione quod sacrum esset elegisti[3]. Tu pudicitiae in illa aetate custos inventus es, in qua et lex obsequitur desideriis. Satis enim est pueritiae ambitum, quem licentia fulcit horreri. Christus milites suos quos in personam ducis adtollat, inter acies quaerit hostiles. Adscitus aecclesiae pontificem actibus inplesti ante tempora dignitatis. Non fuit advena benignitas que naturae innixa radicibus de cano flore germen ostendit. Temporale est omne quod fingitur, perpetuum quod cum aetate maturescit. Non tibi sacerdotium rem doni credimus evenisse sed premii. Alii vulgari[4] gratia lenocinante commendat, tibi rigida circa culpabiles districtio dedit affectum. Manet te singularis sapientia, que licet generaliter optanda est, tamen existit in magistro necessaria. Frustra monitoris personam suscipit, qui inpacti non praevalet aestimare pondus officii, vilissimis comparandus est, nisi precellat scientia, qui est honore prestantior. Dedit tibi apicem res iudicii, non favoris. Dignus pontifice amor est, quem censura conciliat. Devenustat institutoris genium, qui per solam gratiam vult placere. Tu his eruditus et formatus caeli beneficiis plus agendo populum institues quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam erudierant quae probantur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt qui peccare disponunt. Nascentibus culpis metus et reverentia tua negata aeffectum. Qui inter exordia occurrit vitiis et occasionem lapsuum adimit et concupiscentiae purgat auctorem. Haec beatitudini tuae quasi strictim pro linguae meae commendatione dedicavi. Si precibus tuis vitae successus adriserit, gestorum tuorum plena me revelatione consecrabo, ut quae universis nota sunt, mansuris in posterum litteris quatenus gaudeat aetas[5] secutura serventur.

ITEM EPISTOLA SIMMACHI PAPE LIBERIO PATRICIO DIRECTA.[6]

Symmachus episcopus aecclaesiae catholice urbis Romae Liberio patricio salutem.

[7]Dum pro veneranda religione conscientiae verba dirigitis in Aquileiensis electione pontificis et divinis iniciata lingua cultibus militat consecrando in ignoti nos diligentia sermonum vincula tenuerunt, quia nihil superat divitiis, quotiens[8] aliquid probatus extulerit. Quid enim sententiae sequatium derelinquat quando iustitiae obsequitur, cuius in examen definitio non vocatur? Agitis bono conscientiae quod vestro vix negaretur imperio. Exibuit inter arbitros Marcellini venerabilis collegam maximus hominum humilitate sublimior et ne potestati favor per oblicos ascriberetur interpretes, quod de proprio decerpsit genio, laudati iunxit ad praetium. Egistis mediocrem, ne praecelsi esset suscepta praedicatio. Clarissimorum testimonia ut vires accipiant culmina castigantur. Felix sacerdotium cui faciem praetulit plena mens luminis. Beata conversatio, quae idcirco in discussionem deducta est, ut tanto viro adfabulante superaret, que non didicisset saporem victoriae, nisi subiacuisset incertis. Semper innocentibus gloriam adversa pepererunt, providet defensores fortissimos mediocris inpugnatio. Sed quid epistolae

[1] *Sic* notum quod *pro* non tam *cod. et cod. Par.* 3852 *exhibent, sec. ed. cit. Sirm. correxi.* [2] *Sic* providam *sec. Par.* 3852 *corr.* [3] *Sic* etlegisti *corr. sec. edit. cit.* [4] *Edit. cit.* Alius vulgi auri — commendatur *pro* alii vulgari — commendat. [5] *Sic corr.* acta *sec. ed. cit.* [6] *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. [7] *Quae sequuntur sunt epistola eiusd. Ennodii ad Liberium* (*lib. V. ep.* 1. *p.* 135. *ed. cit.*). [8] *Sic* quodaciens *sec. cod. Par.* 3852 *corr.*

terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas in humana concinnatione transgressus? Iungo et ego amplissimis partibus pro modulo exiguitatis proprie vobis caelo obsequente consensum, et quod mirabile inter homines habetur consideratione vestri adtrahor ad amorem. Inspirata mihi pro altero placet affectio, dum manet caritas imis inserta visceribus peregrinante persona. Comitem se tamen caelestis gratia desideriis iungat et dum cupitis datur affectus, aut veniet bonum pontificatus aut faciat. [1] Data XVIII. Kalend. die indictione VIII. Finit.

INCIPIUNT DECRETA ORMISDAE PAPAE. PRIMA EPISTOLA EST AD IUSTINUM IMPERATOREM.[2]

I. Adversus Nestorii et Eutychetis blasphemias.
II. De mysterio trinitatis, quid personae, quid designetur substantiae.
III. De divinitate et humanitate domini Iesu Christi.

Gloriosissimo atque clementissimo filio Iustino Hormisda episcopus salutem.

Inter ea quae ad unitatem ecclesiae pertinent, propter quam deus clementiae vestrae elegit imperium, in litteris contulistis, hoc quoque, venerabilis imperator, cura fidei cui multipliciter vos studere declaratis, adiecit, ut aliquorum preces perferendae ad humilitatis meae notitiam iungerentur, quibus vel quid quaestionis oriretur agnoscerem vel ad submovendum propositae consultationis ambitum responsum a me religiosae scientiae conveniens redderetur. Legi omnia sollicitudine qua decebat, et licet ad responsi plenitudinem sufficere potuissem, si illa tantum quae ab auctoribus sunt definita rescriberem, tamen, ut religiosi propositi vestri remunerarem affectum, non subtrahendum credidi mei quoque sermonis obsequium.

I. Quid enim est quod emergentibus Nestorii et Eutychetis venenis paterna omisit instructio? Pene omnes impietates cum inventoribus tam nefandorum dogmatum convenientia in unum synodica decreta presserunt. Nec ulterius remansit locus ullus tam diris perfidiae seminibus amputatis, aut Christum dominum credere sine carnis fuisse veritate, aut eumdem non et deum et hominem de materni uteri intemerata foecunditate prodiisse; quum alter eorum dispensationem, qua salvati sumus negando, quantum in se est irritam faceret, alter opinione contraria sed impietate consimili in eodem domino nostro Iesu Christo potestatem divinam a vera humanitate secluderet. Neque ille recordatus, quia palpandam carnem suam Christus ostenderit, neque iste evangelii memor verbum carnem factum esse dicentis, cui vox domini indeficienter insonare debuerat, qua dixit et docuit: Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, filius hominis qui est in coelo. Saepe haec et multis praecedentium sunt comprehensa sententiis, sed nec clementia vestra, licet iam dicta sint fastidiose, poterit repetita agnoscere, nec nobis pudor ea quae sunt a praedecessoribus nostris praedicata revolvere. Neque enim possibile est, ut sit diversitas praedicationis ubi una est forma veritatis, nec ab re iudicabitur alienum, si cum his cum quibus convenimus fide congruamus et dogmate. Revolvantur piis mansuetudinis vestrae auribus decreta synodica et beati papae Leonis convenientia sacrae fidei constituta: eadem invenietis in illis quae recensetis in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statuendum, quid amplius, si tamen fidei terminos servat, quamlibet curiosus scrutator inquirat? Non opus aut adiectione plenis aut distinctione perfectis, nisi forte mavult quisquam dubitare quam credere, certare quam nosse, sequi dubia quam servare decreta.

II. Nam si trinitas deus, hoc est pater et filius et spiritus sanctus, deus autem unus specialiter legislatore dicente: Audi, Israel, dominus deus tuus unus est, qui aliter habet, necesse est aut divinitatem in multa dividat aut specialiter passionem ipsi essentiae trinitatis impingat, et quod absit a fidelium mentibus, hoc est, aut plures deos more profanae gentilitatis inducere aut sensibilem poenam ad eam naturam quae aliena est ab omni passione transferre. Unum est sancta trinitas, non multiplicatur numero, nec crescit augmento, nec potest aut intelligentia comprehendi aut hoc quod deus est, discretione seiungi. Quis ergo illi secretae aeternae impenetrabilique substantiae, quod neque ulla vel invisibilium creaturarum potuit investigare natura, profanam divisionem tentet ingerere, et divini arcana mysterii revocare ad calculum moris humani? Adoremus patrem et filium et spiritum sanctum, indistinctam distincte, incomprehensibilem et inenarrabilem substantiam trinitatis, ubi etsi admittat numerum ratio personarum, unitas tamen non amittit essentiae separationem: ita tamen ut servemus divinae propria naturae, servemus propria unicuique personae: ut nec personis divinitatis singularitas denegetur, nec ad essentiam hoc quod est proprium nominum transferatur.

[1] *Verba:* data *etc. desunt in epist. cit. Ennodii.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 86. *p.* 141.

Magnum est sanctum et incomprehensibile mysterium trinitatis deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus, trinitas indivisa: et tamen notum est, quia proprium est patris ut generaret filium, proprium filii dei, ut ex patre patri nasceretur aequalis, proprium spiritus sancti, ut de patre et filio procederet sub una substantia deitatis.

III. Proprium quoque filii, ut iuxta id quod scriptum est, in novissimis temporibus verbum caro fieret et habitaret in nobis, ita intra viscera sanctae Mariae virginis genitricis domini unitis utrisque sine aliqua confusione naturis, ut qui ante tempora erat filius dei, filius fieret hominis et nasceretur in tempore hominis more matris vulvam non aperiens natus, et virginitatem matris deitatis virtute non solvens. Dignum plane deo nascente mysterium, ut servaret partum sine corruptione, qui conceptum fecit esse sine semine servans quod ex patre erat et repraesentans quod ex matre suscepit. Nam iacens in praesepio videbatur in coelo involutus pannis adorabatur a magis, inter animalia editus ab angelis nuntiatur, vix egressus infantiam et annuntians mysticam sine instituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens coelestium signa virtutum. Idem enim deus et homo non ut ab infidelibus dicitur sub quarta introductione personae, sed ipse dei filius deus et homo idem virtus et infirmitas, humilitas et maiestas, redimens et venditus, in cruce positus et coeli regna largitus, ita nostrae infirmitatis ut posset interimi, ita ingentis potentiae ne posset morte consumi. Sepultus est iuxta id quod homo voluit nasci, et iuxta id quod patri erat similis resurrexit, patiens vulnerum et salvator aegrorum, unus defunctorum et vivificator, ad inferna descendens et a patris gremio non recedens. Unde et animam quam communi conditione posuit, pro singulari virtute et admirabili potentia mox resumpsit. Haec ita esse, nec ullam dubitationem oportere recipere, id est ne deus noster Iesus Christus aut inter opera passionis deus non esse crederetur aut ne deus tantum non etiam homo inter opera mirabilium stupenda virtutum proposito nos duorum apostolorum informavit exemplo deum esse se Christum, dominum nostrum Petri fide, hominem Thomae dubitatione declarat. Quid enim intererat, ut quem se esse homines dicerent discipulos suos vellet inquirere nisi ut respondente Petro: Tu es Christus filius dei vivi, fateretur non hoc de carne et sanguine proditum, sed patre deo inspirante revelatum, et per testimonium laudatae responsionis fides patefactae fieret veritatis? Quid etiam intererat, ut apparente post resurrectionem domino Thomas tantum aut deesset ceteris, aut solus ambigeret, nisi ut mundus crederet quod ambigens discipulus explorasset, ut dum unius manibus se pateretur tangi, ab universitate fidelium quis esset, posset agnosci? Non ergo ad improbandum discipulum interposita est dubitatio sed quaesita posteritatis instructio. Anne aliud expectat quod se idem dominus Cleophae cum alio discipulo commeante ad Emaum tendentes de se loquerentur inseruit? Et quamquam de resurrectione domini per mulieres quae primae ad monumentum convenerant, agnovissent, tamen ut per eorum dubitationem daret credendi futuris seculis firmitatem incipiens a Moyse et omnibus prophetis oportuisse pati Christum et ita intrare in gloriam suam interpretatus ostendit et per passionem humanam naturam et divinam in eo esse per gloriam multiplicibus haec sanctarum scripturarum insinuantur exemplis. Nec apud religiosam conscientiam tuam, venerabilis imperator, tamquam ignota dicantur. Fides enim ipsa quae a te constanter adseritur, tibi reddit hoc muneris, ut sensibus tuis et affectum sui inserat et scientiam per quam diligentius adseratur, infundat: et tamen interest dispensationis mihi creditae, ut ego quoque vel apud scientes nota non taceam, ut succedente sibi per vices temporum catholicorum praedicatione sensuum, quod indeficienter adseritur, sine fine credatur. Latius haec quae ad deitatem humanitatemque domini nostri Iesu Christi pertinent, et in eo unitas duas sine confusione naturas potui secundum veterum definita disserere, si esset adversum eos qui his discutiunt disputandum, sed quum in manibus omnium sint et synodica constituta et beati papae Leonis dogmata, perstrinxisse potius pauca quam evolvere credidi conveniens universa. Nunc vero agnoscere satis est et cavere, ita proprietatem et essentiam cogitandam ut sciatur quid personae, quid nos oporteat deservire substantiae. Quae qui indigenter ignorant aut callida impietate dissimulant, dum omittunt quod sit proprium filii trinae tendunt insidias unitati: sed si quae praedicata sunt, validis teneantur fixa radicibus, nec a paterna traditione receditur et constanter quaestionibus obviatur.

Sacra Iustini imperatoris ad Ormisdam papam. Cap. CXII.[1]

Sanctissimo ac beatissimo archiepiscopo almae urbis Romae et patriarchae Hormisdae Iustinus imperator.

Scias effectum nobis, pater religiosissime, quod diu summis studiis quaerebatur, noveris patefactum et antequam advenerint, qui a vobis destinati sunt, quod Ioannes vir beatissimus antistes novae Romae nostrae una cum clero eius vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis divisi discordiis. Scias libellum ab eo subscriptum quem offerendum

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. int. coll. Hisp. no.* 87. *p.* 143.

indicaveras sanctissimorum patrum concilio congruentem. Omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestrae quam Constantinopolitanae sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat: omnes accelerant libentissime quos oblectat via dilucida. Sequuntur scita patrum sanctissima, leges probatissimas et conciliis quorumdam firmatis, qui rectum tenebant tramitem aliorum correctis, qui vagabantur incerti. In eo res colligitur, ut unitatem individuae trinitatis ipsi quoque unitate colant mentium. Negatum est inter divina mysteria memoriam in posterum fieri pro tenore libelli quem diximus Acacii praevaricatoris quondam regiae huius urbis episcopi, necnon et aliorum sacerdotum qui vel primi contra constituta venerunt apostolica vel successores erroris facti sunt, nulla usque ad ultimum diem suum poenitentia correcti. Et quoniam omnes nostrae regiones admonendae sunt, ut exemplum imitentur civitatis regiae, destinanda ubique principalia praecepta duximus: tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem catholicae fidei pro remuneranda coelitus pace nostrae reipublicae, pro conciliando subiectis meis superno praesidio. Quid enim gratius reperiri potest, quid iustius, quid illustrius, quam quos idem regnum continet eiusdemque fidei cultus irradiat, eos non diversa contendère, sed collectis in eodem sensibus instituta venerari, non humana mente lata, sed divinae providentiae spiritu? Oret igitur vestrae religionis sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia ecclesiarum catholicae fidei procuratur, divini muneris opitulatio iugi perpetuitate servari annuat. Data decimo Kal. Mai. Constantinopoli.

Epistola sive libellus fidei Ioannis Constantinopolitani episcopi de Greco in Latinum translata directa ad sanctum Ormisdam papam urbis Romae in quo anathematizat Nestorium atque Euticen relicorumque haereticorum blasphemias.[1]

Redditis mihi litteris vestrae sanctitatis in Christo, frater carissime, per Gratum clarissimum comitem et nunc per Germanum et Ioannem reverendissimos episcopos et Felicem et Dioscorum sanctissimos diaconos et Blandum presbyterum, laetatus sum de spirituali caritate vestrae sanctitatis, quod unitatem sanctissimarum dei ecclesiarum secundum veterum patrum requiris traditionem et dilaceratores rationabilibus gregibus Christi amore pulsare festinas. Certus igitur scito per omnia, sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, tecum veritate sentiens omnes a te repudiatos haereticos renuo et ego pacem diligens. Sanctissimas enim dei ecclesias, id est superioris vestrae et novellae istius Romae unam esse accipio, illam sedem apostoli Petri et istius augustae civitatis unam esse definio. Omnibus actis a sanctissimis quatuor synodis, id est Nicaena, Constantinopoli, Ephesina et Chalcedonensi de confirmatione fidei et statu ecclesiae assentio et nihil titubare de bene iudicatis patior. Sed et conantes aut enisos usque ad unum apicem placiturum perturbare lapsos esse a sancta dei generali et apostolica ecclesia scio, et tuis verbis recte dictis evidenter utens per praesentia scripta haec dico, quia prima salus est rectae fidei regulam custodire et a patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest domini nostri Iesu praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta anathematizamus omnes haereses praecipue Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae urbis fuit episcopus, damnatus in concilio Ephesino a beato Caelestino papa urbis Romae et a venerabili viro Cyrillo episcopo Alexandrinae civitatis et una cum illo anathematizamus Eutychetem et Dioscorum Alexandrinae civitatis episcopum, damnatum in sancta synodo Chalcedonensi quam venerantes sequimur et amplectimur, quae sequens sanctam synodum Nicaenam apostolicam fidem praedicavit. His coniungentes Timotheum parricidam, Ellurum cognominatum, anathematizamus et huius discipulum et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter et Acacium quondam Constantinopolitanae urbis episcopum, complicem eorum et sequacem factum, nec non et perseverantem eorum communioni et participationi. Quorum enim quis eorum communionem amplectitur, eorum et similem adiudicationem in condemnatione consequitur. Simili modo et Petrum Antiochenum condemnantes anathematizamus cum sequacibus suis et omnibus suprascriptis. Unde probamus et amplectimur epistolas omnes beati Leonis papae urbis Romae quas conscripsit de recta fide. Quapropter, sicut praediximus sequentes in omnibus sedem apostolicam et praedicamus omnia quae ab ipsa decreta sunt et propterea spero in una communione vobiscum quam apostolica sedes praedicat, me futurum in qua est integra christianae religionis et perfecta soliditas, promittentes in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiae catholicae id est in omnibus non consentientes sedi apostolicae eorum nomina inter sacra non recitandum esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea dubitare tentavero, his quos condamnavi et per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic vero professioni subscripsi mea manu et direxi per rescripta tibi Hormisdae sancto et beatissimo fratri et papae magnae Romae per supradictos Germanum et Ioannem ve-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. inter suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 88. *p.* 144.

nerabiles episcopos et Felicem et Dioscorum diaconos et Blandum presbyterum. Et alia manu: Ioannes misericordia dei episcopus Constantinopolitanae novellae Romae hac me professione consentiens omnibus supradictis subscripsi sanus in domino. Ora pro nobis, sanctissime et beatissime frater. Data mense Martio, die XXVIII. indictionis XI. consulibus domino Iustino principe augusto et Heraclio vv. cc. era DLVII.

Epistola Hormisdae papae ad Ioannem episcopum Militanae ecclesiae ubi de communione Constantinopolitanae ecclesiae subscribens ei gratulatur. CXIII.[1]

Vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit sollicitudinis gaudiorum fructu redderetur extorris, et ideo Constantinopolitanam ecclesiam ad communionem nostram rediisse domino propitiante tradentibus significamus alloquiis et mandatorum quae legatis nostris dedimus, in omnibus seriem fuisse completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfectum gaudium perveniret, libelli Ioannis fratris et consacerdotis nostri Constantinopolitani episcopi et Iustini clementissimi principis Orientis sacrarum litterarum exemplaria pariter credidimus destinanda, indicantes nihilominus per Orientis partes plurimos episcopos sic fecisse. Superest ut a nobis competentibus precibus divinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea vero quae significare curavimus, in eorum sacerdotum qui fraternitati tuae vicini sunt, curabis perferre notitiam ut et ipsi de effectu tantae rei gratias nobiscum coelestis misericordiae beneficiis referre non cessent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

Item Ormisde pape ad Ioannem episcopum de directis institutis et vice commissa. CXV.[2]

Dilectissimo fratri Ioanni Hormisda.

Fecit dilectio tua rem caritati et fidei congruentem ut adventum ad Italiam suum nobis directis litteris indicaret et quae in te sit summa religiosae voluntatis ostenderet. Atque utinam ad plenioris affectus satietatem praesentiae tuae nobis gaudia contigissent, ut gratularemur nos eius colloquio frui, quem ita sumus per scripta complexi. Verumtamen probasti, dilectissime frater, quo christianam fidem venereris affectu, dum ea quae ad regulas patrum pertinent, et ad mandata catholica sine aliqua cupis transgressione servare sperans, ut prorogatis generalibus ad Hispanienses ecclesias constitutis super his quae aut negligentius aut irreligiosius fiunt ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus. Amplexi sumus captata ista desideria facultate. Quid enim aut nobis dulcius quam cum fidelibus loqui aut deo aptius quam deviantes ab errore revocare? Salutantes igitur caritate qua iungimur per Cassianum diaconum tuum significamus nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea quae iuxta canones servari debeant competenter ediximus vel circa eos qui ex clero Graecorum veniunt, quam haberi oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sed et causae ipsius ordinem instructiones adiunctae de scriniis ecclesiasticis vos docebunt, ut agnoscentes et impiorum transgressionem et apostolicae sedis curam pro patrum regulis excubantem, ostendatis vos per odia damnatorum consortia amare fidelium. Et quia per insinuationem dilectionis tuae huius nobis est via patefacta providentiae remuneramus sollicitudinem tuam et servatis privilegiis metropolitanorum vices vobis apostolicae sedis eatenus delegamus, ut in speculis sitis et sive ea quae ad canones pertinent et a nobis sunt nuper mandata serventur, sive si quid de ecclesiasticis causis dignum relatione contigerit sub tua nobis insinuatione pandatur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuae, ut talem te in his quae iniunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque eius cuius curam suscipis imiteris. Data IV. Non. April. Agapito viro clacissimo. Era DLV.

Item Ormisdae papae ad episcopos per Spaniam constitutos. CXVII.[3]

I. De sacerdotibus iuxta instituta canonum ordinandis.

II. Ut pro episcopatu praemium non accipiatur.

III. De concilio per annos singulos celebrando.

Dilectissimis fratribus universis episcopis per utramque Hispaniam constitutis Hormisda.

Benedicta trinitas deus noster qui per misericordiam suam Romanae reipublicae per universas partes sua pace et tranquillitate diffusa nobis quoque viam monstrandae circa nos invicem caritatis indulsit, ut qui cohaeremus firmitate fidei, iungeremur quoque votiva iucunditate colloquii, quo facilius dum per litterarum ministeria ad vos usque pertendimus, etiam corda vestra ad religiosum cultum apostolicis admonitionibus incitemus, et dum dispensationis nostrae reddimus velut quoddam debitum plenum circa deum monstremus affectum. Iungamus igitur, dilectissimi fratres, continuas et humiles preces et a domino nostro oris et cordis lacrymis supplicantes iugi deprecatione poscamus, ut et institutione et opere illi cuius membra esse cupimus haereamus, nec unquam ab illa via quae Christus est, devio tramite declinemus, ne ab eo iuste quem nos impie relinquimus deseramur. Quod cum superni favoris auxilio ea nobis potest ratione contingere, si aposto-

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 89. *p.* 145.
[2] *Inscript. sec. cod. cit.; text. sec. ed. cit. no.* 90. *p.* 146. [3] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 91. *p.* 147.

lica dogmata, si patrum mandata servemus. Dicit enim dominus noster: Qui diligit me, sermonem meum servabit et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et apud eum mansionem faciemus. Et licet haec possint generaliter dicta sufficere, ut declinemus errata et custodiamus catholica constituta, tamen quia Ioannis fratris et coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est contra canonum reverentiam nonnulla praesumi, periculum quod doctoribus imminet de taciturnitate declinans et prophetica voce compunctus qua dicitur: Loquere, ne taceas, generalibus edicendum credidi constitutis.

I. Ut in sacerdotibus ordinandis quae sunt a patribus praescripta et definita cogitetis, quia sicut caput est Christus ecclesiae, Christi autem vicarii sacerdotes, sic in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse convenit quos praeesse necesse est corrigendis, nec quicquam illi deesse personae penes quam est religiosae summa et substantia disciplinae. Aestimet quis pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si non sacerdotii gradus saltu quodam passim a laicis transferantur. Longa decet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur ecclesiae. Non negamus esse in laicis deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quaerunt instituta fidelia. Discere quis debet antequam doceat et exemplum religiosae conversationis de se potius aliis praestare quam sumere. Emendatiorem esse convenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa observatione religiosus cultus tradatur ut luceat et diu clericalibus obsequiis erudiendus inserviat, ut ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis ostendat. Non leve, non vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem nisi levitici generis viri ad sancta admovebantur altaria, ne passim meritis aut pretio aut praesumptione contemptis ad sacros cultus impar accederet. Migravit illa praerogativa familiarum ad instituta cultorum, nunc est doctrina pro genere. Quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina; nec tantum consecrari de laicis inhibemus, sed ne de poenitentibus quidem quisquam ad huiusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis illi postulanti sit venia. Qua conscientia absolvat reum qui se peccata sua populo scit teste confessum? Quis enim quem paulo ante vidit iacentem veneretur antistitem? Praeferens miserandi criminis labem non habet lucidam sacerdotii dignitatem.

II. Hoc quoque ad priora coniungimus ne benedictio per impositionem manus quae a deo esse creditur, pretio comparetur, quia ante oculos esse convenit, quod Simon spiritum sanctum volens redemptione mercari, apostoli fuerit detestatione percussus. Tum deinde quis non vile putet esse quod vendidit? Istam sacerdotibus ordinandis reverentiam servet electio, ut in gravi munere populorum divinum credatur esse iudicium. Ibi enim deus ubi simplex sine pravitate consensus. Verum nec hanc quidem partem sollicitudinis et admonitionis omittimus, ne vel ille se a culpa aestimet alienum, qui ipse quidem a redemptione liber initiaverit benedictione mystica sacerdotem, et tamen ad alterius redempti voluntatem vel sponte in hoc vel necessitate consenserit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum praestat errandi? Procul dubio contra mandata committit, et qui habet peccatum proprium et qui sequitur alienum. Incassum animus resistit cupiditati, si non restiterit et timori. Adversum haec facilius deo iuvante providebitur, si circa metropolitanos privilegia a sanctis patribus constituta permaneant, si metropolitani circa parochias suas ordinem suum ea qua decet veneratione custodiant, ut nec elatio praesules nec contemptus depretiet obsequentes. Quae si ita in operibus, ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum releguntur in scripturis, nulla intentionum semina, nulla erunt fomenta discordiae, sed regnante caritate sub illa qua nobis deus promisit et tribuit, pace vivatur.

III. Ob hoc patres providentia qua spiritus sanctus cultores suos compungere dignatus est, incitati bis in anno per parochias singulas concilia haberi debere docuerunt, ut in unum iuxta salubris institutionis dogmata congregati pro ecclesiasticis causis tractanda deliberent aut si iuxta votum universa consistunt, deum iunctis vocibus qui praestat desiderata collaudent. Difficile est enim ut cuiusquam cor sic pravis cogitationibus induretur, ut a se patiatur culpanda fieri, quum noverit sibi indicium subeundum esse concilii. Praecinctos ad hanc viam semper lumbos habeant, scientes rationem actuum suorum esse reddendam. Suspendantur ab illicitis per formidinem et qui nequiverint per pudorem. Sed de conveniendo notum est quia sanctis canonibus bis in anno constet esse praefinitum et quidem si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri. Sed si aut temporum necessitas aut emergentes causae hoc non patiantur implere, semel saltem quamvis non licuerit sine ulla excusatione praecipimus conveniri. Haec, fratres carissimi, et alia quae patrum regulis continentur, in labiis et in cordibus nostris indefessa retractatione meditemur, et sicut scriptum est, narremus ea filiis nostris; meditemur in cordibus sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes, quia beatus apud dominum qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc et magister gentium discipulum suum sequutus instituit admonens: Haec meditare, in his esto subiiciens plenitudinem, attende

tibi et doctrinae: quia si fidelibus citra intermissionem incumbimus institutis, separamur a vitiis, dum impensa cura divino operi humano locum non relinquit errori. Data IV. Non. April. principe Agapeto viro clarissimo. Era DLVI.

Item Ormisdae papae ad eosdem Ispaniae episcopos, in qua eis Iohannis Constantinopolitani episcopi professionem dirigit propter Orientales clericos qui eorum communionem poposcerant.[1]

Dilectissimis fratribus universis episcopis in Hispania consistentibus Hormisda.

Interea quae notitiae nostrae Ioannes frater et coepiscopus noster studio ecclesiasticae utilitatis ingessit, hoc quoque pro affectu catholicae fidei et apostolicae sedis veneratione consuluit, quo ordine ex clero Graecorum venientibus tribui deberet sancta communio, propter causam scilicet Acacii a decessoribus nostris, pro haereticorum communione damnati, in qua ii quoque qui se ab eius contagione non dividunt, a nostra communione habeantur excepti. Laudo propositum viri hoc zelo circa fidem et apostolica instituta ferventis, ut ne per ignorantiam quidem quemquam coeno erroris alieni pateretur immergi. Digna haec cura fidelibus ut sollicito studio semper invigilent et inculpatos se ab omni perversitate conservent. Ipsa est enim fidei innocentia ut praevideat, ne vel casu possit errare. Satisfacientes igitur et laudabilibus desideriis memorati viri et memores nostri, sicut oportet, officii documenta quoque de ecclesiae scriniis assumentes ad concilium vestrum pro generalitatis instructione direximus, ut ex illis plenius quae sunt acta discentes, ab omni vos errantium communione separetis. Neque enim est personalis odii causa, sed in impios transgressores dicta deo inspirante sententia: in qua quidem causa neque praedicatione neque deprecatione cessavimus et principi supplicando, et sacerdotes et populos admonendo, ut transgressores absoluti ad rectam se fidem et affectu dei et iudicii timore converterent. Sed obstinatio miseranda perdurat nec nullis modis mortifera venena vincuntur, malo semine fixis in deterius pullulante radicibus. Ergo, dilectissimi fratres, ad omnia competenter instructi servate vos ecclesiam dei et apostolo exultate coniuncti. Nos autem libellum misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti, secundum quam et de Thracia et Scythia Illyricisque partibus vel Epiri veteris, sed et secundum quam Syriae multos iam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere et devia declinasse. Unde sub repetitione mandamus ut omnis cura et sollicitudo omnis invigilet, iam nullus est ignorantiae locus, nullus utatur simplicitatis excusatione praeterita. Scienti peccare necessaria confessio est, necesse est ut errorem adscribat sibi qui monstrato non insistit itinere.

Bonefacius notarius sanctae ecclesiae Romanae ex scrinio editi exemplaria libelli exequitur.

Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica citra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes constituta anathematizamus omnes haereses, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam Constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatum in concilio Ephesino a beato Coelestino papa urbis Romae et a venerabili viro Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite. Similiter anathematizamus Eutychetem et Dioscorum Alexandrinum in sancta synodo quam sequimur et amplectimur Chalcedonensi damnatos, quae sequuta sanctum concilium Nicaenum fidem apostolicam praedicavit. Detestamur et Timotheum parricidam, Aellurum cognomento, discipulum quoque ipsius et sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum. Condemnamus etiam et anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam episcopum ab apostolica sede damnatum et eorum complicem et sequacem vel qui in eorum communione permanserint. Quia Acacius, quorum se communioni miscuit ipsorum similem iure meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis et omnibus suprascriptis. Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis papae universas quas de christiana religione conscripsit, sicut praediximus sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes eius omnia constituta. Et ideo spero ut in una communione vobiscum quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et vera christianae religionis et perfecta soliditas, promittens sequestratos a communione ecclesiae catholicae, id est non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo a professione mea deviare tentavero, his quos damnavi, complicem me mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi et tibi Hormisdae sancta et venerabili papae urbis Romae direxi.

Item Ormisdae papae ad Epifanium Constantinopolitanum episcopum. CXVIII.[2]

Dilectissimo fratri Epiphanio episcopo Hormisda.

Multo gaudio sum repletus quod circa ecclesiae pacem et sanctissimi imperatoris et

1 *Inscript. sec. cod. Par. cit. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 92. *p.* 149.

2 *Inscript. sec. cod. Par. cit. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 93. *p.* 150.

44*

dilectionis tuae tale studium quale litteris indicasti, legatorum quoque meorum assertione cognovi. Manifeste hinc enim supernae misericordiae documento perdocetur, quando et mundani principes causas fidei cum reipublicae ordinatione coniungunt et ecclesiarum praesules quod ad dispensationem sui pertinet, officii memores exequuntur. Talibus indigebat post discordiae procellas religio christiana rectoribus qui compressis provida dispensatione turbinibus diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, et in futura post saecula ad propositi sui exempla tendentes sibi ad scribendum indubitanter ostenderent, quidquid deo placitum posteri pro sua imitatione fecissent. Benedicamus dominum, frater carissime, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus adnitamur, ut quae dei ope bene coepta sunt ipso adiuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est, ut ad compagem corporis sui reliqua quoque quae adhuc divisa sunt, membra festinent et a potioribus minora non discrepent. Ad quod quum me dilectio tua christianae studio caritatis hortatur, debet quod invitat sequi et quod amandum suadet amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes per religiosam patientiam par etiam praemium de boni operis speramus effectu, neque enim difficultatibus est cedendum. Non enim fatigatur asperis fides nec ad coelorum ardua per proclive contenditur, nec remunerationem citra laboris exercitium quis meretur. Unde ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur etiam teste psalmista: Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam in omni tempore, quia non initium laboris remunerationem praemii consuevit invenire, sed terminus. Ergo par studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione et credulitate societas, quemadmodum de adunata sedi apostolicae Constantinopolitana ecclesia pariter exultamus in domino, ita de reliquarum quoque sicut affectuose admones redintegratione curemus primum, ut fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, frater sanctissime, quae ecclesiasticam servant vincula concordiam, quae nos ab haereticorum tueantur insidiis, per quae etiam canonum custoditur auctoritas. His in robore suo omni circumspectione servatis remedia sperantibus conferantur. Habet enim ecclesiasticarum ordo regularum et ipsius forma iustitiae, ut medicina rationabilis benigne et fideliter sperantibus non negetur, nec quisquam ita est ab humanitate discretus, quem non a rigore discretionis inclinet incauta simplicitas: sed ut caute hoc et citra querelam aut erroris alicuius naevum valeas expedire, dilectissime frater, personam meam te in hoc oportet induere, scientem in huiusmodi causis, sicut praedictum est, quid faciendum sit, quid cavendum, ita omnia praevidendo, ut non ambigas rationem dispensationis huius deo esse reddendam: ita tamen ut eos, qui vobis fuerint communione sociati, vel per vos sedis apostolicae vestra nobis scripta declarent, quibus etiam et continentia libellorum quos obtulerint, inseratur. Sic enim et Severi vel complicum eius aut similium absolvemus errores, nec eorum qui sanari potuerint, dispendia patiemur. Quod ideo vobis specialiter credidimus imponendum ad diligentiam vestram nostra onera transferentes, quia non parva iam documenta resistentes haereticis reddidistis, nec debet de eo ambigi, quem bene contigerit explorari. Simul assume medelam medicinae, simul accingere auctoritate iustitiae, et sic circa simplices humanitate mollire, ut in haereticorum contagione perdurantes aut eos qui innocentiam simulant et cum nostris sola voce consentiunt, ab his quibus pro ecclesiae redintegratione consulitur et providetur, excludas: nec enim expedit circa hos ecclesiasticam temperare censuram. Non enim erunt iam miserationis bona pro eorum quibus consuli oportet necessitate collata, si indiscrete fuerint bonis malisque communia.

Et quia Hierosolymitanorum faciendam credidit in litteris tua dilectio mentionem, quorum etiam ad nos quaedam delata professio est, necessarium duximus vel recipere quae scripta sunt, vel respondere quae congrua. Qui si sanctorum patrum constituta custodiunt, si illa fidei fundamenta venerantur, ab his quae per eos spiritu sancto componente definita sunt, non recedant. Aut enim perfecta sunt, ita ut sunt et adiectione non indigent aut bene valida et ideo non mutanda, quando per ea omnia haereticorum venena compressa sunt; nec quidquam Chalcedonensis synodus quod utile quaelibet diligentia potuisset exercitare praeteriit, quae praecedentium quoque dogmata vel clarius manifestavit vel repetita auctoritate firmavit, speciale quoddam adversus Nestorium et Eutichetem aggressa certamen, alterum deitatem domini nostri Iesu Christi a carne separantem et ideo sanctam Mariam dei genitricem pronuntiare vitantem, alterum veritatem carnis in domino renuentem, quando dominus noster Iesus Christus idem filius dei, idem hominis, una in duabus persona naturis divinitatis et carnis nec naturis adunatione confusis, non velut quarta persona addita trinitati, sed ipse filius dei exinaniens semetipsum formam servi accipiens, propter quod et unam nec divisibilem profitemur essentiam trinitatis et proprietatem tamen suam scimus inesse personis; unam enim patris profitemur esse personam, unam filii dei cum assumpta carne, unam spiritus sancti, et personas proprietatibus designantes et per unitatem essentiae inseparabile trinitatis mysterium confitentes. Neque enim ambigi potest verbum dei intra virginis viscera per carnem humanam assumpsisse naturam, nec post a se intra vulvam naturarum unitione divisum. Nam sicut non est in eo humanitas sine deo edita, sic in cruce et impassibilis divinitas non est a carnis passione divisa,

quod virginis partus et intemerata foecunditas et singularis a mortuis resurrectio et ad coelos declarat ascensio. Haec si, quemadmodum a patribus constituta sunt, servant, credant nec definita transcendant, a quo tramite qui declinant ipsi sibi nebulam dubitationis obtendunt. Nos autem illud apostolicum contentiosis respondere necesse est: Nos hanc consuetudinem non habemus, nec ecclesia dei. Haec ideo breviter, quia nec ambigi convenit de rebus iuxta fidem definitis saepius, et pene supervacua est allegatio quae adhibetur instructis, quum super haec ad clementissimum principem non parva perstrinxerim. Et quia de Hierosolymitanorum professione respondimus, hoc quoque aestimavimus salutis eorum causa competenter addendum, ut si communionis apostolicae desiderant unitatem, professionem suam scripto indicant, quam legatis nostris apud Constantinopolim positis obtulerunt aut per suos ad nos dirigant aut fraternitati vestrae tradant, eodem tamen, sicut diximus, tenore conscriptam, quae ad nos modis omnibus sub vestra ordinatione deferatur. Nam de Thessalonicensibus quorum ad nos legati per clementissimi et fidelissimi principis filii nostri ordinationem venerunt, ne quid omisisse credamur, nosse vos volumus secundum hoc quod domino nostro Iesu Christo inspirante placuerit, causam omnem nostra dispositione tractandam, et si quod oportet impleverint, ordinanda haec per fratrem et coepiscopum nostrum venerabilem virum Ioannem, sed et filios nostros Heraclium presbyterum et Constantinum diaconum ecclesiastico honore dignissimos ad causam pertinentia rescripsisse contenti, gratulati sumus in viro ordinis nostri par meritum et religiosum non invenisse propositum et cum legatione mandata sapientia et moribus congruente. Votiva enim res et plena gaudii est, ut sint iusta aestimatione probabiles, quos communionis officii contigerit esse consortes.

Item Ormisde papae ad Salustium Spalensem episcopum de commissa vice per Boeticam et Lusitaniam provincias. CXIX.[1]

Dilectissimo fatri Salustio Hormisda.

Suscipientes plena fraternitatis tuae votiva gratulatione colloquia quibus nos geminae salutis tuae laetificavit indicium corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixum, congruum esse perspeximus hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire laetitiam. Edidisti enim boni documenta pontificis, dum et praedicanda facis et ea insinuare non differis. Praerogativam de nostri sumpsimus electione iudicii, quando id te operatum sponte didicimus, quod ceteris imperamus. Oramus siquidem divina beneficia cunctos agnoscere et haec ad te studio ecclesiasticae pacis instrumenta transmisimus. Tu vota nostra et fideli intelligentia percepisti et officii protinus devotione complesti, cunctis fratribus innotescens, quae per coelestem gratiam cunctis profutura cognoveras. Suffragantibus igitur tibi tot meritis piae sollicitudinis et laboris, certo iam delectat iniungere, quae ad nostri curam constat officii pertinere, ut provinciis tanta longinquitate disiunctis et nostram possis exhibere personam et patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Baeticam Lusitaniamque provincias salvis privilegiis quae metropolitanis episcopis decrevit antiquitas, praesenti auctoritate committimus, augentes tuam huius participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri a quo iam probavimus cautius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur et laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas et decreta a sanctis definita conciliis ob omnibus servanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternae monitu exhortationis ostendimus, his ea qua dignum est, reverentia custoditis, nullum relinquit culpae locum, nec sanctae observationis obstaculum. Ibi fas nefasque praescriptum est, ibi prohibitum ad quod nullus audeat adspirare, ibi concessum quid debeat mens deo placitura praesumere. Quoties universum poscit religionis causa ad concilium, te cuncti fratres evocante conveniant, et si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veteribus constitutis vel provida dispositione praecipies vel personae nostrae auctoritate firmabis, totum ad scientiam nostram instructae relationis attestatione perveniat. Eo fiet, ut et noster animus officii caritate dati et tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumen custodiat, frater carissime.

Ex rescripto Ormisdae pape ad episcopos Boeticae provinciae. CXX.[2]

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Baeticam provinciam constitutis Hormisda episcopus.

Quid tam dulce sollicito, quam quod mihi de vobis innotescunt illa quae cupio? Quid tam religiosis conveniens institutis, quam ut inter se sacerdotes pacem quam eos necesse est aliis pro officio annuntiare conservent? Plena, fateor, gratulatione suscepi quod votiva mihi de caritate quae inter vos est et ecclesiarum pace litteris indicastis. Sponte mihi quidquid hortari poterant, quidquid monere delatum est. Confirmet deus, quod operatur in nobis, et quae praecipit pro animarum salute facienda, hac ipse esse praecipiat pro ea qua nos redemit, pietate facilia. Sed his tam bonis nunciis nos quoque religio-

1 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 94. *p.* 152.
2 *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 95. *p.* 153.

sorum vicem reddimus nunciorum: et quidquid cum Orientalibus quos ad ecclesiae corpus unitatemque revocatos dudum dei nostri ope litteris significavimus destinatis, denuo actum fuerit repetitis vobiscum participamus indiciis. Mox post nostrorum reditum ab Orientalibus missa legatio est: certa speravit, certa consuluit. Sed facimus de his quae fuerant dicenda compendium, ipsa potius ad instruendam notitiam vestram quae a nobis sunt responsa dirigentes, ne quid sibi sub spatio prolixiore terrarum aut opinio vindicet aut error adsumat, quum ad rerum fidem ipsam tenere sufficiat veritatem. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet litterarum, oportuit quidem desideria planius expedire, ut aestimatis omnibus responsum rationi congruum redderetur. Sed quia privilegiorum veterum et statutorum paternorum indidistis iisdem litteris mentionem ad Salustium fratrem et coepiscopum nostrum sub hac parte scripsimus, vobis quoque strictim quae dicta sunt illis latius indicantes, nec privilegia nobis indulta convellere et nihil tam conveniens fidei iudicare, quam ut in honore suo a patribus decreta serventur. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

[1]INCIPIUNT DECRETA IOHANNIS PAPAE. CXXI.

IOHANNES urbis Romae episcopus ZACHARIAE archiepiscopo salutem.

Exegit dilectio tua, frater karissime, praeceptum apostolicae sedis, in quo patrum decreta consentiunt, quod nec tibi nec ulli recte viventium et credentium sacerdoti denegare fas esse credimus. Et licet tibi pro merito et honore sacerdocii quo plurimum polles, vivendi et docendi ecclesiasticae regulae nota sint omnia, tamen quia Romane ecclesiae normam atque auctoritatem magnopere postulasti scriptis tuis breviter respondere non denegavimus.

De occultis enim cordis alieni temere iudicare iniquum est, et eum cuius non videntur opera nisi bona, peccatum est ex suspitione reprehendere. Oves ergo quia pastori suo commisse fuerunt, eum nec reprehendere nisi a recta fide exorbitaverit, debent nec ullatenus accusare possunt: quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quamquam recte reprehendenda videantur. Ideo ista dicimus, quia in scripturis vestris repperimus quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accussatos, aliquos videlicet ex suspitione et aliquos ex certa ratione: et idcirco quosdam suis esse rebus expoliatos, quosdam vero a propria sede pulsos. Quos scias nec ad sinodum conprovincialem nec ad generalem posse convocare, nec aliquod iudicare antequam cuncta que eis ablata sunt legibus potestati eorum reintegrentur. Prius ergo oportet omnia illa legibus redintegrari et ecclesias que sibi sublata sunt, cum omni privilegio suo restitui; et postmodum non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum convocentur, et ab omnibus quisque suae provintie episcopis audiatur. Nam nec convocari ad causam, nec diiudicare potest expoliatus vel expulsus, quia non est privilegium quo expoliari possit iam nudatus. Unde et antiquitus decretum est: Omnes possessiones et omnia sibi sublata adque fructus cunctos ante litem contestatam praeceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille qui violentiam pertulit universa in statu quo fuerant, recipiat, et que possedit securus teneat. Et halibi in sinodalibus patrum decretis et regum[2] edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis praesentaliter ordinatione pontificum et in eorum unde abscesserunt funditus revocanda, quecunque conditione temporis aut dolo aut captivitate aut virtute maiorum aut per quascumque iniustas causas res ecclesiae vel proprias aut substancias suas perdidisse noscuntur, ante accussationem aut regularem ad sinodum vocationem eorum, et reliqua. Est etiam in antiquis ecclesie statutis decretum, ut qui aliena invadit, non exeat inpunitus, sed cum multiplica-

Ioann. ep. ad Zachar.
Exegit dilectio tua — decreta consentiunt, init. Zosimi ep. ad Hesychium. (H. no. 28.) Cf. Fab. 8, Pelag. II. pp. ep. 2.
Et licet tibi pro — non denegavimus, Innoc. I. ep. ad Vict. Roth. pr. (H. no. 7.) Cf. Dam. de corep. init.
De occultis enim cordis — exerceantur absque sua damnatione. Cf. Euseb. 10. 11, Symm. syn. V., ubi eadem leguntur.

[1] *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840. *Adhibui cod. Par.* 3852. [2] *Sic* regnum *correxi.*

tione omnia restituat: unde in evangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudavi, reddo quadruplum. Et in legibus saeculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi cuius res direpta est, in undecuplum que sublata sunt, restituat. Et in lege divina legitur: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, et dicit omnis populus: Amen. Talia ergo non presumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua dampnatione. Tu vero, frater karissime, haec vide ne transgrediaris, et reliquos episcopos tam tuae curae commissos et alios firmiter tenere doceto, quia transgredi apostolica statuta absque transgressoris gradus periculo nullatenus possunt. Inimicis vero accussatoribus vel de inimici domo prodeuntibus, seu qui cum inimicis morantur non credantur, ne irati nocere cupiant, ne lesi se velint ulcisci: hi quoque reiciendi sunt[1], non approbandi.

Haec, karissime, tene et prohibita semper cave. Illud adimplere stude, quod bene ab Iesu filio Syrach dictum est: Usque ad mortem certa pro veritate et semper dominus deus tuus pugnabit pro te. Huius ergo rei gratia vobis et nobis sancta commissa est ecclesia, ut pro omnibus laboremus et cunctis opem ferre non neglegamus, quoniam dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia que possidet. Ideoque tanta urgente necessitate summopere vestra apostolicaque auctoritate et reliquos episcopos oportet reprimere infestos, relevare oppressos, ut absque gravi domino auxiliante difficultate, ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur inlesi.

Ad vos quoque me reverti cogit propositi operis amica conditio, qui melioribus actenus opera volui navare sermonibus, dum talem rationem exigit toxicata necessitas. Mandati caelestis habitatio nos aut miscet aut separat, nec interest que intervalla nos segregent, si unam supernam mansionem clave retinent[2]. Nec vobis tales nocere valuerint, si invicem adiutorium ferre non distuleritis. Inauditum enim sacrilegii genus est quod mentitae[3] religionis honore[4] praefixi emuli colorant. Dehonestat venerandi reverentiam nominis qui adiutorem se in his quae in deum iactat, commissa pollicetur. Contumeliae genus est quasi in solatio esse sublimi iuxta apostolum: Tu qui es qui iudicas alienum servum? Quid auribus imperitis inluditis, et graviorem vindictae spetiem faciunt esse quam culpae? Si odium habent, excessibus emendate. Cur ergo liberius condempnant scelera quam vitent? Sui profecto inpugnator est omnis qui patres insequitur aut detrahere non formidat. Nihil enim est in quo inimicorum tela domino opem ferente non valeatis superare, si iuxta veritatis vocem talem qualem dominus praecepit, dilectionem habueritis ad invicem. Data XV. Kalendas Novembris Maximo et Olibrio vv. cc. consulibus.

[5]CUIUS SUPRA EPISCOPIS ITALIAE DIRECTA.

Iohannes episcopus omnibus provincia Italie constitutis episcopis in domino salutem.

Sepissime multo iam experimento didici sanctum piaetatis vestrae studium circa religionem christianam gloriosis crescere et dilatare augmentis: et fidés recta

Inimicis vero — prodeuntibus, Ennod. apol. (p. 327.) aut Ben. add. III. 15. Cf. Sixt. I. pp. 3, Marcelli 11, Symm. syn. V.
seu qui cum — morantur, Ben. III. 187. Cf. Telesf. 4, Iul. 12, Symm. syn. V.
ne irati nocere — velint ulcisci, Ambros. ep. 5. no. 2. (2, 765.) Cf. Anacl. 35, Symm. syn. V.
quod bene ab Iesu — mereamur inlaesi. Eadem leguntur in fine ep. Athan. ad Liber.
Ad vos quoque me reverti — exigit toxicata necessitas, Ennod. lib. apol. p. 339.
Mandati caelestis — mansionem clave retinent, l. c. p. 340.
Inauditum enim sacrilegium — profecto inpugnator est, l. c. p. 345.
dilectionem habueritis ad invicem, Ioann. XIII. 35.
Not. cons. sec. Ioann. I. vit. c. 1. in libr. pontif.
Sepissime multo iam — consolatur et roborat, Leon. M. ep. 134. c. 1. (1, 1274.)

1 reiciendi sunt *sec. cod. Par.* 3852; *cod.* reicientes. 2 *Par.* 3852: si una in superna mansione clave retinemur. 3 *Sic* mitte *corr. sec. cod. Par. cit.* 4 *Cod. cit.* honorem. 5 *Inscript. et text. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

que non solum me, sed omnes domini sacerdotes consolatur et roborat, vestris in mentibus et operibus per sacerdotale agnoscitur opus et dilatatur. Quapropter, fratres, ortor vos, et moneo contra Arrianam perfidiam quae olim non semel, sed sepe dampnata est et modo in quibusdam revivescit armari gladio spiritus sancti, ut eam amminiculante divina gratia opprimere et stirpare valeamus, ut nec radix eius in posterum inveniatur: ecclesias vero Arrianorum ubicumque inveneritis catholicas eas divinis precibus et operibus absque ulla mora consecrare, quia et nos quando fuimus Constantinopolim tam pro religione catholica quam et regis Teoderici causa suadente atque ortante Arrianosque exstirpante piisimo atque christianissimo iustissimo Iustino hortodoxo imperatore, quascumque in partibus eorum ecclesias repperiri potuimus, catolicas eas domino opem ferente consecravimus. Et quamquam predictus Teodoricus rex eorum peste tactus intrinsecus et obvolutus, extrinsecus nos et omnem regionem vestram minitetur[1] perdere et gladio et igne consumi, nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro dominico elaborare studete et iuxta veritatis vocem nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest animam et corpus mittere in gehennam. Et egregius gentium apostolus inquid: Non enim nosmet ipsos praedicamus, sed Iesum Christum dominum nostrum: nos autem servos vestros per dominum, quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse inluxit in cordibus vestris ad inluminationem scientiae claritatis dei in faciem Iesu Christi. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis dei et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur[2]; aporiamur et non destituimur; persecutionem patimur et non derelinquimur; deicimur, sed non perimus. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis, habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur scientes, quoniam qui suscitavit Iesum et nos cum Iesu suscitabit et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos ut gratia habundans per multos gratiarum actione habundet in gloriam dei. Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem: id enim quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitatem aeternum glorie pondus operatur nobis, non contemplantibus nobis que videntur, sed que non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna sunt.

Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod edificationem ex deo habeamus, domum non manufactam aeternam in caelis. Nam et in hoc ingemiscimus habitationem nostram, que de caelo est, superindui cupientes: si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper et scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore peregrinamur a deo. Per fidem enim ambulamus et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et presentes esse ad dominum, et ideo contendimus sive absentes sive praesentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi,

Quapropter fratres hortor — et gladio et igni consumi sec. vit. cit. c. 1 et 2.
nolite timere eos — mittere in gehennam, Matth. X. 28.
Non enim nosmet ipsos — autem non videntur aeterna sunt, II Cor. IV. 5—18.
Scimus enim quoniam — efficeremur iustitia dei in ipso, II Cor. V. 1—21.

1 *Par.* 3852: minetur. 2 *Sic* agustamur *sec. cod. cit. corr.*

ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum. Scientes ergo timorem domini hominibus suademus, deo autem manifestati sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum nos commendamus vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde; sive enim mente excedimus, deo, sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt et pro omnibus mortuus est Christus[1], ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem, et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt nova. Omnia autem ex deo qui reconciliavit nos sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis quoniam quidem deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legationem fungimur, tamquam deo exortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo. Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia dei in ipso. Adiuvantes autem exortamur ne in vacuum gratiam dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exibeamus nosmet ipsos sicut dei ministros in multa pacientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in sciencia, in longanimitate, in suavitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute dei; per arma iusticie a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, sicut ignoti et cogniti, quasi morientes, et ecce vivimus, ut castigati et non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes et omnia possidentes. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exortamini, pacem habete, ut deus pacis et dilectionis sit semper vobiscum. Amen. Data III. Idus Iunii Maximo et Olibrio viris clarissimis consulibus. Explicit.

[2] INCIPIUNT DECRETA FELICIS PAPAE.

Dilectissimis fratribus, omnibus episcopis per diversas provincias constitutis Felix episcopus in domino salutem.

Magno munere misericordie dei totius ecclesie catholice multiplicata sunt gaudia, cum ecclesiarum status eo viget ordine, quo apostoli eorumque successores illum statuerunt. Et cum antiqui hostis astutia eum turbari cognoscimus, non modico contristamur moerore. Quam ob causam, fratres, ortamur vos, monemus et flagitamus, ut a tramite apostolice institutionis nequaquam recedatis nec a capite dissidatis, sed fidem et ordinem, quem apostoli et apostolici viri statuerunt absque ulla hesitatione teneatis. Nam si columnae alicuius magnae domus ruerint, ipsa postea domus minime stabit: sic et vos columnae ecclesiae estis, si labifactari ceperitis, sancta ecclesia, que per vos regitur, tabescit et labitur. Hec, fratres, que dico valde timenda sunt, et summo moderamine pensanda, atque ne fiant cavenda. Ipsa enim per se veritas ait: Vos estis sal terre: quod si sal evanuerit, in quo

Adiuvantes autem exortamur — habentes et omnia possidentes, II Cor. VI. 1—10.
De cetero fratres — semper vobiscum, II Cor. XIII. 11.
Not. cons. sec. Ioann. I. vit. c. 1 in libr. pontif.

Decreta Fel. IV.
Magno munere misericordie — spiritus in vinculo pacis. Cf. Sixt. II. pp. 4, ubi eadem leguntur.

[1] *Verba:* Ergo omnes — mortuus est Christus *addidi ex cod. Par. cit.* [2] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Par.* 3852.

salietur? et cetera. Ideo, charissimi, vos moneo, quia debitor sum vobis, et valde vos diligo, et quando bona audio de vobis nimis sum gavisus, et econtra, quando mala, nimis conturbatus. Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum atque maris intervalla disiunctus sim, sum tamen omnino vobis corde coniunctus, idque de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido, quia, cum me vicissim diligatis, a me longe non estis. Unde gratias referimus illi grano sinapis, qui ex modici despicabilisque seminis specie, ita ramis ex eadem radice surgentibus adque se distendentibus, usquequaque diffusis, ut in eis volatilia celi cuncta nidificent, gratiaque sit fermento illi quod tribus farinae[1] satis, totius humani generis massam in unitate conspersit, atque parvo lapidi, qui abscisus de monte sine manibus et occupavit universam faciem orbis terrae; qui ad hoc se usquequaque distendit, ut omni humano genere in hunitate redacto totius corpus perficeretur ecclesie adque ita ad totius conpagis pertineret[2] commodum membrorum partialis ista distinctio. Unde nos quoque longe non sumus, quia in illo qui ubique est, unum sumus. Agemus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua fecit, ut in omne orbe terrarum unus esset grex et unum ovile sub se uno pastore, semper memores qui nos veritatis predicator admoneat dicens: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Scripta sanctitatis vestrae, quae ad sedem apostolicam misistis super quibusdam consultis, quasi ad capud ut inde acciperetis responsa, unde omnis ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi et breviter vobis respondere curavi.

De ecclesiarum enim consecratione et de missarum celebrationibus non aliubi quam in sacratis domino locis absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus quibus sunt nota novi ac veteris testamenti praecepta. Tabernaculum vero Moysen domino precipiente fecisse et sacrasse cum mensa et altare eius et aeris vasis et utensilibus ad divinum cultum explendum legimus: et non solum divinis precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei unctione domino iubente perlinisse novimus. Qualiter autem hec facta sint et non alii ipsa sacra quam sacerdotes sacra unctione delibuti dominoque cum vestibus sanctis sacrati et levite tractabant, ferebant, erigebant et deponebant, in ipsis institutionibus que domino iubente per Moysen conscripte sunt, in lege domini repperitur: qualiter ergo David regum piissimus amplificaverit cultum dicitur[3] et templum domini edificare voluit, sed propter multum sanguinem quem effuderat prohibitus est et ipse collegerat expensas Salomonque filius eius idipsum quod ipse facere optaverat, iubente et auxiliante deo perfecit et templum cum altare et reliqua ad divinum cultum peragendum consecravit, in libro regum inter cetera legitur ita: Edificans, inquit Salomon, domino edificavi habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum convertitque rex faciem suam et benedixit omni ecclesiae Israel. Omnis enim ecclesia Israel stabat et ait: Benedictus dominus deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum et in manibus meis perfecit dicens: A die, qua eduxi populum meum Israel de Egypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israhel, ut edificaretur domus et esset nomen meum ibi, sed elegi David ut esset super populum meum Israel, voluitque David pater meus edificare domum nomini domini dei Israel et ait dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo edificare domum nomini meo, benefecisti, hoc ipsum mente tractans. Verumtamen tu non edificabis domum, sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis ipse edificabit domum nomini meo. Confirmavit dominus sermonem suum quem locutus est stetique pro David

Scripta sanctitatis vestrae — respondere curavi, sec. Innoc. I. ep. ad Fel. Nucer. pr. (H. no. 9.) et ad Vict. Roth. pr. (H. no. 7.) Cf. Anacl. 34, Evar. 1, Sixt. I. pp. 5, Marcelli 2, Iul. 6, Dam. de corep., Anast. I. ep. 1.

Qualiter ergo David — cultum peragendum, conc. Aquisgr. a. 836. lib. II. c. 16. 15.

Edificans, inquit Salomon — in die octava dimisit populos, III Reg. VIII. 13—66.

[1] *Sic* ferme *sec. Par.* 3852 *corr.* [2] *Sic* pertinere *sec. cod. cit. corr.* [3] *Par.* 3852: dei.

patre meo et sedi super thronum Israel, sicut locutus est dominus. Et edificavi domum nomini domini dei Israhel et constitui ibi locum arche, in qua fedus domini est quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Egypti. Stetit autem Salomon ante altare domini in conspectu ecclesie Israel et expandit manus suas in caelum et ait: Domine deus Israhel, non est similis tui in celo desuper et super terram deorsum, qui custodis pactum et misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo, qui custodisti servo tuo, David patri meo, que locutus es ei, ore locutus es, et manibus perfecisti, ut hec dies probat. Nunc igitur, domine deus Israel, et conserva David famulo tuo patri meo, que locutus es ei dicens: Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut ambulasti in conspectu meo. Et nunc, domine deus Israel, firmentur verba tua que locutus es servo tuo David patri meo. Ergone putandum est quod vere deus habitet super terram? Si enim celum et celi celorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam edificavi! Sed respice ad orationem servi tui et ad preces eius, domine deus meus. Audi, domine, hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte et die, super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem quam orat servus tuus in loco isto, ut exaudias deprecationem servi tui et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudias in loco habitaculi tui in celo, et cum exaudieris, propitius eris. Si peccaverit homo in proximum suum et habuerit aliquod iuramentum quo teneatur adstrictus, et venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in celo, et facies et iudicabis servos tuos condempnans impium et reddens viam suam super caput eius iustificansque iustum et retribuens ei secundum iustitiam suam. Si fugerit populus tuus super inimicos suos, quia peccaturus est tibi, et agentes penitentiam et confitentes nomini tuo venerint et oraverint et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in celo et dimitte peccatum populi tui Israel et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit caelum et non pluerit propter peccatum eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerint nomini tuo et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in celo: et dimitte peccata servorum tuorum et populi tui Israel et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram, quam dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia aut corruptus aer vel erugo, locusta, rubigo, et afflixerit eum et inimicus eius portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas, cuncta devoratio et inprecatio, que acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudias in celo in loco habitationis tuae et repropiciaberis et facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius, quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum, ut timeant te cunctis diebus quibus vivunt super faciem terre quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israhel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, — audietur enim nomen tuum magnum et manus tua fortis, et brachium tuum extensum ubique, — cum venerit ergo et oraverit in loco hoc, tu exaudies in celo, in firmamento habitaculi tui et facies omnia pro quibus invocaverit te alienigena, ut discant universi populi terrarum nomen tuum, sicut populus tuus Israhel, et probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc quam edificavi. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam edificavi nomini tuo et exaudies in celo orationem eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum. Quod si peccaverint tibi — non est enim homo qui non peccet — et iratus tradideris eos inimicis suis et captivi ducti fuerint in terra inimicorum longe vel prope et egerint penitentiam in corde suo in loco captivitatis et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus; et reversi

fuerint ad te in universo corde suo et tota anima sua in terra inimicorum suorum ad quam captivi ducti fuerant, et oraverint te contra viam terrae suae, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod edificavi nomini tuo, exaudies in celo, in firmamento solii tui, orationem eorum et preces, et faties iuditium eorum et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum quibus prevaricati sunt in te, et dabis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est et hereditas tua, quos eduxisti de terra Egypti, de medio fornacis ferree, ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui Israel, et exaudies eos in universis pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terrae, sicut locutus es per Moysen, servum tuum, quando eduxisti patres nostros de terra Egypti, domine deus. Factum est autem, cum conplesset Salomon orans dominum orationem et deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris domini. Utrumque enim genu in terra fixerat et manus expanderat ad celum. Stetit ergo et benedixit omni ecclesie Israel dicens: Benedictus dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, iuxta omnia que locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis que locutus est per Mosen servum suum. Sit dominus deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris non derelinquens nos neque proiciens, sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis eius et custodiamus mandata eius et ceremonias et iudicia quecumque mandavit patribus nostris et sint sermones mei isti quibusque deprecatus sum coram domino adpropinquantes domino deo nostro die ac nocte, ut faciat iuditium servo suo et populo suo Israel per singulos dies, et sciant omnes populi terre, quia dominus ipse est deus et non est alius absque eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum domino deo nostro, ut ambulemus in decretis eius et custodiamus mandata eius sicut et hodie. Igitur rex et omnis Israel cum eo immolabant victimas coram domino, mactavitque Salomon hostias pacificas quas immolavit domino, boum viginti duo milia, ovium centum viginti milia, et dedicaverunt templum domino rex et filii Israel. In die illa sanctificavit rex medium atrii quod erat ante domum domini. Fecit autem ibi holocaustum et sacrifitium et adipem pacificorum, quia altare aeneum quod erat coram domino minus erat et capere non poterat olocausta et sacrificium et adipem pacificorum. Fecit autem Salomon in tempore illo festivitatem caelebrem et omnis Israel cum eo multitudo magna, ab introitu Emath usque ad rivum Egypti coram domino nostro septem diebus et septem diebus, id est quatuordecim diebus, et in die octava dimisit populos. Iudei ergo loca, in quibus domino sacrificabant, divinis habebant supplicationibus consecrata, nec in aliis quam in domino dicatis locis munera domino offerebant. Si enim iudei qui umbrae legis deserviebant, haec faciebant, multo magis quibus veritas patefacta est et gratia et veritas per dominum data est, templa domino edificare et, prout melius possumus, ornare eaque divinis precibus et sanctis unctionibus suis cum altaribus et vasis, vestibus quoque et reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote et solemniter sacrare, et non in aliis quam in domino sacratis ab episcopis et non a chorepiscopis, qui sepe prohibiti sunt, nisi — ut predictum est — summa exigente necessitate missas celebrare, nec sacrificia domino offerre debemus. Et hoc si summa necessitas agere conpulerit, non in domibus, quia in sacris canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt, sed in tabernaculis divinis precibus pontificibus dicatis et in mensis domino sacratis et sacra unctione a pontificibus delibutis pro summa, ut profixum est, necessitate et non pro libitu cuiusquam et pigritia agatur. Satius ergo est missam non cantare aut non audire quam in his locis ubi fieri non oportet fore, nisi, ut sepe dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas legem non habet. Unde scriptum est: Vide ne offeras olocausta tua in omni loco

et non in aliis quam — legem non habet, Ben. III. 431. (conc. Par. a. 829. lib. III. c. 6, Const. Wormat. c. 12. L. 1, 342.) Cf. Ben. II. 208. Clem. 70.

Vide ne offeras — deus tuus, Deuter. XII. 13.

quem videris, sed in loco quem elegerit dominus deus tuus. Et in exodo legitur: Vos vidistis, quia de celo locutus sum vobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra faciétis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra. Oves vestras et boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei. Et sicut non alii quam sacrati domino sacerdotes debent missas cantare nec sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis quam in prefatis domino sacratis locis missas cantare aut sacrificia offerre licet. Si autem, ut legitur in concilio Laodicensse cap. XXVI. quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possunt, multo magis maioris gradus ministeria, nisi ab eis, qui ad eos gradus sunt sacrati, quibus fungi debent, officia agi debent vel sacrificia offerri licet. Quod autem, ut paulo superius prelibatum est, oblationes in domibus offerri non debent, in eodem concilio cap. LIX. prohibitum habet ita: Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis et presbiteris: solempnitates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos solempniter sunt celebrande, ipso domino exemplo dante, qui ad festum dedicationis templi omnibus id faciendum dans formam cum reliquis populis eandem festivitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: Facta sunt encenia Hierosolimis et hiemps erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Quod autem octo dierum sint enchenia celebranda, in libro regum peracta dedicatione templi repperietis.

De ecclesiarum consecratione quoties dubitatur et nec certa scriptura nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse sacrandas[1], nec talis trepidatio faciat deteriorem rationem[2], quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum. His, fratres, testimoniis scripturarum apostolica auctoritate consultis vestris breviter respondisse sufficiat. Vobis tamen previdendum est et omnibus predicandum ut inlicita non agantur et domini praecepta conserventur et fideliter peragantur. Rogamus autem vos, fratres, et dicta apostoli replicamus: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, pacientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Haec est enim voluntas dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere; prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonum est tenete. Ab omni spetie mala abstinete vos. Ipse autem deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur. Data Kalendas Martii Lampadio et Oreste vv. cc. consulibus.

[3]CUIUS SUPRA SABINE NOBILISSIMAE SCRIPTA EXORTATORIA.

Singulare membrum ecclesiae tuae religionis amplitudinem existere et a nobis reverentissime coli satis est omnibus manifestum: in ipso enim apice nobilitatis multo nobiliorem ecclesiae devotionem inpendis et magis laeta Christi agnitione praeceptis eius obtemperas et in fide potius exultas quam tanti generis flore iactaris. Summe virtutis est vicisse gloriam carnis et magna est Christi gratia nobilitatem

Vos vidistis quia — fuerit nominis mei, Exod. XX. 22—24.
quod hi qui — exorcizare non possunt, conc. Laod. (D.) c. 26.
Non oportet — et presbiteris, l. c. c. 58.
Facta sunt — in porticu Salomonis, Ioann. X. 22. 23.
De ecclesiarum consecratione — iteratum quod nescitur factum, Ben. III. 391. (c. 38. conc. Afric. D.), Leon. M. ep. 167. c. 16. (1,1427.) Cf. Greg. M. ep. ad Fel.
Corripite inquietos — domini nostri Iesu Christi servetur, I Thess. V. 14—23.
Not. cons. sec. vit. Fel. IV. c. 1 in libr. pontif.
Cuius supra Sabine.
Singulare membrum — per secula clariorem, Innoc. I. ep. ad Iulian. (H. no. 18.) Cf. Anast. I. pp. ep. 2.

[1] *Sic* sacrandos *corr.; Par.* 3852: consecrandas. [2] *Par. cit.* deteriorationem *pro* deteriorem rationem. [3] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

moribus superasse, domina filia merito inlustris. Certa igitur existens, dilectissima, vite huius quecumque sunt spatia aeternis divinisque officiis inlustrare contende, ut qui insignem te prestitit, reddat sibi per secula clariorem. Quapropter tuam hortamur dilectionem ut bonum quod cepisti semper implere non differas, quia non laudatur initium sed finis. Sapientiam etiam te ortamur diligere et scrutari, ut racionabiliter et sapienter disponas et iudices ea que tibi commissa sunt dicente domino per prophetam: Erudimini qui iudicatis terram. Time ergo deum et mandata eius serva et dilige eum totis visceribus et proximum tuum sicut teipsum. Deus altissimus creavit sapientiam in spiritu sancto et vidit et dinumeravit et mensus est et effudit illam super omnia opera sua et super omnem carnem secundum datum suum, et praebuit illam diligentibus se. Timor domini gloria[1] et gloriatio et letitia et corona exultationis. Timor domini delectabit cor et dabit letitiam et gaudium in longitudine dierum. Timenti dominum bene erit in extremis, et in die[2] defunctionis sue benedicetur. Dilectio dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiae timor domini et cum fidelibus in vulva concreatus est et cum electis feminis graditur et cum iustis et fidelibus agnoscitur. Timor domini sciencie religiositas. Religiositas custodiet et iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit. Timenti dominum bene erit et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiae est timere deum et plenitudo a fructibus illius. Omnem domum illius implebit a generationibus et receptacula a thesauris illius. Corona sapientiae timor domini, replens pacem et salutis fructum. Et vidit, et dinumeravit eam. Utraque autem sunt dona dei. Scientiam et intellectum prudentiae sapientia compartietur et gloriam timentium se exaltat. Radix sapientie est timere deum. Rami enim illius longevi. In thesauris sapientiae intellectus et scientie religiositas, execratio autem peccatoribus sapientia. Timor domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari: iracundia enim animositas illius, subversio illius est. Usque in tempus sustinebit patiens et postea redditio iucunditatis. Bonus sensus usque ad tempus abscondet verba illius et labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientiae significatio disciplinae: exsecratio autem peccatori cultura dei. Fili, concupiscens sapientiam, serva iustitiam et deus prebebit illam tibi. Sapiencia enim et disciplina timor domini et hoc quod beneplacitum est illi fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros illius. Contumax non sis et incredibilis timori domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu omnium[3] et non scandalizeris in labiis tuis. Adtende in illis, ne forte cadas et ponas scandalum anime tue et adducas inhonorationem tibi et revelet deus absconsa tua. Pro fide et iustitia ac pro salute animae certare semper et pro adiutorio fratrum viriliter age, ut a domino recipias remunerationem. Scriptum est enim: Fili, conserva tempus et devita a malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Nae accipias[4] faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendatium. Non reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore eius. In lingua enim agnoscitur sapientia et sensus et scientia et doctrina in verbis veritatis, et firmamentum in operibus iustitiae. Non contradicas veritati ullo modo et de mendacio ineruditionis tue confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subicias te homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis nec coneris contra ictum fluvii. Pro iustitia agonizare pro anima tua et usque ad mortem certa pro iustitia et deus expugnabit pro te

Quapropter tuam hortamur usque ad finem.
Cf. Dion. 1. ubi eadem leguntur.

[1] *Addidi* gloriam *ex cod. Par.* 3852. [2] *Sic* de *corr. sec. cod. cit.* [3] *Cod. cit.* hominum.
[4] *Sic* capies *corr. sec. cod. cit.*

inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et obprimens subiectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta.

His fulta scripturarum auctoritatibus semper sta recta et a via veritatis ne avertaris, ut gratiam dei adquiras et honorem, hominum amicitia fruaris tantoque tua facilius ab amore huius saeculi mens exeat, quanto et inpellitur dum vocatur. Nam nos et presentes vos videre cupimus et absentibus per epistolam saltem conloqui desideramus. Unde et obtamus ut vos beatus Petrus apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis gratia perfrui vestra presentia mereamur. Data XII. Kalend. Novemb. Lampado et Oreste vv. cc. conss.

[1] INCIPIT EPISTOLA BONEFATII PAPAE EULALIO EPISCOPO DIRECTA DE RECONCILIATIONE CARTAGINENSIS ECCLESIAE ET AFRORUM EPISCOPIS.

Bonifacius episcopus Eulalio coepiscopo salutem.

Olim et ab initio tantam percepimus a beato Petro apostolorum principe fidutiam, ut habeamus auctoritatem universali ecclesiae auxiliante domino subvenire et quicquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere et emendare. Ad hoc enim divinae dispositionis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores[2] potioribus exhiberent et potiores minoribus dilectionem inpenderent, una concordia[3] fieret ex diversitate contexio et recte offitiorum gereretur administratio singulorum, neque universitas alia poterit ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiae ordo servaret. Quia vero creatura in una eademque aequalitate gubernari vel vivere non potest, caelestium militiarum exempla nos instruunt, quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia non equales sunt, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? Hinc enim pax et caritas mutua se vice conplectuntur et manet firma concordia in alterna et deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur unumquodque tunc salubriter conpletur offitium, cum fuerit unus ad quem possit recurri prepositus, vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui[4] particeps fuit sollicitudinis, gaudiorum fructus redderetur extorris. Et ideo Cartaginensem ecclesiam[5] ad communionem nostram rediisse domino propitiante tradentibus significamus alloquiis, et mandatorum que legatis nostris dedimus in omnibus seriem fuisse completam. De qua parte, ut ad dilectionem tuam plenius perfecte gaudium perveniret, libellum Eulalii fratris et cumsacerdotis nostri, Cartaginensis episcopi et Iustini clementissimi principis Orientis sacrarum litterarum exemplaria pariter credimus destinanda, iudicantes nihilhominus per Orientis partes plurimos episcopos sic[6] fecisse.

Superest ut a nobis conpetentibus precibus divinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea vero que significare curabimus[7], in eorum sacerdotum qui fraternitati tuae vicini sunt, curabis perferre notitiam, ut et ipsi de effectu tante rei gratias nobiscum celestis misericordie beneficiis referre non cessent. Aurelius enim perfecte Cartaginensis ecclesiae olim episcopus, cum collegis suis instigante diabolo superbire temporibus predecessorum nostrorum Bonifacii atque Celestini contra Romanam ecclesiam coepit, sed

Not. cons. sec. vit. cit. c. 1.
Epistola Bonefatii.
Olim et ab initio — possit recurri prepositus. Cf. Dion. 2, ubi eadem leguntur.
vota nostra caritatem — beneficiis referre non cessent, Hormisdae ep. ad Ioann. (H. no. 89.)

[1] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.; adhibui cod. Par.* 3852. [2] *Sic* minorem *corr. sec. cod. Par.* 3852. [3] *Cod. cit.* concordiae. [4] *Sic* que *sec. cod. cit. corr.* [5] *Sic* ecclesie *sec. cod. cit. corr.* [6] *Sic* sicut *sec. cod. cit. corr.* [7] *Cod. cit.* curavimus.

videns se modo peccatis Aurelii Eulalius a Romane ecclesiae communione segregatum, humilians recognovit se pacem et communionem Romane ecclesiae petens subscribendo una cum collegis suis dampnavit apostolica auctoritate omnes scripturas quae adversus Romanae ecclesiae privilegia factae quocumque ingenio fuere.

EXEMPLAR PRECUM EIUS ET IUSTINI PREDICTI PRINCIPIS.

Prima salus est, recte fidei regulam custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare, et quia non potest domini nostri Iesu Christi pretermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et hec que dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica extra maculam semper est catholica servata religio. De qua spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes qui contra sanctam Romanam apostolicam ecclesiam superbiendo suas erigunt cervices, sequentes in omnibus apostolicam sedem et predicantes eius omnia constituta: et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica predicat, esse merear, in qua est integra et vere christiane religionis et perfecta soliditas, promittens sequestratos a communione ecclesiae catholice, id est non consentientes sedis apostolicae, eorum nomina sacra inter non recitanda esse ministeria[1]. Quod si in aliquo a[2] professione mea deviare temptavero, his quos dampnavi conplicem mea sententia esse profiteor, hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, et Bonefacio sancto et venerabili papae urbis Romanae direxi, dampnans et[3] antecessores et successores meos, et omnes quales sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae privilegia accussare[4] nituntur.

Hinc enim supernae misericordie documentum perdocetur quando et mundani principes causas fidei cum reipublice ordinatione coniungunt et ecclesiarum presules quod ad dispensationem suam pertinet officii memores exsecuntur. Talibus enim indigebat post discordie procellas religio christiana rectoribus, qui conpressis provida dispensatione turbinibus diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, ut in futura post secula ad propositi sui exempla tendentes sibi adscribendum indubitanter ostenderent quicquid domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus dominum, fratres carissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, et totis orationum et curarum viribus adnitamur ut, que dei opere bene coepta sunt, ipso adiuvante per omnia compleantur. Sperandum enim est ut ad conpagem corporis sui reliqua que adhuc divisa[5] sunt membra festinent et a potioribus minora non discrepent. Ad quod cum me dilectio tua christiano studio caritatis hortatur, debet quod invitat sequi, et quod amandum suadet amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes per religiosam pacienciam, par etiam premium de boni operis speramus affectu. Neque enim difficultatibus est cedendum[6]. Non enim fatigatur asperis fides nec ad celorum ardua per proclive tenditur, nec remunerationem citra laboris exercitium quis meretur. Unde ne facientes bona deficiamus specialiter admonemus etiam teste psalmista: Beati qui custodiunt iuditium et faciunt iustitiam in omni tempore, quia non initium laboris remunerationem premii consuevit invenire, sed terminus. Ergo studium sollicitudinis assumentes, quibus est una in communione societas et credulitas, quemadmodum de unitate sedis apostolicae et Constantinopolitanae ecclesiae pariter exultemus in domino, ita de reliquorum quoque sicut affectione admones, redintegratione letemur,

Exempl. prec.

Prima salus — catholica servata religio, Horm. ep. ad Hisp. episc. (H. no. 92.) Cf. Euseb. 19.

qui contra sanctam — erigunt cervices, c. 42. conc. III. Carth. Cf. Clem. 34.

sequentes in omnibus apostolicam — papae urbis Romanae direxi, libellus fidei Ioannis Const. ad Hormisd. (H. no. 88.)

Hinc enim supernae misericordie — libellorum obtulerint inseratur, Hormisdae ep. ad Epiphan. (H. no. 93.)

[1] *Cod. cit.* mysteria. [2] *Sic posui pro:* aliqua. [3] *Sic* dampnasse *sec. cod. Par.* 3852 *corr.* [4] *Cod. cit.* cassare. [5] *Sic* dei vasa *corr.* [6] *Sic* credendum *sec. cod. Par.* 3852 *corr.*

et curemus primum, ut fidem integritatemque nostram inmaculatam ab omni contagione servemus. Nosti enim, frater karissime ac sanctissime, quia ecclesie tuae servant vincula concordiae quae nos ab hereticorum tueatur insidiis, per quam etiam canonum custoditur auctoritas. His in robore suo omni circumspectione servatis remedia sperantibus conservantur. Habet enim ecclesiasticarum ordo regularum et ipsius forma iustitiae, ut medicina rationabilis benigne et fideliter sperantibus non negetur, nec quisquam[1] ita est ab humanitate discretus, quem non a rigore districtionis inclinet cauta simplicitas. Sed ut caute hoc ceterasque querelas aut errores alicuius evi valeas expedire, dilectissime frater, personam meam te in hoc oporteat induere scientem in huiusmodi causis, sicut predictum est, quid cavendum sit et ita omnia previdendum, ut te non ambigas rationem dispensationis huius deo esse reddendam: ita tamen ut eos qui vobis fuerunt communione sociati, vel per vos sedi apostolice vestra nobis scripta declarent, quibus etiam et que continentiam libellorum obtulerint inseratur. Sic quoque humilitatem debemus tenere in mente, ut inde ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus in nobis nec humilitas timenda nec ratio sit superba. Omnipotens deus, karissime, sua te protectione custodiat atque ad caelestis remunerationem patriae multiplici animarum fructu perducat. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. Amen. Data VII.[2] Kalend. Octobris Valentiniano II. et Horesto[3] vv. cc. conss. Explicit.

[4]INCIPIUNT DECRETA IOHANNIS PAPAE.

Reverentissimo fratri Valerio episcopo Iohannes.

Scripta tuae sanctitatis suscipiens plena ea fidei regula qua plurimum polles inveni et deo gratias retuli quod anima et corpore te bene vigere didici. Sane ea que significasti, quosdam dicere quod non sit filius equalis patri et quod in evangelio scriptum sit: Pater maior me est, scias non recte intellegere tales fidei regulas, nec rectam fidem penes se habere. Paulus quippe apostolus non secundum deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed secundum humane nature substantiam eumdem creatum adfirmat, ipso Ephesiis conscribente: Renovamini, inquit, spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui secundum deum creatus est in iustitia et veritate sanctitatis. Et ad Hebreos: In eo enim in quo passus est ille et temptatus est, nam potens est his qui temptantur auxiliari. Unde sanctae vocationis participes[5] semper caelestis considerate[6] apostolum et pontificem confessionis nostrae Iesum, fidelem existentem ei qui creavit eum. Et ad Colossenses: Nunc autem deponite et vos universa: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam; turpiaque ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis[7] et induentes novum cum eo qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit eum. Numquid is qui universam creaturam visibilia et invisibilia propriae potestatis virtute procreavit ac fecit, seipsum antea vel postmodum, quod dicere nefas est, creavit vel facere potuit? Filius minor est patre in adsumpti hominis forma, aequalis vero patri est in deitatis naturae substantia eodem protestante: Ego et pater unum sumus. Et iterum: Qui me videt, videt et patrem. Et iterum: Qui me odit, et patrem meum odit.

Sic quoque humilitatem — nec ratio sit superba, Greg. M. ep. V. 43. (2, 771.)
Omnipotens deus—fructu perducat, eiusd. ep. IX. 121. (2, 1028.) Cf. Clem. 55, Dam. ad Ital.
Deus te incolumem — frater, Greg. III. ep. ad Bonif. (int. ep. S. Bonif. no. 25. p. 68.) Cf. Clem. 55, Telesf. 5.
Not. cons. fictitia.
Decreta Iohannis.
Scripta tuae — plena, Hormisdae ep. ad Salust. (H. no. 94.)
Paulus quippe apostolus non — quia veritas mentiri non potuit, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 728. 729.) Cf. Vigin. 1.

1 *Sic* quicquid *corr. sec. cod. cit.* 2 *Cod. cit.* VIII. 3 *Cod. cit.* Oreste. 4 *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852. 5 *Sic* particeps *corr. sec. cod. Par.* 3852. 6 *Sic* considerante *corr. sec. cod. Par.* 3852. 7 *Verba:* expoliantes — actibus suis *restitui ex cod. cit.*

Et iterum: Ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Et iterum: Ut sint in nobis unum, sicut et nos sumus unum. Tu in me et ego in eis. Et iterum: Omnia mea tua sunt. Et iterum: Ego in patre et pater in me. Et iterum: Pater in me manens facit opera hec. Et Iohannes evangelista ait: In principio erat verbum et verbum erat apud deum, et deus erat verbum. Et iterum ipse ad Parthos: Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra: aqua, sanguis et spiritus. Tres in nobis sunt et tres qui testimonium perhibent in caelo, pater, verbum et spiritus. Et hi tres unum sunt. Nos itaque in natura deitatis, quia unum sunt pater et filius, nec patrem credimus aliquo tempore praecessisse, ut maior sit filio, nec filium postea natum esse, ut deitate patris minoretur. Si equalis patri filius non est, cur ita de illo Iohannes evangelista testatus est: Propterea, inquit, persequebantur iudei Iesum et querebant eum occidere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat deum, equalem se faciens deo. Et Paulus apostolus: Hoc sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cum in forma dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se equalem deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Et in Salomone: Genuit me, requievit in tabernaculo meo. Et Isaac[1]: Sicut est ab initio, ita usque in seculum, neque adiectum est ei, neque minuitur illi: ipse est dominus creaturae suae, qui nihil eguit ab aliquo. Et in psalmo LXXII.: Quid enim mihi est in celo, et ad te quid[2] volui super terram. Haec omnia filium non inferiorem natura demonstrant, sed aequalitatem deitatis adnuntiant, quoniam qui utraque locutus est, verum dixit, quia veritas mentiri non potuit. Taliter, frater karissime, semper age, ceterosque omnes agere mone, ut abolito hoc qui natus videbatur errore, in laudem et gloriam dei per totum mundum una fides sit et una eademque confessio, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. Data pridie[3] Nonas Augusti Iustiniano et Atalarico vv. cc. conss.

[4]INCIPIT DECRETALIS EPISTOLA AGAPITI PAPAE ANTEMIO CONSTANTINOPOLITANO EPISCOPO DIRECTA DE DUABUS NATURIS IN UNO CHRISTO.

Agapitus episcopus Antemio episcopo salutem.

Multo gaudio essem repletus, si te talem circa ecclesie pacem et gloriosissimi imperatoris atque populi doctrinam repperissem, qualem te in primordio esse audivi. Sed nunc quia didicimus a reverentissimis fratribus te contra statuta patrum imperatorem et reliquos docere, ita ut negata humanae carnis atque animae veritate tantum dominum nostrum Iesum Christum unius assereres esse nature, tamquam verbi deitas ipsa se in carnem animamque verterit, tamquam concipi, nasci, nutriri et crescere, crucifigi ac mori, sepeliri ac resurgere et ascendere in caelum, sedere ad dexteram patris, venire ad iudicandos vivos et mortuos, divinae tantum voluntatis fuerit, que nihil horum in se sine carnis recipit veritate: quia natura unita naturae patris natura est spiritus sancti simulque inpassibilis simulque incommutabilis sempiternae trinitatis indivisa unitas et unius voluntatis equalitas. Unde si aliquis male voluntatis homo aut infidelis quisque desciscit, ne convinca-

ut abolito hoc qui — gloria est dei patris, Leon. M. ep. 33. c. 2. (1, 867.)

Not. cons. sec. vit. Ioann. II. c. 1 in libr. pontif. *Epistola Agapiti.*

Antemio sec. vit. Agap. in libr. pontif. c. 3.

Multo gaudio essem — primordio esse audivi, init. ep. Hormisd. ad Epiphan. (H. no. 93.)

gloriosissimi imperatoris. Cf. Agap. vit. c. 3—5 in libr. pontif.

Sed nunc quia — populus docere, vit. Agap. l. c.

ita ut negata humanae — hominem credi et verbum, Leon. M. ep. 165. c. 2 — c. 6. (1, 1357.)

[1] *Par.* 3852: Isaias. [2] *Sic* qui *corr. sec. cod. cit.* [3] *Cod. cit.* II. [4] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

tur deitatem passibilem sentire atque mortalem et tamen verbi incarnati, id est verbi et carnis unam ausus fuerit pronuntiare naturam, manifeste in apertam et ideo odibilem transit insaniam, qui mediatorem dei et hominum hominem Iesum Christum simulatorie credit omnia egisse, nec verum in ipso corpus, sed fantasma eius corporis speciem oculis aparuisse cernentium. Que impietatis mendatia quoniam olim fides catholica detestatur, et aliorum asertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt dampnata sententiis, non dubium, eam nos fidem predicare atque defendere quam sancti apostoli docuerunt et actenus eorum suorumque successorum sequens sancta haec Romana et apostolica ecclesia doctrinam tenuit ac tenet, docuit et docet. Siquidem enim ita sunt obcecati et a lumine veritatis alieni, ut verbi dei a tempore incarnationis denegent veritatem, ostendant in quo sibi christianum nomen usurpent et cum evangelio veritatis aequa ratione concordent, si per virginis partum aut caro sine deitate aut deitas est orta sine carne. Sicut enim negare[1] non potest evangelista dicente quod verbum caro factum est et habitavit in nobis, ita negari non potest beato apostolo Paulo predicante, quod deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Que autem reconciliacio esse posset qua humano generi repropiciaretur deus, si hominis causam mediator dei hominumque non susciperet? Qua vero ratione veritatem mediatoris implet, nisi qui in forma dei equalis est patri, in forma servi particeps esset et nostri, ut mortis vinculum unius prevaricatione contractum unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur? Effusio enim iusti sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent[2]; quoniam sicut apostolus ait: Ubi abundavit peccatum, superhabundavit et gratia. Et cum sub peccati preiuditio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis quam debitum servitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti presidio spem relinquunt, qui in salvatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant quo sacrifitio reconciliati, dicant quo sanguine sunt redempti? Qui[3] est, ut apostolus ait, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suavitatis? Aut quod umquam sacratius fuit sacrifitium quam quod verus et aeternus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis inposuit? In conspectu domini pretiosa iustorum mors fuit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiae, non dona iustitiae. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit, cum filius hominis, unus solus dominus noster Iesus Christus, qui vere erat agnus inmaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati, de quibus ipse dicebat: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Fides enim iustificans impios et creans iustos ad humilitatis retracta participium, in illo adquirit salutem in quo solus homo se invenit innocentem, liberum habens per gratiam dei de eius potentia gloriari, qui contra hostem humani generis in carnis nostrae humilitate congressus his victoriam suam tribuit in quorum corpore triumphavit. Licet ergo in uno domino Iesu Christo vero dei adque hominis filio verbi et carnis una persona sit, que inseparabiliter atque indivise communes habeat actiones, intellegendae tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sic verae fidei contemplatione cernendum est, ad quae proveatur humilitas carnis, et ad que inclinetur altitudo deitatis; quid sit quod caro sine verbo non agit, et quid sit quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia nec conciperet virgo nec pareret, et sine veritate carnis obvoluta pannis infancia non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent magi puerum stella indice declaratum, sine veritate carnis non iuberetur transferri in Egyptum puer et ab Herodis persecutione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris missa de celo: Hic

[1] *Par.* 3852: negari. [2] *Sic* nullo diaboli vinculo retineret *corr. sec. cod. cit.* [3] *Cod. cit.* quis.

est filius meus dilectus in quo mihi bene conplacui, ipsum audite. Et sine veritate carnis non protestaretur Iohannes: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium et vivificatio mortuorum. Et sine veritate carnis nec cibus ieiuno nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo sine verbi potentia non se dominus patri profiteretur[1] equalem. Et sine veritate carnis non idem diceret patrem se esse maiorem[2], cum catholica fides utrumque suscipiat utrumque defendat, que secundum confessionem beati apostoli Petri unum Christum dei vivi filium et hominem credit et verbum. Christus vero deus noster ita inter deum et hominem mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis et insolita solitis temperaret. Quid igitur? Cum Christus sit deus et homo, loquitur homo et calumniaris deo? Ille in se naturam commendat humanam, in illo audes deformare divinam? Gemina est ergo substantia Christi, divina scilicet, qua aequalis est patri, humana vero qua minor est patre: utrumque autem simul[3] non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas deus. Sicut enim unus[4] est homo in[5] anima rationali[6] et caro, sic unus est Christus deus et homo, et per hoc Christus deus anima rationabilis et caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Deus te convertat in bonum, frater, et rectam fidei normam te in omnibus tenere et docere concedat. Amen. Data Kal. Maii Iustiniano quarto et Deodato vv. cc. consulibus. Explicit.

[7]INCIPIT EPISTOLA AMATORIS EPISCOPI SILVERIO PAPE DIRECTA.

Beatissimo Silverio Amator episcopus.

A quibusdam, pater dilectissime, illis a partibus adventantibus audivimus vos a sede[8] sancti Petri iniuste pulsum exilio destinatum. Quod nimis grave ferentes misimus parva munuscula, id est argenti libras XXX, ad vestram vestrorumque sustentationem, que petimus ut ita grato animo suscipiatis, sicut grata mittuntur intentione. Precamur quoque ut per vestram epistolam nobis remandare[9] non dedignemini qualiter circa vos sit actum[10] vel modo agitur, ut certam rationem de vobis scire et fratribus valeam nunciare. Quid enim putas de nobis fieri, pater summe, cum de summo pastore et vicario sancti Petri talia fiunt? Vos tamen nolite multum tristari, sed confortamini semper in domino, quoniam potens est divinitas inmense tempestatis incerta bono serenitatis amovere. Ora pro nobis, beatissime papa. Explicit.

[11]INCIPIT RESCRIPTUM SILVERII PAPAE AMATORI EPISCOPO DIRECTUM.

Dilectissimo atque amantissimo[12] Amatori episcopo Silverius.

O quam bona et caritas que absentia per imaginem, praesentia[13] sibimet ipsi exhibet per amorem. Divisa unit, confusa ordinat, inequalia sociat, inperfecta

Christus vero deus — Christum in singulis confitemur, Augustinus in ep. Leon. cit. (1, 1391.)

Not. cons. sec. Agap. vit. cit. c. 2.

Epistola Amatoris.

Vos tamen nolite multum tristari, Nehem. VIII. 10.

sed confortamini semper in domino, Ephes. VI. 10.

quoniam potens — serenitatis amovere, Ennod. ep. IV. 24. (p. 126.) Cf. Anacl. 8.

Rescriptum Silverii.

O quam bona — plenum te esse repperio, Greg. M. ep. V. 53. (2, 780.) Cf. Sixt. III. pp. ep., Greg. M. ad Fel.

[1] *Sic* profitetur *corr. sec. Par.* 3852. [2] *Cod. cit.* patre se esse minorem *pro* patrem — maiorem. [3] *Verba:* humana vero — autem simul *restitui ex cod. cit.* [4] *Cod. cit.* unum. [5] *Om. cod. cit.* [6] *Cod. cit.* rationalis. [7] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852. [8] *Sic* ad sedem *corr. sec. Par.* 3852. [9] *Cod. cit.* remendare. [10] *Sic* tecum *corr. sec. cod. cit.* [11] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852. [12] *Restitui ex Par.* 3852. [13] *Verba:* per imaginem praesentia *restitui ex cod. cit.*

perficit. Quam recte praedicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem ceterae perfectionem generant, sed tamen eas caritas ligat, ut ab amatis[1] mente dissolvi iam nequeant. Hac itaque virtute, frater charissime, plenum te esse repperio, dum non solum de me suscitando et visitando curam habes, sed etiam bonis tuis me fulcire et sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sint, nec enarrare nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia vero patricia[2] infesta mihi erat, eo quod non restituebam Antemium dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctae memoriae Agapitus predecessor meus suis meritis dampnavit. Urgente quoque eius iussione exierunt quidam falsi testes dicentes adversum me crimina, quorum numquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accussatione persisterent, timuit Vvilisarius patritius noster et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium principis et ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum qui mecum veniebat, et nullum permisit introire, nisi me solum et Vigilium diaconem nostrum. Me vero vi retento et ante praedictam patriciam deducto miserunt me in exilium, in quo modo sustentor pane tribulationis et aqua angustiae. Ego tamen propterea non dimisi nec dimitto officium meum, sed cum episcopis quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt anathematizavi, et una cum illis apostolica et synodali auctoritate statui nullum umquam taliter decipiendum sicut deceptus sum, et si aliquis deinceps ullum umquam episcoporum[3] ita deciperet, anathema marenata fieret in conspectu dei et sanctorum angelorum. Similiter sanctorum patrum roborantes decreta statuimus, licet sepissime iam statutum fuerit, nec falsos nec inimicos nec suspectos accusatores vel testes umquam super episcopos suscipi eisque nullatenus nocere posse, quia[4] falsam aut suspectam aut odiosam vocem aut funestam potius interdici quam audiri sanctis patribus placuit. Summopere, carissime, tales cavendi sunt et avertendi atque reitiendi, nisi innocentes apparuerint, quia non solum ecclesiasticae, sed etiam saeculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt; unde scriptum est: Os impiorum devorat iniquitatem; et dominus per prophetam loquitur dicens: Cum sancto sanctus eris et cum viro innocente innocenter agis, cum electo electus eris et cum perverso subverteris; et apostolus inquit: Pervertunt mores bonos conloquia mala. Idcirco, ut iam praelibatum est, mali semper cavendi, et bonis atque benivolis est inherendum, ut periculum desidiae, quantum possumus, declinemus, et ne pestis haec latius divulgetur, severitate qua possimus abscidamus, quoniam non temeritas intervenit praesumptionis ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque vestrum hac informatione apostolica fultus iuxta vires suas, et fraterna dilectione ac sancta religione mores proprios conservare et in communi alterutrum adiuvare et in caritate permanere et dei voluntati indesinenter studeat inhaerere, ut simul laudantes dominum indefessas illi semper gratias agamus. Vale in Christo, karissime, et praedicta prout melius poteris, domino opem ferente, adimplere et reliquos fratres apostolica auctoritate informare studeto. Data IX. Kalend. Decembris Iustiniano V. et Vvilisario vv. cc. conss. Explicit.

Quanta autem mala — sanctorum angelorum sec. vit. Silver. c. 6—9. in libr. pontif.
nec suspectos — suscipi, Ben. III. 107. Cf. Pont. 9, Iul. 18, Pelag. II. pp. ep. 1 i. f., ep. 3.
quia falsam — patribus placuit sec. c. 3. C. Th. IX. 6. aut Ben. III. 322 i. f. aut c. 28 Angilr. Cf. Euseb. 18.
Summopere carissime — informare studeto. Cf. Fab. 7, ubi eadem leguntur.
Not. cons. sec. Silverii vit. c. 2. in libr. pontif.

1 *Cod. cit.* amantis. 2 *Sic* patria *corr. sec. cod. cit.* 3 *Verba:* taliter deceptum — episcoporum *restit. sec. cod. cit.* 4 *Sic* qui *corr.*

[1] INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS VIGILII PAPAE AD PROFUTURUM EPISCOPUM.

I. De Priscillianistis qui ab esu carnium se subtrahunt.
II. De trina mersione.
III. De his qui ab Arrianis iterum baptizantur.
IV. De ecclesiarum restauratione in fabricis vel dedicatione quid sit observandum.
V. De paschae festivitate et praecum ordine ac missarum solempnitate.
VI. Quod in nomine trinitatis debeat baptizari.
VII. Quod beati apostoli Petri Romane scilicet ecclesiae sedes sacerdotalis mater sit dignitatis atque ecclesiasticae magistra rationis.

I. Dilectissimo fratri Eutero Vigilius.

Directas ad nos tue caritatis epistolas plenas catholicae inquisitionis sollicitudine gratanter accepimus benedicentes dei nostri clementiam, quia tales extremis mundi partibus dignatur suis ovibus providere pastores, per quos et pascuis valeant salutaribus abundare et ab iniqui lupi rapacitate servari, ut insidias nequeant eius subreptionis incurrere. Unde certum est quia promissae vos beatitudinis gratia subsequatur, quando a vobis caelestium perfectio doctrinarum tanta votiva suscitatione perquiritur. Scriptum est enim: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hoc igitur, frater karissime, propositum tuae consultationis tota mente tractantes, de te quoque provenire confidimus, qui regulam catholicae fidei hiisdem studes tenere vestigiis quibus eam apostolica fide cognoscis esse fundatam. Et quamvis sonus eorum toto orbe diffusus et usque ad fines orbis terrae verba eorum distensa dilectionis tuae corda Christo probaverunt esse fidelia, tamen si quid ex his in ecclesia, quae tuae gubernationi deo auxiliante commissa est, necdum plena luce claruerit[2], ad eundem fontem de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis, id est quod debita caritate sumus amplexi, quia fiducialiter de his, unde apud eos observantiam esse dixistis ambiguam, nostra voluistis responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in domino salutantes de singulis quid iuxta catholicam disciplinam teneat apostolice sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum.

Ac primum de his quos Priscillianae heresis indicasti vitiis inquinari sanctae et convenienti religioni catholicae eos detestatione iudicas arguendos, qui ita se sub abstinentiae simulatae praetextu ab escis videntur carnium submovere, ut hoc exsecrationis pocius animo quam devotionis probentur efficere: in qua re quia nefandissimis Manicheis esse consimiles approbantur, iuste[3] patrum venerabilium constitutis ab hac superstitione sub anathematis sunt interminatione prohibiti, quando aliquid ciborum contagione carnium credunt esse pollutum, quia de his omnibus que ad humanum victum misericordia divina concessit, nihil a catholicis esse indicatur inmundum. Sic enim Titum doctor gentium Paulus monet apostolus dicens: Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia; deum confitentur se nosse, factis autem negant, abhominabiles et increduli et ad omne opus bonum reprobi. Similiter et alio in loco ad Timotheum de huiusmodi cavendis erroribus praedicavit dicens: In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in ypocrisi loquentium mendatium et cauteriatam[4] habentium suam conscientiam, prohibentes nubere et abstinentes a cibis, quos deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et his qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura dei bona et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Haec igitur sequentia patrum venerabilium constituta, specia-

Epistola Vigilii. — *c. I—VI.* epistola Vigilii in coll. Hisp. (ed. cit. no. 96. p. 154.) prolata.

[1] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852. [2] *Sic* claruerint *corr. sec. ed. cit. coll. Hisp.* [3] *Sic* iuxta *corr. sec. Hisp.* [4] *Sic* cauteratum *corr. sec. Hisp.*

liter eos censuerunt esse dampnandos, qui cum carnibus abstinerent, ea quoque credebant esse vitanda quae[1] carnibus fuisse videbantur admixta. Nam et ipse dominus noster Iesus Christus ita praemonuit dicens: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed que procedunt de ore, haec sunt que quoinquinant. Quapropter nec abstinentiam deo placitam reprobamus, nec eos qui execrantur domini creaturam recipimus in nostra societate.

II. De renascentium trina mersione.

De baptismo quoque solemniter adimplendo similiter, quid apostolica vel sanxerit vel conservet auctoritas, in subiectis tua caritas evidenter agnoscet. Illud autem novelli esse iudicamus erroris, quod cum in fine psalmorum ab omnibus catholicis ex more dicatur: Gloria patri et filio et spiritui sancto, aliqui, sicut indicás, subducta una syllaba coniunctiva perfectum conantur minuere vocabulum trinitatis dicendo: Gloria patri et filio[2] spiritui sancto. Quamvis ergo ipsa nos ratio evidenter edoceat, quia subducta una sillaba personam filii et spiritus sancti unam quodammodo esse designent, tamen ad errorem talium convincendum sufficit, ut quod dominus Iesus Christus designans in invocatione trinitatis credentium debere baptisma celebrari dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Ergo cum non dixerit: In nomine patris et filii[2] spiritus sancti, sed equalibus distinctionibus, patrem et filium et spiritum sanctum iusserit nominari, constat illos omnino a deo doctrina deviare, qui aliquid huic voluerint confessioni derogare. Qui si in errore permanserint, socii nobis esse non possunt.

III.[3] De his etiam qui baptismatis gratia salutaris accepta apud Arrianos iterum baptizati profunde voraginis sunt morte demersi, quid[4] per singulos ordines vel aetates antecessorum nostrorum decreta censuerunt, quae multiplici sunt ratione et nostro scrutinio relevata capitula his subiecta direximus[5], in quibus tamen illud speciali caritate etiam convenit observari, ut quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipsa surrexit in aestimatione tuae fraternitatis aliorumque pontificum per suas dioeceses relinquatur, ut si qualitas et penitentis devotio fuerit adprobata, indulgentiae quoque remedio sit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam inpositionem manus quae per invocationem sancti spiritus operatur, sed per illam qua poenitentiae fructus adquiritur et sancte communionis restitutio perficitur.

IV.[6] De fabrica vero cuiuslibet ecclesiae, si dirupta fuerit, instauranda et si in eo loco consecrationis sollempnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus efficere, sed per eam minime aqua exorcitata iactetur, quia consecrationem cuiuslibet ecclesiae, in qua spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantum scimus esse missarum, et ideo si qua sanctorum basilica a fundamentis etiam fuerit innovata, sine aliqua dubitatione cum in ea missarum fuerit celebrata sollempnitas, totius sanctificatio consecrationis implebitur. Si vero sanctuaria que habebat ablata sunt, rursus earum depositione et missarum sollempnitate reverentiam sanctificationis accipiet.

V.[7] Pascha vero futurum nos, si deus voluerit, [8]Kalendarum Maiarum die celebraturos esse cognoscite. Ordinem quoque precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata deo munera consecrare. Quoties vero paschalis aut ascensionis domini vel pentecostes et epiphaniae sanctorumque dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctae solempnitatis aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus, cetera vero ordine consueto persequimur. Quapropter et ipsius canonice precis textum direximus subter adiectum, quem deo propitio ex apostolica traditione suscepimus; et ut

[1] *Sic* qui *corr. sec. Hisp.* [2] *Cod. addit:* et, *quod Hisp. omittit et delendum est.* [3] *Par.* 3852 *addit rubricam:* De his qui ab Arrianis iterum baptizantur. [4] *Sic* qui *corr. sec. Hisp.* [5] *Sic* dixerimus *corr. sec. Hisp.* [6] *Par.* 3852 *add. rubricam:* De ecclesiarum restauratione in fabricis vel dedicatione quid sit observandum. [7] *Cod. cit. add. rubricam:* De paschae festivitate et precum ordine et missarum solemnitate. [8] *Cod. cit. add.* X.

caritas tua cognoscet quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, paschalis diei preces simul adiecimus. Sic igitur fraternitatis tuae inquisitioni responsis, deum nostrum quantum possumus exoramus, ut omnibus catholicae religionis ecclesiis circa universos quos sibi fideles efficit, gratiae suae dona multiplicet et ab omnibus insidiis spiritalis hostis atque carnalis cunctos populos suos redigere dignetur immunes. Significatur etiam beatorum apostolorum vel martyrum sicut speramus sancto nos affectui tuo direxisse reliquias, praesumentes fidem vestram eorum deinceps plenius esse meritis adiuvandam.

VI. Quod in nomine trinitatis debeat baptizari.

Si quis episcopus aut presbiter iuxta praeceptum domini non baptizaverit in nomine patris et filii et spiritus sancti, sed in una persona trinitatis, aut duabus aut in tribus patribus aut in tribus filiis aut tribus paracletis proiciatur de ecclesia dei.

VII. Quod beati apostoli Petri Romanae scilicet ecclesiae sedes sacerdotalis mater sit dignitatis atque ecclesiasticae magistrationis.

Nulli vel tenuiter scienti vel pleniter sapienti dubium est, quod ecclesia Romana fundamentum et sors[1] sit ecclesiarum, a qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat: quoniam licet omnium apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, ut ceteris praeemineret, unde et Cehpas vocatur, quia capud et primus est omnium apostolorum. Et quod in capite praecessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem sancta Romana ecclesia eius merito domini voce consecrata et sanctorum patrum auctoritate roborata primatum tenet omnium ecclesiarum, ad quam tam summa episcoporum negotia et iudicia atque querellas quam et maiores ecclesiarum quaestiones, quasi ad capud semper referenda sunt. Nam et qui se scit aliis esse praepositum, non moleste ferat aliquem esse sibi praelatum. Ipsa namque ecclesia quae prima est ita reliquis ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in parte sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudine potestatis, unde omnium appellantium apostolicam sedem episcoporum iudicia et cunctarum maiorum negotia causarum eidem sanctae sedi reservata esse liquet, praesertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum consultum: cuius tramiti si quis obviare temptaverit, sacerdotum causas se non sine honoris sui periculo apud eandem sanctam sedem noverit redditurum. Data Kalend. Martii Vvilisiario et Ioanne vv. cc. conss. Explicit.

[2] INCIPIUNT DECRETA PELAGII PAPAE. VIII.

Pelagius episcopus Vigilio coepiscopo salutem.

Gaudeo fidei devotionis tuae quod religiosum studium et divinum offitium dignanter inpendis et maxime quod fidei inimicos emularis apostolicae sedis quaerens exempla. Didici sane tam per latorem tuarum litterarum quam et per

c. VII. *Nulli vel — nemo recte credentium ignorat* sec. Innoc. I. ep. ad Dec. Eugub. pr. (H. no. 6.) Cf. Marcelli 1.
quoniam licet omnium — caeteris praeemineret, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 691.) Cf. Clem. 29, Anacl. 33, Melch. 3, Iul. 9.
ad quam tam summa — referenda sunt sec. Innoc. I. ep. ad Vict. Rotom. c. 3. (H. no. 7), Ben. II. 381. III. 109. adhib. eiusd. ep. ad Fel. Nucer. pr. (ibid. no. 9.) Cf. Anacl. 17. 34, Zepher. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.
Nam et qui se — sibi praelatum, Leon. M. ep. 14. c. 11. (1, 692.) Cf. Iul. 9. 11. 17.
Ipsa namque — in plenitudine potestatis eiusd. ep. cit. c. 1. (1, 686).
unde omnium — reservata esse liquet l. c. (2, 683.) Cf. Dam. 18. (Marcelli 1.)
praesertim cum — expectandum consultum, l. c. (1, 686.) Cf. Dam. 18. 19.
cuius tramiti — temptaverit, Sir. ep. ad Eum. c. 1. (H. no. 3.) Cf. Sixt. II. pp. 1. 4, Fel. IV. pp. ep. 1.
Not. cons. sec. Vigilii vit. c. 1 in libr. pontif.
Decreta Pelagii.
Gaudeo fidei devotione — dignanter inpendis, Leon. M. ep. 70. (1, 1009.)

[1] *Cod. Par.* 3852: forma. [2] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

litteras tuas quod sint quidem penes vos qui dicentes garriunt: Qualiter pater et filius unus potest esse deus, cum praeter patrem alius non sit deus, qui dicatur ingenitus atque invisibilis? Hi sane si scirent donum dei et vere fidei regulas intellegerent, nequaquam talia musitarent; sed quia non habentes mundum cor quod videre secreta dei et intellegere mysteria valeant divina, et mundanda sunt prius corda eorum per penitentiam ut intellegere postmodum et capere lumen veritatis possint. Quibus tamen ad eorum ac multorum inluminationem corrigendo talium errorem apostolica auctoritate respondendum est ita: Quomodo vos patrem et filium unum profiteri non vultis? Eos etiam nos unum et verum deum a profetis et apostolis ostendimus praedicatum, a quibus etiam spiritum sanctum credimus non esse discretum, Isaia propheta dicente: Ego sum deus, et non est alius praeter me. Et per memetipsum iuro, quia exivit ex ore meo veritas et sermo meus non avertitur, quia mihi inclinabitur omne genu et omnis lingua iurabit per dominum dicens: Iustitia et gloria ad eum veniet. Et ut in testimonio patrem simul et filium cognoscas fuisse, Paulum apostolum audi dicentem, ut in nomine, inquit, Iesu omne genu flectatur celestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris omnipotentis. Quod si iste filius minor est patre suo, ergo minorata est gloria patris in filio. Et ubi est quod in Salomone scriptura loquitur dicens: Sicut etiam in conspectu eorum, inquit, magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis, ut cognoscant te sicut et nos cognovimus, quoniam non est deus praeter te, domine. Diligenter adtende et agnosce filium esse, qui magnificabitur in iuditio, dum venerit vivos et mortuos iudicare. Item Isaias: Audite me, domus Iacob et residuum domus Israel, qui egredimini[1] ex utero et erudimini a puero usque ad senectutem. Ab initio ego sum et quousque senescatis ego sum. Ego vos feci et ego sustineo. Ego remittam et ego suscipiam, dicit dominus. Et iterum: Ego sum dominus deus et praeter me non est alius deus, adnuntians novissima priusquam fiant et statim consummata sunt. Item alibi: Audi me, Iacob et Israel, quem ego feci. Ego sum dominus deus tuus, et non est alius praeter me. Item alibi: Ego sum dominus deus tuus, primus et ego novissimus, et in ea que superventura sunt in novissimo ego sum. Item ibi: Ego sum deus qui te creavi, qui te adiuvavi et communivi dextera mea. Et unitatem patris et filii adsignans loquitur dicens: Ego testis vester, dicit dominus deus et puer meus tu quem ego elegi, ut sciatis et credatis quia ego sum, ante me non fuit alius deus et post me non erit. Unum, heretice, elige e duobus: aut fatere patrem et filium unum deum, aut si solum patrem deum esse contendis, ergo tibi dominus deus Iesus Christus dei filius non erit deus, quia scriptum est: Ante me non fuit alius deus et post me non erit. Si secundum te ita est, cur apostolus talia praedicat et eundem filium deum super omnia benedictum insinuat? Quorum patres, inquit, ex quibus Christus[2] secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in saecula. Item Isaias dicit: Dominus deus Israel, qui liberavit eum de Egypto. Ego sum primus et ego post haec, et praeter me non est deus, sicut ego sum qui stet et vocet et praeparet mihi ex quo hominem feci in saeculo. Item ibi: Iste est deus et nesciebamus, deus et non est alius deus praeter te. Tu enim es deus, et nesciebamus: deus Israel salvator unus est, non sunt pater et filius dii, quia est deus in quo esse dicitur deus, praeter quem alium deum non esse propheta saepenumero protestatur. Et Ieremias: Hic deus noster, ait, et non adplicatur alter ad eum, qui invenit omnem scientiae[3] viam et dedit eam Iacob puero

Qualiter pater et filius unus — secundum eos a patre filius mitteretur, Idac. Clari lib. adv. Varimad. (p. 728. 729.) Cf. Sixt. I. pp. 2.

[1] *Sic* egredimi *corr. sec. cod. Par.* 3852. [2] *Addidi ex cod. cit.* [3] *Sic* scientiam *corr. sec. cod. cit.*

suo et Israel dilecto suo, post haec in terris visus est, et inter homines conversatus est. Et in Salomone: Miserere nobis, deus omnium, et ostende nobis lumen miserationis, et inmitte timorem tuum super gentes quae non exquisierunt te, et cognoscant quoniam non est alius deus, nisi tu. Item ibi: Domine deus Israel, non est tibi similis in celo sursum, neque in terra deorsum. Et in psalmo XVII: Quoniam quis deus praeter dominum aut quis deus praeter deum nostrum? Et in geneseos: Et pluit dominus a domino ignem et sulphur super Sodomam et Gomorram et evertit civitates illas. Si solus pater deus est, quis pluit ignem et sulphur a domino vel supradictas civitates evertit? Queso, responde. Et in deuteronomio: Dominus solus deducebat eos et non fuit cum illis deus alienus. Et Paulus apostolus: Unus deus qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem. Et ad Chorinthios: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et iterum: Non est deus, nisi unus. Et ad Galathas: Mediator autem unius non est, deus autem unus est. Et unitatem patris et filii et spiritus sancti demonstrans, Ephesiis scribens, ita confirmat: Sufferentes invicem in caritate solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus. Si enim praedicti heretici unitatem fidei voluerint simplici corde recipere, ex hoc iam testimonio in uno spiritu possunt simul patris et filii unitatem condiscere. Patrem igitur ut ipsi se dicunt invenisse in divinis litteris ingenitum proprie positum nec legere possunt poenitus nec probare: sed quia idipsum fides exigit christiana absque ulla dubitatione ingenitus creditur, qui tamen secundum seriem scripturarum in filio a se genito visus esse monstratur. Apostolus vero Paulus missionem filii dei in spiritu sancto longe ante conspitiens Romanae ecclesiae scribens hec testatus est dicens: Quod enim inpossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato dampnavit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur. Cernisne[1] quoniam filius non secundum deitatem a patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer et pie pro nobis adsumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum exinanita maiestatis sue potentia idem se filius miserit, apostolus contestatur dicens: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, humiliavit semetipsum factus hoboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et Isaias: Non legatus neque angelus, sed ipse dominus veniet et salvabit eos. Item ibi: Palam apparui non querentibus me. Et Hieremia: Dereliqui domum meam, dimisi hereditatem meam et veni et factus sum illis in obprobrium. Et in Michea: Ecce dominus veniet et commovebuntur montes sub eo. Et in Zacharia: Gaude, exulta, filia Sion, quia ecce venio ego et commorabor in medio tui, dicit dominus. Et apostolus ad Timotheum: Humanus sermo et omni acceptione dignus, quoniam Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Et Malachias: Ecce subito veniet in templo suo dominus, quem vos queritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Et in evangelio: Non veni vocare iustos, sed peccatores in penitentiam. Iterum ibi: Quid nobis et quid tibi, Iesu filii dei, venisti ante tempus perdere nos? Item ibi: Venit filius hominis salvare et quaerere quod perierat. Item ibi: Ego veni ut vitam habeant et ut abundantius habeant. Item ibi: Nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo, filius hominis qui est in celo. Numquid in his tantis ac talibus testimoniis, quibus se filius dei a semetipso venisse testatus est, poteris dicere ab alio et non a semetipso venisse. Dum manifestum est eum qui carnem nostram dignanter adsumpsit voluntariae et non ab alio missus advenerit. Nam qui in patre manens ubique potentia sua consistit, ubi a patre mitteretur omnino non habuit. Scimus enim quoniam nulla pars celorum ac terrae a conspectu patris excipitur, ubi secundum eos a patre filius

Filius non secundum etc. Cf. Vigin. 1.

[1] *Sic* carnis *corr. sec. cod. Par.* 3852.

mitteretur. Interim vero det operam, quantum fieri potest, tua dilectio, ut omnibus ecclesiae filiis innotescat, quid contra impium sensum secundum doctrinam evangelicam et apostolicam praedicemus, quia licet plene que semper fuisset atque esset catholicorum sententia scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addimus. Memor enim sum me sub illius nomine ecclesiae praesidere, cuius a domino Iesu Christo est glorificata confessio, et cuius fides omnes quidem hereses destruit, sed maxime inpietatem presentis erroris expugnat. Et intelligo mihi aliter non licere, quam ut omnes conatus meos ei causae in qua universalis ecclesiae salus infestatur, inpendam. Ne autem alicuius neglegentiae occasione scripta nostra ad vos non potuerint pervenire et exemplaria eorum nunc mittenda credimus, ut nullo modo fidei quam defendimus praedicatio vestrae doctrine notitiae subtrahatur. Data V. Non. Magi Iohanne Narsite vv. cc. conss. Explicit.

[1]INCIPIUNT DECRETA TERTII IOHANNIS PAPAE.

Iohannes episcopus universis episcopis per Germaniae et Galliae provintias constitutis in domino salutem.

Optaveram siquidem, carissimi, pro nostri caritate collegii omnes domini sacerdotes in una devotione persistere, nec quemquam prohibita gratia aut favore sacerdotum sectari aut a via recta discedere; et quamquam credamus dilectionem vestram ad omne opus bonum esse devotam, ut tamen efficatior fiat, congruum nobis visum est, litteris sedis apostolicae, ut antecessorum quoque nostrorum vestigia imitemur, vos monere[2] divina et apostolicae sedis instituta viriliter peragere, et prohibita non tangere, sed cavere: nec cuiquam licet umquam doctrinam patrum deserere[3] et sacerdotali honore gaudere. Perlatum est enim ad sedem apostolicam emersisse et denuo revivescere prohibitum, et funditus extirpatum tam a sancto Damaso quam a sancto Leone viris apostolicis atque ab universis synodali auctoritate episcopis reprehensibilem atque oppido inolitum usum, eo quod quidam corepiscopi, qui et a praedictorum antecessorum sanctorum apostolicorum patribus et viris apostolicis et ab ipsis sive a nobis sunt prohibiti, sicut eorum actenus testantur decreta ultra modum suum progredientes, donum sancti spiritus per inpositionem manuum tradant et alia que solum pontificibus debentur contra fas peragant: presertim cum ex septuaginta discipulis quorum speciem in ecclesia gerunt, legatur nullus donum spiritus sancti per manus impositionem tradidisse. Quod autem solis apostolis eorumque successoribus proprii sit offitii tradere spiritum sanctum, liber actuum apostolorum docet. In concilio vero Cesariensi ita de corepiscopis habetur scriptum: Corepiscopi quoque ad exemplum et formam septuaginta videntur esse, ut comministri autem propter studium quod erga pauperes exhibent honorentur. Si enim meliores sanctioresque sanctis apostolis esse putatis, facite que illi non fecerunt, et superextollite vos illis. Si enim eiusdem ordinis estis et equiperare vos vultis illis, nolite agere quae illi non egerunt, sed imitamini, prout melius potestis, exempla et vestigia eorum. Illis autem praecipiente domino illisque denuntiante, ut illi et successores eorum tantummodo per manus inpositionem traderent spiritum sanctum, nullum unquam ex septuaginta — scien-

Interim vero det operam — doctrine notitiae subtrahatur, Leon. M. ep. 61. c. 2. (1, 984.)
Memor enim etc. Cf. Calist. 6, Sixt. II. pp. 1.
Not. cons. sec. Pelag. I. c. 2 in libr. pontif.
Decreta Iohannis.
Optaveram — a via recta discedere, Leon. M. ep. 93. init. (1, 1067.) Cf. praef. 6, Dam. ad Ital.
et quamquam credamus — congruum nobis visum, init. eiusd. ep. 85. (1, 1050.) Cf. Steph. 1, Eutic. 1.
nec cuiquam licet — honore gaudere, eiusd. ep. 83. c. 2. (1, 1047.) Cf. Vict. 7.
eo quod quidam corepiscopi — exhibent honorentur, conc. Par. 829. lib. I. c. 27. Cf. Dam. de corep.

[1] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Par.* 3852. [2] *Par.* 3852 *add.* praecepta. [3] *Sic* disserere *sec. cod. cit. corr.*

tes eis illicitum fore, quorum typum, ut praedictum est, chorepiscopi, antequam prohibiti essent, in ecclesia gerebant — tradere per manus inpositionem spiritum sanctum permiserunt, dantes successoribus eorum exemplum, ne umquam talia praesumerent. Unde in actibus apostolorum scriptum est: Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolimis, quia recepit Samaria verbum dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum. Necdum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum. Non ergo, ut iam dictum est, aliquem ex septuaginta, licet pauci essent apostoli ad hoc opus perficiendum, direxerunt, sed Petrum et Iohannem et apostolos per manus inpositionem tradere spiritum sanctum miserunt, quorum vicem episcopi in ecclesia gerunt et non corepiscopi[1], qui septuaginta discipulorum formam ante prohibitionem eorum gerebant. Quod illi non fecerunt vos facere nolite, ne dissimiles eis et indigni eorum successione et ministerio esse videamini, quia ut ait dominus in evvangelio: Qui non est mecum adversum me est, et qui non colligit mecum dispergit.

Sic autem Petrus, princeps apostolorum, adiutores sibi ascivit Linum et Cletum: non tamen potestatem pontificii aut ligandi vel solvendi normam eis tradidit, sed successori suo sancto Clementi qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat, et quae non incongrue ad traditionem spiritus sancti per manus inpositionem pertinent. Unde et in actibus apostolorum scriptum habetur: Non est aequum nos relinquere verbum dei et ministrare mensis. Quapropter septuaginta electi sunt discipuli qui exteriora peragerent, ipsi vero apostoli verbo et orationi insisterent, inde et in evangelio secundum Lucam scriptum habetur: Posthaec autem designavit dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Item: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram neque calciamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes que apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque civitatem intraveritis et susceperint vos, manducate que adponuntur vobis, et curate infirmos qui in illa sunt et dicite illis: Appropinquabit in vos regnum dei. In quamcunque civitatem intraveritis et non receperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: Etiam pulverem qui adhesit nobis de civitate vestra extergimus in vos; tamen haec scitote: Quia appropinquabit regnum dei. Dico vobis quia Sodomis in illa die remissius erit quam illi civitati. Et in Mathaeo evangelista scriptum est: Ecce ego mitto vos sicut[2] oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe. Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim in

Unde in actibus — prohibitionem eorum gerebant, conc. Par. l. c.
Qui non est mecum — mecum dispergit, Luc. XI. 23.
Sic autem Petrus — inpositionem pertinent. (Cf. Rhabani Mauri opusc. de chorep. Mansi 16, 873.)
Non est aequum — ministrare mensis, Act. ap. VI. 2.
Posthaec autem designavit — quam illi civitati, Luc. X. 1—12.
Ecce ego mitto — hic salvus erit, Matth. X. 16—22.

[1] *Verba:* in ecclesia — corepiscopi *addidi ex Par.* 3852. [2] *Verba* vos sicut *addidi ex cod. al.*

illa ora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes et morte eos afficient, et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Linum namque et Cletum nihil legitur umquam egisse ex pontificali ministerio potestative, sed quantum eis a beato Petro praecipiebatur, tantum solummodo agebant. Nam et in canone legitur Niceno: Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provintia episcopis ordinari. Si autem difficile fuerit aut propter instantem necessitatem aut propter itineris longitudinem, a tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus et absentibus quoque pari modo decernentibus et per scripta consentientibus tunc ordinatio celebretur, firmitas autem eorum que geruntur per unamquamque provintiam metropolitano tribuatur episcopo. Omnia quoque maxima concilia affirmant eum non esse episcopum, qui minus quam a tribus episcopis auctoritate etiam metropolitani fuerit factus episcopus; ideoque illos quos chorepiscopos vocatis, quia ab uno ut audivimus fiunt episcopo episcopos non esse, nec aliquid de pontificali privilegio agere debere perspicuum est, quoniam si nomen non habent, quomodo offitium possunt habere? Si ergo episcopi non sunt, et presbiteri quorum vicem gerunt, quia ad exemplum et formam septuaginta olim fiebant esse despiciunt, quid erunt? Profecto quod ratione caret, aut nihil aut parum profectus est. Si quis de his amplius, et quod fieri non debet scire voluerit, legat praedictorum apostolicorum decreta et ibi repperiat: de quibus aliqua et hic inserere dignum duximus. Si domini desideramus esse discipuli ipsius imitemur vestigia, ut de nobis dicatur: Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas, et voco eas nominatim et cognoscunt me meae, et reliqua. Et iterum monente dominice vocis imperio, quo[1] beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves qui Christum amat, diligenter et cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctae sedes, cui per habundantiam divinae gratiae praesumus[2], ipsius amore et reverentia cohortamur, ut tante superstitionis quae nullius, ut saepe dictum est, fulcitur auctoritate, periculum, quantum possumus, declinemus, ne beati magistri nostri Petri summi apostoli dilectio, qua se amatorem dei esse testatus est, vana inveniatur in nobis; quoniam omnis neglegenter pascens toties commendatum sibi dominicum gregem convincitur summum non amare pastorem nec eius velle se discipulum fieri, cuius exempla neglegit imitari. Nam gratia prorsus maior adquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat deo sollicitudo pastoris. Nam et beatum Iacob, qui pro uxoribus diu servierat dixisse meminimus: Viginti annis fui tecum, oves tuae et caprae steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi: ego dampnum omne reddebam et quicquid furto perierat a me exigebas. Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat et vigilat qui pascit oves Laban, quanto labore quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oves dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ovibus animam, et adiuvet nos, ut de his, qui nobis commissi sunt, fructum multiplicem[3] et mensuram supereffluentem ad aeterna gaudia reportare concedat, tantusque vos beati Petri, apostolorum principis, amor accendat, ut in ovili ipsius, cui omnes creature sunt traditae, omnes taliter errantes et inlicita atque prohibita praesumentes sanctis vestris studiis summo redintegrare cum desiderio festinetis, qualiter anime pretioso Christi sanguine redemptae eorum non depereant deceptione.

Restat etiam quod per hostium hi nequaquam subintrarunt, quia non habe-

Nam et in canone — tribuatur episcopo, c. 4. conc. Nicaen. Cf. Anacl. 18, Annic. 1.
Si ergo episcopi — quid erunt, cf. Dam. de corep.
Si domini etc. usque ad finem leguntur in ep. Dam. cit. Cf. quae ibi adnotantur.

1 *Sic legendum pro* quod. 2 *Sic correxi* praesumpsimus. 3 *Sic* fructu multiplicet *sec. cod. Par.* 3852 *corr.*

tes eis illicitum fore, quorum typum, ut praedictum est, chorepiscopi, antequam prohibiti essent, in ecclesia gerebant — tradere per manus inpositionem spiritum sanctum permiserunt, dantes successoribus eorum exemplum, ne umquam talia praesumerent. Unde in actibus apostolorum scriptum est: Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolimis, quia recepit Samaria verbum dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum. Necdum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum. Non ergo, ut iam dictum est, aliquem ex septuaginta, licet pauci essent apostoli ad hoc opus perficiendum, direxerunt, sed Petrum et Iohannem et apostolos per manus inpositionem tradere spiritum sanctum miserunt, quorum vicem episcopi in ecclesia gerunt et non corepiscopi [1], qui septuaginta discipulorum formam ante prohibitionem eorum gerebant. Quod illi non fecerunt vos facere nolite, ne dissimiles eis et indigni eorum successione et ministerio esse videamini, quia ut ait dominus in evvangelio: Qui non est mecum adversum me est, et qui non colligit mecum dispergit.

Sic autem Petrus, princeps apostolorum, adiutores sibi ascivit Linum et Cletum: non tamen potestatem pontificii aut ligandi vel solvendi normam eis tradidit, sed successori suo sancto Clementi qui sedem apostolicam post eum et potestatem pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora, princeps autem apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat, et quae non incongrue ad traditionem spiritus sancti per manus inpositionem pertinent. Unde et in actibus apostolorum scriptum habetur: Non est aequum nos relinquere verbum dei et ministrare mensis. Quapropter septuaginta electi sunt discipuli qui exteriora peragerent, ipsi vero apostoli verbo et orationi insisterent, inde et in evangelio secundum Lucam scriptum habetur: Posthaec autem designavit dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Item: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram neque calciamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes que apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque civitatem intraveritis et susceperint vos, manducate que adponuntur vobis, et curate infirmos qui in illa sunt et dicite illis: Appropinquabit in vos regnum dei. In quamcunque civitatem intraveritis et non receperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: Etiam pulverem qui adhesit nobis de civitate vestra extergimus in vos; tamen haec scitote: Quia appropinquabit regnum dei. Dico vobis quia Sodomis in illa die remissius erit quam illi civitati. Et in Mathaeo evangelista scriptum est: Ecce ego mitto vos sicut [2] oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbe. Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim in

Unde in actibus — prohibitionem eorum gerebant, conc. Par. l. c.
Qui non est mecum — mecum dispergit, Luc. XI. 23.
Sic autem Petrus — inpositionem pertinent. (Cf. Rhabani Mauri opusc. de chorep. Mansi 16, 873.)
Non est aequum — ministrare mensis, Act. ap. VI. 2.
Posthaec autem designavit — quam illi civitati, Luc. X. 1—12.
Ecce ego mitto — hic salvus erit, Matth. X 16—22.

[1] *Verba:* in ecclesia — corepiscopi *addidi ex Par.* 3852. [2] *Verba* vos sicut *addidi ex cod. cit.*

illa ora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes et morte eos afficient, et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Linum namque et Cletum nihil legitur umquam egisse ex pontificali ministerio potestative, sed quantum eis a beato Petro praecipiebatur, tantum solummodo agebant. Nam et in canone legitur Niceno: Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provintia episcopis ordinari. Si autem difficile fuerit aut propter instantem necessitatem aut propter itineris longitudinem, a tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus et absentibus quoque pari modo decernentibus et per scripta consentientibus tunc ordinatio celebretur, firmitas autem eorum que geruntur per unamquamque provintiam metropolitano tribuatur episcopo. Omnia quoque maxima concilia affirmant eum non esse episcopum, qui minus quam a tribus episcopis auctoritate etiam metropolitani fuerit factus episcopus; ideoque illos quos chorepiscopos vocatis, quia ab uno ut audivimus fiunt episcope episcopos non esse, nec aliquid de pontificali privilegio agere debere perspicuum est, quoniam si nomen non habent, quomodo offitium possunt habere? Si ergo episcopi non sunt, et presbiteri quorum vicem gerunt, quia ad exemplum et formam septuaginta olim fiebant esse despiciunt, quid erunt? Profecto quod ratione caret, aut nihil aut parum profectus est. Si quis de his amplius, et quod fieri non debet scire voluerit, legat praedictorum apostolicorum decreta et ibi repperiat: de quibus aliqua et hic inserere dignum duximus. Si domini desideramus esse discipuli ipsius imitemur vestigia, ut de nobis dicatur: Ego sum pastor bonus et cognosco oves meas, et voco eas nominatim et cognoscunt me meae, et reliqua. Et iterum monente dominice vocis imperio, quo[1] beatissimus apostolus Petrus trina repetitione mysticae sanctionis imbuitur, ut Christi oves qui Christum amat, diligenter et cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctae sedes, cui per habundantiam divinae gratiae praesumus[2], ipsius amore et reverentia cohortamur, ut tante superstitionis quae nullius, ut saepe dictum est, fulcitur auctoritate, periculum, quantum possumus, declinemus, ne beati magistri nostri Petri summi apostoli dilectio, qua se amatorem dei esse testatus est, vana inveniatur in nobis; quoniam omnis neglegenter pascens toties commendatum sibi dominicum gregem convincitur summum non amare pastorem nec eius velle se discipulum fieri, cuius exempla neglegit imitari. Nam gratia prorsus maior adquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat deo sollicitudo pastoris. Nam et beatum Iacob, qui pro uxoribus diu servierat dixisse meminimus: Viginti annis fui tecum, oves tuae et caprae steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi: ego dampnum omne reddebam et quicquid furto perierat a me exigebas. Die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat et vigilat qui pascit oves Laban, quanto labore quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oves dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ovibus animam, et adiuvet nos, ut de his, qui nobis commissi sunt, fructum multiplicem[3] et mensuram supereffluentem ad aeterna gaudia reportare concedat, tantusque vos beati Petri, apostolorum principis, amor accendat, ut in ovili ipsius, cui omnes creature sunt traditae, omnes taliter errantes et inlicita atque prohibita praesumentes sanctis vestris studiis summo redintegrare cum desiderio festinetis, qualiter anime pretioso Christi sanguine redemptae eorum non depereant deceptione.

Restat etiam quod per hostium hi nequaquam subintrarunt, quia non habe-

Nam et in canone — tribuatur episcopo, c. 4. conc. Nicaen. Cf. Anacl. 18, Annic. 1. *Si ergo episcopi — quid erunt*, cf. Dam. de corep. *Si domini etc.* usque ad finem leguntur in ep. Dam. cit. Cf. quae ibi adnotantur.

1 *Sic legendum pro* quod. 2 *Sic correxi* praesumpsimus. 3 *Sic* fructu multiplicet *sec. cod. Par.* 3852 *corr.*

bant hostium per quod ingrederentur, quia, ut dictum est, si nec episcopi sunt et plus quam presbiteri esse ambiunt, per quod hostium intrabunt, cum hi tamen ordines in aecclesia legantur, nec amplius ad pastorale offitium aliquod patet hostium per quod pastor intret? Audite, fratres, non me, sed ipsam dicentem veritatem: Qui non intrat per hostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, et reliqua. Cum etiam egregius praedicator dicat: Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter quod positum est. Cum praedicta duo fundamenta in aecclesia tantummodo inveniantur posita, quicquid amplius positum in his inveniatur, stare nullatenus poterit. Et ideo, cum omnibus suis fundamentis et actionibus atque radicibus ut evellatur, necesse est: ita ut amplius pullulare nec germinare valeant. Non ergo generet et non fatiet vobis, fratres, toties repetita locutio fastidium; et quia summa necessitas est sepius prohiberi, quod toties inlicite usurpatur, et quoniam veritas sepius exagitata magis splendescet in lucem et quod toties repetendo admonetur minus usurpatur. Super his enim multa iam ab antecessoribus nostris dicta sunt, a quibus ipsi sicut nunc a nobis, ita olim ab eis damnati et prohibiti sunt. Ideo sepius repetentes omnes monemus, ut vitentur huiusmodi et a talibus abstineant, qui noluerint, una cum eis a sacerdotali ministerio, ut rebelles, fieri alieni. Quod ita demum probare poterimus, si tales extirpare et non eis favere[1] decertaveritis, et ita postmodum de tali re querella cessabit, quia contumeliae studio fit quicquid interdictum toties usurpatur. Omnia haec decretalia et cunctorum decessorum nostrorum constituta, que de aecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vobis et omnibus episcopis ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari: quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et merito nos qui summa aecclesiae tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faveamus errori. Data XIV. Kal. Augusti Iustiniano VI. et Narsite vv. cc. conss. Explicit.

[2]INCIPIUNT DECRETA BENEDICTI PAPAE.

Reverentissimo fratri episcopo David Benedictus salutem in domino.

Respondere litteris vestris plenius cogitavi, sed dum hoc meditarer, tantus me dolor tetigit, ut magis flere quam aliquid dicere delectatus sum. Sed ne funditus remaneret, pauca vobis rescribere curavi, ad potiora vos tempora congrue invitans. Quod autem litterae tuae testate sunt quosdam intra provinciam Boeticam esse, qui dicerent neminem veraciter posse probare trinitatem unitatem fieri, cum neque tres unum neque unum in tribus posse quemquam proprie adprobari: quibus de causis, dilectissime, consulta tibi apostolicae sedis misimus, ut his eos ad rectam fidem converti fatias aut ab aecclesia, antequam pestis hec latius divulgetur, reppellas. His, frater, scripturarum testimoniis unitatem trinitatis agnosce et desine Arrianorum pravitatem adsequi, ut ab eadem possis peccatorum indulgentia promereri, Esaia propheta dicente: Vidi dominum Sabahot sedentem super thronum excelsum, et Seraphin stabant in circuitu eius, sex alae uni et sex alae alteri: duabus velabant faciem, duabus autem velabant pedes, et duabus volabant et clamabant ad alterutrum, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabahot. Si trinitas non est, quare tertio Sanctus dixerunt? Et si unitas non est, quare sub trina repetitione unum deum ac dominum intimarunt? Si trinitas non est, cur in geneseos

Not. cons. desumta ex vit. Ioann. III. c. 2. 3. in libr. pontif.

Decreta Benedicti.

Respondere litteris — dicere delectatus sum sec. Greg. M. ep. I. 43. init. (2, 531.)

antequam pestis — reppellas, Leon. M. ep. 7. c. 1. (1, 625.) aut Ben. III. 54. Cf. Sot. 3, Fab. 7, Luc. 8, Fel. I. pp. 18, Marc. 3, Anast. I. pp. ep. 1, Silv. ep.

Vidi dominum Sabahot — communicatio sancti spiritus, Idacii Clari lib. adv. Varimad. (p. 726.) Cf. Alex. 10.

[1] *Sic* favore *sec. cod. cit. corr.* [2] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

dicitur: Dixit deus, fecit deus, et benedixit deus. Si vero unitas non est, quare tertio Deus dixit et non tertio Deos plurali numero commendavit? Et si trinitas non est, quare in exodo dictum est tertio: Domine, domine, domine, miserator et misericors. Si unitas non est, quare dum tertio diceret: Domine, et postea Miserator singulariter dicit et non miseratores, ut plures ostenderet, intimavit? Si trinitas non est, cur Habraham ad ilicem Mambre sedens tribusque occurrens uni Domine dixit et non ut viderat tribus salutationis obsequium reddit? Si trinitas non est, quare cum Moysi deus Habraam et deus Isaac et deus Iacob tertio diceret, unitatem ostendens: Hoc mihi nomen est, dixit, nonne: Haec sunt quae nostra nomina designavit? Si trinitas non est, quare David tertio dixit: Benedicat nos deus, deus noster, benedicat deus? Si unitas non est, quare cum deum tertio nominasset, Benedicat dixit et non Benedicant adiunxit? Si trinitas non est, cur Isaias denuo dixit: Domine, deus Sabahot, deus Israel, qui sedes super cherubin? Si unitas non est, quare Qui sedes dixit, et non qui sedetis adstruxit? Si trinitas non est, quare in regnorum libro dicitur: Dominus, deus omnipotens, deus Israhel, sermones tui fideles sunt? Si unitas non est, quare Tui dicitur et non vestri potius intimatur? Si trinitas non est, cur in psalmo quinquagesimo octavo cantatur: Domine virtutum, deus Israel, intende ad visitandas omnes gentes? Si unitas non est, quare Intende posuit et non intendite, ut predicatus est, intimavit? Si trinitas non est, quare in apocalipsi tertio dixit: Sanctus dominus, deus omnipotens, qui est et qui erat? Si unitas non est, quare non Qui sunt pluraliter, sed qui erat[1] designavit? Si trinitas non est, quare in deuteronomio dictum est: Dominus deus tuus, deus misericors est et audiet vocem tuam. Si unitas non est, quare Audiet posuit et non audient[2] intimavit? Si trinitas non est, quare in Iesu Nave dicitur libro: Dominus deus deorum est? Si unitas non est, quare Est dixit et non sunt morem locutionis induxit? Si trinitas non est, quare Elias orando: Domine, domine, deus, ostende quia tu es deus meus, dixit? Si unitas non est, quare Ostende et non ostendite posuit? Si trinitas non est, cur Mardocheus orando: Domine, domine, deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt, dixit? Si unitas non est, quare In tua posuit, et non in vestra signaverit? Si trinitas non est, cur etiam Iudith orando dixit: Domine, domine, deus omnium virtutum, respice in orationem meam? Si unitas non est, quare Respice posuit et non respicite designavit? Si trinitas non est, quare in Hieremia dicitur: Dominus deus vester deus verax est? Si unitas non est, quare Verax est dixit et non veraces potius intimavit? Si trinitas non est, quare in apocalipsi scriptum est: Dominus, deus et spiritus prophetarum misit angelum suum ostendere servis suis que oportet fieri cito? Si unitas non est, quare cum patrem et filium et spiritum sanctum nominasset, Misit dominus dixit, et non miserunt, sub praetextu trium personarum et nomen introduxit? Si trinitas non est, quare in deuteronomio dicitur: Dominus deus vester, hic[3] est deus? Si unitas non est, quare Hic est dixit, et non hi sunt plurali numero designavit? Si trinitas non est, quare in eodem dicitur libro: Dominus deus tuus, deus magnus et potens est? Si unitas non est, quare Magnus et potens non pluraliter nominatur? Si trinitas non est, cur Tobi cum filium suum in Rages civitatem cum Raphaele angelo mitteret, benedicens eos, ita dixisse docetur: Deus Habraam et deus Isaac et deus Iacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis? Si unitas non est, quare Ipse impleat dixit, et non ipsi impleant intimavit? Postremo si trinitas non est, quare dominus discipulos suos in nomine patris et filii et spiritus sancti universas gentes posuit baptizare? Si unitas non est, quare In nomine dixit, et non in nominibus praecipiendo perdocuit? Si trinitas non est, quare apostolus Paulus ait: Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia? Si unitas non est, quare Ex ipso posuit, et non ex ipsis adstruxit? Si enim certo certius volueris unitatem trinitatis agnoscere, a sepedicto doctore gentium apostolo, poteris universa con-

[1] *In cod. additur:* pluraliter, *quod delendum est.* [2] *Sic corr.* audiat *et* audiant. [3] *Sic corr.* hoc.

discere et sequi catholicam fidem et Arrianorum pravitatem respuere. Gratia domini nostri Iesu Christi, inquit, et caritas dei et communicatio sancti spiritus ipsa est patris et filii et spiritus sancti. Quomodo in trinitate unum sunt? Quia natura atque substantia ab invicem separari non possunt.

Caeterum, frater dilectissime, que tua continebant scripta ex subiectis sententiis maxime omnia poteris colligere. Necesse est, frater karissime, adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. Et ut[1] iuxta apostolum dicamus, licet verba replicemus quae ipse Timotheo scribit, dicens: Ecclesia dei vivi columna et firmamentum est veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, predicatum est gentibus, creditum est in mundo, adsumptum est in gloria. Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide adtendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum in ypocrisi loquentium mendatium et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus et his qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura dei bona et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum dei et orationem. Haec proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbo fidei et bonae doctrinae, quam assecutus es. Ineptas autem et inanes fabulas devita, et exerce teipsum ad piaetatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis[2] est. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium. Praecipe haec et doce. Nemo adolescentiam tuam contempnat, sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Dum venio, adtende lectioni, exortationi, doctrinae. Noli neglegere gratiam que in te est quae data est tibi per prophetiam cum inpositione manuum presbiteri. Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Adtende tibi et doctrine, insta in illis; hoc enim fatiens et teipsum salvum faties et eos qui te audiunt. Fame enim nimis affligitur populus Romanus. Quia clade atque aliis anxietatibus vexatus, longam epistolam minime scribere valui. Tempore congruo denuo, si necesse fuerit, mitte et ea que desideraveris sume. Deus te incolumem custodiat, frater karissime. Amen.

Data III. Nonas Aprilis Iustiniano et Libio cc. consulibus.

[3] INCIPIUNT DECRETA SECUNDI PELAGII PAPAE SUCCESSORIS BEATI BENEDICTI ET ANTECESSORIS[4] SANCTI GREGORII.

Dilectissimis fratribus, universis episcopis, qui inlicita vocatione Iohannis Constantinopolitani episcopi ad synodum Constantinopolim convenerunt, Pelagius.

Manifesto, sicut optavimus, per gratiam dei lumine evangelicae veritatis ab universali aecclaesia pernitiosissimi erroris nocte depulsa, ineffabiliter gaudemus in domino, sed non modico contristamur merore, quod ea que olim calcata fuerant et funditus dampnata nec umquam fieri debuerant, redivivis radicibus germinant

Necesse — cessat auxilium, Philo citat. ab Hincmaro in dialogo de statu sanctae ecclesiae (Biblioth. patrum. Tom. IX. Pars. 2. Colon. Agripp. 1618. p. 247.)

Ecclesia dei vivi columna — adsumptum est in gloria, I Timoth. III. 15. 16.

Spiritus autem manifeste — et eos qui te audiunt, I Timoth. IV. 1—16.

Fame enim nimis — minime scribere valui sec. Bened. I. vit. c. 1. in libr. pontif.

Not. cons. fictitia.

Decreta Pelagii.

Manifesto sicut optavimus — gaudemus in domino, Leon. M. ep. 106. c. 1. (1, 1157.) Cf. Vict. 1.

sed non modico — pullulant sec. eiusd. ep. 4. pr. (1, 612.)

[1] *Sic corr.* aut *sec. cod. Par.* 3852. [2] *Sic. corr.* inutilis *sec. cod. cit.* [3] *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Par.* 3852. [4] *Sic correxi* anantecessoris.

atque pullulant. Et quoniam multa que penitudinem possunt generare proveniunt, necesse est ea cassare que contra ordinem et omnem auctoritatem facta esse noscuntur. Unde, fratres, reiecta penitus audatia, que contra apostolicam sedem et contra ipsam domini salvatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo aecclaesiam meam, sumpta est disputandi contra domini praecepta, vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi quod non liceat agere.

Relatum est ergo ad apostolicam sedem Iohannem Constantinopolitanum episcopum universalem se scribere vosque ex hac sua presumptione ad synodum convocare generalem, cum generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicae beati Petri sedi singulari privilegio sit tradita et nulla umquam synodus rata legatur que apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in praedicto vestro conventiculo, quia synodus taliter praesumpta esse non potuit, statuistis ex auctoritate sancti Petri apostolorum principis et domini salvatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi et solvendi ipse salvator dedit, quae etiam potestas in successoribus eius indubitanter transivit, praecipio omnia que ibi statuistis et vana et cassata esse, ita ut deinceps numquam appareant nec ventilentur. Ait enim ipse salvator beato Petro, sicut ipse per se veritas loquitur dicens: Quecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, et quecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelo. Multis denuo apostolicis et canonicis atque aecclaesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romanorum pontificum concilia celebrari, quapropter, ut iam dictum est recte, non concilium, sed vestrum conventiculum vel conciliabulum cassatur, et quidquid in eo actum est irritum habetur et vacuum. Vos quoque deinceps videte, ut nullius hortatu talia praesumatis, si apostolice sedis communione carere non vultis. Modo vero ideo suspenditur ultio, ut locum possit habere correctio. Predecessores vero Iohannis et ipse Iohannis non semel, sed sepissime epistolas atque libellos propria manu subscriptos sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram deo protestati sunt nihil umquam proterve contra apostolicam sedem agere nec de illius aut aliorum privilegiis quicquam usurpare, qui actenus in archivo sanctae[1] Romanae aecclaesiae sub sigillis cyrographis eorum roborati habentur integri. In ipsis enim epistolis vel libellis anathematis vinculo se et successores eorum constrinxerunt, si umquam aliquid contra eos praesumpsissent aut contra apostolicam vel ullius alterius episcopi sedem quicquam adversi quo modo essent moliti. Idcirco eos non est necesse excommunicare aut anathematizare, quia ipsi anathematis vinculo propriis manibus professiones suas suaque scripta roboranda constrinxerunt. Sciat se tamen et ipse Iohannes, nisi errorem suum cito correxerit, a nobis excommunicandum fore et apostolicae sedis atque omnium episcoporum communione carere; universalitatis quoque nomen quod sibi inlicite usurpavit, nolite adtendere, nec vocatione eius ad synodum absque auctoritate sedis apostolice umquam venire, si apostolicae[2] sedis et caeterorum episcoporum communione vultis frui; nullus enim patriarcharum hoc tam profano vocabulo umquam utatur, quia si[3] unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit

Et quoniam multa — generare proveniunt, eiusd. ep. 93. c. 1. (1, 1069.) Cf. Dam. ad Ital.
Unde fratres — quod non liceat agere, ep. cit. c. 2. (1, 1071.)
Tu es Petrus — aecclaesiam meam, Matth. XVI. 18.
Relatum est ergo — universalem se scribere, Greg. M. ep. V. 43. (2, 771.)
cum generalium synodorum — auctoritate non fuerit fulta, c. 2 Angilr. (Cass. hist. trip. IV. 9. aut Ben. II. 381.) Cf. Praef. 8, Iul. 5.
Quecumque ligaveris — soluta et in caelo, Matth. XVI. 19.
Multis denique — concilia celebrari, Cass. hist. trip. IV. 9. aut Ben. II. 381. Cf. Marcelli 2. 10, Iul. 6. 11. 13, Fel. II. pp. 2, Dam. 9.
Modo vero ideo — possit habere correctio, Leon. ep. 93. (1, 1067.) Cf. Dam. ad Ital.
nullus enim patriarcharum — honorem offert indebitum, Greg. M. ep. V. 43. (2, 771.)

[1] *Sic* archivos esse *sec. Par.* 3852 *corr.* [2] *Sic* apostolica *sec. cod. cit. corr.* [3] *Sic* quasi *sec. cod. cit. corr.*

a fidelibus cuiusquam mente hoc sibi velle quempiam arripere, unde honorem fratrum suorum inminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter karitas vestra neminem umquam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

Adversarius namque diabolus, qui contra humiles seviens sicut leo rugiens circumit, querens quem devoret, non iam, ut cernimus, caulas circumit, sed ita valide in quibusdam aecclaesiae necessariis membris dentem figit, ut nulli sit dubium, quia nisi unanimiter favente domino cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ovile dilaniet. Perpendis, frater karissime, quid e vicino subsequitur, cum et in sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia, quia enim iuxta est ille de quo scriptum est: Ipse est rex[1] super universos filios superbiae, quod non sine gravi dolore dicere compellor, dum frater et coepiscopus noster Iohannes mandata dominica et apostolica praecepta regulasque patrum dispiciens eum per elationem precurrere[2] conatur in nomine. Vestrae autem beatitudini indicit omnipotens deus quam gravi considerationis huius gemitu torqueor, quod ille quondam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in aelemosinis, orationibus atque ieiuniis videbatur occupatus et ex eo quo foetebat cinere, ex ea quam[3] pretendebat humilitate iactantiam sumpsit, ita universa sibi temptet adscribere, et omnia que soli uni capiti coerent videlicet Christo, per electionem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare. Nec mirum quod ille temptator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam[4], et nunc eam in quibusdam hominibus ponit in fine virtutum; et, qui aliquatenus bonis vitae studiis videbantur crudelissimas manus eius effugere, eis in ipsis metas boni operis et in ipsa quodammodo adponat perfectionis conclusione tendiculum. Unde magnopere orandum est et omnipotens deus assiduis precibus implorandus, ut hunc a mente illius avertat errorem, hoc ab unitate atque humilitate ecclesiae malum superbiae et confusionis avertat et favente deo omnibus viribus concurrendum atque providendum, ne in unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur et fortasse his in errore perit qui universalis dicitur et nullus iam episcopus remansisse in statu veritatis invenitur. Oportet ergo ut constanter ac sine preiudicio servetis, sicut accepistis aecclaesias et nihil sibi in vobis haec temptatio diabolicae usurpationis adscribat. State fortes, state securi scriptaque universalis nominis falsa nec dare umquam nec accipere presumatis. Omnes episcopos curae vestrae subiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete, ut universa vos aecclaesia patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsitan adversa subsequantur, unanimiter persistentes etiam moriendo debemus ostendere, quia in dampno generalitatis nostrum spetialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: Mihi vivere Christus est et mori lucrum. Audiamus quod primus omnium apostolorum dicit: Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem quem pro praedicanda[5] suscepimus veritate, si necessitatis causa exigat, securius per eandem veritatem[6] relinquimus quam tenemus.

Orate, fratres, ut honor ecclesiasticus nostris diebus non evacuetur, nec unquam Romana[7] que instituente domino caput est omnium aecclaesiarum, privilegiis suis umquam careat aut expolietur.

Confidimus autem de vobis, carissimi, meliora atque viciniora salutis, quia

Adversarius namque — relinquimus quam tenemus. Orate, eiusd. ep. cit. (2, 772.) Cf. Fel. I. pp. 1.

Confidimus autem de vobis — intemerata permaneant in futuro. Eadem in Lib. 2. 3. leguntur. Cf. quae ibi adnotavimus.

[1] *Addidi ex cod. Par.* 3852. [2] *Sic correxi* precurre. *Par.* 3852: percurrere. [3] *Sic* ea que fatebatur cinere, ex ea qua *corr. sec. cod. cit.* [4] *Cod. cit. add.* et tunc ea in primo homine ante omnia usus est. [5] *Sic* propterdicanda *corr. sec. cod. cit.* [6] *Cod. cit.* pro eadem veritate. [7] *Cod. cit. add.* sedes.

neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia magistro gentium docente poterit nos separare a caritate domini nostri Iesu Christi, et que in ipso est recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram quae magnam habet remunerationem. Pacientia enim nobis necessaria est ad conluctationes adversariorum, quatinus fidem intemeratam usque in finem conservantes repromissionem percipiamus quam repromisit his qui legitime certare deproperant. Adhuc enim modicum quantulum qui venturus est veniet et non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam adsistit coronas hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur; quod si subtraxerit se quis non placebit animae meae, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in adquisitionem animae. Propter quod adsumite arma dei, ut possitis resistere in die malo adversus omnes inimicos sanctae dei aecclaesiae et vestros et induite vos loricam iustitiae, calciati pedes in preparatione evangelice pacis, in omnibus adsumentes scutum fidei in quo possitis omnia iacula nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis accipite et gladium spiritus sancti, quod est verbum dei, per omnem orationem et obsecrationem radicati et fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu domino nostro.

Sed et nunc, fratres, commendamus vos omnes in domino et verbo gratie eius qui potest perficere et dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut vobis invicem succurratis et non sitis divisi, ut unanimes, uno ore et uno corde honorificemus eum in concordiam et consolationem fratrum, qui potens est confirmare nos secundum evvangelium eius, et iuxta revelationem mysterii[1] aeterni temporibus scilicet perpetuis quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis quod illi qui fratribus invident eosque dampnare aut perdere cupiunt, per se et sua dogmata[2] destruuntur. Dicit enim dominus: Omne regnum in se divisum non stabit[3]. Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis ortatus et nihil per contemptionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis et in nulla patiamini providentissima canonum decreta violari, quatenus et Nicenorum canonum constituta et que a nobis vel a predecessoribus nostris sunt provide et salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro.

Et in Apocalipsi dominus per Iohannem loquitur dicens: Noli timere, ego sum primus et novissimus et vivus, et fui mortuus et ecce sum vivens in secula seculorum et habeo claves mortis et inferni. Et paulo post: Vincenti dabo edere de ligno vitae quod est in paradyso dei mei. Item idem: Esto fidelis usque ad mortem. Et dabo tibi coronam vite. Et iterum: Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes et reget illas in virga ferrea et tamquam vas figuli confringentur. Item idem: Ecce sto ad hostium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam, introibo ad illum et cenabo cum illo et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in trono meo, sicut et ego vici et sedeo coram patre meo in throno eius. Vos, fratres, si non vultis cum eo dampnari, quia non solum qui fatiunt, sed qui consentiunt facientibus rei sunt, hortamini eum et monete recedere a prefatis inlicitis et memor sit unde exciderit

Noli timere — mortis et inferni, Apocal. I. 17. 18.

Vincenti dabo edere — in paradyso domini mei, Apoc. II. 7.

Esto fidelis — coronam vite, ibid. II. 10.

Qui vicerit — figuli confringentur, ibid. II. 26. 27.

Ecce sto ad — meo in throno eius, ibid. III. 20. 21.

quia non solum — consentiunt facientibus, Ben. III. 261. 386. (Rom. I. 32.) Cf. Anacl. 19, Alex. 6, Telesf. 3, Pii 8, Fab. 6, Luc. 7, Iul. 10.

et memor sit — et prima opera fatiat, Apoc. II. 5.

[1] *Sic* ministerii *sec. cod. cit. corr.* [2] *Sic* pro se sua dogmata *sec. cod. cit. corr.* [3] *Cod. cit. add.* et omnis scientia et lex adversum se divisa non stabit.

et agat poenitentiam et prima opera fatiat. Si minus non mea loquor verba, sed ipsa domini salvatoris que per praedictum Iohannem in iam dicto libro locutus est, replicans aio: Veniam et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi paenitentiam egeris. Ipse enim magis tenet doctrinam Balaam[1], qui docebat Balac inmittere scandalum coram filiis Israhel, sicut iste docet vos scandalizare sanctam matrem aecclaesiam et universum tam coetum sacerdotum quam religiosorum christianorum aut fidelium sacerdotum, unde et in supradicto libro continetur ita: Semper enim potius vos verbis domini salvatoris ferire et instrui cupio quam meis, licet et ipsa apostolica auctoritate sint ponderibus plena: Novi opera tua novissima plura prioribus, sed habeo adversus te, quia permittis mulierem Iezabel que se dicit prophetam docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolotitis, et dedi illi tempus ut paenitentiam ageret, et non vult penitere a fornicatione sua. Ecce ego mitto eam in lectum et qui moechantur cum ea in tribulatione maxima, nisi paenitentiam egerint ab operibus suis, et filios eius interficiam in morte. Et scient omnes aecclaesiae, quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Haec, fratres, valde cavenda sunt et praecepta domini atque sanctae sedis apostolicae que vice domini salvatoris legatione fungitur, monita fideliter amplectanda et peragenda.

De cetero, fratres, super provinciae[2] causa unde sedem apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis suffitienter tractatum a sanctis praedecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote certam provintiam esse, quae habet decem vel undecim civitates et unum regem et totidem minores potestates sub se et unum episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim episcopos iudices, ad quorum iuditium omnes cause episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum cause referantur, ut ab his omnibus iuste consona voce discernantur[3], nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his qui iudicandi sunt appellatum, unde non oportet ut degradetur vel dehonoretur unaqueque provincia[4], sed apud semetipsam habeat iudices, sacerdotes et episcopos[5], videlicet iuxta ordines suos; et quicumque causam habuerit a suis iudicibus iudicetur et non ab alienis, id est a sue iustis iudicibus provinciae et non ab externis, nisi ut iam prelibatum est, a iudicandis fuerit appellatum. Si vero in qualibet provintia orte fuerint questiones et inter ipsius provintiae episcopos discrepare ceperit ratio, atque inter episcopos dissidentes non conveniat, ad maiorem tunc sedem referantur, et si illic facile et iuste non discernuntur, ubi fuerit synodus regulariter congregata, canonice et iuste iudicentur. Maiores vero et difficiles quaestiones[6] ut sancta synodus statuit et beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur. Caeterum sanctorum patrum statuta sequentes synodali auctoritate omnes qui adversus patres armantur, ut patrum invasores et mactatores

Veniam et movebo — paenitentiam egeris, Apoc. II. 5.

Ipse enim magis — filiis Israhel, Numer. XXII. 7.

Novi opera tua — secundum opera vestra, Apoc. II. 19—23.

scitote certam provinciam etc., cf. Greg. M. ep. XI. 65. (2, 1163.)

nisi ad maiorem — iudicandi sunt appellatum sec. c. 15. conc. Carth. D. aut Ben. I. 404. II. 300. III. 121. aut c. 42 Angilr.

unde non oportet — a iudicandis fuerit appellatum, Ben. add. III. 107. (Innoc. I. ep. ad Vict. Rotom. c. 3. H. no. 7.) Cf. Anacl. 15.

Maiores vero — semper referantur sec. ep. cit. c. 3. (H. no. 7. cf. tamen versio eiusd. cap., quod est c. 4 in coll. Quesnell. ed. a fratr. Ballerin. in op. Leon. M. T. III. p. 206.), Ben. II. 381. III. 109. Cf. Anacl. 17. 34, Zepher. 6, Gai. 7, Marcelli 2, Iul. 5, Vigil. 7.

omnes qui adversus — esse censemus, Procli ep. ad Domn. Ant. aut Ben. III. 374. aut c. 19 (bis) Angilr. Cf. Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2, Iul. 12. (Alex. 6, Steph. 13, Euseb. 5.)

[1] *Sic* Babyloniam *corrigendum est.* [2] *Sic* providentiae *sec. cod. Par.* 3852 *et Hincm. Rh. Op.* II. *p.* 430 *corr.* [3] *Sic cod. Par. cit.; Hincm. l. c.* decernantur. *Par.* 840: referantur. [4] *Sic* providentia *sec. Par.* 3852 *et Hincm. l. c. corr.* [5] *Par.* 3852 *et Hincm. l. c. add.* singulos. [6] *Omisi* non *quod est in codice. Deest in Par.* 3852 *et apud Hincm.*

infames esse censemus, quoniam ea vulnera quae fomentis non sanantur, ferro abscidi vel curari necesse est.

Unde, fratres, cessent iniustae aemulationes, cessent desidiae[1], cessent falsae criminationes, ne infirmus quisquam propter quem Christus mortuus est, talibus laceretur insidiis, ne ovis pretio Christi redempta lupinis a fratre sautietur morsibus. Merito ergo causa nos respicit, si talibus favere caeperimus. Corripiantur semper talia nec illis qui haec certare conantur aut patribus vel fratribus insidiantur libere loqui concedatur aut pro voluntate sermo proferri permittatur. Liquet omnino quod coniveant illis qui talia eos loqui permittunt, quoniam occurreret veritas, si falsitas et calumnia vel odium displiceret. Desinat igitur falsitas incessere veritatem, desinat suspitio que iuste repellitur insidiari, desinat odium et inimicitia persequi patres vel fratres, desinat conspiratio, que ab omnibus est repudianda, infestari magistros. Horum igitur vitiorum auctores vel patratores non sunt in accusatione pontificum recipiendi, sed poenitus repellendi, quoniam iubent canonica[2] decreta patrum ut accusatio vel testimonium eorum qui odio quoslibet insecuntur vel qui inimici aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum statuta et nos firmantes eadem omnibus inviolabiliter futuris temporibus tenere censemus. Quicquid autem super hac causa patres nostri decernendum duxere dignum ut condecet, necesse est, cum labefactari vel infirmari ceperit apostolica denuo auctoritate firmari ac renovari fratribusque dari. Data Kalend. Martii indictione XV. Explicit.

[3] INCIPIT EPISTOLA SECUNDI PELAGII PAPAE BENIGNO ARCHIEPISCOPO DECRETA.[4]

Dilectissimo fratri BENIGNO archiepiscopo PELAGIUS episcopus.

Lectis[5] fraternitatis tuae litteris vigorem fidei tuae, quem dudum noveramus, agnovimus congratulantes dilectioni tuae quod ad custodiendum gregem Christi pastoralem curam vigilanter inpendis, et pro tibi subditis sollicitus insistis[6]. Ad nostram enim laetitiam et benefacta perveniunt, et si aliqua secus quam oportet[7] provenerint, non modico nos merore conturbant. Magnam enim gratulationem divina concedit gratia, quando tribuit inter nos salutaris discipline normam litteris conferre et provenire ad pacificorum studia facit preoptata. Exigit ergo dilectio tua consulta sedis apostolicae, si licitum foret episcopum transire aut mutare de civitate ad civitatem, dum quidem canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibeant. Significasti etiam litteris tuis quendam fratrum nomine et actu dei servum causa utilitatis te velle mutare in locum et civitatem defuncti, licet quidam dicant hoc fieri non licere, si[8] consensum apostolicae sedis habuisses.

quoniam ea vulnera — vel curari necesse est, Siric. ep. ad Eum. c. 7 i. f. (H. no. 3.) Cf. Anacl. 40, Fab. 11, damn. Vigil., Symm. syn. VI.
Merito ergo — favere caeperimus, Coelest. I. ep. ad Ven. c. 1. (H. no. 33.) aut Ben. III. 44. Cf. Sixt. II. pp. 8, Iul. 9. 19, Fel. II. pp. 10, Dam. de corep., Ioann. III.
Liquet omnino — vel odium displiceret sec. ep. cit. c. 1. Cf. Iul. 11.
Desinat igitur — infestari magistros sec. c. 1 cit.
vel qui inimici aut suspecti — recipiantur, Ben. III. 107. Cf. eiusd. ep. 3, Pont. 9, Iul. 18, Silv. ep. ad Amat.
Pelagii epistola ad Benedictum.
Lectis fraternitatis — sollicitus insistis, Leon. M. ep. 2. c. 1. (1, 594.) Cf. Marc. 1.
Ad nostram enim — merore conturbant sec. Coelest. 1. ep. ad episc. per Vienn. pr. (H. no. 34.) Cf. Fab. 11.
Magnam enim — studia facit preoptata, init. conc. X. Tolet.
Exigit ergo dilectio — sedis apostolicae, init. ep. Zosimi ad Hesych. (H. no. 28.) Cf. Fab. 8, Ioann. I. pp. ep. 1.
Significasti etiam — aut utilitatis mutatur sec. Cass. hist. trip. XII. 7. 8.

[1] *In Par.* 3852 *manu post. corr. in:* insidiae. [2] *Sic* archana *sec. cod. cit. corr.* [3] *Sec. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui Par.* 3852. [4] *Par.* 3852: directa. [5] *Sic* lecti *sec. cod. cit. corr.* [6] *Cod. cit.* existis. [7] se quisquam *sec. Par.* 3852 *in* secus quam oportet *correxi.* [8] *Par.* 3852: etiamsi.

Quapropter scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis et utilitatis, et aliud causam presumptionis et propriae voluntatis. Non ergo mutat sedem qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiae aut dominationis aut propriae voluntatis vel suae electionis migrat de civitate ad civitatem, sed causa necessitatis aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati praeferenda est. Aliud est enim mutare et aliud mutari, sicut aliud est ministrare et aliud ministrari. Unde dominus in evvangelio loquitur dicens: Non veni ministrari sed ministrare. Quod enim in canonibus legitur non debere episcopum de civitate ad civitatem transire vel transformari[1], non de his dicitur qui aut vi expulsi, necessitate coacti aut auctoritate maiorum hoc agunt, sed de his, qui avaritiae ardore inflammati sponte sua prosiliunt et potius ambitioni quam utilitati aecclaesiae servire et ut dominationem agant insistere cupiunt. Unde et in subiectis canonibus continetur: Si aliquis extiterit temerarius, qui forsitan excusationem afferat quod populi litteras acceperit et ideo migraverit, dum manifestum sit premio et mercede paucos qui sinceram fidem non habent, potuisse corrumpi, ut clamarent in aecclaesia et ipsum petere viderentur, omnino has fraudes removendas esse censemus. His verbis et aliis multis exemplis liquet non de his dicere, ut paulo superius prelibatum est, qui pulsi aut non recepti a civibus vel a quibuscumque aut necessitate cogente vel auctoritate maiorum transeunt de civitate ad civitatem, sed de his qui sponte prosiliunt aut temeritatis aut ambitionis causa hoc fatiunt. Nam et aliud est sponte transire et aliud est coacte aut necessitate venire: unde non isti mutant civitates, sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. Quis enim umquam audet dicere sanctum Petrum apostolorum principem non bene egisse, quando mutavit sedem de Antiochia Romam? Aut quis eum negat ob id sanctum non esse aut dignitatem aut meritum apostolatus tam in celis quam in terris perdidisse? Aut quis negat sanctos non esse multos alios episcopos, qui de civitatibus ad civitates translati sunt aut meritum pontificatus perdidisse? Quorum nomina si coeperim enumerare, ante dies pertransiet quam haec omnia conscribere possem et prolixior erit epistola quam necesse sit. Aut quis umquam potest adprobare sanctum non esse Alexandrum, qui Hierosolimam de altera civitate translatus est, aut sanctum Gregorium Nazanzenum, qui in Aziato[2] constitutus est, aut sanctum Proclum qui de Cizico translatus et Constantinopoli est intronizatus? Non ergo bene intellegunt aecclaesiasticas regulas qui hoc negant causa utilitatis aut necessitatis fieri non[3] posse, quocies communis utilitas aut necessitas persuaserit. Nullum enim ex his aut ex aliis, qui meliori consilio mutaverunt civitates necessitate quadam vel utilitate aecclaesiastica aut laica communione carere repperimus: nec ullatenus umquam fieri debet. Sententia vero que in Antioceno concilio habetur, ut episcopus ab alia[4] nequaquam migret ad aliam, tota atque omnes sententiae de ea re vim superius comprehensam retinent et nihil pretaxato modo translationibus episcoporum actis vel agendis nocent, sed magis roborem eis ac domini salvatoris que omnes canonicos superexaltat libros, auctoritate prestent. Tales autem questiones magis ex invidia quam ex caritate aut utilitate nasci videntur, cum ipsa per se veritas dicat: Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, et reliqua. Huic ergo sententiae nullus catholicorum usquam contradicere potest,

(*Non ergo mutat — utilitatis mutatur.* Cf. Ant. 2.)
Non veni ministrari — ministrare, Matth. XX. 28.
Quod enim in canonibus — vel transformari, conc. Sard. c. 1. (H.)
qui aut vi expulsi — sponte sua prosiliunt sec. c. 21. conc. Antioch. (D.)
Unde et in subiectis — esse censemus, conc. Sard. c. 1 cit.
Quis enim umquam — Romam, cf. praef. Nicen. conc. in coll. Quesnell. (Leon. M. op. ed. Baller. 3, 24.) Cf. Ant. 2.
Aut quis negat sanctos — aut necessitas persuaserit sec. Cass. XII. 8. Cf. Ant. 2.
Sententia vero — migret ad aliam, c. 21. conc. Ant. (D.)
Si vos persecuti — fugite in aliam, Matth. X. 23.

[1] *Par.* 3852: transferri. [2] *Cod. cit.* Aziazo. [3] *Om. cod. cit.* [4] *Cod. cit. add.* parrochia.

que non alterius sed ipsius proprio domini ore prolata et firmata esse dinoscitur. Cui si aliquis contradixerit, non solum extorris, sed etiam anathematizatus ab ecclesia pellatur. Et dominus in evangelio alias ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si eos dominus beatos dicit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quis eos dampnare potest? Et si ipse de civitate ad civitatem propter persecutionem fugere precepit, quis eos detrahere aut dampnare propterea audet vel potest, quod verbis dominicis obtemperant? Profecto qui his contradicit aut resistit, seipsum dampnat, quia ori domini contumax et inoboediens exsistit. Unde et ipsa per se veritas dicit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui est ex deo, verba dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Omnino oportet deo oboedire plus quam hominibus et idcirco quod deo oboedimus et de civitate ad civitatem ipso praecipiente persecutionis causa, id est necessitatis aut utilitatis transimus, dampnandi sumus? Non omnino, sed potius venerandi atque portandi, quoniam qui his resistit, profecto dei ordinationi resistit et est infideli deterior, quia melius est non cognoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum abire. Nam et ipse dominus de loco ad locum recessit, id est transivit, iudeis illum querentibus. Fugiens ille querentes et persequentes se dedit nobis exemplum fugere nos persequentes et de civitate ad civitatam transire praecepit dicens: Si vos persecuti fuerint in civitatem istam, fugite in aliam, et cetera talia his similia. Nam si fugere malum est, persequi multo deterius. Hic quidem ne moriatur, absconditur; hic tamen persequitur ut occidat et ut fugiatur precipitur, qui autem querit occidere prevaricatur legem et magis fugiendi prebet occasionem. Si fugam inproperant persequentes, erubescant potius semetipsos, et quiescant insidiari et quiescant et in vos[1] fugientes. Nemo enim mitem fugit aliquando, sed magis ferocem simul et calidum. Omnis enim qui gemebat et vexabatur a Saul fugiebat et veniebat ad David. Si ergo rex piissimus atque iustissimus David sciret peccatum esse persecutionem fugientes et transeuntes de loco ad locum et de civitate ad civitatem tales nequaquam reciperet, nec secum teneret, nec in aliis civitatibus eos collocaret. Qui enim persecuntur domini episcopos eosque de civitatibus ad civitates transire conpellunt, non eos tantum persecuntur, quantum dominum nostrum Iesum Christum, cuius legatione funguntur, nec ipsi in hoc peccant episcopi, quoniam non sponte sed coacte hoc agunt, sed illi a quibus persecuntur, nec ipsis episcopis hoc inputari potest, sed illis qui eos hoc agere cogunt. Sanctus enim protomartyr Stephanus lapidabatur, sed Iesus suscipiebat plagas, ideoque unicuique previdendum est, ne aliquem iniuste persequatur, iudicet vel puniat, ne Iesum persequatur, iudicet et puniat. Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus ac necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia et veritas et omnibus necessitatem patientibus subvenire iubet. Pauca sunt, frater, quae asserui, sed quanta ex his pendeant tua providentia poteris aestimare. Quare hanc adnituntur malevoli interrumpere misericordiam? Cur illudere[2] vanis intentionibus felicitatem? Excusationem iam non habet furor iste credentibus, nec interest quibus itineribus ad mundi principem currat, qui a benevolentia fratrum disciscit aut

Beati qui — propter iustitiam, Matth. V. 10.
Quis ex nobis — deo non estis, Ioann. VIII. 46. 47.
Omnino oportet — quam hominibus, act. apost. V. 29.
quoniam qui his — ordinationi resistit, Rom. XIII. 2.
et est infideli deterior, I Timoth. V. 8.
quia melius est — retrorsum abire, II Petr. II. 21.
Nam et ipse dominus — fugite in aliam, Cass. hist. trip. VI. 22. Cf. Iul. 14.
Nam si fugere — et veniebat ad David, Cass. l. c. Cf. Iul. 14.
cuius legatione funguntur, II Cor. V. 20.
Sanctus enim — suscipiebat plagas, act. apost. VII. 58.
ideoque unicuique — vel puniat, Ben. III. 372. aut c. 11 (bis) i. f. Angilr. Cf. Marcellini 3.
Quare hanc adnituntur — fratrum disciscit, Ennod. lib. apol. p. 349.

[1] *Par.* 3852: continuo *pro* et in vos. [2] *Sic corr.* Cui ludere; *Par.* 3852: Cur laedere.

necessitatem patientibus misaericordiam negat. Negat misericordiam necessitatem patientibus qui populis indigentibus divinis ministeriis[1] et non habentibus proprium episcopum, qui eos instruat causa utilitatis atque necessitatis, aut ex alia civitate, licet minor sit, in eam quae non habet episcopum, doctiorem vel utiliorem, meliori consilio non sponte transeuntem, sed maiorum exhortatione mutare aut episcopum eiectum et persecutionem patientem causa utilitatis aut necessitatis intronizare. Apud veteres enim sine ulla differentia de una civitate ad alteram migrabat episcopus, dum utilitas aut necessitas evocaret. Quapropter ipsam etiam regulam huic epistolae placuit inseri, ut monstretur eos mentitos esse qui episcopum non posse intronizare dixerunt; unde et in canonibus legitur ita: Si quis episcopus ordinatus ad parrochiam, in qua ordinatus est, minime proficiscitur, non sua culpa, sed aut populo respuente aut propter aliam quamlibet causam non necessitate factum hunc honore ministerioque participare, tamen nec eum misceri rebus aecclaesiae in qua collectas caelebrant aecclaesiae, sed sustinere quod provintiae synodus suo iudicio terminaverit. Huic regulae nullus contradicere potest, quae etiam causa utilitatis aut necessitatis intronizare episcopum iubet, et mutare ac transire eum de civitate ad aliam civitatem non proprium habentem episcopum sinit. Pinguas hostias litat diabolo, qui his resistere nititur, aut misericordiam et utilitatem aecclaesiae iam dictis negat, id est et episcopis et populis. In vanum ergo contra simplices, qui haec olim dicentes agere prohibuerunt, tendicula deinceps parabunt, cum his et aliis armati amminiculis noverint quid super his sit agendum et quid vitandum. Nimis enim armatus est, qui illa quae adversarius misericordiae, utilitatis atque concordiae ministrat, tela contempnit. Sufficit ergo contra omnia iacula iurgiorum fidei nuda oppositio. Scio te non ignorare, frater, memoratas canonum sententias apud evvangelicas sanctiones, novas non esse, sed nostro adsensui mancipari. Cur his contradicentes aemigrationes episcoporum utilitatis et necessitatis causa fieri prohibentes, ut saepe dictum est, et non avaritiae aut temeritatis in pernitiem sacerdotum ac populorum ledunt sacerdotale concilium? Cur lacerant sententiam in qua inspirante Christo oracula superna patuerunt, et inter deum et homines interpres extitit lingua pontificum? Illa enim caeli curia variarum dotibus aucta curulium[2] et multo redemptoris nostri auro ostroque decorata, nihil in illa discisione[3] auctore se protulit, sed per humanae linguae ministerium[4] divino militavit imperio. Intellexit non esse suum quicquid inpulsa constituit, nihil quoque habet in illa sententia, nisi unde de sola devotione gratuletur. Nam dum profanis memoratorum verbis caeditur et inscientiam[5] produnt et livorem, quis hic locus erroris, ubi congruentia pari ductu exempli et historiae verba concurrunt? Nec diversum est ab intellectu catholico et lectionibus quod profertur. Nam dum bene nodus in scirpo quaeritur, dum involvit nebula praedicatae lucis auctores; feda namque a nitore domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis caelestibus minus mera fide dependit officia. Talium ergo dictiones vel prohibitiones indigne etiam fiunt memoratu. Profunda est ergo nimis imperitia eorum et sepulcrum patens est guttur eorum, quia linguis suis dolose agebant. Non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidiae, densis cor eorum vepribus suffocatur, et interna vitia aliis certant ascribere[6]. Nobilitatem ergo dat facinoribus, qui in talibus ventilationem ipsorum in exemplum sumit aut ad aures posteras digna relatione transmittit. Tibi autem non sit cura talium questionum, sed sequere sententiam beati Pauli apostoli, qui monet per discipulum cunctos et clamat

Apud veteres enim — episcopum sinit, Cass. hist. trip. XII. 8.

Pinguas hostias — fidei nuda oppositio, Ennod. lib. apol. p. 349.

Scio te non — inanes quaestiones devita sec. Ennod. lib. apol. p. 349—351.

[1] *Par.* 3852: mysteriis. [2] *Sic* cerulium *correxi. Par.* 3852: causarum. [3] *Cod. cit.* disceptatione. [4] *Sic legendum pro* mysterium, *quod in Par.* 3852 *postea in* ministerium *correct. est.* [5] *Par.* 3852: suae vesaniae inscitiam. [6] *Sic* scribere *correxi sec. cod. cit.*

dicens: Inanes questiones devita; inanes namque iuxta apostolum questiones semper vita et age quod meliori consilio non avaritiae vel temeritatis vel utilitatis et necessitatis, ut saepe dictum est, causa faciendum utiliter prospexeris.

Quapropter, karissime, his apostolicis fultus auctoritatibus, muta episcopum causa necessitatis aut utilitatis, super quo nos consulere voluisti et alios fratres nostros quibus hoc faciendum necessitas aut utilitas compulerit, agere doce, quia hoc quod tibi soli scribimus generaliter omnibus tenere mandamus; quia sicut potestatem habes episcopos et sacerdotes regulariter titulare et ordinare, ita ut predictum est, causa necessitatis aut utilitatis habes et mutare ac de titulo ad titulum translatare, licet de minori ad maiorem urbem mutandus sit: hoc tamen summopere praevidendum est, ne causa arrogantiae aut avaritiae umquam fiat, quia hi a predictis canonibus dampnantur, non illi qui necessitate aut utilitate maiorum consilio et sana ac pura et deo placita intentione hoc fatiunt. Tu, frater, semper sectare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam et mansuetudinem. Certa etiam bonum certamen fidei et adprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, quoniam spiritus timentium deum queretur ab illo et in respectu illius benedicitur. Spes enim illorum in salvantem illos et oculi dei in diligentes se. Qui timet dominum, nihil trepidabit et non pavebit, quoniam ipse est spes eius. Timentis dominum beata est anima. Ad quem respicit et quis est fortitudo eius? Oculi domini super timentes eum, protector potentiae, firmamentum virtutis, tegmen ardoris et umbraculum meridiani[1] et praecatio offensionis et adiutorium casus, exaltans animam et inluminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem, immolans ex iniquo oblationem maculatam[2] et non sunt beneplacitae subsannationes iniustorum, dominus solus sustinentibus se in via veritatis et iustitia. Dona iniqui non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniustorum, nec in multitudine sacrifitiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrifitium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem et sudantis cibos, quasi qui occidit proximum suum. Qui effudit sanguinem et qui fraudem facit mercennario, fratres sunt, unus aedificans et unus destruens: quid prodest illi nisi labor? Unus orans et unus maledicens, cuius vocem exaudiet deus? Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ipsius? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis et iterum eadem fatiens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet? Qui conservat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est adtendere mandatis et discedere ab omni iniquitate vel praevaricatione et propitiatio litare sacrifitium super iniustitiam et deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia. Retribuit gratiam qui offert similaginem, et qui facit misericordiam offert sacrifitium. Beneplacitum est domino recedere ab iniquitate et deprecatio recedere ab iniustitia. Non apparebis ante conspectum dei vacuus: haec enim omnia propter mandatum domini fiunt. Oblatio iusti inpiguat altare et odor suavitatis in conspectu altissimi. Sacrifitium iusti acceptum est et memoriam eius non obliviscetur dominus. Bono animo gloriam redde deo et non minuas primitias frugum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum et in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundum datum eius et in oculo bono adinventionem fac manuum tuarum, quoniam dominus retribuens est et septies tantum reddet tibi. Noli offerre munera prava, non enim suscipiat illa, et noli inspicere sacrifitium iniustum, quoniam dominus iudex est et non est apud illum gloria personae. Non accipiet dominus personam in pauperem et precationem laesi exaudiet. Non despiciet preces pupilli nec vi-

Tu frater semper sectare — in qua vocatus es, I Timoth. VI. 11. 12.

quoniam spiritus timentium — orationem illius quis exaudiet, Ecclesiastic. XXXIV. 14—31.

Qui conservat legem — iustos misericordia sua, l. c. XXXV. 1—25.

[1] *Par.* 3852: meridianum. [2] *Cod. cit.* oblatio est maculata.

duam, si effundat loquellam gemitus. Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt et exclamatio eius super educentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad caelum, et dominus exauditor non delectabitur in illis. Qui adorat deum in oblatione, suscipietur, et praecatio illius usque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, donec propinquet, non consolabitur et non discedet, donec aspiciet altissimus, et dominus non elongabit, sed iudicabit iniustos et faciet iuditium, et fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum, et gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum et sceptra iniquorum contribulet, donec reddat omnibus secundum actus suos et secundum opera Adae et secundum praesumptionem illius, donec iudicet iudicium plebis suae, et oblectabit iustos misericordia sua. Deus autem, frater karissime, inpleat desiderium et ministerium tibi divinitus conlatum saecundum divitias suas in gloria in Christo Iesu domino nostro, deo autem patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen. Explicit. Data XIII. die mensis augusti indictione quartadecima.

[1] CUIUS SUPRA GENERALITER OMNIBUS ET SPECIALITER HIS QUI PER CAMPANIAE ET ITALIAE PROVINTIAS DEGUNT EPISCOPIS SCRIPTA. XIV.

Dilectissimis atque karissimis fratribus universis episcopis et cunctis specialiter per Campaniam et Italiae provintias domino militantibus PELAGIUS salutem.

Sollicitudinem omnium aecclesiarum iuxta apostolum circumferentes divinae circa nos gratiae memores esse debemus, quod nos per dignationis suae dominus misericordiam ad hoc fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inherentes in quodam sacerdotum eius speculo constituti prohibeamus inlicita et sequenda doceamus. Omnes, karissimi, qui volunt in Christo pie vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur obprobria et despitiantur tamquam stulti et insani qui ideo presentia bona perdunt, ut invisibilia ac sibi profutura adquirant. Sed haec despectio et inrisio in ipsos retorquebitur dum et habundantia eorum in aegestatem et superbia eorum transierunt in confusionem. Iusto enim iuditio datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos eius persequantur, ut qui spiritu dei iuvantur et aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Et quamquam, fratres, ita haec se habeant, non tamen sunt consentiendi, sed reprobandi, qui pastores et seniores suos repraehendunt vel accusant: unde canonica sanctorum patrum statuta, ne columnae sanctae aecclaesiae vacillent, sequentes ac roborantes omnes infames cunctosque suspectos vel inimicos et eos qui non sunt eorum gentis, vel quorum fides, vita et libertas naescitur et qui non sunt bonae conversationis vel quorum vita est accusabilis, ab omni accusatione episcoporum funditus submovemus. Similiter et omnes quos divinae leges mortuos appellant, submovendos esse ab eadem

Deus autem frater karissime — gloria in saecula saeculorum, Philipp. IV. 19. 20.
Epistola Pelagii ad omnes episcopos.
divinae circa nos — et sequenda doceamus, init. Hilar. ep. ad Acac. (H. no. 76.) Cf. Zeph. 1, Fab. 25, Marcelli 1.
Omnes karissimi qui volunt — transierunt in confusionem, Prosp. Aquit. s. 32. Cf. Zeph. 10, Fel. I. pp. 5.
Iusto enim iuditio — clariores, eiusd. s. 23. Cf. Zeph. 13, Sixt. II. pp. 7.
columnae sanctae aecclaesiae, conc. Paris. a. 829. lib. I. c. 4. aut Ben. I. 315. Cf. Anacl. 20, Zeph. 5, Sixt. II. pp. 4, Iul. 18, Fel. IV. pp. ep. 1.
omnes infames. Cf. Fel. II. pp. 12. xv.
cunctosque suspectos, Ben. III. 107. Cf. s. ep. 1 i. f., Pont. 9, Iul. 18, Silv. ep. ad Amat.
et eos qui non sunt eorum gentis sec. Ben. II. 343. (l. Visig. II. 1. 9.) Cf. Steph. 7.
vel quorum fides — naescitur, Ben. II. 359. III. 112. aut c. 13 Angilr. Cf. Calist. 17, Fab. 13. 25, Sixt. III. pp., Steph. 12.
et qui non sunt — est accusabilis, Cap. eccles. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. Cf. Calist. 17, Pont. 9, Fab. 13. 25, Sixt. III. pp., Steph. 12. (Fel. I. pp. 12, c. 13 Angilr.)
Similiter et omnes — ab eadem accusatione, Ben. III. 322. 440. aut c. 28 Angilr. (l. Visig. II. 4. 7.) Cf. Alex. 5, Steph. 13, Melc. 5.

1 *Sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *adhibui cod. Par.* 3852.

accusatione et publicae paenitentiae submittendos iudicamus neque dum aecclaesiae alicuius episcopi aut possessiones vel res ab emulis eius vel a quibuscumque aliis non sua sponte detinentur, aliquid illi debet aut potest a quoquam ante redintegrationem omnium rerum suarum obicere, sed prius illi legibus redintegranda sunt omnia et postea tempore a patribus praefinito sunt negotia ventilanda. Refutandi sunt etiam raptores, fures, sacrilegi, adulteri et horum similes: manifestum est enim quod semper tales magis discordiam quam pacem sectantur. Nullus quoque monachus talia usquam arripiat nec saecularia aut aecclaesiastica negotia perturbare praesumat, quia mortua in talibus vox est eorum: immobiles enim dominus suos summos semper vult manere predicatores et non a quibusdam temerari, sed sibi libere et quiete famulari, unde et ipse ait: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, et qui vos contristat, me contristat, et qui fecerit iniuriam, recipiet quod inique gessit. Et alibi: Qui vos recipit, me recipit, et qui vos spernit, me spernit. Ita quoque et a plebibus vel caeteris generaliter omnibus sunt timendi et ferendi atque venerandi pastores et praedicatores aecclaesiae, ut sub exercitatione bone voluntatis sustineantur temporalia, sperentur aeterna. Auget enim merita virtutis qui propositum non violat, sed auget religionis. Charitas vero semper hominem invocat. Et sicut malignitas veteres ita dilectio novos facit, fides eorum qui deum visuri sunt, quod non videt, credit. Nam si videt, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur praemium. Tunc pretiosum pastoris diadema est, quando suasioni eius grex aecclaesiasticus dum ad probitatem graditur, non repugnat. Ille sine fuco monitorem et feriato ore diligit, qui eius instituta sectatur. Prebent hominibus naturae institutione et muta responsum; redit ad mortales vicissitudo clamose sollicitudinis, quia unusquisque prout gesserit, recipiet. Nam perit quod linguae acceperunt vel lustra beneficium[1] nisi legitime ceptum fuerit negotium et canonicae peractum. De fidutia enim partium nostrarum mittitur, quod apostolica mandat auctoritas, vos tantummodo, praesules Christi, benignitatem vestram salva aurium animorumque aequitate et bona voluntate semper prestate. Nam adversus inpetus iuvare, peregrinantem reducere post intervalla est iustitia. Libat enim domino prospera qui ab afflictis pellit adversa. Statua, venerandi praesules, sudoris fructus est iudicio reddenda purissimi, ut in utroque congruus nitor nec suscipientem devenustet, si indigna auctoritate provenerit, nec si conferatur[2] inmerito, maculet largientem. Sit semper adversus pravos et impios atque servorum dei persecutores libera vox et oris gladio feriantur et redarguantur, persequantur enim et repellantur, confundantur et avertantur, nec ledendi pie viventes ullam habeant facultatem. Plerumque periculis plena sunt que videntur esse tutissima, videte quantis laborent tales insidiis; ideo absconditum esse non licet, quod addimus. Iam latebram nostram persecutio manifestat. Misericordia est circa persecutores vel

neque dum aecclaesiae — negotia ventilanda sec. epit. Aegidii ad leg. Rom. Visig. Paul. sent. I. 7. s. 2. Cf. Euseb. 12, syn. V. Symm., Ioann. I. pp. ep. 1.
Refutandi sunt etiam — horum similes sec. interpr. c. 8. C. Th. IX. 38. Cf. Steph. 2.
Quis vos tangit — oculi mei, Zach. II. 8.
et qui vos contristat, me contristat, II Cor. II. 5.
et qui fecerit — quod inique gessit, Coloss. III. 25.
qui vos recipit — me spernit, Matth. X. 40.
Ita quoque et a plebibus — auget religionis, Prosp. Aquit. s. 34. Cf. Zeph. 8.
Charitas vero semper — dilectio novos facit, eiusd. s. 274.
fides eorum—redditur praemium, eiusd. s. 365.
Tunc pretiosum — eius instituta sectatur, Ennod. dict. V. incipientis episc. (p. 478.)
Prebent hominibus — beneficium, eiusd. ep. VII. 22. (p. 210.)
De fidutia enim — post intervalla est iustitiam sec. eiusd. dict. XXI. (p. 529.)
Libat enim domino — pellit adversa, c. 11 (bis) Angilr. (Ben. II. 323. III. 221. aut c. 2. conc. VIII. Tolet.) Cf. Fab. 29, Dam. 23, Sixt. III. pp.
Statua venerandi — maculet largientem, Ennod. dict. 18 in tyrann. (p. 520.)
et oris gladio — et redarguantur sec. Greg. M. reg. past. III. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 103. (Cf. Fab. 22, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1, Greg. M. ad Fel.)
Plerumque periculis — persecutio manifestat, eiusd. vita Antonii monachi (p. 426).
Misericordia est circa — quam morbus increscat, l. c. (p. 424.)

[1] *Par.* 3852: beneficiunt. [2] *Sic* sicut feratur *corr. sec. cod. cit.*

facinorosos servata districtio. Ergo sopori[1] quietem tribuite, caelestium mandatorum hostem quoque depellite, ne candida conversatio vobiscum habitantium fusca supervenientis contagione violetur. Ante enim providenda sunt remedia quam morbus increscat. Sanctorum quoque apostolorum et reliquorum sacerdotum petamus exercitum et praedictorum persecutorum ora claudamus. Saeculi conversatio legum metu retinetur, ecclaesiastica quoque custodia regularum frenis servatur et regitur. Deus, karissimi, semper procul avertat invidiam. Vos ergo armamini, iuxta apostolum, gladio spiritus, quod est verbum dei, et apostolice auctoritatis clipeo, ut aecclaesiasticae fecunditatis iura nulla sevientis procellae possint inpulsione subverti; nolite ullo umquam praeiuditio gravare quenquam, sed inspicite semper que regularum testimonio declarantur. Superest salute prelata, ut ad gaudia semper, frater, devote properetis, quia divina benefitia gradibus semper accedunt et quibus bona conferunt meliora pollicentur; semper enim incrementis ad culmen ascenditur, ubi supernus favor praestat exordium. Deus omnipotens indulta semper custodiat, augeatque successibus profutura. Omnia semper vobis, frater, in caritate fiant, et detrahentes nolite detrahere, quoniam detrahentibus detrahere non est bonum, ne ad ea que scripta sunt commoti iniuriae certamen faciamus. Non debemus timere obprobrium hominum neque eorum exprobrationibus vinci, quoniam hoc nobis dominus iubet per Isaiam prophetam dicens: Audite me, qui scitis iuditium: populus meus in quorum cordibus lex mea est, nolite timere obprobrium hominum, et blasphemias eorum ne timeatis; considerantes, quod in psalmo scripta sunt: Nonne deus requiret ista? Ipse enim novit occulta cordis et cogitationes talium hominum, quoniam vanae sunt, vana autem locutus est unusquisque ad proximum suum, et labia dolosa in corde et corde locuti sunt mala. Sed disperdat dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam. Qui dixerunt[2]: Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus est? Nam si haec in memoria retinerent minime ad tantam prosilirent iniquitatem, non enim per probabilem et paternam doctrinam hoc faciunt, sed ut suam exerceant in servos dei vindictam. Scriptum est enim: Via stulti recta in oculis eius, et: Sunt viae que videntur homini iustae, novissima autem earum deducunt ad mortem, nos enim qui haec patimur iudicio dei haec reservare debemus, qui reddet unicuique iuxta opera sua, eius qui etiam per ministros suos intonuit dicens: Mihi vindictam, ego retribuam. Vos enim in recta fide ac pura et bona voluntate succurrite vicissim, nec aliquis a subplemento fratris subtrahat manum, quoniam in hoc, ait dominus, cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Data Kalend. Novemb. indictione XV. Explicit.

Sanctorum quoque — petamus exercitum, l. c. (p. 426.)

Saeculi conversatio metu retinetur, Ennod. ep. V. 13. (p. 149.)

Deus, karissimi, semper — meliora pollicentur, eiusd. V. 14. (p. 150.)

semper enim incrementis — praestat exordium, eiusd. V. 16. (p. 152.)

Omnia semper vobis — caritate fiant, I Cor. XVI. 4.

et detrahentes — certamen faciamus, conc. Later. a. 649. secr. IV. (Mansi 10, 1027.) Cf. Fel. II. pp. 18.

Non debemus timere usque ad finem. Cf. Zeph. 12. 13, Fel. II. pp. 18. 19. ubi eadem leguntur.

INCIPIUNT DECRETA GREGORII PAPAE.[3]

Epistola papae Gregorii ad Leandrum Ispalensem episcopum de simpla mersione babtismatis.[3]

Reverendissimo et sanctissimo fratri Leandro episcopo Gregorius servorum dei servus.

Respondere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curae ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat quam aliquid dicere. Quod vestra quoque reverentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelliget, quando ei negligenter loquor quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navem quam regendam occulta dei dispensatione

[1] *Sic* sapori *corr. sec. cod. cit.* [2] *Par.* 3852 *add.* linguam nostram magnificabimus. [3] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 97. *p.* 156.

suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur, interque haec omnia turbatus cogor modo in ipsa clavum adversitate dirigere, modo curvato navis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum et tempestate fortiter obviante iam iamque putridae naufragium tabulae sonant. Flens reminiscor quod perdidi meae placidum littus quietis et suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. Si ergo me, frater carissime, diligis, tu tuae mihi orationis in his fluctibus manum tende, ut quo laborantem me adiuvas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas. Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium gloriosissimum Reccaredum regem ad catholicam fidem integerrima agnovi devotione conversum, cuius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam quem nescio fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quoniam bellum durius contra victores proponit, nunc erga eumdem filium nostrum vestra solertius sanctitas vigilet, ut bene coepta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, ut fidem cognitam vitae quoque meritis teneat, et quia aeterni regni civis sit, operibus ostendat, quatenus post multa annorum curricula de regno ad regnum transeat.

De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest quam quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctae ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur.[1]

Gregorius Leandro episcopo Spaniae.[2]

Sanctitatis tuae suscepi epistolam solius caritatis calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat quod in chartae pagina refundebat. Boni autem sapientesque viri quum legeretur adfuerunt, quorum statim viscera in compunctione commota sunt. Coepit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa epistola tuae mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur et mirabantur singuli atque ipse ignis audientium demonstrabat qui fuerit ardor dicentis. Nisi enim prius in se faces ardeant, alium non succendunt. Ibi ergo vidimus quanta caritate tua mens arserit, quae sic et alios accendit. Vitam vero vestram, cuius ego semper cum magna veneratione reminiscor, minime noverant, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humilitate sermonis. Vitam autem meam cunctis esse imitabilem illa vestra epistola loquitur. Sed quod non est ita ut dicitur, sit ita quia dicitur, ne qui non solet mentiatur. Ad haec autem breviter cuiusdam bonae mulieris verba loquor: Nolite me vocare Noemi, id est pulchram, sed vocate me amaram, quia amaritudine plena sum. Neque, bone vir, hodie ego sum ille quem nosti. Multum, fateor, exterius proficiendo, interius cecidi, meque de eorum numero esse pertimesco, de quibus scriptum est: Deiecisti eos quum allevarentur. Quum allevatur enim deiicitur qui honoribus proficit et moribus cadit. Ego enim vias mei capitis sequens, summopere esse decreveram opprobrium hominum et abiectio plebis atque in eius sortem currere, de quo rursum per psalmistam dicitur: Ascensus in corde eius deposuisti in convalle lacrymarum, ut videlicet tanto verius intus ascenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius iacerem. At nunc multum me deprimit honor onerosus, curae innumerae perstrepunt et quum sese ad deum animus colligit, hunc suis impulsibus quasi quibusdum gladiis scindunt. Nulla cordis quies est, prostratum iacet in infimis suae cogitationis pondere depressum. Aut rara valde aut nulla hoc in sublimibus penna contemplationis levat. Torpet ignava mens et circumlatrantibus curis temporalibus iam pene ad obstuporem deducta cogitur, modo terrena agere, modo etiam quae sunt carnalia dispensare. Aliquando vero fastidio exigente compellitur quaedam etiam cum culpa disponere. Quid multa loquor? Victa suo pondere sanguinem sudat, nisi enim sanguinis nomine culpa censeretur, psalmista non diceret: Libera me de sanguinibus. Quum vero culpa culpis iungimus, hoc quoque quod per alium prophetam dictum est, implemus: Sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangere dicitur, quum culpa culpae adiungitur, ut iniquitatis cumulus multiplicetur. Sed inter haec per omnipotentem deum deprecor in perturbationis fluctibus elapsum tuae orationis manu me tene. Quasi enim prospero flatu navigabam quum tranquillam vitam in monasterio ducerem, sed procellosis subito motibus tempestas exorta in sua perturbatione me rapuit et prosperitatem itineris amisi quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis versor et tuae intercessionis tabulam quaero, ut qui navi integra dives pervenire non merui, saltem post damna ad littus per tabulam reducar. De podagrae vero molestia sanctitas vestra, ut scribit, affligitur, cuius dolore assiduo et ipse vehementer attritus sum; sed facilis erit consolatio, si inter flagella quae patimur quaeque fecimus ad memoriam delicta revocemus. Atque haec non iam flagella, sed dona esse conspicimus, si qui carnis delectatione peccavimus carnis dolore pungamur.

Praeterea ex benedictione beati Petri

[1] *Cetera quae in coll. Hisp. sequuntur, in codd. Ps.-Is. desunt.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 99. *p.* 158.

apostolorum principis pallium vobis transmisimus ad sola missarum solemnia utendum. Quo transmisso valde debui qualiter vobis vivendum esset admonere, sed loquutionem supprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens deus sua vos protectione custodiat atque ad coelestis remunerationem patriae cum multiplici animarum fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor et debilitate, brevitas testatur epistolae, in qua et ei quem multum diligo parum loquor. Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater.

Cuius supra ad Reccaredum regem Vvisigothorum. CXXIV.[1]

I. De laude eiusdem principis quod per eum ad catholicam fidem gens Gothorum conversa est.

II. De muneribus beato Petro apostolo a memorato principe missis.

III. De constitutione eius adversus iudaeos quod auro eorum non sit corrupta.

IV. Ut principes humilitatem cordis habeant.

V. Ut principes castitati corporis studeant.

VI. Ut principes moderati et mites erga subiectos existant.

VII. De clave corporis beati Petri et de cruce domini missa sive de pallio ad beatum Leandrum episcopum directo.

Gloriosissimo atque praecellentissimo filio Reccaredo regi Gothorum atque Suevorum Gregorius servus servorum dei.

I. Explere verbis, excellentissime vir, non valeo quantum tuo opere, tua vita delector. Audita quippe novi diebus nostris virtute miraculi, quod per excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab Arianae errore haeresis in fidei rectae soliditatem translata est, exclamare cum propheta libet. Haec est mutatio dexterae excelsi. Cuius enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito, non statim in omnipotentis dei laudibus atque in tuae excellentiae amore mollescat? Haec me, fateor, quae per vos acta sunt, saepe convenientibus filiis meis dicere, saepe cum eis pariter admirari delectat. Haec me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego et inutilis tunc inerti otio torqueor, quando in animarum congregationibus pro lucro coelestis patriae reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine iudici venienti dicturus sum, si tunc illic vacuus venero, ubi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad verae fidei gratiam per studiosam et continuam praedicationem traxit? Sed est mihi, bone vir, hoc in dei munere in magna consolatione, quia opus sanctum quod in me non habeo, diligo in te, quumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quae per laborem tua sunt, mea per caritatem fiunt. De conversione igitur Gothorum in vestro opere et in nostra exultatione libet cum angelis exclamare: Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Nos enim, ut aestimo, nos gratiarum amplius omnipotenti domino debitores existimus, quia etsi vobiscum nihil egimus, vestro tamen operi congaudendo participes sumus.

II. Beatus vero Petrus apostolorum princeps quam libenter munera excellentiae vestrae susceperit, ita cunctis liquide vita nostra testatur. Scriptum quippe est: Vota iustorum placabilia. Neque enim in omnipotentis dei iudicio quid datur, sed a quo detur, adspicitur. Hinc est enim quod scriptum est: Respexit deus ad Abel et ad munera eius, ad Cain autem et ad munera illius non respexit. Dicturus quippe quia dominus respexit ad munera, praemisit sollicite quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Vestra itaque oblatio quam sit grata ostenditis, quia daturi aurum prius ex conversione gentis subditae animarum cum munere dedistis. Quod vero transmissos abbates, qui oblationem vestram beato Petro apostolo deferebant, vi maris dicitur fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse, non munera vestra repulsa sunt quae postmodum pervenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant constantia est probata, an scirent sancto desiderio obiecta pericula vincere et in fatigatione corporis mente minime lassari. Adversitas enim quae bonis votis obiicitur, probatio virtutis est, non iudicium reprobationis. Quis enim nesciat quam prosperum fuit, quod beatus Paulus apostolus praedicaturus ad Italiam veniebat et tamen veniens naufragium pertulit, sed navis cordis in marinis fluctibus integra stetit?

III. Praeterea indico quia crevit vestro opere in laudibus dei hoc quod de dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognovi, quia quum vestra excellentia constitutionem quamdam contra iudaeorum perfidiam dedisset, hi, de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestrae mentis inflectere pecuniarum summam offerendo moliti sunt, quam excellentia vestra contempsit et omnipotenti deo placere quaerens auro innocentiam praetulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de cisterna bethlemitica quae inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset adlata, protinus dixit: Absit a me ut sanguinem hominum iustorum bibam. Quam quia fudit et bibere noluit, scriptum est: Libavit eam domino. Si igitur ab armato rege in sacrificium dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque, fili excellentissime, fidenter dicam,

[1] *Sec. cod. Par. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Hisp. no.* 100. *p.* 159.

quia libasti aurum domino quod contra eum habere noluisti.

IV. Magna sunt haec et omnipotentis dei laudi tribuenda, sed inter haec vigilanti sunt studio antiqui hostis insidiae cavendae, qui quanto maiora in hominibus dona conspicit, tanto haec auferre subtilioribus insidiis exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt. Via quippe est vita praesens et tanto quisque necesse est, ut insidiantes spiritus caveat, quanto maiora sunt dona quae portat. Oportet ergo excellentiam vestram in tanto hoc de conversione gentis subditae munere quod accepit, summopere custodire primum humilitatem cordis ac deinde munditiam corporis. Quum enim scriptum sit: Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur, profecto liquet, quia ille veraciter alta amat qui mentem suam ab humilitatis radice non desecat. Saepe namque malignus spiritus ut bona destruat, quibus prius adversari non valuit ad operantis mentem post peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit, ita ut decepta mens admiretur ipsa quam sint magna quae fecit. Quae dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, eius qui donum tribuit gratia privatur. Hinc est enim quod per prophetae vocem contra superbientem animum dicitur: Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo. Fiduciam quippe animae in pulchritudine sua habere est in semetipsa de iusta actione praesumere, quae in suo nomine fornicatur, quando in hoc quod recte egit non conditoris laudem dilatari appetit, sed suae opinionis gloriam requirit. Hinc rursus per prophetam scriptum est: Quo pulchrior es descende. Anima etenim unde est pulchrior inde descendit, quoniam ex virtutis decore quo exaltari apud deum debuit, ab eius gratia per suam elationem cadit. Quid ergo in his agendum est, nisi ut quum malignus spiritus nobis ad elevandam mentem reducit bona quae egimus, nos semper ad memoriam mala nostra revocemus, quamvis et nostra cognoscamus esse quae peccando fecimus et solius omnipotentis dei munera, quum peccata declinamus?[1]

V. Custodienda quoque est munditia corporis in studiis bonae actionis, quia iuxta vocem praedicantis apostoli: Templum dei sanctum est, quod estis vos. Qui rursus ait: Haec est enim voluntas dei, sanctificatio vestra. Quam sanctificationem quid dixerit ostendens protinus adiunxit, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in honore et sanctificatione et non in passionibus desiderii.

VI. Ipsa quoque regni gubernacula erga subiectos magno sunt moderamine temperanda, nec potestas mente subrepat. Tunc enim regnum bene geritur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque est, ne ira subrepat, ne faciat citius omne quod licet. Ira quippe etiam quum deliquentium culpas exequitur, non debet menti quasi domina praeire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem iussa veniat. Nam si semel mentem possidens coeperit, iustum esse reputat, etiam quod crudeliter facit. Hinc enim scriptum est: Ira viri iustitiam dei non operatur. Hinc rursum dicitur: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum et tardus ad iram. Haec autem vos auctore deo omnia servare non ambigo, sed occasione admonitionis exorta bonis vestris actionibus me furtive subiungo, ut quod non admoniti factis quando vobis et admonens additur, iam non soli faciatis. Omnipotens autem deus in cunctis actionibus vestris coelestis brachii extensione vos protegat vobisque et praesentis vitae prospera et post multa annorum curricula aeterna concedat.

VII. Clavem vero parvulam a sacratissimo beati Petri apostoli corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Crucem quoque latori praesentium dedimus vobis offerendam, in qua lignum dominicae crucis inest, et capilli beati Ioannis Baptistae, ex qua semper solatium nostri salvatoris per intercessionem praecursoris eius habeatis. Reverendissimo autem viro fratri et coepiscopo nostro Leandro pallium a beati Petri apostoli sede transmisimus, quod et antiquae consuetudini et vestris moribus et eius bonitati atque dignitati debebamus.

Gregorius Secundino servo dei incluso. LII.[2]

Dilectionis tuae scripta suscepi quae in meo sensa amoris melle condita sapuerunt. O quanta aspiratione vitae plena sunt, quae per gratiam spiritus proferuntur. Non in eis cultus eloquentiae, non verborum typus apparebat, sed solam veritatis atque caritatis radicem tenentia per omne quod locuta sunt caelestis patriae amorem fragrabant.

In eis vero tua a me dilectio petere studuit, ut ad hanc libellum exhortatorium scribere deberem. Sed scire te necesse est, fili carissime, quia tantis podagrae doloribus tantisque curarum tumultibus premor, ut quamvis numquam me aliquid fuisse reminiscar, valde tamen me videam non esse qui fuerim. Quod autem tua se caritas et ultra aetatem quinquagenariam adhuc iuvenilibus desideriis asserit subiacere, in hoc quoque

[1] *Cetera quae in hoc capite in coll. Hisp. exhibentur in codd. Ps.-Isid. desunt.* [2] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. Gregorii opp. ed. Bened. II.* 964 *sqq.*

divini oraculi implet praeceptum, quo scriptum est: Iustus in principio accusator est sui. Nec tamen dubito maiores te insidias hostis callidi perpeti, qui maiora contra eum bella praeparasti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit quanto te caelesti patriae ferventius inhiare cognoscit. Et nos quidem, qui vitam cum pluribus ducimus, etsi formidolosi ac timidi, tamen, quia contra antiquum hostem bella proposuimus, quasi in acie stamus. Vos autem, qui solitariam vitam ducitis, quid aliud quam monomachos dixerim, qui fervore virtutis etiam ante aciem exire festinatis? Cur ergo eum non singulariter hostis impetat a quo se impeti singulariter spectat? Et nos quidem qui inter homines vivimus, saepe per homines a callido hoste tentamur. Vos autem qui viam vitae praesentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto maiora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit. Neque enim vacare orationibus ac laudibus dei sine aliqua interruptione temporis potestis, quia etsi intentio continue promta est, ipsa tamen humanitatis infirmitas ad semetipsam relabitur, ut aliquando fessa iaceat atque ab studii sui exercitatione torpescat. Antiquus vero hostis mox ut otiosam mentem invenerit, ad eam sub quibusdam occasionibus locuturus venit et quaedam ei de gestis praeteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi resonat, et si qua dudum turpiter acta sunt, eorum speciem oculis cordis opponit, ut, quem de praesentibus non valet inquinare, de malis transactis violet. Et deceptam mentem saepe in delectationem reparat, unde diu iam se per poenitentiam afflixit, ita ut vere cum psalmista dicat: Computruerunt et deterioratae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae. Cicatrix quippe figura est vulneris, sed sanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod iam per poenitentiam sanatum est, in delectationem sui animum concutit. Saepe quod numquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis videmus. Cumque insensibiliter in hoc delectatio surripit, quamvis iam plangat quod fecerit, taedet tamen infelicem animum quaedam fecisse quae plangat. Hae sunt cordis nostri tenebrae, quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus. Quis contra haec quaerendus est, nisi adiutor in opportunitatibus in tribulatione?

Valde autem libenter accepi quod tua me caritas de sua dubitatione requisivit, an Orientis ecclesiae fidem atque doctrinam sanctae memoriae Leonis papae sequantur, ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium capitulorum defensione divisus sit. Unde certam dilectionem tuam esse desidero, quia praedictae sanctissimae Orientis ecclesiae uno sensu, una doctrina fidem eiusdem sanctae memoriae Leonis tenent sanctamque Chalcedonensem synodum ità nobiscum custodiunt atque venerantur, ut nullus esse episcopus reputetur, qui eiusdem synodi defensor sectatorque non fuerit. Hinc est enim ut, quoties in quatuor praecipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis generalibus synodis custodire fateantur, sicut et nos aversamur atque anathemate plectendos ducimus, si qui de fide eiusdem synodi aliquid imminuere vel aliud in ea addere praesumunt. Nam synodus quae post eam generaliter facta est, idcirco a nobis recipitur, quia eiusdem synodi in omnibus sequax honorem illius auctoritatemque custodit. Unde necesse est ut dulcissime mihi tua dilectio in hoc quod praecipue in sanctis moribus vivit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinae dei vehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens a sancta universali ecclesia divisa possit inveniri. Et quid tot labores proderunt, si in unitate fidei inventi non fuerint, quae ante dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam praecipue custodit? Hinc enim dicitur: Una est columba mea, perfecta mea. Hinc iterum ad Moysen dominus ait: Est locus penes me et stabis supra petram. Quis est locus qui non sit deo, dum cuncta ab ipso, per quem creata sunt, continentur? Sed tamen est locus apud eum, videlicet sanctae ecclesiae unitas, in qua super petram statur, dum confessionis eius soliditas humiliter tenetur. De quo loco subiungitur: Tunc videbis posteriora mea. In petra enim, id est sancta ecclesia stantes dei posteriora videbimus, quando iam ea quae in fine promissa sunt, caelestis patriae gaudia contemplabimur. Perversi autem homines, qui trium capitulorum occasione reperta ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse sedis apostolicae praeceptis nolunt et nos quasi de fide reprehendunt quam ipsi nesciunt. Et dum neque in fide recti sunt neque in bonis operibus intenti, student ut certare pro fide videantur. Sicque sit ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa grossescit, quae quasi de zelo fervoris videri etiam laudabiles appetit, sed iuxta quod scriptum est: Ex operibus eorum cognoscetis eos, vitam eorum tua caritas attendat et meritum intentionis aspiciat. Ut enim dilectioni tuae de eadem re breviter loquar, sancta Chalcedonensis synodus usque ad definitionem fidei et prolationem canonum de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem canonum specialia episcoporum certamina sopire curavit. Epistolam vero, quam in ea reverendissimus Ibas denegat suam, quod in extrema parte synodi iaceat, agnoscis, quae videlicet epistola Nestorium inauditum et inquisitione non facta damnatum asserit, Cyrillum vero in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus praedictae synodi legitur, quantum haec epistola eidem synodo adversetur invenitur, quia scilicet sancta synodus et Nestorium, sicut est, haereticum denuntiat

et beatum Cyrillum patrem catholicum veneratur. Epistola ergo, quae illum defendit qui a synodo damnatus est et eum accusat qui a synodo veneratus, procul dubio definitioni sanctae synodi probatur adversari. Qui enim tantorum patrum definitam non servant sententiam, procul dubio adversantur ecclesiae.[1]

Et quia tua sanctitas hoc a nobis requisivit ut sibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates scriberemus, dum se dicit de hoc canones diversos legisse et diversas sententias invenisse, alias resurgendi, alias nequaquam posse, ideo nos generales synodos a Nicaena incipientes, cum reliquis quatuor postfactis veneramur, quia, ipsam sequentes, ceterae in cunctis canonicis sententiis unanimiter concordant. Nam et nos praecedentes patres sequi debemus, qui auctore deo a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes usque ad quartum altaris ministerium hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem maior praecedat in honore, ita et in crimine et quem maior sequitur culpa, maiori plectatur vindicta et sic postea poenitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prodest triticum seminare et fructum illius non colligere? aut domum construere et non illic habitare? Post dignam igitur satisfactionem credimus posse rediri ad honorem, dicente propheta: Numquid qui cadit non adiiciet ut resurgat? Et: Qui adversus est, non revertetur? Et peccatori ait: In quacumque die conversus ingemueris, tunc salvus eris. Unde et psalmista ait: Cor mundum crea in me, deus, et spiritum tuum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Dum enim petiit, ne a domino proiiceretur, pro lapsus culpa alienam rex et propheta simul rapuisse uxorem, tremefactus expavit, et propheta indicante flagitium suum poenitentiam agens addebat: Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. Si enim condignam deo poenitentiam non fecisset, nequaquam aliis praedicaret. Ait enim: Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Dum enim peccata prospexit propheta mundatus per poenitentiam, non dubitavit praedicando curare aliena, et sacrificium de semetipso deo offerre studuit, cum dicebat: Sacrificium deo spiritus contribulatus.

Ad hoc ista sufficerent, sed omnis sententia quo plus sacrae scripturae testimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. De hoc peccantibus dicitur: Peccator in quacumque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates eius oblivioni tradentur. Si enim redemtor noster, qui peccatores non perdere, sed iustificare venit, in oblivione peccantium delicta dereliquit, quis hominum condemnanda reservat, cum apostolus dicat: Si deus iustificat, quis est qui condemnet? Ad fontem misericordiae recurrentes evangelii proferamus sententiam: Gaudebo, inquit, super uno peccatore poenitentiam agente magis quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia. Et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, humero pii pastoris ad ovile reportatam dominus ipse testatur. Si ovis perdita errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur iste post poenitentiam ad ecclesiae ministerium lapsus non revocetur? Sicut in apocalypsi dicitur de ministerio ecclesiae: Memento unde excideris, et age poenitentiam et prima opera fac. Quid enim est gravius aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inveniuntur, aut dei filium iureiurando negare? In quo verbo hunc ipsum beatum Petrum apostolorum principem, ad cuius sacrum corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus, sed post negationem poenitentia secuta est, et post poenitentiam misericordia data est: quia postea ab apostolatu eum non expulit, quia ante quidem ipsum se negare praedixit. Tibi haec, fili carissime, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi, quia ille peccatorem reversum non despicit qui peccatores sanguine suo redimere venit.[2]

Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidum diaconum rogasti misimus. Unde valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intentione quaeris, cuius imaginem prae oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut, dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cuius imaginem videre desideras. Ab re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo, qui alium ardenter videre desiderat aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum aut ad ecclesiam ire: statim per viam incedenti se praeparat, ut de visione eius hilaris recedat. Scio quidem quod imaginem salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi deum colas, sed ob recordationem filii dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum, sed et in throno sedentem recordamur. Et dum nos ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium dei reducit, animum nostrum de resurrectione laetificat aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi surtarias duas, imaginem dei salvatoris et sanctae dei genitricis Mariae beatorumque apostolorum Petri et Pauli continentes, per supradictum filium nostrum diaconum, et unam crucem, clavem etiam pro benedictione, a sanctissimo corpore Petri apostolorum

[1] *Verba:* adversari — adversantur ecclesiae *in codd. Ps.-Isid. leguntur pro* adversa sed quia eius defensores etc. — in epistolis non inveni, *quae exhibentur in ed. Ben. p.* 968. [2] *Desunt in Ps.-Isid.* de ordinationibus — gaudiis praesentari, *quae ap. Bened.* (*l. c. p.* 970. 971) *leguntur.*

principis, ut per ipsum a maligno defensus permaneas, cuius signo te esse munitum credis, et ex eo te protegat qui iuvenilia semper suggerit recordari: ut in bonis tuis actibus perseveres; ut in eius amore usque ad finem permaneas, pro cuius amore solitarius desideras habitare; ut alios in eius amore accendas propter quem te fecisti haberi; ut vitae huius mala quaeque inimicus suggerit retro acta mentis proventibus quasi facibus inardescas pro cuius amore vitam etiam velis finire: ipse quoque te protegat usque in finem qui cunctum mundum dignatus est redimere, Iesus Christus dominus noster qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Epistola de expositione diversarum rerum beati Gregorii papae urbis Romae quam transmisit in Saxoniam ad Augustinum episcopum quem ipse pro se ad praedicandum misit.[1]

I. Interrogatio Augustini. Quaero, pater beatissime, de episcopis qualiter cum suis clèricis conversentur, vel de his, quae fidelium orationibus accedunt ad altaria et quantae debeant fieri portiones et qualiter episcopus agere in ecclesia debeat.

Responsio b. Gregorii papae urbis Romae. Sacra scriptura testatur, quam bene te nosse non dubium est et specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolae, in quibus erudire studuit, qualiter in domo dei conversari debuisset. Mos autem est apostolicae sedis ordinatis episcopis praeceptum tradere, ut de omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: una videlicet episcopo et familiae eius propter hospitalitatem et susceptionem, alia clero, tertia vero pauperibus, quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum vivere non debet, a clericis suis in ecclesia Anglorum, quae auctore deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conversationem, quae in initio nascentis ecclesiae fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex hìs quae possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

II. Interrogatio Augustini. Opto enim doceri an clerici continere non valentes possint contrahere et si contraxerint, an debeant ad seculum redire.

Responsio b. Gregorii papae. Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent et stipendia sua exterius accipere, quia et de eisdem patribus de quibus praefati sumus, novimus scriptum, quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat. De eorum ergo stipendio cogitandum atque providendum est et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant et canendis psalmis invigilent et ab omnibus illicitis cor et linguam et corpus deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus iam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate et adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum, cum omne quod superest necessitatibus, in causis piis ac religiosis erogandum est, domino et magistro omnium docente: Quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

III. Interrogatio Augustini. Cum una sit fides, cur sunt ecclesiarum consuetudines tam diversae et altera consuetudo missarum est in sancta Romana ecclesia, atque altera in Galliarum ecclesiis tenetur?

Responsio b. Gregorii papae. Novit fraternitas tua Romanàe ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana sive in Galliarum sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti deo possit placere, sollicite eligas et in Anglorum ecclesia, quae adhuc in fide nova est, institutione praecipua quae de multis ecclesiis colligere potuisti infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quae pia, quae religiosa, quae recta sunt, elige et haec quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

IV. Interrogatio Augustini. Obsecro, edisseras mihi quid pati debeat, si quis aliquid de ecclesia furto abstulerit.

Responsio b. Gregorii papae. Hoc tua fraternitas ex persona furis pensare potest, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant, et sunt alii qui in hac re ex inopia delinquunt. Unde necesse est, ut quidam damnis, quidam vero verberibus et quidam districtius, quidam vero levius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur, ex caritate agendum est et non ex furore, quia ipsi hoc praestatur qui corrigitur, ne gehennae ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent: quos et pro culpis verberibus feriunt et tamen ipsos quos doloribus affligunt, habere haeredes quaerunt, et quae possident, ipsis servant, quos irati insequi videntur. Haec ergo caritas in mente tenenda est et ipsa modum correctionis dictat, ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat.

Addis etiam quomodo ea quae furto de ecclesiis abstulerunt reddere debeant. Sed absit quod ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere et lucra de damnis quaerat.

V. Interrogatio Augustini. Peto an debeant duo germani fratrès singulas sorores accipere, quae sunt ab illis longa progenie generatae.

Responsio b. Gregorii papae. Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradicere videatur.

VI. Interrogatio Augustini. Usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi copulari, et novercis et cognatis si liceat coniugio copulari?

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. op. Gregor.* 2, 1150.

Responsio b. Gregorii papae. Quaedam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive fratris sive sororis seu duorum fratrum germanorum vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere, et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda, quam diximus, a se omnino debet abstinere. Cum noverca autem miscere grave est facinus, quia et in lege scripum est: Turpitudinem patris tui non revelabis. Neque enim turpitudinem patris filius revelare potest, sed quia in lege scriptum est: Erunt duo in carne una, qui turpitudinem novercae quae una caro cum patre fuit, revelare praesumserit, profecto patris turpitudinem revelavit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quae per coniunctionem priorem caro fratris facta est. Pro qua re etiam Iohannes baptista capite truncatus est et sancto martyrio coronatus. Cui non est dictum, ut Christum negaret et tamen pro Christi confessione occisus est, sed quia idem dominus noster Iesus Christus dixerat: Ego sum veritas, quia pro veritate occisus est Iohannes, videlicet pro Christo sanguinem fudit.

VII. Interrogatio Augustini. Declarari posco, an sic turpiter coniunctis sit indicenda separatio et sacrae communionis deneganda oblatio.

Responsio b. Gregorii papae. Quia vero multi sunt in Anglorum gente, qui, dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, ut se abstineant et grave hoc peccatum esse agnoscant, tremendum dei iudicium pertimescant, ne pro carnali delectatione tormenta aeterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis ac sanguinis domini communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videamur, in quibus se per ignorantiam ante lavacrum baptismatis adstrinxerunt. In hoc enim tempore sancta ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat atque portat, ut saepe malum quod adversatur, portando et dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt, ne aliquid tale audeant perpetrare. Si qui autem perpetraverint, corporis et sanguinis domini communione privandi sunt, quia sicut in his qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita est in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare.

VIII. Interrogatio Augustini. Peto si longinquitas itineris magna interiacet, ut episcopi facile non possint convenire, an debeat sine aliorum episcoporum praesentia episcopus ordinari?

Responsio b. Gregorii papae. Et quidem in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes. Nam quando de Galliis episcopi venient, illi in ordinationem episcopi testes tibi assistent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi longo intervallo minime disiungantur, quatenus nulla sit necessitas ut in ordinatione alicuius episcopi convenire non possint. Pastorum quoque aliquorum praesentia valde est utilis, ut facillime debeant convenire. Cum igitur, deo auctore, ita fuerint episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus ut sapienter et mature disponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim, dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique convocantur, ut qui in via iam coniugii praecesserunt, in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur non ergo et in hac spiritali ordinatione qua per sacrum mysterium homo deo coniungitur, tales conveniant, qui vel in profectu ordinati episcopi gaudeant vel pro eius custodia omnipotenti domino preces pariter fundant?

IX. Interrogatio b. Augustini. Postulo etiam qualiter debeamus cum Galliarum atque Britannorum episcopis agere?

Responsio b. Gregorii papae. In Galliarum episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis praedecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat, ut fraternitas tua ad Galliarum provincias transeat, cum eodem Arelatensi episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in episcopis vitia corrigantur. Qui si forte in disciplinae vigore tepidus existat, tuae fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus, ut cum tuae sanctitatis praesentia in Galliis fuerit, ei ipse tota mente subveniat, ut quae sunt creatoris nostri iussioni contraria, ab episcoporum moribus compescatis. Ipse autem auctoritate propria episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studia reformando, quia scriptum est in lege: Per alienam messem transiens falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere et manducare. Falcem ergo iudicii mittere non potes in eam segetem quae alteri videtur esse commissa, sed per affectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia et in ecclesiae corpus monendo et persuadendo quasi mandendo converte. Quidquid vero ex auctoritate agendum est, cum praedicto Arelatensi episcopo agatur, ne praetermitti possit hoc quod antiqua patrum instituto invenit. Britannorum vero omnium episcoporum curam tuae fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur.

Obsecratio Augustini. Obsecro ut reliquiae sancti Sixti martyris nobis transmittantur.

Concessio Gregorii. Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam S. Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuae fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerte non debeat. Mihi tamen videtur, quia si corpus quod a populo cuiusdam martyris esse creditur nullis illic miraculis coruscat, et neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionis eius ordinem audisse fateantur, ita reliquiae quas petisti seorsum condendae sunt, ut locus in quo praefatum corpus iacet modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere et incertum venerari.

X. Interrogatio Augustini. Si praegnans mulier debeat baptizari, aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare, aut etiam ne morte praeoccupetur, quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere, aut post quantum temporis huic vir suus possit in carnis copulatione coniungi, aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam introire ei liceat aut sacrae communionis sacramentum percipere, aut vir suae coniugi permixtus, antequam lavetur aqua, si ecclesiam intrare possit vel etiam ad ministerium sacrae communionis accedere. Quae omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta.

Responsio b. Gregorii papae. Hoc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam, cui etiam et responsum addidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere et sentire potuisti, credo quod mea apud te volueris responsione firmari. Mulier etenim praegnans, cur non debeat baptizari, cum non sit ante omnipotentis dei oculos culpa aliqua fecunditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem quam acceperant recto dei iudicio perdiderunt. Quia itaque omnipotens deus humanum genus pro culpa sua funditus extinguere noluit et immortalitatem homini pro peccato suo abstulit et tamen pro benignitate suae pietatis fecunditatem ei sobolis reservavit. Quod ergo naturae humanae ex omnipotentis dei dono servatum est, qua ratione poterit a sacri baptismatis gratia prohiberi? Ille quippe mysterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde stultum est, si donum gratiae contradicere posse videatur.

Cum vero enixa fuerit mulier post quot dies debeat ecclesiam intrare, testamenti veteris praeceptione didicisti, ut pro masculo XXXIII diebus, pro femina autem LXVI debeat abstinere. Quod tamen sciendum est, quia in mysterio accipitur. Nam si eadem hora qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur: voluptas etenim carnis non dolor in culpa est. In carnis enim commixtione voluptas est, nam in prolis partu dolor et gemitus, unde et ipsi primae matri omnium dicitur: In doloribus paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei poenam suam in culpam deputamus. Baptizari autem vel enixam mulierem vel hoc quod genuerit sine more, si mortis periculo urgetur vel ipsa hora eadem qua gignit vel hoc quod gignitur eadem qua natum est, nullomodo prohibetur: quia sicut sancti mysterii gratia viventibus atque discernentibus cum magna discretione providenda est, ita his quibus mors imminet sine ulla dilatione offerenda est, ne dum adhuc tempus ad praebendum redemtionis mysterium quaeritur, interveniente paululum morte inveniri non valeat qui redimatur.

Ad eius vero concubitum vir eius accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur. Prava autem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiae videtur inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hae itaque quae filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierint, viris suis non debent admisceri, quippe quia et sine partus causa cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. Quae tamen mulier, dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet, quia ei naturae superfluitas in culpam non valet imputari, et per hoc quod invita patitur, iustum non est, ut ingressu ecclesiae privetur. Novimus namque quod mulier quae sanguinis fluxum patiebatur, post tergum domini humiliter veniens vestimenti eius fimbriam tetigit atque statim ab ea sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit domini vestimentum tangere, cur quae menstrua sanguinis patitur ei non liceat domini ecclesiam intrare?

Sed dices: Illam infirmitas compulit, has vero, de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende autem, frater carissime, quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturae est digno dei iudicio post culpam ordinatum. Esurire namque et sitire, aestuare, algere, lassescere ex infirmitate naturae est. Et quid est aliud contra famem alimenta, contra sitim potum, contra aestum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quaerere, nisi medicamenta quaedam contra aegritudines explorare? Feminae namque et menstruus sui sanguinis fluxus aegritudo est. Si igitur bene praesumsit, quae vestimentum domini in languore posita tetigit, quod uni personae infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quae naturae suae vitio infirmantur?

Sanctae autem communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohi-

beri. Si autem ex veneratione magna percipere non praesumit, laudanda est; sed si perceperit, non iudicanda. Bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia saepe sine culpa agitur quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est ut esuriemus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quia naturaliter accidit, sed tamen quod natura ipsa ita vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo se ipsam qualis per iudicium facta sit humana natura cognoscat, ut homo qui sponte culpam perpetravit, reatum culpae portet invitus. Atque ideo feminae, cum semetipsas considerant, in menstrua consuetudine si ad sacramentum dominici corporis et sanguinis accedere non praesumunt, de sua recta consideratione laudandae sunt. Dum vero percipiendi ex religiosae vitae consuetudine eiusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendae, sicut diximus, non sunt. Sicut enim in veteri testamento exteriora opera servabantur, ita in testamento novo non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducari praecipiat, in evangelio tamen dominus ait: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed ea quae exeunt de corde illa sunt quae coinquinant hominem. Atque paulo post subiecit exponens: Ex corde exeunt cogitationes malae. Unde ubertim indicatum est, quia illud ab omnipotenti deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutae cogitationis radice generatur. Unde Paulus quoque apostolus dicit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum. Atque mox eiusdem coinquinationis causam annuntians subiungit: Coinquinatae sunt enim eorum et mens et conscientia. Si ergo ei cibus immundus non est, cuius mens immunda non fuerit, cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur?

Vir autem cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet. Lex autem veteri populo praecepit, ut mixtus vir mulieri et lavari aqua debeat et ante solis occasum ecclesiam non intrare. Quod intelligi spiritaliter potest, quia mulieri vir miscetur, quando illicitae concupiscentiae animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Qui nisi prius ignis concupiscentiae a mente deferveat, dignum se congregatione fratrum existimare non debet, qui se gravari per nequitiam pravae voluptatis videt. Quamvis enim de hac re diversae hominum nationes diversa sentiant atque alii alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriae coniugis et lavacri purificationem quaerere et ab ingressu ecclesiae paululum reverenter abstinere.

Nec haec dicentes deputamus culpam esse coniugium, sed quia ipsa licita commixtio coniugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione sed de legitimo coniugio natus fuerat qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in delictis peperit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus conceptum se noverat, in delicto se natum gemebat, quia portat arbor in ramo humorem vitii, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non ipsam admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima, et tamen in eorum actu aliquatenus foedamur, sicut saepe irascendo culpas insequimur, et tranquillitatem in nobis animi perturbamus. Et cum rectum sit quod agitur, non est tamen tunc approbabile, quod in eo animus perturbatur. Contra quippe vitia delinquentium iratus fuerat, qui dicebat: Turbatus est prae ira oculus meus. Quia enim non valet nisi tranquilla mens in contemplationis lucem se suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat; quia dum male acta deorsum insequitur, confundi tamen atque turbari a summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium et tamen molesta, quia turbatum se reatum aliquem incurrisse aestimabat. Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis et carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis ergo sua coniuge non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu ecclesiae seu de sumendo corporis dominici sanguinisque mysterio suo est relinquendus iudicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione, quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta praedicatio et tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus apostolus diceret: Qui se continere non potest, habeat uxorem suam, statim subiungere curavit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim indulgetur quod licet et iustum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit.

Vigilanti vero mente pensandum est, quod in Sina monte dominus ad populum loquuturus prius eundem populum abstinere a mulieribus praecepit. Et si illic ubi dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba dei perciperent mulieribus mixti non essent, quanto magis, qui corpus domini omnipotentis accipiunt, custodire in se in munditiam carnis debent, ne ipsi inaestimabilis mysterii magnitudine pergraventur? Hinc etiam ad David de pue-

ris suis per sacerdotem dicitur, ut si a mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent, quos omnino non acciperent, nisi prius mundos eos David a mulieribus fateretur. Tunc autem vir qui post commixtionem coniugis lotus fuerit aqua, etiam sacrae communionis mysterium valet accipere, cum ei iuxta praefinitam sententiam ecclesiam etiam licuerit intrare.

XI. Interrogatio Augustini. Quaero etiam si post illusionem, quae per somnium solet accidere, vel corpus domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare.

Responsio b. Gregorii papae. Hunc quidem testamentum veteris legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutum dicit et nisi lotum aqua etiam usque ad vesperum intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen specialiter ad illum populum, spiritaliter autem intelligens sub eodem intellectu accipiet quo praefati sumus, quia quasi per somnium illuditur qui tentatus immunditia veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperam cognoscat.

Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quia valde subtiliter pensari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturae superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturae superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo haec illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulae in sumendis alimentis rapitur atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstineri, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non foedetur. Qua in re unum ibi ostenditur, ipsa mens rea, non tunc vel suo iudicio libera, cum se et dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est ipsa cogitatio utrum suggestione an delectatione vel, quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam vero velut spiritus consensit. Et necessarium est magna discretio ut inter suggestionem et delectationem, inter delectationem et consensum iudex sui animus praesideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero caro delectari coeperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et saepe contingit, ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat nec consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde et ille caelestis exercitus praecipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivum me ducentem in lege peccati, quae est in membris meis. Si autem captivus erat minime pugnabat, sed et pugnabat, quapropter captivus non erat. Et pugnabat igitur lege mentis, cui lex quae in membris est, repugnabat. Si hoc pugnat, captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, et captivus et liber, liber ex iustitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat invitus.

Gregorius Theotistae patriciae.[1]

Magnas omnipotenti deo gratias agere debemus, quod piissimi et benignissimi imperatores nostri tales de suo genere iuxta se propinquos habent, de quorum conversatione nobis omnibus grande sit gaudium. Unde et pro eisdem dominis continue nobis orandum est, ut eorum vita cum suis omnibus, protegente caelesti gratia per longa tempora et tranquilla servetur.

Indico autem quod levitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nuntiantibus quibusdam agnovi. Quae ex re excellentiam vestram audio fuisse taedio non modice contristatam. Quod si ita est, valde miror, cur vos qui cor fixistis in caelo, verba hominum agitent in terra. Beatus enim Iob, cum amici eius qui ad consolandum venerant, in increpationem prosilissent, ait: Ecce enim in caelo testis meus et conscius meus in excelsis. Qui enim vitae suae in caelo testem habet,

[1] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. op. Greg. cit. p.* 1126.

iudicia hominum in terra pertimescere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit: Gloria nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae. Qui iterum dicit: Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso gloriam habebit et non in altero. Si enim laudibus laetamur et detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. Et quidem fatuae virgines in vasis suis oleum non sumserunt, sapientes autem sumserunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Lampades quippe nostrae bona sunt opera, de quibus scriptum est: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui est in caelis. Tunc autem oleum in vasis cum lampadibus sumimus, quando de bonis actibus nitorem gloriae non ab adulantibus proximis quaerimus, sed hunc in testimonium conscientiae servamus. In omne autem quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Etsi omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat. Quia etsi omnes laudant, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat. Unde de Iohanne veritas dicit: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Quod videlicet per negationem dicitur, non per confirmationem, cum subditur: Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Quamvis enim iuxta veritatem evangelii Iohannes vestimento aspero fuerit indutus, per significationem tamen mollibus vestiti sunt qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negatur autem quia Iohannes arundo vento agitata fuerit, quoniam mentis eius fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim si laudibus erigimur aut vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata sumus. Sed absit hoc, absit a corde excellentiae vestrae. Scio quia magistrum gentium studiose legitis, qui ait: Ego si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem.

Si qua tamen vel parva tristitia hac ex re menti vestrae exorta est, credo quod hoc fieri omnipotens deus benigne permisit. Neque enim electis suis in hac vita promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, ut medicinae more per amarum poculum ad dulcedinem aeternae salutis redeant. Quid namque dicit: Mundus gaudebit, vos lugebitis? Qua spe, qua promissione? Paulo post additur: Iterum videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo auferet a vobis. Hinc iterum discipulis dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate, quaeso, ubi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain fratrem non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecte esse boni non possunt, quia minime purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. Tres in arca filii Noe fuerunt, unus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuerit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham, priusquam uxorem Cethuram acciperet, filios habuit, sed tamen carnalis eius filius est repromissionis filium persecutus. Quod magnus doctor exponit dicens: Sicut is qui secundum carnem est, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Duos Isaac filios habuit, sed unus, qui spiritalis extitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit, sed unum qui rectius vivebat, decem in Egypto vendiderunt. In David propheta, quia fuit quod purgari debuisset, actum est ut persecutorem filium pateretur. Beatus Iob de societate reproborum dicit: Frater fui draconum et socius struthionum. Ad Ezechielem dominus ait: Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum et cum scorpionibus habitas. In duodecim apostolis unus reprobus mixtus est, ut esset cuius persecutione undecim tentarentur. Apostolorum princeps discipulis loquitur dicens: Iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria et conversatione eripuit: aspectu enim et auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Paulus quoque apostolus discipulis scribit dicens: In medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Quia ergo scriptura teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse, de stultorum vocibus excellentia vestra turbari nullatenus debet, maxime quia in omnipotenti deo tunc certa fiducia est quando pro bono opere adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in aeterna retributione servetur. Unde in sancto evangelio veritas dicit: Beati eritis cum adversus vos omne malum dixerint homines, mentientes propter nomen meum. Qui in consolatione nostra sua in exemplum adducere opprobria dignatus est, dicens: Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius!

Sunt autem plurimi qui vitam bonorum fortasse amplius quam debent, laudant, et ne qua elatio de laude surripiat, permittit omnipotens deus malos in obtrectationem et obiurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est ergo quod doctor gentium se in praedicatione currere testatur per infamiam et bonam famam; qui etiam dicit: Ut seductores et veraces. Si fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis ergo nunc christianus debet indignum ducere pro Christo iniurias audire? Quantae autem virtutis praecursor nostri redemtoris fuit novimus, qui per sacrum eloquium non solum plus quam propheta, sed etiam angelus vocatur: et tamen, sicut mortis eius historia testatur, post mortem a persecutoribus corpus eius incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso sancto sanctorum, id est de deo, qui pro nobis homo factus est, loquamur, qui ante mortem in iniuriam, quia daemonium haberet, audivit, post mortem

vero a suis persecutoribus seductor appellatus est, cum diceret: Scimus quia seductor ille dixit: Post tres dies resurgam. Quanta ergo nos peccatores a lingua vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in adventu aeterni iudicis iudicandi sumus, si et ipse tanta tam antequam post mortem pertulit qui et iudex venit?

Haec, dulcissima et excellentissima filia, breviter dixi, ne quoties stultos homines tibi derogare cognoscis, qualibet vel parvula mentis tristitia tangaris. Sed quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur tranquilla ratione potest, peccatum credo, si bonum quod valet fieri negligitur, ut fiat. Nam cum placare insanas mentes atque ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minime debemus. Sunt enim quaedam scandala, quae omnino despicienda sunt, quaedam vero, cum vitari sine culpa non possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur. Quod sacro evangelio praedicante cognovimus, quia cum veritas diceret: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, et discipuli responderent dicentes: Scis quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt? Protinus respondit: Omnis plantatio quam non plantavit pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum. Et tamen cum tributum peteretur, prius rationem reddidit, per quam tributum solvere non deberent, atque illico subiunxit: Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit, tolle et aperto ore eius invenies staterem: illum sumens, da illum pro me et te. Quid est quod de scandalizatis aliis dicitur: Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum: et aliis ne scandalizentur, a domino tributum solvitur, quod etiam non debetur? Quid est autem quod aliud scandalum esse permisit, aliud vero venire prohibuit? nisi ut nos doceret et illa scandala quae nos ad peccata implicant contemnere et ea quae placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare?

Vestra itaque excellentia potest protegente domino pravorum hominum scandala cum magna tranquillitate declinare. Priores enim eorum sponte vobis secreto vocandi sunt atque ipsis ratio reddenda, et perversa quaedam capitula quae teneri existimant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam, sicut dicitur, dari anathema ficte suspicantur, et iureiurando firmandum est vos nunquam eadem capitula tenere, numquam tenuisse. Nec vobis indignum videatur tali eis modo satisfacere, nec de imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente fastidium. Omnes etenim fratres sumus, unius imperatoris potestate conditi et sanguine redemti, et ideo fratres nostros, quantumlibet pauperes et abiectos, in nullo despicere debemus.

Certe etenim Petrus potestatem regni caelestis acceperat, ut quaeque in terra ligaret vel solveret, essent in caelo ligata vel soluta; super mâre ambulabat, aegrotantes umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat, et quia ex admonitione spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quaestio a fidelibus facta est, cur ad gentiles intrasset et comedisset cum eis, cur eos in baptismate recepisset. Et tamen idem apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querelae fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit, quomodo vas quoddam velut linteum in quo quadrupedia terrae et bestiae, reptilia atque volatilia inerant, de caelo submitti viderit vocemque audierit: Surge, Petre, occide et manduca; qualiter tres viri venerint eum ad Cornelium vocantes; qualiter spiritus sanctus hunc cum eis ire praeceperit; qualiter idem spiritus sanctus qui venire in baptizatos in Iudaea post baptismum consueverat, in gentilibus ante baptismum venit. Si enim cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves, quae ei commissae fuerint, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit atque in causa reprehensionis suae etiam testes exhibuit, dicens: Venerunt autem mecum et sex fratres isti. Si ergo pastor ecclesiae, apostolorum princeps, signa et miracula singulariter faciens non dedignatus est in causa reprehensionis suae rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus!

Ad me etenim, sicut nostis, cum apud vestigia dominorum in regia urbe demorarer, multi ex eis venire consueverant qui de praedictis capitulis accusabantur. Sed teste conscientia fateor numquam in eis aliquid erroris, aliquid pravitatis, aliquid de his, quae contra eos dicebantur, inveni. Unde et eos opinione contemta familiariter suscipere et magis ab insequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos qui sub obtentu religionis coniugia solverent, et quia dicerent quod baptisma peccata penitus non auferret, et si de iniquitatibus suis quis in triennium poenitentiam ageret, postmodum ei perverse vivere liceret; et quia si compulsi aliquid de quibus reprehendebantur, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et si sunt, qui certissime talia sentiunt vel tenent, quia christiani non sunt, dubium non est. Eosque et ego et omnes catholici episcopi atque universa ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, contraria loquuntur. Si enim dicunt religionis causa coniugia debere dissolvi, sciendum est quia, etsi hoc lex humana concessit, lex divina prohibuit. Per se enim veritas dicit: Quae deus coniunxit, homo non separet. Quae etiam ait: Non licet dimittere

uxorem, excepta causa fornicationis. Quis ergo huic caelesti legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est: Erunt duo in carne una. Si igitur vir et uxor una caro sunt et religionis causa vir dimittit uxorem vel mulier virum in hoc mundo remanentem vel etiam fortasse ad illicita migrantem, quae est ista conversio, in qua una eademque caro et ex parte transit ad continentiam et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare, quando certum est quod omnipotens deus qui minora concessit, maiora non prohibuit? Et quidem multos sanctorum novimus cum suis coniugibus et prius continentem vitam duxisse et postmodum ad sanctae ecclesiae regimina migrasse. Duobus enim modis sancti viri etiam a licitis abstinere solent. Aliquando, ut merita sibi apud omnipotentem deum augeant, aliquando vero ut anteactae vitae culpas detergant. Tres etenim pueri in regis Babylonici obsequium deducti legumina ad vescendum petentes cibis regiis uti noluerunt, non quia culpa esset, si ea quae deus creavit ederent. Noluerunt ergo sumere ea quae licebant, ut per continentiam virtus excresceret. David vero qui alienam coniugem tulerat et pro sua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe post de Bethlehemitica cisterna noluit. Quam, cum ei fortissimi milites detulissent, bibere recusavit, eamque fundendo domino libavit; licebat enim bibere si voluisset, sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter et a licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non metuit, postmodum, si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse iudicavit, dicens: Num sanguinem istorum hominum, qui profecti sunt et animarum periculum bibam? Proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderant aut anteactae vitae culpas delere, ut se ad continentiam adstringant et meliorem vitam appetant licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi coniugium non licet, quia scriptum est: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Si qui vero sunt qui dicunt, peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac praedicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere, in quo principaliter ad caelestis munditiae mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhaereat, de quo propheta ait: Mihi autem adhaerere deo bonum est. Certe enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo inventi. Sic quippe omnes qui in sancto baptismate tinguntur, eorum peccata praeterita omnia laxantur, quia eis veluti Aegyptii hostes a tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multae nos tentationes fatigant et ad terram viventium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptos non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In evangelio dominus dicit: Qui lotus est, non indiget ut lavet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quae ait: Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagio remanet quem totum fatetur mundum ipse qui redemit.

Si qui autem sunt qui dicunt, quia de peccato quolibet triennio poenitentia agenda est et post triennium in voluptatibus vivendum, isti adhuc nec praedicamenta verae fidei, nec sacrae scripturae praecepta cognoverunt. Contra hos praedicator egregius Paulus dicit: Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Contra hos iterum dicit: Qui in carne sunt, deo placere non possunt. Ubi discipulis subiungit: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Hi quippe in carne sunt qui in carnalibus voluptatibus vivunt. Contra hos dicitur: Neque corruptio incorruptionem possidebit. Si autem dicunt pauci temporis poenitentiam contra peccatum debere sufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire, recte eos pastoris primi percutit sententia, qui ait: Contigit illis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. Magnum est enim contra peccatum virtus poenitentiae, sed si quis in eadem poenitentia perseveret. Nam scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hinc rursum scriptum est: Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum, quid proficit lavatio eius? Mortuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vitam iustitiae non vivit. Baptizatur ergo a mortuo et iterum tangit eum, qui prava opera, quae se meminit egisse, deplorat, sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque quaelibet eiusdem mortui lavatione non proficit, quae hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta poenitentiae ad rectitudinem iustitiae exurgit. Poenitentiam enim vere agere est commissa plangere, sed iterum plangenda declinare. Si qui vero sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia christiani non sunt. Quia ligamenta sanctae ecclesiae vanis se existimant conatibus solvere ac per hoc nec absolutionem sanctae ecclesiae, quam praestat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius va-

lere non existimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia et anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur. Si qui sunt igitur qui sub nomine christiano haec, quae praediximus errorum capitula aut praedicare audent aut taciti apud semetipsos tenere, hos procul dubio et anathematizavimus et anathematizamus. Ex omnibus tamen capitulis in eis, sicut praedixi, qui ad me in urbem regiam venire consueverant, nullum omnino errorem cuiuslibet praedicti capituli agnovi, sed neque fuisse existimo: nam si fuisset agnovissem. Quia vero sunt multi fidelium qui imperito zelo succenduntur, et saepe dum quosdam quasi haereticos insequuntur, haereses faciunt, eorum infirmitati consulendum est, et sicut praedixi ratione et mansuetudine sunt placandi. Illis quippe sunt similes, de quibus scriptum est: Testimonium illis perhibeo, quod aemulationem dei habent, sed non secundum scientiam. Vestra itaque excellentia, quae in lectione, in lacrymis atque in eleemosynis incessabiliter vivit, eorum sicut petii, imperitiam placare mansuetis exhortationibus ac responsionibus debet, ut non solum de semetipsa, sed etiam de illis gloriam aeternae retributionis inveniat. Haec me vobis dicere vobis nimius amor suasit, quia et in vestra laetitia me crescere et in vestra tristitia me existimo minorari. Omnipotens deus gratia vos caelesti custodiat et salva domni nostri pietate et piissima domnae tranquillitate pro parvulorum dominorum nutrimento vitam vestram longius extendat.

[1] Decreta S. Gregorii papae.

Regnante in perpetuum domino nostro Iesu Christo, temporibus piissimi ac serenissimi domini Mauricii Tiberii et Theodosii, augustorum, eiusdem domini imperii Mauricii anno XIII. indictione XIII. quinto die mensis Iulii, Gregorius papa coram sanctissimo beati Petri corpore cum episcopis omnibus ac Romanae ecclesiae presbyteris residens adstantibus diaconibus et cuncto clero dixit:

I. In sancta Romana ecclesia, cui divina dispensatio praeesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad praedicationis officium eleemosynarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad sacrum ministerium dum blanda vox quaeritur, quaeri congrua vita negligatur et cantor minister deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua in re praesenti decreto constituo, ut in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicae lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit.

II. Verecundus mos tempore indiscretionis inolevit, ut huius sedis pontificibus ad secreta cubili servitia laici pueri ac seculares obsequantur, et cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici qualis in secreto sit vita sui pontificis nesciunt, quam tamen, ut dictum est, pueri sciunt seculares. De qua re praesenti decreto constituo ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis, habeat testes tales qui veram eius in secreta conversatione videant et ex visione sedula exemplum profectus sumant.

III. Consuetudo nova in ecclesia hac et valde reprehensibilis erupit, ut cum rectores eius patrimonii urbana vel rustica praedia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant, atque hoc, quod competere pauperibus aestimant, non iudicio, sed manibus defendant. Et cum per praedicatores suos veritas dicat: Nihil per contentionem, etiam ipsum litigiosae contentionis malum transcendunt et res quaelibet, cum aestimatur ecclesiae posse competere, per vim tenetur. Proinde praesenti decreto constituo, ut si quis ecclesiasticorum umquam titulos ponere sive in rustico sive in urbano praedio sua sponte praesumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit. Is autem qui ecclesiae praeest, si hoc vel ipse fieri praeceperit vel sine sua praeceptione factum digna punire animadversione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit.

IV. Sicut indignos nos beati apostoli Petri reverentiam mens fidelium veneratur, ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere et impense sibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium huius sedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda deferuntur, haec dalmaticis contegant et easdem dalmaticas pro sanctitatis reverentia sibimet partiendas populus scindat et cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum martyrumque velamina, a peccatorum corpore sumitur quod pro magna reverentia reservatur. De qua re praesenti decreto constituo, ut feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere, sedis huius presbyteros ac diaconos censemus. Si quis vero ex eorum ordine haec curare neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit.

V. Antiquam patrum regulam sequens nihil umquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii,

[1] *Inscript. quae in cod. Par. int. suppl. lat.* 840 *deest, et text. sec. ed. cit. op. Gregorii* 2, 1288.

neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, sicut pontificem non decet manum, quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione eius vocem suam vel calamum venumdare. Pro ordinatione vero vel pallio seu chartis atque pastello eumdem qui ordinandus vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus praedictis rebus si quis aliquid commodi appellatione exigere vel deferre forte praesumserit, in districto dei omnipotentis examine reatu subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito neque exactus neque petitus post acceptas chartas et pallium aliquid cuilibet ex clero gratiae tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpae maculam ingerit quae ex accipientis ambitu non processit.

VI. Multos de ecclesiastica seu seculari familia novimus ad omnipotentis dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant familiariter in monasteriis conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici iuris dominium occasionem praebemus. Si vero festinantes ab omnipotentis dei servitio incaute retinemus, illi invenimur negare quaedam qui dedit omnia. Unde necesse est ut quisquis ex iuris ecclesiastici vel secularis militiae servitute ad dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus, et si mores eius atque conversatio bono desiderio illius testimonium ferunt, absque retractione servire in monasterio omnipotenti domino permittatur, ut ab humano servitio liber recedat, qui pro divino obsequio districtiorem appetit servitutem.[1]

[2] INCIPIT EPISTOLA FELICIS SICILIAE EPISCOPI SANCTO GREGORIO PAPAE ROMANO DIRECTA.

Domino beatissimo et honorabili sancto patri GREGORIO pape[3] FELIX vestrae salutis amator.

Beatissime vestre salutis ac sanctitatis iura penes deum sunt manifesta, dum praedicationibus scilicet apostolicis et doctrinis vere fidei cultura universa repleta sit terra; per divinorum tamen erudicionem eloquiorum vestra instruente admonitione exortatorie superaedificatur orthodoxa Christi aecclesia apostolica institutione fundata et a fidelibus patribus firmissime roborata. Ad quam omnes beatissimi apostoli pari honoris et potestatis consortio praediti, populorum agmina convertentes, pie sancteque de tenebris ad lumen de lapsu[4] ad veram fidem, de morte ad vitam homines, divine dispensationis[5] gratia praescitos, salutaribus praeceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita et perfectius implens exempla, ecclesiam dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat et fide sacra christianisque moribus vigens, que fieri deo placita praecipit, studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit, servans divine legis praecepta, quia non auditores legis iusti sunt apud deum, sicut narrat apostolus, sed factores legis iustificabuntur.

Haec quidem meditantes, perlatum est ad nos a quibusdam Romam venientibus, vos Augustino, consodali nostro, per venerabilem sanctitatem vestram postmodum episcopo Anglorum genti ordinato et illuc directo atque Anglis scripsisse, quos olim ad fidem conversos per vos cognovimus, ut quarta progenie coniuncti non separentur. Que consuetudo dudum in illis aut istis in partibus, quando una vobiscum[6] infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in ullis praecessorum vestrorum decretis aut reliquorum generaliter aut specialiter patrum institutis legi

Epistola Felicis ad Gregorium.

Beatissime vestre — sed factores legis iustificabantur sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 943. 946.) Cf. ep. Athan. ad Lib. 1.

Haec quidem meditantes — coniuncti non separantur sec. ep. Greg. M. XI. 64. interrog. IV. (2, 1154.)

quando una vobiscum — nutritus atque edoctus fui sec. ep. Greg. cit. interrog. III. (cf. ed. eiusdem epist. in op. Leon. M. ed. Baller. Tom. III. p. CCXLV.) Cf. ep. Greg. M. ad Fel.

1 *Subscriptiones l. c. exhibitae in codd. Pseudo-Isid. desunt.* 2 *Sec. cod. Darmstadt.* 114. *Adhibui cod. Par. Corps législatif. Cf. de codicibus qui hanc et sequentem epistolam exhibent, comm. meae* §. 13 *i. f.* 3 *Om. Corps lég.* 4 *Corps lég. add.* infidelitatis. 5 *Corps lég.* praedestinationis. 6 *Corps lég. add.* ab.

aut hactenus ab ullis sapientibus esse concessum didici, sed semper usque septimum originis sue gradum hec a sanctis antecessoribus vestris et ceteris sanctis patribus, tam in Nicena synodo quam et in aliis sanctis conciliis congregatis servari debere repperi, et a recte viventibus ac deum timentibus hominibus studiose praevidere cognovi. Dum haec nobiscum versabantur, supervenere et alia de quibus necesse nobis videtur vestram consulere auctoritatem. Venerunt quoque ad nos tam Benedictus Siracusane ecclesie episcopus, quam et alii fratres nostri equidem episcopi lacrimantes ac dicentes per[1] seculares ac laicos nimis[2] esse turbatos atque animo afflictos super immoderatis actibus eorum, pro quibus et aliqua iniusta[3] eis impingebantur.

Sunt etiam quaedam ecclesie nostra in provincia super quarum consecrationibus dubitatur et tam propter[4] antiquitatem quam et propter earum custodum incuriam nescitur utrum dedicate ab episcopis essent necne. Super quibus omnibus nos a vestra sanctitate ac vestre sancte sedis auctoritate instrui precamur. Et utrum ea que, ut praediximus, vos praefato consodali nostro Augustino episcopo et Anglorum genti scripsisse audivimus specialiter eis, an generaliter omnibus scripta sunt scriptis vestris imbui querimus, ut de hac sive de aliis praescriptis rebus pleniter informari cupimus. Nos etiam ea que legimus et observari a fidelibus cognovimus, non increpando, quod absit, vobis significamus, sed quid racionabiliter et fideliter super his observare debeamus, requirimus. Et quia non modicum murmur super hac re nobiscum versatur, quid respondere fratribus et coepiscopis nostris debeamus, interrogamus[5], a vobis quasi a capite responsum querimus, ne super his ancipites remaneamus aut murmur ullum tam vestris[6] temporibus quam posteris inter nos aut alios remaneat, rumorque vester, qui semper bonus et obtimus fuit, detractionibus laceretur vel subrogetur[7], aut nomen vestrum, quod absit, supervenientibus temporibus blasphemetur. Nos enim humili corde que recta sunt auctore domino servantes, uno vinculo caritatis vobiscum constricti, vestram religionem in omnibus fortiter ut fidelis alumnus[8] defensantes a vobis quae recta sunt querimus. Scimus enim — ut semper sancte sedis praesules, primo apostoli, deinde successores eorum fecerunt — vos universalis ecclesie et maxime episcoporum qui oculi propter contemplationem et speculationem vocantur, domini curam gerere ac de religione et lege nostra[9] assidue cogitare, sicut scriptum est: Beatus[10] qui meditabitur in lege domini die ac nocte. Que meditatio non lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita et nullatenus de vestro corde recedente lege Christi dei[11] domini sacrosancta, sicut in psalmis dicit propheta: Os iusti meditabitur sapientiam et lingua eius loquetur iudicium: lex dei eius in corde ipsius, non atramento, sed spiritu dei vivi vestra in archana[12] conscripta: non igitur in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Extinguatur, oramus, vestris sapientissimis responsis et auxiliis omnis tenebrarum caligo, ut lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime pater, et docmatica definitio ubique omnes laetificans, quia[13] gloriosi sanctae aecclesiae patres propria et piissima docmata in eterne vite firmam hereditatem praedicasse[14] noscuntur. Et subscriptio: Incolomem vos et deo placitum, sancte pater patrum, orantem pro nobis dominus custodiat[15].

sed semper usque — originis sue gradum, Gregor. III. ep. ad Bonif. (ed. Würdtw. no. 25. p. 67.)

Nos enim — recta sunt querimus sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 947.) Cf. Eleuth. 6, Fel. II. pp. 9, ep. Fel. ad Greg.

Scimus enim ut semper — sed in tabulis cordis sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 946.) Cf. Fel. II. pp. 7.

Extinguatur oramus — noscuntur et subscriptio sec. conc. Later. 649. secr. II. (Mansi 10, 902.) Cf. Zeph. 9, Ant. 8, Fel. III. pp. 10.

Incolomem vos — custodiat, conc. cit. secr. II. (Mansi l. c. p. 915.) Cf. Fel. II. pp. 10.

1 *Addidi ex C. lég.* 2 *C. lég. add.* se. 3 *C. lég.* merita. 4 *C. lég. add.* rerum. 5 *Om. C. lég.* 6 *C. lég.* nostris. 7 *C. lég.* subrodatur. 8 *C. lég.* fideles alumpni. 9 *C. lég.* vestra. 10 *C. lég. add.* vir. 11 *C. lég.* et iusticia *pro* dei. 12 *C. lég.* vestris in archanis. 13 *C. lég.* qua. 14 *C. lég.* praedicare. 15 *C. lég. add.* in evum. Amen.

[1]RESCRIPTUM SANCTI GREGORII PAPE FELICI SICILIAE EPISCOPO.

Reverentissimo patri[2] Felici episcopo[3] Gregorius servus servorum dei.

Caput nostrum, quod est Christus, ad hoc sua membra esse nos voluit, ut per eius largam caritatem et fidem unum nos in se corpus efficeret. Cui ita adherere convenit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus quod dicimur[4]. Ab arce capitis res nulla nos dividat, ne ab eo, si eius esse membrum refugimus, relinquamur et velut deiecti de vite palmites arescamus. Ut ergo redemptoris nostri habitaculum esse mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus, ipse namque ait: Qui diligit me, sermonem meum servabit et pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem aput eum faciemus.

Exigit[5] ergo dilectio tua, frater karissime, ut ex auctoritate sedis apostolice tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixe, sed succincte agere festinaremus, propter quasdam inoportunitates[6], que nostris praepedientibus[7] peccatis in nos supervenere, tuis tamen haec per reliqua[8] sanctorum patrum instituta studiis perquirere lacius et investigare committimus. Non enim potest mens attrita et oneribus atque inportunitatibus gravata tantum boni peragere, quantum delectata et oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id praetulimus, ut hec et alia quae necessaria fore cognoverimus tuae sanctitati velimus denegare, sed ut quod hic minus invenitur, latius perquiratur[9].

Ex tribus enim apostolicam sedem, in qua alitus es et edoctus, capitulis consulendam praedecessorum tuorum sequens exempla credidisti, id est de consanguinitatis coniunctione et de vexatione episcoporum a subditis et de aecclesiarum dubitatione consecrationum. Quod autem scripsi Augustino, Anglorum genti episcopo, alumno videlicet ut recordatus[10] es[11] tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi et Anglorum genti quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod coeperat, metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter ceteris[12] me[12] scripsisse cognoscas: unde et mihi omnis Romana civitas testis existit. Nec ea intentione haec illis scripta mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint non separentur aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem coniungantur; sed adhuc illos neophitos existentes sepissime eos prius inlicita edocere et verbis ac exemplis instruere, et que post de talibus egerunt, rationabiliter et fideliter excludere oportet. Nam iuxta apostolum qui ait: Lac vobis potum dedi, non escam, ista illis modo non posteris, ut praefixum[13] est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma radice adhuc plantatum erat, exureretur[14], sed ceptum firmaretur et usque ad perfectionem custodiretur. Sane, si in his secus quam debuimus aliquid egimus, non propter ipsa[15] sed commiserando actum esse cognoscas. Unde testem invoco deum, qui cogitationes omnium novit hominum, cuius etiam oculis omnia nuda sunt et aperta. Nam si ea destruerem quae[16] antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor iuste comprobarer testante veritatis voce, que ait:

Rescriptum Gregorii ad Felic.
Caput nostrum — apud eum faciemus, Greg. M. ep. IX. 106. (2, 1006.)
Exigit ergo dilectio — latius perquiratur sec. init. ep. Zosimi ad Hesych. (H. no. 28.) Cf. Corn. 3, Anast. I. pp. ep. 1.
Ex tribus enim — alitus es, eiusd. ep. XI. 64. interrog. III. (2, 1152.) Cf. Fel. ep. ad Greg.

Quod scripsi Augustino — ad septimam generationem coniungatur, ep. cit. Cf. Fel. ep. cit.
Lac vobis — non escam, I Cor. III. 2.
deum qui cogitationes — novit hominum, Ps. XCIII. 11.
cuius etiam oculis — et aperta, Hebr. IV. 13.

1 *Sec. cod. Darmstadt.* 114; *adhibui cod. Par. Corps législatif.* 2 *C. lég.* fratri. 3 *C. lég.* coepiscopo. 4 *Sic C. lég.; Dst.* dicitur. 5 *C. lég.* exegit. 6 *C. lég.* importunitates. 7 *C. lég.* impedientibus. 8 *Sic C. lég.; Dst.* aliqua. 9 *C. lég.* inquiratur. 10 *C. lég.* recordaris. 11 *Om. C. lég.* 12 *C. lég.* certissime. 13 *C. lég.* supradictum. 14 *C. lég.* erueretur. 15 *C. lég.* ipsam in futurum servandam *pro* ipsa. 16 *Sic C. lég.; Dst.* quia.

Omne regnum in se ipsum divisum non stabit, et omnis scientia et lex adversum se divisa destruetur. Ideoque necesse est, ut concorditer omnia statuta sanctorum patrum nostrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, sed ad omne studium bone devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus auxiliante domino pareamus.

O quam bona est caritas, que absentia per imaginem, praesentia sibimetipsis exhibet per amorem, divisa unificat [1], confusa ordinat, inaequalia sociat, inperfecta consummat! Quam recte praedicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem cetere perfectionem generant, sed tamen eas caritas ita ligat, ut ab amantis mente iam [2] dissolvi nequeant! His rite perpensis caritative iam dictis indulsi nec praeceptum dedi, sed consilium, neque regulam in his posteris ullis tradendam [3] tradidi, sed de duobus periculis, quod facilius sit vitandum, ostendi. Si igitur in rebus secularibus suum cuique ius et proprius ordo servandus est, quanto magis in aeclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis [4] debent bona procedere? Quod hac racione servabitur, si nil potestati, sed totum aequitati tribuitur. Quapropter multum cor nostrum magnitudini vestrae congaudet, quod sic vos in vestris actibus studiosos invenimus, ut vos et nostri curam habeatis, et talia sciscitando [5] inquirere studeatis, quatenus et talia vobis non solum apud homines gloriam, sed apud omnipotentem deum praemia mercedis adquirant.

Ceterum super vexatione episcoporum, [6] qua nos consulere voluistis, scimus quia nullis vita praesulum perturbari debeat excessibus, quia valde indignum est ut hi qui throni dei vocantur, aliqua motione a reliquis vel subditis turbentur, quoniam si David regum iustissimus in Saul, quem constabat iam a domino reprobatum et abiectum esse, manum mittere non praesumpsit, quanto magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis sive indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum domini vel in praedicatores sancte aecclesiae, quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cuius vice in aecclesia legatione funguntur. Unde sumopere cavendum est omnibus fidelibus ne clanculo aut publice episcopum suum, id est unctum domini, detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Marie, quia pro eo quod Moysi famulo domini propter Ethiopissam detraxit, inmundicia [7] lepre multata sit. Et illud [8] psalmiste: Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. Et in lege legitur divina: Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Unde valde praecavendum [9] est subditis tam clericis quam laicis, ne episcoporum aut praepositorum suorum vitam temere reprehendant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident [10], ne, unde mala redarguunt, inde per elationis inpulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt etiam, id est [11] ne cum culpas praeposi-

Omne regnum in se — divisa destruetur sec. Martin. I. ep. encycl. (Mansi 10, 1179.) Cf. Vig. 5, Corn. 2, Lib. 3.

Ideoque necesse est — auxiliante domino pareamus, Leon. M. ep. 12. c. 9. (1, 666.) Cf. Vig. 5, Corn. 2, Lib. 3.

O quam bona est — dissolvi nequeant, Greg. M. ep. V. 53. (2, 780.) Cf. Sixt. III. pp. ep., Silv. ep. ad Amat.

Si igitur in rebus — totum aequitati tribuitur, eiusd. ep. IX. 115. (2, 1022.) Cf. Fab. 15, Fel. II. pp. 11.

Quapropter multum — praemia mercedis adquirant, eiusd. ep. V. 46 (2, 775.)

quia valde indignum — subditis turbentur, Ben. II. 104. 357. III. 156. aut c. 5. conc. XI. Tolet. Cf. Steph. 12, excerpt. Silv. 8, Fel. II. pp. 12. XVIII.

quoniam si David — sancte aecclesiae, Ben. II. 402. (Greg. M. reg. past. III. 4.)

quia eorum vexatio — legatione funguntur, Ben. I. 322. II. 99. Greg. M. ep. ad Fel. (cf. Anacl. 3, 21, Evar. 6, Luc. 2, Euseb. 17, excerpt. Silv. 8, Dam. 19).

Unde sumopere cavendum — populi tui non maledices, Ben. II. 402. cf. III. 331. (Isid. ep. ad Massonem ed. Arevalo 6, 563, eiusd. allegoriae s. script. no. 61. 62, Num. XII. 1. 8. 10.)

Unde valde — reverentiae non recusent, Greg. M. reg. past. III. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 103.

[1] *C. lég.* unit. [2] *C. lég.* amore *pro* mente iam. [3] *C. lég.* tenendam. [4] *Sic C. lég.; Dst.* pari. [5] *C. lég.* suscitando. [6] *C. lég. add.* de. [7] *C. lég.* inmundissima. [8] *C. lég.* aliud. [9] *C. lég.* praevidendum. [10] *C. lég.* reprehendere audeant *pro* temere — vident. [11] *Om. C. lég.* id est.

torum suorum considerant, contra eos audatiores fiant, sed sic eorum prava apud semetipsos considerent[1], ut divino timore constricti ferre sub eis iugum reverentie non recusent, quoniam facta suorum episcoporum vel praepositorum oris gladio non sunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videantur, quoniam a praedecessoribus nostris et a reliquis multis sanctis episcopis[2] fore statutum cognovimus, ut oves pastores suos facile[3] non reprehendant, nec eos criminari vel accusare praesumant, quia cum in praepositis nostris delinquimus eius ordinationi qui eos nobis praetulit obviamus. Unde Moyses cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum. Quapropter admonendi sunt subditi utriusque ordinis viri, ut cum magistrorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant et de eorum increpationibus non praesumant, quia non est discipulus super magistrum nec servus super dominum suum.

De dedicationum[4] vero ecclesiarum dubitatione super qua nos inter cetera consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis quod et[5] nos[6] ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, ut cum[7] quotiens tam de baptismo aliquorum vel confirmatione, quam et de ecclesiarum consecratione dedicationum in dubium habetur et nec scriptis nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati vel confirmati sive aecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales ac confirmentur, atque aecclesie canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. Haec nos, adminiculante divina gratia ita tenere cupimus, vobisque ut postulastis tenere et docere mandamus et ea que a sanctis patribus ante nos sunt statuta, non proterve inrumpere[8], sed fideliter servare optamus[9]. Unde redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis in omnibus gratia suffragetur et effectu vos implere tribuat quod velle concessit, quia ergo in hac re tanta commoda retributionis adcrescunt, quanto et studium laboris augetur[10]!

Progeniem vero suam unumquemque de his qui fideliter edocti et iam firma radice plantati stant inconvulsi[11], usque ad septimam observare decernimus generationem, et quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos ad huius copule non accedere societatem, nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculavit in coniugium ducere ulli profecto christianorum licet vel licebit, quia incestuosus[12] est talis coitus et abhominabilis deo et cunctis bonis hominibus. Incestuosos vero nullo coniugii nomine deputandos, a sanctis patribus dudum statutum esse legimus, ideo[13] nolumus nos in hac re a vobis sive[14] a ceteris fidelibus reprehendi; quotquot[15] in his[16] Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed considerationem, ne christianitatis bonum quod ceperant inperfectum dimitterent egimus[17].

quoniam facta — non sunt ferienda, Greg. M. reg. past. III. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 103. Cf. Fab. 22, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioh. I. pp. ep. 1. (Pelag. II. pp. ep. 3.)
ut oves pastores — vel accusare praesumant sec. Isidori sent. III. 39. no. 6. aut conc. cit. lib. I. c. 31. Cf. Fab. 22, Corn. 4, Euseb. 11, Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
quia cum in praepositis — sed contra dominum, Greg. M. reg. past. III. 10. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 103. Cf. Fab. 23.
Quapropter admonendi sunt — non praesumant, eiusd. reg. past. l. c. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. cit. i. f.
quia non est — dominum suum, Matth. X. 28.
De dedicationum vero — ostenditur recte peractum, Ben. III. 391. (c. 38. conc. Afric. D., Leon. ep. 167. c. 16.) Cf. Fel. IV. ep. 1.
Unde redemptoris — laboris augetur, Greg. M. ep. V. 46. (2, 775.) Cf. Pont. 1.
Progeniem vero — decernimus generationem, Greg. III. ep. ad Bonif. (Würdtwein p. 67.)
et quamdiu se — accedere societatem, Greg. II. ep. ad Bonif. (l. c. p. 58.)
Incestuosos vero — nomine deputandos, c. 61. conc. Agath.

1 *C. lég.* diiudicent. 2 *Om. C. lég.* 3 *C. lég.* leviter. 4 *Sic C. lég.; Dst.* dedicationem. 5 & 6 & 7 *deest in C. lég.* 8 *C. lég.* interrumpere. 9 *C. lég.* mandamus. 10 *Om. C. lég.* quia ergo — laboris augetur. 11 *C. lég.* inconvulse. 12 *C. lég.* incestus. 13 *C. lég.* a deo. 14 *Om. C. lég.* a vobis sive. 15 *C. lég.* quia quod. 16 *C. lég. add.* illi. 17 *C. lég. hic verba omissa:* quia ergo hac in re commoda retributionis accrescunt, quanto et studium laboris augetur *inserit.*

Paterna vos dulcedine salutantes ortamur ut praepositas[1] opportunitatis occasiones[2] in vestra efficatia enixius elaborare debeatis[3], atque id modis quibus[4] possibile fuerit omni[5] studio agere contendatis, quatenus praedicabile desiderium vestrum[6] in[7] auxilium[8] omnium adiuvante deo compleatis. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi a liminibus sancte aecclesiae recluduntur[9]. Sunt enim mali segregandi a bonis et iniqui a iustis, ut saltim rubore suo conscientias suas recognoscant et convertantur a pravitatibus suis. Ac si incorrigibiles apparuerint segregentur a fidelibus usque ad satisfactionem iuxta domini salvatoris sententiam, qui inter cetera de peccante in se fratre praecipiendo[10] ait: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem[11] non te audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesie; si autem et ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. His ergo et multis aliis sanctorum patrum auctoritatibus segregandi[12] sunt mali a bonis, ne pereant iusti pro iniustis, sicut scriptum est: Periit iustus pro impio[13]. Debet enim semper discretio fieri inter bonos et malos, sicut est inter edos et oves. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione[14] purganda, sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta obiurgatione[15] sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est ut pro multorum salvatione unus condempnetur, quam pro unius delicto[16] multi periclitentur. Nec mirum, si inter homines haec ratio custoditur, cum et inter iumenta haec fieri persepe cognovimus[17], et ea[18] quae scabiem aut impetiginem habere videntur, separantur a sanis, ne illorum morbo cetera dampnentur vel pereant. Satius est enim[19] ut mali manifeste[20] corrigantur, quam pro illis boni pereant. Unde voluimus vos omnes in unum convenire episcopos, ut de incidentibus causis fiat disceptatio et salubris de ecclesiastica observatione conlatio, quatenus dum per hoc et praeterita corriguntur et regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique dominus fratrum concordia conlaudetur. Cuius nobis[21] adesse praesentiam si hec observabitis, scitote, quia scriptum est: Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum[22] in medio eorum. Si ergo adesse dignatur, ubi duo vel tres sunt, quanto magis non deerit, ubi plures conveniunt sacerdotes! Et quidem quia adhibendum esse[23] bis in anno concilium patrum sit regulis institutum non latet, sed ne forte aliqua excusatio sit, semel decernimus congregare ut expectatione concilii nihil pravum, nihil praesumatur illicitum. Nam plerumque, etsi non amore iusticie, metu tamen examinationis abstinent[24] ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio. Hanc, frater karissime, observantiam nostris relinquendam posteris teneamus et omnia que ad erudicionem nostram sacris apicibus scripta sunt custodiamus atque ad ea quoscumque possumus incitemus. Certum quippe est, quia si toto corde praeceptis nos salutaribus occupamus, omnem vitiorum labem effugiemus, quia dum his qui-

Paterna vos — deo compleatis, Greg. M. ep. V. 46. (2, 775.) Cf. Fab. 3.
Ac si incorrigibiles — segregentur a fidelibus, Isid. sent. III. 46. no. 4. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 36. Cf. Anacl. 39.
Si peccaverit in te — ethnicus et publicanus, Matth. XVIII. 15—17.
Periit iustus pro impio, Ben. II. 370. (I Petr. III. 10.) Cf. Anacl. 19, Sixt. I. pp. 4.
Manifesta quoque peccata — multi periclitentur, Isidor. sent. III. 46. no. 13. 14. aut conc. Aquisgr. a. 816. lib. I. c. 36. Cf. Calist. 16.
Unde voluimus vos omnes — sine dubio excludimus, Greg. M. ep. IX. 106. (2, 1010.)

1 *Sic corr.* postpositas *sec. ed. Ben.* 2, 1280; *C. lég.* praeposita. 2 *C. lég.* occasione. 3 *C. lég.* studeatis. 4 *C. lég.* omnibus ut. 5 *C. lég.* omnium. 6 *Sic C. lég.; Dst.* nostrum. 7 *Om. C. lég.* 8 *C. lég.* auxilio. 9 *Pro* recluduntur *C. lég.* sint separandi usque dum per satisfactionem precibus sacerdotum eidem sancte ecclesie canonice reconcilientur. 10 *Om. C. lég.* 11 *Om. C. lég.* 12 *C. lég.* separandi. 13 *C. lég.* iniusto. 14 *C. lég.* correptione. 15 *C. lég.* purgatione. 16 *C. lég.* per unius licentiam *pro* pro unius delicto. 17 *C. lég.* cognoscimus. 18 *C. lég.* etenim *pro* et ea. 19 *C. lég.* ergo *pro* est enim. 20 *C. lég.* aperte. 21 *C. lég.* vobis. 22 *C. lég.* ero. 23 *Om. C. lég.* 24 *C. lég.* abstinetur.

bus aedificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. Quapropter oportet, ut enixius in cunctis studiosum[1] vos circa fratres atque subiectos ostendatis, ut omnes[2], quia nobiscum alitus es atque didicisti sancte Romane ecclesie praeceptionibus parere apostolice sedis praecepta multiplicare apertissimeque[3] nota facere agnoscant[4], quia quod specialiter tibi tuisque fratribus[5], ut tue litere innotuerunt, consulti[6] scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa subiectorum autem actus fraternitas vestra sit[7] vigilans; vestrum illis exemplum institutione[8] et vita magistra sit, lingua ut[9] exhortatione discant quod metuant et doceantur quod diligant, ut dum talenta credita lucro[10] multiplicantur, in die retributionis annuente divina gratia audire mereamini: Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium domini tui. Curam praeterea de omnibus que vobis aliisque fratribus nostris et generaliter cunctis pro inlicitarum rerum prohibitione scripsimus habere vos per omnia cognoscamus quae omni studio omnique annisu necesse est, ut in[11] fraternitatis vestrae vigilantia compleantur[12] atque omnia illic que pro animarum salute scripsimus fideliter recenseantur, quatenus per hoc et vos vestrum zelum, et qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, et nos fideliter[13] oboedisse[14] qui vestram ad hoc prae ceteris personam elegimus, videamur. Omnipotens autem deus sua vos protectione custodiat, honoremque praeceptum[15] moribus servare concedat[16].

Circa subiectorum—eligimus videamur, eiusd. ep. IX. 108. (2, 1014.) *Omnipotens autem — servare concedat*, Greg. M. ep. V. 53. (2, 783.) Cf. Ant. 8, Eutic. 4.

ITEM DECRETA PAPE GREGORII IUNIORIS INCIPIUNT CAPITULA.[17]

I. Ut nullus audeat presbyteram ducere in coniugio.
II. Item de diacona.
III. Item de monacha quam dei ancillam appellant.
IV. Item de commatre spiritali.
V. Item de fratris uxore.
VI. Item de nepte.
VII. Item de noverca aut nuru.
VIII. Item de consobrina.
IX. Item de propria cognatione vel quam cognatus habuit.
X. Ut viduam nemo furetur in uxorem.
XI. Item ut virginem nemo furetur in uxorem.
XII. De aruspicibus vel incantatoribus seu phylacterio.
XIII. Praecepta ecclesiae observentur.
XIV. De Hadriano filio Exhilarati.
XV. De Epiphania diacona.
XVI. Ut nullus audeat eis assensum tribuere.
XVII. De coma clerici non relaxanda.

In nomine domini dei salvatoris nostri Iesu Christi imperante domino piissimo augusto Leone, a deo coronato magno imperatore anno sexto p. c. eius anno sexto, sed et Constantino novo imperatore eius filio anno secundo, mense Aprili indictione IV, praesidente sanctissimo ac ter beatissimo Gregorio apostolico papa in basilica beati Petri apostolorum principis ante confessionem, considentibus etiam sanctissimis episcopis Agnello Ferentinati, Vitale Aletrino, Martiano Gabiis, Tiberio Silvae Candidae, Georgio Nepae, Andrea Albanensi, Ioanne Blerano, Sergio Praenestino, Synderedo archiepiscopo Spaniae, Sedulio episcopo Britaniae, Fergusto episcopo Scotiae, Maiorino Polimartii, Ioanne Beliternensi, Opportuno Maturanensi, Georgio Portuensi, Gregorio Anagnias, Ioanne Signias, Agnello Sutrino, Anastasio Tiburtino, Vviliarit Narniensi, Petro Amerino, seu venerabilibus presbyteris, Sisinnio, Ioanne, Ioanne, Eustratio Marino, Constantino, Epiphanio, Marino, Sisinnio, Ioanne, Georgio, Thalassio, Gregorio, Ioanne, Ioanne, astantibus diaconibus quoque Petro archidiacono, Gregorio Mascoseo, Benedicto diaconibus vel cuncto clero Gregorius sanctissimus ac beatissimus papa dixit:

Cum simus dominicae plebis superna miseratione rectores, studiosius nos convenit dei praesidium pro eorum saepe cogitare salute, ne de creditis frustratis, quod absit, animabus insidiis antiqui hostis ante omnium pastorem, nisi succedat praeveniendo de offensis correctio, districtam cogamur solvere rationem. Dumque perpendo vel ad animum reduco quanta circumspectione nos oporteat in vigilando contra sui cuiusque sceleris ne-

[1] *C. lég.* studiosos. [2] *C. lég. add.* te. [3] *Verba:* apostolice — apertissimeque, *pro quibus Dst. ponit* apostoliceque, *restitui ex C. lég.* [4] *C. lég.* cognoscant. [5] *C. lég.* et fratrum tuorum caritati *pro* tuisque fratribus. [6] *C. lég.* consulta. [7] *Verba:* circa — sit *restitui ex C. lég. Dst. pro eis exhibet:* Actum. [8] *C. lég.* instructio. [9] *C. lég.* linguae vestrae. [10] *C. lég.* talenti crediti luchra. [11] *Om. C. lég.* [12] *Sic C. lég.; Dst.* compleatur. [13] *C. lég.* utiliter. [14] *C. lég.* providisse. [15] *Om. C. lég.* [16] *C. lég. add.* Amen. [17] *Inscript. sec. cod. Par. int. suppl. lat.* 840; *text. sec. ed. cit. coll. Dionys. p.* 606.

quitiam obviare et si quando insilierit ad perturbandas fidelium mentes adiutorio superno ictui eius resistere, valde concutior atque nimis tabesco, ne serpentina calliditate, quod absit, leviores quoque decipiat, deo vero favente sollicitudine nimia animae aequiori mente divino iuvamine freti pro salute omnium studere debemus, ut inconfuso vultu, non de fraude cuiusquam perculsi assistere aeterno iudici mereamur et vocem audire inquientem: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Hinc namque est quod ingemiscens dico, qui populi christiani aliquos per provinciam Italiam hanc commorantes audio tenere contra catholicam fidem et patrum statuta, ita ut deo sacratas foeminas ducere praesumant mulieres et propinquas coniugio socient. Quod opportunum est spiritali amputari mucrone atque si vestrae placet sanctitati, radicitus evelli, ne seges boni agricolae zyzaniorum mista horrentibus fructibus sordescat.

Sanctissimi episcopi seu venerabiles presbyteri responderunt: Vere cognoscimus gratia sancti spiritus cor apostolatus vestri succensum, ut tantae miseriae squalores a fidelium mentibus detergantur et quasi vulnus corpori infixum aditu talis miseriae obserato salutari antidoto curetur, sicut bene praevisum est interdictione anathematis, ne denuo hoc quispiam Romanus, Longobardus vel cuiuscunque sit gentis sacrique baptismatis unda lotus attentet, ut non tanti piaculi mole oppressus praecipiti incidat aut voragine mergatur iniquitatis, vitari debeat atque radicitus evellatur.

Post hanc omnium consonam responsionem Gregorius apostolicus papa ante corpus memoratum venerabilis Christi apostolorum principis inferendo sententiam dixit:

I. Si quis presbyteram duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

II. Si quis diaconam duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

III. Si quis monacham quam dei ancillam appellamus, in coniugio duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

IV. Si quis commatrem spiritalem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

V. Si quis fratris uxorem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit.

VI. Si quis neptem duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

VII. Si quis novercam aut nurum duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

VIII. Si quis consobrinam duxerit in coniugio, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

IX. Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

X. Si quis viduam furatus fuerit in uxorem vel consentientibus ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XI. Si quis virginem, nisi desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentientibus ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XII. Si quis ariolis, aruspicibus, incantatoribus observaverit aut phylacterio usus fuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XIII. Si quis in quoquam partem vel praecepta ante emissa apostolicae ecclesiae de olivetis et locis diversis tentaverit et non in omnibus observaverit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XIV. Hadriano filio Exhilarati, qui praestito sacramento in apostolica confessione Epiphaniam diaconam inlicito ausu in uxorem habet, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XV. Epiphania diacona, quae post praestito sacramento cum Hadriano Exhilarati filio fuga lapsa est in uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XVI. Si quis eis in tam crudeli consensum praebuerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

XVII. Si quis ex clericis laxaverit comam, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.

Et subscripserunt: Gregorius episcopus catholicae atque apostolicae Romanae ecclesiae huic constituto a nobis promulgato subscripsi. Agnellus episcopus sanctae ecclesiae Ferentinensis huic constituto a nobis promulgato subscripsi; Ioannes humilis episcopus sanctae ecclesiae Beliternensis huic constituto a nobis promulgato subscripsi.[1] Et caeteri episcopi numero XIV et diaconi numero IV, die Nonas Aprilis, indictione IV.

[1] *Quae sequuntur in codd. Ps.-Isid. pro integris subscriptionibus Dionysianae exhibentur.*

CAPITULA ANGILRAMNI.

*[1]EX GRECIS ET LATINIS CANONIBUS[2] ET[3] SINODIS ROMANIS ATQUE DECRETIS PRAESULUM AC PRINCIPUM ROMANORUM HAEC CAPITULA SPARSIM COLLECTA SUNT[4] ET ANGILRAMNO[5] MEDIOMATRICAE[6] URBIS EPISCOPO ROMAE A BEATO PAPA ADRIANO TRADITA SUB DIE XIII. KALENDARUM OCTOBRIUM INDICTIONE NONA QUANDO PRO SUI NEGOTII CAUSA AGEBATUR.[7]

Cor. Sal. Par. I.

Dei[8] ordinationem accusat in qua constituuntur qui episcopos accusat vel condemnat, dum minus spiritalia quam terrena sectatur[9]. Unde et[10] propheta ait: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. V. PB. VB. A. M. I.

(*Sal.* II.) Placuit ut si[11] quiscunque[12] persona contra episcopum[13] vel auctores[14] ecclesiae se proprium crediderit[15] habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis[16] studio ut familiari colloquio commonitus[17] ea[18] sanare debeat quae in querimoniam deducuntur[19]. Quam rem si deferre[20] voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis, et[21] reliqua[21]. A. M. II.

Par. II.[22]

Nullus episcopus nisi canonice vocatus et in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, cui iussione domini et meritis beati Petri apostoli singularis congregandorum conciliorum auctoritas et sanctorum[23] canonum ac venerandorum patrum decreta[24] multipliciter privata[25] tradita est potestas, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel impetatur. Sin aliter praesumptum a quibuslibet[26] fuerit in vanum deducatur quod egerint[27], nec inter ecclesiastica ullo V. PB. VB. II. — A. M. III.

c. *I. Dei ordinationem — sectatur*, Ben. II. 365. III. 167. (Isid. sent. III. 39. no. 2.) Cf. Telesf. 3, Euseb. 9.
Unde et — malignari, Ps. CIV. 15.
Placuit ut — et reliqua, Ben. II. 381. (c. 17. conc. V. Aurel.) Cf. Anacl. 20. 21, Sixt. II. pp. 5, Iul. 12.

c. *II. Nullus episcopus — impetatur*, Ben. II. 381. (c. 15. conc. Ant. D., Cass. hist. trip. IV. 9, Apol. Ebbon. a. 840.)
Sin aliter praesumptum — quicquid ei obviaverit, Ben. III. 115. aut Symm. const. de reb. eccles. 3.

* *Text. sec. cod. Par. Sangerm.* 366. *saec. IX. exeunt.* (*cf. comm.* §§. 1. 18.). *Adhibui codd. Corbeiens.* (*Cor.*) *saec. X. ineunt.*, *Par. int. suppl. lat.* 840 (*Par.*) *saec. X.*, *Trevirens.* (*Tr.*) *saec. X.*, *Salisburg.* (*Sal.*) *saec. X/XI.* (*cf. l. c.* §. 18.). *Cum divisio capitum in cod. Par. Sang. desit, numeros capp. in Cor. Par. Sal. exhibitos supra text. singulorum capp. posui. In margine adnotavi, quomodo capita dividantur in cod. Vaticano* 630 (*V.*), *in cod. Par.* 3853 *et Bonon.* 116 (*PB.*), *in cod. Par. S. Vict. et Bonon.* 115 (*VB.*), *in edit. Antonii Augustini* (*A.*), *in edit. Mansii* (*M.*). [1] *Tr. ante verba:* ex grecis *etc. ponit:* Haec capitula quae sequuntur de accusatis et accusatoribus. [2] *Par.* cononibus. [3] *In Tr. m. post. corr. in:* ex. [4] *Tr.* in unum collecta *pro* haec — collecta sunt. [5] *Cor.* Angilrammo. *Par.* Ingilramo. *Tr.* Engilramno. [6] *Par.* Mediomatricorum. [7] *Cor.* ageretur. *Tr.* suo statu causa habebatur *pro* sui — agebatur. *In eod. cod. inscriptionem sequuntur ante cap. I. inserta haec:* Iudicantem oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere interrogandi et proponendi adiciendique patientia praebita ab eo ut ibi actio parcium lim..ata (*erasae literae quae in medio erant*) sit pleniter. Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare nisi quando ipsi pro actis omnibus iam nihil amplius habuerint in questione quod proponant et tam diu actio ventiletur, quousque rei veritas inveniatur: frequenter ergo interrogari oportet ne aliquid praetermissum forte remaneat quod adnecti conveniat. (*Cf. infra c. XXIII.*) [8] *Tr.* qui. [9] *Sal.* sectantur. [10] *Om. Par.* [11] *Om. Cor.* [12] *Cor. Tr. Sal.* quaecumque. [13] *Par.* Christum. [14] *Par. Cor. Tr.* actores. [15] *Cor.* crederit. [16] *Cor.* caeritatis. [17] *Tr.* commonita. *Sal.* admonitus. [18] *Om. Tr.* [19] *Cor.* deducantur. [20] *Cor. Par. Tr. Sal.* differre. [21] *Om. Tr.* [22] *Num. om. Cor.*, *capitulum deest in Tr.*, *in marg. Cor.* Adriani papae. [23] *Sal.* sacrorum. [24] *Sal.* decretis. [25] *Om. Cor.* [26] *Par. add.* fieri. [27] *Cor.* egerunt.

modo reputabuntur nec ullas habebit vires quicquid ei[1] obviaverit: quoniam eadem sedes testante veritatis voce primum primatum obtinuit nec prima diceretur[2], si aliam super se haberet. Quae etiam caput est omnium ecclesiarum a qua omnes sumpsere originem. Primatum[3] enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed domino largiente qui ait: Tu es Petrus et super petram[4] aedificabo ecclesiam meam, [5]et reliqua talia et his[6] similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit praeceptionibus, non exeat[7] impunitus, sed gradus sui periculo subiacebit.

V. PB. VB. III. — A. M. IV.

Cor. Sal. Par. III.

Placuit, ut semper primo in accusatione clericorum fides et vita blasphemantium perscrutetur. [8]Nam fides omnes actus hominis debet praecedere, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant aut non rectae conversationis vitam ducunt[9], quoniam[10] tales facile et indifferenter[11] lacerant et criminantur[12] recte et pie viventes: ideo suspitio eorum discutienda est primo et corrigenda.

A. M. V.

Cor. Sal. Par. IV.

[13]Sancta[14] synodus Romana[15] dixit:

[16]Haec sunt quae[17] propter malorum hominum insidias qui in ecclesiam et ecclesiasticos indifferenter saeviunt viros, conservari firmissime volumus in saecula. Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse[18] ab eis caritative conventus fuerit, ut ipsam causam emendari[19] debeat et eam corrigere noluerit, non olim sed tunc ad summos primates causa[20] eius canonice deferatur: qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore in canonibus praefixo Nicenis concilium canonice[21] convocare debebunt, ita ut ab omnibus eiusdem provinciae episcopis in ea audiatur. In qua et ipse canonice convocatus, si eum aut[22] infirmitas aut alia gravis necessitas non detinuerit adesse debebit, quia ultra provintiae terminos accusandi ante licentia non est quam audientia rogetur[23]. Nam si suis fuerit rebus exspoliatus aut — quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus — a sede propria eiectus aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonice antequam in pristino restituatur[24] honore et sua

quoniam eadem sedes — et his similia, praefat. conc. Nicaeni coll. Quesn. (op. Leon. ed. Ball. 3, 23.)
quae est caput sec. Innoc. ep. ad Fel. Nuc. pr. (H. no. 9.)
a qua omnes sumpsere originem sec. eiusd. epist. ad Decent. pr. (H. no. 6.)
Usus est Iul. 5. 6. capitulo ut fonte (cf. comment. meae §. 19).
c. III, Placuit — perscrutetur, Ben. I. 393. (c. 21. conc. Chalc. D., c. 17. conc. Chalc. D.)
Nam fides — infidelis est, Xysti Pyth. s. 156 et 5.
Nec eis omnino — corrigenda, Ben. I. 335. (c. 64. conc. IV. Tolet.)
c. III. fons Sixt. I. pp. 3, Iul. 12. (cf. comm. meae §. 19).
c. IV. (tot.) fons Fel. I. pp. 8—14.
Si quis episcopus — noluerit sec. c. 17. conc. V. Aurel. aut Ben. III. 153, add. III. 22. (Cf. Alex. 8, Steph. 6, Fel. II. pp. 3.)
sed tunc ad summos — in ea audiatur, Ben. III. 156. 89. (c. 19. conc. Carth. D.) Cf. Steph. 10.
qui in congruo — in ea audiatur, Ben. III. 153. (Cf. c. 5. conc. Niceni.)
In qua et — adesse debebit sec. c. 21. text. et tit. conc. IV. Carth.
quia ultra — rogetur sec. c. 10. C. Th. IX. 1. aut Ben. II. 381. (Cf. Steph. 10, Iul. 17.)
Nam si suis — respondeat sec. Ben. III. 116. (syn. III. Symm.) (Cf. Iul. 19, Fel. II. pp. 12. v.)

1 *Om. Par.* 2 *Par.* duceretur. 3 *Cor.* primum. 4 *Par.* Petrum. 5 *Om. Cor.* et reliqua — subiacebit. 6 *Par.* is. 7 *Sal.* exiet. 8 *Om. Cor.* Nam fides — et corrigenda *et inserit hic excerpta quaedam ex comment. S. Hieronymi in Danielem c.* 9 (*ed. Vallars.* 5, 685 *sqq.*): Hieronymus in explanatione Danihelis — ut nequaquam propheta inveniatur in Israhel et unguatur sanctus sanctorum. 9 *Par.* deducunt. 10 *Sal.* quum. 11 *Par.* indeferenter. 12 *Par.* criminatur. 13 *Cor. in marg.* Adrianus papa synodo residens. 14 *Sal.* sacra. 15 *In Tr. man. post. corrigitur in:* Romae. 16 *Om. Tr.* Haec sunt — in saecula. *Sal. om.* Haec sunt — videri iure potest. 17 *Par.* quo. 18 *Om. Cor. Tr. In marg. Cor.* Alexander statut. apostolorum. 19 *Cor. Tr.* emendare. 20 *Par.* cause. 21 *Om. Cor.* 22 *Om. Cor. Tr.* 23 *Cor.* rogatur. 24 *Par.* restituantur.

omnia quae ab[1] insidiis inimicorum suorum ei[2] ablata fuerant redintegrentur[3]. Convocari nec iudicari poterit, nisi ipse[4] pro sua necessitate, minime tamen iudicandus, advenire sponte elegerit[5]; nec omnino a quoquam respondere rogetur[6], antequam integerrime omnia quae per[7] suggestiones[8] inimicorum suorum amiserat, potestati eius ab honorabili concilio redintegrentur et praesul prius[9] statui reddatur[10] et ipse dispositis ordinatisque libere ac secure suis tunc canonice convocatus ad[11] tempus[11] synodo in[12] legitima[11] et[11] canonica[11] veniat ad causam et si[11] ita[11] iuste videtur[13], accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum[14] est, ne antequam haec omnia fiant, coactus respondeat[15], quia contentio semper vitanda est. Adimi namque episcopo episcopatum, antequam causae eius exitus appareat, nulli[16] christiano videri iure potest[17]. Quod si aegrotans fuerit episcopus aut[18] aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat. Nec[19] a communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam[20] dicendam electorum iudicum[21] die statuta literis evocatus minime occurrerit, hoc est[22], nisi alia praeoccupaverit necessitas, infra spatium duorum vel trium mensium et eo amplius, prout causa dictaverit. Quodsi ex[23] utraque[23] parte ad causam dicendam venerint[24], quia unus absque altero audiri[25] non debet, quaerendum est in iudicio, cuius sint conversationis et fidei atque suspitionis accusatores aut qua intentione hoc[26] faciant, quia ad hoc admitti[27] non debent, nisi bonae conversationis et rectae fidei viri et hi[28] qui omni suspitione careant et bonae vitae[29] clareant neque infames existant. Quodsi accusatorum personae in[30] iudicio episcoporum culpabiles apparuerint ad arguendum[31] non admittantur, nisi proprias causas, non tamen criminales vel ecclesiasticas. Infamis enim persona[32] nec procurator potest esse nec cognitor. Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia a iudice dicta ullam obtinebit firmitatem, neque absens per alium accusare[33] aut[33] accusari potest. Nec affinis testis admittatur. Neminem ergo exhiberi de provintiam[34] ad provintiam vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem iudicis, ad quem fuerit appellatum, id est, ut actor[35] semper rei forum sequatur.

(*Par.* V.) Si quis autem iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat quam nulli oportet negari. V. IV. PB. VB.

Nam hoc summopere — vitanda est, Ben. III. 71. (ep. Anast. II. ad Anast. imp. c. 4. H. no. 84.) (Cf. Fab. 14.)
Adimi namque — potest, c. 54 conc. Afric. D. aut Ben. III. 87.
Quod si aegrotans — ad synodum mittat, c. 21. conc. IV. Carth.
Nec a communione — causa dictaverit, c. 19. conc. Carth. D.
quaerendum est in iudicio — accusatores, c. 96. conc. IV. Carth. aut Ben. III. 110, add. III. 11. (Cf. Calist. 17.)
quia ad hoc — infames existant sec. Cap. eccles. a. 789. c. 35. aut Ben. I. 74. III. 111. I. 401 tit. (Cf. infr. c. 13, Calist. 17, Pont. 9, Fel. 13. 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Zeph. 5, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. XII.)
Quodsi accusatorum — ecclesiasticas, c. 19 i. f. conc. Carth. D. (Cf. Ben. I. 395. III. 90. 119.)
Infamis enim — nec cognitor, l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. I. 2. s. 3. interpr.
nec sententia — obtinebit firmitatem, epit. Aegid. ad Paul. rec. sent. V. 5. s. 5. aut Ben. III. 204.
neque absens — accusari potest, l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. V. 5. 9. aut Ben. III. 354, add. III. 102. (Cf. Steph. 8.)
Neminem ergo — appellatum, nov. Marciani tit. 1.
ut actor — rei forum sequatur, interpr. nov. cit.
Si quis autem — exhibeat, Ben. III. 240, add. III. 25. aut interpr. nov. Valent. III. tit. XXXIV. (Cf. infr. c. 31, Fab. 27, Sixt. III. pp.)

[1] *Om. Cor.* [2] *Om. Tr.* [3] *Tr.* redintegretur. [4] *Tr.* ipsi. [5] *Cor. add.* non potest accusari nec ei crimen obici, quia hoc non solum ecclesiastice sed etiam seculi leges fieri prohibent. [6] *Par.* cogetur. *In Tr.* cogatur *man. post. corrigitur in:* cogaetur. [7] *Par. Cor.* super. [8] *Par.* suggessiones. *Tr. add.* et fraudes. [9] *Tr.* prioris. [10] *Cor.* restituatur. [11] *Om. Tr.* [12] *Tr.* in synodo. [13] *In Tr. manu post. additur:* esse. [14] *Cor.* cavendum. [15] *Om. Tr.* quia — vitanda est. [16] *Om. Cor.* [17] *Cor.* poterit. *Tr.* licet *pro* videri iure potest. [18] *Par.* ut. [19] *Par.* ne. *Tr.* neque. [20] *Sal. Tr. add.* suam. [21] *Par.* iuditium. [22] *Om. Cor. Sal.* [23] *Sic* extraque *corr. sec. Par. Cor. Sal. Tr.* [24] *Par. Tr.* venerit. [25] *Par.* audire. [26] *Tr.* hec. [27] *Cor.* mitti. [28] *Cor.* ii. [29] *Par.* bona vita. [30] *Om. Par.* [31] *Par.* arguandum. [32] *Par.* persone. *Tr.* personas. [33] *Om. Cor. Sal.* [34] *Cor. Par. Sal. Tr.* provintia. [35] *Par. Tr.* auctor.

Par. Sal. V.[1]

V. PB. VB. V. — A. M. VI. Si quis[2] putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem dioceseos[3] aut apud Constantinopolitanae[4] civitatis sedem agat iudicium, et[5] reliqua[5].

V. PB. VB. VI. — A. M. VII.

Cor. Par. Sal. VI.[6]

Accusationis ordinem dudum canonicis institutum decretis servare iubemus, ut[7] si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit, non statim reus aestimetur[8], qui[9] accusari potuit, ne[10] subiectam innocentiam faciamus: sed quisquis ille est qui crimen intendit, in iudicium veniat[11], nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat, similitudinem habita tamen dignitatis aestimatione patiatur, nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

V. PB. VB. VII.— A. M. VIII.

Cor. Par. Sal. VII.

Si quis clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit, in provintia in qua consistit ille qui pulsatur suas exerat actiones nec aestimet[12] eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad iudicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit liceat appellare[13].

V. PB. VB. VIII. — A. M. IX.

Cor. Par. Sal. VIII.

Salvo Romanae ecclesiae in omnibus primatu manifestum est[14] quod illa quae sunt per unamquamque[15] provintiam ipsius provintiae synodus dispenset[16], sicut Niceno constat[17] decretum esse concilio.

Cor. Sal. IX.

A. M. X. [18]Ultra provintie terminos accusandi licentia non progrediatur[19].

V. PB. VB. IX. — (*Par.* IX.) Omnis accusatio intra provintiam audiatur et a conprovincialibus terminetur.

A. M. XI. [20]Accusationes et accusatores atque earum[21] negotia quae saeculares non adsciscunt leges[22] divina ac synodica funditus a clericis repellere auctoritate censemus, quia indignum est superioribus[23], pati ab inferioribus quae inferiores ab eis uti[24] despiciunt.

A. M. XII. Prudentissime iustissimeque Nicena sive Africana decreta diffiniverunt[25] quaecumque negotia in suis locis ubi orta sunt[26], finienda, maxime quia unicuique concessum est[27], si iudicio offensus fuerit cognitorum ad concilia suae provintie vel etiam universale provocare.

c. V. Si quis putaverit — iudicium, c. 17. conc. Chalc. H.; fons Vict. 6, Sixt. II. pp. 3, Iul. 12.
c. VI. Accusationis — similitudo supplicii, Ben. III. 436. (desumt. ex c. 19. C. Th. IX. 1); fons Eutic. 7.
c. VII. Si quis clericus — liceat appellare, interpr. tit. 1. nov. Martiani; fons Eleuth. 4, Fel. I. pp. 3, Iul. 12.
c. VIII. Salvo Romanae — esse concilio, c. 2. conc. I. Constant. aut Ben. II. 381. III. 82.
c. IX. Ultra provintie — a comprovincialibus terminetur, Ben. II. 381. (conflat. ex c. 10. C. Th. IX. 1. et c. 15. conc. Ant. D.) Fons Steph. 10, Iul. 17.
Accusatores — uti despiciunt, Ben. III. 307. (c. 96. conc. Afric. D.) Cf. Euseb. 2, Dam. 14. (Ben. aut Ang. cf. quoque Ben. II. 381. III. 108. Praef. Ps.-Is. 7, Telesf. 4, Calist. 16, Steph. 7, Iul. 7. 12, Fel. II, pp. 12. xv.)
Prudentissime — provocare, Ben. II. 381. III. 102. aut c. 105 conc. Afric. D. Cf. Dam. 19.

1 *Num.* V. *in Par. hic repetitur. Omittitur in Cor.* 2 *Cor. Par. add.* autem. 3 *Om. Tr.* aut apud — sedem. 4 *Sic* Constantinopolitano *corr. sec. Cor. Par. Sal.* 5 *Om. Tr.* 6 *Capit. deest in Tr. Cor. ad num. add.* Adrianus papa. 7 *Cor.* et. 8 *Par.* stimetur. 9 *Sal.* quia. 10 *Sal.* nec. 11 *Par.* veniet. 12 *Par.* stimet. 13 *Tr.* appellari. *Cor. add.* Niceno V. 14 *Tr. add.* ut. 15 *Cor.* per primam quamque. *Sal.* intra quamque *pro* per unamquamque. 16 *Tr.* dispensat. 17 *Tr.* consistat. 18 *Cor. in marg.* Steph. p. V. 19 *Tr.* progreditur. 20 *Cor. in marg.* Afric. XCV. 21 *Om. Sal.; Par.* eorum. 22 *Par.* legis. 23 *Sal. Tr.* superiores. 24 *Cor.* pati: *sic* uti *in Tr. man. post. corr.* 25 *Par.* diffiniunt. *Sal. Tr.* diffinierunt. *Cor.* definierunt. 26 *Par.* fuerint. 27 *Om. Sal.*

Cor. Par. X.[1]

Placuit episcopos eiectos[2] atque suis rebus exspoliatos ecclesias proprias primo recipi et sua omnia eis reddi, et postea si quis eos accusare[3] vellet[4], aequo periculo facere: iudices esse decernentes episcopos recta sapientes in ecclesiam[5] convenientes, ubi testes[6] essent singulorum qui oppressi videbantur. V. PB. VB. X. — A. M. XIII.

Cor. Par. XI.[7]

Nullus metropolitanus[8] absque caeterorum omnium conprovintialium episcoporum instantia[9] aliquorum audiat causas[10] eorum[11], quia irritae erunt, immo etiam causam[12] in synodo pro[13] facto[13] dabunt; nec reliquorum aliquis episcoporum suorum sacerdotum causas audiat absque praesentia clericorum suorum, quia irrita erit sententia episcopi, nisi praesentia clericorum confirmetur. V. PB. VB. XI. — A. M. XIV.

Cor. Par. XII.[14]

Primo[15] semper vita et persona accusantium diligenter inquiratur et postea quae obiciuntur[16], fideliter pertractentur[17], quia nihil aliter fieri debet, nisi impetitorum[18] prius vita discutiatur. V. PB. VB. XII.— A. M. XV.

Cor. Par. XIII.[19]

Hi[20] qui non sunt bonae conversationis vel quorum fides, vita et libertas nescitur, non possunt sacerdotes accusare: nec viles personae in accusationem eorum admittantur. V. PB. VB. XIII. — M. XVI.

Cor. Par. XIV.[21]

Hi[22] qui in aliquibus criminibus inretiti sunt vel qui sunt suspitiosi, vocem adversus maiores natu non habeant accusandi sed ii[23] qui omni suspicione careant. V. PB. VB. XIV. — M. XVII.

Cor. XV.[24]

Nullus episcopus alterius parrochianum praesumat retinere aut ordinare absque eius voluntate vel iudicare, quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita et diiudicatio[25], quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri: nam qui eum ordinare[26] non potuit, nec iudicare ullatenus poterit[27]. V. PB. VB. XV. — A. XVI. — M. XVIII.

Cor. Sal. XVI.[28]

Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ut ab externis iudicetur qui provinciales et a se electos debet habere iudices. V. PB. VB. XVI. — A. XVII. — M. XIX.

c. X. Placuit — videbantur, Ben. II. 381. (Cassiod. VII. 12.); fons Zeph. 12. Cf. Dam. 12. 13. (Ben. l. c. et c. 10. Angilr.)

c. XI. Nullus metropolitanus — confirmetur, c. 30. 23. conc. IV. Carth. cf. quoque Ben. III. 106. II. 363. III. 219; fons Vigin. 2, Luc. 4, Iul. 12.

c. XII. Primo semper — vita discutiatur, Ben. I. 393. II. 381. aut c. 17. conc. Afric. D., c. 8. conc. Carth. D., c. 21. conc. Chalc. D. Cf. Pii 5.

c. XIII. Hi qui non sunt — accusare, Ben. I. 74. III. 111. et II. 359. III. 112. aut c. 35. Cap. eccles. a. 789. Cf. Pont. 9, Calist. 17, Fab. 13. 25, Steph. 12, Sixt. III. pp., Pelag. II. pp. ep. 3. *nec viles personae — eorum admittantur*, Ben. II. 362. aut c. 45. Cap. eccles. a. 789. Cf. Anacl. 19, Calist. 17, Fab. 25, Sixt. III. pp.

c. XIV. Hi qui in aliquibus — suspicione careant, Ben. III. 85. aut c. 8. conc. Carth. D.; fons Fab. 25, Sixt. III. pp. (Cf. Steph. 11.)

c. XV. Nullus episcopus — ullatenus poterit, Ben. III. 308. (conflat. ex c. 21. conc. III. Carth., interpr. c. 2. C. Th. IV. 16, c. 22. conc. Antioch. D.) Cf. Calist. 12, Sixt. II. pp. 6, Iul. 12.

c. XVI. Peregrina — habere iudices, Ben. III. 309. (c. 10. C. Th. IX. 1.) Cf. Anacl. 15, Vigin. 4, Fab. 26, Fel. I. pp. 15, Euseb. 17, Iul. 12, Sixt. III.

[1] *Deest cap. in Sal.* [2] *Tr.* deiectos. [3] *Par.* accussari. [4] *Tr.* velit. [5] *Cor. Par. Tr.* ecclesia. [6] *Om. Tr.* [7] *Deest capit. in Sal.* [8] *Par. add.* episcopus. [9] *Par.* instanti. [10] *Tr.* causam. [11] *Om. Tr.* [12] *Om. Cor.* [13] *Par.* profecto. [14] *Deest cap. in Sal.* [15] *Tr.* prius. [16] *Cor.* obiciunt. [17] *Par.* pertrahuntur. [18] *Sic Cor.; Sgrm. Par.* impeditorum, *in Tr.* impeditorum *al. manu in* impetitorum *correct.* [19] *Deest cap. in Sal.* [20] *Tr.* si. [21] *Deest cap. in Sal.* [22] *Tr.* Si. [23] *Par. Tr.* hi. *Cor.* omni qui suspitione. [24] *Deest capit. in Sal., num. in Par.* [25] *Tr.* indicio. [26] *Par.* ordinari. [27] *Cor. Tr.* potest. [28] *Deest num. in Par.*

V. PB. VB. XVII. — A. XVIII. — M. XX.

Cor. Par. XVII.[1]

Nullus episcopus extra suam provinciam ad iudicium devocetur, sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo tempore synodali ab omnibus conprovincialibus episcopis audiatur, quia[2] concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari[3] convenit? Nam si ipse metropolitanum ad[4] iudices suspectos habuerit aut infestos senserit, apud primatem[5] dioceseos aut apud Romanae sedis pontificem iudicetur.

V. PB. VB. XVIII. — A. XIX. — M. XXI.

Cor. Par. XVIII.[6]

Placuit, ut nullus servus, nullus libertus[7], nullus infamis[8] persona sacerdotem accusent[9]. Omnes vero infames esse dicimus, quos leges saeculi infames appellant et omnes qui culpis exigentibus ad sacerdotium non possunt provehi. Indignum[10] enim est[11], ut illi eos accusent[12], qui esse non possunt quod ipsi sunt: quoniam sicut maiores a minoribus non iudicantur, ita nec criminari[13] possunt[14].

V. PB. VB. XIX. — A. XX. — M. XXII.

Cor. Par. XIX.[15]

Placuit ut nullus episcoporum quemquam clericorum iudicare aut dampnare praesumat[16], nisi accusatus legitimos[17] accusatores praesentes habeat locumque defendendi[18] accipiat ad abluenda crimina.

V. PB. VB. XX. — A. XXI. — M. XXIII.

Cor. Par. XX.[19]

Placuit ut si episcopus accusatus appellaverit Romanum pontificem, id statuendum quod ipse censuerit.

Cor. Par. Sal. XXI.

V. PB. VB. XXI. — A. XXII. — M. XXIV.

Si quis episcopus, presbiter aut diaconus vel quilibet clerici apud episcopos — quia alibi non oportet — a qualibet[20] persona[21] fuerint accusati, quicumque fuerit, sive ille sublimis vir honoris sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, noverit[22] docenda[23] probationibus monstranda documentis se debere inferri[24].

V. PB. VB. XXII.

Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat, se iacturam[25] infamiae propriae sustinere, ut[26] damno pudoris, existimationis dispendio discat sibi alienae verecundiae impune insidiari saltim[27] de caetero non licere, sed qualem fratri paraverit dampnationem, talem in se suscipiat.

Cor. Par. XXII.[28]

V. PB. VB. A. XXIII. — M. XXV.

Nullus archiepiscoporum, nisi qui primas[29] sedes tenent, appelletur[30] primas

c. XVII. Nullus episcopus — iudicetur, Ben. III. 314.
(*Nullus episcopus — sententiam*, c. 15. conc. Ant. D., c. 105. conc. Afric. D., apolog. Ebbon. Rem.) Cf. Luc. 5, Iul. 12. (Dam. 8.)
(*Nam si ipse — iudicetur* sec. c. 9. 17. conc. Chalc. D.) Cf. Ann. 4, Iul. 12. (Corn. 5.)
c. XVIII. Placuit — provehi sec. c. 96. conc. Afric. D. aut Ben. III. 99. 437. Fons Fab. 13. Cf. Praef. 7, Calist. 7, Euseb. 2, Iul. 7. 18. 12, Fel. II. pp. 12. xv., Dam. 14, Steph. 2.
quoniam — possunt, Ben. I. 397. II. 381. Cf. Clem. 33. 42, Sixt. II. pp. 8, Marcellini 3, Iul. 5. 19.
c. XIX. Placuit — abluenda crimina, Ben. I. 392. II. 381. III. 184. (act. apost. XXV. 16.) Cf. Steph. 8, Marcelli 9, Iul. 17, Dam. 19, Dam. ad episc. Ital.
c. XX. Placuit — censuerit, Ben. III. 315. aut epit. Hadr. c. 3. conc. Sard. Cf. Fab. 29, Iul. 12, Sixt. III. pp.
c. XXI. Si quis episcopus — suscipiat, Ben. 438. (c. 41. C. Th. XVI. 2.) Fons Gai 4, Sixt. III. pp.
c. XXII. Nullus archiepiscoporum — episcopus, Ben. III. 29. aut c. 6. conc. Afric. D. et c. 12. conc. Chalc. D. Cf. Iul. 12, Fel. II. pp. 12. XIII.

1 *Deest cap. in Sal.* 2 *Tr.* qui. 3 *Par.* servare. 4 *Cor. Tr.* aut. 5 *Cor.* primatea. 6 *Deest cap. in Sal.* 7 *Cor.* liber. 8 *Tr.* infama. 9 *Cor.* accuset. 10 *Om. Cor.* 11 *Cor.* Est enim. 12 *Cor. Tr.* accusant. 13 *Cor. Tr.* criminantur. 14 *Om. Cor. Tr.* 15 *Deest cap. in Sal.* 16 *Cor.* praesumant. 17 *Tr.* legitimus. 18 *Tr.* defendi. 19 *Deest cap. in Sal.* 20 *Sal.* quaelibet pro quilibet — qualibet. 21 *Om. Tr.* 22 *Cor.* noverunt. 23 *Sal.* dicenda. 24 *Sal. Tr.* inferre. 25 *Sal.* acturam. 26 *Tr.* et. 27 *Cor. Par. Sal.* saltem. 28 *Cap. deest in Sal.* 29 *Tr.* prima. 30 *Tr.* appellentur.

aut princeps[1] sacerdotum aut summus sacerdos vel aliquid[2] huiusmodi, sed tantum ille qui in metropoli sedet[3], aut metropolitanus aut archiepiscopus vocetur et suum in canonibus praefixum non excedens teneat cum humilitate modum[4]: et ille qui primam sedem retinet[5], tantummodo primae sedis appelletur episcopus, salva semper in omnibus auctoritate beati Petri apostoli.

Cor. Par. XXIII.[6]

Iudicantem oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adiciendique patientia praebita ab eo, ut ibi actio partium limitata[7] sit pleniter. V. PB. VB. A. XXIV. — M. XXVI.

Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare, nisi quando ipsi[8] peractis omnibus iam nihil amplius[9] habuerint in quaestione quod proponant[10] et tamdiu actio ventiletur quousque rei veritas perveniatur[11]. Frequenter ergo interrogari oportet, ne aliquid praetermissum[12] forte remaneat quod annecti conveniat. PB. XXV.

Cor. Par. Sal. XXIV.

Sunt nonnulli qui indiscussos potestate tyrannica, non canonica auctoritate dampnant et sicut nonnullos gratia favoris[13] sublimant[14] ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant et levi[15] opinionis aura condemnant, quorum crimina non approbant. Ideoque communi decreto censemus, ut[16] quandocumque aliquis episcoporum criminatur congregatis omnibus eiusdem provintie episcopis causa eius audiatur, ut non occulte iudicetur vel dampnetur, quia[17] ab aliis iudicari prius non potest, nisi ab his[18] quibus ordinari potuit. Quodsi aliter factum fuerit, nullas vires habebit. V. VB. A. XXV. — PB. XXVI. — M. XXVII.

Cor. Par. Sal. XXV.

Si clericus vel[19] laicus habuerit causam adversus episcopum proprium vel adversus alterum aut episcopus adversus quemquam, apud synodum provintiae iudicetur. Quodsi adversus eiusdem provintiae metropolitanum episcopus vel clericus habuerit querelam, petat primatem dioceseos et apud ipsum iudicetur aut apud sedem apostolicam. V. VB. A. XXVI.—PB. XXVII.—M. XXVIII.

Cor. Par. XXVI.[20]

Si quis episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur vel iudicetur qui sunt in provincia episcopis[21]. V. VB. A. XXVII. — PB. XXVIII. — M. XXIX.

Cor. Par. XXVII.[22]

Si quis episcopus iudicaverit vel ordinaverit alterius parrochianum sine consilio[23] et voluntate episcopi sui, oportet eum non sine increpatione in communi concilio admitti, ita ut ecclesiasticum ultra non solvat canonem. V. VB. A. XXVIII. — PB. XXIX. — M. XXX.

Cor. Par. Sal. XXVIII.

Placuit eorum accusandi sacerdotes et testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis sed divinis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem funestam potius intercidi[24] quam audiri oportet. V. VB. A. XXIX.—PB. XXX. — M. XXXI.

c. XXIII. Iudicantem oportet — quod annecti conveniat, Ben. I. 400. (c. 1 et interpr. C. Th. II. 18.) Cf. Eleuth. 2. 3, Iul. 16.
c. XXIV. Sunt nonnulli — nullas vires habebit, Ben. III. 320. (c. 6. conc. Hispal. II., c. 15. 22 i. f. conc. Ant. D.)
c. XXV. Si clericus — apud sedem apostolicam, Ben. III. 321. (c. 9. conc. Chalc. D.)
c. XXVI. Si quis episcopus — episcopis, Ben. II. 381. III. 104. (c. 15. conc. Ant. D.) Cf. Fab. 26, Euseb. 11, Fel. II. pp. 12. XVIII., Sixt. III. pp., Symm. syn. V., Ioann. I. pp. ep. 1.
c. XXVII. Si quis episcopus — episcopi sui sec. c. 22. conc. Ant. D.
oportet — canonem, c. 34. cap. Martin. Bracar.
c. XXVIII. Placuit eorum — oportet, Ben. III. 322. (l. Visig. II. 4. 7.) Cf. Alex. 5, Steph. 13. (Pelag. II. pp. ep. 3. Cf. Ben. III. 440.)
(*quia vocem funestam — oportet*, c. 3. C. Th. IX. 6. Cf. Euseb. 18, Silv. ep. ad Amator.)

1 *Tr.* principes. 2 *Tr.* aliquod. 3 *Tr.* sede. 4 *Tr.* locum. 5 *Cor.* tenet. 6 *Deest cap. in Sal.* 7 *Tr.* liminata. 8 *Par.* ipse. 9 *Om. Cor.* 10 *Cor.* proponatur. 11 *Cor. Tr.* inveniatur. 12 *Par.* praetermissus. 13 *Om. Sal.* 14 *Par.* subliment. 15 *Cor.* lectia. *Sal.* leva. 16 *Par.* aut. 17 *Par.* qui. 18 *Par.* is. *Cor. add.* a. 19 *Cor.* aut. 20 *Deest cap. in Sal.* 21 *Tr.* episcopi. 22 *Deest cap. in Sal.* 23 *Par.* concilio. 24 *Tr.* interdici.

Cor. Par. Sal. XXIX.

V. VB. A. XXX.—PB. XXXI.—M. XXXII. Placuit ut accusatus[1] si[2] iudicem suspectum habuerit[3], liceat[4] appellare, quia non oportet negari[5] audientiam[6] roganti.

Cor. Par. Sal. XXX.

V. VB. A. XXXI.-PB. XXXII.—M. XXXIII. Non est credendum contra alios eorum confessioni[7] qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint innocentes, quia periculosa est et admitti non debet rei adversus quemcumque[8] professio[9].

Cor. Par. Sal. XXXI.

V. VB. A. XXXII.-PB. XXXIII.-M. XXXIV. Si quis iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat et[10] cum ei concessum fuerit, integro negotio apud alium iudicem amotis dilationibus possit audiri.

Cor. Par. Sal. XXXII.

V. VB. A. XXXIII. — PB. XXXIV. —M. XXXV. Clericus sive laicus si crimine aut lite pulsatus fuerit, non aliubi[11] quam in foro suo provocatus audiatur.

Cor. Par. XXXIII.[12]

V. VB. A. XXXIV. — PB. XXXV. -M. XXXVI. Appellantem non debet afflictio ulla aut carceris aut detentionis iniuriare[13] custodia, si[14] liceat appellatori[15] vitiatam causam appellationis remedio sublevare.

Cor. Par. Sal. XXXIV.

V. VB. XXXV.-PB. XXXVI.-M. XXXVII. Liceat[16] etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem in[17] supplicio sententia destinarit[18].

Cor. Par. Sal. XXXV.

A. XXXV. — V. VB. XXXVI.-PB. XXXVII. — M. XXXVIII. In criminalibus causis nec accusator nisi per se aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defensare permittitur.

Cor. Par. XXXVI.[19]

A. XXXVI. — V. VB. XXXVII.-PB. XXXVIII.— M. XXXIX. Constitutiones contra canones et[20] decreta praesulum Romanorum vel bonos mores nullius sunt[21] momenti.

Cor. Sal. XXXVII.[22]

A. XXXVII. — M. XL. In clericorum causa huiusmodi forma servetur, ut ne[23] quemquam[23] eorum[24] sententia non a suo iudice dicta constringat.

Cor. Par. Sal. XXXVIII.

A. V. VB. XXXVIII.— PB. XXXIX. — M. XLI. Omnis qui falsa aliis intulerit[25], puniatur et pro falsitate ferat infamiam.

c. *XXIX. Placuit — roganti*, Ben. III. 323. (interpr. tit. I. nov. Marcian.; *quia non oportet etc.*, c. 17. conc. Sard.). Cf. supra c. 7.

c. *XXX. Non est credendum — professio*, Ben. III. 324. aut interpr. c. 12. C. Th. IX. 1. Cf. Steph. 11, Dion. 4, Iul. 12.

c. *XXXI. Si quis iudicem — possit audiri.* Cf. supra c. 4 i. f.

c. *XXXII. Clericus — audiatur*, Ben. III. 332. (interpr. tit. XXXIV. nov. Valentin.) Fons Fab. 26, Sixt. III. pp.

c. *XXXIII.* c. *XXXIV. Appellantem — destinarit*, epit. cod. Par. suppl. lat. 215. ad c. 1 —3. l. Rom. Visig. C. Th. XI. 8. (cf. Ben. III. 333. 251.) Cf. Fab. 27, Sixt. III. pp.

c. *XXXV. In criminalibus — permittitur* sec. interpr. c. 15. C. Th. IX. 1. aut l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 5. 9. (Ben. III. 354. add. III. 102.)

c. *XXXVI. Constitutiones — momenti*, Ben. III. 346. (l. Rom. Visig. Paul. rec. sent. III. 6. 8.)

c. *XXXVII. In clericorum — constringat*, Ben. III. 347. (c. 2. C. Th. IV. 16.) Cf. Zeph. 5, Fab. 29, Euseb. 17, Iul. 18, Sixt. III. pp.

c. *XXXVIII. Omnis — infamiam*, Ben. III. 348. II. 361. (conc. Arelat. I. c. 14? cf. Ben. II. 314. III. 197.)

[1] *Cor. Par. Sal. Tr.* accusato. [2] *Om. Cor. Sal.* [3] *Cor. Sal.* habenti. [4] *Par.* licentiam habeat. [5] *Par.* negare. [6] *Tr.* audientia. [7] *Om. Cor.* [8] *Sal.* quemquam. [9] *Cor.* confessio. [10] *Cor. Par. Sal.* ut. [11] *Tr.* alicubi. [12] *Deest cap. in Sal.* [13] *Par.* iniurie. [14] *Cor. Par. Tr.* et. [15] *Cor.* appellatoris. [16] *Par.* Licet. [17] *Om. Sal.; Tr.* cū. [18] *Cor. Par.* destinavit. *Tr.* destinaverit. [19] *Cap. deest in Sal. Tr.* [20] *Par.* ut. [21] *Cor.* sint. [22] *Par. erronee:* XXXVI. [23] *Cor. Sal.* nequaquam. *Par.* nequam. [24] *Sal.* eos. [25] *Cor.* intuerit.

Cor. Par. Sal. XXXIX.

Ut provintialis synodus retractetur per vicarios urbis[1] Romae episcopi[2], si ipse decreverit. A. V. VB. XXXIX. — PB. XL. — M. XLII.

Cor. Par. Sal. XL.

De his qui in accusationem[3] maioris natu veniunt et ut episcopum nulli criminoso[4] liceat accusare. A. V. VB. XL. — PB. XLI. — M. XLIII.

Cor. Par. Sal. XLI.

Si quando in causa[5] capitali vel in causa status interpellatum[6] fuerit, non per[7] procuratores sed per ipsos[8] est agendum. A. V. VB. XLI. — PB. XLII. — M. XLIV.

Cor. Par. Sal. XLII.

Placuit ut a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi maior est auctoritas fuerit provocatum, audientia non negetur. A. V. VB. XLII.— PB. XLIII.— M. XLV.

Cor. Par. Sal. XLIII.[9]

[10]Si quis metropolitanus episcopus nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam sine consilio[11] et voluntate omnium comprovintialium episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus[12] sui periculo subiacebit et quod egerit, irritum habeatur[13] et vacuum. A. V. VB. XLIII.—PB. XLIV. — M. XLVI.

Sed quidquid de provintialium coepiscoporum[14] causis suarumque ecclesiarum et clericorum atque saecularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu[15] provintialium agatur pontificum, *non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi[16] administratione, sicut dominus ait: Non veni ministrari, sed[17] ministrare[17], et alibi: Qui maior est vestrum erit minister vester, et[18] reliqua[18]. Similiter et ipsi comprovintiales episcopi cum eius consilio, nisi quantum ad suas proprias pertinet parrochias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in saecula.[19] V. XLIV. *V. XLV.

Quod in laicis reprehenditur[20], id multo magis debet in clericis praedamnari[21]. A. XLIV. — M. XLVII.

Cor. Par. XLIV.[22]

Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici vero honore priventur. V. XLVI.— VB. XLIV.- PB. XLV. — M. XLVIII.

Delatori aut lingua capuletur aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt qui invidia produnt alios. A. XLV. M. XLIX.

Cor. Par. XLV.[23]

Qui in alterius fama in publico scripturam aut verba contumeliosa confixerit[24] et repertus scripta non probaverit, flagelletur et qui ea[25] prius[25] invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere. VB. XLV.— A. PB. XLVI. — M. L.

c. XXXIX. Ut provintialis — decreverit, Ben. III. 349. aut epit. Hadr. conc. Sard. c. 7. Cf. Marcelli 2, Iul. 12.

c. XL. De his — accusare, tit. c. 8. conc. Carth. D. (cf. Ben. I. 187. II. 364. III. 85. 88.)

c. XLI. Si quando — agendum, l. Rom. Visig. Pauli rec. sent. V. 37. 1. interpr. aut Ben. III. 357.

c. XLII. Placuit — non negetur, Ben. I. 404. II. 300. III. 121. (c. 15. conc. Carth. D.); fons Luc. 2, Iul. 12. (Cf. Corn. 5, Pelag. II. pp. ep. 1.)

c. XLIII. Si quis — saecula, Ben. III. 358. (c. 9. 13. conc. Ant., Matth. XX. 28. 26. c. 35. apost.) Cf. Luc. 3, Iul. 12. (Ann. 2, Luc. 5.)

Quod in laicis — praedamnari, c. 5. conc. Carth. D. aut Ben. III. 16. 359.

c. XLIV. Ut laici — priventur, c. 14 tit. conc. I. Carth. aut Ben. III. 457 tit.

Delatori — produnt alios, Ben. III. 360. (epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad l. Rom. Visig. c. 1. C. Th. X. 5.)

c. XLV. Qui in alterius — incurrere, Ben. III. 361. (epit. Aegidii ad l. Rom. Visig. c. 1. C. Th. IX. 24.)

1 *Om. Cor.* 2 *Cor. Par.* episcopos. 3 *Sal. Tr.* accusatione. 4 *Par.* criminosu. 5 *Om. Tr.* 6 *Par.* interrogatum. 7 *Om. Tr.* 8 *Sal. add.* se. 9 *Cap. deest in Tr.* 10 *Cor. in marg.* Cornel. Antioc. VIII. 11 *Par.* concilio. 12 *Par.* gradui. 13 *Cor.* habetur. 14 *Cor. Par.* episcoporum. 15 *Cor.* omni concensu. 16 *Par. add.* omnium. 17 *Om. Cor.* 18 *Om. Cor.* 19 *Cor. add.* Amen. 20 *Cor.* deprehenditur. 21 *Cor. add.* debet. 22 *Deest cap. in Sal.* 23 *Deest cap. in Sal.* 24 *Cor.* confinxerit. 25 *Cor.* primus postea.

Cor. Par. XLVI.[1]

VB. XLVI. — A. V. PB. XLVII. — M. LI. Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temere obiecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si fortasse[2] resipiscens[3] post iracundiam quae dixit iterare ac[4] scribere noluerit, non ut reus criminis habeatur[5].

Par. XLVII.[6]

VB. XLVII. — A. V. PB. XLVIII. — M. LII. Qui crimen obicit scribat se probaturum re vera, et[7] ibi causa agatur, ubi crimen admittitur.

Cor. Par. XLVIII.[8]

V. XLIX. Ut[9] qui non probaverit quod obiecit, poenam quam intulerit[10], ipse patiatur.

Cor. Par. XLIX.[11]

VB. XLVIII. — A. PB. XLIX. — V. L. — M. LIII. Caveant iudices ecclesiae, ne absente eo cuius causa[12] ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit[13], immo et causam in synodo pro facto dabunt.

Cor. Par. L.[14]

VB. XLIX. — A. PB. L. — V. LI. — M. LIV. Eius qui frequenter litigat et ad[15] accusandum est facilis, accusationem nemo absque grandi examine recipiat.

Cor. Par. Sal. LI.

VB. L. — A. PB. LI. — V. LII - M. LV. De accusationibus episcoporum Constantinus imperator inter[16] caetera[16] sic ait: Vestrae quidem accusationes, inquit, tempus habebunt proprium, id est diem[17] magni iudicii, iudicem vero illum qui tunc futurus est omnibus[18] iudicare. Mihi ergo[19] homini constituto de huiusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium et simul accusatorum. Quos minime convenit tales debere monstrare[20], qui iudicentur ab aliis, cum ab ipso domino magis ipsi sint[21] iudicandi, de quibus ait propheta: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit: neque possunt humano condemnari examine quos deus suo reservavit iudicio, et reliqua talia et his similia[22].

A. LII. — M. LVI. Neque praesul summus a quoquam iudicabitur, quia dicente[23] domino[23] non est discipulus super magistrum.[24]

Par. Sal. I.[25]

V. I. — VB. LI. — PB. LII. — A. LIII. — M. LVII. Iudex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes[26] testes convincatur.

Cor. Par. Sal. II.

V. II. — VB. LII. — PB. LIII. — A. LIV. — M. LVIII. Irritam esse iniustam episcoporum dampnationem, idcirco a[27] synodo retractandam.

c. *XLVI—XLVIII. Si quis iratus — ipse patiatur*, Ben. III. 364. 365. aut epit. cod. Par. suppl. lat. 215. ad l. Rom. Visig. c. 3—6. C. Th. IX. 1. Cf. Fab. 28, Sixt. III. pp. (Dam. 19.)

c. *XLIX. Caveant — pro facto dabunt*, c. 30. conc. IV. Carth. aut Ben. II. 363. III. 219. Cf. Eleuth. 5, Fel. I. pp. 5, Iul. 12.

c. *L. Eius qui frequenter — recipiat*, c. 58. conc. IV. Carth. aut Ben. I. 399. Cf. Pont. 9, Iul. 18, Fel. II. pp. 12. xv.

c. *LI. De accusationibus — iudicentur ab aliis*, Ben. II. 403. (Cass. hist. trip. II. 2.)

cum ipso domino — discernit, Ben. I. 315. (Rufin. hist. eccl. I. 2. in conc. Par. a. 829. lib. III. c. 8.)

neque possunt — his similia, Ben. III. 259. 373. (Isid. syn. lib. II. no. 86.)

Neque praesul — magistrum, Ben. I. 302. (c. 3. constit. Silv.)

c. *I. Iudex criminosum — convincatur*, Ben. I. 308. II. 398. III. 170. (interpr. c. 1. C. Th. IX. 40.) Cf. Zeph. 2, Fel. I. pp. 4, Iul. 12.

c. *II. Irritam esse — retractandum*, c. 28. conc. IV. Carth. Cf. Fel. I. pp. 4, Iul. 12.

1 *Deest cap. in Sal.* 2 *Cor.* forte. 3 *Par.* respicens. 4 *Sic ad corr. sec. Par. Tr.; Cor.* aut. 5 *Cor. Par. Tr.* teneatur. 6 *Cor. erronee:* XLVI. *Deest cap. in Sal.* 7 *Cor.* ut. 8 *Deest cap. in Sal.* 9 *Cor.* et. 10 *Tr.* tulerit. 11 *Deest cap. in Sal.* 12 *Verbum* causa, *pro quo in cod. lacuna est, restitui ex Cor. Par. Tr.* 13 *Om. Tr.* 14 *Deest cap. in Sal.* 15 *Om. Tr.* 16 *Om. Tr.* 17 *Tr.* die. 18 *Tr.* omnes. 19 *Cor.* autem. 20 *Par.* monstrari. *Cor. Tr.* ministrari. *Sal.* ministrare. 21 *Sal.* sunt. 22 *Cor. om.* in medio — similia. *Tr.* et reliqua — similia. 23 *Om. Tr.* 24 *Cor. add.* neque possunt humano condemnari examine quos deus suo reservavit iuditio. 25 *Om. num. Cor. et praemittit:* Item capitula Adriani papae. 26 *Cor. add.* et idoneos. 27 *Om. Par.*

Ut ne quis dum in ea durare poterit[1] qualibet necessitate suam[2] relinquat ecclesiam. A. LV. — M. LIX.

Cor. Par. Sal. III.

Pulsatus ante suum iudicem causam dicat et non ante suum iudicem pulsatus, si voluerit taceat et ut pulsatis[3], quoties appellaverint[4], indutiae[5] dentur[6]. V. III — VB. LIII. — PB. LIV. — A. LVI. — M. LX.

Cor. Par. IV.[7]

Si quis contra suam professionem vel conscriptionem venerit, si clericus fuerit, deponatur, si laicus anathematizetur. V. IV. — VB. LIV. — PB. LV. — A. LVII. — M. LXI.

Cor. Par. V.[8]

Si quis episcopum aut presbiterum vel[9] diaconum[10] falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec in finem[11] dandam[12] esse communionem. V. V. — VB. LV. — PB. LVI. — A. LVIII. — M. LXII.

Cor. Par. Sal. VI.

Hi[13] qui inventi[14] fuerint[15] libros famosos legere vel cantare, excommunicentur. V. VI. — VB. LVI. — PB. LVII. — A. LIX. — M. LXIII.

Cor. Par. Sal. VII.

*Ut nullus episcopus vel infra positus die dominico[16] causas iudicare praesumat. *V. VII. — VB. LVII. — PB. LVIII. — A. LX. — M. LXIV.

Cor. Par. Sal. VIII.

*Ut si quis potentum[17] quemlibet expoliaverit et admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur. *V. VIII. — VB. LVIII. — PB. LIX. — A. LXI. — M. LXV.

Cor. Par. Sal. IX.

*Ut nullus clericus ab episcopo suo[18] recedat et ad alium se transferat. *V. IX. - VB. LIX. — PB. LX. — A. LXII. — M. LXVI.

Cor. Par. Sal. X.

**Homicidae, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri et qui raptum fecerint[19] vel falsum testimonium dixerint[20] seu qui ad sortilegos[21] magosque concurrerint[22], nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi. **V. X. - VB. LX. — PB. LXI. — A. LXIII. — M. LXVII.

Cor. Sal. XI.[23]

Qui crimen intendit, agnoscendum est, si ipse antea[24] non fuit criminosus, quia periculosum est et admitti non debet rei adversus quemcunque professio. V. XI. — VB. LXI. — PB. LXII. — A. LXIV. — M. LXVIII.

*Occurrere quisque[25] fidelium miserorum debet[26] subsidio quo valeant[27] ex relevatione alienae vindictae a se dei removere vindictam. Libat enim domino prospera qui ab afflictis pellit adversa. *A. LXV. — M. LXIX.

Ut ne quis — relinquat ecclesiam, Ben. III. 193. 366. (c. 13 tit. conc. II. Arelat. H.); fons Lib. 2 tit. et text.

c. III. Pulsatus ante — indutiae dentur, Ben. III. 367. (epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad c. 4 l. Rom. Visig. C. Th. II. 1.) Cf. Fab. 28, Sixt. III. pp.

c. IV. Si quis contra — anathematizetur, Ben. II. 304. III. 158. (c. 13 conc. II. Carth.)

c. V. Si quis episcopum — communionem, c. 75. conc. Eliber. Cf. Steph. 2.

c. VI. Hi qui — excommunicentur, Ben. III. 368. (c. 52 conc. Eliber. Ben. II. 316.)

c. VII. Ut nullus episcopus — praesumat, Ben. II. 318. aut c. 4 tit. conc. Tarrac.

c. VIII. Ut si quis — excommunicetur, Ben. II. 319. aut c. 11 tit. conc. I. Tolet.

c. IX. Ut nullus — transferat, Ben. II. 320. III. 213. aut c. 12 tit. conc. I. Tolet.

c. X. Homicidae — admittendi, Ben. II. 397. III. 369. (l. Visig. II. 4. 1.) Cf. Eutic. 8, Fel. II. pp. 12. XVI. (Euseb. 18, Clem. 31.)

c. XI. Qui crimen intendit — professio, epit. cod. Par. suppl. lat. 215 ad l. Rom. Visig. c. 7. C. Th. IX. 1. Cf. supra c. 30.

Occurrere — pellit adversa, Ben. II. 323. III. 221. aut c. 2 conc. VIII. Tolet.; fons Fab. 29, Dam. 23, Pelag. II. pp. ep. 3.

[1] *Cor. Sal.* potuerit. [2] *Sic* suam *corr. sec. Cor. Par. Sal. Tr.* [3] *Cor. Sal.* pulsato. *Par. Tr.* pulsatus. [4] *Cor. Sal.* appellaverit. [5] *Tr.* in iudicio. [6] *Tr.* edentur. [7] *Deest cap. in Sal.* [8] *Deest cap. in Sal.* [9] *Cor. Par.* aut. [10] *Cor. Par. Tr.* diaconem. [11] *Cor. Tr.* fine. [12] *Cor. Tr. add.* ei. [13] *Cor. Tr.* si. [14] *Tr.* videntur. [15] *Om. Tr.* [16] *Sal.* dominica. [17] *Om. Cor. Sal. Tr.* [18] *Om. Tr.* [19] *Par.* fecerit. [20] *Par.* dixerit. [21] *Cor.* sortilegas. [22] *Par.* concurrerit. [23] *Om. num. Par.* [24] *Par.* ante. [25] *Cor.* quisquam. [26] *Om. Sal.* [27] *Corr. add.* et, *Sal.* debent et.

A. LXVI. — M. LXX. Maius[1] periculum est iudicantis quam eius qui iudicatur, unde unicuique providendum est, ne aliquem iniuste iudicet aut puniat.

Cor. XII.[2]

V. XII. — VB. LXII. — PB. LXIII. — A. LXVII. — M. LXXI. Accusationes adversus doctorem nemo suscipiat[3], quia non potest humano condempnari examine, quem deus suo iudicio reservavit.

Cor. XIII.[4]

V. XIII. — VB. LXIII. — PB. LXIV. — A. LXVIII. — M. LXXII. Presbiter non adversus episcopum, non[5] diaconus adversus presbiterum, non[6] acolytus adversus subdiaconum[7], non[8] exorcista[9] adversus acolitum[10], non[11] lector adversus exorcistam[12], non[13] ostiarius[14] adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non dampnabitur praesul nisi LXXII testibus[15]. Neque praesul summus a quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est: Non est discipulus super magistrum. Presbiter autem in cardine constitutus nonnisi in[16] XLIV[17] testibus damnabitur: diaconus cardinarius constitutus urbis[18] Romae nisi in XXVI non condempnabitur: subdiaconus, acolitus, exorcista, lector, nisi sicut scriptum est, in VII testes[19] non condempnabitur. Testes autem sine aliqua sint infamia, uxores et filios[20] habentes et omnino Christum praedicantes.

Cor. XIV.[21]

V. XIV. — VB. LXIV. — PB. LXV. — M. LXXIII. Testimonium clerici adversus laicum[22] nemo suscipiant.

Sal. XV.[23]

V. XV. — VB. LXV. — PB. LXVI. — M. LXXIV. Nemo enim[24] clericum quemlibet in publico examinare praesumat, nisi in ecclesia, et[25] reliqua[25].

A. LXIX. — M. LXXV. *Cor.* XV. Episcopi pontifici a quo consecrari probantur, praeiudicium inferre nullum possunt. Quodsi praesumptum fuerit, viribus[26] carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

Cor. XVI.[27]

V. XVI. — VB. LXVI. — PB. LXVII. — A. LXX. — M. LXXVI. Non licet imperatori vel cuipiam[28] pietatem custodienti aliquid contra mandata divina praesumere.

Cor. Sal. XVII.[29]

V. XVII. — VB. LXVII. — PB. LXVIII. — M. LXXVII. Providendum est, ne in aliquo apostolica aut canonica decreta violentur.

Sal. XVIII.[30]

V. XVIII. — VB. LXVIII. — PB. LXIX. — M. LXXVIII. Iniustum iudicium et definitio iniusta [31]regio metu vel iussu a iudicibus ordinata non valeat.

Maius — qui iudicatur, Ben. III. 372. aut Xysti Pyth. s. 174. Cf. Calist. 20.
unde unicuique — puniat, Ben. III. 372. Cf. Marcellini 3, Pelag. II. pp. ep. 2.
c. XII. Accusationes — suscipiat, Ben. III. 373. II. 357. III. 259. aut Xyst. Pyth. s. 250. Isidor. syn. lib. II. 86. Cf. Alex. 7, Eleuth. 5, Vict. 6, Calist. 3, Fab. 17, Steph. 13, Sixt. II. pp. 7, Euseb. 8. 17, Iul. 19, Sixt. III. pp. Cf. supra c. 51 i. f.
c. XIII.—XV. Presbiter non — in ecclesia, et reliqua, const. Silv. c. 3. 14—15. Cf. Ben. I. 302, excerpt. Silv. 2—5.
c. XV. Episcopi — statuta censeri, Ben. III. 115. (c. 3. Symm. const. de reb. eccles) (Cf. Marcellini 3.)
c. XVI. Non licet — praesumere, Cass. hist. trip. X. 6. aut Ben. I. 402. Cf. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.
c. XVII. Providendum est — violentur, Leon. M. ep. 12. c. 4. (1, 663.) aut Ben. III. 122.
c. XVIII. Iniustum — non valeat, L. Visig. II. 1. 28 tit. aut Ben. I. 405. Cf. Calist. 6, Marcellini 4, Symm. syn. VI.

1 *Tr.* Magis. 2 *Om. num. Par.; cap. deest in Sal.* 3 *Par.* suspitiat. 4 *Om. num. Par.; cap. deest in Sal.* 5 *Tr.* nec. 6 *Cor. Tr.* nec. 7 *Cor.* acolytum. 8 *Cor. Tr.* nec. 9 *Cor.* lector. 10 *Cor.* ostiarium. 11 *Tr.* nec. 12 *Om. Cor.* non — exorcistam. 13 *Tr.* nec. 14 *Par.* ostiarium. 15 *Om. Cor. Tr.* 16 *Om. Cor. Par.* 17 *Cor.* LXIV. 18 *Tr.* urbe. 19 *Tr.* testibus. 20 *In Tr. al. manu additur:* non. 21 *Om. num. Par.; capit. deest in Sal.* 22 *Par.* laici adversus clericum. 23 *Om. num. Cor. Par.* 24 *Om. Cor. Sal.* 25 *Om. Cor.* 26 *Om. Sal.* 27 *Om. num. Par.; cap. deest in Sal. Tr.* 28 *Par.* cuiquam. 29 *Om. num. Par.; cap. deest in Tr.* 30 *Om. num. Cor. Par.* 31 *Sal. add.* quamvis.

Sal. XIX.[1]

Sic odit deus eos qui adversus patres armantur[2], ut patrum[3] invasores qui in omni mundo infamia notantur. V. XIX. — VB. LXIX. — PB. LXX. — A. LXXI. — M. LXXIX.

Cor. XX.[4]

Item generali decreto constituimus, ut execrandum anathema[5] et velut praevaricator catholicae fidei[6] apud dominum[7] reus existat, quicumque regum vel potentum deinceps canonum censuram in quocumque crediderit vel permiserit violandam. V. XX. — VB. LXX. — PB. LXXI. — A. LXXII. — M. LXXX.

Sequuntur in cod. Sal. Cor. Tr. haec, quorum textus ex Iuv. desumtus est:

Sed et[8] praesentis[9] domnus papa Adrianus[10] temporis istius eiusdemque Adriani[11] tam nomine quam merito sui praecessoris aptus executor et persecutor[12] haec exempla[13] nuper ad Salomonem ducem Brittannorum destinata sui suorumque officii non inmemor observanda mandavit[14] et cunctis imitanda exercuit[15] pro loco quo ait: Sacerdotes vero vobis vicinorum[16] dioceseon super se alios deplorant superpositos sacerdotes Brittannicos, si tamen sacerdotes et non magis pervasores et sacrilegos tales dixerim qui etiam si quaedam habent negotia, non ad concilia episcoporum occurrere permittuntur, sed contra sacros canones et venerandas leges ad saecularium tribunalia pertrahuntur, nec suscipiunt episcopale institutum sed illatum contra regulas populare incurrunt iudicium et ipsis morte praeventis rapitur, si quidem[17] remanserat, subsidium: iudicantur etiam episcopi a lectoribus et laicis hominibus quos[18] oportuit[19] canonicis legibus et metropolitanis aut nobis praesentibus saltim examinari dicente domino per prophetam: Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari. Et iterum: Qui vos tangit, quasi qui tangat pupillam oculi mei.

c. *XIX. Sic odit deus — notantur*, Procl. ep. ad Dom. Ant. aut Ben. III. 374. Cf. Alex. 6, Telesf. 4, Fab. 18, Steph. 2. 13, Euseb. 5, Iul. 12, Pelag. II. pp. ep. 1.

c. *XX. Item generali — violandam*, Ben. II. 322. (c. 1 conc. VII. Tolet.)

1 *Cor. erronee:* XVIII; *om. num. Par.* 2 *Par.* amantur. 3 *Tr.* patres. 4 *Om. num. Par. Sal.* 5 *Cor. Sal. add.* fiat. 6 *Cor. Sal. Tr. add.* semper. 7 *Cor. Sal. Tr.* deum. 8 *Tr.* ex. 9 *Cor.* praesens. *Tr.* praesenti. 10 *Tr.* Hadrianus. 11 *Tr.* Hadriani. 12 *Om. Cor.* temporis — persecutor. 13 *Tr.* ex epistola sua. 14 *Tr. add.* ac mandata nobis obsequenda propinavit. 15 *Omnia quae sequuntur a:* pro loco etc. *desunt in Cor.* 16 *Tr.* vicinarum. 17 *Tr.* quid. 18 *Tr. add.* non. 19 *Tr. add.* nisi.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. IX. l. 4. opus *corr.* opes.
p. XXII. l. 11. Urbani *corr.* Pii.
l. 14. *add.* et epistolae II. Zepherini.
p. XXIII. l. 14. *add.* et Gangrense.
l. 34. *add.* et VII.
p. XXV. l. 24. Cass. hist. trip. X. 15. *corr.* Cass. hist. trip. IX. 15.
p. XXVI. l. 37. ad *corr.* adversus.
p. XXX. l. 44. *post verba „Romanorum hec" inserenda:* (Rotom. hic).
p. XXXVII. l. 33. Engilramno *corr.* Engilcamno.
p. XXXVIII. l. 18: 22, 10, 21. *corr.* 22, 16, 21. — l. 24. *add.* f) decem epistolis Hormisdae eaedem quae in Vatic. 1344 praemittuntur.
p. XXXIX. *post descriptionem codicis Sorbonn.* 729 *add.* Cod. Darmst. biblioth. M. Ducis Hassiae no. 113. saec. XI., quem Arm. Wasserschleben, vir ill., evolvit, partem collectionis Pseud.-Isid. a decreto Damasi: „quod omnes haeretici cet." usque ad finem ita ut cod. Sorb. exhibet, profertque in fine eadem quae in hoc codice leguntur.
p. LVI. l. 6. *in c.* 12. *Iul. ante „perscrutetur" inser.* blasphemantium.
p. LXVI. l. 15. Additamentam *corr.* Additamentum.
p. LXXI. l. 49. Angilrammo *corr.* Agilrammo.
p. LXXXI. l. 23. enucleatas *corr.* enucleatis.
p. LXXXVI. l. 30. tantam *corr.* tantum.
p. LXXXVIII. l. 2. *post „Agath. a.* 506." *add.* „Nullus episcopus — permissa" (c. 8. conc. Epaon. cit.).
p. C. l. 39. *delend.* te.
p. CIV. l. 44. *delend.* Pseudo-Isidorum.
p. CXX. l. 9. *post „cap. X. v.* 15." *cet. inser.* v. 22. 23. Fel. IV. pp. ep. 1.
p. CXXXVII. *ultimae lineae tabulae font. add.* c. 2. Dam. de cor., Ioann. III. pp.
p. CLVI. *in c.* 12. *IV. Fel. II. pp. post.* „aut timore" *ins.* eiecti.
p. CLX. l. 16. usus *corr.* usum.
p. CLXV. l. 40. 41. *pro: „Ita concepta — Engilranno" lege:* Ita concepta legitur in codd. Navarre 7. saec. XII. ex., Paris. 5141, in quorum altero forma nominis est: Engilranno, altero: Engilltranno. — l. 43. 44. Vat. 1344. saec. XIII. exeunt. *corr.* Vat. 1344. s. XIII. incunt.

p. CLXV. Codicibus capitulorum Angilramni Darmst. 113 modo laudatus adnumerandus est, qui exhibet fol. 144v — 146. capitula Angilramni nullis numeris capitum distincta neque ullis rubricis praemissis cum inscriptione: „Incipiunt capitula quae ex Grecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum sparsim collecta sunt et Engilramno Mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa Adriano tradita XIII. Kal. Octobr. indictione IX., quando pro sui negotii causa agebatur." Convenit igitur codex cum Pistor., Navarre 7., Par. 5141., Sorb. 729., Ven. IV. 47., Vat. 1344. confirmatque quae de vera capitulorum Angilramni inscriptione p. CLXVIII. exposui.
p. CLXVI. l. 6. *post „Romanorum" add.* pontificum.
p. CLXXVI. l. 31. confictam *corr.* confictum.
l. 50. *in c.* 2. *Ang. ante „beati" inser.* meritis.
p. CLXXVIII. l. 30. *in c.* 12. *Iul.* = c. 3. *Angilr. corr.* = c. 3. Sixt. I. pp.
p. CLXXVIII. l. 45. a Pseudo-Isid. *corr.* e Ps.-Is.
p. CLXXXVI. l. 21. *post „mensis Aprilis" add.* a. 847.
p. CLXXXIX. *in c.* 1. *Marci* quosque *corr.* quasque.
p. CXCII. l. 31. *fons verborum: „Omnibus vobis — in domino"* est c. 7. ep. Innoc. I. ad Rufum (H. no. 26.).
p. CXCV. l. 7. relata *corr.* relatas.
p. CCI. l. 4. *post* m. Aprilis *add.* a. 847.
p. CCXXXIII. not. 1. Rothadum *corr.* Rothadus.
p. 8. not. 6, p. 9. 12. 15. in not. *delendum est* „;"
p. 19. *in font. adnot. „Theophilus — decret. 1." ponend.* post: „(in cod. — III. 109."; *in variant. delenda est nota* 10.
p. 24. *in variant. not.* 10. cum *corr.* dum.
p. 27. l. 32. respuenda *corr.* respuendi.
l. 34. testator *corr.* testatur.
p. 41. l. 21. furore *corr.* furor.
p. 47. l. 30. *Textus a „Pallas — custodire" ita restituendus esse mihi videtur:* Pallas vero et vela quae in sanctuarii sordidata fuerint ministerio, diaconi cum humilibus

ministris intra sacrarium lavent non eicientes foras a sacrario velamina dominicae mensae, ne forte pulvis dominici corporis male decidat sindone foris abluta, et erit hoc operanti peccatum, idcirco intra sacrarium ministris praecipimus haec sancta cum diligentia custodire.

p. 66. l. 16. apotolicis *corr.* apostolicis.

p. 72. *in font. adnot. ad Ps. LIV.* 23. *add.* vers. Hieron.

p. 87. l. 13. *In edit. Blondelli post „instrui documentis“ habentur:* „haec vero rescribimus“, *quae in codicibus meis desunt. Fortasse ipse Pseudo-Isidorus verbum ponere omisit, cum locus Innocentii ab eo adhibitus ita conceptus sit:* Consulenti tibi, frater carissime, quid de proposita specie unaquaque sentirem, pro captu intelligentiae meae quae sunt visa, respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet vel auctoritas lectionis ostenderet vel custodita series temporum demonstraret.

p. 102. *in var. not.* 4. Mut. add. *corr.* Mut. omisit.

p. 110. 112. *locis psalmor. adnotatis add.* vers. Hieron.

p. 114. *in var. delenda est not.* 26.

p. 126. *textus initii cap. V. ita restituendus est:* Caveant etiam iudices aecclesiae ne absente eo cuius causa ventilatur sententiam proferant, quia irrita erit, immo et causam in synodo pro facto dabunt.

p. 127. *in var. not.* 7. *ita corr. Sic* callidens *corr.* sec. Sg. Bb. Dst.; *Mut.* alidens.

p. 151. l. 24. mereami *corr.* mereamini.

p. 174. *in var. not.* 17. *post „Cornelius in secunda“ inserendum:* ita.

p. 182. *in font. ad cap.* 2 *adnot.* Ben. II. 369. *corr.* Ben. III. 369.

p. 249. l. 14. *post* exemplar *add.* constituti.

p. 265. *not.* 1. l. 3. *delendum:* nec.

p. 315. l. 38. Cartaginene *corr.* Cartaginense.

p. 374. *in inscr. Tolet. V. post* concilium Toletanum *inser.* XXIV. episcoporum.

p. 596. *not.* 1. permutata *corr.* permutato.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ.

COMMENTATIO DE COLLECTIONE DECRETALIUM ET CANONUM ISIDORI MERCATORIS.

RERUM IN COMMENTATIONE TRACTATARUM CONSPECTUS.

CONSPECTUS RERUM QUAE IN COLLECTIONE ISIDORI MERCATORIS CONTINENTUR.